Universidad de Deusto
Biblioteca

Universidad de Deusto
Biblioteca

Universidad de Deusto
Biblioteca

Universidad de Deusto
Biblioteca

Universidad de Deusto
Biblioteca

Universidad de Deusto
Biblioteca

Universidad de Deusto
Biblioteca

Universidad de Deusto
Biblioteca

Universidad de Deusto
Biblioteca

Universidad de Deusto
Biblioteca

El P. Arevalo a la Provincia de Castilla

Universidad de Deusto
Biblioteca

Universidad de Deusto
Biblioteca

Universidad de Deusto
Biblioteca

THEOPHYLACTI

Bulgariæ Archiepiſcopi, in quatuor Euangelia enarrationes innumeris penè locis per Phil. Montanum Armenterianum denuò recognitæ & reſtitutæ.

Item in minores aliquot prophetas, Abacuc, Ionam, Naum, & Oſee.

Præmiſſæ ſunt Philip. Montani Armenteriani epiſtolæ duæ: una dedicatoria, in qua de operis utilitate agitur, & aliis quibuſdam non parum ad rectam Eccleſiæ reſtitutionem pertinentibus: altera eſt ad candidum lectorem de recognitionis neceſſitate.

Acceſsit rerum & uerborum memorabilium Index locupletiſsimus.

FACULTAD DE TEOLOGIA Univ. de Deusto BILBAO

BIBLIOTHECAE ORDINENSIS SOCIETATIS JESU

BASILEAE, APVD IOANNES HERuagios, Anno 1554.

Cum gratia & priuilegio imperiali ad quinquennium.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Universidad de Deusto
Biblioteca

REVERENDO IN CHRISTO PATRI D.
CLAVDIO DODEO, RHEDONVM EPISCOPO VIGILAN-

tißimo Philippus Montanus S. P. D.

VVM à priſcis uſq; ſeculis morem hunc perdurare uideam, ut ſtudioſi lucubrationes ſuas præcellenti cuipiam uiro dedicent, operęprecių me facturū exiſtimaui, ornatiſsime pręſul, ſi hos noſtros qualeſcunq; labores, Celſitudinis tuæ auſpicijs in publicū emitterem, ut tua ſublimis illa Celſitudo, cum ſumma humanitate coniuncta, gratiam ipſis, & beneuolentiam conciliaret. Apud quos enim nō uehementer gratioſum fuerit, Claudij Dodei nomen, qui præter ſtemmatum claritatem, in hoc chriſtianiſsimo Galliarum regno, ob ſingularem prudentiam, ad intima regni conſilia ſit accitus, ac libellis ſupplicibus præfectus? Et deinde poſt uarias maximis de rebus, nomini ſuo pulchrè reſpondēs, non minus prudenter quàm fœliciter peractas legationes, Epiſcopali dignitate ornatus, hiſce nunc proximis menſibus, quum de reipub. Chriſtianæ ſumma agendum eſſet, à Rege chriſtianiſsimo delectus ſit, qui in primis ad Eccleſię uarijs, heu nimium hæreſibus diſſectæ, alijſq; deiectę, ſeriā tandem reſtitutionem, redintegrationemq; Tridentum mitteretur? Sed quid multis opus eſt, quum ex his & huiuſmodi functionibus, cuius perſpicuum eſſe poſsit, quàm præclarè ac bene ſis de repub. meritus, cuius utilitati quū noſter hic quoq; ſudet labor, eum ut maiori cum fructu ad ſtudioſorum manus perueniat, tuæ illi gratioſæ dignitati dedicamus: ac fore ſperamus, ut præclarum hoc opus, obuijs, quod aiūt, ulnis ſuſcipias. Tibi enim, reuerende præſul, tuiq; ſimilibus, qui gregi uobis commiſſo, ſalubrè pabulum quæritis, non poteſt hic autor non uehementer placere, ut qui nec prolixitate ſit moleſtus, nec breuitate obſcurus, ſed cōmoda quadam breuitate abſtruſos noui Teſtamenti locos, arcanaq; myſteria doctè admodum ac dilucidè explanat. Illinc etiā multa quę ad morū integritatē, & rectā eccleſiæ cōſtitutionem faciant, ſcitè depromens: ut eſt illud quod Marci tertio, & Lucæ ſexto dicit: quod Dominus ordinaturus apoſtolos aſcenderit in montem ad orandū, ibiq; fuerit pernoctans in oratione Dei, nos docens ut ipſum imitemur & diſcamus, quòd nos, quādo quempiam ordinaturi ſumus in ſpirituale miniſteriū, prius feruenter oremus, ut nobis reueletur quis idoneus ſit, ut ne communicemus peccatis alienis. Hoc Theophylacti, uel Chriſti potius ac Pauli documentum, ſi rectè obſeruetur, abunde, ni fallor, ſatis fuerit ad Eccleſiæ, de qua nūc agitur, compēdiariam inſtaurationem. Si enim iuxta Pauli præſcriptum, nemini manus citò imponantur, ſed huiuſmodi uiri maturè deligantur, alijſq; præficiātur, qui morum probitate ſibi commiſsis præluceant, eosq; ſapientiæ ſale condiant (lucem enim mundi, et ſalem Chriſtus uocare uidetur, quos Paulus dicit ἀνεγκλήτους καὶ διδακτικούς, hoc eſt, qui crimine uacent, & docere ualeant) qui uidelicet in epiſcopatu, quod & ipſum nomen ab inſpiciendo & prouidendo dicitur, non opes, ſed opus deſiderant, nec ut præſint, ſed ut proſint: hoc eſt, non quæ ſua ſunt, ut habet Paulus, quærant, ſed quę Ieſu Chriſti, ac

Dodeus ſiue Dorotheus Dodin. quaſi donum Dei uel à Deo datus.

Prudens Theophylacti eruditio

1. Tim. 5.

Cōpendiaria Eccleſiæ inſtauratio.

Matth. 5. 1. Timot. 3. & ad Tit. 1

Philip. 2.

sti, ac boni pastoris fungantur officio. Taliū utiq; uocem oues agnoscent, eosq; in uia uirtutis, uita proba, sanaq; doctrina prælucentes, haud graua tim sequētur. Atq; ita facile pessum ibūt hæreses omnes, quæ ob quorundam improbitatem, ecclesiæ decreta, parum quidem prudenter, obnixè tamen contemnunt. Alioqui si lux in tenebras uertatur, ipsæ tenebræ quantæ? aut si sal infatuatus fuerit, ad quid ualet ultrà nisi ut proijciatur foràs, & cōculcetur ab hominibus? Equidem certè pleroscq; nunc Prælatos contemni, ac uelut conculcari ob insulsam improbitatem audimus: quæ quidem Ecclesiæ aduersarijs, ansam clamandi, auctoritatemq; apud turbam tribuisse uidetur. Non est tamen cur illinc iustum suis sectis patrocinium uenentur. Nam uerè catholicis ista quoq; uehementer displicent. Quis enim uir cordatus æquo animo ferre possit, ut in equorum, auium, canū, brutorum scilicet animalium gubernatore magnus habeat, delectus, animarum autem precioso Christi sanguine redemptarū, ut cura cuiuis imperito & improbo temere demandetur? & nōnunquam in sanguinis aut mulierculæ gratiam, puerulo, cui paucula poma concredere nolis, multa tamen committantur hominū milia? Attamen quod intolerabile uidetur, ueluti parum onusto indies alia atq; alia illi aggerūtur onera. An non ista quamuis absurda passim tamen fieri uidemus? Adeò animalis homo nō quantum illic oneris incumbat, sed quantum illinc honoris aut commodi contrahat, expendere solet. Ad ista tam absurda quid dicemus? nonne hic luce clarius quod quæritur Christus filios huius seculi prudentiores esse filijs lucis in generatione sua? Quis enim barbarus aut obscurus homuncio usq; adeò desipit, ut in mediocribus etiam & caducis mercibus transuehēdis nauis gubernaculum, ignauo cuipiam & imperito committat? Nos autem, filij lucis scilicet, ad sacrosanctæ Christi ecclesiæ, atq; animarum immortalium, & ad Dei imaginem formatarum gubernaculū, ineptissimos nescio quos homines, ne dicam infantes, admittimus, aut etiam admouemus, ac ueluti inuitos nonnunquam protrudimus, ab illis sanctis patribus longissimè dissidentes, qui in Niceno concilio & alijs statuerunt, ne quisquā sacris initiaretur, nisi prius ipsius explorata esset uita & eruditio, quemadmodum prudentes decebat dispensatores. Quid autem ualeant uulgares istæ dispensationes, alij uiderint. Paulus quidem certè palàm profitetur sibi datam esse potestatem ad ædificationem, & non in destructionem: alioqui non fidelis esset dispensator, sed dissipator perfidus, ut Bernhardi uerbis utar. Sic nimirum peccatis alienis communicātes, atq; καλὸν κοτὸν quod aiunt, siue πιθήκῳ πορφύραν adijcientes amicis nostris bellè scilicet prospicimus, cùm ipsorum ac nostro atq; aliorū summo periculo & scandalo. πίθηκος γὰρ ὁ πίθηκος, ut est in prouerbio, κἂν χρύσια ἔχῃ σύμβολα, quibus certè magis expediret, ut habet ueritas, si suspensa ad collum mola asinaria in profundum maris demergerentur. utinam tandem aliquando, licet serò, seriè tamen metuamus Domini uocem, exclamantis: Vę mundo à scandalis, audiamusq; quod apud Ioannem ait Dominus se ouium esse ostium, ut uidelicet qui ad Christum non respiciens, per illud in ouile non ingrediatur, sed aliunde ascēdat, à Christo fur & latro iudicetur. Quotusquisq; autem istorū sit qui Christi gloriam, ouium q; utilitatem potius sectetur, quàm

Matth. 6. Matth. 5.

1. Cor. 10.

Attendant, qui sibi aut suis sacerdotia procurant.

Matth. 10.

Ibidem. Ioan. 10.

A quam carnis & sanguinis uanos nescio quos affectus sequatur, ipse uiderit. caueatq; ne ti è Christi & orationis domo, negociationis domum aut speluncam latronum faciat, ipse ueluti flagello è funiculis contexto tanquam canis sacra profanans, turpiter à sacris profligandus sit. Quando em̃ quæso te, placidum illum ac mitem alioqui Christum ita indignatum legimus, tantaq; usum seueritate, quanta in eos qui templi religionem, cultumq; diuinum in turpe lucrum uerterent? Vsq; adeò ipsum offendunt, qui rebus sacris ad suum quæstũ abutuntur, aut sub religionis prætextu, fucataue pietate pecuniarum æstuant auiditate. quod etiam perspicuum facit horrendum illud Ananiæ & Sapphiræ exemplum. Vehementer itaque gregi christiano ac multis nominibus, nec minus gregis quàm pastorum aut sacerdotum gratia expetendum, ut ad ipsius curam longè quidẽ pauciores, sed multo præstantiores deligantur. Quî enim fieri potest, ut in tanta improborum hominum ad sacerdotium uelut ad ocium temerè prosilientium turba debitus honor, auctoritasue ut plebem ad officium reuocent, in eoq; contineant, idonea retineatur? Nam quum isti passim cuiuis commisceantur hominum generi, & Deo scilicet militantes, negocijs secularibus, Paulo reclamante, sese implicent, imò ad sordida quæuis plericq; sese deijciant, an non in ipsos quadrat Dauidicum illud: Commixti sunt inter gentes, & didicerunt opera illorum, & factum est illis in scandalum? Scandalum autem præ tanta multitudine uitare uix queunt, ne dicã

B præimpudentia non quærunt: ueruntamen expendant, quæso, quid ibidem mox subiungat Dauid: Contaminata est terra in operibus eorum, & fornicati sunt in adinuentionibus suis, & iratus est furore Dominus in populum suum, & abominatus est hæreditatem suam. Sed his deplorandis iã nõ est locus. Quod si igitur ad functiones publicas nõ ambitiosi isti qui non mittente Domino miris ipsi currunt modis: sed implorato prius spiritus afflatu, & apostolico more cum ieiunijs & orationibus deligantur uiri morum probitate & prudenti eruditione commendati, iuxta Pauli & Niceni concilij præscriptum, qui ad apostolorum exemplum orationi & ministerio uerbi instantes, & charitate flagrantes, non per mercenarios, nescio quos, sed ipsi super gregem Domini sibi commisso, tanquam pro eo rationem reddituri, & animam pro anima posituri diligenter uigilent, ac seipsos iuxta Paulum præbeant in omnibus exemplum bonorũ operum, in doctrina, in integritate, &c̃. sperandum est fore, ut totus Christianorum orbis σὺν θεῷ, breui melius habeat iuxta illud Malachiæ, Lex ueritatis fuit in ore eius, & iniquitas non est inuenta in labijs eius: in pace & æquitate ambulauit mecum, & multos auertit ab iniquitate. labia enim sacerdotis custodiunt scientiam, &c̃. ubi multa de bonis & malis sacerdotibus. cui cõsona scribit noster Theophylactus in Luc. 12. caput, ibi, Quisnam fidelis dispensator et prudens? atq; etiam Chrysostomus in Matth. caput. 21. Sicut de templo, inquiens, omne bonum egreditur, ita de templo omne malum procedit. si enim sacerdotiũ integrum fuerit, tota florebit ecclesia. Attendant ergo & bene expendant ecclesiæ pastores, quanto in discrimine uersentur. Quemadmodum enim Dan. 12. qui ad iustitiam eruditi multos, fulgebunt quasi stellæ in perpetuas æternitates, ut habet

Matth. 21. Ioan. 2.

Act. 5.

Sacerdotum turba uitanda.

2. Tim. 2.

Psal. 105.

Hier. 15. Act. 13.

Hebr. 13. Ezech. 3. & 33.

Ad Tit. 2.

Malach. 2

Universidad de Deusto
Biblioteca

Daniel atq; etiam Christus. Qui fecerit & docuerit, hic magnus uocabi- A
Matth.5. tur in regno cœlorum: sic contrà à regno excludendos ait illos Dominus,
Ibidem. quorum iustitia non abundauerit plusquam scribarum & Pharisęorum.
Scribæ autem & Pharisæi, ut alia interim omittamus, super cathedram
Moysi sedentes, etiamsi non facerent quæ docebant, docebant tamen. di-
Matth.23. cunt enim, inquit, & non faciũt. At istos Christi seruatoris cathedrã per-
ditè occupantes (de improbis loquor, qui scribis illis deteriores non solũ
non faciunt, sed ne docent quidem) quò tandẽ deturbandos putabimus?
Sap.6. Iudicium enim, inquit Sapiens, durissimum in his qui præsunt, fiet. Inte-
rim tamen, quæ ipsorum est imprudentia non minor quàm impudentia,
Deut.18. in ocio ac delicijs agentes, sibi placent. Paulus quidem, secundum legem,
Residentia admittit, ut qui altari deseruiunt, cum altari participent: ita & Dominum
1.Cor.9. ordinasse dicit, ut qui euangeliũ annunciant, de euangelio uiuere queant.
Qui autem euangelium non annunciat, nec altari seruit, qua tandẽ quęso
ratione de illis uicturus est? uicturus est, dico, ne quid deterius addam à
quo abhorret animus, quodq; execrãtur, omnes quiquidẽ homines sunt
Male par- uocabulo digni. Sic enim parta τοῖς κακοῖς τρὶς κακά. ut interim sileam, quod
ta malis ter mala. sacerdotia malè & improbè accumulata, ineptis & auaris uendant aut lo-
cent, non ijs qui ouium Christi maiorem curam sint habituri, sed qui oui-
um duplici detrimento, copiosiorem sint pecuniam numeraturi. Verùm,
quorsum me rapit iustus heu nimium animi mei dolor? scriptum est, Ze-
Ioan.2. & lus domus tuæ comedit me: Equidem certè, uix calamum hic contine- B
Psal.68. re possum, quum illi sacerdotijs malè congerendis & cumulandis nullum
Rom.2. faciant modum neq; finem, ac proinde diuitias bonitatis Dei contemnen
tes, thesaurizent sibi irã in die iræ & reuelationis iusti iudicij Dei. Quan-
69.dist.c. doquidem quum singula singulis & quidem idoneis committi debeant,
Singula. nunc pleraque singulis parum idoneis conferantur, eaq; incompatibilia,
ut uocant, uoce etiam ipsa, eorum impudentiam redarguente. Adeò cæca
Extra de præb.& dig. est quorundam auaritia, nec minus execrabilis ambitio. Sed transuersum
calamum cohibebo, & Dominum messis, ex intimis animi mei affectibus
Matth.9. precabor, ut quum messis multa sit, & operarij pauci, bonos operarios in
messem suam mittere dignetur, qui uidelicet, quæ conueniunt, ea faciant,
ipsi & doceant, ut pulchrè docet noster Theophylactus Lucæ 17. & ulti-
mo, ibi, Potens opere & sermone coram Deo & omni populo. Ad huius
itaq; celebris autoris editionem propero, quæ quo emendatior prodibit,
tanto tibi sat scio, studiosisq́ue omnibus gratior erit. quod ut nunc fieret,
sedulò pro uiribus adnisi sumus. Tuę igitur humanitatis fuerit, mi patrone,
modis omnibus obseruande, pium tui clientuli, in rebus sanctissimis, co-
natum boni consulere. ἀρκεῖ γὰρ ὧν μεγαλοις καὶ τὸ θέλημα μόνον. Bene uale. Lute-
tiæ è museo nostro Tornacen. 3. Calen. Nouemb. 1545. in
priori quidem recognitione: secũda uerò Theophy
lacti in quatuor euangelia emendatio fa-
cta est anno Domini 1552.

PRAEFA-

Universidad de Deusto

A PRAEFATIO IN EVANGELIA, CANDIDO Lectori, Philippus Montanus.

NE OB uarios typographorum quorūdam titulos, quibus fucum facere emptoribus solent, quum nullis aut paucis admodum locis, mutatis & correctis, ne dicam corruptis, pleroſq; tamen emendatos, quamplurima reſtituta & addita, & huiuſmodi alia quamplurima magnificè in ſpeciem iactāt, ut emptores ſplendidis huiuſmodi uerbis allecti, iacturam ipſi reuera faciant. Ne igitur, candide Lector, in hoc quoq; opere, tale quid contigiſſe ſuſpiceris, commodū eſſe duxi, paucula quædam haud temerè à nobis mutata, è primis potiſsimum capitibus indicare, è quibus de reliquis coniecturam facere poſsis, ſi fortè illa cōferre graueris. Et ne longius abeamus, ex Matthæi cap. 1. pauca perſtringamus. nam in Theophylacti prefatione plura adiecimus quàm quæ cōmode hic inſeri poſsint. In locum itaq; illum (Filij Abrahā) ſic habebat prior editio, Quare appoſuit Dauid filij Abrahæ: quū Romanus codex ad hunc modum habeat, τίνος ἕνεκεν προέταξε τὸν Δαβὶδ τῦ Ἀβραάμ, hoc eſt, cur ipſum Dauid Abrahæ præpoſuit? quam lectionem meliorem eſſe probant ſequētia, et quæ in eundem locum ſcribit Chryſoſtomus. Interpres legiſſe uidetur προστάξει, &c. Et paulo pòſt ubi Matthæus ſcribit Iudam genuiſſe gemellos illos, Phares & Zaram de Thamar, ita prius habebatur: Et alius prior natus eſt. Deinde is, qui manum præmiſerat, uocatus eſt Phares, quod eſt diſſectio: locus etiam manifeſtè corruptus: quum is qui manum præmiſerat, uocatus ſit Zara. ut patet Geneſis 38. & mox etiam ex hoc ipſo Theophylacto. Sic itaq; legendum eſt: Et alius prior natus eſt, deinde is qui manum præmiſerat, uocatus eſt itaq; qui prior natus eſt, Phares, quod eſt, diſſectio. pūcto ſcilicet facto poſt, præmiſerat: ut ibi, natus eſt, ſubintelligas: & deinde addatur, Vocatus eſt itaq;, &c. Item non ita multo pòſt, illic, Omnes igitur generationes, &c.] ſic habe-
B batur: In tres ordines diſtribuit generationes, ut monſtret, quod Iudæis nihil profuerit, licet iudicib. fuerint ſubditi uſq; ad Chriſtū: etiā hic locus mutilus eſt ac multū deprauatus, quandoquidē iudicū tantū mentionem faciat, qui ad tres illos ordines ſiue teſſeradecades, reſpondere non poſſunt. Græca autem in adeò manifeſtis erratis hic adſcribere nihil opus eſſe puto, ne fruſtra lectorem oneremus, è quibus ſic locū hunc reſtituimus. In tres ordines diſtribuit generationes, ut monſtraret quod Iudæi, ſiue à iudicibus gubernarentur, ut qui uſq; ad Dauid: ſiue à regibus, ut qui uſq; ad tranſmigrationem: ſiue à ſacerdotibus, ut qui uſq; ad Chriſtum: nihil tamen ad uirtutem profecerunt, &c. quam lectionem ueram oſtendunt tum præcedentia, quod ait: Propterea generationes in tres ordines diſtributas: tum mox ſequentia, de uero & iudice & rege & ſacerdote Chriſto. quam etiam ſententiam habet Chryſoſtomus, quem ferè noſter Theophylactus ſequitur, eodem hoc primo capite, ibi: Ne timeas] ex una annotatione duas faciens, &, accipe, pro, accipere, ponens ſententiam turbat: quod & paulo pòſt diuerſa ratione facit, duas annotationes in unam contrahens. ut interim ſileam de dictionibus multis paſsim omiſsis, & alijs non paucis multum deprauatis: quæ facilè deprehendet, qui uel unum caput hoc primum & præfationem cum priori editione conferre uolet. capite autem octauo, ibi, Hæc autem dicebat quaſi pigeret eum comitatus eius, græca ſic habent, ταῦτα δὲ ἔλεγεν ὡς ἂν πείσῃ αὐτὸν μεταβληθέντα ἀκολουθεῖν, hoc eſt, hæc autem dicebat quò perſuaderet illi ut mutatis moribus ſequeretur. capite item ſequenti, multa erant omiſſa, & quædam malè uerſa: ut illud in fine capitis, meſſem uocat multitudinem miniſterij quo egebant: quum græca ſic habeant. θερισμὸν ὀνομάζει τὸ πλῆθος τὸ χρῆζον τῆς θεραπείας, id eſt, meſſem uocat multitudinem curationis egentem. Et cap. 15. ibi, Ad Iudæos qui ſunt oues quæ perdiderant ea quæ illis concredita erant, Græcè ſic legimus, πρὸς τοὺς Ἰουδαίους, οἱ ἀπολωλότα εἰσὶ πρόβατα ἀπὸ κακίας τῶν ἐμπιστευθέντων αὐτά, hoc eſt, ad Iudæos qui ſunt oues perditæ eorum uitio quibus fuerant concreditæ, ſiue commiſſæ. Nam græci, quemadmodum actiuè dicunt, committo tibi hanc rem: ſic & paſſiuè, tu es commiſſus hanc rem. pro, commiſſam habes. qua etiam locutione græca utuntur nonnunquam poetæ latini, ut hora, de ſenibus auaris: læuo ſuſpenſi loculos tabulamq; lacertæ, pro ſuſpenſos loculos & tabulam

Universidad de Deusto
Biblioteca

ſuſpenſam habentes. In hoc etiam capite, ut in alijs præcedentibus & ſequentibus, A
permulta fuerant prorſus omiſſa, quædam inuerſa, multumq; deprauata. ſed ad alios euangeliſtas properans, illud unum ex Matthæo adijciam, quod habetur cap. 21. de turbis ſimplicibus. Neq; inquit, inuidebant Chriſto, neq; opinionem indignam de Chriſto habebant, ideo & nunc prophetam illum dicunt: nunquam autem, ſi ſine articulo dicatur, &c. quum græca longè ſecus habeant, ὅτε ἐφθόνουν τῷ χριστῷ, ὅτε πάλιν τὴν πρόσκυσαν περὶ αὐτοῦ ὑπόληψιν εἶχον, διὸ καὶ νῦν προφήτην αὐτὸν λέγουσι. μήποτε δὲ, ἐπεὶ μετὰ τοῦ ἄρθρου φασὶν ὁ προφήτης, διώανται νοεῖσθαι ὅτι ὅ[illegible] δὴ ὁ προσδοκώμενος προφήτης. hoc eſt, neq; inuidebant Chriſto, neq; rurſus cõuenientem de ipſo habebant opinionem. Ideo & nunc Prophetam ipſum dicunt, niſi fortè, quandoquidem cum articulo dicũt ὁ προφήτης, id eſt, propheta ille, poſsit intelligi quod iſte ſit qui expectabatur propheta. Ad quæ pulchrè quadrant reliqua. Lapſus occaſionẽ dedit, opinor, quod μήποτε δὲ, uerterit, nunquam autem: ad quod cætera aptare cupiens, totam inuertit ſententiam: quum μήποτε hoc loco non ſit negantis, ſed addubitanter decernentis. pro, fortaſſe, aut, niſi fortè. qua in ſignificatione frequenter accipit noſter hic Theophylactus. ut capite huius 13. ibi, μήποτε δὲ uertebat, abſit autem: quum fortaſſe autem, dicere debuiſſet. quod bis eodem capite facit, malè reijciẽs quę Theophylactus admittit. Matthæi etiam uigeſimo ſecundo, & Marci decimoquinto, &c. eodem modo accipitur. Sed quid his immoror, quum nullum omnino caput ſit in quo non multa ſint reſtituta? uideor itaq; ne in his prolixior fuerim. Ideoq; ex reliquis euangeliſtis pauciora perſtringam. Marci primo iudæos notans qui ſcripturas negligebant, ſic inquit: ἀλλ' οὐκ ἐγιώργουν αὐτὰς, οὐδὲ ἠρεύνων, id eſt, ſed ipſi non excolebant eas, nec ſcrutabantur: prius autem ſcriptum erat, Sed nõ ipſi colebant agros, neq; inquirebãt. Et paulo antè hic negatio, neq;, omiſſa ſenſum contrarium exprimebat. Et ne diutius immorer, ſi quis totum hoc caput primum excutere uelit, deprehendet multa omiſſa, & non pauca corrupta, ſicut & capite proximè ſequenti, ut ex multis indicem, ubi ait, quod Dauid fugiens à facie Saulis, gladium Goliath ablatum obtulit Domino: quum legendũ ſit, Gladium Goliath oblatum Domino, abſtulit, ut habẽt Græca, eiſq; aſtipulatur hiſtoria primo Regum uigeſimoprimo. Initio item ſequentis capitis locus planè deprauatus contrariam reddebat ſententiam. Sed ad Lucam propero, cuius caput primum & ſecundũ multis ſcatebant mendis, ut & proximè ſequens: ubi præterq; multa omiſſa, fortaſſe quædam fuerant non ſatis intellecta, ut quod ὅσον ὅπω uertat, quantum nunquam: cum uertendũ eſſet, mox, aut, paulopoſt. ut ſenſus ſit, mox à prædicatione Ioannis prędicaturum eſſe Dominum. Eodem lapſu corrupta fuit ſententia cap. decimo octauo, ubi ὅσον ὅπω uerterat, nondum. quum ſenſus poſtulet, ut mox, ſiue paulopoſt dicatur. Capite autem decimoquarto, ubi declarat per eum qui iuga boum emerit, ſignificari eum qui circa terrena eſſet occupatus, ſpiritualem cœnam negligere, adfert Sapientis authoritatem ad hunc modum. Quid calumniatur, qui alteri præualet? Sed quid quæſo iſtud ad propoſitum? ubi græca ſic habent, τί σοφιζόμενος ὁ κρατῶν ἀρότρου, id eſt, in quo ſapiens erit qui tenet aratrum? quemadmodũ habemus Eccleſiaſtici triceſimo octauo, ſecundũ Septuaginta quos hic, ut alij græci, ſequitur. quod quidem propoſito pulchrè conuenit: aratro enim iuga boum admouentur. Sic & cap. uigeſimo ſecundo ſecundum Septuaginta legendum eſt, Et roborentur in eo omnes filij Dei, Deut. triceſimoſecundo. Eodem uigeſimoſecundo capite multa etiam alia emendata uidere licet. denicq; ut ex primo etiam Ioannis capite quædam depromamus, ibi, Et lux in tenebris lucet] declarans lucem in tenebris lucere, ſic poſuerat: Nam & in morte factus eſt quaſi fuiſſet uictus, ita ut cogeret hinc illum emigrare, &c. Vbinam, quęſo, lux in morte hic lucere, & uires ſuas exerere dicatur? proinde ſic ad exemplar grę cum reſtituimus. Nam & ipſe mortuus ſic mortem ſuperauit, ut & eos quos prius abſorpſerat, cogeret ipſam euomere. Similis ſentẽtia habetur 1. ad Cor. decimoquinto, ibi, Poſtremus hoſtis deſtruetur mors. Et paulo poſt Ioannem præcurſorem, de ſua natiuitate ſermonem habere, dicere uidetur, & multa alia hoc eodem cap. non ſatis conuenientia. Initio item ſecundi cap. de uirgine matre loquens, ait: Habens opinionem ſuæ erga illum poteſtatis. Hæc uerba ſonare uidentur, quòd ipſa ſibi eam poteſtatem

teſtatem eſſe in Chriſtum arbitraretur, ut imperare poſſet, ut aquam in uinum cõuer teret, quum græca longè diuerſum ſenſum præ ſe ferant, nempe: quòd uirgo magnã concepiſſet de Chriſti poteſtate opinionem ex his quæ & in ipſius conceptione & natiuitate euenerãt, &c. Quod autem ibi ſtatim ſequitur, ut oraret Deum, pro orare, eum. Item, & ex animo, pro, & examine, & huiuſmodi multa, ſcribæ potius aut typographo, quàm interpreti imputanda, lectoris induſtria emẽdari potuiſſent. Cæterùm ubi nono cap. docet per Ezechielem, dicens: Patres comederũt, &c. quædã illic prætermiſſa contrariam admittebant ſententiam. ut & capite ſequenti, ubi pro, cognoſcunt enim, legendum eſt, Non enim cognoſcunt, ut habẽt græca. alioquí gloſſa cum textu pugnaret. Sed quod eodẽ ca. pro Apoſtatis, Apoſtolos haberemus. Item quod pro, Ex ipſo, ſcriptum eſſet, Ex Aegypto. unde etiã ſuſpicor locum mirè fuiſſe corruptum, ubi de malis paſtoribus & auaris querebatur: non enim, inquit, quærebant utilitatem ex Aegypto, ſed turpe lucrum. quum legí debeat, non enim quærebant populi utilitatem, ſed ex ipſo turpe lucrum. Iſta inquam & eiuſmodi pleraq; alia impreſſori potius quàm interpreti aſcribi poſſent. quod autem pleriſq; in locis permulta fuerint omiſſa, ex quibus ſequentia pendebant, non tantum dictiones aliquot dico, ſed uerſus perm ultos, atq; adeò pagínas totas, quodq; ſæpiuſculè negatio contra authoris mentem aut omiſſa aut iniecta contrariam inducat ſententiam, ſcribæ ne aut typographo, an interpreti, mutilóue codici imputandum ſit, aliorum eſto iudicium. Mihi abundè ſatis fuerit, ſi fauente altiſsimo publicam ſtudiorum utilitatem pro noſtra qualicunq; mediocritate nonnihil adiuuerimus. Interpres quidem certè Ioannis ultimo, codicem ſuum mutilum fuiſſe confitetur. Fieri tamen poteſt ut etiam ille quibuſdam in locis noſtro emendatior fuerit. Ideoq; quædã intacta reliquimus, ſiue quòd ad ſenſum bene quadrarent, ſiue quòd non magni eſſent momenti, etiam ſi ad græcum noſtrum codicem non omnino reſpondeant. Nõnunquam autem margini diuerſam lectionem adiecimus, idq; potiſsimum quum utraq; defendi poſſet: priore quidem in contextu relicta, ſed huiuſmodi notis †] incluſa, penes lectorem iudicium relinquentes utrum ſequi malit. Sed hæc fortaſſe dum moroſis occurrere ſtudemus apud tuam facilitatem nimium multa. Bene uale candide lector, & quæ pro noſtra qualicunq; mediocritate in publicam utilitatem proferimus, boni quæſo conſule. Lutetiæ è muſeo noſtro Tornacenſi 1545. & rurſum 1552.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Universidad de Deusto
Biblioteca

THEOPHYLACTI ARCHIEPISCOPI BVLGARIAE, IN EVANGELIVM MATTHAEI ENARRATIO, PRIVS QVIDEM AB OECOLAMPADIO LATINITATE DONATA, nunc uerò ad exemplar Græcum Romæ impressum infinitis penè locis per Ph. Montanum recognita.

MAGNI quidem illi atq; diuini uiri, qui ante datam Mosi legem uixere, non ex literis & libris discebant, sed munda præditi mente, spiritus illustratione illuminabantur, atq; in hunc modũ, Deo ipsis ore ad os colloquente, quæ Deo placita erant, cognoscebant. Tales erant Noe, Abraham, Iob, Moses. At postquã deteriores facti sunt homines, & indigni qui à spiritu sancto illustrarentur & docerentur, concessit tandem misericors Deus scripturas, ut uel per illas, diuinæ uoluntatis essent memores. Ita & Christus apostolis corãm in sua persona locutus est, & spiritus sancti gratiam misit doctoris. Verùm, quoniam hæreses pullulaturæ erant, quæ mores nostros depascerentur, operęprecium uisum est, ut scriberentur Euangelia, quo discentes ex illis ueritatẽ, non ab hæresium mendacijs decíperemur, moresq; nostri non prorsus pessundarentur. *Cur euangelia conscripta.* Quatuor aũt Euangelia nobis dedit, fortalsis ideo, quia quatuor uirtutes uniuersales ex eis discimus, fortitudinem, prudentiã, iustitiã, & temperantiã: Fortitudinẽ quidem, quũ dicit Dominus, Ne timueritis eos qui occidunt corpus, animã aũt occidere non possunt: Prudentiã uerò, quando admonet, Estote prudentes, ut serpentes: Iustitiam aũt, quando docet, Sicut uultis ut faciant uobis homines, ita & uos facite eis: Temperantiã quoq;, quando affirmat, Omnis qui aspexerit mulierem, ut concupiscat eam, iam mœchatus est eam in corde suo. Atq; etiã alia ratione quatuor sunt Euangelia, propterea quòd ista mundi sint columnæ. Mundi aũt in quatuor partes distributi, in orientẽ, occasum, septentrionẽ & meridiem, quatuor etiã cõueniebat esse columnas. Et alia item ratione quatuor sunt Euangelia, quoniã quatuor hæc complectuntur, dogmata, præcepta, minas & pollicitationes. & ijs quidem qui dogmatibus crediderunt, ac præcepta seruarunt, futura bona pollicentur: ijs uerò qui dogmatibus nõ crediderunt, aut præcepta nõ custodierunt, futura cõminantur supplicia. *Cur quatuor.* *Matth. 10.* *Ibidem.* *Matth. 7.* *Matth. 5.* *Euangeliũ quid.* Euangelium autem dicitur, eo quòd nunciet nobis res prosperas, & bene se habentes, hoc est bona: nempe remissionem peccatorũ, iustitiam, reditum in cœlos, adoptionem in filios Dei. Nunciat autem, quòd facile & gratis hæc accepimus, neq; nostro labore assecuti simus hæc bona, neq; ea ex nostris acceperimus bonis operibus, sed gratia & misericordia Dei talia bona consequuti simus. *Nota differentiã meritorum & gratiæ.*

Secundum Matthęũ.] Quatuor sunt Euangelistæ, quorũ duo, Matthæus & Ioannes, ex numero & choro duodecim sunt: Marcus uerò & Lucas, ex septuaginta. Erat aũt Marcus discipulus & comes Petri, Lucas uerò Pauli. Igitur Matthæus omniũ primus scripsit Euangelium Hebraico idiomate, ad eos qui ex Hebræis crediderant post octo annos assumpti in cœlos Christi. Porrò Ioannes hoc ex Hebraica lingua in Græcam, ut ferunt, interpretatus est. At Marcus post decem annos assumpti Christi, ex ore Petri edoctus, scripsit: Lucas aũt post 15. annos. Deniq; Ioannes rerum diuinarum peritissimus post 32. annos. Referunt enim, quòd post mortẽ illorum superstiti allata fuerint tria Euãgelia, ut uideret ea atq; iudicaret, num illa uerè cõscripta fuissent. Ioannes aũt, quum ea uidisset, & ueritatis gratia cõprobasset, adimpleuit quæcunq; ab alijs prætermissa fuerant: & quæ succinctius alij dixerant, ipse fusius in suo Euangelio tradidit. Propterea & à diuinitate explicanda initiũ fecit, eo quòd alij nullam fecerunt memoriã quod uerbũ Dei extiterit ante secula, de quo ipse diuinè prodidit, ut ne putet uerbũ Dei purus homo, hoc est, absq; deitate esse. Matthæus enim de sola substantia Christi in carne disserẽs, ad Hebræos scribebat, quibus sufficiebat discere eũ ex Abrahã & Dauid natus esset Christus. Nam qui ex Hebræis crediderit, cõtentus est, si certiòr fiat, ex Abraham & Dauid natum esse Christum. Iam quid

Universidad de Deusto
Biblioteca

dicis, an non sufficiebat unus Euangelista? Audi, sufficiebat quidem, sed ut uberius A
ueritas monstraretur, quatuor conscribere permissi sunt. Nam quū uideris quatuor,
qui non in unum locum conuenerunt, neq; consederunt simul, sed alijs & alijs in lo-
cis uitā egisse, & de eisdem rebus quasi ex uno ore scripsisse, non admiraberis Euan-
gelij ueritatē: sed fateberis, quòd ex spiritu sancto loquuti fuerint. Et ne mihi dicas,
De concordia Euangelistarum. quòd non consonent in omnibus. Vide enim, in quibus dissonent: num ille dixit,
Natus est Christus, alius aūt dicit, non: aut alius quidem q; surrexerit, alius uerò nō:
Absit. Cōcordes enim sunt in his, quę magis necessaria & præcipua. Igitur si in præ-
cipuis non sunt diuisi, quid miraris, si in minimis uideantur uariare? nam hac de cau
sa, quòd non in omnibus cōsonant, magis uera loquunt. Alioqui suspecti haberi po
tuissent, quòd inter se consedissent, & habito cōsilio mutuo scripsissent: nunc autem
quum quod prætermisit hic, scripsit ille, hæc sola est causa quare in quibusdā uariare
uideantur. Et hæc quidē sic se habent. Nos autem seriem contextus aggrediamur.

CAPVT I.

Liber generationis.] Quam ob causam non dixit, uisio, uel sermo, sicut prophe-
tæ, qui suos libros sic inscripserunt? Visio quā uidit Esaias, & sermo qui factus
est ad Esaiam. Quæris ut discas quare? Prophètæ loquebantur ad duros corde & in-
Esaiæ 12. obedientes, & ideo dicebant, Diuina est uisio, & sermo est ex Deo, ut timeret popu-
lus, & non contemneret dicta. Matthæus autem sermonē habebat ad credulos, gra-
tos & obedientes, & propterea nihil tale prædixit, quale prophetæ. Possem autem &
aliud dicere, quòd prophetæ mente uidebant ea quæ uidebant, spiritu sancto appa-
ritionem faciente, & propterea uisiones uocabant. Matthæus autem non mentali-
ter, & per apparitionem Christum uidit, sed corporaliter cum eo fuit, & sensibiliter
audijt eum, uidens eum in carne: & idcirco nō dicit, Visio quam uidit, hoc est, appa
ritio: sed, Liber generationis.

Iesu.] Nomen Iesu non est Græcum, sed Hebraicum, & interpretatur Saluator. B
Iesua enim salus apud Hebræos dicitur.

Christi qui dicebantur. Christi.] Christi dicebantur reges & sacerdotes. Inungebantur enim oleo sancto
à cornu quod superponebatur capiti, & distillabat. Dicitur igitur dominus Christus,
& ut rex, quia contra peccatum regnauit: & ut sacerdos. Obtulit enim semetipsum
sacrificium pro nobis. Inunctus autem est & ipse oleo illo uero & præcipuo, nempe
spiritu sancto. Quis enim alius habuit spiritum, ut Dominus? In sanctis enim gratia
spiritus sancti efficax fuit, in Christo autem non operabatur gratia spiritus, sed Chri-
stus cum spiritu consubstantiali operabatur miracula.

Christus filius Dauid. Psal. 131. Filij Dauid.] Quia dixerat Iesu, ideo ne putes quòd de alio Iesu dicat, adiecit, filij
Dauid. Erat enim & alius Iesus celebris, qui post Moysen ducatum populi Israel su-
scepit & militauit, sed is filius Naue dicebatur, non Dauid. Fuitq; ante Dauid multis
seculis: nec fuit ex tribu Iuda, de qua descendit Dauid, sed ex alia.

Filij Abrahæ.] Quare ipsum Dauid Abrahæ præposuit? Quia apud Iudæos cele
brior erat Dauid, & posterior fuit Abrahamo, regnoq; clarior. Nam inter reges ipse
primus Deo placuit, & promissionem accepit à Deo, quòd ex semine suo surrectu-
rus esset Christus, ea propter omnes Christum filium Dauid dicebant. Etenim serua
bat Dauid uerum typum Christi. Sicut enim ipse post Saul reprobatum à Deo & o-
dibilem, regnauit: ita & Christus postquam priuatus est Adam regno & principatu,
quem habebat in omnia & animantia & dæmonia, incarnatus uenit & regnauit.

Quare ab Abraham genealogiam exordiatur. Abrahā genuit Isaac.] Ab Abraham incipit genealogiā, eo quòd ipse pater He-
bræorum fuerit, & quòd ipse primus acceperit promissiones: quoniā in semine eius
benedicendæ essent omnes gentes. Decenter aūt ab hoc Christi generationē recen-
set. Christus enim est semen Abrahæ, in quo benedicti sumus omnes qui ex genti-
bus, quiq; prius eramus maledicti. Abraham aūt interpretatur pater gentium: Isaac
uerò risus, gaudium. Non meminit aūt Euangelista filiorū Abrahæ ex concubinis,
utputa Ismaelis & aliorum, eo quòd Iudæi non ab illis descenderunt, sed ab Isaac.

Isaac aūt genuit Iacob, Iacob aūt genuit Iudam & fratres eius.] Vides quòd pro-
pter hoc mentionem fecerit Iudę & fratrum eius, quòd ab ipsis duodecim tribus de-

scen-

Universidad de Deusto Biblioteca

A scenderint. Iudas autem genuit Phares & Zaram de Thamar.] Thamarē Iudas desponderat uni filiorum suorum Her: illo autem sine liberis mortuo, sociauit eam Onan, qui & ipse filius eius: extincto autem & hoc propter malitiā suam, Iudas nulli amplius eam copulauit. At ipsa desiderans ex semine Abrahæ prolem depositis uestibus uiduitatis, uestem sumpsit scorti, & quasi scortum esset, rem habuit cum socero suo, concepitq; ex eo duos pueros gemellos. Porrò cum páreret, primus manum præmisit ex utero, quasi primū proditurus, & obstetrix coccineo funiculo protinus extentam pueri manum signauit, quo dignosci posset ut primogenitus: sed puer manum statim corripuit intra uterum, & alius prior natus est, deinde ille qui manum præmiserat. Vocatus est igitur qui prior natus fuerat, Phares, quod est dilectio: discessecuit enim naturalem ordinem. Qui autem corripuit manum, Zara dictus. Significat autem hæc historia sacramentū quoddam. Nam sicut Zara ostendit quidem primùm manum, & retraxit: ita in sanctis qui erant ante legem & sub circuncisione, apparuit uita Christiana. Omnes enim illi nō ex obseruationibus & mandatis legis iustificati fuerunt, sed quia Euangelicam uitam uixerunt. Et obserua quomodo Abraham patrem & domum propter Deum reliquit, & naturam abnegauerit. Considera Iob, Melchisedech. Vbi aūt lex uenit, contracta est talis uita. Quemadmodum aūt illic nato Phares, posterior iterum exijt Zara: ita lege data, iterum apparuit uita Euangelica, quæ coccineo fasciculo, nempe sanguine Christi signata fuit. Propterea & Euangelista mentionē fecit duorum, quasi declarans natiuitatem illorum sacramentis plenam. Et aliter dicere potes: mentionē facit Thamar, tametsi non laudanda uideatur, eo quòd dormiuerit cū socero: ut ostendat, q̄ Christus cum susceperit omnia propter nos: & hoc susceperit, ut tales habeat progenitores: immò ut per hoc ipsum quòd ex eis natus est, eos sanctificaret: non enim uenit uocare iustos, sed peccatores.

Gen. 38.

Phares & Zares mysterium.

Gen. 12.

Phares autem genuit Esrom, Esrom autem genuit Aram, Aram aūt genuit Aminadab, Aminadab autem genuit Naason, Naason aūt genuit Salmon, Salmon au-
B tem genuit Booz ex Rachab.] Rachab putant quidam Raab scortum, quæ exploratores Iesu Naue susceperit, seruauitq; eos, & seruata est etiam ipsa. Mentionem autem facit eius, ut declaret quòd sicut ipsa scortum fuit, ita & gentium congregatio. Fornicabantur enim in studijs suis, sed susceptis exploratoribus Iesu, apostolis inquā, omnes qui illorum crediderunt sermonibus, saluati sunt.

1. Paral. 2. Ruth 4.

Raab figura ecclesiæ.

Booz autem genuit Obed ex Ruth.] Ruth hæc alienigena fuit, coniuncta autem Booz: ita & ecclesia ex gentibus alienigena existens, & à testamentis extranea, oblita autem populi sui, & cultus simulacrorum, & diaboli cui iuncta erat, nupsit filio Dei.

Ruth figura ecclesiæ.

Obed autem genuit Iesse, Iesse autem genuit Dauid regem, Dauid autem rex genuit Solomonem ex ea quæ fuit Vriæ.] Hic quoq; eius quæ fuit Vriæ, mentionem facit: ut doceat quòd nemo debeat erubescere propter progenitores, sed dare magis operam uirtute sua illos clariores efficere: & quòd omnes accepti sint Deo, etiamsi è scorto nati, modò uirtute sint præditi.

2. Reg. 12.

Propter parentes non erubescendum.

Solomon autem genuit Roboam, Roboā autem genuit Abia, Abia autē genuit Asa, Asa autem genuit Iosaphat, Iosaphat autem genuit Ioram, Ioram autē genuit Oziam, Ozias autem genuit Ioathan, Ioathan autem genuit Achaz, Achaz autem genuit Ezechiam, Ezechias autem genuit Manassen, Manasses autē genuit Amon, Amon autem genuit Iosiam, Iosias autem genuit Iechoniam & fratres eius in migratione in Babylonem.] Migrationem in Babylonem, uocat captiuitatem quam postea tulere abducti simul in Babylonē. Et alias quoq; belligerati sunt Babylonij, sed mediocriter eos afflixerunt: tunc autem penitus ipsos à patria sua migrare fecerunt.

1. Paral. 3.

2. Paral. 36.

At post transmigrationem in Babylonem, Iechonias genuit Salathiel, Salathiel autem genuit Zorobabel. Zorobabel autem genuit Abiud, Abiud autem genuit Eliacim. Eliacim autem genuit Azor, Azor autem genuit Sadoc, Sadoc autem genuit Achin, Achin autem genuit Eliud, Eliud autem genuit Eleazar, Eleazar autē genuit Matthan, Matthan aūt genuit Iacob, Iacob aūt genuit Ioseph uirum Mariæ, ex qua natus est Iesus, qui uocatur Christus.] Quare genealogiam Iosephi narrat &

1. Paral. 3.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Quare genealogia Ioseph, et nõ Mariæ ponitur.

non deiparæ? quæ enim cõmunio Ioſephi, & partus ſine ſemine nati? nec enim ue- A
rè erat pater Chriſti Ioſeph, ut à Ioſeph, Chriſti genealogia cenſeatur. Audi igitur,
quòd uerè nullam communionem habet Ioſeph cum natiuitate Chriſti, † ſed o-
portebat eam propter genealogiam matris Dei cenſeri.] Verùm quia lex erat, mulie
rum genealogiam non ponere, propterea uirginis genealogiam non poſuit, ſed po-
ſita genealogia Ioſephi, & huius genealogiam poſuit. Erat enim lex, non ducendam
uxorem ex aliena tribu, nec ex aliena familia, hoc eſt cognatione, ſed ex ſua & co-
gnatione & familia: atq; adeò quia talis erat lex, manifeſtum quòd & Ioſephi genea
logia poſita, genealogiam colligat matris Dei. Nam ex eadem planè tribu & familia
erat mater Dei. Nam ſi non fuiſſet, quomodo fuiſſet ei deſponſata? Atq; ita obſerua-
uit Euangeliſta legem præcipientem non ponendam mulierum genealogiam, & ni
hilominus poſita Ioſephi genealogia, genealogiã matris Dei poſuit. Virum autem
Mariæ nominauit eum, iuxta cõmunem conſuetudinem. Etenim mos eſt ſponſum
adhuc procum agentem, uirum dicere ſponſæ, etiam ſi nondum habitæ ſint nuptiæ.

Num. 36.

† ideoq; cõ ueniebat deiparæ genealogiam recenſeri.

Omnes igitur generationes ab Abrahã uſq; ad Dauid, generationes quatuorde-
cim: & à Dauid uſq; ad migrationẽ in Babylonẽ, generationes quatuordecim: & à
migratione in Babylonẽ uſq; ad Chriſtũ generationes quatuordecim.] In tres ordi-
nes diſtribuit generationes, ut monſtraret quòd Iudæi ſiue à iudicibus gubernaren-
tur, ut qui uſq; ad Dauid: ſiue à regibus, ut qui uſq; ad trãſmigrationẽ: ſiue à ſacerdo
tibus, ut qui uſq; ad Chriſtum, nihil tamen in uirtutẽ profecerũt. & quòd opus habue
rint uero & iudice & rege ac ſacerdote, qui eſt Chriſtus. Nam poſtquã defecerũt † re
ges, uenit Chriſtus ſecundũ prophetiam Iacob. Vbi aũt ſunt à demigratione Babylo
nica uſq; ad Chriſtum generationes quatuordecim, cũ tredecim tantum perſonæ re-
periantur? Siquidem in genealogia mulier recenſeretur, poſſemus & Mariã connu-
merare, & cõplere numerũ: nunc aũt mulierem diximus ad genealogiã non pertine
re. quomodo igitur ſoluitur hoc? Dicunt quidam quòd & demigrationem poſuerit
ceu perſonæ ordinem occupantem.

† ἀρχοντες principes, gubernatores.

Quomodo quatuordecim generationes, ubi tantum tredecim perſonæ.

B

Quare Maria deſponſatur.

Ieſu uerò Chriſti natiuitas ſic erat. Nam ut deſponſata eſt mater eius Maria Ioſe-
pho.] Quare Deus permiſit ut ipſa deſponſaretur, & omnino ſuſpicionem daret ho
minibus quaſi cognoſceret eam Ioſeph? ut haberet in aduerſis curatorẽ: nam hic in
fuga in Aegyptum curam eius habuit & ſeruauit eam. Eſt & alia cauſa, ut latẽret dia
bolum: propterea deſponſata eſt. Diabolus enim cum audiſſet quòd uirgo uterum
gereret, obſeruauit uirgines. ut igitur deceptor decipiatur, deſponſat ſemper uirginẽ
Mariam: & figura quidem fit coniugij, non autem res ipſa.

Conuenire pro congredi, uel coire.

Priuſquam cõuenirent ipſi, inuenta eſt uterum gerens ex ſpiritu ſancto.] Conue
nire hic ſignificat congreſſum. Priuſquam enim congrederentur, concepit. Vnde &
Euangeliſta obſtupeſcit, & clamat: Inuenta eſt, quaſi de re quadã admirabili dicens.

An Ioſeph iuſtus uolẽs dimittere Mariam.

Ioſeph autem uir eius, cum eſſet iuſtus, & nollet eam traducere, uoluit clàm dimit
tere eam.] Quomodo erat iuſtus Ioſeph, cum lex præceperit adulteram traducere,
hoc eſt denunciare & punire: ipſe autem adumbraturus peccatum, & præuaricatu-
rus legem, eam dimittere uoluerit? Soluitur autem hoc, primùm quidem, quòd pro-
pter hoc ipſum iuſtus erat. nolebat enim crudelis eſſe, ſed præ multa benignitate, mi
ſericordia eam proſequebatur, oſtendens ſe ſuperiorẽ lege, & iam ſuper legalia man
data uiuentem. Deinde quia & ipſe cognouit de ſpiritu ſancto eam cõcepiſſe, pro-
pterea noluit traducere & afflígere eam, quæ de ſpiritu ſancto, non ex adultero con
ceperat. Vide enim quid dicat, quoniam inuenta eſt in utero habens. A quo inuen-
ta eſt? à uiro, hoc eſt, innotuit * quòd ex ſpiritu ſancto concepit. Vnde clàm uoluit
eam dimittere, & non audebat habere uxorem, quæ tantam habebat gratiam.

** Huic opinioni nõ ſatis conuenire uidetur quod angelus ut metu eum liberet ait, quod natũ eſt ex ſpiritu ſancto eſſe. Quin & ipſe in Annot. Vxorem tuam] paulo pòſt ſequenti indicat iſtam ſibi non multum placere.*

Hæc autem ipſo cogitante, ecce angelus Domini in ſomno apparuit ei, dicens.]
Cum angeretur iuſtus, angelus ei aſtitit, docens eum quid faciendum. In ſomno au-
tem apparet ei, quòd in fide multum eſſet firmus. Nam angelus quidem paſtoribus
ut agreſtibus manifeſtè loquutus eſt, huic aũt ut iuſto & fideli, per ſomnum. Quo-
modo aũt non crediturus eſſet, cũ angelus doceret eum de iis quæ ipſe animo uerſa-
bat, & de iis quæ nulli dixerat? Nam cum ipſe cogitaret, & non loqueretur, aſtitit an-
gelus

Universidad de Deusto Biblioteca

Spiritu sancto igitur credidit ex Deo esse. Dei enim est scire quæ non essamur.

Ioseph fili Dauid.] Filium Dauid eum dixit, in memoriam reducens quod prædictum erat futurum Christum ex semine Dauid. Et hæc dicens, admonuit ut non discrederet: sed cogitaret Dauid, qui promissionem acceperat de Christo.

Ne timeas accipere.] Ostendit hic quòd metuerit habere eam, ne forte offenderet Deum, uti adulterã fouens. & aliter, Ne timeas, hoc est, tu quidem times adiungi illi, quia ex spiritu concepit, sed ne timeas accipere, hoc est, domi & intus tenere. Cogitatione enim & mente iam amandauerat eam.

Mariam uxorem tuam.] Hoc dicit, Tu quidem fortasse putas adulteram esse: ego autem tibi dico, quòd uxor tua sit: hoc est, quòd à nullo uitiata, sed tua sit sponsa.

Quod enim in ea natũ, ex spiritu sancto est.] Non enim solum libera est ab illicito coitu, sed & diuiniore quodã modo cõcepit, & propterea rectius gaudere debes.

Pariet autem filium.] Vt ne quis dicat, & unde tibi credam quòd ex spiritu sancto est: dicit de futuro quòd paritura sit filium. Nam si de hoc uerum dixero, manifestum quòd & hoc quod ex spiritu sancto, uerum est. Non dixit autem, pariet tibi, sed simpliciter, pariet. Non enim peperit illi, sed toti orbi: neq; illi soli gratia facta est, sed in omnes effusa est.

Et uocabis nomen eius Iesum.] Tu uocabis, utpote pater, & curam gerens uirginis, neq; suspiceris Ioseph quòd quia à spiritu est conceptio, uirginem ideo dimittere debeas adiutorio destitutam, sed ministrabis ei in omnibus.

Is enim saluabit populum suum à peccatis suis.] Hoc loco interpretatur quid significet Iesus, nempe saluatorem. Ipse enim, inquit, saluabit populum suum: nõ solum Iudaicum, sed & gentilem, qui credere & fieri populus eius non addubitauerit. Quomodo autem saluabit: num ab hostibus: minimè, sed à peccatis suis: unde manifestum, Deum esse qui nascetur. Solius enim Dei est condonare peccata. *Iesus saluator et Deus.*

Hoc autem totum factum est, ut adimpleatur quod dictũ est à Domino per pro-
B phetam dicentẽ.] Ne putes, quod nuper hæc placere incœperint Deo, sed superioribus seculis, & ab initio. Scis enim ô Ioseph prophetam: utpote in lege doctus. Et animaduerte quod dictũ est à Domino. Nõ aũt dixit, dictũ ab Esaia, sed à Domino. Nõ enim homo loquutus est, sed Deus per os hominis: unde fide dignum oraculum est. *Esaie 7.*

Ecce uirgo prægnans erit.] Dicunt Hebræi, quod non habeatur in propheta, uirgo, sed adolescentula. Ad quod dicendum quòd in scriptura idem sit adolescentula & uirgo. Adolescentulã enim nominat incorruptã, quoniam nisi peperisset uirgo, quomodo futurum erat signum & admirabile: Audi enim Esaiam dicentem: Propter hoc dabit Dominus ipse uobis signum. Et statim addit, Ecce uirgo &c. Alioqui si non pareret uirgo, signũ non esset. Deprauant igitur Hebræi sua malitia scripturã, & pro uirgine adolescentulã ponunt. Igitur siue adolescentula uocetur, siue uirgo, omnino uirginẽ intelligere oportet eam quę paritura esset, ut & hoc sit miraculum. *Esaiæ testimonium de uirginis partu cõtra Iudæos.*

Et pariet filium, & uocabunt nomẽ eius Emanuel, quod interpretatur nobiscum Deus.] Dicunt Hebræi, Quomodo igitur non uocatus est Emanuel, sed Iesus Christus: Dicendum itaq; quòd non dixit uocabis, sed uocabunt, hoc est opera eius demonstrabunt eum Deum esse, & nobiscum conuersari. Diuina enim scriptura ex operibus imponit nomina, sicut cũ dicit: Voca nomen eius, uelociter prædare. Et ubi uocatus est tali nomine: Quia simul ut natus est Dominus, direptus & captiuus abductus est error, sic dicitur nominatus esse ab opere appellatione inuenta. *Velociter prædare. Esai. 8.*

Excitatus autem Ioseph à somno, fecit ut iniunxerat sibi angelus Domini.] Vide animum alacrem, quomodo statim obedierit.

Et accepit uxorem suam.] Continuò eam nominat uxorem Ioseph, eiiciens malam suspicionem, & docens quòd non alterius, sed illius fuerit uxor.

Et nõ cognouit eam, donec peperisset.] Hoc est, nõ habuit unquã rem cũ ea. Hoc enim loco uerbũ, donec, nõ hoc manifestat, quòd nõ cognouerit eam usq; ad partũ, postea aũt cognouerit, sed omnino nunquã eam cognouerit. Hoc eñ habet scripturæ proprietas. Sic cũ dicit, nõ reuersus est coruus in arcã, donec arescerent terra. neq; enim postea rediit. Sic & alio loco, Vobiscũ sum usq; ad consummationẽ seculi: igit *Donec qd significet. Gen. 8. Matt. 1*

post cõsummationẽ nõ erit nobiscũ? Et quomodo? Tunc enim multo magis erit. Sic A
igit & hoc loco, donec peperisset, intelligas, hoc est, neq; ante partũ, neq; post partũ
cognouit eã. Quomodo em̃ cõtigisset sanctã illã, postq; ineffabilẽ partũ cognouisset?

Filium suum primogenitum.] non quòd alio quodam nato dicat eum primogenitum, sed simpliciter ut primum & solum natum. Christus enim & primogenitus est, ut primo natus: & unigenitus, ut non habens alium fratrem.

Christus primogenitus et unigenitus.

Et uocauit nomen eius Iesum.] Ostendit hoc loco obedientiã Ioseph, quia quæcunq; dixerat ei angelus, fecit.

CAPVT II.

Bethlehem.

QVum autem natus esset Iesus in Bethlehem Iudææ.] Bethlehem interpretatur domus panis, Iudæa autem confessio. Fiat igitur, ut nos nunc per confessionem fiamus domus panis spiritualis.

Herodes unde.

In diebus Herodis.] Meminit Herodis, ut tu discas quòd defecerunt à tribu Iuda reges & principes, & necessariò uenit Christus. Herodes enim nõ erat Iudæus: sed Idumæus, Antipatri filius ex uxore Arabe. Cum autem defecissent principes, expectatio gentium uenit, sicut Iacob prædixit.

Gen. 49.

Regis.] erat enim & alius Herodes Tetrarcha: & propterea ponit dignitatẽ regis.

Magi quare ueniant.

Ecce Magi ab oriente uenerunt Hierosolyma.] Quare Magi ueniunt? In condemnationem Iudæorum. Nam cum Magi, homines cultui idolorum dediti, crediderunt, quam postea defensionem prætexent Iudæi? Et alia causa est, ut gloria Christi magis effulgeat testimonium perhibentibus Magis, qui maximè aduersarij erant Deo, & obnoxij dæmonibus.

Ab oriente.] Et hoc ad condemnationẽ Hebræorum pertinet. Illi enim per tantũ spaciũ uenerunt: Hebræi uerò Christum, quem apud se habebant, persequuti sunt.

Dicentes, Vbi est, qui natus est rex Iudæorum?] Ferunt illos Magos fuisse ex Ba-

Num. 24.

laam coniectore progenitos. Nam ut inuenerunt oraculum illius, Orietur stella ex Iacob, intellexerunt mysterium Christi, & idcirco natum adire uoluerunt. B

Stella fuit angelica uirtus.

Vidimus enim stellam eius in oriente.] Quando audis stellam, ne talem putes illam, quales uidemus, sed diuinam uirtutem & angelicam in figura sideris apparentem. Nam quoniam astrologi Magi erant, propterea Dominus familiari ipsis signo eos adduxit, sicut Petrum piscatorem à multitudine piscium † ad nomen Christi uenatus est, &] stupescere fecit. Quòd autem angelica uirtus fuerit stella, manifestũ ex eo, q; & in die refulserit, & ad motũ Magorũ se mouerit, & ad quietem eorũ quieuerit. Quin & à septentrionali parte, quæ est Persidis, ad meridiem, in qua est Hierusalem, mouebatur. Nunquam autem stella à septentrione ad meridiem uertitur.

Luc. 5.

† quos in Christi nomine cæperat.

Et uenimus, ut adoremus eum.] Videntur hi Magi magna uirtute prædíti. Nam qui in aliena regione adorare uoluerunt, quomodo non in Perside ipsa magna libertate prædicauerunt?

Herodes autem rex ut audiuit, turbatus est, & omnis Hierosolyma cum illo.] Herodes quidem turbatus est, ut alienigena, regno suo timens. sciebat enim q; illo indignus esset. Iudæi autem quare turbantur? oportebat enim gaudere potius, quòd rex suus à Persicis regibus adoraretur. sed reuera insipiens res est malitia.

Et congregatis omnibus pontificibus & scribis populi, interrogauit eos, ubi nasca-

Scribæ.

tur Christus.] Scribæ erant doctores populi, quales sunt quos nos dicimus grammaticos. Singulari autem Dei dispensatione interrogantur illi, ut confiteantur ueritatem, & ex hoc condemnentur, quòd illum crucifixerunt, quem prius confessi sunt.

At illi dixerunt ei, In Bethlehem Iudææ. Sic enim scriptum est per Prophetam.] Per quem Prophetam? Per Micheam. ille enim dicit,

Micheæ 5.

Et tu Bethlehem terra Iuda, nequaquam minima es in principibus Iuda.] Contempta enim erat, utputa parua: nunc autem quia ex ea prodijt Christus, celebris est. Omnes enim ex finibus terræ ueniunt, & sanctam adorant Bethlehem.

Ex te enim egressurus est dux.] Rectè egressurus est, inquit, nõ in te manebit. Nõ

Matth. 2.

em̃ mansit Christus in Bethlehem, sed ex ea posq; natus est exijt, & in Nazareth frequenter cõuersatus est. Dicũt aũt Iudæi q; hoc prædictũ sit de Zorobabel, sed mẽtiun-

tur

A tur manifestè. Etenim Zorobabel non in Bethlehem natus est, sed in Babylone. Vide enim nomen eius Zoro, significat semen et natiuitatem: Babel autem Babylona, hoc est, qui natus uel genitus est in Babylone. Sed et prophetia manifestè arguit eos, dicens: Egressus eius à principio, à diebus æternitatis. Cuius autem alterius egressus sunt ab initio, & à diebus æternitatis quàm Christi: qui duos egressus habuit, hoc est natiuitates. Nam prima eius natiuitas, ab initio fuit à patre, secunda autem fuit à diebus seculi, principium sumens à matre Dei, quæ in tempore fuit. Dicant igitur Iudæi, num Zorobabel ab initio fuerit: sed non habent quod dicant. *Michæ 5.*

Qui pascet populum meum Israel.] Pascet dixit, non tyrannidem exercebit, uel deuorabit. Alij enim reges, non pastores, sed lupi sunt: Christus autem pastor, sicut ipse dicit: Ego sum pastor bonus. Populum Israel dicit, tam eos qui ex Iudæis, quàm qui ex gentibus crediderunt. Israel enim interpretatur, uidens Deum. Vnde omnes Deum uidentes, Israelitæ sunt, etiamsi ex gentibus nati sunt. *Christus pastor. Ioan. 10.*

Tunc Herodes clàm uocatis Magis.] Clanculò illos uocauit propter Iudæos. Suspicabatur enim quòd Iudæi fortassis puerum facturi essent magni, & curaturi, ut seruent eum, utpote liberatorem suum, & propterea clàm insidiatur.

Diligenter quæsiuit ab eis tempus stellæ quæ apparuit.] Hoc est, accuratè didicit. Stella enim antequàm natus esset Dominus, apparuerat Magis, quoniã multũ temporis in iter insumpturi erant, ideo multo antè apparuit stella, ut adorarent eum adhuc in fascijs iacentem. Aliqui autem dicunt, quòd cum Christo nato apparuerit stella, & Magi per biennium uenerunt, & non in fasciolis inuenerunt puerum, neq; in præsepio, sed in domo cũ matre bimũ. Sed tu priorem sententiã ut meliorem habe.

Et missis eis in Bethlehem, dixit, Ite, & diligenter inquirite de puero hoc.] Non dixit de rege, sed de puero: neq; enim nomen ferre poterat: demonstrans quantum cõtra illum insaniret.

Vbi uerò repereritis, renunciate mihi, ut & ego ueniã, & adorem illum. At illi audito rege, profecti sunt.] Ipsi quum dolo carerent, putabãt & illum absq; dolo loqui. B

Et ecce stella, quam uiderant in oriente, præcessit eos.] Occulta erat ad paruũ tempus stella singulari dispensatione, ut Iudæos interrogarent, & turbaretur Herodes, manifestiorq; fieret ueritas. Vt autem ipsi egressi sunt à Hierusalem, iterum apparuit ducens eos. Vnde manifestum, quòd stella erat uirtus diuina.

Donec progressa staret suprà ubi erat puer.] Et hoc rarum. Descendit enim stella à summitate, & terræ propior facta, ostendit eis locum. Nam si ex summitate apparuisset, quomodo certiores fieri potuissent de loco in quo esset Christus? Stellæ enim multum locum comprehendunt. Vnde tu supra domum tuam uides lunam fortè, & ego eandem uideo nõ nisi supra domum meam: & unicuiq; uidetur stare non nisi supra domum suam lunam uel aliam stellam. Vnde & illa stella non demonstrasset Christum, nisi descendisset, & quasi supra caput pueri stetisset.

Visa autem stella, gauisi sunt gaudio magno ualde.] Quòd non aberrassent, sed inuenissent quod quærebant gauisi sunt.

Et ingressi domum, † inuenerunt puerũ cum Maria matre eius.] Mox quidem ut natus fuit, reclinauit uirgo puerum in præsepium, non enim tunc inuenerant domũ. Verisimile autem est postea eos inuenisse domum, ubi & Magi inuenerunt eos. Ascenderant enim in Bethlehem, ut recenserentur illic, sicut & Lucas dicit. Multa autem concurrente multitudine ut censeretur, non habebant ad tempus domum, sed in spelunca natus est: deinde inuenta domo, uisus ibi est à Magis Dominus. † εὗρον, inuenerunt *Lucæ 2.*

Et quum procidissent, adorauerunt illum.] Vide animæ illustrationem. Pauperem uidebant, & adorabant. Multis enim argumentis didicerant quòd esset Deus, ideo & ei offerunt munera ut Deo, & ut homini. Audi enim,

Et apertis thesauris suis, obtulerũt ei dona, aurum, & thus, & myrrham.] Aurũ quidem obtulerunt ei, ut regi. Aurum enim subditi regibus pendunt. Thus aũt, ut Deo. Deo enim thus adolemus. Myrrham uerò, ut degustaturo mortem. Nam Iudęi cum myrrha mortuos sepeliũt, ut corpus maneat incorruptũ. Myrrha enim quũ sicca sit, arefacit & exiccat humiditatem, & non sinit innasci uermes. Vides Magorũ fidem, *Quid per aurum, thus et myrrhã.*

quòd & à prophetia Balaam didicerunt Dominum & Deum & regem esse, ac pro A
Num.24. nobis moriturum. Audí autem prophetiam, Recubans, inquit, requieuit ut leo, Ecce regiam dignitatem per leonem significat, mortalitatem autem dum ait, recubans. Qui benedicunt te, benedicentur: ecce & deitatem. Sola enim Dei natura hanc benedictionis uirtutem habet.

Et oraculo accepto in somnis, ne reflecterentur ad Herodem, per aliã uiã redierũt in regionem suam.] Vide consequentiam, primùm Deus illos ad fidem per stellã adduxit: deinde quum uenerunt in Hierosolymam, docuit eos per Prophetã, quòd in Bethlehem nascatur: & tandem per angelum. Et illi obediunt oraculo, hoc est diuino colloquio. Oraculo igit̃ accepto, & apparitione à Deo habita, imposuerunt Herodi, & nõ timuerũt ne fortè se infectaretur, sed cõfisi sunt uirtute nati, ueriq; testes fuerũt.

Digressis aũt illis: ecce angelus Domini in somnis apparet Ioseph, dicens. Surge, & accipe puerũ & matrem eius.] Vidisti quã ob causam permiserit Deus desponsari uirginem? Hic enim apparet quod à Deo factũ, ut diligentem eius curam Ioseph gereret. Non dixit aũt, accipe uxorem tuam, sed matrem eius. Nam quoniam suspicio soluta fuit, & iustus per miracula in partu facta, compertum habuit ex spiritu esse omnia, non ultrà uxorem eius illam nominat.

Et fuge in Aegyptum.] Fugit & Dominus, ut credatur quòd reuera homo sit. Nã si in manus incidisset Herodis, & non fuisset occisus, opinati fuissent incarnatũ eum apparenter. In Aegyptum aũt fugit, ut & illam sanctificet. Duæ enim sunt regiones omnis nequitiæ officinæ, Babylon uidelicet, & Aegyptus. Babylonem per Magos suscepit adorantem: Aegyptum autem sua præsentia sanctificauit.

Babylon et Aegyptus officinæ malorum.

Et esto illic, donec dixero tibi.] Esto pro eris illic, donec à Deo iussus fueris. Oportet enim nos nihil facere præter diuinam uoluntatem.

Quæsiturus enim est Herodes puerum, ut perdat illum.] Vide incogitantiam hominis, qui laborat ut diuinam uincat uoluntatem. Nam si quidem non est ex Deo, quid times? sin ex Deo est, quomodo perdes puerum? B

Ille autem excitatus accepit puerum & matrem eius nocte, & secessit in Aegyptũ, & fuit illic usq; ad obitum Herodis: ut impleretur quod dictum est à Domino
Osee 11. per Prophetam dicentem, Ex Aegypto uocaui filium meum.] Dicunt Iudæi, quòd propter populum dictum sit hoc, qui ex Aegypto per Moysen eductus sit. Dicimus itaq;, & quid nouum, quod per figuram dictum est de populo, impletum autem uerè in Christo? Deinde quis est filius Dei? populus ne, qui adorauit idolum Beelphegor & sculptilia, an qui re uera est filius Dei?

Tum Herodes ubi uidit sibi illusum fuisse à Magis.] Sicut Deus illusit Pharaoni p
Exod.11. Moysen, sic Herodi per Magos: quoniã & Herodes & Pharao puericidæ erãt. Pharao masculos Hebræorum pueros in Aegypto occidit, Herodes autem in Bethlehẽ.

Iratus est uehementer, & misit ac interfecit omnes pueros qui in Bethlehem & omnibus confinijs eius à bimatu & infra, iuxta tempus quod percontatus erat à magis.] Ostendit iram contra Magos, qui in nullo offenderãt. Quare aũt permissi sunt pueri occidi? Vt ostendatur Herodis malitia. Sed fortè dices mihi, Et quid hoc? Nun quid ut ostendat illius malitia, ideo iniuria fieri debuit pueris? Audi igitur quod non iniuria affecti sunt, sed coronas meruerũt. Omnis enim qui malũ aliqd hic patit̃, uel patit̃ ut peccata dissoluat, uel ut coronæ augeant̃, sicut & illi pueri magis coronati sunt.

Hier.31. Tũc impletũ quod dictũ est à Hieremia Propheta dicente.] Vt ne quis putet quod inuito Deo facta sit puerorũ interemptio, ostendit quòd prænouerit & prædixerit.

Rhama. Vox in Rhama audita est.] Rhama locus fuit Palæstinę excelsus, nomen enim hoc excelsum significat: fuitq; in sorte tribus Beniamin, qui fuit filius Rachel. Rachel autem sepulta fuit in Bethlehem. Dicit igitur Propheta Bethlehem Rachel, eo quòd in illa sepulta fuit Rachel. fletum autem & ploratum auditum fuisse in excelso. Audi igitur Prophetam.

Lamẽtatio & ploratꝰ, et fletus multus. Rachel plorãs filios suos.] Hoc est Bethlehẽ.

Et noluit consolationem admittere, eo quòd non sint.] In hac uita non sunt, quia animæ sunt immortales.

Defuncto

A Defuncto autem Herode.] Amara morte perijt Herodes, febri, & dysenteria, & scabie, & podagra, & putredine uerendorum uermes generãte, & spirandi difficultate, & tremore & contractione membrorum malam absoluit animam.

Ecce angelus Domini in somnis apparet Ioseph in Aegypto, dicens, Surge, & accipe puerum, & matrem eius, & uade in terram Israel.] Non dicit fuge, sed uade: timor enim iam nullus erat.

Mortui enim sunt quærentes animam pueri.] Vbi Apollinarius est, qui dicebat Dominum non accepisse animam: hinc enim arguitur.

Ille autem quum surrexisset, accepit puerum & matrem eius, & uenit in terram Israel. Verũ quia audiuerat quòd Archelaus regnaret in Iudea pro Herode patre suo, timuit illuc abire.] Tres filios reliquit Herodes, Philippum & Antippam & Archelaum. Archelaum quidem regem, alios aũt tetrarchas esse iussit. Timuit autem Ioseph in terrã Israel abire, hoc est in terram Iuda, eo quòd Archelaus similis patri suo erat. Antippas uerò ipse est iuuenis ille Herodes qui præcursorem illum sustulit.

Oraculo autem accepto in somnis, secessit in partes Galilææ.] Galilea non erat terra Israel, sed Gentilium, unde & Iudæi sicut abominationem illos uidebant.

Ac profectus habitauit in ciuitate quæ dicitur Nazareth.] At quomodo Lucas dicit quod postquam natus fuit, impleuit xl. dies, & à Simeone gestatus est, descendet Dominus in Nazareth: hoc autem loco Matthæus ait, quòd post reditum ex Aegypto uenerit in Nazareth? Disce igitur, quòd quæ siluit Matthæus, dicit Lucas. Vt exempli gratia aliquid dicam, Postquam natus est, impleuit quadraginta dies, deinde descendit in Nazareth: hæc dicit Lucas. Matthæus autem dicit post hæc, quòd fugerit in Aegyptum, deinde uenerit ab Aegypto in Nazareth. Non dissident ergo inter se. Nam Lucas dicit descensum à Bethlehem in Nazareth: Matthæus autem postea reditum ab Aegypto in Nazareth. Luc. 2.

Vt impleatur quod dictum est per Prophetas, Nazaræus uocabitur.] Et quis pro-
B pheta hoc dixit, non inuenitur nunc. Per negligentiam enim Iudæorum multi libri desiderantur, & ob continuas captiuitates, fortassis absq; scriptura hoc dicebatur apud Iudæos. Significat aũt Nazaræus, sanctificatus. Igitur quoniã sanctus Christus, rectè dicit Nazaræus. Sanctus enim Israelis à multis Prophetis uocatur Dominus. *Iudæorũ ob negligentiã plurimi desiderãtur libri ex sacris*

CAPVT III.

In diebus illis,] Non quum Dominus esset puer, & in Nazareth habitabat, sed simpliciter sic inquit, ut in tempore illo, quod ante hanc præsentem erat ætatem.

Accessit Ioannes Baptista.] Propterea missus est à Deo Ioannes, ut argueret Iudæos, & persuaderet eis ut sua mala agnoscerent, atque ita Christum susciperent. Nam nisi quis sensum acceperit peccatorum, non uenit ad pœnitentiam. missus igitur est Ioannes.

Prædicans in deserto Iudææ, & dicens, Resipiscite,] Arrogantes erant Iudæi, & idcirco cogit eos ad pœnitentiam.

Appropinquauit enim regnum cœlorum.] Regnum cœlorum dicit primum & secundũ Christi aduentũ, & uitã uirtutibus præditam. Quando enim in terra ambulamus, quasi in cœlo degentes absq; affectionibus, regnum habemus cœlorum.

Hic enim est qui dictus est ab Esaia Propheta dicente, Vox clamantis in deserto, Parate uiã Domini, rectas facite semitas eius.] Via, euangelium dicitur: semitæ autem legalia mãdata, ut trita & uetera. Dicit igitur, Parati estote ad euangelicã uitam, & legis mandata recta, hoc est spiritualia facite. Spiritus enim rectus est. Quando igitur uideris Iudæum carnaliter intelligentem ea quæ legis, dic quòd ipse non faciat uias rectas, hoc est, non spiritualiter intelligat legem. Esaiæ 40.

Ipse uerò Ioannes habebat indumentum suum ex pilis camelorum.] Ad pœnitentiam hortabatur etiam habitu. lugubrem enim gerebat uestem. Dicunt aũt camelum medium esse inter munda & immunda animalia: nam quia ruminat, mundum est: quia aũt ungulas non diuidit, est immundum. Ioannes aũt quoniam ad Deum adducebat populum Iudaicum, qui uidebatur mundus esse, & gentilem, qui immundus, eratq; mediator ueteris & noui testamenti, idcirco ferebat pilos camelorum. Camelus.

Et

Universidad de Deusto
Biblioteca

Et zonam pelliceam circa lumbos suos.] Omnes sancti introducuntur à scriptura A
cincti, ueluti semper in opere existentes. Negligentes autem & delicati non cingun-
tur, ut nunc Sarraceni. Vel quòd affectiones concupiscentię mortificarunt. Pellis e-
nim, mortui animalis pars est.

Alij locustas animalia quædam parua esse uolunt, ut et Theophylactus ipse, Marci primo.

Cibus autem eius erant locustæ, & mel agreste.] Quidam dicunt herbas esse locu-
stas, quidam fructus agrestes. Mel autem agreste, quod à feris apibus conficitur, & in
arboribus ac petris inuenitur.

Tunc egressa est ad illum Hierosolyma, & omnis Iudæa, & omnis regio undiq; fi
nitima Iordani, & baptizabātur in Iordane ab illo confitentes peccata sua.] Tametsi
baptizabantur, non tamen remissionem peccatorum habebat baptisma Ioannis, sed
solam pœnitentiam prædicabat Ioannes, & ad remissionem peccatorum ferebat,
hoc est ad Christi baptisma ducebat, apud quem remissio peccatorum.

Quum uidisset autem multos ex Pharisæis.] Pharisæus interpretatur absectus &
diuisus. Videbantur enim Pharisæi in uita & scientia separati esse, & excedere alios.

Et Sadducæis.] Hi neq; resurrectionem credebant, neq; angelum, neq; spiritum:
interpretantur autem iusti. Sedek enim iustitia. nam iustos seipsos nominabant. uel
ab hæresiarcha Sadok nominantur.

Venientes ad baptismum suum, dixit illis.] Non uenerant bona mente, ut cæteri,
& idcirco etiam reprehendit eos.

Progenies uiperarum, quis submonstrauit uobis fugere à futura ira?] Durè eis lo-
quitur, sciens peruersitatē illorum, tametsi aliquantulū laudet, dicens, Quis submon-
strauit uobis? Admiratur enim quomodo hoc factum sit, ut tam mala natio ipsorum
resipiscat. Progenies autem uiperarum uocat eos, eo quòd sicut illæ deuorantes ma-
tres suas nascantur, similiter & illi, patres, hoc est magistros & Prophetas occiderunt.
A futura ira, gehennæ inquit.

Facite igitur fructus dignos pœnitentię.] Vides quid dicat, quoniam non oportet
Psal. 33. solum fugere malitiam, sed etiam facere fructum uirtutis. Declina enim (inquit) à ma B
lo, & fac bonum.

Et ne sitis hac mente, ut dicatis apud uosipsos, Patrem habemus Abraham.] Hinc
perierunt, quòd in generositate sua confidebant.

Dico enim uobis, quòd potest Deus etiā ex his lapidib. suscitare filios Abrahæ.]
Per lapides intelliguntur Gentes, è quibus multi crediderūt. Simpliciter tamen dice
bat Ioānes, quod etiā ex lapidibus possit Deus facere filios Abrahę. Erat enim & uul
ua Saræ lapis, propter sterilitatem, & nihilominus peperit. Excitauit aūt Deus filios
Abrahæ ex lapidibus, quando multi uidentes crucifixū, & ruptas petras, crediderūt.

Iam uerò & securis ad radicem arborum posita est.] Securim uocat iudicium Do
mini: arbores autem, singulos. Igitur qui non crediderit, iam stirpitus excinditur, &
in gehennam mittitur.

Omnis igitur arbor.] Etiam si ab Abraham descendat.

Non faciens fructum bonum.] Non dixit, quæ non fecit, sed non faciens: semper
enim oportet fructum ferre. Nam licet heri misericors fueris, hodie autem rapias,
non bonus eris.

Excecatur, & in ignem mittitur.] Gehennæ scilicet.

Ego quidem baptizo uos in aqua ad pœnitentiā: qui autem post me uenit, fortior
me est.] Dixit eis, Facite fructū. Ostendit igitur quis fructus, nempe credere in eū qui
post se uenturus erat. Venit enim post eum Christus. Nam sicut sex tantū mensibus
secundū natiuitatem posterior eo erat: ita & iuxta manifestationē fuit posterior. Ma
nifestatus est enim prius præcursor: deinde Christus, qui ab eo testimoniū acceperat.

Cuius non sum idoneus calciamenta gestare.] Ne postremus quidem inquit ipsius
Quid per calciamēta. sum seruus ut ista gestem. Per calciamenta autem intelligas etiā duos descensus eius,
nempe eum qui è cœlis in terram, & eum qui à terra in infernum. Calciamentum e-
nim est pellicea caro, & mortificatio. Hos igitur duos descensus non potest portare
præcursor, intelligere non ualens quomodo facti sint.

Ipse uos baptizabit in spiritu sancto.] Hoc est, inūdabit uos largiter spiritus sancti
gratijs,

A gratijs, quia meum (inquit) baptisma non dat spiritualem gratiam, sed nec̃ peccatorum remissionem: ipse autem & remittet uobis peccata, & spiritum liberaliter dabit.

Cuius uentilabrum in manu eius.] Non credatis quòd si baptizati fueritis ab illo, & deinde peccaueritis, ignoscat uobis. Nam & uentilabrum habet, hoc est iudicium & inquisitionem. *Ventilabrũ*

Et repurgabit aream suam.] Hoc est, Ecclesiam, quæ multos quidem habet baptizatos, sicut area omne quod in agro cultum fuit: sed inter hos alij quidem sunt palea, hi scilicet qui leues sunt, & spiritibus malitiæ agitantur: alij autem triticum, qui utiles sunt, & alios pascunt doctrina & opere. *Area Ecclesia.*

Et congregabit triticum in horreum suum, paleas autem comburet igni inextinguibili.] Inextinguibilem illum ignem uocat. Vnde nugatur Origenes dicens quòd futurus sit finis supplicijorum.

Tunc aduenit Iesus à Galilæa ad Iordanem ad Ioannem, ut baptizaretur ab eo. Ioannes autem prohibebat eum, dicens.] Quum mundus esset, baptizatur, ut nos abluat: & ut ostendat nobis quòd si baptizari uelimus, prius mundemur, ut ne inquinemus baptisma, postea facile in sordes relabentes propter malam consuetudinem. Prohibet autem eum Ioannes, ut ne uidentes illum, putent quasi unum ex multis ad pœnitentiam baptizari.

Mihi opus est ut à te baptizer.] Opus enim habebat præcursor à Domino baptizari, utpote ab Adam descendens. Nam & ipse contraxerat ex inobedientia inquinamentum. Christus autem incarnatus, purificauit omnes.

Et tu uenis ad me?] Non ausus fuit dicere, Et tu baptizaris à me? sed, Et tu uenis? Tam pius erat.

Respondens autem Iesus dixit ad illum, Dimitte nunc.] Nunc (inquit) permitte: erit autem tempus, quo digna nobis erit gloria, licet nunc non appareamus.

Sic enim decet, ut impleamus omnem iustitiam.] Legem uocat iustitiam. Maledicta est (inquit) nunc humana natura, quia legem non potuit perficere. Ego igitur cũ impleuerim alia quę in lege sunt, & desit hoc unum ut baptizer: ea propter cum hoc fecero, liberabo naturam à maledicto. Hoc me decet. B *Natura legem perficere non potuit.*

Tunc omittit illum: Et baptizatus Iesus, statim ascendit ab aqua.] Christus quum triginta annorum esset, baptizabatur, eo quòd ætas illa peccata omnia in se accipit. In prima ętate magna est insipientia. In secunda, quę est adolescentũ, magna est flamma concupiscentię & irę. In uirili autem amor opum regnat. Expectauit igitur hanc ætatem, ut per omnes ætates impleret legem, & nos sanctificaret. Statim ascendit ab aqua. Manichæi dicunt quòd corpus suum deposuerit in Iordane, iuxta apparentiam autem aliud corpus monstrarit. Confutantur autem hic, Iesus enim (inquit) ascendit: non alius ascendit, sed is qui in aquam descenderat.

Et ecce aperti sunt illi cœli.] Adam illos clausit, per Christum autem aperiuntur: ut discas, quòd quando baptizaris, aperis eos.

Et uidit spiritum Dei descendentem quasi columbam, & uenientem super eum, & ecce uox è cœlis dicens.] Descendit spiritus, ut testimonij perhibeat quòd maior sit qui baptizatur, quàm qui baptizat. Iudæi enim magnificabant Ioannem, at Christũ non tantum curabant. Viderunt autem spiritum omnes uenientem super Iesum, ut ne putarent quod uox dicens, *Ioan. 5.*

Hic est filius meus dilectus] propter Ioannem dicta sit, sed uiso spiritu crederent quòd propter Iesum uox illa sit. Quasi columbam propter innocentiam & mansuetudinem, & quòd mundissima sit columba, & ubi fœtor est, ibi non maneat. sic & spiritus sanctus. Et ut de Noe dicitur columbam nunciasse diluuij solutionem, ramum oliuæ afferentem: sic & hic spiritus sanctus manifestat peccatorum solutionem. Illic ramus oliuæ, hic misericordia Dei. *Gen. 8. Gen. 3.*

Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacitum est.] Hoc est, in quo requiesco, in quo placor.

CAPVT IIII.

TVNC Iesus ductus est in desertum à spiritu.] Docens nos, quòd post baptisma magis

magis oportet expectare tentationes. Ducitur à spiritu sancto: nihil enim sine spiritu A
fecit. Ducitur autem in desertũ, ut ostendat nobis quòd diabolus tentet nos quando
uiderit solitarios, & nõ ab alijs adiutos. Oportet igit̃ nos nõ temere fidere nobisipsis.

Vt tentaret̃ à diabolo.] Diabolus dicit̃, quòd accuset & infamet Deũ apud Adam.
Dixit enim illi, Deus uobis inuidet. & nunc uirtutem apud nos calumniatur.

Ieiunium. Et quum ieiunasset.] Ieiunauit: ut ostendat quòd magna armatura contra tenta-
tiones sit ieiunium: sicut principium omnis peccati, delicię.

Exod. 24. Dies quadraginta, & noctes quadraginta.] Tot ieiunauit, quot & Moyses, & E-
3. Reg. 19. lias. quòd si plures ieiunasset, uisa fuisset incarnatio eius ficticia & apparens.

Postea esurijt. Et quum accessisset ad eum ille qui tentat, dixit: Quando permisit
naturæ, tunc & esurijt, ut daret occasionem diabolo accedendi & congrediendi secũ
propter famem, & sic prosternat & deijciat eum, nobisq; uictoriam largiatur.

Si filius Dei es, dic ut lapides isti panes fiant.] Audiuit uocem cœlestem latro. Ite-
rum uidet eum esurientem, & dubitat adhuc, quomodo filius Dei esuriat, & idcirco
tentat eum ut discat. Adulatur aũt ei, putans se quid suffuraturum, dicendo, Si filius
Dei es. Iam rogas, Et quod peccatum erat, facere lapides panes? Audi igitur, quia au
dire diabolum in aliquo, peccatum est. Vide autem & aliud. Non dixit, ut lapis hic
panis fiat, sed lapides: uolens Christum ad superflua instigare. Esurienti enim unus
panis sufficit, & propter hoc Christus non audiuit eum.

Deut. 8. At ille respondens, dixit: Scriptum est, Non in pane solo uiciturus est homo, sed in
omni uerbo, quod egreditur per os Dei.] Ex ueteri testamento est, Moysis enim ser-
Manna. mo est. Nam & Hebręi cibati sunt manna, quod non erat panis, sed per uerbum Dei
Sap. 16. implebat omnem Hebræorum indigentiam, & fiebat omnia quæcunq; comedere
cupiebant, siue piscem, siue ouum, siue caseum concupiscebat Iudæus, illius gu-
stum manna ei præbebat.

Tunc assumit eum diabolus in sanctam ciuitatem, & statuit eum supra pinnaculũ
templi.] Pars quædam templi erat, sicut quæ apud nos dicuntur Διῆγυια: uidentur e- B
nim sicut alæ esse.

Psal. 19. Et dicit ei, Si filius Dei es, tu, mittito te deorsum. Scriptũ est enim, Angelis suis man
dabit de te, & in manibus portabunt te, ne fortè impingas in lapidem pedem tuum.]
Si filius Dei es tu, quasi hoc dicat: Ego non credo uoci cœlitus missę: attamen tu, si fi
lius Dei es, ostende mihi. Quãuis filius Dei erat, num ô maledicte præcipitare debe
bat seipsum? Tuæ crudelitatis est, præcipitare dæmonio actos, Dei aũt saluare. Non
scriptum est, In manibus portabunt te, propter Christum, sed propter sanctos, qui in
digent angelico præsidio. Christus autem qui Deus est, non opus illo habet.

Deut. 6. Dixit illi Iesus: Rursum scriptum est, Non tentabis Dominũ Deum tuum.] Man
suetè repellit eum Christus, docens & nos mansuetudine dæmones uincere.

Iterum assumit eum diabolus in montem excelsum ualde, & monstrat ei omnia
regna mundi, & gloriam illorũ, & dicit ei, Hæc omnia tibi dabo, si procideris & ado
Amor diui- rauerís me.] Quidam putant montem excelsum ualde, affectionem & studium in
tiarũ mons. possidendis diuitijs, in quem conatur inimicus Iesum ducere. sed non rectè opinan-
tur. In sensibili enim forma apparuit ei diabolus. Cogitationes enim tales non ha-
buit Dominus. absit. Sensibiliter igitur ei monstrauit in monte omnia regna, ante o-
culos ea apparere faciens. Et hæc omnia tibi dabo, inquit. Mundum quasi suus pro-
prius esset proponit præsuperbia. Hoc & nunc dicit auaris, ut adorantes se omnia
hæc habeant.

Tunc dicit ei Iesus, Vade post me satana. Scriptũ est enim, Dominũ Deum tuum
Ibidem. adorabis, & illum solum coles.] Irascitur illi Dominus, quãdo uidet illum ea quę Dei
sunt sibi uendicantem, & dicentem, Hæc tibi dabo ut propria. Disce autem quomo-
do prosint scripturæ, per quas Dominus os inimici obturauit.

Tentatio- Tunc omittit illum diabolus, & ecce angeli accedebant & ministrabant ei.] Tres
nes tres. tentationes † expertus est] Dominus, gulæ, uanæ gloriæ, & auaritiæ. Illæ enim
Lucæ. 4. præcipuæ sunt affectiones. Has igitur qui uicerit, alias multo magis uincet. Vn-
† superauit de Lucas dicit quòd omnem tentationem consummauerit, quandoquidem capita

tentationum

A tentationum uicit. Proinde angeli ei ministrant: quo commonstratur quòd & nobis post uictoriam angeli ministraturi sint, omnia enim propter nos & fecit & monstrauit Dominus, quoniam ei ut Deo angeli semper ministrant.

Quum audisset aũt Iesus, quòd Ioannes traditus esset, secessit in Galileam, & relicta Nazareth, profectus habitauit in Capernaũ, quę est apud mare, in cõfinijs Zabulon & Nephthalim.] Secedit Iesus, docens nos ne temerè periculis nos inijciamus. Secedit aũt in Galilæam, hoc est deuolubilem. Gentes enim in peccatis uolutantur. *Galilæa.* Habitat aũt in Capernaum, quod est domus consolationis. ut enim faciat gentes domum consolationis, descendit. Zabulon interpretatur nocturna, Nephthalim aũt latitudo. Gentes enim & noctem habebant, & latitudinem in uia: non enim per angustam uiam ambulabant, sed per eam quæ in perditionem fert. *Capernaũ. Zabulon. Nephthalim.*

Vt impleatur quod dictum est per Esaiam prophetam dicentem, Terra Zabulon, & terra Nephthalim iuxta uiam maris trans Iordanem Galilæa gentium, populus qui sedebat in tenebris, uidit lucem magnã, & sedentibus in regione & umbra mortis, lux orta est eis.] Viam maris pro eo quòd est ad uiam maris sitam. Lux autem magna, Euangelium, Lex enim lux & ipsa erat, sed parua. Vmbra autem mortis, peccatum: similitudo enim & figuratio mortis est. Nam sicut mors corpus, ita & ipsa animam detinet. Orta autem est lux nobis. Nõ enim quæsiuimus illam nos, sed illa missa est nobis, quasi sequens nos. *Esaiæ 9.* *Euangeliũ lux.*

Ex hoc cœpit Iesus prædicare ac dicere.] Ex quo tempore detentus est in uinculis Ioannes, cœpit prædicare Iesus. Expectauit enim Iesus, ut Ioannes prius de se testificaretur, & pararet sibi uiam, qua uenturus erat: sicut serui ante dominos præparant. Aequalis enim existens patri Dominus, habebat & ipse prophetam Ioannem, sicut & pater suus. Deus habuit prophetas ante Ioannem, imò & illi patris sunt & filij.

Resipiscite, in propinquo enim est regnum cœlorum.] Regnum cœlorum est & Christus, est & uita uirtutibus prædita. Quando enim quis super terram uiuit sicut B angeli, nónne cœlestis est? atq; ita in unoquoq; nostrũm est regnum cœlorum, si angelicam uitam agimus. *Regnũ cœlorum.*

Ambulans autem apud mare Galilææ, uidit duos fratres, Symonem qui dicitur Petrus, & Andream fratrem eius, mittentes rete in mare. Erant enim piscatores, & dixit illis.] Hi fuerunt discipuli Ioannis. Viuente autem adhuc Ioanne, accesserunt Christum. Porrò ubi Ioannem uiderunt uinctum, reuersi sunt ad piscatoriam, & sic ueniens Christus piscatur eos, dicens:

Venite post me, faciamq; uos piscatores hominum. Illi autem statim relictis retibus, secuti sunt illum.] Vide obedientes homines, statim secuti sunt illum. Vnde manifestum quòd hæc secunda uocatio sit. Antea enim docti erant à Christo, deinde reliquerunt eum: nunc autem uiso ipso, statim secuti sunt.

Et progressus illinc, uidit alios duos fratres, Iacobũ Zebedæi filium, & Ioannem fratrem eius in naui cum Zebedæo patre suo.] Summa uirtus est, pacere patrem senem, † idq; iustè partis sumptibus. † atque iustis alijs labõribus

Sarcientes retia sua, & uocauit eos.] Pauperes fuerunt, & quia non poterant emere noua, reparauerunt uetera.

At illi protinus relicta naui & patre suo, secuti sunt eum.] Apparet Zebedæum nõ credidisse, & propterea reliquerũt eum. Vides quando oportet relinquere patrem, nempe quãdo obstat uirtuti & pietati. Hi autem ut uiderunt priores sequentes Christum, meritò secuti sunt, imitantes illos.

Et circumibat Iesus totã Galilæã, docens in synagogis illorũ, & prædicãs Euangelium regni.] Vt monstret q; non contrarius sit legi, ingreditur in synagogas Hebræorũ.

Et sanans omnem morbum, & omnem languorem in populo.] A signis incipit, ut credantur quæ docet. Morbus autem est diuturna mala ualetudo: Languor uerò temporarius, & deordinatio in corpore. *Morbus. Languor.*

Et diminauit fama illius in totam Syriam, & attulerunt ad eum omnes malè affectos uarijs morbis, & torminibus contractos, & lunaticos, & paralyticos, & curauit eos.] Non petijt Christus ab aliquo qui adducebatur, fidem: nã isthuc ipsum à longè

Lunatici dæmoniaci sunt.

afferre, fidei erat. Lunaticos autem dicit dæmoniacos. Dæmon enim uolens homini A bus persuadere quòd stellæ maleficæ sint, obseruat lunam quum integra est, & tunc insidiatur, ut uideatur luna passionis & morbi causa, & infametur opificium Dei, quemadmodum & Manichæi errant.

Et secutæ sunt eum turbæ multæ à Galilæa, & Decapoli, & Hierosolymis, & Iudæa, & à regionibus trans Iordanem sitis.

CAPVT. V.

ET QVVM uidisset turbas, ascendit in montem.] Docet nos, nihil ad ostentationem facere. Ascendit in montem, quia docturus erat, docuit nos à media secedere turba, quando docendum.

Et cũ sedisset ipse, accesserunt ad eum discipuli eius.] Aliæ quidem turbæ propter miracula, discipuli aũt propter doctrinã accedũt. unde postẽ curauit corpora, & fecit miracula, curat & animam: ut discamus quòd & animarum & corporum sit opifex.

Et aperto ore suo.] Quare additum est, aperto ore suo? uidetur quòd superfluat. Minimè: docuit enim etiam non aperiendo os suum. Quomodo? per uitam & miracula, nunc autem aperiens os, docet.

Docebat eos, dicens.] Non tantum discipulos, sed & turbam. Incipit autem à beatitudinibus, sicut & Dauid à beatitudine incepit.

Beati pauperes spiritu, quoniam illorum est regnum cœlorũ.] Primũ modestiam & humilitatem animi ceu fundamentũ iacit. Nam quoniam propter superbiam Adam cecidit, per humilitatem erigit nos Christus, quandoquidem deus fieri sperabat Adam. Contriti autem anima, sunt pauperes spiritu.

Beati qui lugent, quoniam ipsi consolationem accipient.] Qui propter peccata lugent, non propter temporalia. Lugentes autem dixit, semper & non semel: & non pro nostris peccatis tantum, sed & pro peccatis proximorum. Consolationem uerò accipient & hic. Qui enim luget propter peccata, gaudet spiritualiter, & illic quoque multo magis. B

Mites. Beati mites, quoniam ipsi hæreditatem accipient terræ.] Aliqui spiritualem terram dicunt, cœlum uidelicet: uerùm tu & hanc terram intellige. quoniam enim putantur mites, despecti & inopes, dicit quòd hi magis omnia habeant. Mites autem sunt, non qui prorsus non irascuntur, tales enim insipientes sunt & insensati, sed qui iræ uim habent, continent autem, & quando oportet irascuntur.

Beati qui esuriunt & sitiunt iustitiã, quoniam illi saturabuntur.] Quandoquidem de misericordia dicturus est, ostendit primùm seruandam iustitiam, & eleemosynam non ex rapina dandam. Porrò iustitia omni cum alacritate exercenda est, quod significat cum dicit: Esurientes & sitientes. Quoniã aũt auari quidam abundantes esse uidentur, & saturati, dicit q̃ iusti magis etiã hic satientur, quia propria securè possident.

Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur.] Non in solis diuitijs est misericordia, sed & in sermone: & si nihil habes, etiam in lachrymis. Misericor-

Nota. diam autem consequentur & hic ab hominibus. Qui enim heri misericors fuit, etiã si hodie inops sit, ab omnibus misericordiã cõsequetur, & alibi multo maiorẽ à Deo.

Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum uidebunt.] Multi sunt non rapientes, sed & misericordes, ueruntamen scortantur, & aliàs immundi sunt. At Christus iubet cum alijs uirtutibus etiam mundos, hoc est castos esse: non solum corpore, sed & corde. Nam absque sanctificatione, hoc est castitate, nullus uidebit Deum. Sicut speculum, si fuerit mundum, accipit imagines: ita & anima pura faciem Dei, & scripturarum scientiam suscipit.

Beati pacifici, quoniam ipsi filij Dei uocabuntur.] Non solum illi qui cum alijs pacem habent, sed & qui seditiosos alios conciliant. Pacifici autem sunt & qui per doctrinam inimicos Dei conuertunt. Filij autem Dei fiunt tales. Etenim unigenitus conciliauit nos Deo.

Beati qui persecutionem patiuntur propter iustitiã, quoniã ipsorũ est regnũ cœlorum.] Non soli martyres, sed & multi persecutionem patiuntur: quia iuuant iniuria afflictos, & in summa omnẽ uirtutẽ fouent. Iustitia enim est omnis uirtus. Fures aũt

& homicidæ,

A & homicidæ, tametsi etiam ipsi persecutionem patiantur, non sunt tamen beati.

Beati estis, quando exprobrauerint uos & persecuti fuerint.] Ad ipsos apostolos deinceps se conuertit, ostendens q; maximè propriũ sit doctoríb. opprobria audíre.

Et dixerint omne malum uerbum contra uos, mentientes propter me.] Non sim pliciter qui exprobratur, beatus est, sed quando & propter Christum, & falso: si autem duo hæc non affuerint, miser ille est, utpote multis existens offendiculo.

Gaudete & exultate, quoniam merces uestra multa est in cœlis.] Quum de alijs loqueretur, non dixit mercedem multam: hic autem ostendit, quòd sustinere opprobrium, magnum sit & grauissimum. Multi enim suspenderunt seipsos. Et Iob, quanuis sustinebat multas tentationes alias, tunc tamen maximè turbabatur, cum exprobrarent ei amici quasi propter peccata sua pateretur. *Iob 4. 6. 9. 10.*

Sic enim persequuti sunt prophetas, qui ante uos fuerunt.] Vt ne suspicentur apostoli, quòd persecutionem patiantur eo quòd † aduersa Christo docuerint: consolatur eos, dicens, quia & ante uos prophetis propter uirtutem hoc accidit: unde illorum passiones uos consolari debent. † contrariã quædam

Vos estis sal terræ.] Prophetæ ad unam gentem missi sunt uos aũt totius terræ sal estis, mordentes & condientes doctrina & reprehensionibus dissolutos, ut non pariant uermes perpetuos: propterea ne abijciatis mordacitatem reprehensionũ, etiãsi persequutionem patiamini, & uobis exprobrent. Ideo dicit:

Quòd si sal infatuatus fuerit, in quo salietur? ad nihil ualet ultrà nisi ut proijciatur foràs & conculcetur ab hominibus.] Si doctor enim infatuatus fuerit, hoc est, si non arguit & constringit, sed mollis est & laxus, in quo salietur, hoc est, corrigetur? Tunc igitur foràs proijcitur à doctorum dignitate: & conculcatur, hoc est, despicitur.

Vos estis lux mundi.] Prius sal, & tunc lux. Qui enim reprehendit quæ occultè fiunt, ille lux est. Omne enim quod manifestat, lux est. non gentem autem unam illustrauerunt illi, sed mundum.

B Non potest ciuitas occultari, quæ supra montem sita est.] Docet eos, ut durent in certamine, & diligentem uitæ suæ rationem habeãt, ut ij, in quos omnes spectãt. Ne igitur putetis, inquit, quòd in angulo latituri sitis, sed spectabiles eritis, & ideo uidete quomodo citra maculam agatis uitam, ut ne & alijs offendiculo sitis.

Neq; accendunt lucernam, & ponunt eam sub modiũ, sed super candelabrũ, & lucet omnibus qui in domo sunt.] Ego quidem accendi lumen, nunc uestri officij erit, ne gratia extinguatur, ita ut & alijs luceat fulgor uitæ uestræ. Inquit enim:

Sic luceat lux uestra corã hominibus, ut uideant opera uestra bona, & glorificent patrem uestrum qui in cœlis est.] Non dixit, uos ostentetis uirtutem, hoc enim non esset bonum, sed illa sola luceat, ut & inimici uestri admirentur, & glorificent, non uos, sed patrem uestrum. Et si ita operamur uirtutem, in gloriam Dei oportet eam operari, non in nostram.

Ne existimetis, quòd uenerim ad destruendã legem uel prophetas: nõ ueni ut destruam, sed ut adimpleam.] Quoniam ipse nouas leges introducturus erat, ut ne putetur q̃d Deo aduersarius sit, dixit prius occurrens prauę quorundã suspicioni, quod non destruat, sed magis adimpleat legem. Quomodo autem adimpleuit? Primùm quidem, quia perfecit omnia quæ de eo prædixerunt Prophetæ. Ideo & Euangelista subinde dicit, Vt impleat quod dictũ est de eo per Prophetas. Deinde & omnia mandata legis impleuit. Peccatum enim non fecit, neque inuentus est dolus in ore eius. *1. Pet. 2.* Quin & alia ratione adimpleuit legem, hoc est denuò impleuit: quæcunq; enim illa adũbrauit, ea hic perfectè depinxit. Illa dixit, Ne occidas: hic uerò dixit, Ne temere irascaris. Sicut & pictor nõ corrũpit lineamẽta prima, sed magis illustrat & adimplet. *Infrà eodẽ. Quomodo adimpleat legem.*

Amen dico uobis.] Amen affirmatiua particula est pro, etiam dico uobis.

Donec prætereat cœlum & terra, iota unum aut apex unus non præteribit ex lege quoad omnia facta fuerint.] Ostendit hic, quod mũdus præterit & transfiguraẽ. Dicit igit quòd quãdiu subsistit uniuersum, neq; minima litera è lege trãsibit. Alij aũt, iota & apicem decem legis præcepta dicunt, alij aũt crucem. nam crucis iota est rectum lignũ, & apex trãsuersum: q̃ sensu dicit quod ea quę de cruce dicta sunt, implebũtur. *Esaiæ 55. Amẽ, id est ne. Iota & apex.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

Quisquis igitur soluerit unum ex mandatis his minimis, & docuerit sic homines, A minimus uocabitur in regno cœlorum.] Minima mandata dicit, quæ ipse traditurus erat, nõ legalia. Nominat autem ea minima propter humilitatem: ut & te instruat mo

Minimus in regno. deste docendo loqui. Minimus aũt uocabitur in regno, hoc est in resurrectione, ultimus, & abiectus in gehennã: non enim in regnum cœlorum ingredietur, apage, sed regnum resurrectionem intellige.

Quisquis autem fecerit & docuerit, hic magnus uocabitur in regno cœlorum.] Primùm ponit, fecerit: postea docuerit. quomodo enim alium inducam in uiam, qua nunquam transiui? Cæterùm si fecero, & non docuero, non habebo tantam mercedem: sæpe etiam & condemnationem, si quando propter inuidiam uel negligentiam non docuero.

Dico enim uobis quòd nisi abundauerit iustitia uestra plus quàm scribarum &

Iustitia. pharisæorum, non intrabitis in regnum cœlorum.] Iustitiam dicit omnem uirtutem: sicut & quum dicitur, Iustus erat Iob, pius, irreprehensibilis. Horresce homo animad uertens quanta à nobis repetantur. Deinde docet nos quomodo abundemus: & enumerat uirtutes.

Exod. 20. Audistis quod dictum sit priscis, Non occides. Quisquis autem occiderit, obnoxius erit iudicio.] Hoc à certo quodam esse dictũ non dicit. Si enim dixisset, quod pater meus dixerit priscis, ego autem dico uobis: uideri posset diuersam à patre legem ponere. Iterum autem si dixisset, Ego dixi priscis, ægre acceptus fuisset sermo. Indefinitè igitur dixit, Dictum est antiquis. per hoc autem quod dicit, dictum est antiquis, ostendit antiquatam esse legem. quoniam autem uetera nunc antiquata sunt, & fermè abolita, oportet omissis illis currere ad noua.

Ego autem dico uobis, Omnis qui irascitur fratri suo temere, obnoxius erit iudicio.] Prophetæ dicturi futura dicebãt, Hęc dicit Dominus: Christus autem, Ego dico, ostendens diuinam substantiã. Illi enim serui erant, ipse aũt filius, omnia quæ sunt patris, in se possidens. Qui irascitur fratri suo temere, ille cõdemnatur: Si aũt qui is irasci B

Ira iusta tur ratione iusta motus, & ut aliũ erudiat, & spirituali zelo, nõ condemnabitur. Vnde & Paulus uerba iræ loquutus est ad Elymam magum, & ad pontificem: non temere quidem, sed zelo. Tunc autem temere irascimur, quando propter opes uel gloriam.

Quicunq; uerò dixerit fratri suo rhaca, obnoxius erit concilio.] Concilium uocat

Rhaca. Hebræorum tribunal. Rhaca uerò significat idem quod Tu: ut quum ad aliquem contemptum nobis dicimus, Abi tu. Volens igitur nos & de paruis solicitos esse, & mutuum uenerari, admonet horum. Quidam dicunt rhaca Syriace & indignatiuum & respuitiuum quiddam signare. Quisquis igitur iniuria affecerit fratrem suum, contumelia inuadens, obnoxius erit concilio sanctorum apostolorum, quando sedebũt iudicantes duodecim tribus Israel.

Quicunq; autem dixerit, stulte, reus erit gehennæ incendio.] Multi hoc graue & durum esse putant, non est autem. Nam qui fratrem suum ratione & prudentia priuat, facitq; ut à nulla differat bestia, quomodo nõ dignus gehenna? Etenim qui scommatis & contumelijs persequitur, charitatem destruit: qua destructa, simul omnes tolluntur uirtutes: sicut omnes conseruantur, ea salua. Dissoluit igitur omnes uirtutes, qui contumelia proximum afficit, dum charitatem dilacerat; & proinde ignis incendio dignus fuerit.

Si ergo obtuleris munus tuum ad altare, & illic recordatus fueris, quòd frater tuus habet aliquid aduersum te, dimitte illic munus tuum ante altare, & abi, prius reconciliare fratri tuo, & tunc ueniens offer munus tuum.] Contemnit Deus proprium honorem, tantum ut nos diligamus. Quum autem dixisset, si habuerit aliquid contra te frater tuus, nihil aliud apposuit. Siue enim iustè siue iniustè habeat, reconciliare. Et non dixit, si habes tu contra illum, sed si habet ille contra te, conare ut ipsum ad amicitiam reducas. Præcipit autem dimittendum donum, ut tibi necessitatem imponat

Charitas est sacrificium. reconciliandi: & tu si uolueris offerre donum, cogaris reconciliari. Docet etiam interim charitatem uerum esse sacrificium.

Esto beneuolus aduersario tuo citò, quãdiu es in uia cũ eo, nequãdo te tradat aduersarius

A uersarius iudici, & iudex te tradat ministro, & in carcerem conijciaris. Amen dico tibi, neutiquam exibis illinc, donec reddas ultimum quadrantem.] Nonnulli putant aduersarium dici diabolum, uiam autem uitam: Dominum uerò admonere, ut quãdiu in hac uita es, desciscas à diabolo, ne postea possit te de peccato arguere, quasi aliquid de suo habentem, tuncq; pœnæ tradaris usq; ad ultimum quadrantem pro peccatis corrigendis. Quadrans habet duo minuta. At tu intellige, quòd de aduersarijs qui hic sunt, dicat: per hoc admonens, ne iudicio contendas, & ita à diuinis operibus auellaris, etiam si iniuria affectus fueris, inquit, ne abeas ad tribunal: sed in uia lítem solue, ne ob potentiam aduersarij grauiora patiaris. *Non contẽdendum in dicio.*

Audistis quòd dictum sit, Ne mœcheris.) Aliud est mœchia, aliud scortatio. Mœchia enim est cum coniugata, scortatio uerò cum soluta. *Exod. 20.*

Ego autem dico uobis, quòd quicunq; aspexerit uxorem alterius ad concupiscendam eam, iam adulterũ commisit cum ea in corde suo.] Hoc est, qui stat, & curiose aspectat, & accendit concupiscentiam suam uidendo, & iterum uidet, ut magis eam concupiscat. Talis enim malũ perfecit iam in corde. Quòd si opus non addidit, quid hoc? Nõ potuit: quia si potuisset, statim malum perpetrasset. Verùm cognosce, quòd & si concupiscamus, deinde prohibeamur facere opus: signum est quòd manifestè à gratia protecti fuerimus. Ita & mulieres dum se ornant, ut aliquibus placeant, etiamsi non placeant, attamen pharmacum miscuerunt, etiamsi nullus bibat.

Et si oculus tuus dexter offendiculo tibi fuerit, erue illum, & abijce à te. Vtile enim tibi est ut pereat unum ex membris tuis, & nõ totum corpus mittatur in gehennam. Et si dextera manus tua obstiterit tibi, amputa eam, & proijce abs te. Expedit enim tibi ut pereat unum membrorum tuorum, & non totum corpus tuum conijciatur in gehennam.] Oculum & manũ audiens, ne existimes de membris his dici, non enim appositurus esset, dexter uel dextera: sed de his qui uidẽtur esse amici, & nocent nobis. Vt exẽpli gratia, Adolescens est, cui sunt amici intemperãtes, à quib. damnũ accepit: hos *Malorũ cõsuetudo dimittenda.*

B igit amputa, inquit. Fortassis enim & illos seruabis, ubi hoc persenserint: q; si minus, certè uel teipsum. Si autem amas illorum amicitiam, utriq; peribitis.

Dictum est aũt, quòd quicunq; dimiserit uxorem suam, det ei repudiarium.] Moses iussit, si quis oderit uxorem suam, separetur ab ea, ut ne quid grauius contingat. Nam quum odio habetur, fortassis occidi posset. Dare autem iubet dimissæ libellum absolutorium, quem uocat repudiarium, ita ut iam non ad ipsum accedat, & ex hoc fiat confusio, uiro alteri cohabitante. *Deu. 24.*

Ego autem dico uobis, quòd quisquis dimiserit uxorem suam, excepta fornicationis causa, facit eam mœchari: & qui dimissam duxerit, mœchatur.] Non soluit Mosaica, sed corrigit, exterrens uirũ, ut ne absq; causa odio habeat uxorẽ. Nã si iusta de causa dimiserit eam, nempe fornicantẽ, nulli cõdemnationi est obnoxius. Quòd si absq; fornicationis causa, condemnatus est, cogit enim eã mœchari: sed & qui accipit eam, mœchus est. Nisi enim ille accepisset, redijsset utiq; illa, et subdita fuisset uiro. Christianum aũt oportet esse pacificũ, etiã ad alios, & multo magis cũ uxore pacem habere.

Iterum audistis quòd dictum sit priscis, Non peierabis, sed persolues Domino iuramenta tua.] Hoc est, quando iuras, uera loquere. *Leuit. 19.*

Ego aũt dico uobis, nõ iurare omnino, neq; per cœlũ, quia sedes Dei est: neq; per terrã, quia scabellum pedum eius est: neq; per Hierosolyma, quia ciuitas est regis magni.] Iudæi quia Deum audierant dicentem, Cœlum mihi thronus, terra autem scabellum: iurabant per talia. Igitur Dominus prohibens eos, non dicit, quia pulchrum & magnũ est cœlum, & terra utilis est, ideo per ea nõ iurare: sed quia cœlum thronus est Dei: terra autem scabellum pedum eius, ut ne sit locus idololatriæ. Fortè enim in deorũ numerũ relata fuissent elementa, à iurantibus per ea: id quod antea factũ est. *Esaiæ ult.*

Neq; per caput tuum iurabis, quia nõ potes unum pilum album uel nigrum facere.] Deus solus per semetipsum iurat, utpote nulli subiectus: nos autem quum non simus nostræ potestatis, quo pacto per caput nostrum iurabimus? alterius enim est possessio. Si enim tuum est caput, muta, si potes, unum capillum.

Sit autem sermo uester, etiam, etiam: non, non.] Vt ne dicas: Et quomodo fidem

Nulli minus creditur, quàm qui frequenter iurat.

miht habebũt? inquit: Si semper uerè loquutus fueris, & nunquam iuraueris. Nulli enim minus creditur, quam ei qui frequenter iurat. A

Quod autem amplius his est, à malo est.] Iurare (inquit) & adijcere amplius ad etiam uel, nõ, à diabolo est. Porrò si dixeris quòd & lex Mosi mala erit, quoniam iurare iubet: disce quòd tunc non erat malum iurare: post Christum autem malum est, sicut & circuncidi, & in summa, quicquid est Iudaicum. Sugere enim puero conuenit, uiro minimè.

Deut. 6.

Exodi 21. Deut. 19.

Audistis quòd dictum sit, Oculum pro oculo, dentem pro dente.] Lex condescendens permittit ut eadem quis patiatur quæ inflixit, ut ne mutuum offendant, timore, ne eadem patiantur, absterriti.

Ego autem dico uobis, ut ne resistatis malo: sed quisquis impegerit alapam in dexteram tuam maxillam, obuerte ei & alteram.] Malum hic diabolum uocat, qui per hominem operatur. Non oportet igitur obsistere diabolo? Etiam: at non est repercutiendum, sed sustinendum. Non enim igni extinguitur ignis, sed aqua. Ne existimes autem quòd loquatur solum de percussione maxillæ, sed de omni alio malo quod infligitur.

Et ei qui uult tecum iudicari, & tunicam tuam tollere, permitte ei & pallium.] Etiam si quando te ad iudicem trahat, & obturbet, tunc dimitte ei pallium: non si simpliciter petat. Tunica propriè dicitur quam subuculam uel indusium uocamus: pallium, quo illam tegimus: quanuis sæpe alia pro alijs dicantur.

Tunica.

Et qui te adegerit ad miliarium unum, uade cum eo duo.] Quid dico (inquit) tunicam & palliũ? etiã corpus tuũ da ei qui te iniustè trahit, & amplius cẽ ille uult, facito.

Petenti abs te, da: & uolentem à te mutuum accipere, ne auerseris.] Siue amicus, siue inimicus, siue infidelis, siue pecunias petat, siue auxilium aliud. Mutuum autem nõ cum fœnore dicit, sed simpliciter usum. Nam & in lege absq; usura mutuũ dabãt.

Leuit. 19.

Audistis quod dictum est, Diliges proximum tuum, & odio habebis inimicum tuum. Ego autem dico uobis, Diligite inimicos uestros.] Venit ad uerticem uirtutũ: quo quid maius? Non est autem impossibile. Moses enim & Paulus Iudæos contra se insanientes, plus quàm seipsos diligebant, & omnes sancti suos inimicos. B

Bene precemini deuouentibus uos, benefacite his qui oderũt uos, & orate pro his qui lædunt & insectantur uos.] Inter benefactores oportet illos habere. Omnis enim qui nos tentat & persequitur, leuiorem facit pœnam quam pro peccatis ferre debere mus. Etiam alia ratione, nempe quia talem mercedem nobis dat Deus. Audi enim.

Vt sitis filij patris uestri, qui est in cœlis: quia solem suum exoriri facit super bonos & malos, & pluit super iustos & iniustos.] Vide quantum bonum dat qui te odit & lædit, modò sustinere uelis. Per pluuiam autem & solem intellige etiã doctrinam & scientiam. Omnes enim illustrat & docet.

Nam si dilexeritis diligentes uos, quã mercedem habetis? nónne & publicani idẽ faciunt?] Trepidemus, quòd neq; publicanis sumus æquales, neq; amãtes diligimus.

Et si dilexeritis amicos uestros tantũ, quid amplius facitis? nónne & publicani sic faciunt? Eritis igitur uos perfecti, sicut pater uester qui in cœlis est, perfectus est.] Nã hominum alios diligere, alios odio habere, imperfectorum est: omnes autem diligere, perfectorum.

Diligere omnes.

CAPVT VI.

ATtendite ne eleemosynã uestram faciatis coram hominibus ut uideamini ab illis, alioqui mercedem uestrã nõ habetis apud patrem uestrũ, qui est in cœlis.] Postq; ad summã uirtutũ charitatem duxit, nunc tollit inanem gloriã, quæ sequi solet bene operantes. Vide aũt quid dicat. Attendite, inquit, & cauete: quasi de aliqua mala bestia dicat, attende ne te dilaceret. Porrò licet coram hominibus eleemosynam facias, non tamen ideo facias ut uidearis ab hominibus, non condemnaris. Sin uanæ gloriæ scopum spectaueris, etiamsi in penetralibus promptuarij tui feceris, condemnaris. Voluntatem enim uel coronat uel punit Deus.

Itaq; quum facis eleemosynam, ne tuba canatur ante te, sicut hypocritæ faciunt in synagogis & in uicis, ut glorificentur ab hominibus.] Non tubas habebant hypocritæ,

A hypocritæ, sed animum eorum deridet hoc loco, quòd eleemosynam suam uolebant celebrari. Hypocritæ sunt, qui alij sunt, alij apparent: & misericordes quidem uidentur, alij autem sunt. *Hypocritæ qui.*

Amen dico uobis, quòd habent mercedem suam.] Cum laudantur enim, totum accipiunt ab hominibus.

Te autem faciente eleemosynam, nesciat sinistra tua quid faciat dextera tua.] Per hyperbolem hoc dicit. quasi diceret, si possibile, etiam teipsum ignores. Vel etiam aliter, Sinistra est inanis gloria, dextra uerò eleemosyna. nesciat igitur eleemosynam inanis gloria. *Hyperbole.*

Vt sit eleemosyna tua in abdito, & pater tuus uidens illud in abdito, reddat tibi in manifesto.] Quando? Tunc cum nuda & manifesta omnia erunt, & tunc magis glorificabere.

Et quando oras, non eris quemadmodum hypocritæ, †qui amant in conciliabulis & in angulis platearum stantes orare, ut conspicui sint hominibus. Amen dico uobis, quòd habent mercedem suam.] Hypocritas & illos nominat, uti eos qui uidentur quidem attendere ad Deum, sed ad homines magis attendunt, à quibus habent, hoc est accipiunt mercedem suam. †Nam illi solent

Tu autem quando oras, ingredere in cubiculum tuum, & clausa ianua tua ora patrem tuum in abscondito, & pater tuus qui uidet in abscondito, reddet tibi in manifesto.] Quid igitur? in ecclesia non orabo? Omnino, sed recto animo, & citra ostentationem. Locus enim non nocet, sed modus & intentio. Multi enim etiam in abscondito orantes, hoc ut hominibus placeant faciunt. *Orandum in ecclesia.*

Orantes autem, ne sitis battalogi in precibus uestris, sicut ethnici.] Battalogia est nugacitas, ut exempli gratia, petere aliquid terrenum, gloriam, diuitias, uictoriam. Battarismus enim est inarticulata uox, qualis est puerorum. tu igitur ne nugax & multiloquus sis. *Battalogia.*

B Putant enim quòd in multiloquio suo exaudiantur. ne igitur assimilemini eis.] Non sunt longæ preces faciendæ, sed breues quidem & crebræ. oportet enim pauca loquentes perseuerare in precibus. *Preces breues & crebræ.*

Scit enim pater uester quibus indigetis, antequam petatis ab illo.] Non enim ut doceamus, petimus: sed ut nos à temporalibus & secularibus curis abstrahamus, & ociose & magna cum utilitate cum eo colloquamur. *Quare orandum.*

Sic igitur orate uos: Pater noster, qui es in cœlis.] Aliud est uotum, aliud oratio. Votum enim est promissio coram Deo, ut quãdo promittit quis se abstinere à uino, uel alia quadam re: oratio autem petitio bonorum. Dicens autem pater, ostendit tibi quanta bona sis assequutus, factus filius Dei. Et dum dicit, In cœlis, ostendit tibi patriam tuam, & domum paternam. Nam si uis habere patrem Deum, in cœlos specta, & non in terram. Non dicit autem, Pater meus, sed pater noster, ut omnes quasi fratres unius patris habeas.

Sanctificetur nomen tuum.] Hoc est, facito nos sanctos, ut & tu per nos glorificeris. Sicut enim blasphematur propter me, ita & sanctificatur propter me Deus: hoc est, ut sanctus glorificatur. *Rom. 2.*

Adueniat regnum tuum.] Secundus scilicet aduentus. nam fretus bona conscientia, precatur ut ueniat resurrectio & iudicium.

Fiat uoluntas tua sicut in cœlo, & in terra.] Sicut, inquit, angeli faciunt uoluntatem tuam, ita & nos da eam facere.

Panẽ nostrũ supersubstantialẽ da nobis hodie.] Supersubstantialẽ dicit, qui substantiæ & cõstitutioni nostræ sufficit, tollit aũt curã de crastino. Quin & corpus Christi panis est supersubstantialis: cuius esse participes citra condemnationẽ precamur.

Et dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris.] Quia & post baptisma peccamus, precamur ut dimittat nobis. sic autem dimittet, quemadmodum & nos. si uindictæ auidi & memores fuerimus, non remittet. Habet me Deus ut exemplar: & quod facio alij, facit & mihi.

Et ne inducas nos in tentationem, Imbecilles sumus homines; ideo non debemus

nos ipsos in tentationes inijcere: sed si inciderimus, orandum ne absorbeamur à ten- A
tatione. Absorptus enim & uictus, ille in profundum tentationis inductus est, at nō
item qui incidit, & uincit.

Sed libera nos â malo.] Non dixit, à malis hominibus: nō enim illi nos iniuria affi-
ciunt, sed malignus, dæmon scilicet.

Quoniam tuum est regnum & potentia, & gloria in secula, Amen.] Animat nos
hoc loco. Nam si rex est, & potens pater & gloriosus, omnino & nos uincemus ma-
lignum, & glorificabimur posthac.

Etenim si remiseritis hominibus delicta sua, remittet etiam uobis pater uester cœ-
lestis.] Iterum nos docet esse alienos à uindicandi cupiditate. Memoriam aūt patris
inculcat, ut reuereamur eum: & cum eius simus filij, non exasperemur.

Quòd si non remiseritis hominibus delicta sua, neq; pater uester remittet uobis
delicta uestra.] Nihil enim ita odit benignus Deus, ut crudelitatem.

Porrò cū ieiunaueritis, ne sitis sicut hypocritę uultuosi. Obscurāt enim facies suas,
ut uideantur hominibus ieiunantes. Amen dico uobis, quòd habēt mercedem suā.]
Obscuratio faciei est pallor: quando nō qualis est quis apparet, sed simulat tristitiam.

Tu aūt ieiunans, unge caput tuum, & faciem tuā laua, ut ne uidearis hominibus
ieiunās, sed patri tuo qui est in abscōdito: & pater tuus qui uidet in abscondito, red-
det tibi in manifesto.] Prisci in gaudij signum habebant, ungi post lotionem: & tu
quoq; sic gaude, & lætare. Per oleum autem & eleemosyna intelligitur. Porrò ca-
put nostrum, hoc est Christum, oportet eleemosyna inungi: faciem autem, hoc est,
sensum, lachrymis lauare.

Ne thesaurizetis uobis thesauros super terrā, ubi ærugo & tinea corrumpit: & ubi
fures perfodiūt & furant. Thesaurizate aūt uobis thesauros in cœlo, ubi neq; ærugo,
neq; tinea corrumpit, & ubi fures nō perfodiunt, neq; furantur.] Postquā inanis glo
riæ morbū eiecit, cōsequenter de inopia loquit. Homines enim propter uanā gloriā
multa possident. Ostendit quàm sit inutile thesauros habere super terrā: quia ærugo B
& tinea corrumpunt cibos & uestes, fures autem aurum & argentū. Deinde ne quis
dicat ei, Sed non omnia furto pereunt, inquit. Quamuis nihil horum sit, attamen sic
addictum esse diuitiarum solicitudini, quomodo non miserum? ideo dicit,

Vbi enim est thesaurus uester, ibi erit & cor uestrum. Lucerna corporis est ocu-
lus: si igitur oculus tuus simplex fuerit, totum corpus tuum lucidum erit: si autem o-
culus tuus malus fuerit, totum corpus tuum tenebrosum erit. Si igitur lux quæ in te,
tenebræ sunt, tenebræ ipsæ quantę?] Hoc dicit, quòd si adieceris animū opum solici
tudini, extinxisti lucernam, obtenebrasti tuam animā. Sicut enim oculus si simplex,
hoc est sanus fuerit, illuminat corpus: si autem malus, hoc est morbidus, obtenebrat:
solicitudine excæcatur mens. ita & mens excæcatur præ solicitudine. Quòd si mens obtenebrata fuerit, fit & ani-
ma tenebrosa, & multo magis corpus.

Nullus potest duobus dominis seruire.] Duos dominos dicit contraria præci-
pientes, exempli gratia, ut Deus & Mammon. Nos autem facimus dominum no-
strum diabolum, sicut & uentrem Deum. Natura enim est uerè Dominus, Deus:
Mammona autem est iniustitia.

Aut enim unum odio habebit, & alterum illum diliget: aut huic adhærebit, & alte
rum illum contemnet. Non potestis Deo seruire & Mammonæ.] Vides quòd non
potest diues & iniustus Deo seruire. Abijcit enim diuitiarum amor à Deo.

Propterea dico uobis, ne solliciti sitis animæ uestræ quid esuri sitis aut bibituri:
neq; corpori uestro quibus indumētis usuri.] Quod est hoc, propterea? A Deo ejici
propter opes. Nō comedit aūt anima, incorporea enim est, sed iuxta cōmunem con
suetudinē loquutus est. Videtur aūt anima non posse esse in corpore, nisi pascatur ca
ro. Non explodit autem operari, sed seipsos totos curis tradere, & negligere Deum,
†animæ †nępe animam, & corpus ipsum formauit, hoc est quod prohibet, quoniam & agros colere oportet, & †uitæ] curam habere.

Nónne anima pluris est q̄ cibus, & corpus q̄ indumentū?] Hoc est qui maius de-
dit† animæ, formans scilicet corpus,] non dabit & alimentum & indumentum?

Aspicite ad uolatilia cœli, quia non serunt, neq; metunt, neq; congregant in hor-
reum,

A reum,& pater uester cœlestis pascit ea. nónne uos longè præcellitis illa?] Potuisset afferre in exemplum Heliam & Ioannem, & meminit auium: ut admoneat nos etiam illis brutiores esse. Pascit autem eas Deus, qui indidit eis naturalem scientiam ad colligendas escas.

Quis autem ex uobis sollicitus potest apponere ad staturam suam cubitum unũ?] Hoc inquit, quòd licet solicitus sis, nihil poteris non uolente Deo. cur igitur in uanum crucias teipsum?

Et de uestimento quid soliciti estis? Considerate lilia agri, quomodo crescant: nõ laborãt, neq; nent. Dico aũt uobis, q; neq; Solomon in omni gloria sua amictus fuit ut unum ex his.] Non solum per aues ratione carentes nos admonet, sed & per lilia quę marcescunt. Nam si Deus illa sic ornauit, quamuis nulla necessitas exigat, quanto magis penuriam nostram in uestibus supplebit? Ostendit aũt quòd licet multũ solicitus sis, nõ poteris tamen ornari sicut lilia: quandoquidem neq; Solomon prudentissimus & delicatissimus in omni regno suo potuit ornari ut unum ex illis.

Quod si gramen agri, quod hodie cum sit, cras in clibanum mittitur, Deus sic uestit, an non multo magis uobis id faciet, parum fidentes?] Discimus hoc loco quòd nullus curare debet ornatum. Hoc enim caducorum florum est, † & quod ornatur,] fœnum est. Vos autem dixit, rationales, quibus Deus animam & corpus formauit. Parum fidunt autem omnes soliciti. Nam si perfectam in Deum haberent fidem, nõ tam †uacillanter] soliciti essent. † quicũq; ergo ornatur. †enixe

Ne igitur soliciti sitis dicentes, Quid edemus, aut quid bibemus, aut quibus operiemur? Hæc enim omnia gentes quærunt.] Comedere & bibere non prohibet: dicere autem, Quid comedemus: prohibet: sicut dicunt diuites uesperi, Quid comedemus mane? Vides quòd delicias & luxum prohibet.

Scit enim pater uester cœlestis quòd habetis his omnibus opus. Quærite autẽ primùm regnum Dei & iustitiam eius, & hæc omnia apponentur uobis.] Regnũ Dei, B bonorum fruitio est: illa autem per iustitiam contingit. Omni igitur quærenti spiritualia adduntur etiam corporalia, liberalitate Dei.

Ne igitur soliciti sitis in crastinũ. nam dies crastinus curam habebit suiipsius. sufficit enim diei sua malitia.] Malitiam diei, afflictionem & calamitatem uocat. Sufficit enim tibi, quòd hodierna afflictione obrueris: quòd si & pro crastino solicitus fueris, quando uacabis Deo, semper temetipsum crucians pro corporalibus?

CAPVT VII.

NEiudicetis, ut ne iudicemini.] Non reprehendere prohibet, sed condemnare. nam reprehensio utilis est, condemnatio autem probrosa, & despectus plena. uel aliter intellige de eo qui magis peccatis obnoxius, opprobrat alios, & cõdemnat minus culpabiles, & in his quæ Deus iudicaturus est.

Quo enim iudicio iudicatis, iudicabimini: & qua mensura metimini, metient uobis. Quid aũt uides festucã quæ est in oculo fratris tui, trabẽ aũt quæ est in oculo tuo, nõ uides? Aut quomodo dices fratri tuo, Sine eiiciã festucã ex oculo tuo, & ecce trabes in oculo tuo? Hypocrita, eiice primùm trabẽ ex oculo tuo, tunc uidebis ut eijcias festucam ex oculo fratris tui.] Carpturum alios oportet immaculatum esse. Nam habens trabem in oculo suo, hoc est magnum lignum, magnum scilicet peccatum, & reprehendens alium festucam habentem, impudentiorem illum facit. Ostendit aũt Dominus, quòd magnus peccator non potest bene uidere peccatum fratris. Nam qui habuerit in oculo trabem, quomodo uidere potest alium mediocriter malum?

Ne detis sanctum canibus, neq; mittatis margaritas uestras ante porcos, ne fortè conculcent eas pedibus suis, & conuersi disrumpant uos.] Canes sunt infideles: porci autem, fideles quidem sunt, sed porcinam uitam agentes. Mysteria igitur incredulis nõ sunt prodenda, neq; clari & margaritis similes sermones de theologia immundis communicandi. Porci enim conculcant, siue contemnunt quæ dicuntur, canes autem conuersi lacerant uos: quod fecerunt philosophi, cum audirent crucifixum Christum. Dilacerant autem uos ratiocinando, impossibile esse cauillantes. *Canes & porci qui.*

Petite, & dabit uobis: quęrite, & inuenietis: pulsate, & aperiet uobis. Omnis enim qui

Universidad de Deusto
Biblioteca

qui petit, accipit: & qui quærit, inuenit: & pulsanti aperietur.] Imperauit nobis in su A
perioribus magna & difficilia: ostēdit igitur hoc loco quomodo imperata perfician
tur, nempe per preces continuas. Petite enim dixit, hoc est, semper. non enim dixit,
petatis semel. Deinde & exemplo humano confirmat dictum.

An quis ex uobis homo, quem si petierit filius eius panem, lapidem daturus sit il-
li: aut si piscem petierit, num serpentem addet illi?] Erudit hoc loco quòd oportet ue
hementer petere, & utilia petere. Sicut enim uos, inquit, uidentes filios uestros uti-
lia petere, panem & piscem, datis omnia quæ petierint: ita & uos spiritualia quæri-
te, non carnalia.

Si igitur uos, cum sitis mali, nostis dona bona dare filijs uestris, quanto magis
pater uester qui in cœlis est, dabit bona petentibus se?] Malos nominat homines ad
Deum comparatos, quoniam natura nostra bona est, utpote à Deo condita: uolun-
tate autem mali sumus.

Omnia igitur quæcunq; uolueritis ut faciant uobis homines, & uos facite eis,
Tob. 4. Hæc enim est lex, & Prophetæ.] Breuem ad uirtutem uiam ostendit. Ex nobis e-
nim scimus quid facto opus. Nam si uis beneficia accipere, benefac: si uis diligi
ab inimicis, dilige etiam inimicos. Etenim lex Dei & Prophetæ illa dicunt: quæ
& naturalis lex præcipit.

Introite per angustam portam, quia lata est porta & spaciosa uia quæ ducit ad in-
teritum, & multi sunt qui ingrediuntur per eam.] Angustam portam uocat tenta-
tiones uoluntarias, ueluti ieiunium & alia: & præter nostram uoluntatē euenientes,
ut uincula, persequutiones. Quemadmodum autem corpulentum, uel sarcinis onu-
stum, per angustam ingredi nequit: ita neq; delicatus uel diues: per latam autem ta-
les uadunt. Cæterùm ostendens quòd & angustia temporaria sit, & latitudo tran-
sitoria, portam & uiam uocauit. Per afflictionem enim qui affligitur, quasi per por
tam transit, & delicatus per delicias quasi per uiam ingreditur: & quia utraq; tem-
poraria, eligatur quæ melior. B

Quid? angusta est porta & stricta uia quæ ducit ad uitam, & pauci sunt inuenien
tes eam.] Admiratiua dictio est, Quid? Admiratur enim, pæ quàm angusta? Quo
Infrà 11. modo igitur alibi dicit, Onus meum leue? propter futuras retributiones.

Attendite autem à falsis prophetis, qui ueniunt ad uos in uestimentis ouium,
Vafri & blāiloqui hæretici sunt. sed intrinsecus sunt lupi rapaces. à fructibus eorum cognoscetis eos.] Vafri & impo
stores hæretici. propterea dicit, attendite, hoc est cauete. Blandiloquentiam enim
prætexunt, & uitam simulant sanctam, sed intrinsecus latet aculeus. Indumentum
autem ouis est & mansuetudo, quam usurpant dum adulantur & decipiunt. A fru-
ctu autem cognoscuntur, hoc est, ab operibus & uita. Nam licet ad tempus simu-
lent, sed produntur successu temporis.

Nunquid colligunt à spinis uuam, uel à tribulis ficus? Sic omnis arbor bona fru-
ctus bonos facit: arbor autem putris fructus malos facit.] Spinæ & tribuli sunt hypo
critæ. Spinæ, ut occultè uulnerantes: tribuli, ut uafri & uersatiles. Arbor autem pu-
tris, omnis qui molli & dissoluta uita putrescit.

Non potest arbor bona fructus malos facere, neq; arbor putris fructus bonos fa-
cere.] Quamdiu est putris, non potest. ubi autem conuersa fuerit, potest. Vide enim
quòd non dixit, non poterit: sed quatenus est putris, bona non parit.

Omnis arbor nō faciens fructum bonum, excinditur, & in ignem mittitur. Vtiq;
Supra 3. Luc. 3. ex fructibus ipsorum agnoscetis eos.] His Iudæos perstringit. nam & Ioannes talia
eis dicebat. Arbori aū confert hominē, eo q, potest à sterili peccato in uirtutē inseri.

Non omnis qui dicit mihi, Domine, Domine, intrabit in regnum cœlorum: sed
faciens uoluntatem patris mei, qui in cœlis est.] Hoc loco ostendit seipsum Domi-
num, dicendo, Non omnis qui dicit mihi Domine, Domine. nam ita se & Deum
dicit. Docet autem nos. si fidem absq; operibus habuerimus, nihil nobis eam profu-
turam. Nam dicendo, Qui facit uoluntatem, non dicit, qui semel fecit, sed qui usq;
ad mortem facit. Et nō dixit, uoluntatem meam, ne offenderet auditores, sed patris
mei. Omnino autem una eademq; uoluntas est patris & filij, nisi degener sit filius.

Multi

A Multi autē dicent mihi in die illa, Domine, Domine, nónne in nomine tuo prophetauimus, & in nomine tuo dæmonia eiecimus, & in nomine tuo uirtutes multas fecimus: Et tunc confitebor eis, Nunquā cognoui uos, discedite à me operarij iniquitatis.] Multi quum prædicare incipiebant, eijciebant dæmonia: & quamuis indigni essent, per nomen Iesu fugabant dæmones. Nam gratia etiam per indignos efficax est, sicut per indignos sacerdotes sanctificamur: & Iudas quoq; signum fecit, & filij Sceuæ. Quod autem dicit, Nunquam cognoui uos, hoc uult, Neq; tunc, quando miracula faciebatis, diligebam uos, Hoc enim loco charitas, cognitio dicitur. *Charitas, cognitio.*

Omnis igitur qui audit ex me sermones hos, & facit eos, assimilabo cum uiro prudenti, qui ædificauit domū suam super petram, & descendit pluuia, & uenerunt flumina, & flauerunt uenti, & irruerunt in domum illam, & nō cecidit: fundata enim erat supra petrā.] Absq; Deo uirtus perfici nequit. idcirco inquit, assimilabo eum uiro prudenti. Petra aūt est Christus, domus aūt anima. Quicunq; igit animā suā ædificabit, operando mādata Christi, illū neq; pluuia, id est diabolus qui de cœlo decidit: neq; flumina, homines scilicet lædentes, qui ab hac pluuia multiplicant: neq; uenti, hoc est, spiritus mali, & in summa, tentationes omnes, si talis fuerit, poterūt deijcere.

Et omnis qui audit à me sermones hos, & non facit eos, assimilabitur uiro stulto, qui extruxit domū suam super arenā, & descendit pluuia, & uenerūt flumina, & spirauerunt uenti, & irruerunt in domū illam & cecidit, fuitq; ruina eius magna.] Non dixit, assimilabo eum, sed per seipsum assimilabitur stulto ille qui credit quidem, nō aūt operat. hic est qui super arenā ædificat ignauiter operans: propterea & à tentationibus deijcit: irruit, hoc est impingit in eū tētatio, & cadit. Nullus aūt infideliū cadit. illi enim omnes humi iacent: at fidelis † stat. Et fit ruina, quia Christianus est, magna. †caditi

Et factum est, cum consummasset Iesus sermones illos, obstupuerunt turbæ in doctrina eius. Erat enim docens eos ut authoritatem habens, & nō sicut scribæ.] Non principes obstupuerunt (quomodo enim, cum eum odio haberent:) sed innocua
B plebis multitudo. Mirabantur, non facundiam uerborum, sed libertatem. maiorem enim quàm Prophetę præ se ferebat authoritatem. Illi enim dicebant, Hæc dicit Dominus: Christus autem ut Deus, Ego dico uobis.

CAPVT VIII.

CVm autem descendisset à monte, secutæ sunt eum turbæ multę. Et ecce leprosus accessit & adorauit eum, dicēs, Domine, si uis, potes me mundare.] Leprosus enim, utpote ciuilis & modestus nō ascendit in montem, ut ne doctrinæ obesset. cum igitur descendisset, adorauit, magnam præ se ferens fidem. Non dixit, si obsecraueris Deum, curabis me: sed, si uis, & ideo es Christus.

Et extenta manu tetigit eum Iesus, dicens: Volo: mundus esto. Et cōfestim mundata est lepra illius. Dicitq; ei Iesus: Vide nulli dixeris: sed uade, teipsum ostende sacerdoti, & offer munus quod præcepit Moyses in testimoniū illis.] Attigit leprosum, o- *Leu. 14.*
stendens q; nō obnoxius sit legi quæ præcepit ne tangat leprosus, sed Dominus eius sit, & quòd mundo nihil sit immundū, & q; sancta eius caro sanctificationē cōmunicet. Fugiens aūt gloriā, iubet ut nulli dicat, sed ostendat se sacerdoti. Nam nisi sacerdos mundū pronunciasset, extra ciuitatem illi manendum fuisset. Præcepit quoq; ut offerat donū in testimonium Iudæis: hoc est, Quando me arguent ut destructorē legis, tu mihi testis eris, qui nunc iussus es à me ut offeras ea quæ in lege præcipiuntur.

At cum ipse ingressus esset Capernaū, accessit ad eum Centurio, obsecrans eum, & dicens.] Neq; hic in monte accessit, ut ne præiudicaret doctrinæ. Idem aūt hic est qui & apud Lucam. Quamuis aūt Lucas dicat q; alios miserit nuncios ad Iesum, nō *Lucæ 7.*
cōtradicit tamen Matthæo dicenti quòd per se accesserit. Verisimile enim est ipsum principiò alios misisse, deinde periculo crescente per se accessisse, ac dixisse,

Domine, puer meus decumbit domi paralyticus, grauiterq; cruciatur. Et dicit illi Iesus, Ego cum uenero, curabo eum.] Non attulit puerum in lecto, credens quòd & absentem curare posset. Quapropter

Et Centurio respondens, dixit, Domine, non sum idoneus ut sub tectum meum ingrediaris, sed tantum dic sermonem, & sanabitur puer meus. Nam & ego homo sum

Universidad de Deusto
Biblioteca

sum sub potestate, & habeo sub me milites, & dico huic, uade, & uadit: & alteri, ueni, & uenit: & seruo meo, fac hoc, & facit. Vt autem hæc audiuit Iesus, admiratus est, & dixit his qui sequebantur, Amen dico uobis, ne in Israel quidem tantam fidem inueni.] Si ego, inquit, qui regis seruus sum, militibus mihi subditis impero, tu multo magis imperare potes morti & morbis: ita ut ab hoc recedant, ad alium autem ueniant.

Morbi milites Dei. Corporales enim morbi, milites sunt & ultores Dei. Proinde admiratur Christus, & dicit quòd neq; in Israelitis tantam inuenerit fidem, quantam in hoc gentili.

Dico aũt uobis, quòd multi ab oriente & occidente uenient, & accumbent cum Abraham & Isaac & Iacob in regno cœlorum, filij uerò regni eijcientur in tenebras exteriores. illic erit ploratus, & stridor dentiũ.] Non dixit quòd multi gentiles accubituri essent, ut ne Iudæos exasperaret: sed adumbrando rem dixit, multi ab oriente & occidente. Mentionem aũt fecit Abrahæ, ostendens quòd non sit contrarius legi ueteri. Porrò dicens tenebras exteriores, monstrauit esse pœnas quasdã tolerabiliores & leuiores. Sunt enim & in supplicijs gradus. Filios aũt regni Iudæos dicit, ad

Filij regni Iudæi. quos & promissiones factæ sunt. Filius enim, inquit, primogenitus meus Israel.

Exod. 4. Et dixit Iesus Centurioni, Abi, & sicut † credisti ita fiat tibi. Et sanatus est puer eius

† credidisti in hora illa. & reuersus centurio in domũ suam, in illa hora offendit famulum suum sanum.] Declaratur ex his, quoniam si ille uerbo sanatus est, uerè etiam dictum quòd Iudæi abijciendi essent.

Et ingressus Iesus in domum Petri, uidit socrum eius decumbentem, & febricitantem, tetigitq; manum illius, & reliquit illam febris: & surrexit, ac ministrauit illis.] Intrauit in domum Petri, ut comederet: & attingens manu socrum Petri, non solum febrim extinxit, sed & sanitatem integram præstitit, ita ut receptis uiribus etiam mi-

Lucæ 4. nistrare ualeret. Scimus alioqui multo uix tempore conualescentes confirmari. Quũ alij Euangelistæ dicant quòd obsecrarint eum, & sic curata sit, Matthæus hoc breuitatis rationem habens prætermisit. Dicebam enim tibi in principio, alium dicere,

Nuptiæ uirtutibus non obsunt. quod alius omittit. Porrò disce hîc quòd nuptiæ non à uirtute prohibent: princeps enim apostolorum socrum habuit.

Vespere autem facto attulerunt ei dæmoniacos multos, & eiecit spiritus uerbo, &

Esaiæ 53. omnes malè habentes curauit, ut impleatur dictum per Esaiam prophetam dicentem, Ipse infirmitates nostras suscepit, & morbos portauit.] Vesperi & intempestiuè languidos adducebant. Ipse autem utpote misericors, curauit omnes. Deinde ne discredas quomodo tot morbos tam breui tempore curauerit, affert Esaiam testem: tametsi Propheta de peccatis hoc dicat, Matthæus autem de morbis posuit, eo quòd plerique ex peccatis accidant.

Cum uidisset aũt Iesus turbas multas circum se, iussit ut abirent in ulteriorẽ ripam.] Non erat gloriæ quæsitor, & per hoc etiam Iudæorum declinabat inuidiam.

Et cum adisset unus scriba, dixit ei, Præceptor, sequar te quócunq; ieris. Dicit ei Iesus: Vulpes foueas habent, & uolucres cœli nidos: at filius hominis non habet ubi caput reclinet.] Scribam dicit, literã legis scientem. Hic igitur ut uidit multa signa, arbitratus est ex his Iesum quæstum facere, & idcirco laborabat ut eum sequi posset, quo & ipse aliquid colligeret. Christus autem cogitationi eius occurrens, quasi in hunc modum dicit, Videris me uelle sequi ut opes colligas: non uides ne domum quidem mihi esse? Talem esse oportet & eum qui me sequitur. Hæc autem dicebat, quò persuaderet illi, ut mutatis moribus sequeretur: at ille secessit. Nonnulli uulpes & uolatilia diabolos dicunt: quasi diceret, dæmones in te habitant, unde ego in anima tua quietem non inuenio.

Alius autem ex discipulis suis dixit ei, Domine permitte mihi primũ abire ut sepeliam patrem meum. At Iesus dixit illi, Sequere me, sine mortuos sepelire mortuos suos.] Postquam quis sese tradiderit Deo, non debet denuò ad uitæ huius curas conuerti, oportet sanè & parentes uenerari, sed magis oportet uenerari Deum. Huius autem pater incredulus erat, quod manifestum ex eo quod dicit, Sine mortuos sepe-

Nota. lire mortuos suos, hoc est infideles. Si autem illi neq; patrem sepelire licuit, uæ his qui monasticen professi ad mundana regrediuntur negocia.

Et cum

A Et quum esset ingressus nauim, sequuti sunt eum discipuli sui, & ecce motus magnus factus est in mari, ita ut nauis à fluctibus operiretur: ipse uerò dormiebat.] Discipulos solos seruauit secũ, ut miraculũ uiderent. Permisit aũt tempestatem oriri, ut ad tentationes exercerentur, & ut per miraculũ firmius crederẽt. Dormiuit uerò, ut timore perculsi suam agnoscerent infirmitatem, & eum obsecrarent: propterea dicit'

Et accedentes discipuli eius, excitauerũt illum, dicentes: Domine, serua nos, perimus. Et dicit eis: Quid timidi estis, parum fidentes:] Non incredulos dicit, sed paruę fidei. Nam per hoc quod dicunt, Domine, serua nos, fidem monstrant: quod aũt dicunt, perimus, non est fidei. Illo enim simul nauigante non erat formidandũ. Vide autem q̃ exprobans eis ut timidis, ostendit timorem afferre pericula. Idcirco primũ sedat turbationem animæ illorum, & tunc soluit etiam maris tempestatem.

Tunc excitatus, increpauit uentos & mare, & facta est serenitas magna: homines uerò admirabantur, dicentes, Qualis est hic, quia uenti & mare obediunt ei:] Quod uidebatur, hominis erat, opera autem Dei.

Et quum uenisset ad ulteriorem ripam in regionem Gergesenorũ, occurrerunt ei duo dæmoniaci.] Dubitantib illis in naui qualis esset hic, quia uenti et mare obediũt ei, ueniunt dæmones præcones: quãuis tam Marcus q̃ Lucas unum dicant, habentẽ legionem. At tu intellige q̃ unus ex his duobus fuerit insignior fortè. † A seipsis aũt ad illum uenerunt.] nemo enim illos adducere audebat: tam crudeles erant. *Marci 5. Lucæ 8.* † à seipso autem ad illos uit.

E' monumentis egressi, erant autem sæui supra modum, ita ut nemo posset transire per uiam illam.] In monumentis uersabanť. Dæmones dogma quoddã instituere uolebant, quòd animæ mortuorum fiant dæmones. quod nemo credere debet. Anima enim egressa, in mundo non errat. Iustorũ enim animæ in manu Dei sunt: peccatorum uerò & ipsæ hinc abducuntur, ut anima diuitis. *Apparitiones animarum falsæ. Sap. 3. Lucæ 16.*

Et ecce clamabãt dicentes, Quid nobis & tibi Iesu fili Dei? Venisti huc ante tempus ut torqueas nos?] Ecce filium Dei prædicant, prius confitentes inimicitias. Tor-
B mentũ autem & cruciatum putant, si non permittantur lædere homines. Quod aũt dicit, ante tempus, intellige quod existimabant Christũ non ferentem immensas ipsorum malitias, non expectaturum tempus suppliciorum: id quod non est: nam usq; ad consummationem mundi sinuntur certare nobiscum.

Erat autem procul ab illis grex porcorũ multorum pascens: dæmones autem rogabant eum dicentes, Si eijcis nos, permitte nobis ut eamus in gregem porcorũ. Et ait illis' Abite. Illi uerò egressi abierunt in gregem porcorum.] Dæmones petunt, ut uel suffocatis porcis contristent dominos illorum, ut ne Christum susciperent. Christus autem concedit dæmonibus: monstrans qua amaritudine & odio erga homines ferantur, & si potestas eis daretur, & non prohiberentur, peius nos quàm porcos illos affligerent. Ipse enim custodit dæmoniacos, ne seipsos occidant. *Dæmonum in homines sæuitia.*

Et ecce ferebatur totus grex porcorũ per præceps in mare, & perierunt in aquis. Porrò qui pascebant, aufugerunt, & digressi in ciuitatem, renunciauerũt omnia, & quid accidisset dæmoniacis. Et ecce tota ciuitas exiuit in occursum Iesu: & quum uidissent illum, rogabant ut decederet à finibus suis.] Tristitia affecti erant, & existimabant se grauius quiddã passuros, & ideo deprecabantur eum. Tu autem disce quòd ubi est uita porcina, ibi non manet Christus, sed diabolus.

CAPVT IX.

ET ingressus nauem, traiecit ac uenit in suam ciuitatem. Et ecce adduxerunt illi paralyticũ in lecto decumbentem.] Suam ciuitatem Capernaũ dicit, illic enim habitabat: Bethlehem enim peperit, Nazareth educauit, Capernaum præbuit domicilium. Paralyticus autem iste alius est quàm is qui apud Ioannem. Ille enim erat in Probatica piscina in Hierusalem, hic autem in Capernaum. Et ille quidem non habuit hominem, hic autem à quatuor portatur, sicut Marcus dicit, & per tectum demittitur: quod à Matthæo prætermissum. *Ioan. 5. Lucæ 2. Matth 2. Mar. 2.*

Quumq; uidisset Iesus fidem illorum.] aut eorum qui adferebant. Siquidem frequenter propter adferentium fidem miracula facit: aut illius etiam ipsius.

Dixit paralytico, Confide fili: remittuntur tibi peccata tua.] Filium uocat, uel ut

Universidad de Deusto
Biblioteca

creaturam Dei, uel ut eum qui crediderat, declarans autem quòd paralysis ex peccatis esset, primùm peccata soluit. A

Et ecce scribæ quidam dixerũt intra semetipsos: Hic blasphemat. Et ut uidit Iesus cogitationes illorum, dixit, Vt quid uos mala cogitatis in cordibus uestris? Quid enim est facilius dictu, Remittuntur tibi peccata tua; an dicere, Surge et ambula? Vel ex hoc q̃ cogitationes rescisit, ostendit se Deũ. Arguit igitur eos fermè sic dicens, Vos quidem putatis me blasphemũ, eo q̃ pollicear me remittere peccata, id quod magnũ quidem est. Videtur autem uobis quòd ego per hoc effugiũ quæram, ut non reprehendar. Ego igitur & ex corporis cura fidem uobis facio quòd animas sanem. Per rem minorem quidem, sed quæ difficilior uideatur, confirmans & peccatorũ remissionem, quę magna quidem est, sed facilior uobis uidetur, eo quòd minus appareat.

Vt autem sciatis quòd potestatem habeat filius hominis super terrã remittere peccata, tunc dicit paralytico, Surge, & tolle lectum tuum, & uade in domum tuam. Surrexitq̃ ille, & abijt in domum suam. Et cum uidissent turbæ, admiratæ sunt, & glorificauerunt Deum, qui dedit hominibus potestatem talem.] Iniunxit ei ut lectum gestaret, ut ne phantasia uideatur, & ut turbæ simul uideant miraculũ, maximũ quidem omnium existimabant, purum tamen hominem.

Et præteriens Iesus illinc, uidit hominem sedentem in telonio, qui Matthęus dicebatur: & dicit illi Sequere me. Et surrexit, ac secutus est eum.] Non post Petrum &
Act. 9. Ioannem hunc uocauit, sed quando uidit obtemperaturũ. Sic & Paulũ uocauit post ea suo tempore. Admirare aũt Euangelistã, quomodo uitam suam inuulgat, alij aũt
Luc. 5. v. 2. nomẽ eius occultarũt eum appellãtes Leui. Dei aũt opus fuit, solo uerbo eũ cõuerti.

Et factũ est illo recumbente in domo, ecce multi publicani & peccatores uenerũt, & recubuerunt cum Iesu et discipulis eius. Et cum uidissent pharisæi, dixerũt discipulis eius, Cur cum publicanis & peccatoribus sumit cibũ præceptor uester?] Gaudens Matthæus quòd ad se diuertisset Iesus, publicanos alios uocauit. Christus autẽ simul uescebatur cum eis, ut eis prodesset, tametsi propter hoc malè audiret. Pharisæi enim B uolentes discipulos ab eo auellere, accusabant publicanorum conuiuium.

Iesus ubi audiuit dixit illis, Nõ opus habent ij qui ualent, medico, sed male habẽ-
Osee 6. tes. Ite autem, & discite quid sit, Misericordiam uolo, & non sacrificium. Non enim ueni uocare iustos, sed peccatores ad pœnitentiã.] Non ueni, inquit, nunc tanquam iudex, sed medicus: unde & fœtorem fero. Arguit autem illos ut imperitos, dicens, Ite, & discite, hoc est, quia hactenus non didicistis, uel saltem nunc ite & discite, quòd Deus maioris facit misericordiam in peccatores, quàm sacrificium. Quod autem dicit, Non ueni uocare iustos: per ironiam dicit, hoc est, uos, qui iustificatis uosmetipsos: quia nullus hominum erat iustus, sed peccatores, non ut maneant peccatores, sed ad pœnitentiam.

Tunc accedũt eum discipuli Ioannis, dicentes, Quare nos & Pharisæi ieiunamus frequenter, discipuli aũt tui non ieiunant?] Discipuli Ioannis inuident gloriæ Christi, & reprehendũt eum non ieiunantem. Dubitabant eñ quomodo uincerent absq; corporis castigatione affectiones, id quod Ioannes non potuit. Ignorabant enim q̃ Ioannes homo esset purus, & uirtute iustus: Christus autẽ uirtus ipsa, utpote Deus.

Dixit igitur illis Iesus: Num possunt filij thalami lugere quãdiu cum eis est sponsus? Venient autem dies cum auferetur ab eis sponsus, & tunc ieiunabunt.] Præsens,
Sponsus Christus. inquit, tempus, tempus gaudij est, quãdiu cum discipulis sum. Spõsum enim seipsum uocat, quòd cooptet sibi nouã congregationem, hoc est ecclesiam: mortua ueteri, hoc est synagoga. Filios autem thalami, apostolos uocat. Tempus uerò ieiunij, cum ego passus fuero, & assumptus in cœlum. Ieiunabunt fame & siti, persecutionem patientes. Ostendit autem quàm imperfecti sint discipuli: & dicit,

Nullus immittit assumentũ panni rudis in ueste ueteri: tollit enim supplementum illius à uestimento, peiorq̃ fit ruptura. Necq̃ mittũt uinum nouum in utres ueteres:
Non inium genda dura discipulis. alioquí rumpuntur utres, & uinum effunditur, & utres pereunt: sed mittunt uinum nouum in utres nouos, & utraq̃ simul seruantur.] Nondum, inquit, facti sunt discipuli fortes. sed opus habent indulgentia, necq̃ grauis moles illis imponenda mandatorum-

A torum. Hęc autem dicebat, docens & discipulos, ut & ipsi docturi orbem, indulgentes sint. Pannus enim rudis ieiunium est, & uinum nouum: uestis autem uetus & utres, infirmitas discipulorum.

Quū hæc illis loqueret, ecce princeps quidā accessit, & adorauit eum dicens, Filia mea modo defuncta est: sed ueni, & pone manū tuam super eam, & uiuet. Surgensq; Iesus secutus est eum, & discipuli eius.] Videtur ille fidem habere, quanuis non magnam. Obsecrat enim Iesum, non ut solum uerbum dicat, sed & ut ueniat, & manū imponat. Defunctam autem esse dicit filiam, quanuis apud Lucam dicatur nōdum *Luc. 8.* defuncta. dicit autem uelut coniectans, eò q; reliquerat eam iam extremū exhalantē spiritum: uel ut augens calamitatem, quò ad misericordiam prouocaret Christum.

Et ecce mulier quæ sanguinis pfluuio laborauerat annis 12. accessit à tergo, & tetigit fimbriā uestimenti eius. dicebat enim intra semetipsam: Si tantum tetigero uestem eius, salua ero. Iesus autem cōuersus, ut uidit illam, dixit, Confide filia. fides tua saluam te fecit. Et salua facta fuit mulier ex hora illa.] Mulier hæc quoniam ob morbum immūda erat, non accessit manifestè, uerita ne fortè q̄ pacto prohiberet. Quanuis aūt putabat se posse latēre, ueruntamen sperauit se sanitatem assecuturā, si tantū summā eius uestem contingeret, quæ per fimbriam significatur. At Saluator prodit eam, non ut amans gloriæ, sed ut fidem illius ad nostram utilitatem declararet, & ut in fide roboraretur etiam archisynagogus. Confide autem dicit ei, eo quòd timida erat, quia furtim donū acceperat. Et filiam uocat, ut fidelē. Ostendit item quòd nisi habuisset fidem, neutiquā recepisset beneficium, quanuis sanctas contigisset uestes. Dicunt aūt quòd statuam seruatoris fecerit, ad cuius pedes nascat herba quæ profluuio sanguinis laborantibus medeatur, quam Iuliani temporibus impij contriuerūt.

Et cum uenisset Iesus in domum principis, & uidisset tibicines, & turbam tumultuantem, dicit illis, Secedite, non enim mortua est adolescentula, sed dormit. & deridebant illum.] Quoniam nondū nupta erat, deflebant eam nuptialibus tibijs, secun-
B dum legem hoc facientes. Dormire autem dicit illam, eo quòd apud se mors somnus esset: ualebat enim facilè suscitare. Cæterū quòd deriserunt eum, ne mireris: nam testimonium amplius dant miraculo, quòd uerè mortuā suscitarit. Ne quis enim diceret quòd in excessu quodam esset, idcirco in confesso erat apud omnes eius mors.

Vbi autem eiecta est turba, ingressus est, & tenuit manum illius: & surrexit adolescentula. Et emanauit fama illa in totam terram illam.] Vbi turba est & tumultuatio, non operatur miracula Iesus. Tenet autem manum, uirtutem illi dans. Et tu si mortuus fueris peccatis, tunc surges quando apprehendet manum tuam, ita ut opereris eiecta turba, & tumultatione sedata.

Et cum discessisset illinc Iesus, secuti sunt illum duo cæci, clamantes, & dicentes, Miserere nostri fili Dauid.] Cæci ut Deo dicebant, miserere: ut homini autem dicebant, fili Dauid. Celebre enim erat apud Iudæos, Messiam è semine Dauid uenturū.

At cum uenisset in ędes, adierunt illum cæci. Et dicit illis Iesus, Creditis quòd possim hoc facere? dicunt illi, Etiam Domine.] Trahit secum cæcos usq; in domum, ut monstret solidam illorum fidem, & condemnet Iudæos. Interrogat autem eos an credant, ostendens fidem omnia perficere.

Tunc tetigit oculos illorum, dicens, Secundum uestram fidem fiat uobis. Et aperti sunt illorū oculi.] In domo seorsim curat, ut uitetur inanis gloria. Per omnia enim docet modestiam & humilitatem mentis.

Et interminatus est illis Iesus, dicens, Videte ne quis sciat. Illi autē ut egressi sunt, diffamauerunt illum in tota terra illa.] Vides quomodo fastū fugerit. Illi uerò non ut inobedientes, sed ut grati diuulgauerunt. Quanuis autem alicubi dicere uidetur, Abi, & narra gloriam Dei, non est huic contrarium: uult enim eos de seipso quidem *Luc. 8.* nihil dicere, sed narrare gloriam Dei apud alios. Quum aūt illi egrederentur, adduxerunt illi hominem mutum & dæmoniacum, & eiecto dæmonio loquutus est mutus.] Non erat morbus naturalis, sed à dæmone immissus: propterea & alij adducūt illum, nō enim per seipsum orare poterat, quia dęmon eius linguam uinxerat: unde neq; fidem exigit, sed statim curat, eiecto dæmone mutum loqui prohibente.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Et admiratæ sunt turbæ, dicentes, Nunquam apparuit sic in Israel.] Admiratæ A turbæ, Christum & prophetis & patriarchis præposuerunt, nam potestate sua curabat, non sicut illi precantes. Videamus autem & pharisæos quid dicant.

Pharisæi aũt dicebant: In principe dæmoniorum eijcit dæmonia.] Sũmæ stultitię sermones illi sunt. nullus enim dæmon eijcit dęmonem. Esto aũt ꝙ dæmones eijciat † uti dęmonũ principi seruientes dæmonũ principi,] morbos igitur & peccata quomodo soluebat, & regnũ Dei prædicabat? nã dæmon cõtrario modo morbos auget, & à Deo saparat.

† uti dęmonũ principi seruiẽs, aut magicã exercens

Et circumibat Iesus ciuitates omnes ac uicos, docẽs in synagogis illorũ, & prędicans euangeliũ regni, & sanans omnẽ morbũ ac omnẽ languorẽ in populo.] Quoniã misericors est, nõ expectat illos ad se ueniẽtes: sed ipse circuit ne habeãt excusationẽ ꝙ nullus illos docuerit, opere & sermone trahit eos docẽs, & miracula faciẽs.

Cum uidisset autem turbas, misericordię affectu motus est erga illos, quòd essent destituti ac dispersi uelut oues non habentes pastorem.] Non habebant postorem, eo quòd principes illorũ non solum non corrrigebant, sed & nocebant. Veri enim pastoris est, erga gregem misericordia affici.

Tunc dicit discipulis suis, Messis quidem multa, operarij autem pauci: rogate igitur dominum messis, ut extrudat operarios in messem suam.] Messem uocat multitudinem quæ curatione opus habebat. operarios autem eos, qui docere debebant, quales tunc non erant in Israel. Dominus autem messis, ipse est Christus, Dominus apostolorum & prophetarum. Manifestum autem hoc ex eo, quòd ordinauit apostolos non petendo Deum. Audi enim:

CAPVT X.

ET accersitis duodecim discipulis suis, dedit eis potestatem super spiritus immũdos, ita ut ipsos eijcerent, & sanarent quenuis morbũ, & quenuis languorem.] Duodecim discipulos eligit iuxta numerũ 12. tribuũ, uirtutemq; illis tradidit, quanuis pauci essent, ac emisit. Pauci enim per angustam portam transeunt. dedit enim eis faciendi miracula uirtutem, ut per miracula in admirationem adducerent, & magis obtemperantes doctrinæ habeant auditores. B

Duodecim autem apostolorum nomina sunt hæc: primus Simon qui dicitur Petrus, & Andreas frater eius.] Enumerat autem apostolorum nomina, propter pseudoapostolos. Præponit autem Petrum & Andream, quoniam & primùm erant uocati. Deinde ponens filios Zebedæi, præponit Iacobum Ioanni, non propter dignitatem, sed quia ita acciderat. Dicit igitur,

Iacobus Zebedæi filius, & Ioannes frater eius. Philippus & Bartholomæus, Thomas & Matthæus publicanus, Iacobus Alphæi, & Lebbęus cognomẽto Thaddæus. Simon Cananęus, & Iudas Iscariotes, qui & tradidit illũ.] Vide humilitatẽ Matthæi, quomodo se post Thomã ordinarit. Ad Iudã aũt cum uenisset, nõ dixit, pollutus ille, inimicus ille Dei, sed Iscariotẽ illum à patria nominauit. Erat enim & alius Iudas, qui & Lebbęus & Thaddæus dicebat. Duo igit̃ Iacobi, nempe unus Zebedæi, alter Alphæi: & duo Iudæ, Thaddæus unus, & alter proditor. Tres aũt Simones, Simon scilicet Petrus, & Cananęus, & proditor. Simon enim Iudas Iscariotes dicebatur.

Hos duodecim emisit Iesus, & præcepit eis dicens, In uiam gentiũ ne abieritis, et in† ciuitates) Samaritanorũ ne ingrediamini: sed ite potius ad oues perditas domus Israel. Proficiscentes autem prædicate dicentes, Appropinquauit regnum cœlorũ.] Hos, quales? piscatores, uulgares, publicanos. Primùm autem misit ad Iudęos, ne dicere queant, Quoniam ad gentiles missi fuerunt, idcirco nos Iudæi iure non credidimus. Destituit igitur Iudæos omni excusatione. Coniungit autem Samaritanos gentilibus, quoniã Babylonij erant, & in Iudæa domicilium habebant, prophetasq; non recipiebant, sed tantũmodo quinq; libros Moysi. Porrò per regnum cœlorum, futurorum intellige fruitionem. Armat autem eos miraculis, dicens,

† ciuitatẽ

Samaritani Babylonij.

Infirmos sanate, leprosos mũdate, dæmones eijcite. Gratis accepistis, gratis date.] Nihil tam decet doctorem, quàm humilitas, & diuitiarum contemptus. Duo igitur hæc hoc loco docet dicens, Gratis accepistis, ne superbirent, quòd talia dona & haberent, & darent. Gratis enim & per gratiam talia accepistis, sed cum humilitate

A & diuitiarum estote contemptores. Gratis enim, inquit, date. Et ut perfectius malorum omnium radix extirpetur, inquit'

Non possideatis aurũ, neq; argentũ, neq; æs in zonis uestris, neq; peram ad iter, neq; duas tunicas, neq; calceamenta, neq; uirgam. dignus enim est operarius suo cibo.] Magno studio eos exercet, & propterea omnia ab his superflua aufert, & curas eis adimit. Nam neq; uirgã eos habere sinit, quod exactæ paupertatis est: & dignos fide facit eos, qui paupertatẽ doceãt. Deinde ne dicãt, q̃modo educabimur? inquit, Dignus est operarius cibo suo, hoc est à discipulis pascemini. Debebũt enim hoc uobis ut operarijs. Dixit autem cibo, nõ luxu. Neq; enim deliciari oportet doctorem.

In quancunq; ciuitatem uel uicũ fueritis ingressi, exquirite quis in ea dignus sit: atq; illic manete, donec exeatis.] Non ad omnes iussit ire, ne mixti indignis, arguantur. Nam si ad solos dignos ierint, omnino & pascentur. Iubet autem manere, & nõ de domo in domũ ire, ne tanquam gulosi male audiant, & uideantur primos qui susceperant, iniuria afficere.

Cum aũt intrabitis domũ, salutabitis illam dicentes, Pax huic domui. & si quidem fuerit domus digna, ueniat pax uestra supra illam: sin minus fuerit digna, pax uestra ad uos reuertatur. Per salutationem & pacem, benedictionem intellige: quę apud solos dignos manet. Disce igitur hoc loco quòd nostra maximè opera nos benedicãt.

Et quicunq; non exceperit uos, neq; audierit sermones uestros, exeuntes ex ædibus aut ciuitate illa, excutite puluerem pedum uestrorum. Amen dico uobis, tolerabilius erit terræ Sodomorum & Gomorrhæorum in die iudicij, q̃ ciuitati illi.] Excutere uult puluerem, mõstrantes quòd nihil illinc acceperint propter duritiam illorũ qui persuaderi non potuerunt, uel quòd testantur se illorum nomine magnum iter confeciſſe, nihilq; illis profuisse. Tolerabilius igitur erit Sodomis quàm incredulis, eo quòd Sodomitæ hic puniti, alibi mitius punientur.

Ecce ego mitto uos sicut oues in medio luporum.] Armauerat eos miraculis, de ci
B bis bonam fiduciam illis fecerat apertis dignorum ianuis. Dicit nunc & grauia quæ euentura erant, suam præscientiã manifestans. Consolatur aũt per hoc quod dicit, ego. Ego, inquit, potẽs ille: et proinde fidite: inuicti enim eritis. Instruit autem eos ad passionem. Nam sicut impossibile est oues in medio luporum nihil pati, ita & uos inter Iudæos, uerùm licet patiamini, ne succenseatis. Volo enim uos mãsuetos esse, sicut oues, & sic magis uincere.

Estote igitur prudentes sicut serpentes, & simplices uelut columbæ.] Vult discipu *Prudentiã*
los etiam prudentes esse. Idcirco cum audieris Christianos dici oues, nõ intelligas q̃ *serpentis,*
oporteat eos stupidos esse. nã & prudentes oportet esse, & scire quomodo uersandũ *& simplici-*
sit in medio multorũ inimicorum. Sicut enim serpens totum corpus obijcit ut per- *tas colũbæ.*
cutiatur, caput autem seruat: ita & Christianus, inquit, omnia sua det, atq; etiam corpus suum, percutientibus: caput aũt quod est Christus, & fidẽ in illum seruet. Et sicut serpens in angustam quandam cauernã circumgyrat se, & transiens pellem ueterem expoliat: ita & nos per angustã uiam incedamus, ut ueterem exuamus hominẽ. Verumtamen quia & serpens nociuus est, iubet nos simplices esse, hoc est synceros, & absq; malitia, nullumq; offendentes, sicut columbę. Illæ enim cum auferuntur eis fœtus, & persecutionem patiunt̃, rursus ad dominos suos reuertuntur. Esto igitur prudens sicut serpens, ita ut ne deridearis ob uitam ab alijs, sed omnia tua citra labem perficias. Erga alios aũt ne illis noceas, sis uelut columba, hoc est neutiq; malignus.

Cauete aũt ab hominibus. tradent enim uos in concilia, et in synagogis suis flagellabunt uos, & ad duces & reges ducemini propter me in testimonium ipsis ac gentibus.] Vides hoc esse prudentis, cauere, & non dare occasionẽ uolentib. persequi, sed prudenter agere res nostras. Si pecuniã uoluerit qui persequitur, da: si honorẽ, permitte, ut ne occasionem habeat: si autẽ fidem aufert, custodi tuum caput. Nõ autem discipulos missurus erat ad Iudæos solũ, sed etiam ad gentes: idcirco dicit, In testimoniũ ipsis & gentibus, hoc est, in notam & in reprehensionem eorũ qui non credũt.

At cum tradiderint uos, ne sitis soliciti quomodo aut quid loquamini: dabitur enim uobis in illa hora quid loquamini. Non enim uos estis illi loquentes, sed spiri-

tus patri uestris qui loquit in uobis.] Ne dicant, quomodo psuadere poterimus idio A
tæ sapientia præditos: iubet bene sperare, & solicitudinē deponere. nā cum inter fide
les loquendū, dignū est ut præmeditemur, & parati simus ad defensionē quēadmodū
Petrus admonet. Inter turbas aūt & reges insanientes, suū promittit robur, ne timea-
mus. Nostrum est enim confiteri: sapienter autem respondere, Dei. Et ne suspiceris
naturalem esse in defendendo idoneitatem, inquit, Nō uos loquimini, sed spiritus.

Tradet autem frater fratrem in mortem, & pater filium, & insurgent filij aduersus
parentes, & morte afficiēt eos.] Prædicit eis euentura, ne turbentur cum acciderint.
Ostendit autem & prędicationis uim, quomodo naturam ipsam contemnere faciat.
Hic enim Christianismus est, & insaniam illorum interim manifestat, quòd neq; fa-
miliaribus parcunt.

Et eritis odio habiti ab omnibus propter nomen meum. Qui autem perseueraue-
rit usq; in finem, hic saluus erit.] Ab omnibus, hoc est à multis. Non enim omnes il-
los odio persequebantur: nam nonnulli & fidem acceperant. Qui autem usq; in fi-
nem perseuerauerit, & non solum inceperit, ille æternæ uitæ particeps erit.

Cum aūt uos fuerint persecuti in ciuitate hac, fugite in aliā. Amen dico uobis, non
perambulaueritis omnes ciuitates Israel, donec ueniat filius hominis.] Quæ suprà
dicta sunt, terribilia erant: ut q; tradent uos, & eritis odio, & post eius ascensionem fu
tura erant: quod autem nunc, dicitur de his quæ ante crucem. Non enim perambu-
laueritis ciuitates Israel in persecutionibus, & statim ueniā ad uos. Iubet autem fuge
re eum qui persecutionem patitur. Enimuero temere se in periculum inijcere, & au
thorem fieri condemnationis homicidis, & damno esse his quibus per prædicatio-
nem prodesse poterat, diabolicum est. Donec ueniat filius hominis, non de secundo
aduentu intelligas, sed de conuentu & consolatione ante crucem. Missi enim ad præ
dicandum, iterum ad eum redierunt, & cum eo conuersati sunt.

Non est discipulus supra præceptorē, neq; seruus supra dīnm suum: sufficit em di B
scipulo ut sit sicut præceptor suus, & ut seruus sit sicut dīns suus.] Docet hoc loco fe-
rendas iniurias. Nam si ego præceptor & Dominus sustinui, multo magis uos disci-
puli & serui. Interrogas autem quomodo dicit, Non est discipulus supra præcepto-
rem, cum uideamus multos discipulos præceptorib. antecellere? Intellige igit quòd
donec fuerint discipuli, minores erūt pręceptoribus. quòd si præstantiores fuerint, non
erunt iam discipuli: sic & seruus quandiu est seruus, non erit supra dominū suum.

Si ipsum patremfamiliās uocauerunt Beelzebul, quanto magis domesticos illius?
Ne igitur timeatis eos: nihil enim est tectum, quod non sit retegendum: & nihil oc-
cultum quin futurum ut sciatur.] Consolationem accipite à me. Si enim me princi-
pem dęmoniorū uocauerunt, quid graue si & uos familiares meos conuicijs taxent?
Domesticos uocauit, nō autem seruos, suam erga illos declarans familiaritatem. Sed
confidite, ueritas non occultabitur, sed tempus reuelabit & uestram uirtutem, & con
uiciatorum malitiam. Nihil enim est occultum, quod non sciatur. Licet igitur nunc
traducant, tamen postea uos etiam claros reddent.

Quod dico uobis in tenebris, hoc dicite in luce: & quod in aurem auditis, prædica
te in tectis.] Id quod seorsum dixi uobis, & in uno loco (hoc est enim in aurem, & in
tenebris) fidenter docete, & magna uoce, ita ut omnes uos audiant. Quia autem di-
cendi libertatem & pericula sequuntur, subdit.

Et ne timeatis ab his qui occidunt corpus, animam aūt nō possunt occidere: time
te autem magis eum qui potest & animam & corpus perdere in gehennam.] Docet
& mortem contemnendam. Terribilius enim, inquit, gehennæ supplicium est. Qui
enim occidunt, solum corpus destruūt, animę autem fortassis benefaciunt. Deus aūt
in gehennam proijciens, & animam & corpus punit. Gehennam autem cum dicit,
significat perpetuam pœnam. Gehenna enim dicitur à semper nascendo.

Nónne duo passeres minuto asse ueneunt? & unus ex illis non cadet in terrā sine
patre uestro. Vestri uerò etiā pili capitis omnes numerati sunt. ne igit metuatis, mul-
tis passeribus præstatis uos.] Ne sicut derelicti turbarent, inquit, Si neq; passer igno-
rante me capitur, quomodo uos quos amo, derelinquam? Euidentem aūt scientiam

&

A & prudentiã indicans, dicit capillos noſtros numeratos eſſe. Ne putes igitur q̃ opus ſit operãte Deo ut illaqueent̃ paſſeres: ſed q̃ nec̃ illorum aucupiũ à Deo ignoretur.

Omnis igitur qui confitebit̃ in me coram hominibus, confitebor & ego illum coram patre meo qui eſt in cœlis. Porrò quiſquis negauerit me coram hominibus, negabo eum & ego coram patre meo qui eſt in cœlis.] Ad martyriũ & teſtificationem adhortatur: nõ ſufficit enim fides in ſola anima, ſed uult & per eos cõfiteri nos Deus. Non dixit autem, qui confitebitur me, ſed in me, hoc eſt, in mea uirtute. Nam qui confitetur, ſuperna uirtute adiutus confitetur. Poſtea de negante non dixit in me, ſed me: oſtendens q̃ non habens ſupernũ auxilium, negat. Omnis ergo qui confitetur quòd Deus eſt Chriſtus, inueniet Chriſtum confitentem de ſe patri quòd fidelis ſit ſeruus. Qui autem negauerint, audient: Neſcio uos.

Ne putetis quòd uenerim ut mittã pacem ſuper terram: non ueni ut mitterem pacem, ſed gladium. Veni enim ut diſsidere faciam hominem aduerſus patrem ſuũ, & filiam aduerſus matrem ſuam, & ſponſam aduerſus ſocrum ſuam: et inimici hominis erunt familiares eius.] Nõ ubiq̃ bona eſt cõcordia: ſed bonũ quandoq̃ eſt et diſsidiũ. Gladius igitur eſt ſermo fidei, qui nos auellit à conſuetudine familiarium & cognatorum ad pietatem impedientiũ. Non enim ſimpliciter dicit ut ab his ſequeſtremur & diſsideamus: ſed dum non conducunt, & impediunt † à ſalute. †fide

Qui amat patrem uel matrem ultra me, non eſt me dignus: & qui amat filium uel filiam ultra me, nõ eſt me dignus.] Vides quòd tunc oportet nos odio habere parentes & filios, quando uolunt † nos à Chriſto magis auellere.] Et quid dico patrem & matrem & filios: quod maius eſt, audi. † à nobis ſupra Chriſtum amari

Et qui non accipit crucem ſuam, ac ſequitur me, non eſt me dignus.] Quiſquis (inquit) non renunciauerit præſenti uitæ, & tradiderit ſe in mortem contemptibilem (hoc enim priſci crucem uocabant) nõ eſt me dignus. Quoniam multi ut fures & latrones crucifiguntur, appoſuit: Et ſequitur me, hoc eſt, iuxta leges meas uiuit. *Crux.*

B Qui inuenerit animã ſuam, perditurus eſt eam: & qui perdiderit animã ſuã mea cauſa, inueniet eam.] Inuenire uidet̃ animã ſuam, qui uitam quæ in carne eſt, cuſtodit: ſed perdit eam, quia mittit in æternũ ſupplicium. Qui autem perdit animã ſuam, & moritur, non ut latro uel ſeipſum ſtrangulans, ſed propter Chriſtũ, ille ſeruat eam.

Qui recipit uos, me recipit: & q̃ me recipit, recipit eum qui miſit me. Qui recipit prophetam in nomine prophetæ, mercedem prophetæ accipiet. Et qui recipit iuſtũ in nomine iuſti, mercedem iuſti accipiet.] Excitat nos ut ſuſcipiamus eos qui à Chriſto mittuntur. Nam qui diſcipulos ſuſcipit, ipſum ueneratur, & propter illum etiam patrem. Oportet autem ſuſcipere iuſtos & prophetas in nomine iuſti & prophetæ, hoc eſt, quia iuſti ſunt & prophetæ, non propter præfecturam & ſubſidium à regib. Quod ſi quis fortè & prophetæ figuram gerat, opere autem non idem præſtat, tuq̃ ut prophetã ipſum ſuſceperis: & Deus, quaſi iuſtũ ſuſcepiſſes, tibi retribuet. hoc enim ſignat, mercedem iuſti accipiet. Vel etiam aliter intelligas quòd iuſtus exiſtimetur etiam ille qui ſuſcipit, & accipiat mercedem quam iuſti capiunt.

Et quicunq̃ potauerit unum ex puſillis iſtis poculo frigidæ aquæ tantum nomine diſcipuli, amen dico uobis, nõ perditurus eſt mercedem ſuam.] Ne paupertatẽ quis prætexat, dicit q̃ etſi poculum aquæ frigidæ des eo q̃ ille meus diſcipulus ſit, & huius accipies mercedem. Poculum autem aquæ frigidæ dat & qui docet quempiam flagrantem igne iracundiæ uel concupiſcentiarum, & facit eum nominari diſcipulum Chriſti, nec hic perdet mercedem ſuam.

CAPVT XI.

ET factum eſt cum finem feciſſet Ieſus mandandi duodecim diſcipulis ſuis: progreſſus eſt illinc ut doceret & prædicaret in ciuitatibus illorum.] Miſsis diſcipulis ipſe ceſſat facere miracula, & ſolum docebat in ſynagogis. Nam ſi ipſe præſens curaſſet, nulli tunc acceſsiſſent diſcipulos. ut igitur & illi habeant locum ſanandi, ipſe progreſſus eſt.

Ioannes autem cum audiſſet in carcere facta Chriſti miſsis duobus diſcipulis ſuis, dixit illi, Tu es qui uenturus es, an aliũ expectamus?] Non interrogat Ioannes quaſi ignorans Chriſtũ. Nam quo pacto ignoraret, cum teſtatus ſit, Ecce agnus Dei? Ve-

Universidad de Deusto
Biblioteca

rùm quia discipuli eius inuidebant Christo, ut plurib. argumentis certiores eos red- A
deret: propter hoc mittit eos, ut uel uisis miraculis credant Christū Ioanne maiorem
esse: & idcirco fingit se rogare, Tu es qui uenturus es? hoc est, qui expectatur in scri-
pturis in carne uenturus. Nonnulli autem dicunt, ꝙ quum dixerit uenturum, inter-
rogauit de descensu ad inferos, quasi ignoret Ioannes, & dicat, Es tu ille qui ad in-
fernum uenturus est, an alium expectamus? Hoc autem friuolū fuerit dicere. Quum
enim prophetis alijs excellentior fuerit Ioannes, quomodo crucifixionem Christi &
eius ad inferos descensum ignorasset, præsertim cum Christum agnū nominarit, eo
ꝙ pro nobis immolādus erat? Sciebat igitur Ioannes ꝙ ad infernum uenturus esset
Dominus cum anima, ut & illic saluaret (sicut dicit Gregorius theologus) omnes q
Gregorius theologus. †credituri erant ꝙ ꝓ nobis incarnatus esset. Et non sicut ignorās rogat, sed sicut uolēs
†si in dieb. ipsorū fuisset incarnatus copiosis testimonijs discipulos suos docere de Christo ob miraculorū operationem.
Vide enim & Christum quid dicat ad hanc interrogationem.

Respondit autem Iesus, & dixit eis, Ite & renunciate Ioanni ea quæ auditis & uidetis: Cæci uident, & claudi ambulant: leprosi mundantur, & surdi audiunt: mortui excitantur, & pauperes euangelizantur. Et beatus est quisquis non fuerit offensus per me.] Nō dixit, annunciate Ioanni, Ego sum qui uenturus sum: sed ut sciens ꝙ Ioannes hac de causa discipulos misisset, ut uideant miracula, inquit: Quæ uidetis, annūciate Ioāni, & omnino ille accepta occasione hac amplius de me uobis testimoniū perhibebit. Pauperes autem qui euangelizantur, intellige uel apostolos Euangeliū prædicantes (pauperes enim erant, & piscatores, & ut priuati contemptibiles) uel auditores Euangelij, de cœlestibus bonis audientes. Ostendens autem discipulis Ioannis quòd non laterent eum quæ cogitabant, dicit, Beatus qui non offensus fuerit in me. nam ipsi multum de eo dubitabant.

Illis autem euntibus, cœpit Iesus dicere turbis de Ioanne, Quid exiuistis in desertum ut uideretis? Num arundinem quæ agitatur à uento?] Fortassis turbæ ut audierunt Ioannis interrogationem, offensæ sunt, ne fortè & Ioannes de Christo dubitasset, & sic facile mutasset sententiā, quanuis prius testificatus fuisset de Christo. Hanc igitur suspicionem è medio tollens Christus, inquit: Nō est Ioannes arundo, hoc est, inconstans & uarius. Nam si talis esset, quare exiuistis ad eum in desertum? Non enim ad arundinem, hoc est facile mutabilem hominem exiuissetis, uerū sicut ad magnū & constantem hominem exiuistis. Proinde talis manet, qualem eum iudicastis. B

Sed quid existis ut uideretis? hominem mollibus uestimentis indutum? Ecce qui mollia gestant, in domibus regū sunt.] Nam ne dicere possint, quòd delicijs postea seruiens factus sit remissus, inquit, Non. Vestis enim eius ex pilis erat, & ostendebat à delicijs alienum. Si enim mollia gestasset, in regum domibus uersatus esset, & non
Nota. in carcere, si delicias fuisset sectatus. Disce igitur quòd non oportet probum Christianum mollia gestare.

At quid existis uidere? prophetam? Etiam dico uobis, & excellentiorem prophetā.] Excellentior cūctis propheta est Ioannes, propterea ꝙ alij prophetæ futura de Christo tantum prædixerunt, hic autem oculatus fuit testis, quod sanè magnū est. Ad hęc, alij quidem posteaquā nati fuerint prophetarunt. hic uerò in matris adhuc utero Christum agnouit, & exultauit.

Hic est enim de quo scriptum est, Ecce ego mitto angelum meum ante faciem tuam, qui præparaturus est uiam tuam ante te.] Angelus uocatus est & propter angelicam uitam, ac fermè materiæ expertem, & propter hoc ꝙ nunciauit prædicauitq; Christum. Præparauit aūt uiam Christi, quasi testificans de eo, & quasi baptizans in pœnitentiam. Nam post pœnitentiam remissio peccatorum, quam remissionem Christus dat. Hæc autem dixit Christus postquam à se abierant discipuli Ioannis, ne
Malac. 3. uideatur ei adulari. Vaticinium autem, dictum Malachiæ est.
Ioannes quare dictus angelus.

Amen dico uobis, non surrexit inter natos mulierū maior Ioanne Baptista.] Cum affirmatione hoc asserit quòd non sit quisq; Ioanne maior. Dicens aūt mulierum, seipsum excepit. Christus enim à uirgine natus est, non muliere, quæ uirum passa.

Qui autem minor est in regno cœlorū, maior illo est.] Quoniam multas Ioannis laudes

A laudes dixerat, ut ne putent quòd & se maior sit ille, inquit hoc loco manifestius, quòd ego minor, & natu iunior, & iuxta uestrã opinionẽ inferior, maior illo sum in regno cœlorum, hoc est, in spiritualib. & cœlestibus bonis. Nam hic quidem ipso minor sum, & quatenus prior me natus est, & quatenus ipse uobis magnus uidetur, sed illic maior sum.

A diebus aũt Ioannis Baptistæ usq; ad hunc diẽ regnũ celorũ uim patit̃, & uiolenti rapiũt illud.] Videnti hæc superioribus, nõ cohærere, sed nõ sic habet. Vide igitur. Etenim de se dixerat Christus q; maior sit Ioanne, & cogit illos ut ei credãt, ostẽdens quòd multi rapiant regnum cœlorum, hoc est, fidem in se. Opus aũt est uirtute multa. Relinquere enim patrem & matrẽ, & animã suam contẽnere, quãta uis?

Omnes enim prophetæ & ipsa lex usq; ad Ioannem prophetizauerunt.] Et hoc bene illa consequit̃. dicit enim, Ego sum ille uenturus. Omnes eĩ prophetæ impleti sunt. Non aũt impleti fuissent, si ego non uenissem. Nihil igit̃ expectetis ulterius.

Et si uultis recipere, ipse est Helias ille qui uenturus erat.] Si uultis, inquit, accipere, hoc est, si sana mente iudicatis, & nõ inuida, ipse est Helias quem dixit propheta Malachias uenturũ. Etenim præcursor ac Helias idem sortiti sunt ministeriũ: & hic quidem prioris aduentus, Helias aũt posterioris præcursor. Deinde ostendens quòd ænigma sit Ioannem Heliam esse, & intellectu opus ad intelligendum, inquit, *Malach. 3*

Qui habet aures ad audiendũ, audiat.] Ita inducens eos ut interrogent ac discãt.

Cui aũt assimilabo generationẽ hanc? Similis est pueris sedentib. in foro, & acclamãtibus sodalib. suis, & dicentib. Tibia cecinimus uobis, & nõ saltastis? † lamentauimus uos, & nõ planxistis.] Insinuat hic Iudæorũ morositatem. Difficiles enim moribus, neq; Ioannis austeritate, neq; Christi simplicitate inuitare potuerunt: sed similes fuerunt pueris contumacibus, quos neq; facilitate neq; luctu quis placarit. † lugubria cecinimus uobis

Venit enim, inquit, Ioãnes neq; comedens neq; bibens, & dicunt, Dæmoniũ habet. Venit filius hominis comedens & bibens, & dicunt, Ecce hominem edacem &
B uini potorem, amicumq; publicanorum & peccatorũ.] Lamentationi assimilat uitam Ioannis: erat enim magnæ tam in uerbis q; operibus seueritatis. Tibiæ autem uitam Christi, gratiosus enim erat Dominus. ac mirè dispensans omnia, omnibus condescendit, ut omnes lucrifaciat, & regnum euangelizet: proinde non eius fuit austeritatis cuius Ioannes.

Et iustificata est sapientia à filijs suis.] Hoc dicit, Quandoquidem neq; Ioannis uita neq; mea uobis placet, sed omnes salutis uias aspernamini. Iustus apparebo ego, qui sapientia sum. Nulla enim posthac uobis excusatio erit, sed omnino iudicabimini. Etenim ego quidem impleui omnia, uos autem increduli facti, iustum me, utpote qui nihil intermiserim, comprobabitis.

Tunc cœpit exprobrare ciuitatibus in quibus factæ fuerant plurimæ uirtutes ipsius, quòd non pœnituissent.] Postquam monstrauit quòd omnia quæcunq; oportebat fecerat, & manserunt absq; pœnitentia, consequenter exprobrat:

Væ tibi † Chorozain, uæ tibi Bethsaida.] Vt intelligas eos qui non crediderunt, non à natura, sed uoluntate malos esse, meminit Bethsaidæ, ex qua Andreas & Petrus & Philippus & filij Zebedæi fuerunt: atq; ita non naturæ, sed uoluntatis malitia fuit. Nam si naturæ, fuissent & illi mali. † Chorazin

Quoniam si in Tyro & Sidone factæ fuissent uirtutes quæ factæ sunt in uobis, olim in sacco & cinere pœnituissent. Verũtamen dico uobis, Tyro & Sidoni tolerabilius erit in die iudicij, q; uobis.] Deteriores dicit Iudæos Tyrijs & Sidonijs. Tyrij enim naturalem legem transgressi sunt, Iudæi autem & Mosaicã. Et illi quidem non uiderunt miracula, hi autem & miracula quæ uidere, accusarunt. Saccus, pœnitentiæ symbolum est. Lugentes uidemus cinerem & puluerem super caput spargere.

Et tu Capernaũ, quæ usq; ad cœlos es exaltata, usq; ad infernum detraheris: quoniã si in Sodomis factæ fuissent uirtutes quæ in te, mãsissent usq; in hodiernũ diem. Verũtamen dico uobis q; Sodomis tolerabilius erit in die iudicij, q; tibi.] Capernaũ exaltata est eo quòd sit ciuitas Iesu. glorificata enim fuit, utpote patria eius, sed nihil utilitatis inde accepit, non credendo; & propterea contrario modo iudicata est usq;

in in-

FACULTAD DE TEOLOGIA Univ. de Deusto BILBAO

Universidad de Deusto
Biblioteca

in infernum, quòd talem sortita inquilinum, non sit emendatior facta. Quoniã aũt A
Capernaum interpretari quis potest agrum consolationis: uide quòd si quis merea
tur fieri ager spiritus paracleti, & deinde sublime sapiat, & exaltetur usq; in cœlum,
ita corruet quoq; per superbiam. Horrescas igitur ô homo.

In illo tẽpore respondit Iesus, & dixit, Confiteor tibi pater, Domine cœli & terræ,
quòd occultaueris hæc à sapientib. & intelligẽtib. & reuelaueris ea paruulis.] Quod
dicit, hunc sensum habet· Confiteor, hoc est, gratias ago tibi, q; ludęi qui sibi uidẽt
esse sapientes & periti in scripturis, nòn crediderunt, imperiti aũt & paruuli credide
runt & cognouerunt mysteria. Occultauit autem mysteria Deus ab his qui uidẽt
esse sapientes: non ut inuidens, uel ut author imperitię, sed ideo q; non erant digni,
propter hoc q; sibi uidebant esse sapientes. Nam qui uidẽt sibi sapiens, & confidit
in sapientia sua, neq; Deum inuocat. Vnde Deus postea non inuocatus, neq; iuuat
eum, neq; reuelat. Et aliter, Deus propter magnam misericordiam suam non reue-
†quibus- lat †eis] plura mysteria, ut ne magis puniantur, utpote aspernantes ea quæ didicerũt.
uis Etiam pater, sic fuit bene placitum ante te.] Manifestat hoc loco benignitatem
patris, quòd non ab alio prouocatus, reuelat paruulis, sed sic placuit ab initio. Con-
placitum enim uoluntas est, & beneplacitum.

Omnia mihi tradita sunt à patre meo.] Dixit suprà quòd absconderit pater. Ne i-
gitur suspiceris quòd ipse quidem nihil faciat, omnia autem patris sint, dicit, Omnia
mihi tradita sunt, & una potestas mea & illius. Cum autem audis, tradita sunt: ne
suspiceris quòd tanquam seruo & inferiori tradita fuerint, sed tanquam filio. Nam
secundum hoc quòd natus est à patre, omnia tradita sunt ei. Nisi enim natus esset
ab eo, & eiusdem esset substantiæ, non fuissent ei tradita. Non à Domino, inquit,
sed à patre meo: ut exempli gratia si nascatur pulcher puer à pulchro patre, & dicat,
Data est mihi pulchritudo à patre meo.

Et nullus cognoscit filium nisi pater, neq; patrem quis cognoscit nisi filius, & cui
uoluerit filius reuelare.] Maius dicit: Nulli sit mirum me omnium esse Dominum, B
cum scilicet & aliud maius possim, nempe scire patrem, ac sic ipsum cognoscere, ut
& alijs eum possim reuelare. Considera autem quòd superius dixerit patrem reue-
lasse mysteria paruulis: hic autem filius patrem reuelauerit. Vides igitur unam uir-
tutem patris & filij: siquidem & pater reuelat ac filius.

Venite omnes ad me qui laboratis & onerati estis, & ego requiescere uos faciã.]
Omnes uocat, non solum Iudæos, sed Gentiles. Per laborantes intellige Iudæos, ut
facientes traditiones legis graues, & in operatione mandatorum legis fatigatos. Per
oneratos autem, Gentiles onere peccatorum oppressos. Hos igitur omnes quiescere
facit Christus. Credere enim, & confiteri, & baptizari, quis labor? Quomodo autem
non & quies? quandoquidem & hic nihil solicitum esse oportet de ijs quæ ante ba-
ptismum facta sunt, & alibi quies te susceptura est.

Tollite iugũ meum super uos, & discite à me, quia mitis sum, & humilis corde, et
inuenietis requiem animabus uestris. Iugum enim meum commodum est, & onus
meum leue.] Iugum Christi, humilitas et mititas. Qui igitur se humiliauerit omni ho
mini, requiem inuenit, imperturbatus manens: sicut uanæ gloriæ cupidus & aro-
gans semper in curis est, nolens quoquam minor haberi, sed cogitans quomodo ma
gis glorificetur, & quomodo uincat inimicos. Iugum igitur Christi (humilitatem di-
co) leue est. Facilius est enim humili naturæ nostræ humiliari, quàm sublimari. Di-
cuntur item & omnia mandata Christi iugum leue, quoniam propter futuram retri-
butionem leuia, tametsi ad breue tempus grauia uideantur.

CAPVT XII.

IN illo tempore ibat Iesus sabbatis per segetes: discipuli uerò illius esuriebant, &
cœperunt uellere spicas, & comedere. At pharisæi cum uidissent, dixerunt illi, Ec
ce discipuli tui faciunt quod non licet facere in sabbato. Ille uerò dixit eis, Non legi-
1. Reg. 22. stis quid fecerit Dauid quum esuriret ipse, & ij qui cum eo erant? Quomodo ingres-
sus sit in domum Dei, & panes propositionis ederit, quos ipsi non licebat edere, ne-
que ijs qui cum illo erant, nisi sacerdotibus solis.] Iterum pharisæi naturalem passio-

nem

A nem, nempe famem arguunt, quum ipsi grauius peccent. Dominus per historiam Dauid admonet eos. Ille enim, inquit, propter famem maius quiddam ausus fuit. Panes propositionis erant duodecim, qui quotidie proponebant in mensa, sex Panes propositionis. in dextera parte, sex in sinistra. Quanuis autem & Dauid propheta erat, non tamen ei inde licebat edere, sed solis sacerdotibus: quanto magis non licebat his qui cum eo erant? attamen propter famem uenia dignus erat. sic igitur & discipuli.

An nō legistis in lege, quòd sabbatis sacerdotes in templo sabbatū prophanant, & Nu. 28. crimine uacant? Dico autem uobis, quòd templo maius est hoc in loco.] Lex prohi- Exo. 20. 35. bebat in sabbato operari. Sacerdotes in sabbato & ligna scindebāt, & ignem accen- Deut. 5. debāt, atq; ita ꝓphanabāt sabbatū, hoc est inquinabāt, ut uobis uidetur. At dicis mihi, quòd bene licebit sacerdotib. discipuli aūt sacerdotes nō erāt. Dico igit quòd templo maius est hoc in loco, hoc est, quia ego maior sum templo, & Dominus cum discipulis sum: maiorem ergo habent hi potestatem soluendi sabbatum, quàm sacerdotes.

Quòd si sciretis quid sit, Misericordiam uolo, & non sacrificium, nequaquā con- Suprà 9. demnassetis insontes: nam dominus est & sabbati filius hominis.] Ostendit eos & im- Osee 6. peritos, & nescientes propheticum. Oportebat enim (inquit) misereri esurientib. Et aliter, Ego filius hominis, dominus sum sabbati, ut omnium & dierū opifex. Ego igit ut Dominus soluo sabbatū. Intellige aūt & iuxta anagogen: quoniam operarij erant apostoli messis autem & aristæ, credentes. Porro euellebāt apostoli & comedebant, hoc est, cibum habebant, salutem hominum. Hoc autem faciebāt in sabbatis, hoc est in ocio malorum. Pharisęi autem indignabantur. sic & in ecclesia doctoribus docentibus & prodesse cupientibus pharisæi sæpe inuident, & ægrè ferunt.

Progressus autem illinc uenit in synagogam illorū: & ecce homo erat manum habens aridam, & interrogabant illū dicentes, Num licet sabbatis curare? ut accusarent Mar. 3. eum.] Alij Euāgelistæ dicūt quòd Iesus interrogauerit pharisæos. Dici igitur potest Lucæ 6. quòd cum inuidi essent, prœuenerint & rogauerint illum, ut dicit Matthęus. Deinde
B Christus iterū interrogauit eos, uti ridens eorum cæcitatem, id quod ab alijs Euangelistis dicitur. Interrogant igitur eum, ut occasionem habeant ad calumniandum.

At ille dixit eis, Quis erit ex uobis homo, qui habebit ouē unā, et si ea inciderit sabbatis in foueā, nónne apprehendet illam, & eriget? Quanto igitur præstātior est homo oue? licet igit sabbatis benefacere.] Ostendit eos propter auaritiam, & ut ne priuentur oue, dissoluere sabbatum: propter inuidiam aūt non ferre ut curet homo: unde hoc loco auaros & crudeles eos esse, & cōtemptores Dei ostendit. Contemnunt eñ sabbatū, ut nō pereat ouis: immisericordes aūt sunt, quia hominis curā respuunt.

Tunc dicit homini, Extende manū tuam: & extendit, & restituta est sana sicut altera.] Multi & nunc aridas manus habent, hoc est, immisericordes sunt, & non communicant: sed quando sermone euangelico docenī, extendunt eas, & cōmunicant, quamuis Pharisæi, superbi dæmones, qui nobis eam amputarūt, propter suā in nos inimicitiam manus nostras ad misericordiam extendi nolunt.

Pharisęi autem egressi ceperunt consilium aduersus eum, quomodo illum perderent. at Iesus ubi nouisset, secessit illinc.] O' inuidentiam. quando beneficijs afficiuntur, tunc insaniunt. Secedit autem Iesus, eo quòd passionis tempus nondū immineat, parcens interim: illis, ne homicidij crimini fiant obnoxij. Temere enim se in pe- Temere se ricula obijcere, Deo gratū non est. Vide aūt quod signanter dicit, Egressi. nā ut exi- in periculū uerunt à Deo, tunc uoluerūt perdere Iesum. Nullus enim in Deo manens talia uult. mittere nō Deo gratū

Et secutæ sunt eum turbæ multæ, & curauit eos omnes, & increpauit eos, ne se manifestum faciant.] Vt inuidiam illorum demulceret, manifestari non uult. Nihil enim omittebat quod ad illorum curam pertinebat.

Vt compleretur quod dictum erat per Esaiam prophetam dicentem, Ecce filius Esaiæ 42. meus quem elegi: dilectus meus, in quo sibi bene complacuit anima mea. Ponam spiritum meum super illum, & iudicīū gentibus annunciabit. Non contendet, neq; clamabit.] Introducit & prophetam testem mansuetudinis Iesu. Quæcunq; enim, inquit, uoluerint Iudæi, faciet. Si uoluerint ut non appareat, faciet etiam istud, & non reluctabitur, ut inanis gloriæ auidus. Neque clamabit, sed annunciabit turbis, ne

manifes-

manifestent se: sed & gentibus iudicium annunciabit, hoc est, etiam gentes docebit. A
Iudicium. Iudicium enim est doctrina & scientia, & dijudicatio boni. uel, & futurum iudiciũ annunciabit Ethnicis, qui nunquam audiuerunt de futuro iudicio.

Neq; in plateis audiet quis uocem eius.] Non enim in medio fori, ut gloriæ appetentes, sed in templo & synagogis & monte & iuxta littora docebat.

Arundinem cõminutam non confringet, & linum fumigans non extinguet.] Poterat, inquit, Iudæos ut calamum contritum confringere, & iram eorum ut linum fumigans, hoc est ardens, extinguere: sed noluit quoad dispensatio adimpleretur, & per omnia uinceret eos. Hoc enim significat quod subditur,

Donec eijciat ad uictoriam iudicium. Et in nomine illius gentes sperabunt.] Ne enim haberent quod prætexerent, omnia sustinuit, ut postea cõdemnaret eos, & uinceret nihil contradicentes. Et quidnam est quod non fecit ut lucrifaciat illos? sed noluerunt. Vnde gentes sperabunt in eum, quoniam Iudæi noluerunt.

Tunc adductus est ad eum dæmoniacus cæcus ac mutus, & sanauit illum, ita ut cæcus ac mutus loqueretur & cerneret. Et obstupuerunt omnes turbæ, dicebantq;: Num hic est filius Dauid?] Vias ad fidem occluserat dæmon, oculos, aures, & linguam: sed Iesus sanat, & filius Dauid à turbis nominatur. Expectabatur enim Christus ex semine Dauid. Et nunc si uideris quempiam neq; quid bonum sit per se intelligentem, neq; alterius sermones suscipientẽ, existima illũ cæcum & mutum, quem utinam sanarit Deus tacto eius corde.

Quæ cum audiuissent Pharisæi, dicebant, Hic non eijcit dæmonia nisi in Beelzebul principe dæmoniorum.] Tametsi Dominus propter eos secesserat, illi nihilominus etiam procul audientes taxabant: quumq; homines multis afficerentur beneficijs, erant tam naturæ inimici, quàm diaboli.

Quum autem sciret Iesus cogitationes illorum, dixit illis, Omne regnum diuisum aduersus sese, desolatur: & omnis ciuitas aut domus diuisa aduersus seipsam, non stabit. Et si Satanas Satanam eijcit, aduersus seipsum diuisus est: quomodo igitur stabit regnum eius?] Inuulgando cogitationes illorum, Deum se esse comprobauit. Excusat autem se apud illos communibus exemplis, & monstrat insipientiam eorum. Quomodo enim dæmones seipsos eijciunt, cum magis inter se conueniant? Satan autem dicitur aduersarius. B

Et si ego in Beelzebul eijcio dæmonia, filij uestri in quo eijciũt? Propterea ipsi uestri erunt iudices.] Esto inquit quòd ego talis sim: filij uestri, hoc est mei discipuli, in quo eijciunt? Nunquid & illi in Beelzebul? Quòd si illi diuina uirtute, multo magis ego. Illi enim in nomine meo miracula operantur, propterea illi uos condemnaturi sunt, quia illos uidetis in meo nomine miracula facere, & adhuc me accusatis.

Quòd si spiritu Dei ego dæmonia eijcio, ergo peruenit ad uos regnũ Dei.] Hoc dicit, quòd si in diuina uirtute ego eijcio dæmonia, ergo ego sum filius Dei, & aduenì propter uos, ut afficiamini beneficijs, atq; ita peruenit in uos meus aduentus. hic enim est regnum Dei. quid igitur aduentum meum, qui propter uos est, accusatis?

Aut quomodo potest aliquis intrare domum potentis, & uasa eius diripere, nisi prius liget potentem, & tunc domum eius diripiet?] Tantum, inquit, abest ut amicos habeam dæmones, ut & aduersarios habeam, & ligem eos qui ante meum aduentũ fortes erant. In domum autem, id est, in mundũ ingressus Iesus, uasa dæmonum, homines dico, abstulit.

Qui non est mecum, contra me est: & qui nõ colligit mecum, dispergit.] Quomodo, inquit, Beelzebul mihi cooperaturus est, qui cõtrarium mihi operatur? Ego quidem uirtutem doceo, ille autem malitiam. quomodo igitur est mecum? Et ego quidem congrego homines ad salutem, ille autem dispergit. Notat autem Pharisæos, quòd se docente, & multis prodesse cupiente, ipsi dispergerent populum ita, ne accederent ad se. Vnde ostendit eos reuera dæmonijs plenos.

Idcirco dico uobis, Omne peccatum & conuicium remittetur hominibus, at cõuicium in spiritũ sanctũ nõ remittetur hominibus. Et quisquis dixerit uerbũ aduersus filiũ hominis, remittet illi: qui autem dixerit aduersus spiritũ sanctũ, non remittetur ei, neq;

A ei, neq; in præsenti seculo, neque in futuro.] Dicit hoc loco omne aliud peccatum †quantumuis inexcusabile sit, utpote scortationē, furtū, & similia, talia esse, ut cōfugere liceat ad humanā infirmitatem, & sit ueniæ locus. quando autem quis uiderit miracula per spiritum sanctum fieri, & accusauerit ea quasi à diabolo facta: qualem habitum est ille excusationem? Manifestum est enim scire eum quòd à spiritu sancto fiant, sua autem sponte male operari. quomodo igitur talis uenia dignus erit? Itaque Iudæi quando uiderunt Christum manducantem & bibentem, ac uersantem cum publicanis & meretricibus, aliaq; omnia more filij hominis facientem, & deinde arguerunt eum ut comedonem, & uini potorem: in hoc erant uenia digni, & neque pœnitentia super hoc ab eis exigebatur. Videbantur enim rationabiliter offendi. Quando autem uiderūt eum operari miracula, & arguerunt, & blasphemarunt spiritum sanctum, dicentes hoc dæmoniacum esse, quomodo remittetur hoc peccatū nisi pœnitentiam egerint? Et ita discе quòd ille qui blasphemat in filium hominis, uidens eum humano more usuere, & dicens, hic meretricarius est, uorax, & uini potor, dum Christus hoc facit: talis etsi non pœniteat, de hoc non reddet rationem. Veniam enim accepit, tanquam qui non intellexerit illum fuisse Deum, eo quòd tam occultus fuerit. Qui autem blasphemat in spiritum sanctū, hoc est in spiritualia opera Christi, & dicit ea esse diabolica, nisi pœnitentiam egerit, ueniam nō assequetur. Non enim rationabilem causam habuit ut calumniaretur, quemadmodum ille qui Christum uidens cum meretricibus & publicanis uersari tum calumniabatur. Non remittetur igitur uel hic, uel alibi: sed & hic & alibi punietur. Multi enim sunt qui hic quidem puniuntur, sed alibi prorsus immunes sunt, ut pauper Lazarus: alij autē & hic & alibi, ut Sodomitæ, & hi qui in spiritum sanctum blasphemant: alij uerò neque hic, neq; alibi, ut apostoli, & præcursor. Nam licet uideantur persecutionem pati, sed non patiuntur illam pro peccatis, sunt enim probationes & coronæ.

† uel paruā saltem habere excusationem, utpote scortationem, furtū: cōfugimus enim

Suprà. 11. Lucæ 7.

De pcīō in spīritū sanctum irremissibili.

Lucæ 16.

B Aut facite arborem bonam, & fructum eius bonum: aut facite arborem putrem, & fructum eius putrem. Ex fructu enim arbor cognoscitur.] Quum Iudæi non possent miracula Christi arguere ut mala, Christum facientem illa blasphemabant ut dæmoniacum. Vel & me, inquit, dicite arborem bonam esse, & miracula mea, quæ fructus sunt, bona. Vel si me dicitis arborem putrem, manifestum quòd & fructus, miracula uidelicet, putres erunt. Verùm miracula, id est fructum, bona esse dicitis: igitur & ego bona sum arbor. Omnino enim sicut ex fructu arbor, ita & ego ex miraculis cognoscor.

Progenies uiperarū, quomodo potestis bona loqui, quū mali sitis?] Ecce, inquit, uos cum arbores malę sitis, fructum malum fertis, maledicentes mihi: unde & ego si malus essem, fructus afferrem malos, & nō talia miracula. Progeniem uiperarū eos uocat, quoniā in Abraham gloriabantur. ostendit autem quòd nō sint ex Abrahā, sed ex progenitoribus se dignis.

Ioan. 8.

Siquidē ex abundantia cordis os loquitur. Bonus homo ex bono thesauro emittit bona, & malus homo ex malo thesauro emittit mala.] Quando enim uideris quē piam obscœnè loquentem, scias q; multo plura habeat in corde, quàm quæ loquitur. Nam ex abundantia effundit se in externa, & thesaurum possidet absconditū. Paruam enim partem declarat. Similiter & bona dicens, plura habet in corde.

Turpiloquos taxat.

Dico aūt uobis, quòd homines de omni uerbo ocioso quod loquentur, rationem reddent in die iudicij. Ex sermonibus enim tuis iustificaberis, & ex sermonibus tuis condemnaberis. Terret hic nos, quoniā & pro ocioso uerbo rationē daturi sumus, hoc est pro mendacio, calumnia, inordinatis & ridiculis. Deinde ponit testimoniū ex scriptura, ne uideatur propria dicere. Ex sermonibus tuis iustificaberis, & ex sermonibus tuis condemnaberis.

Iob 9. Pro. 12. 18. Eccles. 10.

Tunc responderunt quidā ex scribis & pharisæis, dicentes, Magister, uolumus à te signum uidere.) Admirans Euangelista apposuit, tunc. Quū enim obedire illos oporteret propter signa præcedētia, tunc signū petunt. De cœlo aūt uolunt signū uidere sicut alius Euangelista dicit. putabant enim q; signa super terram potestate diaboli faceret, mundi enim rector est diabolus. Quid igitur ad hæc saluator?

Deu.31. Ionæ 2. Respondens dixit illis, Generatio praua & adultera signum quærit, & signum non dabitur illi, nisi signum Ionæ prophetæ. Quemadmodum enim fuit Ionas in uentre ceti tribus diebus ac tribus noctibus, sic erit filius hominis in corde terræ tribus diebus & tribus noctibus.] Prauam generationem uocat eos, quia dolose sem- A per tentabant: adulteram autem, quia desciscebant à Deo, & adhærebant dæmonibus. Signum autem dicit resurrectionem suam, ut admirabilem. Postquàm enim in cor terræ, in infimum locum infernũ descendit, tertio die resurrexit. Tres aũt dies & tres noctes à parte intelligas, & non integras. Mortuus enim est in parasceue, quæ ipsa una dies est: & mortuus fuit sabbato, ecce & alia dies: nox autem dominicę ipsum adhuc mortuum apprehendit. Tres igitur dies & noctes à parte numerantur, quia & sic sæpe numerare consueuimus.

Viri Niniuitæ surgent in iudicio cum generatione hac, & condemnabunt eam, quòd ipsi pœnituerint ad prædicationẽ Ionæ: & ecce plus quàm Ionas est hoc loco.] Postquam, inquit, Ionas exijt à ceto, & prædicauit, crediderunt: in me autem, etiam cum surrexero, non credetis. Vnde & condemnabimini à Niniuitis, qui crediderunt seruo meo Ionæ absque miraculis, quanuis barbari fuerint: uos autem assueti prophetis, uisis signis non creditis mihi Domino: quod significat, dicens, Et ecce plus Iona hoc loco.

3. Reg. 10. 2. Paral. 9. Regina Austri excitabitur in iudicio cum generatione hac, & condemnabit eam: quia uenit à finibus terræ ut audiret sapientiam Solomonis, & ecce plus cẽ Solomõ hoc loco.] Regina inquit, à longe uenit, quanuis esset mulier infirma, ut de arboribus & lignis & naturalibus quibusdam audiret: uos autem me, cum ad uos uenerim & arcana dixerim, non suscepistis.

Cum autem immundus spiritus exierit ab homine, perambulat per arentia loca, quærens requiem: & non inueniens, tunc dicit, Reuertar in domum meam unde exiui. & cum uenerit, reperit eam uacantem, & scopis purgatam atq; ornatam. Tũc B abit, & adiungit sibi septem alios spiritus sceleratiores se, & ingressus inhabitat illic: & fiunt postrema hominis illius peiora primis. Sic erit & generationi huic peruersæ.] Ostendit illos usque in extremam perditionem uenisse, quòd ipsum non susceperint. Et sicut à dæmonijs liberati, si ignaui fuerint, deterius habent: ita & uestra generatio à dæmonio tenebatur cum idola adoraret, sed per prophetas eiectus est ille dæmon. Veni autem & ego, mundare uos magis uolens: sed quia repulistis me, & interimere uultis, ut grauius peccantes, grauius etiam puniemini: & extrema captiuitas uestra grauior erit, quàm prima. Tu autem intellige & hoc, quòd per baptismũ eijcitur immundus spiritus, & uadit ad loca inaquosa, & animas non baptizatas, sed in illis non inuenit requiem. Requies aũt est dæmonij, baptizatos turbare per ma-

Esaiæ 11. la opera, quoniam non baptizatos iam habet. conuertitur igitur ad baptizatũ cum spiritibus septem. Sicut enim septẽ sunt dona spiritus, ita è diuerso septem sunt malitiæ spiritus. Cum autem ingressus fuerit in baptizatum, deterior fit calamitas. Prius enim spes erat per baptismum esse purgatum: postea autem non est spes secundi baptismi nisi per pœnitentiam, quæ ualde laboriosa est.

Adhuc aũt loquẽte illo ad turbas, ecce mater eius & fratres eius stabant foris, quæ rentes ei loqui.] Humanum quid uolebat ostendere mater, quòd ut in filiũ potestatẽ habeat: nihil eñ magnum adhuc de eo intelligebat, propter hoc ipso adhuc loquente, uolebat ad se illum attrahere, quasi ambitiosula tãto sibi filio subdito. Quid igitur? Christus quoniam intentionem eius sciebat, audi quid dicat.

Caute lege. uide finem libri.

Dixit autem quidam illi, Ecce mater tua & fratres tui foris stant, quærentes tibi loqui. At ille respondens dixit ei qui sibi renunciauerat, Quæ est mater mea, aut qui sunt fratres mei? & extẽdens manum suam ad discipulos suos, dixit, Ecce mater mea & fratres mei. Quisquis enim fecerit uoluntatẽ patris mei qui est in cœlis, ipse meus frater, & soror & mater est.] Non iniuria afficiens matrem, hæc dixit, sed corrigens mentem eius gloriæ auidam & humanam. Nõ enim dixit, Non est mater mea: sed, si non fecerit uoluntatem Dei, nil ei proderit quòd me genuit. Non enim negat naturalem cognationem, sed apponit etiam eam quæ est per uirtutem. Nullus enim

indignus

indignus, à cognatione utilitatem capit. Igitur correcto uanæ gloriæ morbo, iterū obedit matri uocanti. Dicit enim Euangelista.

CAPVT XIII.

IN die uerò illo egressus Iesus è domo sedit iuxta mare: & congregatæ sunt ad illum turbæ multæ, ita ut ipse nauim ingressus sederet, & uniuersa turba in littore stabat. Sedit in naui, ut omnes auditores in faciem haberet spectantes, & omnes commodius audirent. Sanè è mari piscatur eos qui in terra.

Et loquutus est eis multa in parabolis, dicens.] Simplicibus turbis absq; parabola in monte loquutus est: his autem in parabola, utpote dolosis pharisæis, ut si non intelligant, quærant & discant. Præterea, ut indignis non oportebat doctrinas eis proponere nudas. Non oportet enim margaritas ante porcos mittere. Primam autem parabolam ponit quæ auditorem faciat attentiorem. *Supra 5. 6. 7.* *Quare Christus in parabolis loquitur.*

Ecce exijt qui seminabat, ad seminandum semen suum.] Seipsum dicit satorem, semen autem uerbum. Exijt aūt non loco, nam ubiq; erat: sed secundū illud quod nobis propior factus est per carnem, dicitur egredi è finibus paternis. Exijt autem ad nos, quoniam nos ad ipsum intrare non potuimus. Et ad quid faciendum exijt? Num ut exurat terram propter spinas? num ut puniat? Minimè, sed ut sementem faciat. Semen aūt suum dicit, eo quòd & prophetæ seminauerunt, at nō semē suum, sed Dei. Ipse aūt ut Deus semen suum, hoc est proprium, seminauit. non enim diuina gratia illustratus est, sed ipse erat sapientia Dei.

Et cum seminaret, alia quidem ceciderunt iuxta uiam, & uenerunt uolucres cœli & deuorauerunt ea, alia aūt ceciderunt in terram petrosam, ubi non habebāt multum terræ, & protinus exorta sunt, eo quòd non habebant profunditatem terræ: cū autem exortus est sol, exusta sunt: & quia non habebant radicem, exaruerunt.] Hi qui iuxta uiam, sunt ignaui & desides, qui nunquam suscipiunt uerbum. Mens enim eorum uia est conculcata & dura, & minimè arata. ab ijs igitur rapiunt uerbū uolucres cœli, hoc est spiritus aeris, dæmones uidelicet. Qui uerò super petrosam, B sunt ij qui audierunt quidem, sed propter imbecillitatem in tentationibus & afflictionibus non obluctantur, sed perdunt suam salutem. Per solem enim orientem, intellige tentationes, eo quòd tentatio ostendit homines & declarat quales sunt, sicut sol manifestat abscondita. *Sol, tentatio.*

Alia aūt ceciderunt inter spinas, & ascenderunt spinæ, & suffocauerunt ea.] Hi sunt qui curis suffocant sermonem. Nam diues licet uideatur bonum quoddam opus facere, at nō crescit opus eius, neq; proficit solicitudinibus prohibentibus.

Alia uerò ceciderunt in terram bonam, & dederunt fructum, ille quidem centū, alius autem sexaginta, alius uerò triginta.] Tres partes seminis perierunt, & quarta sola seruata est. Pauci enim sunt qui saluantur. Postea uerò dicit de terra bona, data nobis pœnitentiæ spe. Est enim possibile, etiā si quis petrosa terra sit, aut iuxta uiā uel spinosa, eum fieri terram bonam. Non enim æqualem fructum ferunt omnes q̄ semen suscipiunt: sed alius quidem centuplum, fortè paupertatem perfectam habens, & summā exercitationem. Alius autem sexagecuplum, ut cœnobita fortè monachus, & adhuc operans. Alius uerò trigecuplum, ut q̄ honestas nuptias delegit & uirtutem pro uirili amplexatur. Vide autem Dei bonitatem, quomodo omnes suscipit, & magna & mediocria & parua colentes. *Lucæ 13.*

Qui habet aures audiendi audiat.] Manifestat quòd hæc spiritualiter intelligenda sint ab his qui spirituales aures animæ habent. Multi autem aures habent, sed nō ad audiendum: propterea subdit, Qui habet aures ut audiat, ille audiat.

Et cum accessissent discipuli, dixerunt illi, Quare in parabolis loqueris illis? Ipse autem respondens dixit illis, Vobis datum est scire arcana regni cœlorum, illis autem non datum est. Quisquis enim habet, dabitur illi, & reddetur abūdantior: quisquis autem non habet, etiam illud quod habet, tolletur ab eo.] Videntes discipuli magnam in his quæ à Christo dicebantur, obscuritatem: ut communes multitudinis procuratores accedunt interrogantes. At ille dicit, Vobis datum est scire mysteria, hoc est, quia habetis alacritatem & studium, datum est uobis: illis autem non

Universidad de Deusto
Biblioteca

adhibentib. ſtudium, non eſt datum. Ille enim accipit, qui quærit. Quærite enim inquit, & dabitur uobis. Vide item quomodo hoc loco parabolã dixit Ieſus, & diſcipuli ſoli quæ interrogauerant acceperunt. Vnde bene diximus, adhibẽti ſtudiũ datum eſſe ſcientia abundantiorem fieri, quia adhibet ſtudium & mentem dignam. ab eo autem qui non habet ſtudium, nec mentem, ut par eſt adhibet, etiam tolli quod habere uidetur: hoc eſt, etiam ſi paruam quandam boni ſcintillam habeat, & eam non excitet & accendat per ſpiritum & ſpiritualia opera, extingui. A

Mali non ſunt à natura, nec à Deo. Ioan. 1.

Propterea per parabolas loquor illis, qa uidentes nõ uidẽt, & audientes nõ audiũt neq; intelligũt.] Attẽde. Hic eñ ſoluit quæſtionẽ dicentiũ q̃ à natura & à Deo mali ſunt quidã. Dixit eñ, inquiũt, Chriſtus, uobis datũ eſt noſſe arcana. Iudæis aũt non eſt datũ. Dicimus ergo ad illos cũ Deo, quòd Deus omnes faciat intelligere natura quantũ opus eſt. Omnẽ enim hominẽ illuminat uenientem in hunc mundum. Voluntas autẽ noſtra obtenebrat nos. Hoc igiur & in iſto loco manifeſtat. Dicit enim quòd uidẽtes natura, hoc eſt à Deo facti, ut natura intelligere poſsint, nõ uident uoluntariè: & audientes, hoc eſt naturaliter à Deo ita facti, ut audire & intelligere queãt, nõ audiunt neq; intelligunt ꝓpter uoluntatẽ. Dic enim, quęſo, an nõ uidebãt miracula Chriſti? Profectò, ſed faciebãt ſeipſos cęcos, & taxabãt eum. Hoc ergo eſt, uidentes non uident. Adducit igitur & prophetam teſtem.

Eſaiæ 6.

Et impletur in illis prophetia Eſaiæ quæ dicit, Aurib. audietis, & non intelligetis: & uidentes uidebitis, & non cernetis. Incraſſatum eſt enim cor populi huius, & auribus grauiter audierũt, & oculos ſuos occluſerunt, nequando uiderẽt oculis, & auribus audirẽt & corde intelligerẽt, & cõuertãtur, & ſanẽ illos.] Vides quid dicat ꝓpheta, propterea nõ intelligetis, nõ quòd craſſum creauerim cor ueſtrum, ſed quòd incraſſatum ſit, quod antea manifeſtum ſubtile fuiſſe. Quod enim incraſſatur, prius tenue fuit: incraſſato aũt illo ſic, oculos ſuos occluſerũt: nõ dixit q̃ occluſerit oculos eorũ Deus, ſed illi ſua uoluntate. Illud eñ fecerũt, inquit, ne conuertanẽ, & ſanem illos. ſua enim malitia operã dederũt ut incurabiles & ad conuerſionẽ inepti fierent. Veſtri uerò beati ſunt oculi, quia uident: & aures ueſtrę, qa audiunt. Amen quippe dico uobis, quòd multi prophetæ & iuſti deſiderauerunt uidere quæ uidetis, & non uiderũt: & audire quę auditis, & nõ audierũt.] Et ſenſibiles qdem apoſtolorũ oculi & aures beatę, ſed multo magis ſpirituales oculi atq; aures beatitudine dignæ q̃ agnouerunt Chriſtũ. Præfert aũt illos prophetis, eo quòd Chriſtũ corporaliter uiderunt, illi mentaliter tantũ, ſed & q̃ illi nõ aſſecuti fuerunt tanta myſteria & talem notitiã quantã ij. In duob. enim præcellebãt prophetas apoſtoli, & corporaliter uidendo, et magis ſpiritualiter intelligẽdo diuina. Manifeſtat igiẽ parabolã diſcipulis dicẽs. B

Apoſtoli ꝓphetas in duob. præcellũt.

Vos igitur audite parabolã ſeminantis. Cum quis audierit ſermonẽ regni, & non intellexerit, uadit malignus ille, & rapit inſitum in cor eius. hic eſt qui iuxta uiam ſeminatus eſt.] Adhortatur nos ad intelligendũ quæ dicuntur à docentibus, ne & nos ſimiles ſiamus his qui iuxta uiam. Fortaſſe autẽ quia uia eſt Chriſtus, qui extra Chriſtum ſunt, hi non ſunt in uia, ſed extra uiam.

Atqui in petricoſa ſemẽ iactum exceperat, hic eſt qui ſermonẽ audit, ac protinus cum gaudio arripit: non habet aũt radicem in ſeipſo, ſed temporarius eſt. Porrò cum inciderit perſecutio uel afflictio propter ſermonem, ſtatim offenditur. Afflictio, inquit, quia multi à parentibus uel alijs afflictionibus afflicti, ſtatim blaſphemant. Perſecutio autem dicit propter eos quibus tyranni moleſti ſunt.

Afflictio. Perſequutio.

At qui in ſpinas ſemen exceperat, hic eſt qui uerbum audit, & cura ſeculi huius & deceptio diuitiarum ſuffocat uerbum, & ſterilis fit.] Nõ dixit ſeculum hoc ſuffocat, ſed cura ſeculi: neq; diuitiæ, ſed deceptio diuitiarũ. Diuitiæ enim quando diſpergũtur, non ſuffocant, ſed creſcere faciunt uerbum. Spinæ autem, curæ & deliciæ, eo q̃ ignem concupiſcentiæ & gehennæ accendunt. Et ſicut ſpina acuta in corpus penetrat, & uix eradicaẽ: ſic & delicię inualeſcẽtes in animã ingrediunẽ, & uix eradicanẽ.

Cæterũ q in terram bonam excepit ſemen, hic eſt qui uerbum audit & intelligit, qui deniq; fructum reddit & facit, alius quidem centuplum, alius uerò ſexagecuplum, alius autem trigecuplũ.] Variæ uirtutis ſpecies ſunt, uarij & qui proficiunt.

Vide

A Vide autem ordinem in parabola. Oportet enim nos primùm audire sermonem & intelligere nẽ simus sicut qui iuxta uiam. Deinde firmiter retinere quod auditum est: præterea non esse amatores opum. Quid enim proderit, si audiero & retinuero, & diuitiarum amore suffocor?

Aliam parabolam ꝓposuit eis dicens: Simile factum est regnum cœlorum homini seminãti bonũ semen in agro suo, sed dormientib. hominib. uenit illius inimicus & seminauit zizania inter triticum, abijtq;. Cum autem germinasset herba, & fructum fecisset, tunc apparuerũt & zizania. Accedentes autem serui patrisfamiliâs dixerunt illi, Dñe nõne bonũ semen seminaras in tuo agro? unde igitur habet zizania? Ille uerò dixit illis, Inimicus homo hoc fecit. Serui aũt dixerunt illi, Vis igitur abeamus, & colligamus ea? At ille dixit, Nõ: ne dum colligitis zizania, eradicetis simul cum illis & triticum. sinite pariter crescere utraq; usq; ad messem, & in tempore messis dicam messoribꝫ, colligite primùm zizania, & colligate in fasciculos ad cõburendum ea, triticum uerò cõgregate in horreum meũ.] In priori parabola dixit quartã partẽ seminis cadere in terram bonam, in hac aũt ostendit quòd neq; illud ipsum semen quod in terram bonam cecidit, incorruptum sinat hostis, dum nos dormimus & ignaui sumus. Ager etenim mundus est, uel cuiusuis anima. Porrò Christus est qui seminauit. Bonum semen, boni homines, uel bonæ cogitatiões. Zizania, hæreses, uel malæ cogitationes. Quis seminat autem hęc? diabolus. At dormientes homines, qui ꝓpter ignauiã suã locum dederũt hęreticis, uel malis cogitationib. Serui autem angeli, qui indignanter esse hæreses uel malitiã in anima, & uolunt euellere & excindere ex hac uita hæreticos, & mala cogitãtes. Deus autem nõ permittit hęreticos bellis cõsumi, ne simul patianter cõsumanturq; & iusti. Similiter neq; ꝓpter malas cogitationes uult Deus excindi hominẽ, ne & triticũ simul corrumpat: ut exempli gratia, si Matthæus excisus fuisset ex hac uita, cum esset zizanium, simul utiq; excisum fuisset & sermonis frumentum quod postea ex ipso oriturum erat. Similiter & Paulus, & Iatro. Hi enim cum zizania essent, nõ sunt extirpati, sed ꝓmissi sunt uiuere, ut crescerent postea
B illorum uirtus. Dicit igit de angelis q; in cõsummatione tunc cõgregabũt zizania, hoc est hęreticos. Sed quomodo in fasciculos, hoc est ligatis eorum manib. & pedib. non enim tunc ultrà qs operari poterit, sed omnis operandi uis ligabit. Frumentum autem sancti uidelicet, à messoribꝫ angelis cõgregabit in cœlestia horrea. Igit similiter malę cogitationes quas habuit Paulus quando persequebatur, exustæ sunt igni Christi, quem uenit in terram mittere: frumentum autem, id est bonæ cogitationes, congregatæ sunt in horrea ecclesiæ.

Aliam parabolam adiecit eis, dicens, Simile est regnum cœlorum grano sinapis, q̃d accepit homo, & seminauit in agro suo: quod minimum quidem est omnium seminum, quando autẽ creuerit, maximũ est inter holera, & fit arbor, adeò ut ueniant uolucres cœli, & nidulentur in ramis illius.] Granum sinapis, prædicatio est, & apostoli. pauci enim uidentur hi, & totum orbem occupauerunt atq; ita, ut uolatilia cœli, hoc est qui leuem & alatam ad cœlestia mentem habent, in eis quiescant. Et tu quoq; esto granum sinapis, quod paruum quidem uideatur. Non enim oportet uirtutem iactare, sed feruidum se præbere & prouocatiuum, & austerè reprehendentem. Sic enim eris maximus inter holera, id est perfectus inter infirmos & imperfectos, ita ut & uolatilia cœli, hoc est angeli, habitẽt in te, angelicam ducente uitam. Gaudent enim illi in iustis.

Aliam parabolam proposuit eis, dicens, Simile est regnum cœlorum fermento quod acceptum mulier abscondit in farinæ satis tribus, donec fermentaretur totũ.] Fermentum dicit apostolos, sicut & granum sinapis. Sicut enim fermentum, cum paruum sit, totam farinam in se transfert, sic & uos totum mundum transformabitis, tametsi pauci sitis. Satum autem erat mensura Hebræorum, sicut apud nos est ut exempli causa dicam, modius uel decalitra. Aliqui autem per fermentum intelligũt prædicationem, per tria autem sata tres animæ uires, rationalem, concupiscibilem, & irascibilem: per mulierẽ uerò, animam prædicationem in omnibus suis uiribus recondentem, cõmiscentẽ, fermentantẽ, & sanctificantẽ per illã totũ. Oportet enim

Universidad de Deusto
Biblioteca

nos omnino fermẽtari & transformari in diuina. Dicit eñ, donec fermẽtet totum. A

Hæc omnia locutus est Iesus per parabolas ad turbas, & sine parabola nihil locutus est illis, ut cõpleret quod dictum fuerat per prophetam qui ait, Aperiã in parabolis os meum, eructabo abscondita à cõstitutione mũdi.] Adducit prophetam prædicentem quomodo docturus erat Iesus & in parabolis, ne tu putes Christum inuenisse nouum quendam docendi modum. Particula autem Vt, nõ est causæ, sed euentus significatiua. Non enim docuit eo modo Iesus ut impleatur prophetia: sed quia ipse per parabolas docuit, ex effectu impleta est prophetia. Absq; autem parabola nõ loquebatur eis, tunc solum: non enim semper in parabolis loquebatur. Eructauit autem Dominus quæ abscondita erant à constitutione mundi, Ipse enim manifestauit nobis mysteria quæ in cœlis sunt.

Psal. 77.

Vt dictio non causæ semper, sed euentus significatiua est.

Tunc relictis turbis uenit in domum Iesus.] Tunc reliquit turbas, cum nihil prodesset sua doctrina. Ipse enim in parabolis loquebatur, ut se interrogarent: contrà illi non curabant, neq; discere quærebant, unde ab eo meritò relicti sunt.

Et accesserunt ad eum discipuli eius, dicentes, Dic nobis parabolam zizaniorum agri.] De hac sola rogant q̃ aliæ manifestiores eis uidebantur. Zizania aũt dicuñ, quæ inter fruges pullulant etiam nociua, utpote lolium, uicia, bromium, &c.

Zizania.

At ille respondens dixit illis, Qui seminat bonum semen, est filius hominis: ager autem est mundus. Porrò bonum semen, sunt filij regni: zizania uerò, sunt filij illius mali: inimicus q̃ seminat ea, est diabolus: messis uerò, consummatio seculi est: messores autem, angeli sunt. Sicut igitur colliguntur zizania, & igni comburuntur: sic erit in consummatione seculi huius. Mittet filius hominis angelos suos, & colligent è regno illius omnia offendicula, & eos qui patrant iniquitatem, ac mittent illos in caminum ignis, ibi erit ploratus, stridorq; dentium.] Suprà hæc dicta sunt, quæ hic dicenda. Dicebamus enim quod de hæresibus accipiat, quæ permittuntur esse usq; ad consummationẽ seculi. Nam si exinderemus & occideremus hæreticos, seditiones fierent, & fortè etiam multi fidelium in seditionibus perirent: quoniam & Paulus & Iatro habuerunt olim zizania priusquàm crediderunt: non exacta autem sunt tunc propter futuram frugem. Postea autem fructum attulerunt Deo. Zizania uerò spiritus sancti igni combusta sunt & feruore. B

Tunc iusti fulgebunt sicut sol in regno patris sui. Qui habet aures audiẽdi, audiat.] Quoniã sol uidet nobis omnibus stellis fulgentior, propterea comparat soli iustorũ claritatem. † Num ut super solem fulgeant: absit,] quia sol iusticiæ Christus. Tunc iusti fulgebunt ut Christus. Erunt enim & ipsi dij.

† nam & super solẽ fulgebunt. fortasse aũt *Mal. 4.*

Iusti dij erunt.

Iterum simile est regnum cœlorũ thesauro in agro abscondito, quem homo qui inuenit, abscondit, & præ gaudio illius uadit & uendit uniuersa quæ habet, & emit agrum illum.] Ager mundus: thesaurus prædicatio & scientia Christi. Occultus est autem in mũdo. Sapientiã enim, inquit Paulus prædicamus abscõditam. Quærens autem scientiam Dei inuenit eam: & omnia quæ habet, siue gentilia dogmata, siue malos mores, siue diuitias, abijcit statim, & emit agrum, id est mundum. Nam qui scientiam habet Christi, possessionem propriam habet mundum, nihil enim habẽs omnia possidet, & elementa ei seruiunt, & imperat illis, sicut & Iesus & Moyses.

1. Cor. 2.

Iterum simile est regnum cœlorũ homini negotiatori quærenti bonas margaritas, qui cum inuenerit unam pretiosam margaritam, abiens uendidit omnia quę possidebat & mercatus est illam.] Mare est præsens uita. Negociatores, qui per hanc ambulant & quærunt scientiam quandã inuenire. Multæ enim margaritæ, multorũ sapientum opiniones. Vna autem pretiosa, una est ueritas, quæ scilicet Christus est. Igit̃ sicut de margarita tradit̃ quòd in concha nascat̃, quæ se aperit tempore fulgoris & dein iterum claudit: cõcipit̃ itaq; tum ex fulgore & rore, pretereaq; candida est: sic & Christus in uirgine cõceptus est, ex superno fulgore, spiritus sancti scilicet. Et sicut sæpe margaritam tenens in manu, ipse scit quantas habeat diuitias, alij autem ignorant: ita & prædicatio in obscuris & simplicibus abscondita est. Docet igitur ut datis omnibus margaritam hanc possideamus.

Margarita ut nascatur.

Iterum simile est regnum cœlorum sagenæ, quæ in mare missa, ex omni genere cõ

gre-

A gregauit, quam ut impleta fuisset subducentes ad littus, & sedentes collegerunt quæ bona sunt, in uasa: quæ uerò mala, foràs eiecerunt. Sic erit in consummatione seculi. exibunt angeli, & separabunt malos de medio iustorum, & mittent eos in caminũ ignis, ubi erit fletus & stridor dentium.] Terribilis est hæc parabola. ostendit enim ꝙ licet credamus, non habeamus autem uitam bonam, in ignem proijciemur. Sagena quidem est doctrina piscatorum apostolorum, quæ ex miraculis & testimonijs prophetarum connexa est. Quæ enim docebant Apostoli, firmabant miraculis, & prophetarum uocibus. Hæc igitur sagena ex omni genere congregauit, barbaros, Græcos, Iudæos, meretrices, publicanos, latrones. Quando aũt impleta fuerit, & consummabitur mundus, tunc qui in sagena fuerint, discernentur. Nam licet crediderimus, inuenti autem fuerimus mali, abijciemur. Qui autem non tales, in uasa mittent æterna tabernacula dico. Omne autem opus, siue bonũ, siue malum, cibus dicitur esse animæ. Habet enim anima spirituales dentes. Tunc autem anima stridebit illis, hoc est operatiuas suas uirtutes conteret, eo quòd hæc fecerit.

Dicit illis Iesus, Intellexistis hæc omnia? Dicunt illi, Etiam Dñe. At ille dixit illis, propterea omnis scriba doctus ad regnum cœlorum, similis est patrifamiliâs qui depmit de thesauro suo noua & uetera.] Vidisti quomodo parabolę attentiores eos fecerint? Ecce igitur qui aliàs insipientes, & imperiti, intelligunt ea quę obliquè dicta. Vnde laudans eos Saluator, dicit, Omnis scriba &c. Scribas eũ uocat eos, ut doctos in lege, & licet docti essent in lege, non manserunt tamẽ in lege, sed docti sunt ad regnum, hoc est Christi scientiã & possunt proferre ea quæ ex nouo & quę ex ueteri. Paterfamiliâs igit̃ Christus ut diues. In ipso enim thesauri sunt scientiæ, qui noua docens, ex ueteri subiungebat testimonia. exẽpli gratia dixerat, ꝓ ocioso sermone rationem reddes, hoc enim nouũ: deinde addidit testimoniũ, Ex sermonib. enim tuis iustificaberis, & condemnaberis, hoc uetus. In hoc similes Apostoli, qualis Paulus docens, Imitatores mei estote, sicut & ego Christi. *Matth. 12. Pro. 18. 1. Cor. 4.*

B Et factum est, ut cum finisset Iesus parabolas has, digrederetur illinc. Et cum uenisset in patriã suã, docebat eos in synagoga illorũ.] Has dixit parabolas, quoniã, & paulo pòst † docturus erat.] Trãsit aũt, ut & alijs sua pręsentia ꝓsit. Patriã aũt illius Nazareth intellige, nam in ista educatus est. Cęterũ in synagoga docet publicè & liberè, ne dicere postea possint quòd quædam à lege diuersa docuerit. † dicturus erat.

Ita ut stuperent, ac dicerent: Vnde huic sapientia hæc & uirtutes? nónne hic est ille fabri filius? nónne mater eius uocatur Maria, & fratres eius Iacobus, & Ioses, & Simon & Iudas? & sorores eius nónne omnes apud nos sunt? Vnde igit̃ huic hæc omnia? & offendebantur super eo.] Insipientes erant Nazareni, existimabãt enim ignobilitatem & obscuritatem maiorum in causa esse quo minus quis Deo placeat. Esto enim quòd humilis homo fuerit Iesus, an nõ & Deus? Quid obstaret magnum illum in miraculis fieri? Comprobant̃ igitur & inuidi, & insipientes. Oportebat sanè magis gloriari, quòd tantum bonum patria eorum protulerit. Fratres autem habuit Dominus & sorores, Ioseph filios, quos genuit ex uxore fratris sui Clopæ. Mortuo enim absq; liberis Clopa, Ioseph iuxta legem uxorem eius accepit, & pueros ꝓcreauit sex, quatuor mares, & duas fœminas. Mariam quæ dicebatur Clopæ filia, secundum legem, & Salomen. Apud nos sunt, hoc est nobiscũ habitant. Offendebant̃ igit̃ & illi super Iesu. Fortasis eũ ipsi dicebãt quòd in Beelzebul eijceret dæmonia. *Ioseph ex Clopæ fratris uxore sex liberos habuit.*

Iesus autem dixit illis, Non est propheta honoris expers, nisi in patria sua, & in domo sua. Et non fecit illic uirtutes multas, propter incredulitatem illorum.] Vide Christum quomodo non iniuria eos afficit, sed mansuetè dicit, Non est propheta honoris expers & c. Solemus enim homines familiares contemnere, & externos in admiratione habere. Quod autem adijcit, in domo sua, ideo fecit, quia oderant eum & fratres sui domestici. Porrò illic uirtutes multas non fecit, propter iucredulitatem illorũ parcens eis, ne post signa increduli manentes grauius punirent̃. Multa igitur nõ fecit, pauca autem fecit: ne possent dicere ꝙ si ulla fecisset, credidissemus. Tu autem intellige quòd & hodie Iesus in patria sua, hoc est apud Iudæos ignominiosus est: nos autem exteri illum ueneramur.

Universidad de Deusto
Biblioteca

CAPVT XIIII. A

IN illo tempore audiuit Herodes tetrarcha famam de Iesu, & dixit pueris suis, Hic est Ioannes Baptista, ipse surrexit à mortuis, & ideo uirtutes agunt in illo.] Hic Herodes erat filius eius qui pueros in Bethlehem occidit. Considera autem hic fastum uitæ tyrannicæ. Ecce enim post quantum tempus fama de Iesu ad Herodem peruenit. Qui enim potentatu sunt prædíti, tardè ista discunt, eo quòd non curent eos qui uirtute sunt conspicui. Apparet autem quòd Baptistam timuerit, & propterea de his non alijs q̃ pueris, hoc est seruis, effari audet. Quoniam autem uiuens Ioannes signum non fecerat, putauit Herodes quòd per resurrectionẽ acceperit etiam hoc donum à Deo, ut miracula operetur.

Herodes enim ceperat Ioannẽ, & uinxerat ac posuerat in carcere propter Herodiadem uxorem Philippi fratris sui. Dicebat enim ei Ioannes, Non licet tibi habere eam. Et uolens eum occidere, metuebat turbã, ꝓpterea quòd illum ceu prophetam habebant.] Narrationis huius de Ioanne in superioríb. nõ meminit Matthæus, eo quòd scopus illi erat ea duntaxat scribere quæ ad Christũ spectabant. Sanè nec nunc meminisset eius, nisi & hoc ad Christum retulisset. Arguit autem Ioannes Herodem, ut fratris uxorem non legitimè habentem. Lex enim iubebat fratris uxorem ac- *Deut. 7.*
cipere tunc fratrẽ quãdo ille absq; liberis defungeretur. Hic aũt Philippus nõ absq; liberis defunctus erat. Erat enim ei puella quæ saltabat. Sunt autẽ quidã q̃ dicunt q̃ etiã adhuc uiuente Philippo Herodes ei abstulerit uxorem, & tetrarchiam. Siue autem hoc, siue illud erat, illicitum erat facinus. Nõ timebat autem Deum, sed turbam timebat, unde distulit cædem: at diabolus opportunum tempus sibi inuenit.

Cum autẽ celebrarentur natalia Herodis, saltabat filia Herodiadis, in medio, & placuit Herodi, unde cum iureiurando pollicitus est se illi daturum q̃dquid peteret. At illa prius instructa à matre sua, Da mihi, inqt, hic in patina caput Ioannis Baptistæ. Vide luxum, Regina saltat, & quãto pulchrius saltauit, tãto peius. Turpe eñ est reginę, aliq̃d indecorum dextrè facere. Cõsidera autem aliã insipientiã Herodis. Iurauit quicq̃d peteret daturũ se. Quòd si caput tuum petisset, dedisses ne illud? Da mihi, inquit, caput Ioannis. Quare apposuit hic? Timebat ne fortè Herodes resipiscens postea pœnitudine duceretur: propterea urget dicens, Da mihi hic. B

Et indoluit rex: attamen propter iusiurandum & accumbentes iussit dari. Et cum misisset carnifices, amputauit caput Ioãnis in carcere, & allatum est caput eius in patina, & datum puellæ, atq; illa obtulit matri suæ. Et accesserunt discipuli eius, & tulerunt corpus & sepelierunt illud.] Indoluit propter uirtutem. Admiratur enim uirtutem & hostis, attamen ꝓpter iusiurandum dat donum inhumanum. Discamus autem hoc loco esse aliquando melius peierare q̃ propter iuramentum impium aliq̃d facere. Sepultum autem est corpus Baptistæ in Sebaste Cæsarea. Venerabile autem eius caput primum in Emesan repositum fuit.

Melius plerũq; peierare, quàm obiuramentũ quid facere impium.

Abieruntq; & renunciauerunt Iesu.] Quid annunciãt Iesu: nõ q̃ mortuus esset Ioannes, nam id fama statim attulerat, sed q̃ Hærodes de Iesu diceret, q̃ Ioãnes esset.

Id cum audisset Iesus, secessit illinc in nauí ad desertum locum seorsum.] Secedit Iesus propter Herodis homicidium, docens nos ne obijciamus nosipsos temere in pericula, & interim ne uideat iuxta apparentiã tantum incarnatus, propterea secedit. Si enim tenuisset eũ Herodes, conatus fuisset illum occidere: & si conante hoc Herode, Iesus seipsum è medijs periculis eripuisset, eo quòd nõdum instabat tempus mortis, habitus fuisset phantasma esse, & eapropter secedit. In desertum autem locũ seorsum, ut miraculum illud de panibus operaretur.

Pericula nõ temerè adeunda.

Et cum audissent turbæ, secutę sunt eum itinere pedestri relictis urbibus. Et egressus Iesus uidit multam turbam, & miseratus illam, sanauit infirmos illorum.] Fidem indicant turbę unde & ad secedentẽ accurrunt, & ideo sanitatem fidei mercedẽ deportãt. sed & q̃ pedestri itinere incedunt, & q̃ absq; cibis ueniunt, fidei signa sunt.

Facta autẽ uespera accesserunt ad eum discipuli ipsius dicẽtes, Desertus est locus, & hora iam præterijt: dimitte turbas ut abeãt in uicos, & emant sibi cibaria. At illis dixit Iesus, Nõ est illis necesse ut abeãt, date illis uos quod edãt.] Misericordes sunt

discipuli. Curam enim gerunt turbæ, & propterea nolūt eam ieiunā esse. Quid igitur saluator? Date uos illis quod edant. Hoc autem dicit, nō tanquam ignorans in quanta Apostoli egestate essent: sed ut dicentibus illis se nō habere q̄d edant, appareat ipsum nō inanis gloriæ studio, sed necessitate ad operandum miraculum procedere.

A Ac illi dicunt ei, Non habemus hic nisi quinq; panes, & duos pisces. Ille uerò dixit, Afferte mihi eos huc. Et iussit turbas ut discumberent super gramina, sumptisq; quinq; panib. ac duobus piscibus, ac sublatis in cœlum oculis benedixit.] Nam licet uespera sit, tamen temporū ego conditor adsum: licet desertus locus sit, tamē sum ego qui omni carni escam do. Discamus aūt hoc loco q̄ etiam pauca quæ habemus, in hospitalitatē insumere debemus. Etenim apostoli pauca habentes, dederunt turbis: & quemadmodū pauca hæc multiplicauit, ita & tua pauca multiplicabuntur. Facit autem turbas super gramina considere, frugalitatem docens, ne tu in preciosis lectis & stratis recumbas. Porrò suspicit in cœlū & benedicit panes: fortassis ut maior fides ei habeatur q̄ non sit contrarius Deo, sed cœlitus & à patre uenerit. Docet quoq; ut & nos mensam accedentes, primùm gratias agamus, & sic comedamus.

Et cum fregisset, dedit discipulis panes, discipuli uerò turbis. Et comederunt omnes, & saturati sunt, & sustulerunt quod superfuerat de fragmentis, duodecim cophinos plenos. Porrò q̄ comederāt, fuere uiri fermè quinquies mille, præter mulieres ac pueros.] Discipulis dat panes, ut in memoria semper habeāt miraculū, & ne effluat à cogitatione eorū, tametsi illi citò obliuiscebātur. Ne aūt opineris q̄ apparenter tantùm miracula fecerit, multiplicantur usq; ad impletionem duodecim cophinorum panes, ut & Iudas portet, & ad prodendum nō sit peruicax, miraculū secum cogitās. Panes aūt multiplicat & pisces, ut ostendat q̄ ipse sit qui terrā & mare condiderit, & omnes cibi nostri ab ipso nobis dentur, & per ipsum multiplicentur. Cæterùm in deserto fit miraculum, ne quis opinetur è ciuitate uicina emptos panes, multitudiniq; distributos. desertū enim erat. Et hoc quidē secundū historiā. Iuxta anagogen aūt dicce. Postq; Herodes, hoc est carnalis & pellicea mens Iudęorum (ita enim Herodes
B sonat) decollauit Ioannem prophetarū caput, hoc est de Christo prædicentibus nō credidit, secedit Iesus in desertum locum, ad gentes à Deo destitutas, & sanauit infirmas animas, & deinde pauit eas. Nam nisi remiserit nobis peccata, & sanauerit morbos per baptismum, non pascet nos communione impollutorum mysteriorum. Nullus enim non baptisatus communicat. Iam quinq; milia signant eos quorū quinq; sensus malè affecti erant, qui & per quinq; panes curantur. Enimuerò quia quinq; sensus infirmabantur, quot plagę erant, tot erant & emplastra. Duo uerò pisces, piscatorum sermones. Vnus piscis Euangelium, alius piscis Apostolus. Quidam quinque panes, quinq; libros Moysi intellexerunt, Genesim, Exodum, Leuiticum, Numeros, Deuteronomium. Duodecim autem cophini fuerunt sublati ab Apostolis, & portati. Quæcunq; enim nos turbæ comedere & intelligere non potuimus, eorum Apostoli capaces portarunt. Excepit autem mulieres ac paruulos. Exigitur enim à Christiano ne quid puerile uel muliebre præ se ferat.

Et statim coegit Iesus discipulos suos intrare in nauim, & præcedere se in ulteriorem ripam, donec dimisisset turbas.] Vt significaret q̄ indiuulsi essent à Domino discipuli, dixit, coegit. semper enim ei adesse uolebant. Dimittit autem & turbas, nolens ipsas subsequi, ne arrogantiæ studiosus uideretur.

Et dimissis turbis, ascendit in montem ad orandū seorsum. Cum autem aduenisset uespera, solus erat illic. Cæterùm nauis iam in medio maris erat, & afflictabatur à fluctibus. nam uentus erat aduersus.] Ostendens nobis quòd oporteat absq; distractione mentis precari, in montē ascendit. omnia enim propter nos facit, neq; enim ipse precibus opus habet. Vsq; ad uesperam autem precatur, docens quòd nos non statim ab orationibus discedere debeamus, sed & nocte potissimum illis uacare, tūc enim maior quies. Permittit autem discipulos in tempestate, quo discant tentationes ferre fortiter, suamq; agnoscant uirtutem. In medio autem maris nauigium, signat maiorem esse timorem.

Quarta aūt noctis uigilia abijt ad illos Iesus, ambulās super mare, & ubi uidissent

cum

Universidad de Deusto
Biblioteca

eum discipuli super mare ambulantē, turbati sunt, dicentes, Spectrū est, ac præ me- A
tu exclamauerūt: sed statim locutus est illis dicens, Fidite, ego sum, ne terreamini.]
Non mox astitit eis ut tempestatē sedaret, docens nō statim petendā aduersitatum
Vigiliæ noctis iuxta militarē disciplinā partitæ. solutionem, sed ferendas fortiter. at circa quartā uigiliā. In quatuor enim partes no
ctem diuidunt custodes iuxta militarē disciplinā, singulis per tres horas suam ser-
uantibus custodiam. Dominus autē post nonā horā noctis ambulans supra aquā
tanq; Deus astitit. Illi aūt rem tam rarā ac insolitā spectantes, putabant spectrum
esse. Neq; enim à specie ipsum cognoscebant, partim propter noctē, partim ppter
metum. Ille aūt animās illos, primū eis dixit, Ego sum, qui omnia possum: fidite.

Respondens aūt illi Petrus dixit, Domine, si tu es, iubeto me uenire ad te super
aquas.] Feruentissima Petri erga Christum charitas erat. desiderabat enim statim
prope illum esse, & præ alijs. Credidit aūt q; Iesus nō solum ipse ambularet super
aquas, sed & sibi daturus esset hoc. Non dixit aūt, Iube me ire, sed, ad te ire. Nam
illud ostentationis est, hoc autem amoris in Christum.

Ille aūt dixit, Veni. Et cum descendisset è naui Petrus, ambulabat super aquas,
ut iret ad Iesum. Cæterū cum uideret uentum ualidū, territus est: & cum cœpisset
demergi, clamauit dicens, Domine serua me.] Substrauit Dominus Petro mare,
suam declarans uirtutem. Attende aūt quòd maiori periculo nempe maris supe-
rato uentum timuit: ita infirma est humana natura: & statim ut timuit, cœpit sub-
mergi, quando enim fides infirma est, tunc in profunda descendit Petrus. Hoc
aūt fecit, ne ille superbiret, & alios solaretur discipulos, fortè enim inuiderunt, sed
† superet & Christus quantum ipsum † amet,] ostendit.

Confestim aūt Iesus extenta manu apprehēdit eum, & dixit illi, Paruę fidei, ad qd
formidasti? Et ingressis illis in nauim, cōquieuit uentus. Porrò qui in naui erant ac
cesserunt ad eum, & adorauerunt dicentes, Verè Dei filius es.] Ostendens Christus
non uentum, sed pusillanimitatem submergendi causam esse, non uentum increpat, B
sed Petrum pusillanimem. Ideo & apprehensum eum statuit super aquam per
misso uento flare. Non omnino autem dubitabat Petrus, sed secundum quid, hoc
est ex parte, nam iuxta id quod dubitauit, incredulus fuit: iuxta id autem quod cla-
mauit, Domine serua me, curauit incredulitatem. Ideo paruæ fidei dicitur, nō incre
dulus. Igitur qui in naui, & ipsi metu soluti sunt. Cessauit enim uentus. Et ex his co-
gnito Iesu, confessi sunt eius deitatem. Neq; enim hominis est super mare ambu-
Psal. 70. lare, sed Dei: sicut & Dauid dicit, In mari uiæ tuæ, & semitæ tuæ in aquis multis. Iu
xta anagogē autem, nauis terra, fluctus uita à malis spiritibus turbata, nox ignoran
tia. In quarta igitur uigilia, ad finem seculorum astitit Christus. Prima uigilia, fœ-
dus cum Abrahā: secunda, lex Moysi: tertia, prophetę: quarta, Domini aduentus.
Ipse eīm seruauit nos fluctibus agitatos, ueniens ad nos, ita ut eum cognosceremus,
& ut Deum adoraremus. Vide autem & hoc quòd negationem Petri, & deinde e-
ius conuersionem & pœnitentiam præsignarunt ea quæ ipsi in mari acciderunt.
Marc. 14. Nam sicut illic dicebat confidens, Non te negabo: sic & hic, Iube me uenire ad te
super aquas, sicut tunc permisit negare, ita & hic permittit mergi. Hic manum ei
porrexit Dominus, & non permisit eum submergi: ita tunc per pœnitentiam eum à
profundo negationis extraxit.

Et cum traiecissent, uenerunt in terram Genezareth. Et cum agnouissent illum
uiri loci illius, emiserunt nuntios in totam undiq; finitimam regionem, & attule-
runt illi omnes male habentes, & obsecrabant eum ut tantum tangerent fimbriam
uestimenti ipsius, & quotquot tetigerunt eum salui facti sunt.] Genezareni Christū
Fimbriam uestimenti Christi tangere. multo tempore apud se uersantem non solum ex aspectu, sed etiā ex miraculis a-
gnoscentes alacrem exhibuerunt fidem, ita ut cuperent & fimbriam contingere,
atq; ita curati sunt. Sic & tu quoq; summitatem uestis Christi contingito, hoc est
finem incolatus sui in carne. Si enim credideris q; assumptus est, saluaberis. Ve-
stis enim caro: fimbria aūt eius finis uitæ.

CAPVT XV.

TVnc accedunt ad Iesum Hierosolymitani scribæ & pharisæi, dicentes, Qua-
re discipuli tui transgrediuntur traditionem seniorum? nō enim lauant manus
suas

A fras quando edunt panem.] Quanquam in omnibus locis erant scribæ & pharisæi, magis tamen uenerabiles erant Hierosolymitani: ideo illi magis inuidebant, utpote inanis gloriæ magis appetentes. Morem autem habebant Iudæi non comedere illotis manibus, idq; ex patrum traditione. Has igitur traditiones ut uidissent non obseruari à discipulis, putauerunt illos contemnere seniores. Nihil igitur ad hoc respondet, sed uicissim reprehendit eos.

At ille respondens dixit eis, Quare & uos transgredimini præceptum Dei propter traditionem uestram? nam Deus præcepit dicens, Honora patrem & matrē: & qui maledixerit patri aut matri, morte moriatur: uos autem dicitis, Quicunq; dixerit patri aut matri, quicquid doni à me profecturum erat, id in tuum uertetur commodū, & non honorabit patrem suum, aut matrem suam: & irritum fecistis præceptū Dei propter traditionem uestram.] Pharisæi accusabant discipulos quasi mandatum seniorum præuaricantes: Christus autem ostendit ipsos Dei legem præuaricari. Docebant enim pueros ne quid darent parentibus, sed offerrent quæcunq; habebant in gazophylacium templi. Erat autem in templo thesaurus, in quem quisquis uolebat quippiam immitteret, uocabaturque ille gaza, at distribuebatur in pauperes thesaurus. Pharisæi igitur persuadebant pueris nequid darent parentibus, sed offerrent in thesaurum templi: docebantq; ipsos ut dicerent, Donum Dei est, id est oblatum Deo est ô pater, id quod per me tibi usui esse cupis. Et sic partiebant ipsi cum †pauperib. & parentes relinquebantur & contemnebantur, nec in senecta alebantur. Faciebāt autem hoc & fœneratores. Si quis enim cuipiam dedisset ad usuram pecunias, & deinde malus debitor non esset soluendo, dicebat fœnerator ad illum ingratum debitorem, Corban est quod debes mihi, hoc est donū Deo oblatū. Debitor igitur tunc quasi Deo debens, etiā inuitus dinumerabat. Hoc docebant pharisæi pueros facere.

Exod. 20. Deut. 5. †filijs

Hypocritæ, bene prophetauit de uobis Esaias dicens, Appropinquat mihi populus hic ore suo, & labijs me honorat, cæterùm cor eorum procul abest à me. Sed frustra me colunt docentes præcepta doctrinas hominū.] Ostendit Esaiæ uoce q̄ etiam tales sint erga patrem suum, quales & erga se inueniunt. Nam cum mali essent, propter mala opera lōgè fiebant à Deo, & diuinū sermonē solo ore loquebantur. Frustra enim colunt & putant se colere Deum, qui per opera illum dehonorant.

Esa. 29.

B

Et aduocatis ad se turbis, dixit eis, Audite & intelligite. Nō quod ingreditur os, impurat hominē: sed quod egredit ex ore, hoc impurū reddit hominē.] Non loquit ultra pharisæis, utpote incurabilibus: turbæ aūt loquitur, & per q̄ illos ad se aduocat honorē illis deferre uidetur, ut suscipiāt sermonē suū: & inquit, Audite, & intelligite, excitās eos, & attētos faciēs. Quia aūt pharisæi arguerāt discipulos quòd illotis manibus comederēt, Dñs de cibis dicit quòd nullus cibus coinquinet hominē, uel impuret. Et si cibus non impurat, multo minus illotis comedere manibus. Coinquinat enim intus hominē dicere quæ nō oportet. Notat aūt latenter pharisæos per illa uerba, qui dicentes inuidorū uerba coinquinabantur. Vide autem sapientiam quomodo neq; manifestè illotis manibus comedere approbat, neq; auersatur, sed aliud quiddā docet, quòd † eijciant] è pectore malos sermones.

†nō eijciāt

Tunc accedentes discipuli eius dixerūt illi, Nosti pharisæos audito sermone isto offensos fuisse? At ille respondens dixit.] Discipuli propter pharisæos dicunt q̄ offensi sint, tametsi etiā ipsi turbati fuerint, quod manifestū ex eo q̄ accesserit Petrus, & interrogauerit de hoc. Igitur Iesus cum audisset quod offensi essent pharisæi, dixit.

Omnis plantatio quam non plantauit pater meus cœlestis, eradicabitur. Omittite illos, duces sunt cęci cęcorum. Porrò si cæcus cæco dux fuerit, ambo in foueam cadēt.] Seniorum traditiones & Iudæorum præcepta eradicatum iri dixit, non legalia, ut existimant Manichæi. Lex enim plantatio est Dei, non igitur illa eradicata est. Manet enim radix eius, id est spiritus qui in occulto est. Folia autem, hoc est apparens litera, defluunt. Legem enim ultra nō iuxta literam, sed iuxta spiritū intelligimus. Quoniā aūt desperati ac incurabiles erant pharisæi, dixit, Omittite illos. Hinc enim discimus, q̄ offendi illos qui sponte offenduntur, & incurabiles sunt, nō est nobis damnosum. Præceptores aūt illos dicit cæcos cæcorum duces, ut ab eis turbas abducat.

Lex Dei plantatio est, adeoque non est eradicata.

Respon-

Respondens aũt Petrus dixit ei, Dic nobis parabolam hanc.] Petrus quia sciebat A
legẽ prohibere promiscuè esum omnium, & timebat dicere Iesu, Ex his quę dixisti,
offendimur: apparent enim legi aduersa esse: simulat ignorantiam, & interrogat.

Iesus aũt dixit, Adhuc & uos intelligentia caretis? Nondum intelligitis quòd quic
quid ingreditur in os, in aluũ abit, & in secessum eijcitur? At ea quæ proficiscuntur
ex ore, ex ipso corde egrediuntur, & illa impurum reddunt hominem. Nam ex cor
de exeunt cogitationes malæ, adulteria, stupra, furta, falsa testimonia, conuicia. Hæc
sunt quæ impurant hominem. Cæterũ illotis manibus cibum capere, non inquinat
hominem.] Increpat discipulos saluator, & insipientiam exprobrat uel ut offensis,
uel ut manifesta ignorantibus. Dicit igitur, Non intelligitis quod omnes intelligunt
& sciunt? Cibi enim non manent intus, sed infra exeunt per aluum, & nullum homi
nem in anima coinquinant, non enim manent intus. Cogitationes autem intrinse-
cus nascuntur, & manent illic, & egredientes, hoc est, in opus procedentes & actus
inquinant hominem. Cogitatio enim scortationis intrinsecus manens maculat, &
egrediens in opus maculat.

Et digressus illinc Iesus, secessit in partes Tyri & Sidonis: & ecce mulier Chana-
næa quæ à finibus illis uenerat, clamabat ad illum dicens, Miserere mei Domine fi-
li Dauid: filia mea miserè à dæmonio agitatur. Ille uerò non respondit ei uerbum.]
Supra 10. Marci 7. Quare discipulos prohibuit ire in uiam gentium, ipse autem in Tyrum & Sidonem
gentilium ciuitates iuit? Disce igitur quòd non ut prædicaturus iuit illuc, quia (ut
Marcus dicit) & occultauit se. Vel aliter dic, quia uidit pharisæos nolle suscipere ser-
monem de cibis, transiit ad Gentes. Miserere autem dicit, non filiæ meæ (illa enim
sensu caret) sed mei, quæ tam grauia patior & sentio. Nec dicit, Veni, & sana, sed mi
serere. At ille non respondit ei uerbum, non quòd contemnat, sed ut ostendat quòd
propter Iudæos uenerit, prius illos docens: & ut occludat calumnias eorum, ne B
possint postea dicere quòd gentilibus benefecerit ipsis cõtemptis. Ad hæc etiam fir
mam mulieris fidem manifestam reddit.

Et accedentes discipuli eius rogabant illum dicentes, Omitte illam, nam clamat
post nos. At ille respõdens dixit, Nõ sum missus nisi ad oues quæ perierunt domus
Israel.] Discipuli grauatim ferentes clamorem mulieris, rogabant, Dimitte eam, hoc
est obsecrabant ut ablegaret illam à se. Hoc autem faciebant non tanquam immiseri
cordes, sed magis uolentes persuadere Domino ut misereretur ei. At ille inquit, Nõ
sum missus nisi ad Iudæos, qui sunt oues perditæ per eorum malitiam, quibus fuerãt
concreditæ. Per hoc autem amplius euulgat fidem mulieris.

Illa uerò uenit & adorauit illum dicens, Domine, succurre mihi. At ille respon-
dit, ac dixit, Non est bonum sumere panem filiorum, & obijcere catellis. Illa aũt
dixit, Etiam Domine. Etenim catelli comedunt de micis quæ cadunt de mensa do-
minorum suorum.] Postquàm uidit mulier patronos suos repulsam passos, iterũ Do
minum feruenter accedit, & inuocat ut Dominum. Quia autem Christus canem il-
lam dixerat, eo quòd gentiles impuram agerent uitam, & in sanguine idolis immola
torum uersarentur, filios uerò Iudæos: illa ualde sapienter & magno intellectu re-
spondit, Quamuis & canis sim, & indigna quæ panem accipiam, hoc est uirtutem,
& signum magnum: sed hoc quod paruum quidem, quantum ad uirtutem tuam at-
tinet, mihi autem magnum fuerit, da, sicut & qui panes comedunt, non magni faciũt
si micas dent: canes autem bene ex his pascuntur.

Tunc respondens Iesus dixit illi, O mulier, magna est fides tua, fiat tibi sicut uis.
Et sanata est filia eius ex illa hora.] Nunc manifestat Iesus causam propter quam sa-
nationem ab initio distulerit, nempe ut fides & prudentia mulieris clarescat. Propte
rea non statim ab initio annuit Christus, sed magis illam à se amandauit: nunc autẽ
quandoquidem eius fides manifestata est, laudat eam, Magna est fides tua. Hoc
autem quod dicit, Fiat tibi sicut uis, ostendit quòd nisi fidem habuisset, nihil fuisset
De intercessione sanctorum. assequuta. Atq; ita si uoluerimus & nos, nihil uetat & nos assequi quæ uoluerimus.
Obserua autem quòd licet sancti orent pro nobis, sicut pro illa apostoli, attamẽ nos
pro nobis ipsis petentes magis audimur. Est autem Chananæa symbolum ecclesiæ è

gen-

A gentibus collectæ. Nam & gentes prius repulsæ fuerunt, & postea in filiorum ordine allectæ, & obtinuerunt panem corporis Domini. Iudæi autem canes facti, ex micis uidentur pasci, hoc est paruitate & uilitate literæ. Significat enim Tyrus cohibitionem, Sidon autem uenantes: Chananæa, præparata humiliationi. Gentiles igitur qui malitia tenebantur, inter quos fuerunt uenatores animarũ dæmones, humilitate sunt præparati. Iusti enim sublimi regno Dei sunt præparati.

Et progressus illinc Iesus, uenit iuxta mare Galileæ, & cõscenso monte sedebat illic: & accesserunt ad eum turbæ multę, habentes secum claudos, cæcos, surdos, mutilos, & alios multos, & abiecerũt eos ante pedes Iesu, & sanauit eos, adeò ut turbæ miratæ sint cum uiderent mutos loqui, mutilos esse sanos, claudos ambulare, cæcos uidere: & glorificabant Deũ Israel.] Non cõtinuò uersatur in Iudæa, sed Galilæa, propter multã incredulitatẽ Iudæorũ. Galilæi enim fideliores illis erant. Vide igitur fidem illorũ, quomodo & in montẽ ascendãt claudi existẽtes & cęci, nõ segnes sunt, sed & ad pedes Iesu obijciunt, utpote illũ supra hominẽ esse existimantes, unde & sanitatẽ assequuti sunt. Et tu igitur ascende in montẽ mandatorũ, ubi sedet Iesus: & si cæcus fueris, nõ ualens uidere per teipsum quod bonũ: & si claudus, uidens quidẽ quod bonũ, non ualens aũt ad hoc peruenire: & si surdus qui neq; aliũ audias admonentẽ, neq; alium admonere ualeas: & si mutulus sis, nõ ualens extẽdere manũ ad eleemosynã: & si alio quodã morbo teneare: prosternas te ad pedes Iesu, & uestigia uitæ illius attinge, curãq; habebis.

Iesus autem uocatis ad se discipulis suis dixit: Miseret me turbæ, propterea quòd iam triduum perseuerant apud me, & non habent quod edant: & dimittere eos ieiunos nolo, ne deficiãt in uia.] Turbæ quidem nõ audebãt panes petere, utpote qui ad recipiendam sanitatem uenerant. ipse autem misericors existens, curam agit: & ne quis dicere possit quòd alia uiatica habeant, inquit quòd si etiam habuissent, fuissent cõsumpta. Tres enim iam dies sunt. Ostendit autem quòd à longè uenerint, dicendo, nẽ deficiant in uia. Hæc autem dicit ad discipulos, excitare eos uolens ut dicãt ipsi quòd possit eos alere, sicut & quinq; milia: sed illi adhuc sapientia carebant. *Supra 14. Ioan. 6.*

B Et dicũt illi discipuli eius: Vnde nobis in solitudine panes tã multi ut saturemus turbam tantã?] Quãuis nõ oportebat illos oblitos esse q; & prius plures pauerit in solitudine, sed stupidi erãt, ut cũ postea hos uideris tanta sapiẽtia præditos, mireris Dei gratiã.

Et dicit illis Iesus, Quot panes habetis? Illi autem dixerunt, Septem, & paucos pisciculos. Et iussit turbas discumbere in terra, & sumpsit septem panes ac pisces: & postquam gratias egisset, fregit, deditq; discipulis suis: discipuli aũt turbæ. Comederuntq; omnes, & saturati sunt. Et sustulerunt quod supererat fragmentorum, septem sportulas plenas. At hi qui comederant, erant quatuor mille uiri, præter mulieres & pueros.] Frugalitatem docens, super terram recumbere iubet: & gratias agere ante cibum docens, gratias agit & ipse. Rogas autem, quo pacto illic quidem quum essent quinq; panes, & quinq; milia aliti essent, duodecim cophini superfuerunt: hic autem quum essent pauciores pascendi, & plures panes, septem sportæ? Dici igitur posset quòd sportę maiores essent cophinis, uel ne æqualitas miraculi eos obliuiisci faceret. Nam si nunc quoq; superfuissent duodecim cophini, obliti fuissent ob æqualitatem, q; iterum miraculum fecisset in panibus. Tu aũt & hoc scias, q; quatuor milia, hoc est qui quatuor uirtutes rectè possident, hi septem panibus, hoc est magis spiritualibus & perfectis sermonibus pascuntur. Septenarius enim numerus, septem spiritualium donorũ est symbolum. Discumbunt autem super terrã, quia omnibus terrenis superiores sunt, & calcant ea: sicut & quinq; milia super fœnum discubuerũt, hoc est carnem & gloriã subiecerunt. Omnis enim caro fœnum, & omnis gloria hominis sicut flos fœni. Septem autem sportæ hoc loco reliquiæ, eo quòd spiritualia & perfectiora fuerunt, quæ non potuerunt comedere. Illa igitur supererant, quæ septem sportæ capiunt, hoc est quæ solus sanctus spiritus scit. Spiritus enim omnia scrutatur, etiam profunditates Dei. *Gratias agere Deo ante cibum exemplo docet Christus.* *Eccl. 15. Esaiæ 40.* *1. Cor. 2.*

Et dimissus turbis conscendit nauim, uenitq; in fines Magdala.] Secedit Iesus. Nullum enim signum plures, ut eum sequerentur, incitabat, quàm illud quod in multiplicandis panibus fecerat. Ita ut etiam (quemadmodum ait Ioannes) in regem assumpturi erant illum. Vnde & secedit, quo tyrannidis effugiat suspicionem. *Ioan. 6.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

CAPVT XVI.

A

ET aggressi Pharisęi unà cum Sadducæis, tentantes rogabant eum ut signum è cœlo ostenderet sibi.] Tametsi dogmatis dissideant Sadducæi & Pharisæi, nihilominus tamen contra Christum conspirant. Signum autem è cœlo petunt, ut sistere solem uel lunã. Existimabãt enim quòd signa quæ super terrã fiebant, diabolica uirtute & in Beelzebul fierent. Ignorabant enim insipientes quòd & Moses in Aegypto multa si-
Exod. 7. 8. 9. 10. gna super terram fecerat, & ignem è cœlo descendisse super pecora Iob à diabolo erat,
Iob 1. atq; adeò non omnia quæ è cœlo, à Deo: neq; quæ in terra omnia, à dæmonibus.

At ille respondens dixit eis, Cum cœperit esse uespera, dicitis, Serenitas erit, nam rubet cœlum. Et mane, Hodie tempestas, rubet enim cœlũ triste. Hypocritæ, faciem cœli scitis dijudicare, signa uerò temporum non potestis.] Reprehendit tentatiuam illorum quæstionem, hypocritas ipsos nominans: & inquit, sicut signorum apparentium in cœlo aliud quidem pluuiarum, aliud autem serenitatis indicium est: & nemo uidens pluuiarum signum, serenitatem requirit: uel serenitatis signum uidens, pluuias timet:
Infrà 24. Marc. 13. sic & de me cogitare oportet, quòd aliud tempus huius aduentus, & aliud futuri. Nunc opus est miraculis in terra: quæ autem in cœlo fient, usq; in illud tempus reseruabuntur, quo sol extinguetur, luna occultabitur, cœlum immutabitur.

Natio praua & adultera signum requirit, & signum non dabitur ei nisi signum Ionæ prophetæ. Et relictis illis abijt.] Natio mala, utpote tentãs: & adultera, ut deficiens
Ionæ 2. à Deo, & adhærens diabolo. Petentibus autem signum è cœlo, non dat nisi signum Ionæ prophetæ, hoc est quòd in uentre magni ceti, hoc est mortis, factus triduanus, resurget. Hoc autem signum etiam è cœlo esse dixeris. In morte enim eius obtenebratus est sol, creatura omnis immutata est. Vide autem sermonem, Signũ non dabitur ei nisi signum Ionæ prophetæ. Ipsis enim data sunt signa, hoc est, propter ipsos facta sunt, tametsi non crediderint. Proinde & relictis illis ut incurabilibus, abijt.

Et cum uenissent discipuli eius in ulteriorem ripam, per obliuionem non acceperunt panes. At Iesus dixit illis, Videte & cauete à fermento Pharisæorũ & Sadducæo- B
rum.] Quemadmodum fermentum amarum est & uetus, ita & Pharisæorum & Sadducæorum doctrina mordet animas, amara existens, & ueteres seniorum traditiones introducens. Et sicut fermentũ temperatura est aquæ & farinæ, & sic doctrina Pharisæorum mixta est ex sermone & ex uita corrupta. Non dixit autem illis manifestè, Cauete à doctrina Pharisæorum, ut memores eos faceret signi panum.

At illi reputabant intra se dicentes, Panes non sumpsimus. Quod ubi cognouit Iesus, dixit illis, Quid cogitatis intra uosipsos ô parum fidentes, quòd panes nõ sumpse-
Sup. 14. 15. ritis? Nondum intelligitis, neq; memoria tenetis quinq; illos panes, cum homines essent quinq; milia, & quot cophinos sustuleritis: neq; septem illos panes, cũ essent quatuor milia, & quot sportas acceperitis? Quî fit ut nõ intelligatis me nõ de pane dixisse uobis illud, ut caueretis à fermento Pharisæorũ & Sadducæorum? Tunc intellexerũt, q; nõ iussisset cauere à fermento panis, sed à doctrina Pharisæorum & Sadducæorũ.] Existimabant q; hoc diceret illis, ut custodirent se ne coinquinarentur à cibis Iudaicis, ideoq; loquebantur inter se q; panes nõ accepissent. Exprobrat igitur illis q; tam stupidi & tam paruæ fidei essent. Imprudentes enim erant & stupidi, q; nõ cogitabãt quàm paucis panibus multos suprà aluisset. Et quòd paucæ fidei, q; quia nõ emerant à Iudęis panes, diffiderẽt ipsum posse alicunde acquirere. Et ut acrius eos perstrinxit (nõ enim ubiq; bona est mansuetudo) statim intellexerunt quòd fermentum, doctrinam uocasset. Tantum ubiq; ualet rationabilis increpatio.

Cum uenisset autem Iesus in partes Cæsareæ Philippi, interrogabat discipulos suos dicens, Quem me dicunt homines esse, filiũ illum hominis?] Meminit eius qui ciuitatẽ condidit, quia est & alia Cæsarea Stratonis, & non in illa, sed in hac illos interrogat. Procul enim à Iudæis abducit discipulos, ut nullum timentes libere ac fidenter dicant. Primùm autem percontatur multitudinis opinionem, ut ad sublimiorem adducantur cogitationem, & ne in eandem, in quam pleriq; cadant humilitatem. Non interrogat autem, Quem me dicunt Pharisæi? sed homines: de simplici multitudine dicens.

Supr. 14. Marc. 6. Illi uerò dicebant, Alij quidem Ioannẽ Baptistam, alij uerò Heliam, alij aũt Hieremiam, aut unũ ex prophetis.] Qui Ioannem illum nominabãt, erant ex his qui cũ Herode

A rode, qui putabat Ioannē post resurrectionē etiam donum accepisse operandi miracula. Qui aūt Heliam, mouebantur ex eo q̄ acriter reprehendebat, & expectabant quòd ueniret. Qui uerò Hieremiā, hoc dicebant, quòd simili sapientia præditus esset, quam à nullo didicerat. Etenim Hieremias cum puer esset, in prophetam assumptus est. Hier. 1.

Dicit illis, Vos autem quem me dicitis esse? Respondens autem Simon Petrus dixit, Tu es Christus ille filius Dei uiuentis.] Iterum ut feruentior Petrus prosilit, & uerè confitetur ipsum esse filium Dei. Non enim dixit, Tu es Christus filius Dei uiuentis, absq; articulo, sed cum articulo, ille filius, hoc est, ille ipse, qui solus & unicus: non gratia filius, sed qui ex ipsa patris substantia genitus: quia & multi Christi erant, sacerdotes & reges omnes, sed Christus cum articulo unus est.

Et respondens Iesus, dixit illi, Beatus es Simon Bar Iona, quia caro & sanguis nō reuelauit tibi, sed pater meus qui est in cœlis.] Beatum dicit Petrum, quia à diuina gratia scientiam acceperat: approbans autem Petrū, ostendit consequenter aliorum hominū opiniones falsas. Dixit autem illum Bar Iona, hoc est, filium Iona: quasi ita diceret, sicut tu Ionæ filius, ita ego patris mei cœlestis, consubstantialis illi existens sum. Reuelationem autem scientiam dicit, quia abscondita & ignota ei à patre erant reuelata.

At ego tibi dico, q̄ tu es Petrus, & super hanc petrā ædificabo ecclesiā meā, & portæ inferi nō præualebunt cōtra illam.] Remunerat Petrū Dominus, mercedē illi dans magnā, q̄ suprà eum ædificauit ecclesiam. Quia enim cōfessus erat eum Dei filium Petrus, dixit q̄ hæc confessio quā confessus est, fundamentū erit futurū credentium: ita ut omnis homo extructurus fidei domū, hoc facturus sit fundamentū. Nam licet innumeras cōdamus uirtutes, nō habeamus aūt fundamentū rectam confessionem, inutiliter ædificamus. cum aūt dixit, ecclesiam meā, ostendit se Dominū uniuersi: Deo enim seruiunt omnia. Portæ aūt inferi, temporales sunt persequutores, qui ad infernū mittere conant̄ Christianos. Et hæretici quoq; portæ sunt ad infernū ducentes. Multis igitur persequutoribus, & multis hæreticis prævaluit ecclesia. Est aūt & unusquisq; nostrū ec- Quomodò super Petrū ædificatio ecclesiæ. Psal. 118.

B clesia, quę sit domus Dei. Si igit̄ in cōfessione Christi cōfirmati fuerimus, portę inferi, hoc est peccata, nō præualebūt nobis. De his em̄ portis exaltatus Dauid dicebat, Qui exaltat me de portis mortis. Quales portæ ô Dauid? Duæ: cædis scilicet, & adulterij. Psal. 9.

Et dabo tibi claues regni cœlorū, & quicquid alligaueris super terrā, erit alligatū in cœlis: & quicquid solueris super terrā, erit solutū in cœlis.] Tanq̄ Deus magna potestate dicit, Dabo tibi. Sicut enim pater dedit tibi reuelationem, sic ego claues. Claues aūt intelligas quę ligāt & soluūt, hoc est delictorū uel indulgentias uel pœnas. Habent em̄ potestatem remittendi & ligandi, qui sicut Petrus, episcopatus gratiam assecuti sunt. Quamuis aūt Petro soli dictū sit, Dabo tibi: omnibus tamē & apostolis concessæ sunt. Quando? cū dixit, Quorumcūq; remiseritis peccata, remittunt̄. Etenim cū dixit, Dabo, futurū tempus signat, hoc est, post resurrectionē. Cœli aūt dicuntur & uirtutes, quarum claues sunt bonę operationes. Nam operando ingredimur, quasi per claues quasdam aperientes unamquamq; uirtutū. Si autem non operor, sed solum scio bonum, habeo quidem clauem scientiæ solùm, extrà autem maneo. Ligatur autem in cœlis, hoc est in uirtutibus, qui non ambulat in illis: nam sedulus in illis solutus est. Ne habeamus igitur peccata, ut non catenis nostrorum peccatorum ligati simus. Ioan. 20. Cœli uirtutes.

Tunc edixit discipulis suis ne cui dicerent quòd ipse esset Christus.] Volebat Christus ante crucem obscurari suam gloriā. Nam si audiuissent homines ante passionem quòd Deus esset, & deinde uidissent eum pati, quomodo non fuissent offensi? Et propterea occultat se multis, ut post resurrectionem absq; offendiculo à multis sciatur, spiritu sancto omnia miraculorum operationibus adæquante.

Ex eo tempore cœpit Iesus indicare discipulis suis quòd oporteret ipsum abire Hierosolymam, & multa pati à senioribus & principibus sacerdotum & scribis, & occidi, & tertio die resuscitari.] Prædicit illis passionem, ne inexpectata illa ueniente offendantur, putantes quòd inuitus & nō præsciens passus esset. Postquā enim audiuerunt per confessionem Petri quòd filius sit Dei, tunc reuelauit illis & passionem. Post tristia autem subdit & lætitiam, nempe quòd die tertio resurgeret.

Et cum abduxisset illum Petrus, cœpit increpare illum, dicens: Propitius esto tibi Domine, nequaquam erit tibi hoc.] Id quod reuelatum erat, Petrus rectè cōfessus est:

in eo autem quod non reuelatum, lapsus: ut sciamus quòd abiecta Deo nec ille loquutus A
est magnum quiddam. Nolens igitur Petrus Christum pati, & ignorans resurrectionis mysterium, dixit, Propitius esto tibi Domine, nequaquam erit tibi hoc.

Rectè loquentem Petrū, beatus Christus dicit: malè autem, satanā.

Conuersus autem ille, dixit Petro: Abi post me Satana, obstaculo es mihi: quia non sapis ea quæ sunt Dei, sed ea quæ sunt hominum.] Petrum rectè quidem loquentem, beatum prædicat Christus: irrationabiliter autem formidantem, & nolentem se pati, perstringit, dicens, Vade post me Satana. Satanas autem aduersarius dicitur. Vade igitur post me, hoc est, ne obstas, sed sequere uoluntatem meam. Vocat autem sic Petrū, quia etiam Satanæ displicebat pati Christum. Dicit igitur, Tibi quidem iuxta humanam rationem uidetur mihi indecens passio: nō intelligis autem quòd Deus per hanc salutem operetur, & quòd hoc me maximè deceat.

Christus ostendit liberum arbitriū, dicēs, Si quis uult.

Tunc Iesus dixit discipulis suis, Si quis uult post me uenire, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me.] Tunc, quando cum Petrum increpasset. Volens enim ostendere errare Petrum prohibentem se pati, dicit, Tu quidem me prohibes; ego autem dico tibi, non solum, si non patiar, tibi damnosum esse; sed nec tu saluari poteris, nisi & ipse moriaris, & quisquis alius, siue uir, siue mulier, siue pauper, siue diues. Dicit autem Vult, ut ostendat liberum arbitrium, & nō coactam uirtutem. Post Christum autem sequitur non solum is qui illum confitetur filium Dei, sed & qui per omnia grauia transit, & illa sustinet. Abneget autem semetipsum dixit, perfectam abnegationem per præpositionem ab, significans: exempli gratia, ne habeat communionem quandam cum corpore, sed contemnat seipsum: sicut consueuimus dicere quòd quis quempiam negarit, hoc est, nō habuit eum pro amico uel noto. Sic igitur omnes docet nullam cum corpore habere communionem, id est amicitiam, ita ut & crucem tollant, hoc est, mortem eligant, & cum studio inquirant etiam mortem ignominiosissimam, qualis crux apud ueteres fuit. Sed & sequatur me, inquit. Multi enim crucifiguntur latrones & fures, at illi non sunt discipuli mei. Sequatur igitur, hoc est, omnem aliam uirtutem præ se ferat. Abnegat autem seipsum & qui heri quidem intempe B
ratus erat, hodie autem castus & sobrius. Talis erat Paulus, qui abnegauit semetipsum cum diceret, Viuo autem non iam ego, uiuit autem in me Christus. Tollit autem crucem, qui mortificauit & crucifixit seipsum mundo.

Galat. 2. Crucem tollit qui mortificat se mūdo.

Qui enim uoluerit animā suam seruare, perdet eam: quisquis autem perdiderit animam propter me, inueniet eam.] Ad martyrium adhortatur nos, inuenit enim animā ad præsens, hoc est, seruat, negans, qui & postea perdit. Perdit aūt animam, sed propter Christum, qui de eo testificatur: qui & inueniet eam in incorruptione, & uita æterna.

Rom. 2. Eccl. 16.

Quid enim prodest homini, si totum mundum lucratus fuerit, animæ uerò suæ iacturam fecerit? Aut quid dabit homo, cuius permutatione redimat animā suam? Venturus est enim filius hominis in gloria patris sui cum angelis suis, & tunc reddet unicuique iuxta facta ipsius.] Sic igitur & fingamus quod totum mundum lucreris, sed quæ utilitas si corpus bene habeat, & anima malè afficiatur: quemadmodū si materfamilias lacera ueste, & ancillæ fulgido ornatu incedant. Nec in futuro seculo poterit quis dare cōmutationem pro anima sua: hic quidem potest dare lachrymas & eleemosynam, & ieiunare, illic autem non. Iudex enim tunc nos excipiet, dona respuens: nam iuxta opera sua iudicabit unumquemque. Est aūt & metuendus. Veniet enim in gloria sua, & cum angelis, & non contemptibilis.

Amen dico uobis, sunt quidam hic stantes, qui non gustabunt mortem, donec uiderint filium hominis uenientem in regno suo.] Dixerat uenturum filium hominis in gloria sua. ne igitur incredulus sies, dicit quia sunt hic quidam qui iuxta quod capere possunt, uidebunt in transfiguratione gloriā secundi aduentus. Interim autem ostendit in qua gloria erunt qui propter ipsum passi fuerint. Sicut enim tunc caro eius fulgurauit, ita pro sua portione fulgebunt sancti. significat autem obscurius hoc loco Petrum, & Iacobum, & Ioannem, quos in montem assumpsit, & ostendit illis regnum suum, hoc est futurum statum in quo uenturus esset ipse, & iusti fulsuri. Dicit igitur quòd quidam qui hic sunt non morientur, donec uiderint me transfigurari. Vide autem quòd stantes in bono & firmi sunt illi qui uident Iesum clarius trāsformari, & proficiunt semper in fide & mandatis.

CAPVT

CAPVT XVII.

ET post dies sex assumit Iesus Petrum & Iacobum, & Ioannem fratrem eius.] Non est hoc diuersum ab eo quod Lucas dixit quòd post sermones illos facti sunt quasi dies octo, &c. Lucas enim & primum & ultimū cōmemorat quo ascendet ūt in montem, Matthæus autem tantum inter medios dies ponit. Assumpsit autem Petrum, ut eum à quo diligebatur: Ioannem, ut eum quem diligebat: Iacobū uerò, quòd & ipse æmulator fuerit. Et manifestū est illum ingentis zeli fuisse, tum ex eo quòd poculum sese bibiturum promisit, tum ex eo quòd Herodes ut placeret Iudæis gladio illum occidit. *Lucæ 9.* *Ioan. 21.* *Infrà 20.* *Act. 12.*

Et subducit illos in montem excelsum seorsum, transformatusq; est coram illis: & splenduit facies eius sicut sol: uestimenta aūt illius facta sunt alba sicut lumen.] In montem excelsum subducit illos, ostendens q; nisi quis exaltetur, nō dignus sit diuinis contemplationibus. Seorsum aūt, solitus enim est Christus clariora miracula in occulto facere: ut ne si apud multitudinem ut Deus conspiceretur, homo secundum apparentiā existimaretur. Transformationem autem audiens, ne putes quòd tunc corpus abiecerit, sed mansit corpus in suo habitu. Faciem enim ipsius audis & uestem. Fulgidior apparebat, deitate paruos quosdam radios suos declarante, & hos sicut uidere poterant: propterea & regnum Dei superius dixit trāsfigurationem, eo quòd ineffabilis eius potestas ibi refulserit, & quòd germanus filius patris ostensus sit, & quòd dignitas secundi aduentus in splendore faciei Christi ineffabili claruerit. *Transfiguratio quare dicatur regnum Dei.*

Et ecce apparuerūt illis Moses & Helias cum illo loquentes.] De quo colloquebantur? De excessu, inquit Lucas, quē impleturus erat in Hierusalē, hoc est de cruce. Quare autem Moyses & Helias uiri sunt? Vt ostendatur q; & legis & prophetarū sit Dominus, uiuentiumq; ac mortuorū. Helias quidem est propheta, & uiuit adhuc: Moses aūt legislator, & mortuus est. Quin & ut appareat q; nō sit legi aduersarius neq; Deo. Nō enim Moyses astitisset suo aduersario, neq; Helias tantus zelotes ipsum tulisset, si Deo fuisset contrarius. Præterea ut suspicionē tollat eorū qui ipsum Heliam uel unū ex prophetis dicebant. Vnde aūt cognouerunt discipuli q; Moyses & Helias fuerint? non enim à lineamētis facierū, quia imagines hominum facere tunc impiū uidebatur. Videtur igitur q; ex sermonibus quos tunc inter se conferebant, agnouerint eos. Fortasis enim alter quidem dicebat, nempe Moses, Tu es cuius ego passionem præfiguraui occiso agno, & perfecto pascha. Alter aūt Helias, Tu es cuius resurrectionem ego præfiguraui in uiduæ filio. Et talia quædam. Ostendens igitur illos discipulis, docet eos tales imitari, & mansuetos quidem esse & populares, sicut Moses: zelotas autem & cōstantes, sicut Helias: & siquando tempus uocet, periclitantes pro ueritate, sicut illi. *4. Reg. 1.* *Deut. 33.* *Num. 9.* *3. Reg. 17.*

Respondens autem Petrus dixit Iesu, Domine bonū est nos hic esse: si uis, faciamus hic tria tabernacula, tibi unum, & Mosi unum, & Heliæ unū.] Petrus ob multam dilectionem Christum pati nolens, dicit, Bonū est hoc loco manere, & non descendere, & occidi. Nam si quis huc uenerit, habemus & Mosen & Heliā nos adiuuantes. Moses quidem Aegyptios deuicit, Helias aūt ignem è cœlo deduxit, & tales erunt inimicos si qui huc contra nos uenturi sunt. Hæc autem præ nimio timore loquebatur, sicut Lucas inquit, nesciens quid diceret. Insolita enim uisio obstupescere eum fecerat, aut nesciebat reuera quid loqueretur, uolens Iesum manere in monte, & non descendere, & pati pro nobis. Veritus tamen ne pertinax uideretur, dixit, Si uis. *Exod. 17.* *3. Reg. 18.* *Luc. 9.* *Marc. 9.*

Adhuc illo loquente ecce nubes lucida obumbrauit eos, & ecce uox è nube dicens, Hic est filius meus dilectus in quo mihi bene cōplacitum est: ipsum audite.] Tu quidē ô Petre tabernacula quæris manufacta ut fiant: pater aūt aliud tabernaculum non manufactum nubem constituit, & ostendit quòd sicut ipse in nubibus apparuit antiquis Deus existens, sic & filius suus. Lucida uerò nebula hoc loco, nō caliginosa sicut in ueteri, eo quòd non exterrere uoluit, sed docere. Ex nube autem uox, ut ostendat quòd ex Deo sit. In quo bene complacitum mihi, hoc est, super quem requiesco, & qui mihi placet. Docet quoq; illum audiendum: etiam si crucifigi uoluerit, ne obluctemini. *Exod. 19.*

Et cum hæc audissent discipuli, prociderunt in faciem suam, & territi sunt uehementer. Et accedens Iesus, tetigit eos, & dixit, Surgite, & ne timeatis. Subleuatis igitur oculis suis neminem uiderunt, nisi Iesum solum.] Discipuli non ferentes fulgorem † lucis; neq; uocem, ceciderunt in terram, & oculi eorum quasi somno grauati erant. Somnū *† nubis*

Universidad de Deusto
Biblioteca

dicit multam grauationem è uisu. Ne autem timor diutius insidens eijciat memoriam A
eorum quæ uiderant, suscitat eos, & animat, solusq; ipse comparet, ne putes quòd de
Mose uel Helia uox dicta sit, sed de ipso. Ipse enim est filius.

Et cum descenderent de monte, præcepit illis Iesus dicens, Ne cui dixeritis uisionē
hanc donec filius hominis è mortuis resurgat.] Propter humilitatē denunciat nulli di-
cendū, ne offendantur qui audiunt talia, postea ipsum crucifigi uidentes. Putassent e-
nim impostorē fuisse, hæcq; solum apparenter fecisse. Tu aūt disce, post sex dies, id est
post mundū, qui sex diebus cōditus est, Dei cōtemplationē futurā. Nisi ēm transiueris
mundū, & exaltatus fueris in mōte, nequaq̄ uidebis clara, neq; faciē Iesu, deitatē dico:
neq; uestem, hoc est carnē. Videre aūt tunc poteris & Mosen & Heliā colloquētes le-
su: lex ēm & prophetæ & Iesus unū loquunt & cōsonant. Quin & cū inueneris quen
dam sensuim scripturæ clarè interpretantē, cognosce q; ille faciem Iesu clarè uideat. q; si
& uerba declaret, & cōspicua faciat, hic & uestes Iesu candidas uidet. Vestes enim, sen
suū dictiones. Sed ne dixeris cū Petro, Bonū est nos hic esse: nam oportet semper pro-
ficere, & non permanere in uno gradu uirtutis & cōtemplationis, sed ad alia transire.

Et interrogauerunt illū discipuli sui dicentes, Cur igitur scribæ dicunt quòd Heliā
oportet uenire primùm?] Decipientes populum scribæ dicebant quòd ipse non esset
Christus: nam si esset, Helias primùm uenisset: ignorātes quòd duo aduentus Christi,
quorum primi præcursor Ioannes, secundi autem Helias. Sic enim & Christus inter-
pretatur discipulis. Audi enim

Mal. 4. Iesus autem respondens dixit illis, Helias quidem ueniet prius, & restituet omnia.
Dico aūt uobis quòd Helias iam uenit, & non agnouerūt eum, sed fecerunt in eo quę-
cunq; uoluerunt. Sic & filius hominis passurus est ab eis. Tunc intellexerunt discipu-
li q; de Ioanne Baptista dixisset illis.] Dicendo q; Helias quidem ueniet, ostendit quòd
nondū uenit: in secundo autem aduentu ueniens, restituturus sit ad fidem Christi om-
nes Hebræos, quos persuasibiles inueniet, quasi ad hæreditatem paternam reducens B
eos qui exciderant. Cum autem dicit, Helias iam uenit, præcursorem illum Ioannem
Sup. 14. dicit, in quo fecerunt quæcunq; uoluere occidentes eum. Nam permittentes Herodi
Marc. 6. ut occideret Ioannem, cū possent prohibere, ipsi occiderunt. Tunc igitur discipuli fa-
cti perspicaciores intellexerunt quòd Ioannem Heliam uocarit, quòd ipse primi ad-
uentus præcursor fuerit, sicut ille secundi futurus est præcursor.

Et cū uenissent ad turbā, accessit ad eum homo quidam flectens illi genua, dicēsq;,
Domine miserere filij mei, quoniā lunaticus est, & miserè affligitur. nam sæpe cadit in
ignem, & sæpe in aquā.] Valde incredulus apparet esse hic homo, eo quòd dixit ad ip
sum Christus, O generatio incredula, & q; arguit ipse discipulos. Non aūt luna causa
erat morbi, sed diabolus obseruabat plenilunium, & tunc insidiabatur, ut arguerentur
Eccl. 27. opera Dei tanquam nobis malū inferentia. Tu aūt intelligas obsecro quòd omnis insi-
piens sicut luna immutat, secundū scripturā, & interim apparet uirtutē magnus, inte-
rim immutatur sensu & desipit. Hic igitur cū lunaticus fuerit, cadit in ignē iræ & con
Iob 40. cupiscentiæ, & in aquā plenā fluctibus huius uitę solitudinis, in qua & Leuiathan dia-
bolus, hoc est imperans ille in aquis. An nō fluctus rectè dicuntur crebræ diuitū curę?

Et obtuli eum discipulis tuis, nec potuerunt eum sanare. Respondens autem Iesus
dixit, O natio incredula & distorta, quousq; tandē ero uobiscū? usquequo patiar uos?
adducite illum huc. Et increpauit illud Iesus, & exijt ab eo dæmonium, & sanatus est
puer ex illa hora.] Vides hominē delictum suę incredulitatis discipulis impingentem,
q; infirmiores sint quàm ut sanent. Igitur Dominus confundit eum q; accusarit disci-
pulos, ac dicit, O generatio incredula, hoc est, Non est tantum infirmitatis illorū, quan
tum tuæ incredulitatis delictum. magna enim est, & illorum mediocrē uincit uirtutē.
Hominem aūt illum opprobrando, omnes simul opprobrauit incredulos & circun-
stantes. Porrò cum dicit, Vsquequo ero uobiscū? ostendit q; desideret in cruce pati, &
ab ipsis secedere. Vsquequo uersabor cum irrisoribus & incredulis? Increpauit autem
illum Iesus, Quem? Lunaticum. Ex illo igitur manifestum, quòd cum & ipse incredu-
dulus fuerit, per incredulitatem dæmoni se inuadendi locum dederit.

Tunc accedentes discipuli ad Iesum seorsum, dixerunt, Quare nos non potuimus
eijcere illud? Iesus autem dixit illis, Propter incredulitatem uestram. Amē quippe dico
uobis

A uobis, si habeatis fidem sicut granum sinapis, dicetis monti huic, demigra hinc illuc, & demigrabit, nec quicquam impossibile erit uobis. Sed hoc genus non egreditur nisi per deprecationem & ieiunium.] Timuerunt apostoli, ne perdidissent datam sibi contra dæmones gratiam: propterea perplexi animo seorsum interrogant. Dominus autē arguit eos ut imperfectiores, dicens, Propter incredulitatem uestram. Nam si feruentem & ardentem haberetis fidem, etiam si parua uideretis, perficeretis utiq; magna. Vbi autem montes transtulerunt apostoli, nusquam quidem scriptum est: ueruntamen uerisimile est quòd transtulerint, etiamsi nō sit scriptum, nō enim omnia scripta sunt. Vel aliter, Non exigebat tempus, & ideo non transtulerunt. sed alia maiora fecerunt. Videte aūt & Dominū quid dicat, Dicetis monti huic, demigra, hoc est, quādo dicetis, tunc transibit. Non dixerunt igitur apostoli quoniā tempus non postulabat, neq; necessitas: & propterea non transtulerunt montes. Nam si dixissent, transtulissent utiq;. Hoc aūt genus dæmoniorū per deprecationem & ieiunium expellitur. Oportet enim & illos ipsos dæmoniacos maximè ieiunare, & eos qui illos sanare uolunt. Tunc aūt est deprecatio, quando nō cum ebrietate, sed cum ieiunio fit. Obserua, q; omnis fides granū est sinapis. Contempta enim putat propter stultitiam prædicationis, attamen si ceciderit in terram bonam, crescit in arborem, in qua uolatilia cœli, hoc est cogitationes summa petentes, nidulātur. Igitur quisquis habet omnem fidem, ille potest dicere monti huic, demigra, hoc est, dæmoni: ostendebat enim quod exiret dæmonium.

Suprà 10. Luc. 10.

Ioan. 21.

Ieiunare oportet dæmoniacos, & eos qui illos sanare contendunt

Cum aūt uersarentur in Galilæa, dixit illis Iesus, Futurum est ut filius hominis tradatur in manus hominum, ac occident eum, & tertio die resurget. Et mœrore affecti sunt uehementer.] Subinde memoriam facit passionis, ne existimēt quòd inuitus patiatur: & interim hoc, interim hoc agit, ut exerceat eos, & ne terreantur si hoc inexpectatum eueniat. Coniunxit autem tristibus læta, scilicet quòd resurget.

Quum autem uenissent in oppidum Capernaum, accesserunt qui didrachma solēt accipere, ad Petrum, dixeruntq;, Præceptor uester num soluit didrachma? Dicit, etiā.] B Deus pro primogenitis Hebræorum uoluit consecrari sibi tribum Leui. Inuentus est autem numerus tribus Leui uiginti duo millia. Primogeniti autem chiliades uiginti duæ & ducenti & septuagintatres. Pro his igitur qui erant extra tribum Leui, & primogeniti erant, decreuit Deus dari didrachmū sacerdotibus. Hinc igitur facta est consuetudo ut simpliciter omnes primogeniti penderent didrachmū, qui est quinq; sicli, hoc est ducenti oboli. Vnde quia Dominus primogenitus erat, pendebat & ipse. Reueniti autem fortassis Christum propter miracula quæ faciebat. non illum interrogant, sed Petrum. Vel potius deceptores erant. quasi ita dicerent, Præceptor uester legi contrarius. num id admittit ut persoluat didrachma?

Num. 3.

Et cum ingressus fuisset domum, præuenit illum Iesus, dicens, Quid tibi uidetur Simon? Reges terræ à quibus accipiunt tributa aut censum? à filijs suis, an ab alienis? Dicit illi Petrus, Ab alienis. Ait illi Iesus, Ergo liberi sunt filij.] Tanquā Deus, sciebat, quāuis nō audierat, quid illi loquuti fuissent ad Petrū: idcirco & præuenit eū, dicens, Si reges terræ non accipiunt tributum à filijs suis, sed ab alienis, quomodo cœlorum rex à me filio suo accipiet didrachmū? Hoc enim (sicut suprà dixi) sacerdotibus & templo tribuebatur. Si autem liberi sunt filij paruorum regum, multo magis ego.

Verùm ne simus illis offendiculo, uade ad mare, & mitte hamū, & eum piscem qui prodierit primus, tolle, & aperto ore illius inuenies staterem: illū accipe, & da illis pro me & te.] Ne reputemur (inquit) contemptores & despectores legis, & offendamus, da illis tributum. Non enim ut debitum do, sed ut illorum infirmitatem corrigam. Discimus enim hoc loco, quòd non oportet offendere ubi nullum est damnum. Vbi aūt damnum patimur in opere aliquo, non sunt curādi qui imprudenter offenduntur. Vt igitur ostendat quòd Deus sit & maris dominus, misit Petrū tollentē staterem ex ore piscis. Discamus hic & mysteriū quoddā. Nostra enim natura est piscis in profundo incredulitatis mersus: sed apostolicus sermo extrahit nos, & in ore nostro inuenit staterē, eloquia Domini, & confessionem Christi. Nam qui Christum confitetur, is staterē habet in ore, staterem duo didrachma tenentē: qa & Christus duas naturas habet, homo existēs, ac Deus. Hic igitur stater datus est pro duobus, pro Iudæis & Gentibus, pro iustis & peccatoribus. Quòd si & auarū quempiam uideris nihil aliud habentem in ore,

Nō sunt curādi qui imprudēter offenduntur.

Universidad de Deusto
Biblioteca

nisi aurum & argentū, hunc habe pro pisce, in mari huius uitę natantem: at ubi inuen- A
Stater. tus fuerit præceptor, qualis Petrus, qui mittat hamum in mare, is eripiet ex ore illius au rum & argentum. Staterem quidam putant lapidem precioſum in Syria, alij tributum, alij uerò quartam partem numiſmatis.

CAPVT XVIII.

IN illa hora acceſſerunt diſcipuli Ieſu dicentes, Quis nam maximus eſt in regno cœ lorum:] Quia uiderant à Chriſto Petrum honoratum (honoratus enim erat hic dan do ſtaterem pro Chriſto & pro ſe) propterea humanum quiddam paſſi, inuidiaq; in ceſſiti, obliquè accedunt interrogantes Dominum quis maximus eſſet.

Et accerſitum ad ſe puellū ſtatuit in medio illorum, & dixit, Amen dico uobis, Niſi conuerſi fueritis, & efficiamini ſicut pueri, non ingrediemini in regnum cœlorū. Quiſ quis igitur humiliauerit ſeipſum ſicut eſt puellus iſte, hic eſt ille maximus in regno cœ lorum.] Quū uidiſſet Ieſus diſcipulos inanis gloriæ uitio teneri, compreſſit eos, oſten dens illis per puerum faſtus expertem humilitatis uiam. Oportet enim nos humilitate mentis pueros eſſe, non ſenſu puerile: & innocentia, non inſipientia. Dicens autem, Niſi cōuerſi fueritis, indicat quòd ab humilitate in ſuperbiam uenerint, opus igitur ite rum illuc conuerti, hoc eſt in humilitatem, à qua egreſſi eſtis.

Et qui receperit unum puellum talem in nomine meo, me recipit. Qui autem offen derit unum ex puſillis iſtis qui in me credunt, expedit ei ut ſuſpendat̄ mola aſinaria in collum eius, ac demergatur in profundum maris.] Non ſolum, inquit, oportet uos hu miles eſſe, ſed & ſi alios humiles propter me in honore habueritis, mercedem accipie tis. Me enim accipitis, quando pueros, hoc eſt humiles ſuſcipitis. Deinde & à contra rio inquit, Qui offenderit, hoc eſt iniuria affecerit, unum ex his puſillis, hoc eſt ex his qui ſe humiliant, & paruos putant, tametſi magni ſint: expedit ei ut mola aſinaria ſu ſpendatur in collum eius. Senſibilem enim pœnam in medium affert, uolens oſtende re multis ſupplicijs obnoxios qui in Chriſto humiles iniuria afficiūt & offendunt. Tu autem intellige quòd etſi quis reipſa paruum, hoc eſt infirmum offenderit, & non om- B
nibus modis patienter eum ſuſtinuerit, puniet̄. Nam qui magnus eſt, haud facilè ſcan dalizatur: ſed paruus.

Væ mundo ab offendiculis. Neceſſe enim eſt ut ueniant offendicula, uerumtamen uæ homini illi per quem offendiculū uenit.] Luget ut miſericors mundum præ offendi culis damna accepturum. Et dicis, Quid oportet lachrymari ubi opus ſuccurrere, & manum porrigere? Dicimus igitur quòd & ipſum lugere, quędam iuuandi ſpecies eſt. Sæpe enim quibus admonitio noſtra non profuit, illis profumus dū eos lugemus, quò ſenſum mali ſui accipiāt. Et ſi neceſſe, inquit, ut ueniant ſcandala, quomodo effugie
Non eſſe ne ceſſe ut nos perdant ſcā dala. mus ea? Neceſſe quidem eſt ut ueniant: ſed non neceſſè ut nos perdant. Poſſumus e nim & offendiculis obluctari. Per offendicula intellige eos qui bono obſtant: per mun dum autem, mundanos homines, & humi repentes, qui facilè impediuntur.

Quòd ſi manus tua uel pes tuus tibi obſtaculo fuerit, abſcinde eū, & proijce à te. Bo nū eſt tibi ad uitā ingredi claudū aut mutilum, potius q̄; duas manus uel duos pedes ha bentē mitti in ignem æternū. Et ſi oculus tuus te offendit, erue eū, & proijce eū abs te. Bonum eſt tibi ut luſcus in tres in uitā, potius q̄; ut duos oculos habens mittaris in ge hennā ignis.] Per manum, pedē, & oculos, intellige amicos, quos membrorū loco ha bemus. Etenim ſi hi tales fuerint, qui nobis noceant, hoc eſt ſi familiares amici fuerint, oportet contemnere eos ut membra putrida, & execare, ne & aliis noceant. Atq; ita ex his manifeſtū eſt, licet neceſſe ſit euenire ſcandala, hoc eſt, qui noceant, nō eſſe tamēne ceſſe ut nocumentum accipiamus. Si enim fecerimus quemadmodū ait Dominus, & abſciderimus à nobis eos qui nocēt, etiāſi amici fuerint, nihil inde damni accipiemus.

Lucæ 9. Videte ne contemnatis unum ex his puſillis. Dico enim uobis q̄ angeli eorum in cœ lis ſemper uident faciem patris mei qui in cœlis eſt. Venit enim filius hominis ſaluum
Angeli ho minū præſi des. facere quod perierat.] Præcipit ne contemnantur hi qui parui putantur, hoc eſt paupe res ſpiritu, magni aūt apud Deum. Adeò enim, inquit, diliguntur à Deo, ut & angelos habeant præſides, ne damnum illis fiat à dæmonibus. Omnes enim homines, & maxi mè fideles, ſuos angelos habent. Puſillorū autem & humiliū in Chriſto angeli, uſque adeò familiares ſunt Deo, ut faciem eius ſemper uideant coram ipſo ſtantes. Apparet

autem

A autem ex hoc, q̃ licet omnes angelos habeamus, peccatorum tamen angeli quasi propter nos consuli, minus fidentes sunt, neq; ipsi possunt tam liberè uidere faciē Dei, & precari fortitan pro nobis. Humiliū autem angeli, hi semper uident Dei faciē, † & forte pro nobis orant.] Et quid dico quòd hi angelos habeant? ego propterea ueni, ut seruem quod perierat, & mihi uindicem eos qui à plerisq; planè nihili putantur.

† propterea quòd fiduciā habeant.

Quid uobis uidetur? Si fuerint alicui homini centum oues, & errauerit una ex eis; nónne relictis nonagintanouē in mōtibus, uadit & q̃rit eā quę errauerat? Et si cōtigerit ut inueniat eā: amē dico uobis, gaudet sup̃ ea magis, q̃ sup̃ nonagintanouē quę nō errauerāt. Sic nō est uolūtas corā patre uestro qui in cœlis est, ut pereat unus de pusillis istis.] Cui homini fuerūt centū oues? Christo. Omnis enim rationalis creatura, tā angeli, q̃ homines, centū oues sunt, quorū pastor est Christus, nō ouis. Nō enim est creatura, sed filius Dei. Hic igitur reliqt nonagintanouē in cœlo, forma aūt serui assumpta, uenit quærere ouem illam unicam quæ est humana natura, & gaudet super illa magis q̃ angelorum firmitate. In summa autem hoc insinuat, quòd Deus curam agit conuersionis peccatorum, & gaudet super illis magis quàm his qui stabili uirtute prædíti sunt.

Si autem peccauerit in te frater tuus, uade & argue illum inter te & illum solum. Si te audierit, lucratus es fratrem tuum. Si autem non audierit, assume tecum adhuc unū uel duos: ut in ore duorum uel trium testium stet omne uerbum. Quòd si non audierit illos, dic ecclesiæ. Sin ecclesiam quoq; nō audierit, sit tibi uelut ethnicus & publicanus.] Sermonem cōtra offendiculū dantes ualde extenderat: nunc & eos qui offendūtur, corrigit. Vt enim tu qui offenderis, nō omnino cadas, quia offendentē uæ habitarū dixit: uolo & te qui offenderis, hoc est lædaris, arguere eos q te iniuria afficiūt & nocent, si fuerint Christiani. Vide enim quid dicat, Si peccauerit in te frater tuus, hoc est, Christianus. Etenim si te quidam non baptizatus iniuria afficiat, tunc ab eo te subducas. Si autem frater, argue illum. Nō enim dixit, cōuiciare, sed argue. Si te audierit, hoc est condemnarit seipsum. Priuatim enim uult primùm peccantes argui, ut ne coram
B multis redargutus impudentior fiat. Quòd si te non audierit, & cum duobus uel tribus testibus argueris, ne graueris tunc ecclesiæ præsidibus inuulgare peccatū. Quia enim non audijt duos uel tres redargutus, quāuis lex dicat ut in ore duorum uel triū testium subsistat, id est firmetur omne uerbum, ab ecclesia postea castigetur. Illam autem si non audierit, tunc abijciatur, ne suæ malitiæ participes faciat alios. Assimilat aūt publicanis tales fratres. Infamatur enim ob pecunias publicanus. Consolatio autem fit offenso, iniuria afficientem, publicanum existimari & gentilem, hoc est peccatorē & incredulū. Nunquid aūt hæc sola iniuriam facientis pœnam minimè. Sed audi & quæ sequuntur.

Ecclesi. 19.

2. Cor. 13.

Iniuria afficiens publicanus et gētilis.

Amen dico uobis, quæcunq; alligaueritis sup̃ terram, erunt ligata in cœlo: & quæcunq; solueritis sup̃ terram, erunt soluta in cœlo.] Si tu, inquit, offensus, habes eum qui te iniuria affecit sicut publicanum & gentilem, erit ille & in cœlo talis. Si autem solueris eum, hoc est ignoueris, erit ei & in cœlo condonatum. Non enim solum quæ soluunt sacerdotes, sunt soluta: sed quæcunq; & nos iniuria affecti uel ligamus uel soluimus, & ipsa erunt ligata uel soluta.

Nota.

Rursus, Amē dico uobis, quòd si duo ex uobis consenserint sup̃ terrā, de omni re quācunq; petierint, fiet illis à patre meo qui est in cœlis. Vbi enim sunt duo uel tres congregati in nomine meo, illic sum in medio illorum.] Congregat nos hisce uerbis ad charitatem. Quia enim prohibuit ne mutuū offenderemus, nunc & de mutua concordia dicit. Concordes autem dicuntur, non qui in malum conueniūt, sed qui in bonū. Vide enim quid dicat: Si duo ex uobis, hoc est credentibus & uirtute prædítis. Conspirauerunt autem & Annas ac Caiphas, sed malè. Et propterea sæpe precantes non accipimus, eo q̃ mutua concordia caremus. Non dixit autē, ero (nō enim tardat, uel cunctatur) sed sum, hoc est, iam illic inuenior. Intelligas item q̃ quādo conspirauerint spiritus & caro, & nō concupiuerit cōtra spiritum caro, tūc erit in medio Dominus. Conspirant aūt & tres uirtutes animæ, rationalis, irascitiua, & desideratiua. Sed & si uetus ac noua leges cōspirarint, inuenitur in medio ipsarum Christus ab utraq; prædicatus.

Tunc accedēs Petrus ad eum dixit. Domine, quoties peccabit in me frater meus, & remittā ei? Num usq; septies? Dicit illi Iesus, Non dico tibi usq; septies, sed usq; septuagies septies.] Hoc est quod interrogat Petrus, quoties, si peccet, & deinde accedat & petat

tat ueniam pœnitentia ductus, cõcedam ei? Addidit, in me si peccauerit. In Deũ enim A
si peccauerit, nõ ego, qui idiotes ac priuatus sum, possum ei remittere, nisi forte Dei or
dinem habens sacerdos. Si aũt in me peccet, ac deinde remisero ei, erit solutus, etiam
si priuatus ego sim, & non sacerdos. Quòd autem septuagies septies dixit, non condu
dit ueniam numero. Absurdum enim sedere & numerare usq; dum quadringenta no
naginta habeas (tot enim faciunt septuagies septies) sed immensum numerum signat:
quasi dicat, Quoties quis lapsus fuerit, & pœnitentiam aget, concede ei ueniam, & id
(quod & per sequentem parabolam dicit) quia oportet nos compatientes esse.

Ideo assimilatũ est regnum cœlorũ homini regi, qui uoluit conferre rationem cum
seruis suis.] Mens parabolæ est, ut ueniam demus cõseruis in nos delinquentibus: præ
sertim si illi ueniam ante nos procidentes petant. Particulatim singula examinare, e
ius fuerit tantum qui mentem Christi habeat: sed aggrediamur & nos. Regnũ est Dei
sermo: & non paruum quoddam regnum, sed cœlorum. Assimilatus est igitur iste ho
mini regi. Incarnatus est enim propter nos, & in similitudinem hominum factus. Con
fert autem rationem cum seruis suis, uti bonus iudicãs. Non enim absq; iudicio punit:
hoc enim crudelitatis foret.

Et quum cœpisset conferre, oblatus est ei unus qui debebat ei decem millia talento
rum. Cæterũ quum is non esset soluendo, iussit eum dominus uenundari, & uxorem
eius, & liberos, & omnia quæ habebat, & fieri solutionem.] Decem milliũ talentorũ de
bitores nos sumus, qui quotidie multis beneficijs afficimur, & nihil boni rependimus
Deo. Decem mille talentorũ debitores sunt & qui populi prę fecturã susceperũt (unus
quisq; enim homo magnũ talentũ est) & deinde nõ bene fungũtur principatu. Vendi
aũt cum uxore & familia, signat alienationem à Deo. qui enim uendit, alterius domi-
Caro animæ uxor, opera pueri ni fit. An non aũt uxor, caro, quæ scilicet est coniunx animæ: & pueri, opera quæ malè
fiunt à corpore & anima? Iubet igitur carnem dari satanæ in interitum, hoc est morbis, B
uel passioni dæmonis. Similiter & filios, operatiuas dico uirtutes malorum, ligari:
ut est manus alicuius furto dedita, eam Deus aridam facit, uel constringit per dæmo
nem aliquem. Ecce mulier caro est, & filij operationes malæ, rraditæ sunt afflictioni, ut
spiritus saluetur. Non potest enim tunc ad furtum cooperari homo ille.

Procidens autem seruus ille adorabat illum, dicens, Domine, esto patiens erga me,
& omnia tibi reddam. Misertus autem dominus serui illius, absoluit eum, & æs alienũ
remisit ei.] Vide pœnitentiæ robur, & misericordiã domini. Pœnitentia enim fecit ser
uum cadere à malitia, qui firmiter in illa stabat, nec uenia dignus erat. Misericordia au
tei Dei dimisit omnino debitũ, tametsi seruus nõ omnia remitti, sed prorogari tempus
peteret. Discit igitur quòd Deus plura dat quàm petimus: quia tanta est misericordia
Domini, ut & id quod admodum durum uidebatur, nempe quod iussit ut uenderetur
ille, non ex duritia dixit, sed ut perterrefaceret seruum, & persuaderet illi ut ad preces
se & obsecrationem conuerteret.

Egressus uerò seruus ille inuenit unum de conseruis, qui debebat sibi centum de
narios: & iniecta in eũ manu, obtorto collo trahebat dicens, Solue quod debes. Et pro
cidens conseruus eius rogabat eum, dicens, Esto patiens erga me, & omnia reddam ti
bi. At ille nolebat, sed abijt, & coniecit eum in carcerem, donec redderet debitum.] E
gressus ille qui ueniam obtinuerat, strangulat ac premit conseruũ. Nullus enim qui in
Deo manet, compassionis expers est: sed ille egressus erat, & à Deo nunc alienus erat.
Magnæ aũt erat crudelitatis. Erant ei decem millia talentorũ remissa, & longè paucio
ra, centũ scilicet denarios, omnino nec remittere, nec prorogare tempus dinumeran
di uolebat, tametsi cõseruus eadem uerba diceret, quæ & ille ad dominũ, misericordiã
domini in memoriã illi reducẽs: dixit enim, esto patiens erga me, & omnia tibi reddã.

Porrò quũ uidissent conserui eius quæ fiebant, indoluerũt ualde: & uenerunt, ape
rueruntq; domino suo omnia quæ facta fuerant.] Videntur hi conserui esse angeli,
osores mali, & amantes boni, non quòd ignoranti domino hæc dicant, sed ut tu discas
q; angeli nobis ad tutelã dati sint, & q; inhumanis & immisericordibus indignentur.

Tunc accersiuit illum dominus suus, & ait illi, Serue sceleste, totũ debitum illud re
misi tibi, quum obsecrasses me: Nónne oportuit & te misereri cõserui tui, sicut & ego
tui misertus eram? Et iratus dominus eius tradidit eum tortoribus, quoadusq; redde-

A tet totũ quod debebatur sibi.] In iudicium intrat cum seruo dominus propter †immi- †misericor
sericordiam: ut ostendat quòd nõ ipse, sed serui crudelitas & ingratitudo donationem diam.
irritet. Quibus autem tortoribus tradidit? Forte potestatibus punitricibus, ita ut perpe
tuò puniretur. Quousq; reddat quod debebatur: hoc significat, quòd tandiu puniatur, Donec, per
donec reddat: nunquam autem reddet quod debebat, uidelicet pœnam quam merue petuitatẽ si
rat: semper ergo punietur. gnificat.

Sic & pater meus cœlestis faciet uobis, si non remiseritis quisq; fratri suo de cordi-
bus uestris delicta illorum.] Non dixit, pater uester, sed pater meus. Indigni enim sunt
tales qui Deum habeant patrem. De cordibus autem uult remitti, nõ de ore duntaxat.
Cogitã igitur quantum malum sit uindictæ cupiditas: quandoquidem etiam donatio
nem Dei reuocat & irritat. tametsi enim dona Dei ea sint, quorum non pœniteat illũ,
reuocantur tamen hac ratione & irritantur.

CAPVT XIX.

ET factum est quum consummasset Iesus sermones hos, demigrauit à Galilæa, &
uenit in fines Iudææ trans Iordanem, & sequutæ sunt eum turbæ multæ, & cura-
uit eos ibi.] Iterum uersatur in Iudæa, ut nihil prætexere possint qui non credebant in
Iudæa, quòd non frequentius apud ipsos uersaretur, sed apud Galilæos. Iterum igitur
post doctrinam, & consummatis sermonibus sequuntur miracula. Oportet enim nos
& docere, & operari: at insipientes illi pharisæi quum uisis miraculis oportebat crede-
re, tentant. Audi enim.

Et accesserũt ad eũ Pharisæi tentãtes illũ, & dicentes, Licet ne homini diuortiũ face-
re cũ uxore sua qualibet ex causa? Qui respondens ait eis, An nõ legistis q; is q; fecit ab Gen.1. 2.
initio, masculũ & fœminã fecit eos? Et dixit, Propterea deseret homo patrẽ suũ & ma- Eph.5.
trem, & adglutinabit uxori suę, et erũt duo in carnẽ unã. Itaq; iam nõ sunt duo, sed una 1.Corin.6.
caro. Quod ergo Deus copulauit, homo nõ separet.] O insipientiã, opinabant quæstio
nibus suis Christum se cõfutaturos. nã si dixisset licere quacũq; de causa dimittere uxo
B rem, potuissent illi dicere, Quo igit dixisti, ne qs dimittat, nisi adulterã solã? Si aũt di- Deut.24.
xisset nõ licere dimittere uxorem, arguissent eũ ut aduersariũ Mosi. Ille enim iussit ut di
mitteret odio habita, et absq; ardua et rationabili causa. Quid igit Christus? ostendit o-
pus & legislationem eius q nos à principio formauit, esse monogamiã. Ab initio enim Monoga-
unũ coniũxit Deus uni: atq; ita nõ oportet unũ uirũ coniũgi multis mulierib. neq; mu mia.
lierem unã uiris multis: sed eos sicut ab initio coniũcti fuerũt, manere, neq; absq; causa
cohabitationẽ diuellere. Nõ dicit aũt, Ego feci masculũ & fœminã: ne plus eos exaspe
ret, sed, is q fecit, indefinitè. Atq; ita dicit maximæ curæ fuisse Deo coniugij bonũ. Vn
de permisit etiã parentes dimitti, & uiris adhærere. Quomodo aũt in Genesi scriptum
est, Adã dixit, Propterea deseret homo patrem suum: hic aũt dicit Christus, Deus dixit, Gen.2.
propterea deseret, ac cætera? Dicimus igitur quòd & id quod Adã dixit, ex Deo dixit:
atq; ita sermo Adæ, Dei est. Igitur quia una caro facti sunt, & propter coitum & natu-
ralem amorem cohærentes: sicut impium est suam carnem diuidere, ita & coniuges di
uellere. Non dixit autem, Ne separet Moses, ne turbaret illos, sed homo simpliciter: o-
stendens quantum interfit inter Deum coniungentem, & hominem soluentem.

Dicunt illi, Cur igitur Moses iussit dare libellum repudij, & amittere eam? Ait illis, Deut.24.
Moses ad duritiã cordis uestri permisit uobis repudiare uxores uestras, cæterùm ab ini
tio non fuit sic. Dico aũt uobis, quòd quicunq; repudiauerit uxorem suam, nisi ob stu-
prum, & aliam duxerit, is committit adulterium. Et qui repudiatam duxerit, is adul-
teriũ committit.] Quũ uidissent pharisæi quòd Dominus ipsos confutasset, coacti fue-
runt postea in medium afferre Mosen contradicentem Christo: & dicunt, Quomodo
igitur Moses mandauit dare librum repudij, & dimittere? Igitur Dominus uertens o-
mnem accusationem in illorum caput, pro Mose respondet ac dicit, Nõ cõtraria Deo
Moses constituit, sed ad uestram duritiam hoc pronunciauit: ne propter intemperan-
tiam uolentes aliis coniungi, occideretis primas uxores. Nam quum essent inhuma-
ni, occidissent uxores, si coacti fuissent seruare illas: nunc autem librum diuortij iussit
dari his quæ à uiris odio habebantur. Ego aũt dico uobis, inquit, quòd bonum est uxo
rem quæ fornicata est, eijcere. tanq; adulterã. Si quis aũt eiecerit aliquã quę nõ est forni
cata, author fit illi adulterij. Intellige aũt q; q adhæret Domino, unus spiritus est, & con 1.Cor.3.

iugium

iugium est fidelis cum Christo. Omnes enim idem corpus facti sumus cum eo, & ex A
parte membra Christi sumus. Non igitur rectè quis potest separari à coniugio tali, iu-
Rom.8. xta sermonem Pauli dicentis, Quis nos separabit à dilectione Christi? Quæ igitur De-
us coniunxit, neq; homo, neq; alia creatura, neq; angeli, neq; principatus, neq; potesta-
tes (ut Paulus dicit) separare poterunt.

Dicunt ei discipuli eius, Si ad istum modum habet causa hominis cum uxore, non
Matrimonij difficultas. expedit contrahere matrimonium.] Turbantur discipuli, & dicunt, Si propterea con-
iuncti sunt, ut unum sint, & indiuulsi maneant per omnem uitam, ut etiam si pœniten-
da alio qui sit mulier, eam ejicere non liceat: non expedit matrimonium contrahere. Le
uius fuerit matrimonium non contrahere, sed pugnare et certare cum naturalibus con
cupiscentijs, quàm sustinere malam mulierem. Causam enim hominis cum muliere di
cit perpetuam & inseparabilem unionem. Nonnulli autem & sic intelligunt, Si sic est
causa hominis, hoc est, si reprehensionem & culpam habiturus est uir, ut illegitimè ejj-
ciens uxorem, non expedit matrimonium contrahere.

At ille dixit illis, Non omnes capaces sunt huius dicti, sed quibus datum est.] Post-
quam dixerunt apostoli, melius esse non uenire ad nuptias: dicit Dominus magnã esse
uirginitatis possessionem, at eam nõ ab omnibus rectè seruari, sed ab his duntaxat, quo
Supra 7. rum cooperator est Deus. Nam hoc loco datũ est, ualet, quibus cooperatur Deus. Illis
Lucæ 11. autem datum est, qui petunt. Petite enim, inquit, et dabitur uobis. Omnis enim, inquit,
Ioan.16. qui petit, accipit.

Sunt enim eunuchi, qui de matris utero sic nati sunt: & sunt eunuchi qui facti sunt
eunuchi ab hominibus: & sunt eunuchi qui seipsos castrauerunt propter regnum cœlo
Eunuchorũ differentiæ. rum. Qui potest capere, capiat.] Paucorum est, inquit, uirginitatis uirtus. Sunt enim eu
nuchi ex utero matris, hoc est, sunt quidam qui propter naturæ constitutionem ad coi-
tum non sunt idonei, qui & sine utilitate casti sunt. Sunt & qui eunuchi fiunt ab homi-
nibus. Qui autem seipsos eunuchos faciunt propter regnum cœlorum, non sunt ij qui
uerenda sibijpsis amputant (maledictum enim hoc) sed qui continentes sunt. Intellige B
autem & sic, Est eunuchus à natura, qui propter naturalem complexionem nõ mouet
ad uenerea. Ab hominibus autem eunuchus fit, qui ex humano præcepto carnalis con
cupiscentiæ incendium excindit. Qui autem seipsum castrat, non ab alio, sed à seipso
doctus est, & sua sponte ad continentiam inclinatur. Hic igitur & optimus est, qui non
alteri, sed sibijpsi dux fuit ad regnum cœlorum. Volens autem sponte nos operari uir-
tutem, inquit, Qui potest capere, capiat. Non enim cogit uirginem esse, neque nuptias
destruit, sed uirginitatem præfert.

Tunc oblati sunt ei pueIli, ut manus illis imponeret, & oraret. Discipuli autem incre-
pabant eos. Iesus uerò inquit eis, Sinite puellos, & ne prohibeatis eos uenire ad me. ta-
lium est enim regnum cœlorum.] Afferebant matres pueros, ut benedicerentur manu
um contactu. Incompositi autem & turbati accedebant ad eum, & propterea prohi-
bent discipuli, quòd existimarent hoc derogare doctrinæ eius autoritati, si offerrentur
ei paruuli. Christus autem ostendens quòd à fastu alienos magis amet, dicit, Sinite par-
uulos: talium est enim regnum cœlorum. Non dixit, horum: sed talium, hoc est simpli-
citate præditorum, innocentium, malitiæ expertium. Etiam hodie si accedant ad docto
rem nonnulli pueriles quæstiones interrogantes, non prohibeat, sed suscipiat.

Et quum imposuisset illis manus, abijt illinc. Et ecce unus accedens ait illi, Magister
bone, quid boni faciam ut habeam uitam æternam? Qui dixit ei, Cur me uocas bonũ?
Nullus est bonus, nisi unus, nempe Deus.] Non ut tentans uenit ille, sed ut discere cu-
piens, & sitiens uitam æternã. Accessit autem ad Christum quasi ad purum hominem:
& idcirco dicit Dominus: Quid me uocas bonum? Nullus bonus, nisi unus Deus: hoc
est, si quasi unum ex præceptoribus bonum me dicis, malè dicis. Nullus enim hominũ
propriè bonus: partim quòd mutabiles sumus à bono in malum: partim quòd nostra
bonitas ad diuinam bonitatem collata, malitia est.

Exod.20. Quod si uis ad uitam ingredi, serua mandata. Dicit illi, Quæ? Iesus autem dixit, Nõ
Leuit.19. facies homicidiũ, non committes adulterium, non facies furtum, non falsum dices testi
moniũ, honora patrem tuũ & matrem, & diliges proximũ tuũ ut teipsum. Dicit illi ado
lescens, Omnia hæc seruaui à iuuentute mea, quid adhuc mihi deest?] Dominus ad

legis

legis mandata mittit, ne Iudæi dicant q̃ legem contemnat. Adolescentem autem quidam ut superbũ & arrogantem arguunt. Quomodo enim dilexisset ritè proximũ, qui diues erat? Nullus enim diligens proximum ut seipsum, ditior est proximo: ois aũt homo pximus. Quidã sic intelligũt, Da quòd hæc omnia seruarim, qd adhuc mihi deest? Ait illi Iesus, Si uis perfectus esse, uade uende quæ habes, & da pauperibus, & habebis thesaurum in cœlo: & ueni sequere me. Quum audisset autem adolescens eum sermonem, abijt tristis. Erat enim habens possessiones multas.] Quæcunq̃, inquit, fecisti opera bona, Iudaico more fecisti: si autem uis perfectus, hoc est meus discipulus esse, & Christianus: uade uende omnia quæ habes, & da statim simul omnia, nulla reseruans, ut continuam facias eleemosynam. Non enim dixit, paulatim da pauperibus, sed dixit, Da semel, & nudus esto. Dein quia sunt multi misericordes, uitã tamen omni malitia plenam habentes, dicit, Et ueni sequere me, hoc est, omnem aliam quoq̃ uirtutem habe. Adolescens igitur indoluit. desiderabat etenim, & terra cordis ipsius profunda erat & pinguis, sed spinæ diuitiarum suffocabant. Erat enim, inquit, habens possessiones multas. Nam qui paucas habet, non ita ab illis detinetur. in multis enim diuitijs uiolentius est uinculum. Porrò quia diuiti loquebatur Christus, dicebat, Habiturus es thesaurum in cœlo. diuitiarum enim amator erat. *Quomodo uirtute præditus, qui dicitur.*

Iesus autem dixit discipulis suis, Amen dico uobis, diues difficile intrabit in regnum cœlorum. Iterum autem dico uobis, facilius est camelum per foramen acus transire, q̃ diuitem in regnũ Dei ingredi.] Quandiu diues & ipse quidem habet superflua, & alij non uel necessaria, non ingreditur in regnum. Postquam aũt excussa sunt omnia, tunc non est diues, & postea intrabit. Impossibile est enim multa habentem intrare, sicut & camelum impossibile per foramen acus transire. Vide autem quomodo quod superius dixit difficile, hic dicit impossibile. Nonnulli autem dicunt camelum nõ animal significare, sed crassum quendam funem, quo nautæ utuntur ut proijciant ancoras.

Auditis autem his discipuli expauerunt ualde, dicentes, Quis ergo potest saluus fieri? Intuitus autem illos Iesus, dixit illis, Apud homines hoc impossibile est, apud Deũ autem omnia possibilia sunt.] Discipuli ut misericordes, non interrogant pro seipsis (pauperes enim fuerãt) sed pro omnibus hominibus. Dominus igitur docet nõ humana infirmitate metiendam salutem, sed diuina uirtute. Nam si quis cœperit non esse auarus, ita proficiet, ut & superflua exhauriat, & postea eò progredietur ut etiam necessaria euacuet. & sic bene prosperabitur adiuuante Deo.

Tunc respondens Petrus dixit illi, Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te: quid igitur erit nobis?] Tametsi uideatur Perrus non dimisisse magna aliqua, utpote pauper, sed disce quòd reipsa multum etiam ipse reliquerit. Etenim & paruarum rerum magna tenemur affectione, sed & omnes uoluptates Petrus reliquit, & cum parentibus amorem carnis. Illæ enim affectiones non solum contra diuites, sed & contra pauperes militant. Quid igitur Dominus?

Iesus aũt dixit illis, Amen dico uobis, quòd uos qui secuti estis me, in regeneratione quum sederit filius hominis in sede gloriæ suæ, sedebitis & uos super duodecim sedes iudicantes duodecim tribus Israel.] Num sedebunt? Minimè, sed excellentem honorem per sedem indicauit. Num & Iudas sedebit? Non: dicit enim, Qui secuti me fuerint, hoc est, qui usq̃ ad finem. Ille autem non usq̃ ad finem. Vel aliter, Sæpe Deus pollicetur bona quibusdam dignis: quando autem exciderint, & indigni fuerint facti, aufert ea. Similiter facit in asperis, sæpe minatur & non inducit, conuersis nobis. Per regenerationem autem, resurrectionem intellige.

Et omnis qui reliquerit domos, aut fratres, aut sorores, aut patrem, aut matrem, aut uxorem, aut filios, aut agros propter nomen meum, centupla accipiet, & uitæ æternæ hæreditatem sortietur.] Ne quis suspicetur quod dictum est, solis congruere discipulis, dilatat promissionem ad omnes qui similia faciunt. Habebunt enim pro carnalibus cognatis familiaritatẽ & fraternitatem cum Deo, pro agris paradisum, & pro lapideis ædibus supernã Hierusalem, pro matre † presbyterã ecclesiam, pro patre presbyteros: pro uxore omnes fideles mulieres: num nuptijs? absit, sed spirituali affectione, & misericorde erga se cura. Non iubet autem Christus separari simpliciter à familiaribus, sed quando ad pietatem obsistunt. Sic etiam corpus & animam iubet cõtemnere, *Luc. 9.*

† anus quæ sunt in ecclesia.

Ioan. 12. non ut quis seipsum occidat. Vide aũt quòd bonus Deus nõ solum hæc dat, sed & uitã apponit æternã. Cura igit̃ ut & tu uendas facultates tuas, & des pauperibus. Facultates aũt sunt, iracũdo furor, adultero adulterãdi cupiditas, uindictæ auido uindicandi cupido. Vende igitur hæc, & da pauperibus dæmonibus, & omni bono priuatis: conuerte affectiones tuas in affectionũ authores: & tunc habebis thesaurũ, hoc est Christũ in cœlo tuo, hoc est in summa mente tua. Cœlũ enim habet in seipso qui factus est cœlestis.

Multi autem erunt primi nouissimi, & nouissimi primi.] Iudæos hic insinuat & Gentiles. Nam qui primi erant, facti sunt nouissimi: gentiles autem, qui eramus nouissimi, primi constituti sumus, & ut manifestè discas qd dicit, coaptat etiã sequentẽ parabolã.

CAPVT XX.

SImile enim est regnum cœlorũ homini patrifamiliâs qui exijt primo statim diluculo ad conducendos operarios in uineam suam. Conuentione autem facta cum operarijs in singulos dies denario, misit eos in uineam suã. Et egressus circiter horam tertiã, uidit alios stantes in foro ociosos, & illis dixit, Ite & uos in uineã meã, & quodcũq; iustũ fuerit, dabo uobis. Illi aũt abierunt. Iterum quũ exisset circa sextã & nonã horã, similiter fecit. Circa undecimã uerò horam exijt, & inuenit alios stãtes ociosos, & dixit illis, Cur hic statis toto die ociosi? Dicunt illi, Quia nullus nos conduxit. Dixit illis, Abite & uos

† regnum in uineã: & quicquid iustũ fuerit, accipietis.] Christus est † rex cœlorum, qui assimilatur homini, secundum quod humanam accepit formam. Patrifamiliâs autem, quia Dominus est domus, hoc est ecclesiæ. Hic igitur Christus exijt è finibus paternis, & conduxit operarios in uineam, uel scripturas, uel mandata. Vnumquemq; cõduxit ut operetur uineam, hoc est suam animam. Conducit autem alium quidem primo diluculo, hoc est in pueritia: alium autem horatertia, hoc est adolescentia: rursus alium sexta & nona, quando quis uigintiquinq; fuerit annorũ, uel triginta, & simpliciter in uirili ætate: porrò circa undecimã, senes. Multi enim & senes crediderunt. Vel aliter, dies dicitur præsens seculum. in illo enim operamur sicut in die. Vocauit igitur Dominus prima hora Enoch & Noe, tertia Abraham, sexta Mosen, nona Prophetas, undecima autem, hoc est in cõsummatione seculi, Gentiles, qui ocioſi fuerũt ab omni bono, nullus enim eos conduxerat, neq; missus est Propheta quis ad Gentes.

Quum autem uespera facta esset, dixit Dominus uineæ procuratori suo, Voca operarios, & redde illis mercedem, incipiens à postremis usq; ad primos. Et quũ uenissent qui circa undecimam horam uenerant, acceperũt singuli denarium. Venientes autem & primi, arbitrati sunt quòd plus essent accepturi, & acceperunt ipsi quoq; singuli denarium. Et quum accepissent, murmurabant aduersus patremfamiliâs dicentes, Hi nouissimi unam horam fuerunt in opere, & illos pares nobis fecisti, qui portauimus pondus diei & æstũ. At ille respondens uni eorum ait: Amice, nõ afficio te iniuria. Nonne denario pactus es mecum? tolle quod tuum est, & abi. Volo aũt huic nouissimo dare sicut & tibi. An non licet mihi quod uolo facere in rebus meis? an oculus tuus malus est, quòd ego bonus sim? Sic nouissimi erũt primi, & primi nouissimi. Multi enim sunt uocati, pauci autem electi.] Vesperũ est consummatio. in fine aũt diei & cõsummatione accipiũt omnes suũ denariũ, qui est spiritus sancti gratia, transformãs hominẽ ad suũ exemplar, & faciens diuinæ naturæ participem. Plus aũt laborauerunt qui ante Christi aduentũ fuerũt, eo quòd tunc nondũ erat mors soluta, neq; diaholus contritus, sed adhuc uiuebat peccatũ. Nos autem gratia Christi per baptismum iustificati, uirtutẽ accipimus ad uincendum aduersariũ nostrum iam deiectum & occisum à Christo. Et iuxta priorem interpretationem qui iuuenes crediderẽ, maiorem laborem habent, quàm hi qui in senectute ad fidem accesserunt. Adolescens enim pondus iræ, & æstum concupiscentiæ gestat, certans cum affectionibus. Senex autem in tranquillo est: attamen omnes nos unum donum spiritus sancti assequimur. Docet igitur nos parabola, quòd in senectute etiã licet resipiscere, & regnum cœlorum assequi. Hęc enim undecima hora est. Non inuident autem sancti his qui paria accipiunt: absit, sed ostendit hic quòd tanta & talia sunt bona quæ dantur iustis, ut & inuidiam excitare possint.

Et conscendens Iesus Hierosolyma, assumpsit duodecim discipulos suos solos in uia, & ait illis, Ecce conscendimus Hierosolyma, & filius hominis tradetur principibus sacerdotum ac scribis, & condemnabunt eum morte, & tradent eum gentibus ad illudendum

illudendum, & flagellandum, & crucifigendum, & tertio die resurget.] Tunc accessit ad eum mater filiorum Zebedæi cum filijs suis, adorans & petens aliquid ab eo. At ille dixit ei, Quid uis? ait illi, Dic ut sedeāt hi duo filij mei, unus à dextris tuis, & alter ad sinistrā tuā in regno tuo.] Opinabantur filij Zebedæi quòd uadens Hierosolyma Dominus regnaturus esset regno quodam temporali. Audierant enim eum sæpe dicentem, Conscendimus Hierosolyma. Passi autem sunt humanum quid, & accedentes ad matrem persuadent, ipsi reuerenti in manifesto accedere, clanculò enim accedebant & ipsi, ut Marcus dicit. Accesserunt enim, inquit, ad eum Iacobus & Ioannes, hoc est, priuatim & seorsum accesserunt ad eum. *Marc 10.*

Respondens autem Iesus dixit, Nescitis quid petitis. Potestis bibere poculum quod ego bibiturus sum? aut baptismo quo ego baptizor, baptizari? Dicunt ei, Possumus.] Matre præterita filijs loquitur: ut ostendat quòd non ignorauerit ab ipsis præmissam matrem, & dicit ad illos, Nescitis quid petitis. Magnum est, & angelicas uirtutes concutiens. Deinde abducens illos ab huiusce modi cogitationibus, ad pericula magis hortatur. Interrogat autem, non ignorans, sed ut cogat manifestare ulcus per responsum, & studeant implere promissionem. Hoc enim dicit, Quia non potest quis fieri particeps regni mei, nisi & mearum passionum particeps fiat, dicite mihi, num possitis similia pati? Poculum enim dicit martyrium, & suam mortem: simul ostendens quòd leue sit, & quòd oporteat nos tam facilè illud aggredi, q̄s si bibendum esset poculum: & declarans quòd ipse suauiter accedat ad mortem. Sicut enim bibens poculū statim dormit grauatus: sic & qui martyrij poculum bibit, in mortis somnum defertur. Baptisma quoque mortem suam nominat, quòd nos omnes purificet. Hi uerò nescientes quid promitterent, sed solum spectantes ad id quod cupiebant, omnia facilè pollicebantur. *Non efficimur participes regni, nisi passionis Christi cōparticipes.*

Ait illis, Poculū quidem meū bibetis, & baptismo q̄ ego baptizor, baptizabimini: sedere aūt ad dextrā meam & sinistrā, non est meum dare, sed quibus paratū est à patre meo.] Scio quidē uos testificaturos, & eueniēt hæc omnino. Iacobū enim Herodes occidit, Ioannem aūt Traianus condemnauit prædicantem uerbū ueritatis. Porrò sedere non est meum dare, sed quibus præparatū est: sic intellige. Si inuentus fuerit quis cum ueritatis testificatione, omni alia uirtute præditus, ille accipiet donum. Illi enim præparatum est, qui laborauerit, sicut & certantibus coronæ sunt præparatæ. Quemadmodum cursus certamine proposito, ac rege certaminis præside, si quispiam qui non certasset prodeat, et dicat: Da mihi stadium non ingresso coronam ô certaminis præses, huic respondere utique ille poterit: Non est meum, dare ad gratiam coronam, sed quibus præparatum est, hoc est his qui cucurrerint & uicerint. Sic autem & hoc loco dicit Christus, Ego non possum ad gratiam dare uobis sedem à dextris: aliorum enim est qui laborauerint, & illis præparata est. Rogabis igitur cōsequenter, Quinam sessuri sint? Discas autem quòd nullus ibi sessurus est: hoc enim solius diuinæ naturæ est. Ad quem enim angelorum dixit, Sede à dextris meis? Verùm hoc Dominus dixit iuxta illorum opinionem, quærebant enim hanc sedem, non intelligentes quòd sedere super duodecim sedes, sit glorificari propter uirtutem. *Act. 12.* *Psal. 109.*

Et quum audissent decem, indignati sunt de duobus fratribus. Iesus autem uocauit eos ad se, & ait, Scitis quòd principes gentiū dominentur illis: & qui magni sunt, potestatem exerceant in eas. non ita erit inter uos, sed quicūq; uoluerit inter uos magnus fieri, sit uester minister: & qui uoluerit inter uos primus esse, sit uester seruus: sicut filius hominis non uenit ut sibi ministraretur, sed ut ipse ministraret, utq; daret animā suā redemptionem pro multis.] Vbi uiderūt decem duos illos à Christo increpatos, tunc & indignati sunt, & ostenderunt se commotos ob istorum honorem. Adhuc enim erant imperfecti. nā illi aduersus decē insurgebāt, hi duobus inuidebant. Postq; igitur decē his auditis turbati fuerūt, arcessit illos, uocatione antea sermonem demulcens. Etenim filij Zebedæi auulsi ab alijs conuersabant cū ipso. † Præsens igitur omnibus sit. Sciens enim q̄s sit tyrannica, & graui indigeat reprehensionis plaga, ambitio, acrius eos perstringit, & abijcit eos in infidelium & gentilium portionem, si inani gloriæ studere uoluerint: & sic eos inhortatur, dicens: Alij quidem homines, quia regunt, clari sunt: & amare primas, gentilium est affectio, meos autem discipulos humilitas commendat, & † Omnibus itaq; simul loquitur.

honorabiles facit: atq; adeò qui maior esse uoluerit, debet, his qui opus habent, mini- A
strare, id quod præcipuæ humilitatis est, & ego in meipso ostendo. cum enim sim prin-
Philip.2. ceps & rex cœlestium, humiliaui memetipsum, ita ut uobis ministrem ad salutem: & in
tantum ministrem uobis, ut & animam meam ponam redemptionem pro multis, hoc
est, omnibus. Omnes enim multi.

Et egredientibus illis à Hiericho, sequuta est eũ turba multa. Et ecce duo cæci seden
tes secus uiam quum audissent q̃ Iesus transiret, clamauerũt dicentes: Domine, misere-
re nostri fili Dauid. Turba aũt increpabat eos ut tacerent. At illi magis clamabãt dicen
tes, Miserere nostri Domine, fili Dauid. Et stetit Iesus, ac uocauit eos, & ait, Quid uul-
tis ut faciam uobis? Dicũt illi, Domine, ut aperiantur oculi nostri. Misertus aũt eorum
Iesus, tetigit oculos eorum, & confestim uisum receperunt oculi illorũ, & sequuti sunt
eum.] Fama agnouerant cæci Dominum, & obseruabant tempus quũ audissent q̃ prę
teriret. Crediderũt aũt q̃ Iesus (qui ex semine Dauid secundum carnem) posset curare
illos. Et planè multũ feruebant fide, neq; dum tacere iuberentur, silebant, sed longè am
plius clamabant. Vnde non interrogauit illos an fidem habeant, sed quid uellent: ne
quis existimet q̃ alia det alia uolentibus. Monstrans igitur quòd non pęcuniæ gratia
ad se clamarint, sed ut curẽtur, tactos curat: ut discamus omnia suæ sanctiæ carnis mem
Luc.18. bra, uiuifica & Dei membra esse. Quòd aũt Lucas & Marcus unũ dicunt cæcum fuis-
Marc.10. se, non ab his dissonat. illi enim insignioris mentionem fecerũt. Vel aliter, Lucas dicit
quòd antequam ueniret in Hiericho, curarit cæcum: Marcus aũt postquam exiuit de
Hiericho. Matthęus uerò breuitatis amator simul utrunq; complexus est. Intellige aũt
per cæcos, eos qui ex gentibus, qui secus uiam curati sunt. Non enim præcipuè uenit
Christus nõ præcipuè, p pter gentes uenit, Christus propter gentes, sed propter Israelitas. Quemadmodum autem cæci audien-
do didicerunt de Iesu, sic & gentes ex auditu fidei. Hi autem qui silentium imperant
cæcis, ne clamando inuocent nomen Iesu, sunt persequutores tyranni, qui attentant ec
clesiæ os obturare: sed illa multo magis confitetur nomen Christi: idcirco sanatur, & B
uidet ueritatis lumen clarius, & sequitur Christum, uitam eius imitando.

CAPVT XXI.

ET cum appropinquassent Hierosolymis, & uenissent Bethphage ad montẽ oliua-
rum, tunc Iesus misit duos discipulos, dicens illis: Ite in castellum quod contra uos
est, & statim inuenietis asinam alligatam, & pullum cũ ea. soluite, & adducite mihi. &
si quis uobis aliquid dixerit, dicite, Dominus his opus habet. & confestim emittit eos.
Hoc autem totum factum est ut adimpleretur quod dictum est per prophetam di-
Esaiæ 62. centem, Dicite filiæ Sion, Ecce rex tuus uenit tibi mansuetus, sedens super asinam,
Zach.9. & pullum filium subiugalis.] Sedit super asinam, non in ullum alium usum, quàm
ut impleretur prophetia, & ut ostenderet quomodo oporteat uiliter uehi. non enim
equo, sed asello uili uectus est. Implet igitur prophetiam & iuxta historiam, & iu-
xta anagogen. Nam iuxta historiam uisibili asino insedit: & iuxta anagogen quoque,
nouo, indomito, & obedientiæ nescio populo. Ligati autem erant asina & pullus cate
Galat.2. nis suorum peccatorum. Duo missi sunt ad soluendum. Paulus quidem ad Gentes. Pe
trus uerò in circuncisionem, hoc est ad Iudæos. Et usq; in hodiernum diem duo nos
Ioan.3. soluunt à peccatis, Apostolus & Euangelista. Venit autem Christus mansuetus. Non
enim uenit ut iudicet mundum in primo aduentu, sed ut saluet. Et alij quidem reges Iu
dæorum fuerunt rapaces & iniusti, Christus autem rex mansuetus.

Euntes aũt discipuli fecerunt sicut præceperat illis Iesus. Et adduxerunt asinam &
Luc.19. pullum, & imposuerunt super eos uestimenta sua, & collocarũt eum super illa.] Lucas
Marc.2. quidem & Marcus subiugalem solum dixerunt, Matthęus aũt asinam & pullum. Non
dixerunt aũt cõtraria. ducentes enim pullũ, sequuta est mater. Collocauerũt aũt eũ sup
illa: non super duo iumenta, sed super uestes. Aut quidẽ sedit super asinã, postea super
subiugalem: quia & primũ quieuit in Iudæorum synagoga, deinde in gentili populo.

Plurima autẽ turba strauerunt uestimenta sua in uia: alij uerò cædebant ramos de ar
boribus, & sternebant in uia. Porrò turbæ quæ præcedebãt & quæ sequebãtur, clama-
bant dicentes: Hosanna filio Dauid: benedictus qui uenit in nomine Domini, hosan-
na in altissimis.] Iuxta historiam multum in se habet honoris, uestes strauisse, & ramos
obiectasse. nam ostendunt magnã gloriam. At iuxta anagogen disce q̃ postquàm apo
stoli

A soli superposuerunt uestimenta sua, uirtutes inquam suas, tunc super illas sedit Dominus. Nam nisi anima nostra ornata fuerit apostolicis uirtutibus, nō equitabit eam Dominus. Præcedentes, sunt prophetæ, qui ante incarnatum Christum fuere: sequentes autem, martyres & doctores, qui uestimenta sua sternunt Christo, hoc est carnem subijciunt spiritui. Vestimenta enim & tegumenta animę, corpus. Strauerunt igitur in uia, hoc est in Christo. Ego enim sum uia, inquit. Si enim quis carnem suam non strauerit, *Ioan. 14.* hoc est humiliauerit, in uia, hoc est in Christo manens, & non hæreticus existens, non insidebit in eo Dominus. Hosanna autem quidam dicunt q̄ hymnum uel psalmum *Hosanna.* significet: alij aūt, id quod euidentius, Salua obsecro. Venturus aūt dicitur Dominus, quia expectabatur ab Hebræis uenturus. Sic enim & Ioannes dicit, Tu es qui uenturus es: hoc est, q̄ expectaris ut uenias. Dicitur & aliter uenturus, eo q̄ aduentus eius secundus quotidie expectetur. Debemus igitur & nos omnes consummationem mundi & aduentū Christi expectare, ac præparari. *Supra 11. Lucæ 7.*

Et cum intrasset Hierosolyma, commota est uniuersa ciuitas, dicens, Quis est hic? Turbæ autem dicebant, Hic est Iesus ille propheta à Nazareth Galileæ.] Turbæ simplices & candidæ, neq; inuidebant Christo, neq; rursus opinionē dignam de Christo habebant: ideo & nunc prophetam illum dicunt. Nisi fortè (quandoquidem cum articulo dicunt ὁ προφήτης propheta ille) possit intelligi q̄ iste sit qui expectabatur propheta, *Deu. 18.* de quo dixit Moses, Prophetam uobis Deus excitabit. Nō enim dixerunt, Hic est propheta: sed, Propheta ille, hoc est ille qui expectatur.

Et intrauit Iesus in templū Dei, & eijciebat omnes uendentes & ementes in templo, mensasq; collybistarū & cathedras uendentiū columbas euertit: & dixit illis, Scriptum *Esaiæ 56.* est, Domus mea domus deprecationis uocabit: at uos fecistis illā spelunca latronū.] Tā q̄ Dñs domus, hoc est templi, eijcit uendentes: ostendens ea quę patris sunt, & sua esse, interim etiā honestatis templi curam habens, sed & translationem sacrificiorum significans, eò q̄ eijciendo boues & columbas, præsignauit non ultrà opus esse animalium sacrificio & immolatione, sed oratione. Domus enim mea, inquit, domus deprecatio- *Hier. 7.*
B nis est: uos aūt fecistis illam spelunca latronum. In spelucis enim latronum fiunt mactationes, & sanguinis effusiones. Vel etiam propter negociatores ementes & uendentes, spelunca latronum uocauit templū. Auaritia enim & lucri cupiditas, latronū mor- *Nota.* bus est. Collybistæ aūt sunt qui apud nos dicunt mensarij. Collybos enim species est ui- *Collybistæ.* lis nomismatis, sicut habemus & nos obolos & minuta. Vendunt aūt columbas & hi q̄ in ecclesijs gradus uendunt. Spūs enim gratiā, qui est colūba, uenduntur: unde eijciuntur ex superuo & inferno templo. Indigni enim sunt sacerdotio fungi. Vide aūt & tu ne fortè templū Dei, cogitationem tuā facias spelunca latronū dæmoniorū. Fit aūt spelunca, si habuerimus cogitationes carnalibus rebus amicas, uendentes & ementes, & ita lucri cupidas, ut & collybos & uilia nomismata congregent. Et si uendiderimus & emerimus colūbas, hoc est, si quod in nobis fuerit spirituale dogma, & huiusmodi honesta cogitatio, spelunca latronum fecimus nosipsos.

Et accesserūt ad eum cęci & claudi in templo: & sanauit eos.] Per infirmos quos curauit, ostendit se Deū esse, & benefacere, eijciens cū autoritate è domo sua indignos. Declaratur etiam hoc, q̄ eiectis Iudæis, qui legi & animalium mactationi addicti erant, cæci & claudi ex gentibus assumpti fuerint sanati ab eo.

Quū aūt uidissent principes sacerdotū & scribæ mirabilia quæ fecerat, & pueros clamantes in tēplo & dicētes, Hosanna filio Dauid: indignati sunt, & dixerūt ei, Audis quid isti dicūt? Iesus aūt dicit illis, Quid nī? Nunq̄ legistis, Ex ore infantiū & lactentiū *Psal. 8.* perfecisti laudē?] Pharisei quū uiderent pueros hymnū Dauid offerre Christo, quē uidet Propheta Deo obtulisse, dissecabant inuidia, & interpellant illū, q̄ permittat de se dici quæ soli Deo debentur. Ille aūt magis approbans dicit, Etiā. Tantū abest ut obturē ora talia dicentiū, ut & prophetæ testimoniū adducā, & uos ostendā uel imperitos, uel inuidos. an non enim legistis q̄ ex ore infantiū & lactentiū perfecisti laudem? Perfecisti aūt significat pfectā & absolutā ostendisti laudē, etiā si illi ꝓpter ætatē imperfecti & uiles uideant. Nō enim illi dicebāt q̄ dicebāt, sed os solū accōmodātes, spiritus organa fuerūt. Et idcirco dicit, Ex ore infantiū: innuens q̄ ea uerba nō ab illorū mēte procederent, sed q̄ os solū diuina gratia mouebat. Significat item q̄ à gentibus, quæ simplices

& stultæ erant, benedicendos esset. Erat autem & apostolis consolatio, dandum & A
sibi sermonē, tametsi perq̃ uiles forent. Et tu innocens si fueris, ac malitia paruulus, fu-
xerisq̃ spirituale lac diuinorum eloquiorū, dignus eris qui laudes & prædices Deum.

Et relictis illis exijt è ciuitate in Bethaniam, & diuersatus est illic.] Secedit ab illis, ut
Bethania. ab indignis. Et uenit in Bethaniam, hoc est domum obedientiæ. Ab inobedientibus e-
nim ad obedientes se confert, & inter illos uersatur. Dicit enim, Habitabo in eis, & am
bulabo in eis.

Mane aūt reuertens in ciuitatem, esurijt. Et cum uidisset ficī arborem unam in uia,
uenit ad eam, & nihil inuenit in ea, nisi folia tantum: & ait illi, Ne posthac ex te fructus
nascatur in æternum. Et arefacta est continuò ficus: & eo uiso discipuli mirati sunt di-
Supra 8. centes, Quomodo continuò exaruit ficus? Quoniā Dñs frequenter miracula operatus
Mar. 5. est, & in omnibus hoc spectauit ut benefaceret, nullū autem ostendit quo puniret: ne
putarent q̃ non posset punire, ostendit hoc loco & hanc suam potestatem: non in ho-
minē illa utens, sed arborem, utpote misericors, sicut & antea in porcos. Arefacit igitur
arborem, ut emendet homines. Porrò discipuli meritò admirantur. Arbor enim illa hu
midior est, & maius ostendit miraculum, eo quòd statim exaruit. Cæterum ficus Iudęo
Ficus are- scens Iudæo rum significat synagogam folia sola habentem, hoc est apparentem literam, non fructū
rum signat spiritus. Sed & omnis homo exponens se delicijs huius uitę, ficui comparatur: quia fru
synagogam ctum non habet spiritualem, ut esurienti Iesu det, sed folia tantum, & temporalem ac
Mat. 25. defluentem apparentiam. Hic igitur maledictus audiet. Ite enim, inquit, maledicti in
Luc. 16. ignem. Sed & arescet. nam dum cruciatur in flāma, arescit eius lingua sicut & diuitis.

Respondens aūt Iesus ait illis, Amen dico uobis, si habueritis fidem, & nō hæsitaue
ritis, nō solū hoc quod accidit ficui facietis, uerumetiam si monti huic dixeritis, tollere,
Ioan. 14. 16. & proijce te in mare, fiet. Et omnia quæcunq̃ petieritis in deprecatione credentes, ac
cipietis.] Magna Christi quā discipulis dat, promissio, quòd possimus montes transfer-
re, si non ambigui fuerimus fide, & hæsitauerimus. Quæcunq̃ enim petiuerimus citra
hæsitationem fidentes diuinæ uirtuti, accipiemus. Etiā, inquit, si petiuerimus & quod B
non conducibile, credam autem insipienter q̃ hoc mihi det Dominus, accipiam ne igi
tur & illud quōd mihi non expedit? Deus igit quomodo misericors, si quidem meā pe-
titionem, quæ mihi non prodest, adimplet? Audi ergo. Primum cum audieris fidem,
non stultam illam fidem, sed eam quæ reuera fides est, accipe, & deprecationem illam
Matt. 6. quæ utilia petit, sicut tradidit Dominus dicens, Ne inducas nos in tentationem, sed li-
„ Αλλὰ ῥῦσαι bera nos à malo: & quæ in ea oratione sunt uerba. Insuper uide & uerbū „ hæsitaueri-
ἡμᾶς tis. Nam qui unitus fuerit Deo, & unus est cum illo, & non discretus & separatus, quo
modo petet quod inutile est? Vnde si indiuisi & indiscreti fuerimus à Deo, conducibi-
lia petemus à Deo, & accipiemus.

Et cum uenisset in templum, accesserunt ad eum docentem principes sacerdotum
& seniores populi dicentes, Qua autoritate hæc facis? & quis tibi dedit istam authori-
tatem? Respondens autem Iesus dixit eis, Interrogabo uos & ego quiddam, quod si
dixeritis mihi, & ego uobis dicam qua authoritate hæc faciā. Baptismus Iohannis un-
de erat? è cœlo, an ex hominibus? At illi cogitabāt apud se dicentes, Si dixerimus è cœ
lo, dicet nobis, quare ergo non credidistis illi? Sin autem dixerimus, ex hominibus, ti-
memus turbam. Omnes enim habebant Iohannem ut prophetam. Et respondentes Ie
su dixerūt, Nescimus. Ait illis & ipse, Nec ego dico uobis qua autoritate hæc faciam.]
Inuidentes legisperiti Iesu quòd eiecisset è templo negociantes, accesserunt ad eum, &
talia quædam rogauerunt, Quis es tu qui è templo eijcis negociantes? nunquid hoc fa-
cis ut sacerdos? At tu quidem sacerdotalem dignitatem non habes. Num hoc facis ut
rex? enimuero neq̃ rex es, neq̃ si esses, liceret tibi hæc facere. Non enim licet regibus
in templo aliquid agere. Interrogabant autem hæc à Domino, ut si quidem diceret,
Mea potestate hæc facio: accusarent eum ut rebellem, & propriam potestatem se ha-
bere dicentem. Sin autem diceret, diuina potestate hæc facio, abducerent ab eo turbas
illum ut Deum laudantes, monstrantes, Ecce Iesus ille non est Deus, sed potestate Dei
1. Corint. 1. hæc facit ut seruus. Quid igitur Christus ipsamet sapientia? Comprehendit sapientes
in uersutia sua, & interrogat eos de Iohanne similia, ut si quidem dicerent, E cœlo

fuit

fuit prædicatio Ioannis, comprobarentur Deo aduersarij, quòd illam nõ suscepissent.
A Si autem ex hominibus dicerent, periclitarentur propter turbam. Omnes enim ut prophetam habebant Ioannẽ. Ostendit aũt hoc loco Dominus, quòd maligne interrogantibus nõ oporteat respondere. Nam nec ipse Iudæis dolose interrogantibus respondit, quamuis nulla respondendi difficultas esset. Discimus aũt interim quòd semetipsum laudare non est iuxta Christi doctrinam. Ecce Dominus enim qui potuit dicere qua potestate hæc faceret: non dixit, ne seipsum laudare uideretur. *Maligne interrogantibus non oportet respondere.*

Quid aũt uobis uidetur? Homo quidam habebat duos filios: & accedens ad priorẽ dixit, Fili, uade hodie operare in uinea mea. Ille aũt respondens ait, Nolo: postea uerò pœnitentia motus abijt. Accedens aũt ad alterum dixit similiter: at ille respondens ait: †Eo Domine, & nõ abijt. Vter è duobus fecit quod uoluit pater? Dicunt ei, Prior. Dicit illis Iesus, Amen dico uobis, q̃ publicani & meretrices præcedũt uos in regno Dei. Venit enim ad uos Ioannes per uiam iustitiæ, & non credidistis ei: publicani autem & meretrices crediderunt ei. Vos autem cum uidissetis eum, non fuistis commoti pœnitentia postea ut crederetis ei.] Duos ordines inducit, unum principio pollicentium, quales fuerunt Iudæi qui dixerũt, Omnia quæcũq̃ dixit Deus, faciemus & audiemus. Alterum eorum qui non statim persuasi sunt, quales sunt meretrices & publicani, & qui ex gentilium populo, qui ab initio non obedierunt uoluntati diuinę, postea autem pœnitudine ducti obedierunt. Vide igitur sapientiam Christi. Non statim à principio dixit illis, Meliores uobis publicani sunt & meretrices: sed prius cœpit ipsos, & confessi sunt quòd ex duobus filijs ille obediens fuerit, qui fecerit uoluntatẽ patris. Postea ubi hoc confessi fuerunt, subdidit uenisse Ioannem per uiam iustitiæ, hoc est in uita irreprehensibili. Non potestis enim dicere uitam Ioannis fuisse reprehensibilem: attamen meretrices ei obedierunt, uos aũt non: idcirco & præcedunt uos, hoc est, ante uos ingrediuntur in regnum cœlorũ: laborate itaq; & uos ut saltem post illas intretis & ipsi credentes: si autem increduli fueritis, nunquã intrabitis. Multi autem etiam hodie pollicentur Deo & patri, monachos se futuros forte uel sacerdotes: post promissionem au-
B tem negligentes sunt. Alij autem monasticã uel sacerdotalem uitam polliciti non sunt, sicut monachi tamen uel sacerdotes, uiuunt: atq; ita illi sunt obedientes pueri, qui faciunt etiam si nihil promiserint. †Ego *Exod. 24.*

Aliam parabolam audite. Homo quidam erat paterfamilias, qui plantauit uineam, & sepem circundedit ei, & fodit in ea torcular, & ædificauit turrim, & locauit eam agricolis, ac peregrè profectus est.] Aliã parabolam eis affert, ostendens q̃ licet summa diligentia eis exhibita sit, nũ meliores facti fuerint. Homo enim paterfamilias, Dominus est, qui propter misericordiam homo appellatur. Vinea autem, populus Iudæorũ, plantatus à Deo in terra promissionis. Introducens enim, inquit, plantabis eos in mõte sancto. Sepes aũt lex, non sinens eos gentibus misceri: uel angeli custodientes Israel. Torcular, altare. Turris, templum. Agricolæ uerò doctores populi, pharisæi & scribę. Profectus est autem paterfamilias Deus, quando non amplius in columna nubis loquebatur eis. Vel peregrinatio Dei, longanimitatis eius. Videtur enim Deus & dormire, & peregrè proficisci, dum longanimis est, & non euestigiò peccatorum pœnas exigit. *Esaiæ 5. Hierem. 2. Psal. 77. Exod. 15.*

Cum autem tempus fructuũ appropinquasset, misit seruos suos ad agricolas, ut acciperent fructus ipsius. Et agricolæ apprehensis seruis eius, alium ceciderunt, alium occiderunt, alium uerò lapidauerunt. Iterum misit alios seruos plures prioribus, & fecerunt illis similiter. Nouissime autem misit ad eos filium suum, dicens, Reuerebũtur filium meum. Agricolæ autem uiso filio dixerunt intra se, Hic est hæres: uenite occidamus eum, & occupemus hæreditatem eius. Et apprehensum eum eiecerunt è uinea, & occiderunt.] Appropinquauit tempus fructuum prophetarum temporibus. Serui enim missi fuerunt prophetæ, quos uarijs affecerunt iniurijs agricolæ, hoc est qui tunc erant falsi prophetæ, & falsi doctores. Et alium quidem percusserunt, ut Michæam. Sedechias enim eum in maxillam percussit. Alium autem occiderunt, ut Zachariam inter templum & altare. Alium uerò lapidauerunt, ut Zacharias filium Iodoe pontificis. Postea missus est filius Dei, in carne apparens. Quod autem dixit, Reuerebuntur filium meum, non ignorans dicit q̃ illum occisuri essent, sed significare uolens quid facere deberent. Oportebat enim, inquit, licet seruos occiderint, uel filiũ reuereri, Agri-

3. Reg. 22. 2. Paral. 24.

colæ autem uiso ipso dixerunt: Hic est hæres, uenite occidamus eum. Etenim Iudæi A
quí dicebant, Hic est Christus, ipsi illum crucifixerũt. Eiecerunt autem eum extra ui-
neam. nam extra ciuitatem occisus est Dominus. Præterea quia uineam dicebamus
esse populum, extra uineam, hoc est præter simplicis populi sententiam, occiderunt
eum pharisæi, & mali agricolæ.

Extra uineam occisus Dominus.

Cum ergo uenerit Dominus uineę, quid faciet agricolis illis? Dicunt illi, Mali cum sint, malè perdet illos: & uineam suam locabit alijs agricolis, qui reddent ei fructum temporibus suis.] Cum uenerit. Quãdo? Num in secundo aduentu? Videtur quidem & hoc sentire, ueruntamen melius sic intelligitur: Dominus uineæ, Deus & pater, qui misit filium suum ab illis occisum. Cum igitur uenerit, hoc est cum ipse respexerit ad iniquitatem quam fecerunt Iudæi, tunc malos malè perdet, misso Romano exercitu: & uineam suam, hoc est populum, locabit alijs agricolis, hoc est apostolis & doctoribus. Intellige item per uineam diuinas scripturas, in quibus sepes quidem litera est: torcular autem defossum, profundus spiritus: turris autem, theologia, quę summa est & diuina. Has itaq; scripturas habebant prius mali agricolæ pharisæi: locauit autem nobis Deus eas bene colentibus. Illi enim Dominum occiderunt extra uineam, hoc est præter iussum eorum quæ dicebant scripturæ.

Psal. 117.

Dicit illis Iesus, Nunquã legistis in scripturis, Lapidem quem reprobauerunt ædificantes, hic factus est in caput anguli: A' Domino factũ est hoc, & est mirabile in oculis nostris? Idcirco dico uobis, Auferetur à uobis regnum Dei, & dabitur genti facienti fructus eius. Et qui ceciderit super lapidem istum, confringetur: super quem autem ceciderit, illum conteret.] Lapidem seipsum nominat: ædificantes autem magistros Iu-

Ioan. 8.

dæorum, qui illum quasi inutilem reprobauerunt, dicentes, Samaritanus es tu, & dæ-

Act. 4.

monium habes. Ipse autem cum surrexisset ex mortuis, positus est in caput anguli, hoc

Ephe. 2

est, caput ecclesiæ factus est, coniungens Iudæos & Gentiles in unam fidem. Sicut enim lapis angulum in domo faciens, continet hac & illac murum, sic & Christus nos omnes in unam fidem colligauit. Angulus autem ille admirabilis est, & à Domino est D
factus. Ecclesia enim nos cõtinens ac fide uniens, à Domino facta est, & est magna admiratione digna, eoquòd pulchrè ædificata sit. Est aũt & alia ratione admirabilis, eo q̃ miraculis firmatus est & confortatus sermo Domini: & ita ecclesiæ quoq; constitutio admirabilis. Ablatum igitur est regnũ Dei à Iudæis, hoc est peculiaritas qua Dei proprij erant, & datum est his qui crediderunt. Qui enim impingunt in lapidem, & offenduntur in Christo Iesu, cõfringentur quidem in secundo aduentu: ueruntamen & hic cõtriti sunt ab ipso, hoc est dispersi sunt ubiq; terrarum, sicut uidemus nunc miseros Iu-

λικμήσῃ.

dæos, Conteret, hoc est ita conteret, ut dispergat eos.

Et cum audissent principes sacerdotum ac pharisæi parabolas eius, cognouerunt q̃ de se diceret: & quærentes illi manus inijcere, timuerunt turbas, quoniã tanquam prophetam eum habebant.] Iterũ uide q̃ turba quidem simplex & fuci nescia sequitur ueritatem, legisperiti aũt malignè agunt. Et usq; in hunc diem quærunt Hebræi Iesum cõprehendere, sed non comprehendunt, neq; intelligunt. Antichristum autem comprehendent, & ipsum adorabunt: at Christus non capitur, hoc est non intelligitur ab eis.

CAPVT XXII.

ET respondens Iesus, iterum dixit illis per parabolas, dicens: Simile factum est regnum cœlorum homini regi, qui fecit nuptias filio suo: & emisit seruos suos, ut uocarent inuitatos ad nuptias, & nolebant uenire. Iterum emisit alios seruos, dicens, Dicite inuitatis, Ecce prandium meum parauí: tauri mei & altilia mactata sunt, & omnia parata: uenite ad nuptias. Illi autem neglexerunt, & abierunt, alius in uillam suam, alius uerò ad negociationem suam: reliqui uerò tenuerunt seruos eius, & contumelijs affectos occiderunt. Rex autem cum audisset, iratus est, & missis exercitibus suis perdidit homicidas illos, & ciuitatem illorum succendit.] Et hæc parabola Iudæorum inobedientiam subindicat, sicut & superior de uinea. Verùm sicut illa mortem Christi, ita hæc nuptiale gaudium, hoc est resurrectionem declarat. Cæterùm hæc monstrat multo atrociora quæ patrarint illi, quàm superior. Illi enim cum exigerentur fructus, occidebant eos qui exigebant: hi autem cum uocarentur ad nuptias, homicidium fecerunt. Homini igitur regi similis est Deus. Non enim

apparet

A apparet ut est, sed qualem decet ut nobis se uidendum exhibeat. Nam quando uti homines morimur humanis peccatis obnoxij, ut homo nobis apparet Deus: quando autem ut dij ambulamus, tunc fiat Deus in synagoga deorum: sicut & quando ferarū naturas assumimus, fit & ille nobis panthera, & ursus, & leo. Facit autem nuptias filio suo copulans eum omni formosę animę. Sponsus enim Christus, sponsa autem ecclesia & anima. Serui uero primùm missi, Moses & alij, quibus nō crediderūt Hebræi, sed exasperauerunt Deum in deserto quadraginta annis, & noluerūt sermonem Dei & † charitatem suscipere spiritualem. Deinde missi sunt serui alij, prophetę: sed & illorū quosdam occiderunt, ut Esaiam: quosdam contumelijs affecerunt, ut Hieremiam, quem in lacum luti iniecerunt. Quidam aūt minus mali, † sibi ab huiusmodi iniurijs temperauerunt, sed alius quidem in proprium agrum abijt, hoc est indulsit delicijs & uoluptatibus uitæ. uniuscuiusq; enim ager est corpus. alius autem in negociationē suam, hoc est, auaritiæ deditus fuit. Negociatorum enim genus auarum est, & lucri cupidissimū. ostendit igitur parabola, quòd qui à spiritualibus nuptijs & conuiuio & Christi societate destituuntur, ob has duas potissimum causas excluduntur, uel propter corporales uoluptates, uel auaritiæ morbū. Prandium autem hoc loco nominat, quamuis alio loco cœnam eam dixerit. Non absurdè cœnā. Nam in nouissimis temporibus perfectè apparebunt illæ nuptiæ, & ad uesperum, & ad finem seculorū. Prandium autem, eo q; in prioribus seculis reuelatum fuit mysteriū, tametsi obscurius. Tauri autem & altilia, uetus est & nouum Testamentum. Vetus enim signatur per tauros (animalium enim mactationem continebat) nouum autem per altilia. Panes enim offerimus nunc in altario, qui propriè dicti sunt σιτισὰ, utpote ex frugibus confecti. Vocat igitur nos Deus ut comedamus & ueteris testamenti bona, & noui. Et tu quando uideris quempiā manifestè interpretantem diuina eloquia, scias eum altilia & è frugibus confectos cibos dare, ac quasi frugibus alere, & cibis farcire simpliciores manifestè docendo. Quæres aūt hoc loco, quomodo dicat, Vocate inuitatos: si enim inuitati erāt, quomodo denuò sunt uocandi? Scias igitur omnes natura uocari ad bonū à sermone doctoris natura datitattamē Deus, & illos externos doctores mittit, ut qui intus à sermone naturali uocati sunt, & extrinsecus uocent. Mittit aūt rex exercitus suos, hoc est Romanos, q; inobedientes Iudæos perdiderūt, & ciuitatē illorū Hierusalē succenderūt, ut Iosephus dicit.

Tunc dicit seruis suis, Nuptiæ quidem paratæ sunt: sed qui inuitati erant, non fuerunt digni. Ite ergo ad exitus uiarum, & quotcunq; inueneritis, uocate ad nuptias. Et egressi serui eius in uias, congregauerunt omnes quotquot inuenerunt, malos pariter ac bonos: ac impletæ sunt nuptiæ discumbentibus.] Quoniam priores serui, Moses & prophetæ, non persuaserunt, alios quoq; seruos mittit apostolos, qui gentiles uocarunt in uia uera non incedentes, sed alios aliò diuisos & in uijs pluribus & dogmatis discordes, immo existentes iuxta exitus uiarum, hoc est in errore & inæqualitate multa. Nam & ipsi inter se dissidebant & tumultuabantur: & non in uijs erant, sed extra uias. & illa sunt mala eorum dogmata quæ docebant. Non omnes diligebant æqualiter, sed alij hoc modo, alij alio. Quid si sic melius intelligatur? Via est uita uniuscuiusq; exitus à uia, dogma. Gentiles igitur qui uias habebant malas, hoc est uitam reprehensibilem, ab ea mala uia exierunt in dogmata impia, fœdos sibi deos constituentes patronos uitiorum. Egressi igitur apostoli à Hierusalem ad gentes, congregauerunt omnes tam malos quàm bonos, hoc est omni malitia repletos, & minus malos, quos & bonos nominat, si alijs conferantur.

Ingressus autem rex ut uideret discumbentes, ubi uidit illic hominem nō uestitum ueste nuptiali, ait illi: Amice, quomodo huc intrasti non habens uestem nuptialem? At ille obticuit. Tūc dixit rex ministris, Ligatis pedibus & manibus eius † mittite eum in tenebras exteriores. ibi erit fletus, & stridor dentium. Multi enim sunt uocati, pauci uerò electi.] Ingressus ad nuptias sine dijudicatione fit. Gratia enim sola omnes uocati sumus tam boni quàm mali: at uita eorum ingressi fuerint, posthac non indiscussita erit, sed examen ualde magnum faciet rex eorum qui post ingressum ad fidem in sordido habitu inuenientur. Horreamus igitur cogitantes, quia nisi quis uitā habeat puram, nihil ei proderit nuda fides, nō solū enim è nuptijs ejicitur, sed & in ignē mittitur. Quis est ille sordida uestimēta gerēs? Is qui nō indutus est uiscera miserationū, fraternitatem,

Psal. 81.

Apoc. 19. & 21.

† χαρὰν gaudium

Hiere. 38.

† se excussuerunt, &

Luc. 14.

Panes quos in altario offerimus dicti σιτισὰ

† tollite eum, & mittite.

nitatem, benignitatem. Multi igitur seipsos uana spe decipientes, putãt quòd regnum A
cœlorum assequentur, & seipsos simul immittent discumbentium choro, sentientes
de seipsis magna. Rationem igitur sumens Dominus ab indigno illo, monstrat nobis
duo hæc: unum, quòd misericors sit: alterũ, quòd & nos nullos condemnare debemus
etiãsi manifestè peccent, nisi redarguantur peccantes. Dicit igitur Dominus ministris
angelis tortoribus, Ligatis manibus & pedibus, id est operatiuis eius uirtutibus. In se-
culo enim præsenti operari possumus, in futuro autem seculo ligantur omnes uirtutes
animæ operatiuæ, & non potest fieri aliquid boni in ablutionem peccatorum. Stridor
autem dentium, pœnitentia est, quæ tunc stultè & inutiliter fit. Multi autem sunt uo-
Cautè le- cati, multos enim uel potius omnes uocat Deus: pauci uerò electi. Pauci enim qui sal-
gas. quære uantur, & qui digni ut eligantur à Deo: ita ut Dei quidem sit uocare, electos autem fie
in fine li- ri, uel non, nostrum est. Ostendit igitur quòd propter Iudæos dicta sit parabola: qui uo-
bri. cati quidem fuere, non autem electi, eò quòd non audierunt.

Tunc abeuntes pharisæi consilium cæperunt ut illaquearẽt eum in sermone: & ad
illum emittunt discipulos suos cum Herodianis.] Per insidias hæc fiebant: propterea
Luc. 20. & Lucas insidiatores illos uocat, tanquam missos in hoc ut insidientur Christo. Hero-
diani autem erant uel Herodis milites, uel qui putabant Herodem Christum. Quoniã
enim deficiẽtibus principibus Iuda regnaret Herodes, arbitrabant̃ ipsum esse Christũ.
ueniũt igitur pharisæi cum illis illaqueaturi eum. Audi enim quomodo loquantur illi.

Dicentes, Magister, scimus quòd uerax sis, & uiam Dei in ueritate doceas, neq; cu-
res quenquã: non enim respicis personam hominum. Dic ergo nobis, quid tibi uide-
tur? Licet censum dari Cæsari, an non? Cognita autem Iesus malitia eorum, ait, Quid
me tentatis hypocritæ? Ostendite mihi numisma census. At illi obtulerunt ei denariũ.
Et ait illis, Cuius est imago hæc & inscriptio? Dicunt ei, Cæsaris. Tunc ait illis, Reddi
te ergo quæ sunt Cæsaris, Cæsari: & quę sunt Dei, Deo. Et his auditis mirati sunt, & o-
misso eo abierunt.] Arbitrati se demulsuros illum laudibus, adulantur, ut lactatus di-
cat non deberi Cæsari tributum, & inde comprehendant eum tanquam seditiosum, & B
commouentem populum contra Cæsarem: & idcirco Herodianos secum adducunt,
qui regij erant, ut comprehenderent illum quasi rerum nouatorem. Non respicis per-
sonam cuiusquã, inquiunt. Nihil dicis in gratiam Herodis & Pilati. Dic igitur nobis,
Debemus & hominibus tributarij esse, & dare eis censum, sicut & Deo didrachmũ? an
soli Deo tribuemus? nunquid autem & Cæsari? Hoc autem dicebant (sicut dixit) ut di-
cat quòd nõ oporteat tributũ & Cæsari pendere, comprehendantq; eum & occidant:
Actuum 5. sicut Theudan & Iudam, qui dicebant non sacrificandum pro nomine Cæsaris. Iesus
autem per hoc quòd figuratum erat numisma imagine Cæsaris, persuadet illis debere
Cæsari quæ eius sunt, hoc est, quæ habent eius imaginem. Et in corporalibus & in ex-
ternis obediendum est regi: in internis autem & spiritualibus, Deo. Licet autem & sic
intelligere, quòd oporteat unumquemq; nostrũm ea quæ sunt Cæsaris, hoc est dæmo-
nis, infernorum principis, illijpsi reddere, & obijcere: ut exempli gratia, si habes iram à
Cæsare, reijce eam in illum, irascere contra ipsum. sic poteris & ea quæ sunt Dei, Deo
reddere. Item quia duplices sumus nos, & ex anima corporeq; cõstituimur, corpori ci-
bos & amictũ ut Cæsari debemus: diuiniori autem nostræ parti, quę & illi congruunt.

In illo die accesserunt ad eum Sadducæi, qui dicunt non esse resurrectionem, & in-
Deut. 25. terrogauerũt eum dicentes, Magister Moyses dixit, si quis mortuus fuerit non habens
Luc. 20. filium, ut ducat frater eius uxorem illius, & suscitet semen fratri suo. Erant autem apud
Act. 23. nos septem fratres, & primus uxore ducta defunctus est: ac nõ habens semen, reliquit
uxorem suam fratri suo. similiter secundus & tertius, usq; ad septimum. Nouissime au
tem omnium defuncta est mulier. in resurrectione igitur, cuius è septem illis erit u-
xor? Omnes enim habuerunt eam.] Cõfutatis pharisæis cum Herodianis, iterum Sad
ducæi tentant. Hæresis autem illorum erat talis: Neq; resurrectionem, neq; spiritum,
neq; angelos credebant: diuersa à pharisæis sentiebant. Rem fingunt, quæ nunquam
contigit. Pone enim quòd duo acceperint ipsam & mortui sint, qui fieri potuit ut ter-
tius omen auersans nuptias nõ recusauerit, periculis præcedentiũ admonitus? Fingũt
igitur, quasi Christũ in dubiũ tracturi, ut resurrectionẽ arguãt, & Mosen figmẽto suo pa
tronũ faciãt. Septẽ dixerũt esse fratres, maximè incessentes resurrectionis mysteriũ: &

cuius

A cuius ex illis, dicunt, erit mulier? Diceret quis, O contaminati Sadducæi, prioris qui duxerat, uxor erit, siquidem concederemus in resurrectione nuptias fore. alij enim non ueri, sed uiri erant accessorij.

Respondens autem Iesus, dixit illis: Erratis, nescientes scripturas, neq; uirtutem Dei. In resurrectione enim neq; matrimonium contrahunt, neq; elocantur, sed sunt sicut angeli Dei in cœlo. De resurrectione uerò mortuorum non legistis quod uobis dictum est à Deo, Ego sum Deus Abraham, Deus Isaac, & Deus Iacob? Deus non est Deus mortuorũ, sed uiuentium. Et cum audissent turbæ, stupuerunt de doctrina eius.] Ostendit saluator & resurrectionem futuram, & non talem carnalem, ut errant, sed diuiniorem & spiritualiorẽ. Quid enim, inquit, erratis, nescientes scripturas, & uim Dei? Nam si scripturas sciretis, crederetis utiq; Deum non esse Deum mortuorum, sed uiuentium. Quòd si uirtutem Dei sciretis, cognosceretis utiq; Deo omnia esse possibilia, & posse Deum facere ut homines uiuant sicut angeli. Vide autem sapientiam Domini. Illi per Mosen conabantur dogma de resurrectione subuertere, & Dominus per Mosen illis iterum persuadet, Ego enim sum, inquit, Deus Abraham, & Isaac & Iacob. Hoc autem dicere uult, Deus non est eorum Deus qui non sunt, sed qui subsistunt & sunt. Neq; enim dixit, Ego eram, sed sum. Nam quamuis mortui sint, spe tamen resurrectionis uiuunt. Interrogas autem, quomodo igitur alio loco dicit, Mortuorũ & uiuentium Dominus est? Disce igitur quòd mortuos illos illic dicit defunctos quidem, uicturos autem: hic uerò Dominus respondet hæresi Sadducæorum, docentium non esse animam immortalem, sed omnino corrumpi, dicens Deum non esse Deum mortuorum, hoc est, sicut uos putatis, omnino pereuntium, sed uiuentium, hoc est immortalem habentium animam, & resurgentium, etiamsi mortui fuerint. Exod. 3. Esaiæ 26.

Pharisæi autem cum audissent quòd silentium imposuisset Sadducæis, conuenerunt in unum, & interrogauit eum unus ex eis legislator quispiam, tentans eum, & dicens, Magister, quod est mandatum magnum in lege? Ait illi Iesus, Diliges Dominũ
B Deum tuũ ex toto corde tuo, & in tota anima tua, & in tota mente tua. hoc est primũ & magnum mandatũ. Secundum est autem simile huic, Diliges proximũ tuum sicut teipsum. In his enim duobus mandatis uniuersa lex & prophetæ pendẽt.] Ex immodica inuidia accedit tentans. Quia cũ uiderant Sadducæos cõfusos, & laudatũ Dominũ ob sapientiã, accedunt tentantes si apponat aliquid mandato primo, quasi legem corrigens, ut inueniant contra ipsum ansam. Dominus aũt inuulgans illius malitiã, quòd non ad discendum uenisset, sed uacuus charitate inuideat & æmuletur, ostendit charitatem inter mandata præcellere: docetq; q non ex parte oportet diligere Deũ, sed nos totos dare Deo. Tres enim tales in anima discimus esse uires, plantatiuã, animalem, & rationalem. Secundũ q crescit & nutritur, & simile generat, plantis assimilatur: secundum q irascitur & cõcupiscit, brutis comparatur: secundum q intelligit, rationalis dicitur. Vide igitur hoc loco quid illa tria significent: Diliges Deum tuum in toto corde tuo, hęc est brutalis animę pars: & in tota anima tua, hæc est plantatiua uirtus, animatę enim sunt plantæ: & in tota mente tua, hæc est uis rationalis. Et sic oportet Deũ diligere tota anima, hoc est omnibus partibus & uirtutibus animæ ei adhærere. Hoc est primum & magnũ mandatum, ad pietatem nos exercens. Secundum aũt simile est illi, quod nos excitat ad faciendum quæ sunt iusta homini. Duo enim nos in interitũ ducunt, mala doctrina, & corrupta uita. Vt igitur nõ incidamus in impia dogmata, diligendus est Deus. Ne aũt sit uita peruersa, diligendus est proximus. Qui enim diligit proximũ, omnia mandata implet: & qui implet mandata, diligit Deum. atq; ita duo illa mandata inter se cohærent & copulantur, & continent omnia alia mandata. Quis enim diligens Deum & proximũ, uel furatur, uel uindictæ auidus est, uel adulterium cõmittit, uel scortatur, uel occidit? Hic autem legisperitus principiò quidem uenit tentans, deinde respõso Christi emendatior factus, laudatus est, sicut Marcus inquit quòd spectans eum amplexatus sit illum, & dixit ei: Non longè es à regno Dei. Deut. 10. Leuit. 19. Rom. 13. *Tres in anima uires sunt quibus Deum diligere oportet.* *Interitus nostri causæ duæ.* Mar. 12.

Congregatis autem Pharisæis, interrogauit eos Iesus dicens, Quid uobis uidetur de Christo? cuius filius est? Dicũt ei, Dauid. Ait illis, Quomodo ergo Dauid in spiritu uocat eum Dominũ, dicẽs, Dixit Dominus Domino meo, sede à dextris meis, donec ponam inimicos tuos subsellium pedũ tuorũ? Si ergo Dauid uocat eum Dominũ, quomodo filius Psal. 110.

do filius eius est? Et nemo poterat ei respondere quicquam, neq; ausus fuit quisquam ex eo die eum amplius interrogare.] Quoniam purum hominem Christum esse putabant, subuertit eorum opinionem, & docet ueritatem per Dauid prophetam, diuinitatem suam prædicans. Dicentibus enim pharisæis, filius est Dauid Christus, hoc est, homo purus: dicit, quomodo igitur Dauid Dominum eum nominat? & non simpliciter eum nominat Dominum, sed in spiritu, hoc est, per spiritus gratiam ipsum reuelauit? non negat autem filium Dauid esse hoc dicendo, sed monstrat quòd non sit purus homo ex solo Dauidico semine descendens. Hæc autem interrogat Dominus, ut si dicãt se nescire, interrogent ac discant: uel si dicant ueritatem, credant: uel si nihil possint dicere, confundantur & secedant, non audentes ultrà interrogare illum.

CAPVT XXIII.

TVnc Iesus locutus est ad turbas & ad discipulos suos dicens, In cathedra Moysi sedent scribæ & pharisæi: omnia ergo quæcunq; iusserint uos seruare, seruate & facite: secundum opera uerò eorum nolite facere. dicunt enim, & non faciunt.] Quando eos confutauit, & ostendit incurabiliter ægrotantes, tunc de ipsis dicit, & de uita ac moribus illorum loquitur, admonens auditores, ne cõtemnant doctores etiamsi corruptæ uitæ sint. Ostendit præterea quòd legi non sit aduersarius, sed malit seruari ea quæ legis sunt, quamuis ea docentes indigni sint. Quæcunq; enim dicũt doctores illa Moysen putate dicere, immò Deum. facienda ne igitur omnia quæ dicũt, etiamsi mala fuerint? Dicimus igitur primùm, quòd docens, nullum unquam audet adhortari in malum. Deinde ut demus hoc ut quis in malam uitam inhortetur, non tunc à Moysi cathedra, neq; de lege loquitur. Dominus autem dicit de his qui in cathedra Moysi sedent, hoc est, his qui ea quę in lege habentur, docent. Eos igitur qui docent diuinam legem, etiam si ipsi non faciant, audire oportet.

Colligant autem onera grauia, difficiliaq; portatu, & imponunt in humeros hominum, cæterùm digito suo nolunt ea mouere. Omnia uerò opera sua faciunt, ut spectentur ab hominibus. Dilatant autem phylacteria sua, & magnificant fimbrias palliorum suorum.] Onera grauia imponebant pharisæi, cogentes homines ut implerent mandata legis, quamuis tenuia essent, & difficilia obseruatu. Vel etiam plura legis mandata aggrauarunt, traditiones quasdam ultra leges tradentes, quas ipsi digito suo non mouent, nihil operantes. Quando enim qui docet, non solum docet, sed & operatur, uidetur simul cum his qui docentur, laborare & operari. Cum uerò ille me onerat, ipse autem nihil agit, magis me grauat, inde ostendens ea quæ dicit fieri non posse. Arguit igitur Dominus pharisæos, eo quòd nolunt simul gestare onera mandatorum, & cooperari. Non solum autem nihil boni faciunt, sed & simulant quasi faciant: & siquando quippiam faciunt, ut uideantur faciunt, & aufertur iam illorum merces. nunc autem quanta condemnatione digni, quando neq; faciunt, & uideri uolunt quasi faciant? Quid autem faciunt? Dilatant phylacteria sua, & magnificant fimbrias uestium suarum. Hoc autem ita se habebat. In lege habetur: Alligabitis ea in manu uestra, eruntq; immota ante oculos uestros. Scribebant igitur in duabus chartulis decalogum legis, & ponebant unam super frontem, & alteram super dextram suspendebant. Fimbrias autem faciebant in summis uestibus, uiolaceis & coccineis clauis. Et hoc inuenerant in lege, ut uidentes illa, non obliuiscerentur mandatorum Dei. At Deus hoc nolebat, sed iubendo ferre super manum phylacterium, significare uolebat mandata operari eos oportere. Per coccineas autem fimbrias declarabat quòd oporteat nos sanguine Domini signari. Illi uerò faciebant phylacteria magna & fimbrias, ut uidentibus illa appareant obseruatores esse legis.

Deut. 6. *Phylacterium super manum & fimbriæ qd signent.*

Amantq; primos accubitus in cœnis, & primas cathedras in synagogis, & salutationes in foro, & uocari ab hominibus Rabbi, Rabbi.] Papæ quid dicit? Idcirco condemnantur, quia amant? Quòd si solum amans primos accubitus condemnatur, qui nihil non facit pro illis, qua condemnatione dignus? Et primas cathedras in synagogis. ubi magis debebãt docere & alios humilitatem, eo loco illi ipsi maiori fastu corrumpebantur. Omnia enim pro gloria faciebant, & hæc facientes non confundebantur, sed interim uocari uolebant Rabbi, Rabbi, hoc est doctores.

Marc. 12. Luc. 14.

† Et patrẽ nolite uocare uobis

Vos aũt nolite uocari Rabbi. unus enim magister uester, nempe Christus, † omnes

super terrã. unus est enim pater uester qui in cœlis est, omnes aũt uos fratres estis.

autem

autem uos fratres estis. Et patrem nolite uocare uobis super terram: unus est enim pa- Iac. 3.
A ter uester, qui in cœlis est. Nec uocemini magistri, unus enim est magister uester nem
pe Christus. Qui maior est uestrûm, erit uester minister. Qui aũt se exaltauerit, humi-
liabitur: & quise humiliauerit, exaltabitur.] Nõ prohibet Christus uocari quempiã
magistrum, sed tanta affectione uelle uocari, & omnib. modis curare ut ita uoceẽ. Do
cendi ẽm dignitas propriè solius est Dei. Patrem aũt ne uocetis dicens, non prohibet Exod. 20.
honorẽ parentibus debitũ, quia uult nõ uenerari parentes, & maximè spirituales pa-
tres: sed inducit ut uerũ patrem agnoscamus hoc est Deum. Deus eñ ppriè pater est.
Carnales enim non sunt authores natiuitatis, sed cooperarij & ministri. Porrò lucrũ
humilitatis indicans dicit, Qui maior est uestrũ, debet esse uester minister & ultimus.
Qui enim exaltauerit semetipsum, aliquid se esse ratus, humiliabit̃ derelictus à Deo.

Væ uobis scribæ & pharisæi hypocritæ, quia comeditis domos uiduarũ, dum sub
prætextu precibus prolixis precamini: propter hoc plus accipietis damnationis.] Hy-
pocritas hos uocat, ut promittentes pietatem, & nihil promissione dignum facientes:
sed prætexentes se precari longum, hoc est multo tempore, deuorant uiduarũ facul-
tates. Re autem ipsa illusores sunt, ac deridentes simpliciores, & decipiunt eos. Et plus
cõdemnationis accipietis, eo q̃ ea quę uiduarũ, comeditis, quib. oportebat magis sup
peditare, & ipsarũ inopiam subleuare. Vel aliter, multo plus dãnationis accipietis, eo
q̃ prætextu boni operis malũ quiddã cõmittitis, nẽpe precãdo uiduarũ bona come-
dentes. Maiori enim condemnatione dignus, qui prætextu boni in malum allicit.

Væ uobis scribæ & pharisęi hypocritę, quia claditis regnũ cœlorũ ante homines:
uos eñ nõ ingredimini, neq; aduenientes sinitis ingredi.] Non solũ, inquit, uos incre
duli estis, & uitã habetis corruptã: sed & alios docetis ne mihi credant: & per uitæ ue
stræ exemplũ corrumpitis. Solet enim populus principibus fieri similis, & magis si il
los in malum uidet propensos. Omnis itaq; malus doctor & princeps uideat quid lu
cretur, nempe uæ, eo q̃ per suam uitam non sinit alios in bono proficere.

Væ uobis scribæ & pharisæi hypocritæ, quia circumitis mare & aridam, ut faciatis
B unum prosely tũ: & cum fuerit factus, facitis eum filium gehennæ duplo magis q̃ uos
estis.] Non solum, inquit, Iudæos corrumpitis, sed & eos qui ex idolorum cultu ad Iu
daicam religionem accesserunt. Hos enim proselytos nominabant. Studetis quidem Proselyti.
conuertere aliquem ad Iudaicam conuersationem, & ad circunciſionem: quando au
tem iudaizat, tunc perit à uestra infectus malitia. Filius autem gehennæ, qui dignus
est illa, cum qua familiaritatem habet in illa flagraturus.

Vę uobis duces cæci, qui dicitis, Quicunq; iurauerit per templum, nihil est: qui aũt
iurauerit per aurum tẽpli, reus est. Stulti & cæci, utrum enim maius est aurũ, an tem-
plum quod sanctificat aurum? Et quicunq; iurauerit per altare, nihil est: quicunq; au
tem iurauerit per donũ quod est super illud, reus est. Stulti ac cæci, utrum eñ maius
est donum, an altare quod sanctificat donum? Qui ergo iurauerit per altare, iurat per
illud, & per omnia quæ super illud sunt. Et qui iurauerit per templum, iurat per illud,
& per eum qui habitat in ipso. Et q̃ iurauerit per cœlum, iurat per thronũ Dei, & per
eum qui sedet super illum.] Cæcos eos nominat, quia nolebant docere ea quæ dece-
bat: & quæ minori loco debebãt coli, uenerabant̃: quæ præcipua erant, in secundum
ordinem referebant. Etenim aurum in templo, & cherubin, & aureum urceũ præfere
bant templo: ideo & multos docebant q̃ nihil sit per templum iurare, sed per aurum
in templo iacens, quod tamen propterea uenerabile erat, quia in tẽplo cõtinebat̃. Et
dona quæ in altario ponebant̃, digniora dicebant altario ipso: atq; adeò pharisæi sic
docebãt, ut si quis iurasset per aureum uas, uel bouem uel ouem oblatã in sacrificiũ,
& deinde peieraſſet, similia persolueret. Donum enim altario præferebant propter
hostiarum lucra. Quòd si quis per templũ iurans peieraſſet, non potuisset simile tẽplo
ædificare, & propterea absoluebat̃, uidebaturq; postea leuius esse iuramentũ per tem
plum, propter pharisæorum auaritiam. Itaq; in ueteri nõ permittit Christus donum
maius esse altario, apud nos autẽ altarium à donis magis sacratur. Panes enim in do- Panes in do
minicum corpus diuina gratia conuertuntur: ideo & sanctificatur ab eis altare. minicũ cor
pus uertũ-
tur

Væ uobis scribæ & pharisæi hypocritæ, quia decimatis mentã, & anethum, & cy-
minũ, & reliquistis quę grauiora sunt legis, iudiciũ ac misericordiã & fidem. Hæc o-

portebat facere, & illa non omittere. Duces cæci, excolantes culicem, camelum aũt A
glutientes.] Iterum obiurgat eos ut insipientes, eo q̃ cõtemnentes mandata maiora,
†sed illud quoque decimabant
in paruis diligentes erãt, & cymini decimationem non negligebãt, †sed persoluebãt.
Et si quis reprehendisset ut parcos, prætexebant legem hoc docere. Melius aũt fuisset
ac Deo gratius, si iudicium & misericordiam et fidem expetissent à populo. Quid au
tem est iudicium? nihil iniustum & absurdum facere, sed omnia cum iudicio & ratio-
Iudicium sequitur misericordia, hinc fides.
ne. Statim enim iudicium sequitur misericordia. Qui enim discretè facit omnia, scit
& quibus debeat misereri. Misericordiam autem sequitur fides. Qui enim miseretur,
credit omnino q̃ nihil perdat, sed omnia accipiat. Vel aliter, Oportet misereri, & cre
dere Deo uero. Multi enim paganorũ misericordes quidem fuerunt, non credentes
autem in Deum uiuum, non habuerũt misericordię comitem fidem. Oportet autem
unumquenq̃ doctorum decimare à populo suo, hoc est petere à decem sensib. hoc
est à quinq̃ corporalibus, & quinq̃ animalibus, iudicium, misericordiam, & fidem.
Hæc quidem oportebat facere, dicit Christus, non adhortans ad decimandũ herbas,
sed ne uideretur tunc contrarius Moysi. Duces autem cæcos eos nominat, eo q̃ glo-
riabantur se omnia scire & docere, nulliq̃ proderant, sed omnes corrumpebãt in ba
rathrum infidelitatis proijcientes. Culicem autem excolantes eos nominat, ut parua
peccata obseruantes: camelum autem, hoc est magna, deglutientes & despicientes.

Væ uobis scribæ & pharisæi hypocritæ, quia purgatis exteriorem poculi patinęq̃
†iniustitia
partem, cæterùm intus plena sunt rapina & †intemparantia.] Pharisæe cæce, purga
prius quod est intra poculũ & patinam, ut & exteriores horum partes puræ reddant.
Qui traditiones seniorũ obseruabant, laurabant calices & paropsides, hoc est patinas,
in quibus opsonia ponuntur: ex rapina autem bibebant uinum, & comedebant ci-
bos, quæ magis coinquinabant. Dicit igitur, Ne possideas uinum iniustè partum, et
mundus etiã intus calix erit. Vel non de caclibus & patinis dicit, sed de externa cor
porali habitudine, & interna spirituali. Tu eñ (inquit) exteriores poculi partes, hoc
est, exteriorem tuam habitudinem, fricas, ut elegantiores sint: intus autem te imples B
sordibus, hoc est rapinis & iniuria alios afficis. Oportet autem te intus lauari, hoc est
in anima, ut puritate animæ cohonestetur & exterior dignitas.

Væ uobis scribæ & pharisæi hypocritæ, quia similes estis sepulcris dealbatis, quæ
foris quidem apparent speciosa, intus aũt plena sunt ossibus mortuorũ, omniq̃ spur-
citia. sic & uos foris quidẽ apparetis hominibus iusti, intus autem pleni estis fictione
& iniquitate.] Et hæc parabola similiter intelligitur ut præcedens. Dabant enim ope
ram ut exteriori habitudine decori uiderent, sicut sepulcra dealbata, utpote gypso &
asbesto dealbati, intus aũt immunditia mortuorum & putridorũ operũ erant pleni.
1. Thess. 2.
Væ uobis scribæ & pharisæi hypocritæ, quia ædificatis sepulcra prophetarum, &
ornatis monumẽta iustorũ, ac dicitis, Si fuissemus in diebus patrũ nostrorũ, nõ fuisse
mus socij eorum in sanguine prophetarũ. Itaq̃ testimonio estis uobismetipsis, quòd
filij sitis eorum qui prophetas occiderunt.] Miseros dicit illos, non q̃ sepulcra ædifi-
cant prophetarũ (hoc enim Deo gratum) sed quia ità simulabant, & patres suos con-
demnabãt, deteriores illis existentes, malitiaq̃ eos excellentes mentiebant manifestè:
quia si fuissent in diebus patrum suorum, grauiora q̃ illi commisissent. ipsum enim
prophetarum Dominum rabidi occiderunt. Idcirco & dicit,

Vos quoq̃ implete mensurã patrũ uestrorũ. Serpentes, progenies uiperarũ, quo-
modo effugietis iudicium gehennæ?] Non imperat, nec compellit illos ut se occidãt,
dicens, Implete & uos mensuram patrum: sed hoc est quod dicit, quia serpẽtes estis,
& talium patrum progenies, & in tanta insania obstinati estis, ut incurabiles sitis: re-
liquum est cum operam dabitis, ut patres uestros uincatis. hoc erit quando me occi-
detis. Tunc enim summũ malitiæ uerticem apprehendetis, cum omissam à patribus
uestris cædem implebitis. Cum igitur tales sitis, quomodo pœnam effugietis?

Ideo ecce ego mitto ad uos prophetas, & sapientes, & scribas, & illorũ aliquot oc
cidetis, crucifigetisq̃, & illorum nonnullos flagellabitis in synagogis uestris, & perse
quemini de ciuitate in ciuitatem.] Arguit illos mendacij, dicentes q̃ si fuissemus in
diebus patrũ nostrorũ, non occidissemus prophetas. Ecce eñ ego, inquit, mitto pro-
phetas, & sapientes, & scribas, attamen uos illos occidetis. De Apostolis autem hæc

dicit

dicit, quos spiritus sanctus scribas fecit, hoc est doctores populi, & sapientia omni &
A prophetia ornauit. Emitto autem, inquit, declarans suæ deitatis potestatem.

Vt ueniat super uos omnis sanguis iustus qui effunditur super terram à sanguine Gen. 4.
Abel iusti usq; ad sanguinem Zachariæ filij Barachiæ, quem occidistis inter templũ 2. Par. 24.
& altare. Amen dico uobis, q; uenient hæc omnia super generationem istam.] Super
Iudæos illos qui tũc erant, dicit, Veniet omnis sanguis iniustè effusus. Plus em̃ puniẽ-
tur, q̃ patres sui. Nã nec; post tanta exempla emẽdati fuerũt. Sic enim & Lamech post Gen. 4.
Cain plus punitus fuit, q̃uis nõ interemisset fratrẽ, eo q; nõ fuisset ad exẽplũ Cain e-
mẽ datus. Veniet igit̃, inqt, super uos sanguis ab Abel usq; ad Zachariã. Opportunè
aũt meminit Abelis. Sicut enim Abel propter inuidiam interemptus est, ita & Chri-
stus occisus est. Cuius autem Zacharię hoc loco meminit? Alij dicunt illum fuisse unũ
de duodecim prophetis, alij patrẽ præcursoris Domini. Habet enim ita narratio no-
bis tradita, q; locus quidam in templo fuerit, in quo stabant uirgines. Igitur cum esset
pontifex, postquam Deipara peperisset Christum, & statuisset illam in eo loco, indi-
gnati sunt contra eum Iudæi, & occiderunt eum, q; cum uirginibus collocasset mulie
rem quæ pepererat. Non est enim mirabile q; etiam pater præcursoris habuerit patrẽ
Barachiam, & sicut is qui ex duodecim erat, dicatur Barachiæ filius. Verisimile enim
quòd sicut illi fuerunt cognomines, ita & patres ipsorum.

Hierusalẽ, Hierusalẽ, quę occidis ꝓphetas, & lapidas eos q; ad te missi sunt, quoties
uolui cõgregare filios tuos, quẽadmodũ gallina cõgregat pullos suos sub alas, et no-
luistis? Ecce relinquit̃ uobis domus uestra deserta. Dico em̃ uobis, haud quaq̃ me ui-
debitis posthac, donec dicatis, Benedictus q; uenit in nomine Domini.] Bis ponit no
men Hierusalẽ, misertus eius, & magna cum cõpassione eã reuocãs. Expostulãs em̃
cum ea, quasi cum dilecta quadã, quæ diligentem cõtemnat, respondet inducturũ se
pœnã: unde arguit illã quasi sanguinariã, & q; sæpius uolente se misereri eius, ipsa no
luerit, sed diabolũ potius audierit, à quo dispersa, & à ueritate, quæ uniẽdi uim habet
B fuerit abducta, cõgregantẽ aũt Dominũ nõ susceperit. Nil em̃ sic à Deo dispergit, ut
peccatũ: & nihil ita ad Deũ aggregat, ut uirtus. Ostendens aũt misericordiã, auis exẽ
plum ponit. Idcirco quia noluistis, relinquo templum desertum. Hoc loco discamus, *Propter nos*
quòd propter nos Deus & templa inhabitat: quòd si nos pœnitendi fuerimus, relin- *Deus tẽpla*
quuntur & templa. Non igitur me uidebitis usq; ad secundum aduentum, tunc enim *inhabitat.*
etiam nolentes eum adorabunt, & dicent, Benedictus qui uenit. Posthac aũt, intelli-
ge, postquam crucifixus fuero. non enim de hora qua hæc dicebat, loquitur: nam po-
stea sæpius uiderũt: post crucifixionem aũt nequaquam, donec instet aduentus eius.

CAPVT XXIIII.

ET egressus Iesus discedebat à templo. Et accesserunt ad eum discipuli eius, ut o-
stenderent ei structuras templi. Iesus autẽ dixit illis, Nónne uidetis hæc omnia?
Amen dico uobis, non relinquetur hic lapis super lapidem, qui non destruetur.] E-
gressus à templo, ostendit q; à Iudæis migraturus sit: & sicut dixit q; relinquatur do-
mus deserta, ita & facit. Prædicit quoq; discipulis destructionem templi. Sapiebant
enim & illi terrena, & stupebant ædificiorũ pulchritudinem, & quasi Christo mon-
strabant, Ecce qualem domũ relinquis desertam. Vnde abducit illos, ne adhæreant
terrenis, & ad supernam Hierusalem transmittit. Neutiquam manebit hic lapis su-
per lapidem: dicens hyperbolicum sermonem, funditus periturum dicit.

Sedente aũt eo in mõte oliuarũ, accesserũt ad eum discipuli secretò, dicentes, Dic
nobis, quando hæc erũt, & quod signũ aduentus & consummationis seculi?] Secretò
accedunt, ut de magnis rebus interrogaturi. De duobus enim rogant, & quando hęc
erũt, nẽpe destructio tẽpli. expugnatio q; Hierusalem: & quod signũ ipsius aduẽtus.

Et respondens Iesus dixit eis, Videte ne quis uos seducat. Multi em̃ uenient in no
mine meo dicentes, Ego sum Christus: multos q; seducent.] Multi, inquit, ueniẽt præ-
dicantes se esse Christos. Nam Dositheus Samaritanus dicebat se prophetã à Moy-
se prædictum, & Simon magnam uirtutem Dei se nominabat. *Act. 8.*

Audituri estis bella, & rumores bellorũ. uidete ne turbemini. oportet enim omnia
fieri, sed nondum est finis. Consurget autem gens contra gentem, & regnũ cõtra re-
gnum, & erunt pestilentiæ, & fames, & terrę motus singulis locis. Hæc aũt omnia ini-

tia sunt dolorum.] Bella dicit Romanorum in Hierosolymis. Non solum autem bel- a
la dicit futura, sed & fames & pestes: quandoquidē ira Dei in Iudæos sæuiet. Bella ēm
quis dixerit hominū incursiones, famē aūt & pestē nūquā aliūde prouenire q̄ à Deo.
Deinde ne putent q̄ priusq̄ prædicauerint, cōsummet mundus, dicit, Ne turbemini.
Nondum enim consummatio, neq̄ cum subuersione Hierusalem erit generalis con
summatio. Gentem uerò contra gentem, & regnum contra regnum exurrectura di
cit, ppter imminentia Iudæis mala: quæ initia sunt dolorum. Sicut enim parturiens
dolet, & sic parit: ita & præsens seculum post confusiones & bella parit futura.

Tunc tradent uos in afflictionem, & occident uos, & eritis inuisi cunctis gentib.
propter nomen meum. Et tunc offendiculum patientur multi, & alius alium inuicē
tradent, seq̄ odio habebunt inuicem, & multi pseudoprophetæ surgent, & seducent
multos: & quoniam abundabit iniquitas, refrigescet charitas multorum. Qui autem
perseuerauerit usq̄ in finem, hic saluus erit.] Prædicit euentura mala, animans disci-
pulos per hoc quod prædicit. Nam inexpectata terrere & turbare cōsueuerunt. Præ-
mitigat igitur timorem, prædicēdo futura grauia, odia, inimicitias, offensiones, pseu-
doprophetas, qui præcursores sunt Antichristi, seducentē multos, ita ut in omnē ini-
quitatē eos præcipitent. Quia aūt multiplicabit iniquitas per impostoras Antichristi,
exasperabunturs & efferi erunt homines, ita ut neq̄ cum familiarissimis ullum seruēt
charitatis uinculum, sed mutuū se tradāt. Qui autē perseuerauerit, & fortiter tulerit,
neq̄ cesserit his quæ inferuntur tunc, saluus erit, & comprobabitur strenuus miles.

Et prædicabitur hoc euangelium regni in uniuerso orbe, in testimoniū omnibus
gentibus, & tunc ueniet cōsummatio.] Non erit uobis prædicandi obstaculum. con-
fidite. prædicabitur enim Euangelium in omnibus gentibus, in testimonium, hoc est
in reprehensionē & condēnationem eorum qui non crediderunt: & tunc ueniet cō-
summatio, nō mundi, sed Hierusalem. Nam ante captam Hierusalem prædicatū est
Coloss. 1. euangeliū, sicut & Paulus dicit, Euangeliū, quod prædicatum in omni quæ sub cœlo
est creatura. Nam quod de fini Hierolosymorum dicat, manifestum est ex sequentib. B

Cum ergo uideritis abominationem desolationis quæ dicta est à Daniele prophe-
ta, stantem in loco sancto, qui legit, intelligat.] Abominationē desolationis dicit sta-
tuam eius qui ciuitati imperauit, quam erexit in adytis templi. Desolationis autem di
citur, eo q̄ expugnāda esset ciuitas. Abominatio uerò, eo q̄ statuas & imagines homi
num Hebræi abominationes uocabant, odio idololatriæ.

Tunc hi qui in Iudæa sunt, fugiant in mōtes: is qui in tecto, nō descendat ut tollat
quicq̄ de domo sua: & is qui in agro, non reuertatur ut tollat uestes suas.] Insinuans
summa pericula quæ euadi nō possunt, inquit q̄ oporteat fugere nō respiciendo neq̄
curando quid in domo sit, uel uestes, uel alia uasa. Quidam autem abominationem
Antichri- desolationis Antichristum existimant, eo q̄ uastaturus mundū, & subuersurus sit ec-
stus. clesias, ac sessurus in templo: intelligant & ista sic, q̄ qui in tecto est, id est excelsis uir-
2. Thess. 2 tutibus præditus, non descendat à summis uirtutibus ut tollat ea quæ sunt corporis.
Domus enim animæ, corpus. Oportet autem & ab agro secedere, hoc est terrenis. &
neq̄ uestem tollere malitiæ, quæ uetus est uestis quam exuimus.

Væ autem prægnantib. & lactantibus in illis diebus.] Prægnantes quidem non po
terunt fugere, onere uentris grauatæ: lactantes autem propter compassionē erga pue
ros. Illos enim relinquere nequeunt, neq̄ secum portare & simul saluare possunt. For
Iosephus. tassis Christus insinuat q̄ & comederint pueros. Dicit enim Iosephus quòd cum es-
set fames propter obsidionem, mulier coxerit filium suum, & comederit.

Orate autem ne fuga uestra fiat hyeme, neq̄ sabbato.] In persona apostolorum ad
Iudęos hęc dicit. Apostoli enim prius egressi erant ex Hierusalem. Iudęis igitur dicit
ut precent ne in hyeme fiat fuga sua, eo q̄ incommodum sit illis temporibus fugere.
neq̄ in sabbato: tunc enim iuxta legem otiosi sunt, & fugere non audent. Tu autem
& sic intelligito, quòd oporteat precari ne fiat fuga nostra ex hac uita, hoc est mors,
in sabbato, otiosis nobis à bonis operibus: neq̄ hyeme, in sterilitate bonorum: sed in
serenitate animæ, quæ non turbetur.

Erit enim tunc afflictio magna, qualis non fuit ab initio mundi ad hoc usq̄ tem-
pus, neq̄ fiet. Et nisi abbreuiati fuissent dies illi, non fieret salua omnis caro: propter

electos

A electos autem abbreuiabuntur dies illi.] Afflictio intolerabilis tũc erat. Iusserunt em̃ Romanorum milites ne cui parceretur: sed Deus propter crediturosex illis, & eos q̃ iam crediderant, nõ permisit simul omnes occidi. Decurtauit aũt afflictiones & bella. nam si bellũ diuturnius fuisset, omnes qui intus erant, fame perijssent. Quidã autẽ de Antichristi diebus hæc intelligunt: sed non sunt intelligenda hæc de Antichristo, sed captiuitate urbis Hierusalẽ. Quæ ad Antichristum pertinent, hoc loco incipiũt.

Tunc si quis uobis dixerit, Ecce hic Christus, aut illic, nolite credere. Surgent enim pseudochristi & pseudoprophetæ, & dabũt signa magna & prodigia, ita ut in errorẽ inducantur etiam electi, si fieri potest. Ecce prædixi uobis.] Quoniam discipuli duas quæstiones introduxerant, unam de captiuitate Hierusalem, & alteram de aduentu Domini: postquam de captiuitate dixit, inde & de suo aduentu dicere incipit, ac consummatione seculi. Cum autem dicit Tunc, nõ hoc sibi uult, q̃ statim post captã Hierusalem si quis uobis dicat, &c. sed tempus illud declarat quo futurum est ut id quod dicitur, hunc sensum habeat, Tunc, id est quo tempore uẽturus est Antichristus, erũt pseudochristi & pseudoprophetæ multi, qui in dæmonum apparitione fallent uidentium oculos, ut quosdam decipiant: atq̃ adeò, nisi ualde sobrij sint, & iusti seducanẽ. Sed ecce prædixi uobis. Non habetis excusationem, potestis enim non decipi.

Si ergo dixerint uobis, ecce in deserto est, nolite exire: ecce in penetralibus, nolite credere. Sicut enim fulgur exit ab oriente, & apparet usq̃ in occidentem, ita erit aduentus filij hominis. Vbi enim fuerit cadauer, illic congregabuntur & aquilæ.] Si uenerint, inquit, impostores dicentes, Christus uenit, sed in solitudine est occultus, uel in domo quadam, uel in promptuarijs & interioribus locis eius, ne decipiamini. Aduentus enim Christi nõ opus habebit quopiam qui illum demonstret, sed manifestus erit omnibus, sicut & fulgur. Nam sicut illud repentinum est, & omnibus clarum, ita & ipse omnibus in mundo manifestus erit. Non enim sicut in primo aduentu de loco in locum transiuit, ita & in secundo, sed in momento oculi aderit. Et sicut apud mor-
B tuum cadauer congregantur statim aquilæ, quæ uultures sunt, sic & omnes sancti uenient eò ubi Christus fuerit. Hi enim in summa uolant, & in nubes rapientur, sicut aquilæ. Cadauer autem dicitur Christus, quia pro nobis cecidit & mortuus est: sicut & *Lucæ 2.* Symeon dicit, Hic erit in casum & resurrectionem multorum.

Statim aũt post tribulationem dierum illorum sol obscurabitur, & luna non dabit *Ioelis 2.* lumen suum, & stellæ cadẽt de cœlo, & uirtutes cœlorũ cõmouebunt.] Post aduentũ Antichristi, qui breui soluetur. hoc enim declarauit per hoc q̃ dicit, statim: sol obtenebrabitur, hoc est obscurabitur, non disparens, sed superatus lumine aduentus Christi, quemadmodũ & stellę & Luna: quid enim pręterea opus erit huiusmodi sensibili lumine, cum non erit nox, sed apparebit sol iustitiæ? Quin & uirtutes cœlorum com *Zac. 14.* mouebuntur, hoc est obstupescent & horrescent, uidentes creaturam immutari, & omnes ab Adam usq̃ ad illud tempus homines rationem daturos.

Et tunc apparebit signum filij hominis in cœlo, & tunc plangent omnes tribus terræ, & uidebunt filiũ hominis uenientem in nubibus cœli cum uirtute & gloria multa.] Crux tunc apparebit in cœlo supra solem fulgens, ad arguendos Iudæos. Veniet enim Christus contra Iudæos habens crucem, ut magnã iustificandi materiam & testimoniũ: ueluti si quis lapide percussus, ostendat lapidem. Signum autem dicit crucem, tanq̃ trophæum & insigne regium. Tunc igitur plangent omnes tribus terræ Iudaicæ, lugentes suorũ inobedientiã & incredulitatẽ, & omnes qui terrena sapiunt plangent, etiam si Christiani sint. Tribus enim terræ dicuntur hi, qui terrena sapiunt. *Tribus terræ.* Quanuis autem cum cruce ueniat Dominus, ueniet tamen cum gloria & uirtute.

Et emittet angelos suos cum tubæ uoce magna, & congregabũt electos eius à qua *Dan. 12.* tuor uentis, à summis cœlis usq̃ ad terminos eorum.] Emittet angelos suos cum tuba uocis magnæ, ut congregent sanctos, & eos qui ex mortuis resurrexerunt, ita ut occurrant illi in nubibus. Venerat igitur eos etiam per angelorum uocationem. Quanuis autem Paulus dicat per nubes rapi, non est his aduersum. Collectos enim per an- *1. Thes. 4* gelos, rapient nubes. Tuba autem dicitur ad maiorem terrorem.

A fico aũt discite parabolã. Cũ iam ramus eius tener fuerit, & folia fuerint enata, scitis q̃ propè est æstas. Et uos cum uideritis omnia hęc, scitote q̃ propè sit in foribus.]

Universidad de Deusto
Biblioteca

Quando, inquit, omnia hæc fiunt, non procul erit inter meum aduentum & mundi A
consummationem. Aestatem autem dicit futurum seculum, & serenitatem quæ erit
iustis. Impijs enim peccatoribus hyems & turbatio maior erit. Dicit igitur, Sicut ui-
dentes ramos & folia ficus, æstatem speratis: ita & signa illa uidentes, ut dixi solem et
lunam immutari, meum expectate aduentum.

Amen dico uobis, non præteribit hęc generatio, donec omnia illa fiant. Cœlum et
terra pręteribunt, uerba aũt mea nõ pręteribũt.] Generationẽ hoc loco dicit nõ eam
quæ tunc erat, sed fideliũ: quasi hoc dicens, Non præteribit generatio fideliũ, donec
omnia hæc fiant. Non enim quia auditis famẽ & pestilentiã, credatis q̃ generatio fi-
deliũ his malis intereat, sed permanebit, & nihil illi prævalebit. Sunt qui hæc omnia
de sola captiuitate Hierusalẽ intellexerũt, & nõ de secundo aduẽtu: unde & sic inter-
pretant: Non præteribit generatio hæc, hoc est, uestra Apostolorũ generatio uidebit
Hierosolymorũ calamitates. Cõfirmans aũt dicta, inqt, Facilius est transire cœlũ, &
terã aboleri, ac illa firma et immobilia elemẽta, q̃ ut quoddã ex meis dictis mẽdax sit.

De die aũt illo & hora nemo scit, neq̃ angeli quidẽ cœlorũ, nisi pater meus solus.]
Docet hoc loco discipulos nõ ut discant quęrere humanã naturã transcendẽtia: nam
dum dicit, neq̃ angeli, admonet eos q̃ discere attentant id quod angeli ignorant: &
dum dicit, pater solus, prohibet eos anniti ut discant postea. Quòd si dixisset eis, Scio
quidẽ, uobis aũt dicere nolo: cõtristati essent utiq̃, quasi despecti ab eo. Nũc aũt cum
dicit q̃ neq̃ filius nouit, nisi pater solus, prohibet ne inquirãt: sicut & patres sæpe con
tinent quid in manibus, deinde autem dum quærunt hoc filij, & dare ipsi nolunt, oc-
cultant dicentes, non habemus quod quæritis: & sic plorãtes filios compescũt. Ita &
Dominus ut compescat Apostolos ne discãt de die illo & hora, dixit, Neq̃ ego scio,
nisi pater solus. Scit enim & ipse horam, & diem illum: id quod ex multis alijs est ma
Ioã. 13. 17 nifestũ. Omnia enim quæcunq̃ habet pater, filij sunt: scientiam aũt habet diei huius,
proinde & filius illã habet. Manifestius aũt ex hoc: Quomodo enim possibile est igno
rare filiũ, cui ea quæ ante diem, ita cognita sunt? Nam qui ad uestibulũ ducit, manife- B
stum q̃ is etiam ianuam sciat. Sed utiliter hunc nõ aperuit, nobis enim scire nõ pro-
dest quando erit cõsummatio, ne ignaui simus. Ignorantia enim nos facit alacres.

Gen. 6. 7 Sed sicut erant dies Noe, ita erit et aduentus filij hominis. Sicut eñ erant in diebus
qui præcesserunt diluuiũ, edentes & bibentes, contrahentes matrimoniũ, & nuptum
dãtes usq̃ ad diem quo intrauit Noe in arcam, & nõ cognouerunt donec uenisset di
luuium, & sustulisset uniuersos: ita erit & aduentus filij hominis.] Ad confirmationẽ
ueridsimorũ suorũ dictorum utitur his quæ tẽpore Noe sunt facta. tunc irridebãt nõ-
nulli arcæ pręparationem, donec ueniret afflictio, & inuolueret omnes. Sic & nũc a-
liqui irrident sermones de cõsummatione seculi, sed repentè, inquit, aduenict interi-
tus. Ostendit autem quòd cum uenerit Antichristus, uoluptatibus erunt homines de
diti, & ad nuptias & delicias propensiores, sicut in tempore Noe gigantes.

Tunc duo erũt in agro: unus assumitur, & alter relinquitur. Duæ molentes in mo
la, una assumitur, & altera relinquitur.] Tunc, inquit, cum omnes sine solicitudine,
& sua operati fuerint opera: unus quidẽ assumitur, iustus scilicet, in occursum Chri-
sti in aerem: alter aũt, peccator uidelicet, infrà relinquit. Sed & si serui aliqui fuerint,
& molant: & in his illi quidẽ assumuntur qui digni, relinquũtur aũt qui indigni. At-
que ita discimus ex hoc loco, quòd & serui & mulieres à uirtute non impediuntur.

Vigilate igitur, quia nescitis qua hora Dominus uester uenturus est. Illud autẽ sci
tote, q̃ si scisset paterfamilias qua hora fur uenturus fuisset, uigilasset utiq̃, & non per
misisset fodi domum suam. Propter hoc & uos estote parati, quia qua hora non puta
tis, filius hominis ueniet.] Vigilare iubet, & præparari, hoc est habere uirtutis opera,
quasi in thesauro quodã reposita, ut cum uenerit Dñs repetẽs id quod uult, possimus
dare. Vide aũt quomodo non dixerit, nescio qua hora fur uenturus sit: sed, nescitis.
Furem autem mundi cõsummationem nominat, & uniuscuiusq̃ mortem. Porrò in-
sinuat hoc loco nocte aduentũ suum futurum. Sicut igitur fur clàm uenit, ita & meus
aduentus, ut negligentes non sitis, sed sobrij & uigilantes. Nam si sciremus quando
futura esset mors nostra, illo solo die daremus operam quomodo placeremus Deo:
nunc autem cum ignoramus, sobrij simus semper ad uirtutum opera.

Quisnam

A Quisnam est fidelis seruus & prudēs, quem præfecit dominus famulitio suo, ut det illis cibum in tēpore? Beatus seruus ille, quem cum uenerit dominus eius, inuenerit sic facientem. Amen dico uobis, quoniam super omnia bona sua cōstituet eum.] Dubitat an futurus sit fidelis quis & prudens, ut ostendat quòd rarus talis sit, & inuentu difficilis. Duo ēm exiguntur ab omni dispensatore, fides, & prudētia. Nam si quidē fidelis sit, & nihil furetur, prudens aūt non sit, sed inuanum disperdat opes: uel si prudens fuerit, & furetur, nihil proderit. Igitur qui tunc inuētus fuerit fidelis & prudēs, ille & multo plura consequetur, regnum dico cœlorū. Nam omnium quæ sunt, Dei hæredes erunt sancti. Fidelis autem seruus & prudēs omnis etiā est doctor, qui in tēpore dedit cibum discipulis: sicut Paulus nunc quidē lacte potans, nūc autem sapienter loquens, fidelisq; minister, qui prius blasphemus: & prudens, ut non ignorans cogitationes inimici. Sed & omnis qui à Deo acceperit uel opes, uel potentiā, uel principatum, debet fideliter & prudenter ministrare ea, tanquam rationem redditurus.

Fidelis & prudēs rarus.

1. Tim. 2. 4.

2. Cor. 2.

Quòd si dixerit seruus ille malus in corde suo, Cunctatur dominus meus uenire: cœperitq; percutere conseruos, imò edere & bibere cum ebrijs: ueniet dñs serui illius in die quo nō expectat, & hora qua ignorat, & dissecabit eum, & partem eius ponet cum hypocritis. illic erit ploratus, & stridor dentiū.] Vt dixit quomodo fidelis seruus honores habiturus sit, nunc dicit quomodo punietur malus. Nam si quis cui sunt concredita dispensationis dona, contemnat iudicium illud, & dicat, Moratur Dominus meus, hoc est, non statim & è uestigio pœnā imponit: & sumpta occasione ex longanimitate Dei, percutiat conseruos suos offendendo scandalis, & illorum conscientiam uerberet (subditi enim uidentes principes donis Dei male uti, scandalizantur, & damnū accipiunt) Qui igitur talis, dissecabitur: hoc est spoliabitur dono suo, et tūc apparebit qualis sit: & mittet in tenebras, qui prius sub figura quadā decipiebat: sicut multi pontificum sancti uidentur propter dignitatem, tunc autem tolletur ab eis gratia, & sicut hypocritæ punientur. Nam cum alijs sint, alij apparent.

De sanctitate pōtificū.

B

CAPVT XXV.

TVnc assimilabitur regnum cœlorum decem uirginibus, quę sumptis lampadib. suis exierūt in occursum sponso. Quinq; autem ex illis erant prudētes, & quinq; fatuæ. Quæ erant fatuæ, acceptis lampadibus suis non acceperant oleum secum: prudentes uerò sumpserant oleū in uasis suis, unà cum lampadibus. Tardante uerò sponso dormitauerunt omnes ac dormierunt.] Sub persona uirginum proponit parabolam de eleemosyna: ut quoniam magnum opus est uirginitas, ne quis illud unum curans, alia negligat, sed discat q; absq; eleemosyna etiam uirgines cum scortis ejicientur. Meritò autem qui compassione caret & misericordia, ejcitur, etiam si uirgo sit. Scortum enim ab affectione tyrannica expugnatur et naturali, immisericors autem à diuitijs. Quanto igitur infirmius cui obluctandū, tanto minori uenia dignus est qui expugnatur ab auaritiæ morbo. Et stultus quidem est, qui uincit naturale incendiū, & uincitur à paruarum pecuniarum cupiditate ac morbo. Dormitatio est mors. Mora autem sponsi dicitur, quia non statim secundus aduentus fit.

Porrò medio noctis clamor factus est, Ecce sponsus uenit, exite obuiā ei. Tūc surrexerunt omnes uirgines illæ, & apparauerunt lampades suas. Fatuæ aūt prudentibus dixerunt, Date nobis de oleo uestro, quia lampades nostræ extinguuntur. Et respondērūt prudentes dicētes, Nequaq̄, ne non sufficiat nobis & uobis: sed ite potius ad eos qui uendunt, & emite uobisiplis. Porrò dum irent emptum, uenit sponsus, & quæ paratæ erant, intrauerunt cum eo ad nuptias, clausaq; est ianua. Postea uerò ueniunt & reliquæ uirgines, dicentes, Domine, Dñe aperi nobis. At ille respondēs ait, Amen dico uobis, non noui uos. Vigilate itaq;, quia nescitis neq; diem neq; horam qua filius hominis uenīet.] Media nocte dicit clamorem fieri, ut ostendat q; sic inexpectatus ueniat Dñs, quasi media nocte omnes dormiamus profundo somno. At cum clamore uenit tuba enim sonabit in secundo aduētu. Lampades autem, animæ nostræ: & uniuscuiusq; mens lampas est: quæ tunc accenditur, quando habet oleum uirtutum, & misericordiam. Fatuæ autem uirgines ideo, q; tunc requirant oleū, cum non sit negociandi tempus. Porrò prudentes dicunt, Ne fortè non sufficiat nobis & uobis. Virtus enim proximi mei uix sufficiet illi ad defensionem, tantum abest ut & mihi.

1. Thes. 5.

Mens lampas est, uirtutibusq; accēditur.

mihi. Ex ſuis eñ quiq; operibus iuſtificabunt, non proximorũ. Sed fatuæ ad uenden A
tes abeunt, hoc eſt ad pauperes. Cæterùm quod dico hunc ſenſum habet: Pœnitudi-
ne ducuntur fatuæ, eo q; eleemoſynam non fecerint: & nunc primùm ſciunt q; à pau
peribus oporteat nos oleum emiſſe. Hoc igitur eſt quod dicit abire ad uendentes ut
emerent oleum: hoc eſt, mente abierunt ad pauperes, & ſecum cogitarunt quale bo-
num ſit eleemoſyna: ſed clauſa eſt eis ianua. Poſt uitam enim iſtam nõ eſt tempus pœ
nitendi & operãdi. Proinde Dominus dicit illis, Neſcio uos. Miſericors & miſerator
Poſt hãc ul tam non eſt tempus pœ nitendi & operandi. Dñs neſcit immiſericordes. Quomodo eñ diſsimiles & alienos à ſe noſſet: Scito in-
ſuper omnẽ animam à Deo habere illuſtrationẽ & lampadẽ, & omnes ſurgere in oc-
curſum Domini. Omnes eñ deſiderant occurrere & coniungi Deo, ſed Deo dante
lampadem & illuſtrationem, prudentes quidem bene operando oleũ immittũt, fatuę
Excludun tur non ha bentes bona opera. aũt ſinũt lampadẽ ſine oleo. Excluduntur igitur nõ habentes bona opera, ꝓpter quæ
accendit in illis lumẽ. niſi enim bona opera faciamus, extinguit lumẽ Dei in nobis.

Sicut eñ homo quidã peregre proficiſcẽs, uocauit ſeruos ſuos, et tradidit illis bona
ſua, & huic quidẽ dedit quinq; talenta, alij aũt duo, alij uerò unũ, unicuiq; ſecundũ
propriam facultatem, & profectus eſt ſtatim. Abijt autem qui quinq; talenta accepe-
rat, & operatus eſt in eis, & confecit altera quinq;. Similiter & qui duo acceperat, lu-
cratus eſt & ipſe duo altera: qui autem unum acceperat, abiens fodit in terram, & ab-
ſcondit pecuniam domini ſui. Poſt multum uerò temporis uenit dominus ſeruorum
Cap. 24. illorum, & ponit rationem cum eis.] Cum dixiſſet ſupra quòd neſciatur dies quando
uenturus ſit Dominus, apponit & parabolã hanc, oſtendens q; repentè uenturus ſit.
Sicut enim homo peregre proficiſcens, ita & dominus uocauit ſeruos ſuos, & hæc
Peregre pro fectus cur di catur Chri ſtus. atq; iſta cõmiſit. Peregrè aũt ꝓficiſci dicitur, qui ꝓpter nos factus eſt homo Chriſtus,
uel ſecundum q; aſcendit in cœlos, uel ſecundum q; longanimis eſt, & non ſtatim exi
git opus, ſed expectat. Serui aũt illius, quibus cõcrediti ſunt miniſterij ſermones, ut e-
piſcopi, ſacerdotes, diaconi, & ſpiritualia dona accipientes: illi quidem plura, hi uerò
minora, unuſquiſq; ſecundum propriam facultatem, hoc eſt ſecũdum menſurã fidei B
et purificationis. In uas enim quod ego daturus ſum Deo, in illud mittet donum ſuũ:
ſi paruum dedero, parum dabit: & ipſe donum: ſi magnum, magnum ipſe quoq; da-
bit. Statim autem qui quinq; talenta acceperat, abijt et operatus eſt. Vide ſedulitatem
illius, quomodo nihil neglexit, ſed ſtatim operatus eſt duplicans quod acceperat.
Talentũ du plicare quis dicatur. Qui enim non ſolum ſibi ſoli prodeſt, ſiue prudentiam habeat, ſiue diuitias, ſiue po-
tentiam et autoritatem apud reges, ſiue quãcunq; aliam uel artem uel facultatem, ſed
& alijs uult prodeſſe, is duplicat quod ſibi datum eſt. Qui autem talentum fodit in ter
ram, is eſt qui ſuæ tantum utilitatis curam habet, & non aliorum, qui & condemna-
tur. Et ſi bonæ mentis & ſtudioſum hominem uideris, qui ingenio ſuo ad negocia-
tiones, dolos & terrena opera abutitur, de illo dicas q; defoderit talentum ſuum ſub
terra, hoc eſt in terrena opera. Poſt multum autem temporis uenit Dominus qui de-
derat argentum uel eloquia ſua. Argentum enim igne probatũ, eloquia Dei. uel ſim
Pſalm. 11 pliciter omne donum quod clarum & inſignem facit hominem, argentum dictũ eſt.
Et conuocat illos, ut rationem ab his qui talenta acceperant, audiat.

Et accedẽs is q quinq; tatẽta acceperat, attulit alia quinq; talenta dicens, Dñe, quin
que talẽta tradidiſti mihi, ecce altera quinq; talenta lucratus ſum per ea. Ait illi domi
nus eius, Euge ſerue bone & fidelis, ſuper pauca fuiſti fidelis, ſupra multa te cõſituã,
intra in gaudium domini tui. Accedens autem qui duo talenta acceperat, ait, Domi-
ne duo talẽta tradidiſti mihi, ecce alia duo lucratus ſum per ea. Ait illi dominus eius,
Euge ſerue bone & fidelis, ſuper pauca fuiſti fidelis, ſupra multa te conſituã. intra in
gaudiũ domini tui. Accedens aũt & qui unum talentũ acceperat, ait, Domine, noue-
ram te q; homo durus ſis, metens ubi nõ ſeminaſti, & inde congregans ubi nõ ſpar-
ſiſti, ac territus abij, abſcondiq; talentũ tuum in terra: ecce habes quod tuum eſt. Re-
ſpondens autem dñs eius dixit ei, Serue male & piger, ſciebas q; metam ubi non ſe-
minaui, & congregem illinc ubi non ſparſi: oportuit ergo te committere pecuniam
meã menſarijs, et ueniens ego recepiſſem utiq; quod meũ eſt, cum uſura. Tollite itaq;
ab eo talentũ, et date ei qui habet decẽ talenta. Omni eñ habenti dabitũ, & abundabit:
qui uerò nõ habet, etiã quod habet auferetur ab eo. Et inutilẽ ſeruũ eijcite in tenebras
exterio-

exteriores. illic erit fletus & stridor dentiū.] Ambo hi qui in cō creditis operant, laudā
A tur à Dño eodem modo. Euge serue bone & fidelis, uterq; audit. Per bonū aūt hic o-
mnino intelligimus misericordē & liberalē, qui suam bonitatē & proximis impartit.
Qui aūt super pauca fideles apparent, super multa cōstituunt. nam licet hic dona con
sequamur, ea tamen cum futuris nō sunt cōferenda. Gaudiū aūt Dñi, incessabilis læ-
titia, quam habet Deus gaudens in operib. suis, sicut Dauid dicit. Tali igitur gaudio Psal. 104.
gaudent sancti in operib. suis lætātes: sicut & cōtrà peccatores dolent in operib. pro-
prijs: & sancti gaudent q; tam diuitē habeant Dominum. Vide aūt q; & is qui quinq;
& is qui duo talenta acceperat, eadem bona cōsequant. Quando em quis etiam pau-
ca acceperit, & datum sibi donū, licet paruū sit, bene dispensarit, æqualē honorē ade-
pturus est cum eo qui magna habuit, et fecit. Vnusquisq; em ut acceperit, ita & excel
sus uidebit, si bene egerit. Porrò serui grati ita se habent: at ignauus & piger aliter re-
spondet, & ut se dignū est. Durum em dīm nominat, sicut & nunc multi doctorū di-
cunt, Durū quidem requirere ab hominib. obedientiā, quibus Deus nō indidit obe-
dientiam & persuasibilitatē, hoc em insinuat. Metis ubi nō seminasti: hoc est, cui non
dedisti ut obediret, exigis ab illo ut obediat. Dicens aūt durum dīm seruus, seipsum
condemnat. Nam quoniā durus erat, debebat magis diligens esse, utpote durum &
crudelem dominū sortitus. Nam si aliena exigit, multo magis sua exiget. atq; ita opor
tebat & te multiplicare quæ acceperas, & facere discipulos à quibus debitum repete-
res. Nummularios autem discipulos nominat, tanquam eos qui pro bent & repro
bent sermones. Verùm usuram exigit à discipulis, operum scilicet exhibitionem.
Discipulus enim à doctore sermonem accipiens, habet quidem illum & reddit inte-
grum, † amittit autem & usuram, boni operationem. Tollitur itaque à malo & se- † addit
gni seruo donum. Qui enim donum aliquod in aliorum utilitatem accepit, nec eo u-
titur, illud etiam perdit: qui uerò multiplicare studet, maiorem sibi conciliabit gratiā.
Diligentiam enim adhibenti dabitur maior gratia, ita ut abundet. Studium autem nō
B adhibens, & dono quod uidet habere priuabit. Negligens em, & qui non operatur
per ea quæ accepit, nō habet donū, sed uidet habere, nam perdidit sua negligentia.

Cum autem uenerit filius hominis in gloria sua, & omnes sancti angeli cum eo,
tunc sedebit super sedem gloriæ suæ, & congregabuntur ante eum omnes gentes, &
separabit eos alteros ab alteris, sicut pastor segregat oues ab hœdis: & statuet quidem
oues à dextris suis, hœdos autem à sinistris.] Quoniam primus aduentus Domini in
ignominia fuit & opprobrijs, dicit, cum uenerit in gloria sua. In secundo enim cū glo
ria aderit angelorum se stipantium. Primùm autem separat sanctos à peccatoribus, li
berans eos à labore, & statuit, & tunc loquitur eis. Itaq; oues uocat sanctos, quia man
sueti sunt, & fructum nobis ac utilitatem dant, ut oues, lanam uidelicet suppeditantes
ad diuinum & spiritualem amictum: & lac, hoc est cibum congruum: hœdos autem
peccatores. in præceps enim uadunt, & incomposiți, & steriles ut hœdi.

Tunc dicet rex his qui à dextris sibi erūt, Venite benedicti patris mei, possidete re
gnum in hæreditatem paratum uobis ab exordio mūdi. Esuriui enim, & dedistis mihi Ephes. 5
edere: sitiui, & dedistis mihi bibere: hospes erā, & collegistis me: nudus, & operuistis
me: infirmus, & uisitastis me: in carcere eram, & uenistis ad me. Tunc respondebūt ei
iusti dicentes: Domine, quādo te uidimus esurientem, & pauimus? aut sitientē, & de
dimus tibi potum? quando autem uidimus hospitem, & collegimus te? aut nudū, &
cooperuimus te? Aut quādo te uidimus infirmū, aut in carcere, & uenimus ad te? Et
respondens rex dicet illis, Amē, dico uobis, quatenus fecistis uni de his fratrib. meis
minimis, mihi fecistis.] Nō antea præmiat uel punit, q; dijudicet. Misericors em est:
& nos docet idipsum, quòd nō antea debeamus punire, q; rem discusserimus. Sic em
excusatione magis carebūt, qui præcedente iudicio puniuntur. Porrò sanctos uocat
benedictos, ut à patre susceptos. Hæredes autem ipsos facit regni, ostendens q; Deus
eos participes faciet regni sui, ut filios suos. Nō enim dixit, accipite: sed, possidete re-
gnū in hæreditatē, ut paternā substantiam. Iam fratres minimos uocat uel suos disci-
pulos, uel omnes simpliciter pauperes. Omnis em pauper, frater est Christi quatenus Omnis pau
pauper: quādoquidē & Christus in egestate uixit. Vide aūt Dei iustitiā. q; modo lau- per, frater
det ac prędicet sanctos. Vide itē & illorū candorē q; modo, ppter modestiam negēt se Christi.

illum

Universidad de Deusto
Biblioteca

illum pauisse: sed Dominus ea quæ pauperibus sunt facta, in semetipsum suscipit. A

Tunc dicet & his qui à sinistris erũt, Discedite à me maledicti in ignẽ æternũ, qui paratus est diabolo, & angelis eius. Esuriui enim, & nõ dedistis mihi cibum: sitiui, & nõ dedistis mihi potũ: hospes erã, & nõ me collegistis: nudus, & nõ operuistis me: infirmus & in carcere eram, & nõ uisitastis me. Tunc respondebunt ei & ipsi dicentes, Dñe, quãdo uidimus te esurientem, aut sitientem, aut hospitem, aut nudum, aut infirmum, aut in carcere, te nõ ministrauimus tibi? Tunc respõdebit illis dicẽs, Amẽ dico uobis, quatenus nõ fecistis uni de minimis his, nec mihi fecistis. Et ibũt hi in supplicũ æternum, iusti uerò in uitã æternã.] Eos qui à sinistris, in ignẽ mittit qui præparatus est diabolo. Quia enim compassionis expertes sunt diaboli, & hostiliter & inimicè erga nos affecti sunt: meritò idẽ supplicium habent, qui eiusdem uolũtatis sunt, qui & propriis operib. maledicti facti sunt. Vide autẽ q̃ Deus ignẽ nõ pr̃parauit hominib. supplicium eñ nõ fecit ,ppter nos, sed propter diabolum: ego autẽ memetipsum supplicio facio obnoxium. Horresce igitur ò homo cum cogitaueris hoc, q̃ illi neq̃ ut scorta, neq̃ ut latrones, neq̃ ut qui graue aliud flagitium perpetrarunt, puniunt, sed ut hi qui bonum non fecerunt. Profectò si bene cõsideras, raptor est qui multa habet, & non miseretur, etiamsi neminem manifesta cõtumelia afficiat. Quia enim quædã habet quibus non indiget: rapit omnino ab his qui egent, & non accipiunt ab ipso. Nam si in commune ea posuisset, fuissent utiq; & illi non indigi. nunc autem quia recluſit, & propria fecit, propterea illi esuriunt: atq; ita & raptor est qui immisericors, tanta afficiens iniuria, quantis beneficijs afficere potuisset illum, & non affecit. Ideo ibunt hi in supplicũ æternum & nunc̃q; finiendum. Iusti uerò in uitam æternã. Nam sicut sancti incessabile habent gaudium, ita iniusti indesinentem pœnã: tametsi Origenes nugetur dicens fore supplicíorum finem, & non semper puniendos peccatores, sed fore aliquando tempus, quando in iustorum uenturi sint consortium purgati à pœnis. Arguitur autem ex hoc loco manifestè, nam Dominus dicit, Supplicium æternum, hoc est, nunc̃q; desinens. Vnde & ouibus cõparat iustos, hœdis autem peccatores. sicut enim hœdus nunc̃q; fit ouis, sic nunq̃ peccator purgabitur & erit iustus. Tenebræ autem exteriores, quæ procul sunt à luce diuina, & propterea grauiorem faciunt pœnã. Potest itẽ & causa quædã afferri ad hæc. Peccator eñ in hac uita in tenebris est, nam excidit à sole iustitiæ: sed quia spes est cõuersionis, ,ppterea nõ sunt tenebræ illæ exteriores. Porrò ubi mortuus fuerit, & institerit examen factorũ, excipiunt eum exteriores. Non enim ultrà conuersionis spes est, sed sustinet omnigenã diuini splendoris priuationẽ. Quandiu enim hic est, etiãsi bona Dei minus ubertim suscipiat (loquor de sensibilibus & creatis) uidetur esse quodammodo seruus Dei dum in domo eius, hoc est in creaturis uersatur, ab ipsoq; alit & educatur. Tunc aũt omnibus modis à Deo diuidit, nihil cõmune cum illius bonis habẽs. Hæc sunt per cõparationẽ ad has tenebræ exteriores, eo q̃ hic non omnibus modis peccator resecatur. At tu fuge immisericordiã, & fac eleemosynas, & alias quidem sensibiles, alias autẽ spirituales. Pasce Christum, qui esurit salutem nostram. Sed & esurientem doctrinas si paueris & potaueris, pauisti Christum & potasti. In Christiano enim Christus est, & fide pascitur, & crescit doctrinis. Sed & si uideris peregrinum à superna patria, induc tecum & collige, hoc est, dum ingrederis in cœlos introduc & illum, ne alijs prędicans, ipse sis reprobus. Et si quis incorruptionis uestem abiecerit, quam per baptismum induit, & nudus sit, indue illum. Et infirmum fide (ut Paulus dicit) assume: & uinctũ in carcere, hoc est corpore illo tenebroso, inuise, illi quasi splendorem admonitionem donãs. Has sex species charitatis omnes imple quidem corporaliter, imple autem & spiritualiter. nam quum duplicis naturæ simus, ex anima et corpore, possunt hæc & bifariam perfici.

Ignẽ Deus non hominib. sed dæmonibus parauit, nos aũt in illum nos conijcimus.

Immisericors, raptor est.

Contra Origenem.

Operamisericordiæ spiritualia.

1. Cor. 3.

CAPVT XXVI.

Lucæ 22. Ioann. 11

ET factum est, cum cõsummasset Iesus sermones hos omnes, dixit discipulis suis, Scitis quia post biduũ pascha fiet, & filius hominis traditur ut crucifigat.] Quia regni meminit, & retributionis, tempestiuè consequenter & de passione sua disserit, quasi dicens, Etiam hi qui me crucifixerint, igne punientur.

Tunc congregati sunt principes sacerdotum, & scribæ, & seniores populi, in atriũ princi-

principis sacerdotum, qui dicebatur Caipha, & consiliũ inierunt ut Iesum dolo tenerent, & occiderent. Dicebant aũt, Non in die festo, ne tumultus fiat in populo.] Cum lex præciperet ut unum tantum haberent pontificẽ per omne illius uitæ tempus: illi contra legem multos faciebant, quos quotannis mutabãt. idcirco ad pontificẽ illius anni ueniunt de homicidio cõsilium inituri, ubi oportebat magis homicidas puniri. Principes aũtem sacerdotũ dicit eos qui iam annuo munere functi fuerãt. Cæterùm sceleratam cædem perpetraturi, nõ Deum, sed turbam timebant. Timuerunt enim ne quo pacto si in die festo illum occiderent, turba in ultionem excitaret. Vel etiam quia tunc offerenda erant omnia sacrificia in lege decreta, ne populus propter homicidiũ à sacrificijs absisteret, perderẽtq; ipsi lucrũ quod ex sacrificijs habebãt. Fortasis aũt & hoc timuerũt, ne fortè in die festo occiso, illius mors nobilior & clarior fieret. optabãt enim memoriã eius abolere. Illi igitur ante festum consiliũ inierũt, ut uel forte post diem festũ occiderẽt. At nõ quando illi uoluerũt, sed quando ipse uoluit pati, permisit eis, per tempus scilicet paschæ, ut quando typicum pascha, tunc & uerum pascha fieret. Discere autem & illos cædis auidos fuisse possumus. Nam qui nolebant illum occidere in die festo, cum inuenerunt proditorem, occiderunt contempta etiam turba, modò uoluntas eorum fieret. *Ioann. 18.*

Cum aũt esset Iesus in Bethania in domo Simonis leprosi, accessit ad eum mulier habens alabastrũ unguenti precioſi, & effudit super caput ipsius recũbentis.] Quidã dicunt tres esse mulieres quæ unxerint Dominũ unguento, quarũ etiam quatuor euangelistæ meminerũt. alij autem duas dicunt: unam apud Ioannem, quæ est Maria soror Lazari: aliam, cuius Matthæus nunc meminit, quæ eadem cum illa quæ apud Marcum & Lucã. Simonem aũt hunc leprosum quidam dicunt fuisse patrem Lazari, quem Christus à lepra purificarit, & apud eum cœnarit. Dicitur aũt q; & Iesus qui dixerat discipulis suis, Abite ad quendã, & ostendet uobis cœnaculũ stratũ: ad illum miserit eos. Denicq; & suscepit (ut dicũt) Dominũ: qui & apud illum perfecit pascha. Mulier igitur cum uidisset eum, qui leprosum purificarat, confisa est q; & ipsa peccatorum consequeretur remissionem, & purgaretur à lepra animæ. Magnam autem fidem ostendit, q; tam precioſum unguentum & absq; parsimonia in caput eius effudit, honorem exhibens membro præcipuo. Et tu quoq; si lepra laboras, & pharisaica lepra inflatus es, quæ à Deo separat: suscipe Iesum in domum tuam, & unge eum unguento uirtutum. Potes enim parare unguentum Iesu, qui lepram tuam purgauit, & caput eius perungere. Quod autẽ est caput Christi? diuinitas eius, cui fragrantia uirtutum offert. Dirigatur, inquit, oratio mea sicut thymiama in conspectu tuo Domine. Affer igitur fragrantiam unguenti ex multis uirtutibus confecti diuinitati Christi. Nam si non solum hominem illum esse docueris, sed dixeris & Deũ, tunc caput suum, hoc est diuinitatem fragranti unguento perfundes, hoc est, theologum ages. *Mulieres quot unguẽtes Dominum.* *Marc. 14* *Luc. 7* *Psal. 103*

Videntes aũt discipuli indignati sunt, dicentes, Ad quid perditio hęc? Potuit enim istud unguentum uenundari magno, & dari pauperibus. Eo autem cognito, Iesus ait illis, Quid molesti estis mulieri? Opus enim bonum operata est erga me. Nam semper pauperes habetis uobiscum, me uerò non semper habetis.] Discipuli quoniã multa de eleemosyna habenda q; eius magna ratione audierant, reprehenderunt mulierem tanq; Deo misericordiã magis requirente, q; honorem suum. Ille autẽ increpauit discipulos, eo quòd intempestiuè mulierem reprehendissent. Non enim summa exigere ab his qui nuper ad fidem adducti sunt, maximè ab infirma muliere, sed mediocrem eorum fidem suscipere oportet. Quando igitur quis offert Deo donũ, ne auerseris illum, neq; confringas alacritatẽ eius, abducens illum ut det pauperib. sed sine implere oblationẽ. Quòd si quis consilio tuo indiguerit utrum oporteat facere, pauperib. dare, uel offerre Deo, consule illi ut det pauperibus: at cum offert, indignũ est auersari illum. Decet enim ut honorem quem Deo debemus, præferamus simpliciter omnibus, etiam misericordiæ. Noli enim quia propter benignitatem Christus suscipit in se misericordiam quasi sibi facta esset, existimare q; oporteat contemnere Deũ & eleemosynam tantũ curare, quia sic & sacrilegiũ liceret, & ex sacrilegijs esset eleemosyna danda. Verùm non sic se habet, quia non est idem, misereri pauperũ, & colere ac honorare ipsummet Christũ, Audi. Pauperes enim, inquit, semper habetis uobiscum, *Non quæ summa sunt exigenda sunt ab ijs qui nuper ad fidem ducti sunt.*

uobiscum, me autem non semper. Vides igitur quomodo aliud sit curã impendere A
Christo, & aliud misereri pauperibus, tẽetsi Christus propter benignitatem suscipiat
perinde ac si in se collocetur, quod pauperibus impenditur.

Quòd enim hæc unguentũ hoc misit super corpus meum, ad sepeliendum me fe-
cit. Amen dico uobis, ubicunq; prædicatum fuerit hoc euangelium in toto mundo,
hoc quoq; quod hæc fecit, narrabitur in memoriam ipsius.] Docet nos q; mulier hęc
iuxta diuinam dispensationem hoc fecerit, præsignans mortem illius, & corporis se-
pulturam. Non enim tulisset Christus unguento ungi, nisi mysteriũ quoddam sub-
fuisset, prędixit aũt tanquam Deus, quod esset futurũ, q; in gloriã eius ubiq; prædicet
res quam fecit mulier. Vide autem Dei misericordiam, quomodo mulierem magnis
donis remunerat. Facit enim eam memorabilem ubiq;, quandiu suum euangelium
duraturũ sit. Quomodo aũt sepultura eius præsignatur unguento? Mos erat Iudæis
cum unguento mortuorum corpora sepelire, sicut & Aegyptij faciebant, ut incorru-
pta manerent, nec fœterent. Ostendit igitur mulier, inquit, ex hoc q; unguentũ effu-
dit, corpus meum breui sepeliendum. Hæc autem omnia dicit demulcens & dehor-
tans Iudam, per quem sepulturæ tradendus erat. Intellige item per anagogen, lepro
sum quidem esse gentilem populũ: mulierem autem peccatricem, congregationem
& ecclesiam ex gentibus, quę unguentum, hoc est fidem, in Christi caput, hoc est dei-
tatem effudit. Omnis enim credens Deum esse Christum, unguentũ effundit in ca-
put Christi. Iudas autem qui increpauit mulierem (sicut Ioãnes dicit) figuram tenet
Iudæorum: qui usq; in hunc diem contra ecclesiam murmurant.

Mysteriũ unctionis Mariæ Magdalenæ.

Tunc abijt unus de duodecim, qui dicebat Iudas Iscariotes, ad principes sacerdo-
tum, & ait illis, Quid uultis mihi dare, & ego uobis tradã illũ? At illi cõstituerũt ei tri-
ginta argenteos. Et ex eo tẽpore quærebat opportunitatẽ ut eum traderet.] Cum alie
na mulier meretrix tantum exhiberet honorem, tunc discipulus abijt proditurus il-
lum. Non enim frustra adijcitur, tunc abijt, sed ut ostendatur impudentia Iudæ. Ad-
didit autem Iscariotes, ut notiorem eum redderet. Erat enim & alius Iudas, qui Leb B
bæus dicebatur: hic uerò pditor erat à pago qui dicebatur Iscara. Illi autem cõstitue-
runt triginta argenteos, hoc est, decreuerunt ut ei darent, non autem ut multi putant,
appenderunt. Quærebat igitur opportunitatem ut illũ solum traderet eis. Timebãt
enim turbam, & idcirco conduxerunt Iudam ut indicaret eis quando solus esset.

Duo Iudæ, Iscariotes & Lebbæus.

Primo aũt die azymorũ accesserunt discipuli ad Iesum, dicentes ei, Vbi uis pare-
mus tibi ad edendum pascha? At ille dixit, Ite in ciuitatem ad quendam, & dicite ei,
Magister dicit: tempus meum prope est, apud te facio pascha cum discipulis meis. Et
fecerunt discipuli sicut constituit illis Iesus, & parauerunt pascha.] Primam azymorũ
diem uocat, quæ diem azymorũ præcedit: ut sic dicã, quinta feria manducaturi erant
pascha, post quam sequitur parasceue. Prima azymorũ uocabatur, in lege, eo q; festũ
incipiebãt à uespera, qua uescebãtur azymis. Dominus igitur mittit discipulos quin-
ta, quam nominat Euangelista primam azymorum: quia prima uespera erat qua co-
medebãt azyma. Accedũt igitur discipuli & rogant, Vbi uis paremus tibi ad edendũ
pascha? Non em̃ habebãt neq; illi neq; ipse proprias ædes. Mittit aũt illos ad hominẽ
qui non cognoscebatur neq; cognoscebat, sicut & de asina fecerat: monstrans illis q;
possit nudis uerbis persuadere etiam eis qui planè se non cognoscant, ut se excipiant.
Voluit autem pascha perficere, ne legi contrarius esse uideatur. Tempus uerò suum
nominat immolationẽ: ut discamus q; non ignorans neq; inuoluntarius immoletur.
Ad id quod ait, Apud te facio pascha, id est, id domo tua, adijcit, cum discipulis meis:
ut pararetur quantum sat esset multis qui simul esuri erant.

Pascha quare perfecit Christus.

Vespere autem facto discumbebat cum duodecim, & edentibus illis, dixit, Amẽ di
co uobis, q; unus uestrũm me proditurus est. Et mœsti redditi uehementer, cœperũt
singuli dicere ei, Num ego sum Domine?] Ex hoc putant quidam quòd hoc anno
non comederit Dominus pascha. Dicunt enim quòd stantes comedebant agnum.
Christus autem recumbebat, igitur pascha non comedit. Dicimus itaq; quòd prius
pascha stans comederit, deinde recũbens tradidit suũ sacramentũ. primum em̃ pfecit
figuralia, deinde uerũ perfecit. Prænũciat aũt de Iuda, ut reuerítus corrigatur, & si ob
nihil aliud, saltem uel ob cõmunem mensam, uel q; sciret se proditurũ Deũ corda co-

gnoscen-

A gnoscentē. Discipuli uerò turbabantur: & licet purū cor haberēt, ac sanā cōsciētiā, attamē magis credebāt Christo, q̄ sibijpsis, eo q̄ ille melius sua corda cognoscere q̄s ipsi.

At ipse respōdens ait, Qui intinxit mecū manū in catino, hic me traditurus est. Filius quidem hominis uadit sicut scriptū est de illo: uæ autē homini illi per quē filius hominis proditur. Bonū erat ei si natus nō fuisset homo ille. Respōdens autē Iudas, qui tradidit eum, dixit, Num ego sum Rabbi? Ait illi, Tu dixisti.] Manifestè proditorem reprehendit: quoniā cum clàm reprehenderetur, nō emendabatur. Propterea manifestat illum, dicens, Qui intinxerit mecū: ut uel sic corrigatur. Verùm Iudas impudēs intingebat in eodem catino. Deinde dicit, Filius quidem hominis uadit sicut scriptū est, hoc est, etiam si prædefinitū sit Christum pati ad salutē, nō tamen propter hoc colendus Iudas, sed uæ illi. Non enim ut cooperans diuinæ uoluntati hoc fecit, sed suam malitiā perficiens. Nam si diligenter cōsideraueris, noluit Christus † præcedenter crucifigi. Insinuat autē illud per hoc quòd deprecatur poculum. Quoniam autē sciebat ante omnia secula quòd aliter nō esset possibile saluari hominē: propter malitiā inimici uoluntariū fit, quod præcedenter nō erat uolitū. Dicens autē, Bonū esse hominē illum nō esse natum: ostendit † substantiā peccati aliam à natura.] Obseruatur autē uerbū uadit, significat enim peregrinationē magis q̄s mortē, suam occisionē.

† προτερημένως, præcipuè, in primis

† quòd natura nō subsistere melius sit, quàm subsistere in peccatis

Vescentibus autē eis, accepit Iesus panem, & cum egisset gratias, fregit, deditq̄ discipulis, & dixit, Accipite, comedite, hoc est corpus meū.] Apposuit autē uescētibus, ut ostenderet crudelitatē Iudæ: quia in mensa & cōmunione ciborū illius, quando si & fera fuisset, mansuetiorē se exhibuisset: tūc neq̄ cum argueretur, intellexit, sed & corpus illius gustans nō pœnituit. Quidā autē dicunt q̄ egresso Iuda tradidit sacramentum alijs discipulis. Proinde & nos sic facere debemus, & malos à sacramentis abarcere. Gratias quoq̄ agit fracturus panē, ut & nos erudiat cum gratiarū actione panē offerendum, & ut ostendat se cum gratitudine fractionē sui corporis, hoc est occisionem

B susc̄ipere, neq̄ ægrè ferre, ceu in re quę displiceat sibi: ut & nos cum gratitudine martyriū aggrediamur. Porrò dicens, Hoc est corpus meū, ostendit quòd ipsum corpus Domini est panis qui sanctificatur in altario, & nō respondens figura. Nō enim dixit, hoc est figura, sed, hoc est corpus meū. Ineffabili enim operatione transformatur, etiā si nobis uideatur panis: quoniā infirmi sumus, & abhorremus crudas carnes comedere, maximè hominis carnē: & ideo panis quidē apparet, sed reuera caro est.

Panis qui sanctificatur in altario, corpus & caro Domini est, nō figura.

Et accepto poculo, gratijs actis, dedit illis dicens, Bibite ex hoc omnes: hic est enim sanguis meus, qui est noui testamenti, qui pro multis effundetur in remissionē peccatorum.] Sicut uetus testamentū immolationē habebat & sanguinē, ita & nouum testamentū sanguinē habet, ac immolationē. Pro multis autē dicit effundi, hoc est pro omnibus. Sunt enim & omnes multi. Quare autē suprà quidem nō dixit, Accipite, comedite omnes: hoc autē loco, Bibite ex eo omnes? Sunt qui dicant propter Iudā hoc dictū. Iudas enim panē accepit, & nō comedit, sed occultauit, ut mōstraret Iudæis q̄ panem corpus suum uocaret Iesus: poculum autē inuitus bibit, cum nō posset occultare. Propterea hoc loco dicebat, Bibite omnes. Iuxta anagogen autē dicūt, quòd nō sit omniū accedere ad solidum cibum, sed perfectiorū: bibere autē omniū sit. Idcirco hoc loco dicebat, Bibite omnes. Simpliciora enim dogmata recipere omnium est.

1. Cor. 11.

Heb. 5.

Dico autē uobis, quòd nō bibam post hæc ex hoc fructu uitis, usq̄ in diem illum cum illud bibā uobiscū nouum in regno patris mei.] Sumpto poculo renunciat corporali potioni. Nouum autem promittit, id est nouū quendam modum sumptionis, in regno, hoc est in resurrectione. Quum resurrexisset enim, comedit ac bibit nouo quodam modo. nō enim quasi indigeret cibo, corporalem sumpsit cibum: sed ut crederetur uera corporis natura. Regnū autē meritò suam resurrectionē nominat. tunc enim uinxit mortem, & re ipsa regem se cōprobauit. Vel etiā sic intelligas. Nouum poculum, reuelatio est sacramentorū Dei, quæ tunc in regno Dei: hoc est, in secundo aduentu reuelabuntur, quæ uerè sunt noua, qualia nō audiuimus uspiam. Cæterū bibere dicitur Christus nobiscū, eo q̄ nostram utilitatē cibum & potum suum existimat.

Luc. 24. Ioan. 21. Act. 10.

Regnū resurrectionē nominat.

Et cum hymnum dixissent, exierunt in montem oliuarum.] Postquam cœnauerunt, hymnum dixerunt: ut discamus & nos sic facere. In montem Oliueti uenit, & non in alium locum, ne putaretur fugere, nō enim in ignotum locum secedit, sed in

eum qui Iudæis notus erat. Secedit autem à sanguinaria ciuitate, quã reliquit ut persequantur, & arguat illos postea qui & cedentem insectati fuerint. A

Tunc dicit illis Iesus: Omnes uos scandalũ patiemini per me in ista nocte. Scriptũ est enim, Percutiam pastorem, & dispergentur oues gregis. Postq; autẽ resurrexero, præcedam uos in Galilæam.] Futura tanq; Deus prædicit. Et ut non offendant quasi ab ipso acrius accusati, dixit scriptum esse, Percutiam pastorem, & dispergentur oues gregis. hoc insinuans, Ego contineo uos, mea autem abitio uos disperget. Percutere autem dicitur pater filium, eo quòd uoluntate, hoc est, permissione eius crucifixerunt Iudæi Dominũ: quia cum ipse possit eos prohibere, & non prohibet, dicitur percutere propter permissionem. Deinde soluens eorum tristitiam, euangelizat eis, Resurgam, & præibo, hoc est, prẽueniam uos in Galilæam, indicans hoc loco relicturum se Hierusalem, & ad gentes concessurum. Galilæam enim gentiles inhabitant.

Zach. 13 Ioan. 16.

Respondens autem Petrus dixit illi: Etsi omnes scandalizati fuerint in te, ego tamen nunquam scandalum patiar. Dicit illi Iesus, Amen dico tibi quòd in hac nocte priusquam gallus cantet, ter me negabis.] Ob multam mentis confidentiam Petrus solus pollicebatur se non scandalizatum iri, & idcirco permisit illum Christus cadere, ut doceat ne quis in seipso confidat, sed in Deo: & fide digniora existimanda uerba Christi, quàm nostram cõscientiam: quoniam & superbia plenum erat dicere, Si omnes scandalizati fuerint. Ostenditur enim esse arrogans, & ignorans suam infirmitatem. Prædicit igitur Dominus illi & horam, quòd in illa nocte, & priusquã gallus cantet: & numerum negationum, nempe quòd ter negaturus sit.

Dicit illi Petrus, Etiam si oportuerit me mori tecum, neutiquam te negabo. Similiter autem & omnes discipuli dicebant. Tunc uenit Iesus cum illis in uillam quæ dicitur Gethsemane, & dixit discipulis, Sedete hic donec uadam & orem illic.] Petrus genuinam suam affectionem declarare uolens, cõtradicit saluatori: liberatus autem à proditionis metu, ex magno amore & ambitione cœpit & contra alios insurgere, & Christo reluctari: sed & alij discipuli nondum experti tentationes, ex ignorantia polliciti sunt quæ præstare non potuerunt. Transiuit autem Christus in locum seorsum oraturus. Ocio enim & sequestratione opus habent preces. B

Ocio opus habent preces & secessu.

Et assumpto Petro & duob. filijs Zebedæi cœpit affici dolore ac mœstitudine. Tũc dicit illis Iesus, Tristis est anima mea usq; ad mortẽ. Manete hic, & uigilate mecũ. Et progressus pusillũ, procidit in faciẽ suã, orans & dicẽs, Pater mi, si possibile est, trãseat à me calix iste. Verũtamẽ nõ sicut ego uolo, sed sicut tu.] Nõ omnes assumit discipulos, sed tres tantũ, quib. ostenderat gloriã in monte Thabor: ne cum uidissent eum orantẽ & laborantẽ, scandalizarentur. Cæterũ & illos relinquit, & abit in secretissimũ locum, ac orat. Porrò q̃ mœstus est & piget, per dispensationẽ fiebat, ut credatur uerus esse homo. Humanæ enim naturæ est timere mortẽ, eo q̃ præter naturã ingressa est mors, & propterea illam fugit natura. Itẽ ut ignoret diabolus, & inuadat eum ut purum hominẽ, quò cõficiatur ipse morte, & sic cõteratur. Vel aliter, Si Dominus mortem nõ timuisset, dedisset Iudæis excusationẽ q̃ nõ peccassent, q̃ ita citra metum ad mortẽ prosiliisset. Ex hoc item discimus ne nos ipsi in tentationẽ inijciamus, sed precemur ut liberemur ab eis. Et propterea nõ longa distantia à discipulis progreditur, sed prope tres discipulos manet, ut audiẽtes eum memores sint ut & ipsi in tentationibus precentur similiter. Calicẽ uerò passionẽ nominat, uel propter somnũ quẽ facit, uel q̃ lætitiæ causa sit ac nostræ salutis. Vult autem transferri calicem, uel ut monstret hominẽ naturaliter deprecari mortẽ, sicut prædictũ est: uel quòd noluit Iudæos tam graue peccatũ peccare, propter quod destrueretur templum, periretq; populus. Veruntamẽ paternã uoluntatẽ fieri uult: ut & nos discamus q̃ licet natura nostra reluctetur, Deo tamen magis obtemperare q̃ nostram uoluntatẽ implere debeamus.

Nequaquã nosipsos in tentationes conijcere debemus.

Et uenit ad discipulos, & inuenit eos dormientes, & dicit Petro, Adeò nõ potuistis una hora uigilare mecũ? Vigilate, & orate ne intretis in tentationẽ. Spiritus quidem promptus est, at caro infirma.] Quoniã audax erat Petrus, & alij discipuli, arguit illorũ infirmitatẽ, q̃ temeraria fuerint locuti: & Petro præsertim sic loquit, Vna hora nõ potuistis uigilare mecũ, & quomodo animas uestras pro me ponetis? Sed iterum postq̃ reprehẽsione eos perstrinxit, curat dicẽdo, Spiritus quidẽ prõptus est, at carnis

obluctatur

A ebluctat imbecillitas. Hoc est, uenia uos dignor, q̄ nō propter contemptū obdormi-
ueritis, sed propter infirmitatē. Vnde posthac, quia infirmi estis, nō sitis tam audaces:
sed orate ut in nullā intretis tentationē. Alij aūt, Ne intretis in tentationē, intelligūt,
ne uincamini à tentatione. Nō ēm iubet nos sine tentatione esse, nā tentationes nos
coronāt, sed ne à tentatione absorbeamur, & intremus in uentrē eius quasi bestiæ cu
iusdā, hoc iubet orare. Nā uictus à tentatione, ingredit in eā, hoc est, absorbet ab ea.

Rursus altera uice abijt & orauit dicens, Pater mi, si non potest hoc poculū transi-
re à me nisi bibam illud, fiat uoluntas tua. Et uenit & reperit eos iterum dormientes.
Erant enim oculi eorum grauati. Et relictis illis iterum abijt, ac orauit tertiò eundem
sermonem, dicens.] Disce homo continuò precari in tentationibus, audiens & Do-
minum sæpe orasse. Cum autem inuenisset iterum dormientes, non reprehendit, ne
tristitia afficeret: sed reliquit & abijt, ac orauit tertiò, confirmans se hominē esse. Ter-
narius enim numerus ueritatis demonstratiuus & confirmatiuus est.

Tūc uenit ad discipulos suos, & dicit illis, Dormite iam & requiescite. ecce appro-
pinquauit hora, & filius hominis tradit in manus peccatorū. Surgite eamus. Ecce ap-
propinquauit qui me tradit.] Ostendens quòd nō opus habeat illorū subsidio quan-
do traditur, dicit illis, Dormite nunc, & requiescite. Vel per ironiam dixit, quasi ita di
ceret, Ecce appropinquauit proditor, & si placet uobis, & permittit tempus, dormite.
Excitat igitur illos à loco illo ubi orabat, & accedit ad eos qui se cōprehensuri erāt, &
occurrit eis quasi lætum quippiam sibi eblaturi uenirent. Et illa quæ precatus est, pre
catus est ut credibilior esset dispensatio, & quòd uoluisset nō pati, ut seruarentur He-
bræi à perditione quæ eis imminebat propter peccatū q̄d in ipsum erāt perpetraturi.

Et illo adhuc loquēte, ecce Iudas unus ex duodecim uenit, & cū eo turba multa cū
gladijs & fustibus, missi à principibus sacerdotū & senioribus populi. Is uerò qui tra- Ioan. 17.
debat eum, dedit illis signū, dicēs, Quēcunq; osculatus fuero, ipse est, tenete eum. Et
B cōtestim accedens ad Iesum, dixit, Aue rabbi, & osculatus est eum. Dixitq; illi Iesus,
Amice, ad quid ades? Tunc accesserūt, & manus iniecerunt in Iesum, & ceperūt eū.]
Vides arma pontificū qualia sint? Ligna, & gladij. Ita erant pacifici, & spiritū māsue-
tudinis habentes. Vnus autē ex duodecim dicit euāgelista, admirans q̄ ex primis &
electis esset, diaboloq; se tradidisset. Vnde homo & tu time, licet ex familiarissimis
sis, ne unq; desidiæ uaces, & excidas. Signū autē dedit Iudas, eo q̄ nox erat, & nō po
terant internoscere. Et aliter, Qui uenerant ad cōprehendendum, nō erant ex turba
tot, quot ex seruis pontificū, qui omnino fortè nō cognouerāt Iesum, sed Iudas notū
facit eis magistrum osculo. Nam cum sciret bonitatē Domini, audebat illum oscula-
ri. Ille autē fert usq; ad nouissimā horam, studens sua longanimitate illū lucrari. Cum *Iudam Chri-*
autē neq; sic emendatus est, tunc fecit illos cadere, quemadmodū dicit Ioānes, ut uel *stus omnu-*
cadendo agnoscant ipsius uirtutem. Vnde cum neq; sic destiterunt à sua temeritate, *dio reuoca-*
tunc semetipsum eis exposuit. Iudam autem amicū uocat, incessens eum, & carpens. *re nisus.*
quasi diceret, undē nam amici osculum? Quod uerò dicit, Ad quid ades? hoc est, qua
intentione hic ades? Nunquid ut amicus? sed non oportebat cum gladijs aduenire.
nunquid ut inimicus? & quomodo oscularis? arguit igitur eum ut dolosum.

Et ecce unus ex his qui erant cum Iesu, extendens manū exemit gladium suum, &
percutiens seruum principis sacerdotū, amputauit auriculam eius. Tunc dicit illi Ie-
sus, Conuerte gladium tuum in locum suum: Omnes enim qui acceperint gladium, Genes. 9
gladio peribunt. An putas quòd nō possim nunc rogare patrē meū, & exhibebit mi-
hi plures q̄ duodecim legiones angelorū? Quo pacto igitur implebuntur scripturæ? Esa. 53.
quia sic oportet fieri.] Petrus erat qui gladiū exemerat, ut Ioannes dicit. Habebat au Ioan. 18.
tem gladium, quo agnum paschalem mactarat. Non arguimus autē Petrum, quoniā
nō pro se, sed pro magistri zelo ardens hoc fecit. Dominus uerò adaptans eum ad e-
uangelicam uitam, docet nō utendum gladio, etiam si cui Deum ultionē exquirere
uideatur. Porrò Petrus amputās auriculam, ostendit Iudæos inobedientia laborare.
Deinde & dictum legis ponit, quòd homicida & ipse occiditur. Lex enim hoc dicit,
quod qui acceperint gladiū, morianī gladio. Insinuat autē quòd Romanorū gladio
perituri essent Iudæi, contra se gladium accipientes. Iam quod non dixit, Possum ex-
hibere duodecim legiones angelorū: sed, orare patrem meū, dispensatiuè dicit sicut

†eorum homo, propter † suam infirmitatē. Multa enim tunc erāt quib. humana ueritas ostendebat, ut sudor & timor: & nō usus fuisset uerisimilia dicere, si dixisset, Possum ipse adducere angelos. Pro duodecim igitur, inquit, apostolis, astitissent mihi duodecim Legio quid exercitus angelorū, si quidem uoluissem. Legio enim est magnū agmen, nempe sex millia equitū. Oportet igitur, inquit, hæc omnia fieri, ut impleant scripturæ quæ hæc prædixerunt. Non quòd ideo Iudæi mali, quia prædixerunt scripturæ: sed quia Iudæi hæc mala uoluntate facturi erant, ideo spiritus sanctus ea scripturis prodidit. A

In illa hora dixit Iesus turbis, Tanquam ad latronē existis cum gladijs & fustibus ut cōprehendatis me: quotidie apud uos sedebam docens in templo, & nō me cepistis. Hoc autem totum factum est ut cōplerentur scripturæ prophetarum.] Ostendit stultum illorum conatū, & quòd nō fortitudinis illorum fuerit, se cōprehendi. Quando em, inquit, eram in templo, uolebatis me cōprehendere, & quia nō concedebam uobis, tunc non poteratis: nunc autem sponte meipsum offero. nam scio impossibile scripturas, quæ uestram prædixerunt malitiam, mendaces esse.

Tunc discipuli omnes relicto eo fugerunt. At illi comprehensum Iesum duxerunt ad Caipham principem sacerdotum, ubi scribæ & seniores cōuenerant. Petrus autē sequebatur eum procul, usq; ad atrium principis sacerdotum. Et ingressus intrò, sedebat cum ministris, ut uideret finem.] Alij quidem discipuli fugerunt: Petrus uerò fer uentiori erga magistrum affectu, sequebatur procul. Quanuis autem & Ioannes sequeretur, non tamen ut discipulus, sed ut notus pontifici.

Principes autem sacerdotum & seniores & totum cōcilium quærebant falsum testimonium contra Iesum, ut morti eum traderent: & nō inuenerūt. Et cum multi falsi testes accessissent, non inuenerunt.] Ad Caipham ducunt eum. nam ille erat pontifex anni illius, ubi & reliqui pernoctabant, non comedentes tunc pascha, sed expectantes, ut occiderēt Dominum. ita præuaricabantur legem. Dominus enim & ipse legitimè comederat, illi uerò contemnunt legem, modò occidant Christum. B

Nouissimè autē uenerūt duo falsi testes, & dixerunt: Hic dixit, Possum destruere templū Dei, & in triduo ædificare illud. Et surgens princeps sacerdotū dixit illi, Nihil respondes? cur isti aduersum te testimonium dicunt? Iesus autē tacebat. Et respondens princeps sacerdotū ait illi, Adiuro te per Deum uiuū, ut dicas nobis an sis Christus filius Dei. Dicit illi Iesus, Tu dixisti.] Verè illi erant falsi testes. Christus enim nō
Ioan. 2. dixerat, Possum destruere, sed soluite: & nō dixit templum Dei, sed templum hoc, id est corpus meū. Et iterū nō dixit, ædificabo, sed excitabo. erantq; illi manifestarij falsi testes, qui dicebant Christum alia dixisse q̄ dixerat. Iesus igitur cum sciret iudicium eorū iniustum, tacebat: quibus enim signa nihil persuaserāt, quomodo persuasissent responsa? Porrò pontifex cupiens illum blasphemum declarare, rogat, ut si dixerit, Ego sum filius Dei, tanq; blasphemus cōdemnetur. Si autē negauerit, testificatus sit
1. Cor. 3 cōtra semetipsum. At Dominus, qui comprehendit sapientes in uersutia sua, respon
Ioan. 5. dit, Tu dixisti. hoc est, tuum os confessum est quòd ego sum filius Dei.

Verunt amē dico uobis, amodò uidebitis filiū hominis sedentē à dextris uirtutis,
Dan. 7 & uenientē in nubibus cœli.] Ex Daniele propheta hic loquit̄. Ille enim inquit: Videbam sicut filiū hominis uenientem in nubibus. Nam quia putabāt impostorē esse, eo q; in humili uestitu apparebat, Videbitis, inquit, me tunc cum uirtute uenientē, & assidentem patri. Virtutem enim hic patris dicit: & nō à terra, sed à cœlo uenientē.

Tūc princeps sacerdotū discidit uestimēta sua, dicēs, Blasphemauit: q̄d insuper egemus testib? Ecce nūc audistis blasphemiā eius: q̄d uobis uidet? At illi respōdētes dixe-
Vestimentorum scissionis symbolū rūt, Reus est mortis.] Mos erat Iudæis, quādo q̄d intolerabile accidebat, disrūpere uestē. Sic & Caiphas, quasi manifestarius ille blasphemus esset, decepturus populū hoc faciebat, quasi hac ratione cogēs alios dicere hūc reū esse mortis. Verūtamē discite q; Caiphas rupit uestimēta sua, sacerdotiū ueteris legis esse disruptū & ablatū significare.

Mar. 14 Tunc expuerunt in faciē eius, & colaphis eum ceciderunt. Alij autē palmas in faciē eius dederunt dicentes, Vaticinare nobis Christe, quis est qui te percussit?] Quando
Luc. 22 cōdemnatus est, tūc ignominiosa multa cōtra eum fecerūt: & illudebāt ei, obtegētes
Colaphizare (ut alius euāgelista inqt) faciē eius. Nā q; ut prophetā eū habebāt, ideo ita illudebāt ei. Colaphizare aūt est manib. percutere, & simul incuruatis digitis & pugno cędere.

Petrus

A Petrus uerò sedebat foris in atrio, & accessit ad eum una ancilla dicens, Et tu cũ Iesu Galilæo eras. At ille negauit cõram omnibus, dicens, Nescio quid dicas. Cum aũt exisset in uestibulum, uidit eum altera ancilla, & ait his qui erant ibi, Et hic erat cum Iesu Nazareno. Et iterum negauit cum iureiurando, Non noui hominẽ. Et post pusillum accesserunt qui stabant, & dixerũt Petro, Verè & tu ex illis es: nam & loquela tua te manifestum facit. Tunc cœpit detestari & iurare ꝙ nõ nosset hominem. Et continuò gallus cãtauit. Et recordatus est Petrus uerbi Iesu, qui dixerat ei, priusq́ gallus cantet, ter me negabis. Et egressus foras fleuit amarè.] Immenso timore laborans Petrus, oblitus est promissionũ, & humanæ seruit imbecillitati, quasi metu exanimatus & nescius quid dicat. Intellige autem per anagogen, quòd ab ancilla Petrus reprehenditur, hoc esse humanæ infirmitatis & seruilis affectionis indiciũ. Donec gallus cantans illum recordari fecit. Gallus autem est sermo, qui nõ sinit nos torpere & dormire, sed dicit, Vigilate. &, Surge qui dormis. A sermone igitur tanq́ à gallo quopiam excitatus Petrus egressus est foras atriũ principis sacerdotũ, hoc est, ambitũ excæcatę mentis, & egressus ab insensibilitate, fleuit amarè. Quandiu enim erat in atrio excæcatæ mentis, non fleuit, neq́ enim sentiebat, postquam autem exiuit, sentire cœpit. *Ephes. 5*

CAPVT XXVII.

MAnè autem facto consilium inierũt omnes principes sacerdotum & seniores populi aduersus Iesum, ut eum morti traderent. Et uinctum eum adduxerunt, & tradiderunt Pontio Pilato præsidi.] Vide diabolum quomodo omnes illos comprehendat in diebus illis, persuadens eis ut occidant, cum sacrificare & offerre deberent pro aliorum peccatis, ignorantia, & purgatione. Illi autem Iesum & ligant, & adducũt ad Pilatum præsidem, qui à Ponto erat, Romanis autem tributarius, & ab eis in Iudæam præses missus. Tradiderunt itaq́ Dominum Pilato, ut seditiosum, & uirum qui tyrannidem meditatus esset. *Mar. 15. Ioan. 18.* *A Ponto Pilatus dictus Pontius.*

B Tunc uidens Iudas qui eum tradiderat, ꝙ damnatus esset, pœnitudine ductus retulit triginta argenteos principibus sacerdotũ & senioribus, dicẽs, Peccaui, tradens sanguinẽ innoxiũ. Illi autẽ dixerũt, Quid ad nos: tu uidebis. Et proiectis argẽteis in templo, recessit, & abiens laqueo se suspendit.] Tardè sapere incipit, & pœnitet quidẽ, nõ autẽ rectè. Nam suũ pœnitere bonũ erat, suffocari autẽ diabolicũ. Proinde nõ ferens ignominias subsecuturas, seipsum è uita subduxit. Oportebat lachrymari, & propitiationẽ quærere proditorẽ. Quidam autẽ dicũt ꝙ Iudas cum auarus esset, sperabat proditione Christi multũ lucri, & Christum non occisum iri, sed euasurũ, sicut sæpius & antea. cum autẽ tunc uidisset cõdemnatũ ut moreretur, pœnitentia rei ductus est, ꝙ alium q̃ opinabatur exitum res sortiretur. Idcirco & se strangulauit, ut præueniat Iesum in inferno, & ibi orando salutem assequatur. Verùm scias quòd posuit quidem collum suum in laqueũ, & cum penderet ab arbore, arbore inclinata superuixit, Deo uolente ipsum uel in pœnitentiam conseruare, uel in traductionẽ & confusionẽ. Dicunt enim ꝙ morbo hydropico laborarit, ita ut transire nõ potuerit orbitam, & deinde cecidisse pronum, & crepuisse mediũ, hoc est disruptũ esse, ut dicit Lucas in Actis. *Iudæ mors* *Act. 1.*

Principes autẽ sacerdotũ acceptis argenteis dixerũt: Nõ licet eos mittere in corbonam, quia preciũ sanguinis est. Consilio autẽ inito emerũt ex illis agrũ figuli in sepulturã peregrinorũ: quapropter uocatus est ager ille, ager sanguinis, usq́ in hodiernũ diẽ. Tunc impletũ est q̃d dictũ est per Hieremiã prophetã dicentẽ, Et acceperũt triginta argẽteos preciũ æstimati, quẽ æstimatũ emerũt à filijs Israel, & dederũt eos in agrũ figuli, sicut cõstituit mihi Dominus.] Corbonã dicebant thesaurũ in templo, in quem mittebant dona quæ Deo offerebant. Vide autẽ quomodo Deus infatuet illos, ut ducat mens illorũ sanguinaria. Vsq́ in hunc enim diẽ dicit ager sanguinis, ut omnes sint memores ꝙ Dñm occiderint. Disce autẽ & hoc, ꝙ & apud Iudæos fuerit in precio hospitalitas: unde in sepulturã peregrinorũ agrum illum emerunt. Cõfundamur igitur nos, qui uitæ perfectioris uidemur esse, & peregrinos despicimus. Preciũ autẽ æstimati, hoc est Christi. Inæstimabilis enim fuit, & æstimatus est à filijs Israel, hoc est, preciũ eius constituerunt filij Israel, pacti cum Iuda ut darent illi triginta argenteos. *Hier. 11.* *Corbona quid.* *Apud Iudæos quàm in precio hospitalitas.*

Iesus autẽ stetit ante præsidem: & interrogauit eum præses dicẽs, Tu es rex Iudæorum? Dicit illi Iesus, Tu dicis. Et cum accusaretur à principibus sacerdotũ, & senio-

ribus, nihil respondit. Tunc dicit illi Pilatus, Non audis q̃m multa aduersus te dicant testimonia? & non respondit ei ad ullum uerbum, ita ut miraretur præses uehemẽter.] A
Quasi capitalium criminum reus sistitur Pilato, & interrogatur num inuaserit, & cõiurauerit, & attentarit regnare Iudæis? Iesus autem dixit illi, Tu dicis: sapientissimo responso dato. Neq; enim dixit, Non sum: nec contrà, ego sum: sed medio quodam modo dixit, Tu dicis. Hoc enim potest & sic intelligi, Sum sicut dicis. Et sic, Ego quidem hoc non dico, tu autem dicis. Aliud uerò responsum nõ dedit. Sciebat enim iniustum fore iudicium. Proinde admiratus est Pilatus Dominum, & quòd contemneret mortem, & q̃ tam eloquens & multa habens quæ responderet, nihil responderet, sed accusatores contemneret. Discamus & nos hoc loco quomodo gerere nos debeamus in iudicio iniusto, ne quid dicamus, ne tumultus maior oboriatur, néue maioris condemnationis occasionem præbeamus his qui defensiones nostras audire nolunt.

In festo autẽ cõsueuerat præses turbæ dimittere unũ uinctũ quẽ uoluissent. Habebat autẽ tunc uinctum insignẽ, qui dicebat Barabbas. Congregatis ergo illis dixit Pilatus, Vtrũ uultis dimittã uobis, Barabbam, an Iesum qui dicit Christus? Sciebat enim q̃ propter inuidiã tradidissent eũ.] Pilatus studebat absoluere, tametsi lentius q̃ oportebat. debebat enim se pro ueritate obijcere. Primũ quidem interrogabat Dñm, Non audis quid illi cõtra te testificentẽ? Interrogauit autẽ: ut si Christus se excusaret, haberet occasionẽ absoluendi eum. At cum nõ defenderet se Christus, sciens se nõ dimissum iri quantũuis se excusaret, aliam uiam inuenit Pilatus, & cõfugit iam ad cõsuetudinẽ, quasi sic diceret, Si nõ ut innocentẽ dimittitis Iesum, etiamsi damnatus sit, detis tamẽ hoc festo. Quomodo suspicari potuisset Pilatus q̃ innocentẽ Iesum ad crucifigendũ peterent, & reum latronẽ dimitterent? Sciens igitur non esse reum, sed inuidia traditum, ideo interrogat eos. Vnde ostendit se plus q̃ æquum erat molliorẽ. oportebat enim pro ueritate periclitari. Itaq; dignus est condemnatione, tanq; ueritatis suppressor. Barabbas autẽ interpretari quis potest filium patris. Bar enim filius, abbas autem pater. Iudæi igitur filium patris sui diaboli postularunt, Iesum autem crucifixerũt: & usq; in hunc diem filio patris sui Antichristo adhærent, Christum autem abnegant. B

Barabbas.

Sedente autẽ illo pro tribunali, misit ad eum uxor eius, dicens, Nihil tibi cũ iusto illo. multa enim passus sum hodie in somnis propter eum. Principes autẽ sacerdotum & seniores persuaserunt turbis ut peterent Barabbam, Iesum uerò perderẽt. Respondens autem præses ait illis, Vtrum uultis uobis è duobus dimittam? At illi dixerunt, Barabbam. Dixit illis Pilatus, Quid igitur faciã de Iesu, qui dicitur Christus? Dicũt ei omnes, Crucifigatur. Præses autẽ ait, Quid enim mali fecit? At illi magis clamabant, dicentes, Crucifigatur. Videns autem Pilatus quòd nihil proficeret, sed magis tumultus fieret, accepta aqua manus abluit coram populo, dicens, Innocens ego sum à sanguine iusti huius, uos uidebitis. Et respondens uniuersus populus dixit, Sanguis eius super nos & super filios nostros. Tunc dimisit illis Barabbam, Iesum autem flagellatum tradidit ut crucifigeretur.] O miraculũ, qui iudicatur à Pilato, uxorem eius terret. Ipse autem nõ uidet somniũ, sed uxor, uel q̃ ipse indignus erat, uel quòd fides ei non fuisset habita, sed uisus esset ad gratiam loqui: fortassis etiam tacuisset talia, cum esset iudex. Prouidentiæ autem opus somniũ factum, nõ ut absoluratur Christus, sed ut seruetur uxor. Quomodo igitur non absoluit illum? Quia non erat integrum dimittere illum, qui de tyrannide accusabatur. Verùm oportebat causas inquirere illũ, num milites conscriberet, num arma fabricaret: nũc autem quasi mollis & mutus cedit, & idcirco non caret reprehensione. Nam cum peterent illi insignẽ illum malefactorem, dedit: de Christo autem interrogat, Quid igitur faciam de Iesu? illis iudicandi potestatem largiens. Atqui cum iudex esset, poterat ipsum ui eripere, sicut & Paulum tribunus militum. Illi autem dicebant, Crucifigatur. Non solùm occidere uolentes illum, sed & malam causam impingebant. Crux enim pessimorũ supplicium erat. Porrò lauatur, ut purum se ostendat, † non ignarus odij. Iustum enim nominans Iesum, homicidis illum tradidit. At illi in se suscipiunt ultionem hoc homicidio dignã, qua & grauati sunt, Romanis ipsos & ipsorum pueros perdentibus: & usq; in hunc diem Iudæi & illorum pueri experiuntur à se sanguinem illius requiri. nam ob suam incredulitatem persecutionem patiuntur ab omnibus. Flagellauit autem Iesum, hoc est, uer-

Act. 21. 22. Crucis supplicium.

† ab odio: malo senti ens

A est, uerberauit, uel illis gratificans, uel ostendens quòd & ipse illum condemnet, & nõ innocentem hominem crucifixuri sint, sed ignominia notatum. Impletum igitur est & illud, Dorsum meum dedi ad flagella. Esa. 50

Tunc milites præsidis suscipientes Iesum in prætorio, cõgregauerũt ad eũ uniuersam cohortẽ, & cũ exuissent eũ, circũdederũt ei chlamydẽ coccineã, & coronã de spinis cõtextam imposuerũt super caput eius, & arundinẽ in dexterã eius, & genu flexo ante eum, illudebãt ei, dicentes, Aue rex Iudæorũ. Et cum expuissent in eum, acceperunt arundinẽ, & percutiebant caput eius.] Hoc loco implet dictum Dauid, Oppro briũ insipienti dedisti me. Milites enim cũ insipientes essent, se digna faciebãt. Chlamyde pro purpura ut regẽ induerunt, calamũ pro sceptro dederũt, coronã pro diademate. Adorabant autẽ illudentes. hoc em̃ significat genuflectere, hoc est adorare. Vide quomodo nullã nõ cõtumeliæ speciẽ exercuerint, iniuria afficiẽtes, faciẽ sputis, caput corona, manũ calamo, reliquũ corpus chlamyde, aures uerbis irrisorijs. Veruntamen omnia quæ illi faciebãt, per irrisionẽ faciebãt. Tu tamẽ intellige ea, quæ maioris sunt mysterij ab Iesu impleta fuisse. Chlamys em̃ coccinea naturã nostram significat, quã cum sanguinaria esset, & cædis rea, suscepit, & induẽs sanctificauit. Corona aũt ex spinis peccata sunt, ex curis huius uitæ proueniẽtes, quæ cõsumit sua deitate Christus, prælignatur enim per caput deitas. Calamus, nostræ infirmæ carnis symbolum est, quã suscepit Dominus, sicut & Dauid dicit, Dextera Domini exaltauit me. Auribus autẽ suscipiendo ignominias, sanauit serpentis sibilũ per aures Heuæ ingressum. Psal. 117

Et postq̃ illusissent ei, exuerũt eum chlamyde, & induerũt eum uestimẽtis suis, abduxerũt eum ut crucifigerent. Exeuntes autẽ inuenerunt hominẽ Cyrenæũ, nomine Simonẽ: hunc adegerunt ut tolleret crucem eius.] Tres dicũt Simonẽ portasse crucem Iesu, Ioãnes autẽ dicit ipsum Dominũ portasse. ueriſimile est autẽ utrunq; factũ. Primũ enim portauit Iesus crucem, cum nullus portare uellet. In uia autẽ inuento Simone, imposuerunt ei crucem. Tu autẽ & hic disce, q; Simon interpretari quis potest obedientiam. Qui igitur obedientiam habet, ille crucem Christi fert. Sed & Cyrene, quæ una Pentapoleos est, significat quinq; sensus cogendos ad ferendam crucem. B

Et uenerunt in locum qui dicitur Golgotha, q̃d est Caluariæ locus. Et dederunt ei acetum bibere cum felle mixtum: & cum gustasset, noluit bibere. Postq̃ autem crucifixerunt eum, diuiserunt uestimenta eius, sortem mittentes: ut impleret̃ quod dictum est per prophetã, Diuiserũt sibi uestimenta mea, & super uestem meã miserunt sortẽ. Et sedentes obseruabant eum illic, & imposuerũt super caput eius causam ipsius scriptam, Hic est Iesus rex Iudæorũ.] Cranij locus dictus est, eo q; dicũt qui traditiones patrũ tenẽt, q; Adã illic sepultus sit. Sicut em̃ in Adam omnes morimur, ita & in Christo omnes uiuificari oportebat nos. Ne turberis autẽ q; Euãgelistæ dicant, iste quidẽ acetũ cum felle allatũ esse Domino, & Marcus uinũ myrrhatũ, Ioannes uerò acetũ, & fel cum hyssopo. Multa em̃ à multis fiebant, ut in incõposita multitudine aliud alio faciente. Verisimile est igitur, alium quidem uinum protulisse: alium uerò acetũ cum felle. Multi autẽ mortis modi fuerũt, q̃uis in cruce moriatur Christus, ut & lignũ sanctificet per quod maledicti fuimus, & omnia benedicat: & cœlestia, quæ per suprẽmam partẽ crucis: & terrena, quæ per suppedaneũ: & fines terræ, orientẽ & occidentem, qui per transuersas partes crucis signant. Sed & extendit manus, ut in ulnas suscipiat & congreget filios Dei dispersos. Diuidunt autẽ uestimẽta eius milites, ut frugalis, & nihil aliud habentis. Titulũ autẽ quem dixit alius Euangelista, Matthæus dixit causam. Ascripserunt enim cuius gratia crucifixus esset, nempe ut rex Iudæorũ, & rerum nouator. Illi igitur regem ascripserunt pro accusatione. Veruntamen testimonium illud fidele etiam ab inimicis adductum. Rex quidem est Dominus, qui ad hoc uenit, ut saluet Iudæos. Quia autẽ carnales Iudæi noluerunt illum super se regnare, rex fit spiritualium Iudæorũ, hoc est confitentium. Iudęus enim confitens dicitur. Rom. 5 1. Cor. 15. Mar. 15 Ioan. 19. Iudæus.

Tũc crucifigunt̃ cũ eo duo latrones, unus à dextris, & alter à sinistris. Prætereũtes autẽ conuicia iaciebant in eum, mouentes capita sua, & dicentes, Tu ille qui destruebas templũ, & in triduo ædificabas, serua temetipsum: si filius Dei es, descẽde de cruce. Similiter & principes sacerdotũ, illudentes cum scribis & senioribus †, dicebant, Alios seruauit, semetipsum nõ potest seruare, Si rex Israel est, descendat nunc de cru- Ioan. 20 †Rom. codex addit, & pharisęis

ce,& credemus ei. Cõfidit in Deo, liberet eum nũc si uult eum: dixit enim, Filius Dei sum. Idipsum autẽ & latrones qui crucifixi erant cum eo, exprobrabãt ei.] In cõtumeliam Christi crucifixerũt cum eo duos latrones, ut ipse iniquus existimet cum illis. Figura autẽ erant duorũ populorũ, Iudaici & gentilis, qui uterq; præuaricatores erant & flagitiosi, ac exprobrantes Christo, sicut & primũ ambo latrones improperabant. Alter autem & posterior resipiscens, cõfessus est regem: ideo & dicebat, Memor esto mei in regno tuo. Sic & gẽtilis quoq; populus cõfessus est Christũ. Alter autẽ latro, Iudaicus populus blasphemabat. Diabolus autẽ submittebat dicentes, Si filius es Dei, descende de cruce, ut incitatus descẽdat de cruce, & intereat salus omniũ quæ est per crucẽ. At Christus, quia filius est Dei, nõ obediuit inimico: ut & tu discas q̃d nõ sit diaboli technis cedendum, sed bene operandum, etiã si homines male de nobis sentiãt.

Latrones crucifixi cũ Domino Iudæos & gentiles adumbrabant.

A sexta autẽ hora tenebræ factæ sunt super unıuersam terrã usq; ad horã nonã. Et circa horã nonã clamauit Iesus uoce magna, dicens, Heli, heli, lamasabachthani, hoc est, Deus meus Deus meus, cur dereliquisti me? Quidã autẽ illic stantiũ cũ audissent, dicebãt, Heliã uocat iste. Et cõtinuò currẽs unus ex eis, cũ acceptã spongiã implesset aceto, imposuit arũdini, dabatq; ei ut biberet. Cæteri uerò dicebãt, Sine, uideamus an ueniat Helias liberaturus eũ.] Tenebræ factæ nõ erãt iuxta naturæ ordinẽ, ut ex eclipsi solis naturaliter facta. neq; enim quãdo est decimaquarta luna, fit solis deliquiũ: cũ autẽ crucifigeret, omnino decimaquarta luna erat. pascha enim Hebræorũ tunc fiebat, unde super naturã erãt. Erãt autẽ in toto mũdo, nõ in parte mundi, sicut in Aegypto: ut mõstretur q̃d lugeat in passione conditoris creatura, & q̃ à Iudæa lux recesserit, Iudæi quoq; petentes signũ è cœlo, nũc uideãt solem obtenebrari. Sexta autẽ die homo est cõditus, qui & sexta hora de ligno comedit. Qua igitur hora Dñs hominẽ condidit, eadem & lapsum curauit. Sexta die & sexta hora cruci affixus est. Hebraico autẽ idiomate dicit propheticũ, ut mõstret q̃ nõ pugnet cum ueteri scriptura. Quod autẽ dicit, Vt q̃d me dereliquisti? ostendit se hominẽ uerũ, & nõ iuxta apparentiã. Siquidẽ homo cum uitæ sit cupidus, naturalẽ habet uiuẽdi appetitũ. Sicut enim in mœstitudine fuit ante crucẽ, ostendens timorẽ naturæ nostræ cõgruentẽ, sic & nunc inquit, Vt quid me dereliquisti? insinuans naturalẽ uiuendi cupiditatẽ. Etenim uerè homo erat, nobisq; per omnia similis, absq; peccato. Quidam autẽ hoc sic intellexerũt, q̃d saluator in se personã gerat Iudæorũ, & dicat, Vt quid dereliquisti Iudaicũ populum ô pater, ut tantum admittat peccatum, & perditioni tradatur? Christus enim tanq; ex Iudæis natus, dereliquisti me dicit, hoc est, meã cognationẽ, meumq; populum ut quid dereliquisti, ita ut per seipsum tale malũ faciat? Turbæ autẽ cum nõ intellexissent uocem illã, nempe agrestes, & imperitæ propheticorũ dictorum, putabant q̃ Heliam uocaret. Non enim omnes Iudæi prophetica sciebãt, sicut neq; nunc Christiani omnes fortè ea quæ in Euangelijs. Cæterũ acetum ei in potũ dabant, ut moreretur priusq; ueniret Helias adiuturus eum. Vnde alij dicunt: Sine, uideamus num ueniat Helias, liberaturus eum: hoc est, sine eum, ne facias mori, ut sciamus an iuuetur ab Helia.

Eclipsis in morte Christi innaturalis. Mar. 8 Luc. 11 Ioan. 10

Iesus autẽ cum iterum clamasset uoce magna, emisit spiritum. Et ecce uelum templi scissum est in duas partes à summo usq; ad imum. & terra mota est, & petræ scissæ sunt, & monumẽta aperta sunt, & multa corpora sanctorũ qui dormierãt, surrexerũt. Et egressi è monumẽtis post resurrectionẽ eius, uenerũt in sanctã ciuitatem, & apparuerũt multis.] Clamat uoce magna Iesus, ut sciamus uerũ esse q̃d dixit, Ego potestatem habeo ut ponã animã meã. Animã enim suam ponit sua potestate. Quæ autem erat uox? Pater, in manus tuas cõmendo spiritũ meũ. Non enim coactus, sed uoluntarius emisit spiritũ. Hoc enim significat, cõmendo. Insinuat autẽ se illam iterum repetiturũ. depositum enim & cõmodatum iterum assumit. Gratia autẽ Domino, q̃ illo moriente & spiritũ suum in manus patris cõmendante, ex eo tempore & sanctorũ animæ in manu Dei ponunt, & nõ, ut prius, in inferni penetralib. atq; ita mors Christi facta est sanctificatio nostra. Idcirco & magna uoce inclamat mortẽ, nõ audentem accedere nisi uocaret. Velum autẽ templi erat linteũ quoddã in medio tẽpli pendẽs, discernens q̃ ab his quæ intra, ea quæ extra, ut interstitiũ. Scinditur hoc, demõstrante Deo quòd templum inaccessum & nunquam uisum, cuius intima uelamen secludebat, soluatur & prophanetur, ita ut omnibus sit accessibile & spectabile. Nonnulli

Velum templi quid.

alias

A alias causas afferūt, & ꝙ reuelent omnia legalia, quæ prius litera ut uelamēto quodā erāt cooperta: & quæ prius obscura erāt, ac plena ænigmatibus, manifestent nunc in Christo impleta. Et sicut erat mos Iudęis in blasphemijs cōtra Deū scindere uestes, ita nūc quoq; diuinū templū quasi ægrè ferēs Christi mortē, disrupit uestē suā, hoc est uelum. Posset qs & alia dicere: sed hęc sufficiāt. Elemēta uerò cōmota declarāt eum qui patiebat, opificē suū, & factā rerum transmutationē. Scriptura enim terræmotū in rerum alteratione ponit. Facta igitur est mutatio uisitationis Dei à Iudæis in gētes. Et petræ, hoc est lapidea gentiliū corda, diuisa sunt, & susceperūt semen ueritatis. Et mortui peccatis surrexerūt, & uenerūt in ciuitatē sanctam, supernā illam Hierusalē, apparueruntq; multis per latam uiam incedentibus, & apparētes exemplar illis facti sunt uitæ bonæ & cōuersionis. Nam qui uiderit quempiā prius ab affectionib. suis mortuum, cōuersumq; & ingressum in sanctam illam quæ in cœlis est ciuitatē: imitatur illum per omnia, cōuertiturq; & ipse. Verùm hæc ita intellexisse curiosius fuerit. Tu autē cognosce ꝙ mortuorū resurrectio, quæ facta est in cruce Dñi, significarit & eorum qui in inferno fuerint, liberationē. Apparuerūt autē multis qui tunc resurrexerunt, ut ne phantasma esse uideretur quod fiebat. Resurrexerunt autē illi tantū signi gratia, manifestumq; est illud, ꝙ iterū mortui. Quidā autē dicūt ꝙ postq; Christus resurrexit, resurrexerint & illi, nec postea mortui sint: sed nescio an hoc sit recipiendū.

Scriptura terræmotū in rerū alteratione ponit.

Resurrexerunt in morte Domini multi iterū morituri.

Centurio uerò, & qui cum eo erāt custodientes Iesum, uiso terræmotu, & his quæ facta fuerant, timuerūt ualde, dicētes, Verè filius Dei erat iste. Erāt autē ibi mulieres multæ è longinquo spectantes, quæ secutæ fuerāt Iesum à Galilæa, ministrātes ei, inter quas erat Maria Magdalene, & Maria Iacobi, & Iose mater, & mater filiorū Zebedæi.] Centurio homo ethnicus signis credit cum his qui secū erant: Iudæi autē qui legem & prophetas audierant, increduli manent. Tantū malū est malignitas. Et testificatur hic Centurio Christū. Mulieres uerò spectantes ea quæ fiebant, ut sunt compa
B tientissimæ, & genus damnatū: primæ fruuntur bonorū cōtemplatione. Et discipuli quidem fugiunt, mulieres autē fortes sunt. Mariam autē matrem Iacobi & Iose, Deiparam dicit. Iacobus enim & Ioses filij erant Ioseph è priore eius uxore. Verū quia Deipara uxor Ioseph dicebatur, meritò & filiorū eius dicebatur mater, hoc est nouerca. Mater autē filiorū Zebedæi Salome dicebatur, quam & ipsam Ioseph filiā aiunt.

Ioseph uxorem cum liberis habuisse ostendit Theophylactus.

Vespere aūt facto uenit homo diues ab Arimathęa, nomine Ioseph, & ipse discipulus fuerat Iesu. Hic accessit ad Pilatū, ac postulauit corpus Iesu. Tūc Pilatus iussit reddi corpus. Et cū accepisset corpus Ioseph, inuoluit illud in sindone mūda, posuitq; illud in monumēto suo nouo ꝗd excideratin petra, & aduoluto saxo ingenti ad ostiū monumēti, abijt. Erāt autē ibi Maria Magdalene & altera Maria sedentes cōtra sepulchrū.] Delitescebat quidē olim Ioseph, nūc autē magnā rem audet, ponens animā suā pro corpore magistri, tantasq; inimicitias Iudęorū suscipiēs. Porrò pro magno dono donatū est illi corpus Iesu. nā cum ut seditiosus esset occisus, reliquū erat ut insepultus abijceret. Verū cum Ioseph diues esset, ueri simile est ꝙ Pilato aurū dederit. Proinde corpus ꝗd acceperat, honorificè tractās in sepulchro nouo recondidit, in quo nullus unq; positus erat: id ꝗd diuina dispensatione factū, ne cum resurrexisset Dñs, posset quis dicere ꝙ alius ante eum sepultus illic mortuus resurrexisset: & idcirco fuit monumentū nouum. Maria autē Magdalene, & altera Maria, hoc est Deipara, quā suprà dixerat Iose & Iacobi matrem, ambæ assederunt ad sepulturam: ita ut cum furor Iudæorū cessaret, abirent & abluerent corpus, ac inungerēt. De his mulieribus dicebat Esaias, Mulieres uenientes à spectaculo, uenite. nō enim populus est habens intellectum. Manifestè loquitur de Iudaico populo, qui crucifixerat Dominū, ꝙ nō habeat intellectū. Aduocat igitur mulieres, ut populū quidem intellectu carentē derelinque rent, ad apostolos autem accederent, & illis resurrectionis Euangeliū prædicarent.

Esaiæ 27

Postera autē die quæ sequitur parasceuen, cōuenerunt principes sacerdotū & pharisæi ad Pilatū dicentes, Domine, recordati sumus ꝙ impostor ille dixit adhuc uiuēs, Post tres dies resurgam. iube ergo muniri sepulchrum usq; in diem tertiū, nequando ueniāt discipuli eius noctu, & furent eum, dicātq; plebi, surrexit à mortuis: & erit nouissimus error peior illo priore. Ait illis Pilatus, Habetis custodiā. ite munite sicut scitis. Illi autē abeuntes munierūt sepulchrum, obsignato lapide, adhibitis custodibus.]

Non

Non nominat sabbatum, sabbatū: eo quòd nō erat sabbatū quantū ad Iudæorū insa- A
Deut.7. niā attinebat. Cum enim lex præcipiat ne quis se moueat die sabbati à loco suo: præ-
uaricatores Iudæi uadunt ad alienigenam Pilatū, & nō ad congregationē quam lex
permittebat. Et ipsi quidem sua malitia instigantur ut uadant ad Pilatū, & muniant
sepulchrum: Dei autē dispensatione hoc factum, ut resurrectio inimicis testibus com
probetur, dum sepulchrum munitur & custoditur. Interrogatione autem dignū, un-
de Iudæi sciebant Christum tertio die resurrecturum? Nondum enim Dominus nu
Marc.8. dè & manifestè eis hoc dixerat. Dici potest quòd à figura Ionæ cognouerint, præser-
Luc.11. tim cum Christus dixerit, Sicut Ionas fuit tribus diebus in uentre ceti, ita & ego in
Ion.2. uentre terræ. Vel ex illo quod dixit, Soluite templū hoc, quod prius nō intellexerūt,
Ioan.2. sed putabant q̄ de templo Iudaico sentiret, & ideo testimoniū hoc contra eum protu
lerunt: nunc autē ubi cognouerūt quòd sepulchrum dixerat corpus propriū, timent,
Custodia. & impostorem cognominant, neq̄ post mortem à malitia cessant. Cæterū custodia
Romanum nomen est. ita enim milites ad custodiendum ordinatos nominant.

CAPVT XXVIII.

Mar.16 VEspera autem sabbatorum, quæ lucescit in unam sabbatorū, uenit Maria Ma-
Luc.14. gdalene & altera Maria ut uiderent sepulchrum. Et ecce terræmotus factus est
Ioan.20. magnus. Angelus enim Domini descendit de cœlo, & accedens deuoluit lapidem
ab ostio, sedebatq̄ super eum Erat autē aspectus eius sicut fulgur, & uestimentū eius
candidum sicut nix. Præ timore autē eius concussi sunt custodes, & facti sunt uelut
mortui. Respondens autem angelus dixit mulieribus: Nolite timere uos. scio enim
quòd Iesum qui crucifixus est, quæritis. non est hic, surrexit enim, sicut dixit. Veni-
te, uidete locum ubi positus erat Dominus. Et citò euntes dicite discipulis eius quòd
surrexit à mortuis: & ecce præcedit uos in Galilæam: ibi eum uidebitis. ecce dixi uo-
bis. Et digressæ celeriter à monumento cum timore & gaudio magno currebant ut
Idem sunt uespera sab renunciarent discipulis eius.] Vespera sabbatorū eadem est cum profundo crepuscu B
batorū, pro lo diluculi apud Lucam, & ualde manè sole oriente apud Marcū. Solem enim eo lo-
fundum cre co intelligere debemus matutinos solis radios. Ab octaua eīm hora noctis principiū
puscului di- est futuri diei, & matutinū uidetur appetere. Tunc igitur uesperum erat sabbati, prin
luculi, & cipium autē dominici diei, quam unam sabbatorū nominat. Sabbata enim dicebant
ualde manè dies hebdomadæ. Vnam autem, hoc est primā, ita ut dominicus dies una sit sabbato
rum, hoc est prima dierum hebdomadis. Ad primam enim statim & secūda dicitur,
deinde tertia, & deinceps reliquæ. Resurrexit igitur Dominus lapide adhuc super
sepulchrum posito. Postquam autē resurrexit Dominus, & angelus uenit, ut deuolu
to lapide accessum habeant mulieres ad sepulchrū. Fit autē terræmotus, ut excitен-
tur custodes, & discant nouū quod fiebat. Surrexit igitur Dominus triduanus. Quo-
Quomodo modo autē tres dies? Sexta hora parasceues crucifixus est. ab illa usq̄ ad nonam fue-
Christus tri runt tenebræ, per has mihi noctem intelligas. Iterū à nona lux, hoc est dies, ecce diem
duanus. & noctem. Iterū nox parasceues, & dies sabbati. ecce secundò diem & noctē. Nox
quoq̄ sabbati, & diluculū dominicæ, iuxta Matthæū dicentē, quæ illucescebat in unā
sabbatorū. A diluculo enim & dies totus numeratur, ecce tertiò diem & noctem. Po
tes & aliter tres dies numerare. In parasceue tradidit spiritū, ecce unū diem. Sabbato
in sepulchro fuit, ecce secūdus dies. Nocte dominicæ resurrexit, à parte igitur nume
ratur & dominica in aliū diem, & ita tres dies, Nam & de defunctis dicimus, si unus
†diei moriat circa decimā horam †noctis, & alter circa primā eius diei, q̄ uterq̄ eodem die
sit mortuus. Possum tibi & aliam causam dicere quomodo tres dies & tres nocles nu
merentē. Attēde igitur, Quinta uespera fecit Dominus cœnā, & discipulis dixit, Acci
pite, & comedite, hoc est enim corpus meū. & ita quia potestatē habebat ponere ani
mam suam, manifestū q̄ tunc immolauerit seipsum, ex quo tradidit discipulis corpus
suum, nemo enim quicq̄ edit nisi prius mactatū fuerit. Numera igitur, uespері tradi
Tradendo dit corpus suum. Nox illa & dies parasceue usq̄ ad sextam horā, ecce unum diem &
se Christus noctem. Iterū à sexta hora tenebræ usq̄ ad nonam, & à nona lux usq̄ ad uesperā. ec-
discipulis, ce secundum diem & noctem. Iterū nox parasceues & dies sabbati, ecce tertiū diem
immolauit & noctem. Sabbato autem uesperi resurrexit: ecce tres integri dies & noctes. Iam q̄
se. angelum Matthæus dixit sedere super lapide, Marcus autem reuoluto lapide sedere

in dextris

A in dextris intra ſepulchrũ, nunqd inter ſe diſſidẽt? Minimè: ſed ueriſimile eſt apparuiſſe primũ angelũ ſedentẽ ſuper lapide: deinde ingrediẽtib. mulieribus præire mulieres, & iterũ apparuiſſe in ſepulchro à dextris. Dixit autẽ ad mulieres, Ne terreamini uos: hoc eſt, cuſtodes quidẽ digni ſunt qui terreant: uos autẽ diſcipulæ Dñi, ne terreamini. Et poſtq̃ liberauit eas à metu, euãgelizat eis reſurrectionẽ. Primũ enim timorẽ eiicere oportebat, & deinde euãgelizare. Nõ erubeſcit autẽ nominare Dominũ crucifixum. Gloriat enim cruce tanq̃ trophæo, quo nobis omnia bona conciliata ſunt.

Cum autẽ iſſent ad renunciandũ diſcipulis eius, ecce Ieſus occurrit illis dicens, Auete. Illæ autẽ acceſſerũt, & tenuerunt pedes eius, & adorauerũt eum. Tunc ait illis Ieſus, Nolite timere: ite renunciate fratrib. meis, ut eant in Galilæã, & ibi me uidebũt.] Dicit mulieribus, * Auete. Quoniã enim muliebre genus ad triſtitiã cõdemnatũ fuit, Dominus per reſurrectionẽ ſuã gaudiũ attulit fœmineo ſexui, & benedixit eis. At illæ præ multa reuerentia & honore propter pietatẽ pedes eius tenent, nõ audentes aliam corporis partẽ contingere, q̃q̃ extremas illas. Quidam autẽ dicũt dedita opera illas feciſſe, ut periculũ facerẽt num uerè ſurrexiſſet, & num ſpiritus ſit uel phantaſma. Exiſtimabãt enim ſpiritũ eſſe. Itaq̃ tunc duæ illæ Mariæ tangebant pedes eius. Verũ iuxta Ioannẽ Maria Magdalene attentat quidam tangere pedes, nõ conceditur autẽ ei, eo quòd uolebat ſemper manere cum eo ſicut prius. uel potius ideo nõ cõceditur ei tãgere Ieſum iuxta Ioannẽ, quòd curioſula erat. Quia enim, ſicut dixit Matthæus, tetigerat pedes eius, quid adhuc opus erat iterũ tangere? & ita repellitur uti curioſa.

Quæ cum abiiſſent, ecce quidã è cuſtodibus uenerũt in ciuitatẽ, ac renunciauerũt principibus ſacerdotũ omnia quæ acciderant. Et cõgregati cum ſenioribus, conſilio habito pecuniã copioſam dederunt militibus, dicentes, Dicite q̃ diſcipuli eius nocte uenerint, & furati ſint eum nobis dormientibus. Et ſi hoc auditũ fuerit à præſide, nos perſuadebimus ei, & ſecuros uos faciemus. At illi accepta pecunia fecerũt ſicut erant
B edocti: & diuulgatus eſt hic ſermo apud Iudæos uſq̃ in hodiernum diem.] Cuſtodes annunciauerũt omnia, quòd terræmotus factus ſit, quòd lapis per ſe ſublatus ſit, quòd ipſi territi facti fuerint quaſi mortui. At Iudæi tanto miraculo moti nõ ſunt, neq̃ demulſi miraculis quæ in paſſione contigerant, neq̃ placati illis quæ teſtificabantur cuſtodes. Suo malo, hoc eſt auaritia, milites corrumpunt. Perſuadere autẽ conantur, q̃d omniũ maximè impium & ſtultiſſimum fuerit dicere, quòd furto ſublatus eſſet. Quo pacto enim, ô ſtulti, furati eſſent diſcipuli, qui præ metu incluſi erant, & omnino exire non audebant? Quomodo autem ſi furto abſtuliſſent, poſtea propter illum mori uoluiſſent, prædicantes illum reſurrexiſſe, & pro mendacio malè affecti?

Vndecim autẽ diſcipuli abierũt in Galilæã in montẽ ubi conſtituerat illis Ieſus. Et cum uidiſſent illũ, adorauerũt eum. † hi autẽ dubitauerũt. Et accedẽs Ieſus locutus eſt eis dicẽs: Data eſt mihi omnis poteſtas in cœlo & in terra. Euntes ergo docete omnes gentes, baptizãtes eos in nomine patris & filij & ſpiritus ſancti, docentes eos ſeruare omnia quęcũq̃ præcepi uobis. Et ecce ego uobiſcũ ſum omnib. diebus uſq̃ ad cõſummationẽ ſeculi.] Secundũ Ioannẽ primũ diſcipulis uiſus eſt Ieſus ipſo die reſurrectionis clauſis ianuis: deinde poſt dies octo, quãdo & Thomas credidit: poſtremò, qa in Galilæã occurſuri erãt, nõdum autẽ omnes cõgregati erãt, ſed quidã piſcabant apud Tiberiadem, apparuit tunc piſcatoribus ſolis, qui ſeptem erant. Nunc igitur q̃d dicit Matthæus, poſterius factũ eſt q̃q̃ illa quæ à Ioanne dicta ſunt. Sæpe enim apparuit eis per dies quadraginta, accedens & abſcedens, nõ ſemper & ubiq̃ eis preſens. Vndecim igitur diſcipuli illi præcipui cum reliquis omnibus qui ſequebant Chriſtũ, adorabant eum. Hi autẽ dubitarũt, hoc eſt, quidam dubitarũt. Probabile eſt quòd ſic ſit intelligendum. Vndecim abierũt in Galilæam, & undecim adorauerũt illum. Hi autẽ, id eſt aliqui, fortè ex his qui ex ſeptuaginta erant, de Chriſto dubitarunt: poſtea autẽ & confirmati fuerunt. Nonnulli ſic intelligunt quod † Matthæus protulit quoſdam dubitaſſe, Ioannes uerò unum, nempe quòd Thomas incredulus erat. Fortè autem & omnes dubitarunt, id quod Lucas dicit. Debes igitur ſic intelligere, quòd cum ueniſſent in Galilæam, adorauerunt eum. Illi autem qui adorarũt in Galilæa, primùm dubitarunt in Hieruſalem, ſicut Lucas dicit. Loquutus eſt illis Ieſus, Data eſt mihi omnis poteſtas in cœlo & in terra. Hoc quidem hunc ſenſum habet: Habui quidem

ſicut

* χαίρετε, id eſt auete uel gaudete

Ioan. 20.

† ἐι δὲ, id eſt quidã autẽ

Ioan. 20. & 21.

† Matthęus quidem nõ expreſſerit quinam dubitaſſent. quod autẽ iſte omiſit, Ioãnes dixit

Psal. 118. sicut Deus & opifex potestatem omnium: quia omnia seruiũt tibi, dixit ad eum Da- A
uid: sed uoluntariam subiectionem non habui, quam nunc habiturus sum. Subiecta
enim erunt mihi omnia: quandoquidem per crucem uici eum qui potestatem habet
Duplex obedientia. mortis. Duplex enim est obedientia & subiectio. Inuoluntaria scilicet, secundũ quam
omnes sumus serui Dei, etiã inuiti quẽadmodũ & dæmones ipsi: & uoluntaria, quo-
modo Paulus erat seruus Christi. Cum prius omnia solam obedientiã inuoluntariã
exhiberent, & saluator omniũ potestatẽ quasi dimidiatam haberet: post crucẽ, cum
Dei cognitio innotesceret omnibus, habuit etiam uoluntariè obedientes omnes qui
subiecti fuerũt. Meritò igitur dicit Christus, Nunc accepi potestatẽ omnẽ, prius ẽm
partiaria potestas mihi erat, eo ꝙ præter uoluntatem mihi ueluti factori seruiebant:
nunc autem cum homines sponte & scientes mihi seruiũt, omnis & integra potestas
mihi data est. A quo autem data est illi? Omnino à semetipso habuit, & sua humilita-
te. Nisi enim humiliatus fuisset, & cõgressus cum aduersario per crucem, nõ saluasset
nos. Et sic intellige, Data est mihi omnis potestas, proprijs meis certaminib. & labori
bus seruaui homines, & facti sunt mihi in sortẽ & peculiarẽ populũ. Dominus enim
super terrã potestatẽ habet, eo ꝙ omnis terra agnouit illum: in cœlo autem, eo quòd
merces ac municipatus illorum qui credunt, in cœlo est. Vel etiã aliter, Quia huma-
na natura prius condemnata, nunc unita Dei uerbo personaliter in cœlo sedet, & ab
angelis adoratur, meritò dicit, Data est mihi omnis potestas in cœlo. Etenim humana
natura prius seruiebat, nunc in Christo imperat omnib. Breuiter igitur sic intellige,
Data est mihi omnis potestas. Nam si tanꝯ à Dei uerbo dictũ intelligas, Data est mi
hi omnis potestas, eo ꝙ uolentes & nolentes me Deum agnoscunt, qui prius mihi ser
uiebant inuoluntariæ obedientiæ modo. Si autẽ de humana natura dicitur, sic intelli
ge, Ego prius cõdemnata natura, existens autem Deus secũdum unionem ad filium
Dei absꝯ naturarũ cõfusione, accepi potestatem super omnia, ita ut & ab angelis in
cœlo adorer, & super terram ab omnibus finibus terræ glorificer. Cæterũ Apostolos B
nõ iam ad solos Iudæos mittit: sed quia omnem potestatem accepit, omnemꝯ huma
nam naturã sanctificauit in seipso: meritò ad omnes gentes mittit, præcipiens bapti-
Arrius & Sabellius. zari in nomine patris & filij & spiritus sancti. Confundant Arrius & Sabellius. Ar-
rius quidem, eo quòd Christus nõ iussit in nominibus baptizari, sed in nomine. No
†unũ nempe deitas men autem trium, † una Deitas.] Vnus igitur Deus, tres. Sabellius uerò eo ꝙ trium
personarũ meminit Dominus, nõ unius, sicut ille nugatur tria nomina habere eun-
dem, & nunc uocari patrem, nunc filium, nunc spiritũ sanctũ: sed tres personæ unum
Non sat baptizari, sed post bene operari oportet. habent nomen, Dei scilicet. Deinde quia nõ sufficit baptizari tantùm, sed etiã bene
operandum est post baptisma, dicit, Docentes eos seruare omnia quæcunꝯ præcepi
uobis, non unũ uel duo, sed omnia mandata mea. Horrescamus & timeamus fratres,
quia si unum nobis defecerit, nõ erimus perfecti serui Christi. Omnia enim exigunt
ut seruent. Vide autem Dñi sermonẽ, quomodo utrunꝯ Christianismi caput cõple-
Duo Christianismi capita. ctatur: contemplatiuã & practicã uirtutẽ. Dicendo quidem ꝙ oporteat baptizari in
nomine Trinitatis, cõtemplatiuã nobis tradidit: dicendo autẽ quòd oporteat docere
& mãdata tenere, practicã introduxit. Cõfirmat quoꝯ & animat illos, eo ꝙ mittat ad
gentes, & in mortẽ ac pericula, dicens, Ego enim uobiscũ sum usꝯ ad cõsummatio-
nem seculi. Vide & istud, quomodo memor fuerit cõsummationis, ut magis illos ex-
Finem habitura omnia prospera et acerba. citet ad cõtemnendũ grauia. Ne grauatim feratis: finem enim habitura sunt omnia
mũdana, siue aspera sint, siue prospera: atꝯ ideo ne succũbatis in aduersis, prætereũt
enim: neꝯ prosperis decipiamini: finem enim habitura sunt. Nõ solùm autẽ hoc apo
stolis est pollicitus, ꝙ cum ipsis sit, sed simpliciter discipulis suis omnib. Neꝯ enim A-
postoli usꝯ ad finẽ mundi uicturi erant: unde & nobis, & his qui post nos erunt, pro-
misit hoc: nõ ꝙ ante cõsummationẽ præsens, post consummationẽ mundi abfuturus
Donec & usque in sacris literis non adimere subsequentia. sit. absit. Tunc enim magis nobis aderit, & clarius, & mundius. Nam ubi donec uel
usꝯ in scriptura inuenitur, nõ adimit quod posterius. Quocirca gratias agamus Do-
mino, qui & nunc nobiscum est, & omne bonum suppeditat, & iterum nobiscum e-
rit perfectius post consummationem. Itaꝯ nos quoꝯ hoc loco enarratio-
nem absoluamus. Ipsum enim omnis gratiarum actio, gloria,
& honor decet in secula seculorum. Amen.

IN

A

IN EVANGELIVM SECVNDVM Marcum Argumentum.

EVangelium secundum Marcum, post decem annos assumpti Christi Romæ conscriptum est. Erat autem hic Marcus Petri discipulus, quem Petrus semper filium suum spiritualem nominabat. Vocabatur & Iohannes. Patruelis uero erat Barnabæ fuit item & in Pauli comitatu. Quoniam igitur plurimũ uersabatur cum Petro, idq; Romæ rogatus est à fidelib. qui Romæ erant, ne tantum prædicaret absq; scripturis, sed & res Christi literis proderet. Itaque utx persuasus, conscripsit. Porrò à Deo reuelatum fuit Petro quòd Marcus conscripsisset Euangelium. Proinde quum uidisset, & uerum esse cõfirmasset, deinde in Aegyptum misit illum, ut episcopatu fungeretur. Vbi quum præcasset, & ecclesiam Alexandrinam constituisset, omnes qui meridianam mundi partem habitabant, fide illustrant. Est autem character Euangelij manifestus, nihilq; habet quo mens hæreat. Et fermè per omnia cum Matthæo eundem habet processum hic Euangelista, nisi q; Matthæus diffusior, & q; natiuitatis Christi secundũ carnem, ab initio est memor: hic autem à propheta Ioanne cœpit. Vnde quidam, tametsi curiosior uideatur, talem sententiam super Euangelistis dedit, quòd Deus sedens super Cherubim (quæ scriptura quatuor faciebus delineat) tradiderit nobis quadriforme Euangelium, uno tamen spiritu comprehensum. Igitur sicut ex Cherubim unum, factem habet leoni similem, aliud autem homini, & aliud aquilæ, & aliud uitulo uta est & Euangelicæ prædicationis negocium Euangelium enim Iohannis leonina facie est. Vt enim leo regium & principale animal est, sic & Iohannes à regia & principali dignitate uerbi diuini exorsus est, dicẽs, In principio erat uerbum, & uerbum erat apud Deum. Euangelium autem Matthæi faciem gerit hominis, eo quòd Euangelista ille ab incarnatione uerbi & natiuitate carnis cœpit. Porrò Marcum aquilæ assimilamus. à propheta enim Iohanne incepit. Et prophetica gratia, quia uidet procul sita acutè, aquila est. Aiunt enim aquilam perspicacissimis oculis esse, ita ut sola ex alijs ambus solem intueus, non caliget. Denicq; Euangelium Lucæ uitulo simile fuerit, quoniam ille à sacerdotio Zachariæ auspicatus est, pro peccatis populi incensum facientis & sacrificantis. Vitulus tunc sacrificabatur. Exorditur itaque Marcus euangelium suum à præcursoris uita & reuelatione. Audi igitur quid dicat:

Euangeliũ Marci quãdo & ubi scriptum.

Character Euangelij Marci.

Sententia quorundã super euangelistis.

Ratio comparationis quatuor euangeliorum, Ioannis, Matthei Marci, Lucæ.

CAPVT I.

INITIVM Euangelij Iesu Christi filij Dei, sicut scriptum est in prophetis, Ecce ego mitto † nunciũ meum ante faciem tuam, qui præparabit uiam tuam ante te. Vox clamantis in deserto, Parate uiam Domini, rectas facite semitas eius.] Ioannem ultimum prophetarũ initium Euangelij filij Dei esse dicit. Finis enim ueteris, initium est noui testamenti. Testimonium autem de præcursore ex duobus prophetis est sumptum. Malachiæ enim est, Ecce ego mitto angelum meum ante faciem tuam, qui præparabit uiam ante te. Esaiæ autem, Vox clamantis in deser. &c. Sermo est Dei patris ad filium, dicentis angelum esse præcursorem, eo quòd angelicam & materiæ expertem uitam egerit, annunciauerit & ostenderit Christum uenientem. Præparauit uiam Domini, animas Iudæorum, ut per baptismũ susciperẽt Christum. Cæterũ ante faciem tuam significat prope te fore angelum tuum. Vnde ostenditr familiaritas præcursoris erga Christum. Nam proximè reges incedunt, qui familiarissimi illis sunt. Vox autem clamãtis in deserto, fortè in deserto Iordanis, uel fortè in synagoga Iudæorum, quæ deserta erat omni bono. Via autem nouum est testamentum: semitæ uerò uetus, ut detritę. Itaq; ad uiam debebant præparari, hoc est ad nouum testamentum: Semitas autem ueteris rectas facere, quas olim quidem susceperant, deinde peruersi & claudicantes à semitis suis inuenti.

B

† angelum Mala. 3. Esaiæ 40. Matt 3. 11. Luc. 3. 7.

Via. Semitæ.

Erat Ioannes baptizans in deserto, & prædicans baptisma pœnitentiæ in remissionem peccatorũ. Et egrediebantur ad eum tota regio Iudæa ac Hierosolymitę & baptizabant omnes ab illo in Iordane flumine, confitentes peccata sua.] Baptisma Ioannis non habebat remissionem peccatorum, sed pœnitentiam solam afferebat hominibus. Quo pacto igitur inquit hoc loco Marcus, in remissionem peccatorum? Dicimus quòd prædicarit baptismum pœnitentiæ, hoc est prædicauit quò ferret baptismus pœnitentiæ, nempe in remissionem peccatorum, hoc est in Christi baptisma quod habebat peccatorum remissionem, ut quãdo dicimus, Venit quidam satelles regis prædicans ciborum præparationem, ut bene fiat his qui præparant cibos regios: non dicimus hoc, quòd satelles benefacturus sit his qui præparant regios cibos, sed q; ipse prædicarit præparationẽ ciborum, ut hi qui illos præpararint, regemq; susceperint, beneficia cõsequant. Sic igit & hoc loco præcursor prædicauit baptisma pœnitẽtię ut hi qui pœnitẽtiã egerint, susceptoChristo remissionẽ peccatorũ consequant.

Baptisma Ioannis quale. Comparatio pulchra.

Erat autem Ioannes uestitus pilis cameli, & zona pellicea circa lumbos suos, uesce A
baturq; locustis ac melle syluestri.] Diximus de his apud Matthæum, & nunc quoq; di
cemus quæ illic prętermissa sunt, quia luctus symbolū erat indumentum, monstrante
propheta quòd oporteat lugere pœnitentem. Saccus enim ad luctum pertinet. Pelli
cea uerò zona mortificationem declarat Iudaici populi. Quòd autem luctum indi-
cet stola inquit Dominus, Lamentauimus uos, & non planxistis. per lamentum, prę
cursoris uitam significans. dicit enim, Venit Ioannes neq; comedens neq; bibens, &
dixistis, Dæmonium habet. Sed omnino quidem & hic cibus Ioannis continentiam
manifestat. fortassis autem & indicium erat spiritualis alimoniæ populi qui tunc erat,
qui non comedebat puras quasdam cœli uolucres, neq; sublime quiddam intellige-
bat, sed sermone quidem pascebatur, qui uisus est in sublime saltitare, sed rursus sta
tim decidit. Locustarum enim natura est subsultare, iterumq; decidere. Quodammo
do igitur & mel quidem edebat populus, quod ab apibus prophetis confectum, non
autem agricultura partum, neq; domesticum, q̄d bene intelligeretur, inquireret, &
comprehenderetur. Habebant quidam scripturas quasi mel quoddam, sed ipsi non
excolebant eas, neq; scrutabantur.

Saccus Pellicea zona. Matth. 11.

Locustarū natura.

Et prædicabat dicens, Venit is qui fortior me est, post me, cuius calceamentorū cor
rigiam ut procumbens soluam, non sum idoneus. Ego quidem baptizaui uos aqua,
ille uerò baptizabit uos spiritu sancto.] Neq; nouissimus seruorum eius esse dignus
sum, ita ut soluam corrigiam, hoc est uinculum quod ex loris est calceamenti eius. In
tellgitur autem & hoc modo, Omnes qui ueniebant & baptizabantur à Ioanne, sol
uebantur per pœnitentiam à uinculo peccatorum suorum, dum credebāt in Christū.
Omnium igit aliorū soluebat Ioannes corrigias & uincula peccatorū: Iesu aūt corri-
giam soluere non potuit, eo quòd non inuenit corrigiam, hoc est peccatum in ipso.

Et factū est in diebus illis, uenit Iesus à Nazareth Galilææ, & baptizatus est à Ioan
ne in Iordane. Et statim cum ascenderet ex aqua, uidit dissindi cœlos, & spiritū quasi
columbam descendentem super illum: & uox facta est de cœlis, Tu es ille filius meus B
dilectus, in quo mihi bene cōplacitum est.] Neq; ut remitterentur sibi peccata, uenit
Iesus ad baptisma: (peccatum enim non fecit) neq; ut spiritus particeps fieret: bapti-
sma enim Ioannis (sicut dixi) peccata non purgabat, quomodo enim spiritum dedis-
set? Sed neq; propter pœnitentiam uenit ut baptizaretur: multo enim præstantior e-
rat Baptista. Quare igitur uenit? Vel omnino ut manifestaretur à Ioāne populo. Nā
quia multi confluebant, apparet q; ideo uenerit, ut testimoniū acciperet coram mul
tis quis esset. Vel ut impleret omnē iusticiā, hoc est omnia mandata legis. Quoniā e-
nim & hoc mandatū uidetur, ut credat prophetæ baptizanti, q; à Deo missus sit, im-
plet & ipsum. Spiritus uerò descendit, nō q; opus illo habeat Christus: quomodo ēm
hoc possibile, cum in eo substantialiter maneat? sed ut tu discas q; quādo baptizaris,
etiam in te spiritus sanctus ueniat. Interea & hoc operat spiritus sancti descensus, ne
cum pater supernè diceret, Hic est ille filius meus, putarent qui audierant, q; de Ioan-
ne dixisset. descendit super Iesum, ostendēs q; de hoc dictum sit. Porrò cœli dissindū
tur, ut discamus quòd quando baptizamur, aperiantur & nobis.

Cur Christus uenerit ad baptisma.

Baptizatis spiritus datur, cœlūq; aperitur.

Et continuò spiritus illum expulit in desertum, & erat illic in deserto dies quadra-
ginta, & tentabatur à satana, eratq; cum feris, & angeli ministrabāt illi.] Docens nos
Dominus non grauatim ferre, si post baptismum in tentationes inciderimus, eius gra
tia ascendit in montem tentandus. Immo non ascendit, sed sursum ducitur à spiritū
sancto, demonstrans nobis, non temerè nos in tentationes proijcere debere, sed ferre
si impetamur. Propterea autem ascendit in montem, ut solitudine loci diabolus ani
mosior fiat, & accedat. Solet enim cum nos uiderit solitarios, statim insidiari. Iam a-
deò inaccessus erat locus, ut & multæ feræ illic essent. Cæterùm angeli ministrabant
cum tentatus uicisset: quæ disces in Matthæo latius.

Ne in tentationes nos temere conijciamus.

Matt. 4.

Postquam autem comprehensus esset Ioannes, uenit Iesus in Galilęā, prædicans
Euangelium regni Dei, & dicens, Impleta est tēpus, instatq; regnū Dei, Resipiscite,
& credite Euangelio.] Secedit in Galilęam postquam audiuit Ioannem comprehen
sum, & in carcerem coniectum: quo monstraret etiam nobis ut subducamus nos à
tentationibus, & non temerè nos ingeramus: ubi autem inciderimus, feramus. Ap-

paret

paret aũt Dñs eadẽ prędicans, quæ Ioannes, nempe, Resipiscite, & appropinquabit re
A gnum Dei. Sed non est ita, Ioannes enim dicebat, Resipiscite ut abscederent à pec- *Aliud intelligendũ cum Ioannes dicit, Resipiscite aliud cum Christus.*
catis: Christus aũt resipiscite dicit, ut à legali litera fugerent. Ideo apposuit, & credite
Euangelio. Credens ẽm, p Euangeliũ iam aboleuit legẽ. Dicit ẽm Dominus impletũ
esse tẽpus legis. Enimuero in id uicp temporis lex operabat, inqt: ab hoc aũt tẽpore re
gnũ Dei, qd est uita Euangelica, quę merito illi cõferẽ. Nam si quempiã uideris quasi
absq; carne uiuere uitã Euãgelicã, an nõ diceres q regnum cœlorum iam habeat, eo
quòd non sit in illo cibus & potus, etiam si longè abesse uideatur? *Matth. 11. Lucæ 19. Regnum Dei, uita euangelica.*

Cum ambularet aũt iuxta mare Galilęę, uidit Simonem & Andreã fratrẽ eius ia-
cientes retia in mare (erant enim piscatores) & dixit eis Iesus, Sequimini me, & faciã
ut efficiamini piscatores hominũ. At illi, ptinus relictis retibus suis secuti sunt eum.
Et progressus illinc pusillũ, uidit Iacobũ filium Zebedęi, & Ioannem fratrem eius, q
& ipsi in naui reconcinnabant retia, statimq; uocauit illos: & illi relicto patre suo Ze
bedæo in naui cum mercenarijs, secuti sunt eum.] Præcursoris discipuli erãt Petrus
& Andreas. Cum autem audissent Iesum à Ioanne testimonium accepisse, adierunt
eum. Deinde postquàm Ioannes cõprehensus fuit, mœsti facti iterum ad artẽ suã re-
dierunt: unde illos Christus secundo uocat. Secunda enim uocatio ista est. Vide aũt *Secunda apostolorum uocatio.*
quomodo illi iustis laboribus sese enutriant, & non ex iniustis. Tales enim digni e-
rant qui primi fierent discipuli Christi. Relictis igitur statim his quæ in manibus erãt
secuti sunt eum. Non enim morę nectendæ sunt, sed statim sequendum est. Post illos
piscatur Iacobum & Ioannem, qui & ipsi pauperes erant, & patrem senio cõfectum
alebant. Porrò reliquerũt patrem, non q bonum sit relinquere parentes, sed quia im- *Quomodo & quando parentes relinquendi.*
pedimento futurus erat secuturis Christum. Sic & tu relinque parentes si ad pietatẽ
tibi obstiterint: & id qd bonum, amplexare. Apparet Zebedęum non credidisse, ma
ter autem Apostolorum credidit, & sequebatur fortasis mortuo Zebedęo. Scias itẽ
primum uocari practicen, dein contẽplatiuam. Petrus enim practices symbolum est:
feruentior enim erat alijs, sicut & practice est. Ioannes uerò comtemplatiuam signifi
B. cat: plus enim de rebus diuinis disserit Ioannes.

Et ingrediuntur Capernaum: & statim sabbatis ingressus in synagogam docebat.
& stupescebant super doctrina eius. Docebat enim eos tanquàm authoritate prædi-
tus, & non sicut scribæ.] Vnde ingrediuntur Capernaum? A Nazareth. Itaq; in die
sabbati cum congregati essent legentes, tunc & Christus ingressus est ut doceret. Ete
nim lex etiam iusit ociosos esse in sabbato, ut lectioni uacent homines, qui in hoc
congregantur. Docebat igitur tunc Christus arguens, nõ adulans, sicut phariseę. Nã *Christus arguit, pharisęi adulantur.*
cum ad bonum adhortaretur, minabatur & pœnam incredulis.

Et erat in synagoga eorũ homo obnoxius spiritui immundo, & exclamauit dicens,
Ah, quid rei nobis est tecum Iesu Nazarene? Venisti ad perdendũ nos? Noui te q sis,
nimirum ille sanctus Dei. Et increpauit illum Iesus, dicens, Obmutesce, & exi ab ho-
mine. Et cum discerpsisset eum spiritus immundus, exclamassetq; uoce magna, exijt
ab eo. Et obstupuerunt omnes, ita ut interrogarent inter se mutuum, dicentes, Quid
est hoc? Quæ doctrina noua hæc, quia cum autoritate etiam spiritibus immundis
imperat, & obediunt ei? Emanauit autem fama eius statim in totam undiq; re-
gionem Galilææ finitimã.] Immundi dicunt mali spiritus, eo q omnibus fœdis operi- *Immundi spiritus.*
bus delectant, perditionemq; suã existimat dęmon egredi ab homine. Dęmones ẽm
quia omnis misericordię expertes sunt, malun quiddam sustinere se putant nisi per-
mittatur eis affligere homines. Insuper quoniam & carnem amant, & pasci solẽt ma
terialibus uaporibus, magnã ferunt inediam nisi in corpore habitent. Idcirco & Do
minus dicit ieiunio egredi dæmoniorum genus. Non dixit autẽ immundus iste, Sã *Matt. 17. Infrà 19. Dæmones etiam uera dicentes cohibendi.*
ctus es (multi enim prophetę sancti fuerunt) sed, ille sanctus, adiectione articuli, ille,
unicus & prædefinitus. Christus uerò obmutescere eum facit, ut discamus dęmones
etiam uera dicentes confutandos, & non audiendos. Discerpebat autem & proijcie-
bat illum dæmon, ut homines uisa mali magnitudine, per miraculum credant.

Et protinus é synadoga † egressi uenerunt in domum Simonis & Andreæ, cum Ia
cobo & Ioanne. Socrus autem Simonis decumbebat febricitans, & continuò dicunt
ei de illa. Et accedens erexit eam apprehensa manu eius: & reliquit eam febris illico,

† egressus uenit

ac miniſtrabat eis.] Seceſsit, ut mos erat, in ſabbato ad ueſperam in conuiuiũ in do A
mum diſcipulorum. Porrò illa quæ miniſtrare debebat, febri laborabat: unde ille eã
ſanat, & ipſa illis miniſtrat. Qui ſermo indicat, q̃ ſi morbo quopiã laborantes ſanet
nos Deus, dono utamur ad ſanctorum & Chriſti miniſterium. Febricitat autem, qui
iraſcitur, qui temeraria manu eſt: ſed ſi uerbum apprehenderit manum eius, & nõ te
mere extenderit illam, miniſtrabit uerbo, qui antea præ ira febri laborabat.

Veſperi uerò cum occidiſſet ſol, afferebãt ad eum omnes male habentes, & eos qui
à dæmonijs agitabantur, & ciuitas tota cõgregata erat ad oſtium, & ſanauit multos qui
ægrotabant uarijs morbis, & dæmonia multa eijciebat, & non ſinebat loqui dæmo-
nia q̃ noſſent ipſum.] Non abſq; cauſa addidit, cum occidiſſet ſol, ſed q̃a putabãt nõ
licere cuipiã ſanare die ſabbati, eius gratia expectabant uſq; ad ſolis occaſum, & tũc
afferebant curandos. Multos aũt ſanauit, hoc eſt, omnes, omnes enim, multi. uel non
omnes ſanauit, quia quidam erant increduli, qui non ſanati ſunt propter incredulita-
tem ſuam: ſed q̃ multos ex oblatis ſanauit, ſignum fuit credidiſſe illos. Porro non ſi
nebat dęmonia loqui, ſicut dixi, docens nos ne credamus eis etiam ſi uera dicant. Nã
cum quoſdam dum mẽtiuntur inueniunt omnino credentes ſibi: quid non fieret ſi
Act. 16. & ueris falſa permiſcerent? Ita & Paulus prohibuit ſpiritum pythonicum dicentẽ ho
mines illos ſeruos eſſe Dei altiſſimi. Non enim uolebat ſanctus ab immundo ore
commendari, & teſtimonium accipere.

Et mane multa adhuc nocte ſurrexit, & egreſſus eſt & abijt Ieſus in deſertum lo-
cum, ibiq; orabat: & ꝓſecutus eſt eum Simõ, & cum illo erant, & q̃ cum inueniſſent
eum, Dicunt ei, Omnes te quærunt. Et ait illis: Eamus in ꝓximos uicos, ut & ibi præ
dicem, in hoc eñ egreſſus ſum. Et prædicabat in ſynagogis eorum in tota Galilæa, &
dęmonia eijciebat.] Poſtq̃ ſanauit ęgros, ſeceſsit: docẽs nos nequid ad oſtentationẽ fa
ciamus, & ſi q̃d boni fecerimus ſtudeamus illud occultare.] Precat autẽ oſtendẽs Deo
offerendum ſi quid boni fecerimus, & dicendũ ad illum, q̃d omne donum bonum ſu
perne à te deſcendat. Neq; eñ ipſe oratione indigebat. Cum autẽ ipſum quærerent B
turbę & deſiderarent, non difficilem ſe reddit, ſed approbat eorum deſiderium, uaditq;
etiam ad alios qui ſua indigebant doctrina. Neq; enim uno loco circunſcribenda e-
rat doctrina, ſed ubiq; diffundendi erant radij ſermonis. Vide aũt quomodo doctri-
nę actionem cõiungat. Prędicat enim, & dęmonia eijcit. ſic & tu quoq; cum docue-
ris, etiam opera bona fac, ne uanus ſit ſermo tuus. Niſi enim Chriſtus etiam miracula
adiecisſet, uanus fuiſſet habitus ſermo eius.

Matth. 8. Luc. 5. Et uenit ad eum leproſus deprecans eum, eiq; ad genua accidens, ac dicens illi, Si
uis potes me mũdare. Ieſus aũt miſertus, ꝓtenſa manu tetigit illum, & dixit ei, Volo,
mũdus eſto. Et cum dixiſſet, ſtatim diſceſsit ab eo lepra, & mundatus eſt.] Fidelis erat
leꝓſus ille, & bene ſentiebat, quia nõ dixit, ſi rogaueris Deũ, ſed ſi uis: credẽs in eum
Leu. 14. tanquã Deũ. Tãgit autẽ eum Chriſtus, ut doceat nihil immundũ eſſe. Lex eñ iube-
Num. 31. bat nõ tãgenduu leꝓſum, ut immundũ: ſed ſaluator oſtendẽs nihil eſſe immundũ na
tura, & abolendã legis obſeruationẽ, & q̃ illa puris hominib. data fuerit, tãgit lepro-
4. Regũ 5. ſum: quãuis Heliſæus uſq; adeò legem obſeruauerit, & reueritus fuerit, ut Naaman
leproſum, & ſanari petentem, ne reſpiciendum quidem putarit.

Et comminatus ei, ſtatim emiſit illum, dicitq; ei, Vide ne cui quicquam dicas: ſed
abi, teipſum oſtende ſacerdoti, & offer pro emundatione tui quæ præcepit Moyſes,
in teſtimonium illis. At ille egreſſus cœpit prædicare multa, & diuulgare ſermonem,
ita ut non poſſet Ieſus manifeſtè introire in ciuitatem, ſed foris in deſertis locis erat,
& ueniebant ad eum undiq;.] Et per hæc docemur ne ad oſtentationem bona facia-
Bona non facienda ad oſtentationem. mus. Ecce ipſe prohibebat purificato ne ipſum prædicaret, tametſi non ignoraret il-
lum non obtemperaturum, ſed prædicaturum. Verùm per hæc, ſicut dixi, docet nos
alienos ab arrogantia eſſe. Et prohibet ne cui quippiam dicamus: quãuis deceat eum
qui beneficio affectus eſt, gratum eſſe & officioſum, etiamſi non indigeat is qui be-
ne meruit. Vnde leproſus etiam prohibente Domino beneficium prædicauit. Miſit
autem illum ad ſacerdotem, eo quòd lex præceperat nõ licere leproſum in ciuitatem
Leuit. 5. ingredi, niſi à ſacerdote mundus eſſet declaratus. Proinde & donũ quod ſolebant pu
rificati offerre iuſsit, quò teſtaretur ſe non eſſe aduerſarium legis, ſed adeò amicũ, ut

& le-

ut & leproſo ea quæ legis ſunt præciperet.

CAPVT II.

A ET iterum intrauit in Capernaū poſt dies aliquot, & auditum eſt q̄ in domo eſſet, & protinus congregati ſunt multi, adeò ut iam nō caperēt eos, nec illa loca quæ erant circa ianuam, & loquebatur eis ſermonem. Et ueniunt ad eum ferentes paralyticum quē à quatuor portabatur: & cum nō poſſent appropinquare illi præ turba, nudauerunt tectum ædium in quibus erat: perfoſſoq̄ tecto funibus demittunt grabatum in quo paralyticus decumbebat. Cum autem uidiſſet Ieſus fidem illorum, ait paralytico, Fili, remittuntur tibi peccata tua. Illud δι' ἡμερῶν, id eſt, p dies, poſuit pro præteritis aliquot diebus. Poſtquam autem ingreſſus eſſet, audiſſentq̄ quòd in domo eſſet, concurrerunt, ſperantes fore ut facile cum eo cōuerſarentur. Magna illorum fides, ut & tectū aperirent, & demitterent, idcirco & Dominus ſanat, eorum fide uiſa, fide (inquam) tam eorum qui illum geſtauerant, quàm paralytici ipſius. Etenim ipſe nō permiſiſſet ſe tolli, niſi ſanandum ſe credidiſſet. Sæpe enim propter offerentis fidem ſanat eos qui afferuntur, incredulos: ſæpe etiam ediuerſo propter eum qui affertur, tametſi increduli ſint qui afferant. Primùm autem peccata dimittit infirmo, & morbum ſanat. Nam ex peccatis difficiliores morbi oriri ſolent, ſicut quendam apud Ioānem Dominus dicit ob peccata in paralyſin incidiſſe. Non eſt enim apud Ioannem is cuius nunc fit mentio. Nam qui apud Ioānem, non habebat hominem: hic autem de quo nunc loquitur, à quatuor ferebat: & ille in piſcina, q̄batica, hic aūt nunc in domo: & hic erat Capernaum, ille uerò Hieroſolymis. & aliæ quędam differentiæ ſunt. Verùm ſcias unum eſſe & illum apud Matthæum, & hunc de quo nunc fit mentio.

Ioan. 5.

Matth. 9.

Erāt autem illic quidam de ſcribis ſedentes & cogitantes in cordibus ſuis, Quid hic ſic loquit̄ blaſphemias? Quis poteſt remittere peccata, niſi ſolus Deus? Et protinus ubi cognouit Ieſus ſpiritu ſuo q̄ ſic cogitarēt intra ſeſe, dicit illis, Quid iſta cogitatis in cordibus ueſtris? Vtrum eſt facilius dicere paralytico, remittuntur tibi peccata: an dicere, ſurge, & tolle grabatū tuum & ambula? Vt aūt ſciatis q̄ filius hominis habet poteſtatem in terra remittendi peccata, ait paralytico, Tibi dico, ſurge, ac tolle grabatum
B tuum, & abi in domum tuam. Et ſtatim ſurrexit: ſublatoq̄ grabato egreſſus eſt in cō ſpectu omnium, adeò ut ſtupeſcerent omnes, & glorificarent Deum, dicentes, Nunquàm ſic uidimus.] Phariſęi quidem arguebāt Dominum ut blaſphemum, q̄ remitteret peccata. Solius enim Dei eſt remittere peccata. Dominus autem & aliud dedit indicium Deum ſe eſſe uerum, nempe corda illorum cognoſcens. Nam & corda omnium cognoſcere, ſolius Dei eſt, ſicut & propheta dicit, Tu noſti corda ſolus. Illi tamē reuelatis etiam cordium ſuorum cogitationibus permanent inſenſati ac ſtupidi, non concedentes poſſe remittere peccata illum qui corda ipſorum norat. Fidem igitur ſacit ac ſtabilit, corpus ſanando, poſſe ſe etiam animā ſanare: atq̄ adeò permanifeſtum, id quod obſcurum erat, confirmat, & per facile difficilius: tametſi non ita uideretur illis. phariſæi enim difficilius putabant corpus ſanari, id quod uidebant: facilius uero animam, eo q̄ occulta eſſet ſanatio. Atq̄ fortaſsis talia cogitabant: Ecce hic impoſtor ut euadat ne curet corpus quod in manifeſto, præterit q̄ curet animam quæ in occulto, dicens, Remittuntur tibi peccata. Omnino enim ſi poſſet ſanare corpus, non confugeret ad id quod ignoramus. Quocirca ſaluator oſtendens ſe utrunq̄ poſſe, Quid eſt facilius, inquit, ſanare corpus, uel animam? Omnino curare corpus, ſed, uobis uidetur contrarium. Ego igitur curando corpus, id quod reuera facile eſt, etiam difficilius uobis faciam credibile, nempe animæ curationē id quod reuera difficile: ſed quia in occulto fit, & deprehendi nequit, uidetur facile. Tunc igitur dicit paralytico, Surge, & tolle grabatum tuū, ad maiorē miraculi cōfirmationem, q̄ nō apparanter ſanatus ſit: & ad declarandum q̄ nō ſolum ſanarit, ſed & uirtutē indiderit. Sic quoq̄ facit & in morbis animæ. Non ſolum liberat nos ab infirmitatibus, ſed etiam uirtutem infundit, ut operemur mādatum. Poſſum igitur & ego, cum ſim paralyticus, ſanari. Eſt enim & nunc Chriſtus in Capernaum domo conſolationis, hoc eſt eccleſia. Domus enim paracleti dicitur Eccleſia. Sum aūt paralyticus, quia non operantur & immobiles ſunt uires animę meę ad bonū: ſed ſi à quatuor Euangeliſtis guſtatus & adductus fuero ad Dīm, tunc audiam, Fili. Filius enim Dei ſum per mandatorū operationē, & remittunt̄ mihi peccata. Sed q̄modo adducar ad Ieſum? Si tectum p̄fodero. Quod

Solius Dei eſt remittere peccata. 2. Reg. 8. Pſal. 7. Iere. 17.

Animæ curatio difficilior ſanatione corporis.

Sanans Dominus animam, uirtutem quoq; infundit.

Eccleſia domus paracleti.

Universidad de Deusto
Biblioteca

est tectum? Mens, quæ suprema nostri portio est. Hæc habet multum terrę & luti, ne gociorum inquam terrenorum: cæterùm ubi hæc deposita, & perfossa in nobis mentis uirtus, & exonerata fuerit: deinde ego demissus fuero, hoc est, humiliatus, non eñ extolli oportet propterea quòd tectum mentis exoneratum sit, sed postquàm exoneratus fuero debeo demitti, hoc est humiliari. Tunc igitur sanabor, & tollam grabatũ, hoc est corpus, ad mandatorum operationem ipsum mouens. Non enim à peccato solum nos suscitari oportet, & intelligere q̃ peccamus, sed & lectum, hoc est corpus, ad operationem boni tollere. Tunc igitur & ad contemplationes uenire poterimus, ita ut omnes nostræ cogitationes intra nos dicãt. Hactenus nunquam tale uidimus, id est nunquàm sic intellexímus, sicut nunc quando paralytici curati sumus. Qui enim à peccatis purificatus est, ille uerè uidet.

Et egressus est rursus ad mare: omnisq̃ turba ueniebat ad eũ, ac docebat eos. Et cum prẽteriret Iesus, uidit Leui Alphęi filium sedentẽ ad telonium, & ait illi, Sequere me. Isq̃ surgens secutus est eum. Et factũ est cum accumberet in domo illius, multi etiam publicani & peccatores simul discumbebant cum Iesu & discipulis eius. Erant enim multi qui secuti fuerant eum. Et scribæ ac pharisæi cum uidissent eum capientem cibum cum publicanis & peccatoribus, dicebant discipulis eius, Quid est q̃ cum publicanis & peccatoribus edit ac bibit? Hoc audito Iesus ait illis, Non opus habent qui ualent, medico, sed qui male habent. Non ueni ad uocandum iustos, sed peccatores ad pœnitentiam.] Post miraculum paralytici egreditur ad mare, fortasis solitudinem quærens, at turba iterum concurrit: ut discas q̃ quanto magis gloriam fugeris, tanto illa magis te sequet̃. at si tu illã sequaris, illa à te fugiet. Igit̃ Dñs ut ad mare secesit, turbę illũ iterũ secutę sunt, † alioqui nõ illuc fugisset.] Et prẽteriẽs cepit Matthęũ, q̃ dinomius erat. Lucas quidem & Marcus ipsum Leui appellãt, obticẽtes eius nomẽ: ipse autem nõ erubescit suum nomẽ pferre. Vidit eñ, inquit, Iesus Matthęũ publicanũ. Sic etiam nos quoq̃ nostra peccata cõfiteri nõ erubescamus. Sedit aũt in telonio (ut uidetur) exigens à quibusdam uel rationem faciens, uel aliquid faciens eorum quæ solent in officinis suis publicani agere. Ille autem ita excitatus est, ut relictis omnibus Christum sequeret̃, lætansq̃ conuocaret multos ad conuiuium. Pharisæi aũt taxant, per hoc se mundos facere studentes. At Dñs inquit, Nõ ueni ut uocarem iustos, hoc est uos, qui uosipsos iustificatis (per ironiam eñ hoc dicit) sed peccatores, qui uocantur nõ ut maneant peccatores, sed ad pœnitentiam, hoc est conuersionem. Vnde hoc adijcit, ne existimes absq̃ sui emendatione uocari peccatores.

† uerunta men illinc etiã fugit. *Matthæus binominis. Luc. 5. Matth. 9.*

Et discipuli Ioannis ac pharisæorum ieiunabant, ueniuntq̃ & dicunt illi, Quare discipuli Ioannis & pharisæorum ieiunant, tui aũt discipuli nõ ieiunant? Et dixit illis Iesus, Num possunt filij thalami nuptialis, in quo cum illis sponsus est, ieiunare: Quandiu habent secum sponsum, non possunt ieiunare. Venient autem dies cum auferetur ab eis sponsus, & tunc ieiunabunt in illis diebus. Discipuli Ioannis imperfectiores adhuc Iudaicis moribus studebant: unde quidam accedebant ad Christum ut denunciarent hoc illos agere, & taxabãt quare discipuli eius non ieiunarent, sicut ipsi. At hic nunc quidem dicit, sponsus sum ego, & oportet illos bono esse animo, & non ieiunare: ubi autem ego è uita hac ablatus fuero, tunc ingruent tentationes, & ieiunabunt ac affligẽtur. Proinde sponsum seipsum uocat, nõ solum q̃ desponset uirgines animas, sed & q̃ tempus primi sui aduentus, non tempus luctus, neq̃ austeritatis est ijs qui in illum credunt, neq̃ labores habens, sed facile & absq̃ operibus legis per baptismum refocillans nos. Qualis enim labor baptizari? attamen per facilia hæc salutem consequimur. Filij aũt thalami, Apostoli, utpote & ipsi dominicum gaudium assecuti, & omnis cœlestis boni ac uoluptatis totius participes. Intellige aũt & sic q̃ omnis homo quando uirtutem operatur, filius est thalami nuptialis. Quandiu igitur habuerit secum sponsum Christum: non ieiunat, hoc est, non ostendit opera pœnitentiæ, neque enim cecidit, quando autẽ ab eo ablatus fuerit Christus, prolabereturq̃ in peccatum, tunc ieiunat, & pœnitentiam agit, ut à peccato sanetur.

Christus cur sponsus Ioan. 3. Apoc. 21. Filij thalami.

Et nemo assumentum panni rudis assuit uestimento ueteri: alioquin aufert supplementum eius nouum à ueteri, & peior scissura fit. Et nemo mittit uinum mustum in utres ueteres: alioquí disrumpit uinum mustum utres, & uinum effunditur, & utres

A tres pereũt: sed uinum mustum in utres nouos mitti debet.] Quod dicit, quemadmodum pannus rudis, hoc est nouus, si assuatur uestimento ueteri, sua firmitate illud discindit, uinumq; nouum sua æstimatione utres ueteres disrumpit: sic etiam discipuli mei nondum facti sunt fortes: itaq; si grauauero ipsos offendam. Veteribus enim uestimentis similes sunt, ob ipsorum animi imbecillitatẽ. Non oportet igitur illos graui ieiuniorum præcepto onerare. Vel etiam sic intellige, Discipuli Christi cum sint noui, non possunt seruire priscis moribus & legibus.

Et accidit ut transiret sabbatis per segetes, & cœperunt discipuli eius inter uiam uellere spicas, & pharisæi dicebant ei, Ecce, cur faciunt sabbatis quod nõ licet? Et ipse ait illis, Nunquam legistis quid fecerit Dauid, cum opus haberet, & esuriret ipse & qui cum eo erant? quomodo ingressus sit in domum Dei sub Abiathar principe sacerdotum, & panes propositionis comederit, quos non licet edere nisi sacerdotibus, & dederit etiam ijs qui secum erant? Et dicebat illis, Sabbatum propter hominem factum est, non homo propter sabbatum. Itaq; filius hominis dominus est etiã sabbati.] Discipuli Domini spicas uellunt, iam nõ ultra soliti iuxta legem uiuere. Pharisæi autem indignantes, à Christo cõfutabantur, in medium afferente exemplũ Dauid, qui propter necessitatẽ soluerat legem sub Abiathar põtifice. Fugiens enim Dauid propheta à facie Saulis, uenit ad põtificem illum, & fefellit eum quasi à rege missus rei militaris gratia, & tunc panes propositionis comedit, gladiumq; Goliath Dño oblatum abstulit. Duodecim aũt erant panes, qui quotidie proponebant sup mẽsam, sex à dextris, & sex à sinistris. Quærũt aũt quidã, q̃modo Euangelista Abiathar nunc sacerdotem nominat: liber aũt Regũ Abimelech illũ nominauit? Dicendum igit̃ q; fortassis duo nomina habuerit, idẽq; sit Abiathar & Abimelech. Vel etiã aliter: Liber Regũ sacerdotẽ dicit esse Abimelech, Euangelista aũt põtificem Abiathar: unde hęc inter se nõ sunt diuersa. Erat enim sacerdos Abimelech, pontifex aũt Abiathar. Disce autem iuxta anagogem, q; discipuli Christi in sabbato, hoc est in animarum quiete. Sabbatum enim quietẽ interpretamur. Quando igit̃ quietem habent ab omnib. affectionibus, & à dæmonibus non infestantur, tunc iter faciunt, hoc est, & alijs ad uirtutẽ duces fiunt, uellicantes & eradicantes omnia quæ à terra & humili phantasia germinãt. Nisi enim primùm quiescat aliquis ab affectionibus, & seipsum in solitudinem conferat, neutiquam alijs ad bonum dux erit.

1. Reg. 21.

Leuit. 24.

Abiathar Abimelech

B

Sabbatum quid interpretetur.

CAPVT III.

ET introiuit iterum in synagogam, & erat ibi homo manum habens arefactã, & obseruabãt eum an sabbatis sanaturus esset illum, ut accusarent eum. Et ait homini manum habenti arefactam, Excitare in medium. Et dicit illis, Vtrum licet sabbatis benefacere, an malefacere? animam seruare, an occidere? At illi tacebant. & cum circunspexisset eos cum iracundia, indolescens super cæcitate cordis eorum, dicit homini, Extende manum tuam. Et extendit, & restituta est manus illius sana, ut altera.] Cum discipuli accusati essent à Iudæis eo q; per sabbata spicas euellissent, Dñs accusantes cõfutauit, idq; eũ exemplo Dauid: magis aũt illos nunc cõfutat miraculũ faciẽdo ostendẽs q; adeò nõ peccent discipuli eius, ut & ipse operatur in die sabbati miraculũ faciẽs: ita ut si malũ sit operari miraculũ, simpliciter malũ futurũ sit operari necessaria in sabbato: sed miraculum facere in salutẽ hominis, diuinũ est: nõ igit̃ præuaricatur qui in sabbato q̃d malum nõ est operat̃. Propterea etiã interrogat illos nũ liceat benefacere, notãs eos ut beneficia prohibentes. Aridã aũt dexterã omnis habet qui opera eorum nõ facit qui ad dexteram partẽ pertinẽt. Ad quem Christus dicit, Excitare, hoc est, surge à peccato, & sta in mediũ, hoc est in mediocritate uirtutum. Omnis eñ uirtus mediocritas est, eo q; sicut mediocritas neq; in defectum neq; in excessum declinat. Tunc igitur quando se statuit in mediocritatem, restituit̃ dexteram eius sanam. Vide autem quod dicit, & restituta est. Erant enim olim nobis sanæ manus, hoc est, efficax uirtus operatiua, quando nondum fuit transgressio. Vbi autem extenta est dextera nostra ad fructum prohibitum, tunc arescere cœpit ad operationẽ boni. Restituetur igitur iterum in pristinam sanitatem, cum in medio steterimus uirtutum.

Matth. 12. Luc. 6.

Egressi uerò pharisæi statim unà cum Herodianis cõsilium inibãt aduersus illum, ut eum perderent. Iesus autem cum discipulis suis secessit ad mare, & ingens multitu-

do secuta est eum à Galilęa, & à Iudæa, & ab Hierosolymis, & ab Idumæa, & trãs Iordanem, & qui circa Tyrum habitabãt, ac Sidonem, hominum multitudo magna: q cum audissent quæ faciebat, uenerunt ad eum. Et Iesus iussit discipulos suos ut naui- culam appellerent sibi propter turbam, ne ipsum premeret. Multos em̃ sanauerat, ita ut irruerent in eum, quo illum tangerent quotquot habebant flagella. Et spiritus im- mundi cum illum uidissent, procidebant ei, & clamabant dicentes, Tu es filius Dei. Et uehementer interminabat̃ eis ne se manifestum facerent.] Quinã erant Herodia- ni? Vel milites Herodis, uel hæresis quædã nuper admodũ orta, quę docebat Hero- dem ipsum esse Christũ, eo q̃ in illo Iudaicorum regum successio finem habuisset, ita em̃ exponebant prophetiam Iacob, quando defecturi essent ex Iuda principes, tunc uenturũ Christũ. Cum igit̃ Herodis temporib. nullus usq̃ esset Iudaicus princeps, sed regnaret Herodes alienigena, Idumæus enim erat: opinati sunt quidam ipsum esse Christum: & constituta quadã factione attentauerunt perdere Dominum. Ipse aũt se cedit. Nõdum em̃ erat patiendi tempus. Interim plurib. benefaciebat, ab ingratis se cedendo. Etem̃ secuti sunt eũ multi, & sanauit illos: quãuis Tyrijs & Sidonis, tamets esset allophyli, ꝓderat. Cognati aũt eius eũ persequebant̃. Adeò nulla à genere ꝓue nit utilitas, nisi etiam boni mores adsint. Et alienigenæ quidẽ à remotis locis ad eum ueniunt: Iudęi uerò cum ad ipsos uenisset, insectant̃. Vide aũt q̃ alienus sit à fastu e- nimuero ne turbæ obstrepentes ei negociũ facerẽt, nauiculam quærit. Flagella uerò dicit morbos. nam ad emendationẽ nobis morbi multum cõducunt, flagellante nos Deo quasi filios patre. Intellige aũt ꝓ Herodianos, carnales & pelliceos, & eos q occi dere uolunt Iesum. Herodes em̃ si quis interpretet̃, pelliceus sonat. Qui egrediunt à domibus suis & patria sua, hoc est, cõsuetudinib. carnis, illum sequunt: unde & flagel la eorum sanant̃, peccata dico, quę cõscientiam flagellant: & immũdi spiritus ejiciun tur. Attẽde hic q̃d discipulis suis præcepit Iesus, ut appellat̃ sibi nauis ꝓpter turbas, ne ipsum premerent. Iesus em̃ est ratio quæ in nobis imperat ut nauis nostra, hoc est cor pus appellat̃ sibi, & ne projciatur in procellam secularium negociorũ, & ne premãt turbæ negociorum& turbulentiæ Christum qui in nobis est.

Et ascendit in mõtem, ac uocat ad se quos uoluit ipse, uenerũt& ad eũ. Et fecit duo decim ut essent secũ, & ut emitteret eos ad prędicandũ, ut& haberent potestatem sa- nandi morbos, ejiciendi& dęmonia. Et imposuit Simoni nomẽ Petrus, & Iacobũ fi- lium Zebedęi, & Ioãnem fratrẽ Iacobi, & imposuit eis nomina Boanarges, q̃d est filij tonitrui. Et Andreã, & Philippũ, & Bartholomęũ, & Matthęum, & Thomã, & Iaco bũ Alphæi filiũ, & Thaddæũ, & Simonẽ Chananæũ, & Iudam Iscariotẽ, qui & pro didit illum.] Ascendit in mõtem, ad orandum. Quoniam em̃ miracula fecerat, factis miraculis orat, docens omnes nos gratias agere Deo, & sicubi boni quippiam ꝓfece rimus, id diuinæ uirtuti offerre debere. Vel quia ordinaturus erat apostolos, eius gra tia ascẽdit oraturus, ut discamus q̃ nos quoc& quãdo aliquos sumus ordinaturi, prius orare debeamus ut reuelet̃ nobis qui dignus sit, & ne cõmunicemus peccatis alienis. Assumitur & Iudas in Apostolum, ut discamus q̃ non propter futuram malitiam ali cuius aspernet̃ Deus quempiã mala operaturum, sed propter præsentẽ uirtutem ho noret quem dignum censet, etiamsi postea malus sit futurus. Porrò apostolorum no- mina propter falsos apostolos recensent̃, ut sint noti ueri. Filios aũt tonitrui nominat filios Zebedæi, ut præcipuos prædicatores, & maximè theologos.

Et ueniunt in domum: & cõuenit iterũ turba, sic ut nõ liceret illis uel panes edere: & cum audissent qui ad illum attinebãt, exierunt ut manus injicerẽt in eum. Dicebãt em̃, in furorẽ uersus est. Et scribæ qui ab Hierosolymis descenderãt, dicebãt, Beelze- bul habet, & ꝓ principem dęmoniorum ejicit dęmonia. Cum audissent, inquit, qui ad illum attinebãt, hoc est necessarij eius, uel etiam fratres eius, exierunt ut cõprehende rent eum. Dicebant em̃, quia in furorem uersus est, hoc est, dæmonẽ habet. Audiẽtes em̃ q̃ dęmonia ejiceret, & morbos sanaret, præ inuidia opinabant̃ q̃ dæmonium ha- beret, & furiosus esset: unde uolebãt cõprehendere illum, ut eum tanq̃ dæmoniacum ligarent. Et familiares eius sic quidẽ agebãt, similiter autẽ & scribæ faciebant, qui à Hierosolymis descenderant, dæmonium ipsum habere dicentes. Cum em̃ nõ pos- sent cõtradicere his quæ fiebãt, alio modo arguebãt ea, nempe q̃ à dæmonijs fierent.

Et ad

Herodiani qui fuerint. Gen. 24.

Flagella.

Herodes.

Matth. 19. Act. 1.

Boanarges.

Ordinaturis orandũ. Iudas curin apostolum electus.

A Et ad se uocatis illis, in parabolis dicebat illis, Quomodo potest satanas satanã eij- *Matt.9.12. Luc.11.*
cere? Et si regnũ aduersus seipsum diuisum fuerit, nõ potest stare regnũ illud. Et si domus cõtra seipsam diuisa fuerit, nõ potest stare domus illa. Et si satanas insurrexerit aduersus semetipsum, ac diuisus est, nõ potest stare, sed habet finẽ. Nõ potest quisq; uasa fortis ingressus in domum illius diripere, nisi prius fortẽ alligarit, & tunc domum eius diripiet.] Exemplis quib. cõtradici nõ poterat, uincit inuidos Iudæos. Quomodo enim possibile est dæmonem dæmones eijcere? sicut & in domibus uideamus, q̃p diu pacifici sunt, bene habẽt hi qui in illis sunt: quãdo autẽ diuisi fuerint, destruunt. Quomodo aũt, inquit, potest quis diripere uasa fortis, nisi prius illũ uinxerit. Cæterũ q̃d dicit, hoc sibi uult. Fortis est dæmõ: uasa autẽ eius, homines sunt qui ab illo tenẽtur. Itaq; nisi quis primùm alliget dæmonẽ & destruat, quomodo uasa eius ab eo auferet? dæmoniacos inquã. Proinde quia ego uasa eius diripio, hoc est, libero homines ab affectione dæmoniaca: cõsentaneum est q̃ primùm ligauerim & destruxerim dæmones, & inimicus illorum sim. Quomodo igit̃ uos dicitis q̃ Beelzebul habeã, hoc est, cum amicus sim dæmonum & magus, eijciam dæmones? *Quũ fortis, & quæ uasa eius.* *Matth.12. Luc.11.*

Amen dico uobis, Omnia remittent̃ filijs hominũ peccata & cõuicia quibuscunq; cõuiciati fuerint: at qui cõuicium dixerit in spiritũ sanctum nõ habet remissionẽ in æternum, sed obnoxius est æterno iudicio, quia dicebãt, spiritum immundũ habet.] Tale quiddã hoc loco dicit, Quęcũq; alia peccauerint homines, habẽt fortẽ q̃d præterxant† indulsisse se] humanæ infirmitati: ut exempli gratia dicebãt Christum helluonem & bibonẽ, amicũ publicanorũ & peccatorũ. in illo ueniã assequent̃, quãdo aũt uidẽtes eũ operari miracula indubitata, blasphemarint spiritũ, hoc est mira opera p spiritum sanctum facta, quomodo tunc ueniam assequentur, nisi pœnitentiam egerint? Quando em̃ offendunt̃ in carne Christi etiã si p illo non egerint pœnitentiã, ueniam obtinent tanquàm offensi homines. Verum cum uident eum opera Dei facere, & blasphemare pgunt, quo pacto dimittetur eis, si alieni à pœnitentia manserint? *Matth.11.* † quoniam consequamur, Deo id condonante.

B Et ueniunt mater eius & fratres, & foris stãtes miserunt ad eum qui euocarent eũ, & sedebat turba circa eum, dicuntq; ei: Ecce mater tua & fratres tui foris quærunt te. Et respondit eis dicens, Quæ est mater mea, & fratres mei? Et cum circunspexisset in circuitu circum se discipulos sedentes, ait, Ecce mater mea, & fratres mei. Qui em̃ fecerit uoluntatẽ Dei, hic frater meus, & soror mea, & mater est.] Fratres Dño inuidẽtes accesserunt ad eum, ut caperent eum tanq̃ in furorẽ uersum & dęmoniacum. Mater aũt fortasis inani gloriola mota uenit ut illum à doctrina ad se attraheret, & ostẽderet turbis q̃ ipsa illum qui tãtis miraculis conspicuus erat, gubernaret, atq; ita ut à doctrina auelleret. Dñs igit̃ respõdit q̃ nihil ꝓfuturum sit matri suę esse matrẽ suam, nisi etiã alias uirtutes possederit. Similiter neq; fratrib. esse cõsanguineos. Illi em̃ sunt ueri cognati Christi, qui uoluntatem Dei faciunt. Itaq; non negando matrem hæc dixit, sed ostendens q̃ nõ propter natiuitatem solã digna fuerit hoc honore, sed propter omnes alias uirtutes quibus prædita fuit: ita ut si illis caruisset, alij ei fuissent prælati. *Cognati Christi.*

CAPVT IIII.

ET iterum cœpit docere iuxta mare: & cõfluxit ad eum turba multa, ita ut nauim ingressus sederet in mari, & tota turba iuxta mare in terra erat, & docebat eos p parabolas multa.] Quanuis uideat̃ dimisisse matrẽ, iterum tamen obedit ei, ꝓpter illam enim egreditur ad mare. Cæterum in naui sedet, ut in conspectu habeat auditores omnes, magisq; audiatur, & nullus sit à tergo.

Et dicebat illis in doctrina sua, Audite, Ecce exibat seminator ad seminandum, & accidit inter seminandũ, aliud quidẽ cecidit secus uiã, uenerũtq; uolucres cœli, & comederũt illud. Aliud uerò cecidit sup̃ petrosa, ubi nõ habuit terrã multã, & statim exortũ est q̃ nõ haberet altitudinẽ terrę: sole aũt exorto, ęstu affectũ est, eoq; q̃ nõ habere radicẽ exaruit. Et aliud cecidit in spinas, et succreuerũt spinę ac suffocauerũt illud, & fructũ nõ dedit. Et aliud cecidit in terrã bonã, & dabat fructũ emergẽtẽ & crescentẽ, & afferebat unũ triginta, & unũ sexaginta, & unũ cẽtum. Ac dicebat illis, Qui habet aures ad audiendũ audiat. Cum aũt cœpisset esse solus, interrogauerũt eũ hi q̃ circa ipsũ erãt cũ duodecim de parabola, & dicebat eis, Vobis datũ est nosse mysteriũ regni Dei; illis aũt qui foris sunt, p parabolas oĩa fiũt: ut uidẽtes uideãt, & nõ cernãt: *Matth.13. Luc.8.*

& au-

Esaiæ 6. Act. 28. & audiẽtes audiãt & nõ intelligãt, nequãdo cõuertant̃, & remittant̃ eis peccata.] Pri A mam hãc parabolã ponit, quę est de semine, quo reddant̃ auditores attẽtiores. Quoniam em̃ dicturus erat uerbũ esse semen, q̃d ubi ceciderit in parũ attentos, corrũpit: propterea ante alia hæc dicit, ut auditores studeãt nõ illi terrę similes fieri, quę semen disperdit. Quis igit̃ est q̃ seminat? ipse Christus qui exiuit è paternis sinib. ineffabili misericordia se nobis attẽperans. Exiuit aũt nõ ut incẽdat maledictã terram & mala corda, neq; ut execet spinas, sed ut seminet semẽ. Quale aũt semen? Nunquid Moysis: nunquid ꝓphetarum? Nõ, sed suum, hoc est, ut Euangelium suum prædicet, ille igit̃ seminauit. Iam semẽ aliud in animã à multis cõculcatam cecidit: & uolatilia cœli, dæmones dico, qui aerẽ inhabitant, comederunt semẽ. Tales enim sunt qui hominibus placere uolunt, uia sclicet conculcata à multis. quando em̃ quis omnia facit ut huic & illi placeat, iste à multis cõculcat̃. Vide aũt q̃ nõ dixerit se, ꝓcidisse illud in uiã, sed cecidisse. Nam q̃ seminat, ceu in terrã bonã, ꝓcit: illa aũt si inuenta fuerit mala, uerbum corrumpit. Quidam aũt per semen q̃d secus uiam cecidit, pulchrè intellexerunt q̃d ceciderit in cor infidele. Via enim est Christus. Cæterùm secus uiam, sunt infideles qui extra uiã sunt, hoc est Christum. Aliud aũt cadit in animam petrosam: eos dico, qui facile suscipiunt, & deinde abijciunt. Qui petrosi sunt, ad paruum tempus similes facti petræ Christo, in hoc q̃ sermonem susceperunt: dissimiles autem facti, eo q̃ ad tempus breue susceperunt, & deinde abiecerunt. Et aliud in animam cecidit multis curis obnoxiam, spinæ enim curæ sunt. Deniq; quartum in terram bonam cecidit. Proinde uide quomodo rara sint bona, & pauci qui seruentur, nam quartum tantum semen inuenitur seruatum. Porrò discipulis seorsim interrogantibus inquit, Vobis datum est nosse mysteria. Nunquis igitur per segregationem & naturale fatũ alijs quidem datum est, alijs uerò non? Absit: sed illis datum est qui inquirunt. Quærite enim, inquit, & dabitur uobis. Cæteros autem excæcauit Deus, ne sit illis in maiorem condemnationem si intelligant & non faciant. Et aliter, Vis scire quia Deus facit omnes uidere? audi. Vt uidentes, hoc est Dei, non uideant: istud est malitiæ illorum. Deus enim formauit eos uidentes, hoc est, bonum intelligentes: ipsi autẽ non uident, sua spõte oculos claudentes, ne cõuertant̃ & emendent̃, quasi suæ ipsorũ salu ti inuideãt. Potest etiã & sic intelligi. Quia alijs in parabolis loquor, ut uidẽtes nõ uideãt, & audientes nõ intelligant, & nequando ex hoc conuertantur & emendentur.

Anima conculcata quid sit. Ioann. 14. Quibus datum sit nosse mysteria. Mar. 7. Luc. 8. 11. Esaiæ 6.

Et ait illis, Nescitis parabolam hanc, & quomodo omnes parabolas cognoscetis? Seminator ille sermonẽ seminat. Isti uerò sunt quorũ alij iuxta uiã dicunt̃ ubi seminat̃ sermo, & cum audierint, cõfestim uenit satanas, & aufert sermonẽ qui seminatus est in cordib. eorum. Et alij sunt similiter qui in petrosa semen accipiunt, qui cum audierint sermonem statim cum gaudio accipiunt illũ, & nõ habẽt radicẽ in se, sed temporarij sunt, deinde coorta afflictione aut persecutione, ꝓpter sermonẽ, cõfestim offendunt̃. Et alij sunt qui in spinas semen accipiunt. ij sunt qui sermonẽ audiunt, at solicitudines seculi huius, dẽceptioq; diuitiarũ, cæterarumq; rerũ cupiditates introeuntes, suffocant sermonem, ac reddit̃ infructifer. Et alij sunt qui in terrã bonã semen exceperunt, qui audiunt uerbũ, & suscipiunt, & fructificant, ita ut aliud granũ afferat triginta, aliud sexaginta, aliud centũ.] Tres ordines sunt hoc loco eorũ in quib. uerbũ perdit̃. Nã hi qui sunt secus uiã, parum attenti sunt. hi autẽ qui comparant̃ petræ, pusillanimes: illi uerò qui cõparant̃ spinis, delicati. Eorum quoq; qui suscipiunt & conseruant uerbum, similiter tres sunt ordines. Nam qui fructum afferunt cẽtuplũ, sunt qui perfectam & summam uitam agunt: qui autẽ sexagecuplum, hi mediocrem: hi uero qui trigecuplum, sunt qui parui quidem sunt, afferunt tamẽ & ipsi pro suis uiribus, ut exempli gratia, uirgines, & solitarij: item alij qui in cœnobijs & congregationib. uiuunt: alij quoq; laici & coniugati. Veruntamen Dominus omnes tanquam fructum adferentes suscipit. Gratia sit eius misericordiæ.

Tres ordines suscipiẽtium & cõseruantium uerbũ Dei.

Et dicebat illis, Num lucerna incendit̃ ut subter modium ponat̃, aut subter lectum? Nónne ut super candelabrum ponat̃? Non est em̃ quicquam occultum quod nõ manifestet̃: neq; fuit secretũ, sed ut in ꝓpatulũ ueniat. Si quis habet aures ad audiẽdũ audiat.] Hoc loco admonet Apostolos ut sint claræ & honestæ uitę. dicit em̃, Sicut lucerna ponit̃ ut luceat, ita & uita uestra oñib. cõspicua erit, & oẽs ad ipsam respiciẽt, idcirco

Matth. 5. Luc. 8. 11.

A idcirco date operam ut uita uestra bona sit. Neq; enim in angulo sedetis, sed lucerna estis. Lucerna aũt nõ sub lecto occultaẽ, sed super candelabrũ posita, lucet. Erit autẽ & unusquisq; uestrũm lucerna, q debet poni super candelabrum, hoc est super summitatem diuinæ uitæ, ut & alijs possit lucere: sed non sub modio, hoc est sub gastrimargia, & cæterorũ cura: neq; sub lecto, hoc est quiete. Nullus enim cui cibi curæ sunt, & qui requiem desiderat, poterit lucerna esse omnibus lucens etiam per suam uitã Non enim est occultum, quod non manifestetur. Vnusquisq; uestrũm, siue bonum, quid fecerit, siue malum in occulto, manifestabitur etiam hic, & multo magis in futuro seculo. Quid enim absconditius Deo? attamen & ipse manifestatus est in carne.

Modius eo cultans lucẽ gastrimargia.

Et dicebat illis, Videte q̃d audiatis. Qua mẽsura metieminí, † alij metient̃ uobis:] & adijciet̃ uobis q̃ auditis. Qui eñ habet, dabit̃ illi: & qui nõ habet, etiã q̃d habet, auferetur ab eo.] Ad uigilantiã hortat̃ discipulos. Videte eñ, inquit, q̃d audiatis, nullũ ex dictis meis uos fugiat. In qua mẽsura mẽsi fueritis, remetiẽt̃ alij uobis, hoc est, qualẽ mẽsuram attentionis attuleritis, talis etiã utilitas uobis dabit̃. Auditor eñ si attẽderit quãtum potest, magnũ illi commodũ Deus dabit. sin remissus fuerit, iuxta eius remissionem & lucrũ imminuet̃. Illi eñ dabit̃ qui alacer est & diligens: ab eo aũt q segnis fuerit ac ignauus, tolletur etiam quod uidetur habere. Propter ignauiã eñ extinguitur etiam parua scintilla quam habet, sicut per alacritatem redaccenditur.

Matt. 7. † μετρηθήσεται ὑμῖν, metietur uobis siue mensurabitur, si ita loqui liceret: sic & paulo pòst.

Et dicebat: Sic est regnum Dei, quemadmodũ si homo iaciat sementẽ in terrã, ac dormiat, atq; exurgat die ac nocte, segesq; germinet, ac surgat in altũ dum nescit ille. Vltrò eñ terra fructificat, primùm herbã, deinde spicã, postremò plenũ fermentũ in spica. Cũ aũt, pductus fuerit fructus, statim mittit falcẽ, quoniã adest messis.] Regnum Dei intellige Dei, ppter nos incarnationẽ. Homo eñ est ipse Deus, qui propter nos factus est homo. Semẽ aũt misit super terrã, Euangelij prædicationẽ, illoq; proiecto dormit, hoc est ascẽdit in cœlos: attamẽ surgit nocte & die. Nam quamuis Deus dormire uideat̃, surgit tamen: & nocte quidẽ, quando per tentationes in sui cognitionẽ nos suscitat: die uerò, quando per suauia & iucunda nostrã uitã moderat̃. Crescit autẽ semen ipso nescio, liberi eñ arbitrij sumus, & in nostra electione oportebit semẽ uel crescere, uel non. Neq; enim coacti & necessariò fructum afferimus, sed sponte, hoc est, à nobis ipsis: primùm quidem herbam florentem ac principium boni demonstrãtes, quando paruuli sumus, & nondum ad mensuram Iesu Christi peruenimus. Deinde spicam proferimus, quando & contra tentationes consistere ualemus. Spica enim & geniculis cingitur, & rectè stat, & perfectior est. Postea plenum etiam frumentũ in spica, cum perfectum quis fructum attulerit. Quando autem affuerit messis, tunc falx, hoc est uerbũ Dei cõgregat fructũ. Per messem intellige consummationẽ seculi.

Deus excitat die ac nocte.

Arbitrium liberum.

Messis quid intelligatur.

Et dicebat, Cui assimilabo regnũ cœlorũ: aut qua collatione cõferemus illud: Est sicut granũ sinapis, quod cum seminatũ fuerit in terra, minus est omnibus seminibus quæ sunt in terra, & cum seminatũ fuerit exurgit, & fit maius omnibus oleribus, & facit ramos magnos, ita ut possint sub umbra eius aues cœli nidificare. Et talibus multis parabolis loquebatur eis sermonem, prout poterãt audire. Sine parabola uerò nõ loquebatur eis, seorsum autem discipulis suis exponebat omnia. Paruus quidem sermo fidei. Nam si credideris in Christũ, saluaberis. Vide, qualis sermo, tale est & granum sinapis. Nã prædicatio missa super terrã, dilatata est & creuit, ita ut uolatilia cœli, hoc est omnes sublimes scientia & sensu, in ipso habitent. Quot enim sapientes relicta sapientia gentiliũ in prædicatione requieuerũt: Maxima igit̃ fuit prædicatio, & magnos ramos fecit. Vnus eñ Apostolorũ ad Indiã, alius ad Romã, & alius in aliam partem terræ, diuisi sunt ut rami. Dicebat aũt ad turbas in parabolis multis iuxta habitudinẽ audiẽtium cõpositis parabolis. Quoniã eñ turba erat imperita & indocta, ideo mentionẽ facit grani sinapis, & herbæ & seminis, ut cognatis & consuetis nominib. doceat eos utile quiddam, uel excitet ut accedant & interrogent, interrogando quæ ignorant discant. Discipulis enim exponebat omnia, quoniam seorsum accedebant eum, & interrogabant. Omnia aũt soluebat quæcunq; ignorantes rogabant, non enim simpliciter omnia, & quæ manifesta. Nam ex his quæ interrogantes didicerant, cætera etiam illis manifesta erant, & ita omnia exponebat eis.

Matth. 13. Luc. 13.

Et dicit illis in die illo, cum facta esset uespera, Transeamus in ulteriorem ripam,

Et dimissa turba assumunt eum ita ut erat in naui. sed & aliæ nauiculæ erant cum eo. A
& oritur procella uenti magna, & fluctus irruebant in nauim, ita ut illa iam implere
tur. Et erat ipse in puppi super ceruical dormiens, & excitãt eũ, dicũtq; illi: Præceptor
nõ est tibi curæ q̃ perimus? Et excitatus increpauit uentũ, dixitq; mari, Tace, obmu-
tesce. Et cõquieuit uẽtus, factaq; est trãquillitas magna: & ait illis, Quid timidi estis a-
deò? Quî fit ut nõ habeatis fiduciam? Et timuerunt timore magno, dicebantq; inter
Matt. 8. Luc. 8. sese: Quinã hic est, quia uentus & mare obediũt ei?] Aliter hæc enarrauit Matthęus,
aliter Marcus. Nam quæ ille dixit diffusius, hic in cõpendium cõtraxit: & è diuerso
quę ille cõtractius, hic diffusius dicit. Assumit igit̃ solos discipulos, qui futuri miraculi
spectatores essent. Porrò ne extollerentur quòd ipsos dimissis alijs assumpserat, & ut
doceat ferendas tentationes, relinquit eos procellis periclitari. Dormit autem, ut ma-
ius appareat miraculum, cum prius turbati fuissent. Nam si uigilasset Christus, & fa-
cta fuisset tempestas, uel non timuissent, uel nõ orassent: proinde permisit eos in me-
tum periculi incidere, quò uirtutem ipsius sentirent manifestius. Quia enim uide-
bant alijs beneficia dari, sese autem nullo tali frui: periculum erat ne fierent negligen
tiores. Itaq; tempestatẽ oriri permittit. Porrò super ceruical dormit, quod in naui erat
nimirum ligneum. Excitatus uerò, primùm increpauit uentũ (hic enim est qui ferox
reddiderat mare) deinde & mare. Discipulos autem increpauit, eo q̃ non habuerant
fidem. Nam si fidem habuissent, credidissent utiq; q̃ & dormiens posset illos seruare
illæsos. Dicebant enim inter se, Quisnam est hic? Adhuc enim de eo dubitabant. Cæ
Exod. 14. 4. Reg. 2. Iosue 3. terùm secundum q̃ solo præcepto mare sedauit, & non uirga, ut Moyses mare: neq;
inuocatione, ut Helias Iordanem: neq; arca, ut Iesus Naue: propterea super hominẽ
illis uidebatur. In eo autem quòd dormiuit, rursum eis homo uidebatur.

CAPVT V.

ET uenerunt traiecto mari in regionem Gadarenorum. Egressoq; ei de naui, sta-
tim occurrit è monumentis homo spiritui obnoxius immundo, qui domicilium
habebat in monumentis, & neq; catenis quisquam poterat eum ligare, propterea q̃ B
cum sæpe compedibus & catenis uinctus fuisset, discerptæ essent ab illo catenæ, & cõ
pedes essent cõminutæ, neq; quisq; ualuisset eum domare, & semper die ac nocte in
montibus ac monumentis erat clamans, & cõcidens seipsum lapidibus.] Probatiora
Matt. 8. Luc. 7. exemplaria habent, in regionem Gergesenorum. Igit̃ Matthæus duos dicit dæmo-
nio agitatos. Marcus & Lucas unum, atrociorem in medium proferentes. Venit igi-
tur qui dæmonio agitabatur, confitens illum esse filium Dei. Quoniam in naui dubi
tabant discipuli quãtus hic esset, maioris fidei fit testimonium ab inimicis: quos per
dæmones intelligo. Habitabat autem in sepulchris, uolens hominibus malã opinio
nem inferre, quòd morientium animæ dæmones fiant. quod absit ut quis credat.

Cum uidisset autem Iesum eminus, cu currit & adorauit eum, & clamans uoce ma
gna dixit, Quid mihi tecum est Iesu fili Dei altissimi? adiuro te per Deum, ne me tor-
queas. Dicebat enim illi, Exi spiritus immũde ab homine. Et interrogabat eũ. Quod
tibi nomen est? Et respondit dicens ei, Legio mihi nomen est, quia multi sumus. Et de
precabatur eum multum, ne se emitteret extra regionem.] Tormentum suum putãt
Tormentũ est dæmonibus, pelli ab homine. dæmones, si cogant̃ exire ab homine: ideo dicũt, Ne torqueas, hoc est ne educas nos
ex habitaculo nostro, hoc est homine. Sed & aliter existimabãt quòd propter grauia
quæ attentassent, non ultrà passurus esset ipsos, sed mox supplicijs traditurus, idcirco
& orant ne se torqueat. Interrogat autem illum Dominus, nõ ut ipse discat, sed ut alij
discant multitudinem dęmoniorum qui in illo erant. Quandoquidem unus appa-
rebat esse, ostendit Iesus cum quot inimicis miserabilis homo ille certarit.

Erat autem ibi iuxta montem grex porcorum magnus pascens, & deprecabantur
eum omnes dæmones dicentes, Mitte nos in porcos, ut in eos introeamus. Et permi
sit statim Iesus. Et egressi spiritus immũdi ingressi sũnt in porcos. Et ferebat̃ grex per
præceps in mare. Erant autem fermè bis mille, & suffocati sunt in mari. Porrò qui pa
scebant porcos, fugerunt, & renunciaueruut in ciuitatem, & in agros.] Dæmones o-
rant Dominum ne mitteret se extra regionem, sed in gregem porcorũ. Quî hoc per
Iob 7. misit? Quia enim certamen est uita nostra, noluit Dominus extra hanc uitam dęmo
nes

A nes esse, ut certâtes nobiscũ nos probatiores cõmonstrarent. Permittit aũt illis intrare in porcos: ut discamus, q̃ sicut non pepercerũt porcis, ita neq̃ homini illi pepercissent, nisi eum diuina uirtus custodisset. dæmones enim cũ inimici nostri sint, protinus nos conciderent, nisi Deus nos conseruaret. Disce autem quòd neq̃ in porcos habent potestatem, & multo minus in homines, nisi permittat Deus. Obserua autem quòd in homines qui porcorũ more uiuunt, & in luto uoluptatis uersantur, ingrediuntur dæmones, & mittunt illos præcipiti perditione in mare huius uitæ, ut suffocentur. *Neq; in porcos dæmones habent potestatem.*

Et egressi sunt ad uidendum quid esset quod acciderat: & ueniunt ad Iesum, & uident illum qui à dæmonio uexabatur, sedentem ac uestitũ, & sanæ mentis, qui habuerat legionem: & timuerunt. Et narrauerunt illis qui uiderant, qualiter accidisset ei qui dæmonium habuerat, & de porcis. Et rogare cœperunt eum ut discederet de finibus ipsorũ. Et cũ ingressus esset nauim, rogabat illum qui fuerat à dæmonio correptus, ut esset cum illo: Iesus autem non permisit eum, sed ait illi, Abi in domum tuã ad tuos, & annuncia illis quanta tibi Dominus fecerit, & misertus sit tui. Et abijt, & cœpit prædicare in Decapoli quanta sibi fecisset Iesus: & omnes mirabantur.] Exierunt igitur uiri illius ciuitatis ad Iesum stupefacti miraculo: & cum audissent, timuerũt magis. Idcirco & Iesum rogant ut egrediatur à finibus ipsorum. Timuerunt enim nequando & maius quiddã patiantur. Qui enim perdiderant porcos, in perditione dolentes precantur ut abeat Dominus. Cæterùm is qui dæmonio agitatus erat, orabat illum ut cũ ipso esset: timebat enim, ne siquando dæmones eum inuenissent solum, iterum se adirent. At Dominus dimisit eum in domum eius: ostendens ei quòd licet ipse non adsit, nihilo minus tamen uirtus sua & uisitatio custodiat eum: insuper ut & alios lucreẽ, qui ipsum uisuri essent. Et ecce prædicare cœpit: & omnes mirabantur. Vide aũt quàm alienus sit à fastu seruator. Non dixit, annuncia quæ tibi feci: sed, quæ tibi fecit Dominus. Sic & tu quando bonum quid feceris, ne tibiipsi, sed Domino factum tribuas. *Luc. 8.*

Et cum traiecisset Iesus naui rursus in ulteriorem ripam, conuenit multa turba ad
B eum, & erat circa mare. Et ecce uenit quidam principum synagogæ nomine Iairus: & cum uidisset eum, procidit ad pedes eius, & deprecabatur eum multũ, dicens, Filiola mea in extremis est: oro ut uenias & imponas illi manus, ut salua sit & uiuet. Et abijt cũ illo, & sequebatur eum turba multa, & comprimebant eum. Et mulier quædã quæ fuerat obnoxia profluuio sanguinis annis duodecim, fueratq̃ multa perpessa à compluribus medicis, & insumpserat omnia sua, neq̃ quicquam adiumenti senserat, sed magis in deterius uenerat: cum audisset de Iesu, uenit in turba à tergo, & tetigit uestimentũ eius. dicebat enim, Si uel uestimenta eius tetigero, salua ero. & confestim siccatus est fons sanguinis eius: & sensit corpore q̃ sanata esset à flagello.] Post miraculũ quod in dæmoniaco actũ, aliud operatur Dominus suscitando filiam principis synagogæ. Nomen autem ipsius exprimit propter Iudæos qui sciebant id quod factũ fuerat, dimidia tam autem fidem habebat uir ille. Fidelis enim erat, eo quòd procidebat ad pedes Iesu: sed quia & obsecrabat ut ueniat, non quantam oportebat præ se fidem ferebat. Debebat enim dicere, Dic uerbo. Obiter autem iturus Dominus curat mulierem sanguinis profluuio laborantem. Fidelissima erat mulier hæc, eo quòd à uestibus utilitatẽ se assequi credebat, & idcirco etiã sanatur. Intelligas aũt hæc etiã de humana natura, quæ sanguinis profluuio laborat. Scaturit enim in ea peccatũ, quod mors est animæ, & sanguinem animæ nostræ effundit. A' multis aũt medicis, hoc est sapientibus huius mundi, sed & à lege & à prophetis non potuit curari. Tetigit aũt uestem Christi, hoc est carnẽ eius, & sanata est. Qui credit eũ esse incarnatũ Deũ, is est qui tangit uestimentũ eius. *Tangere uestem Christi quid sit.*

Et statim Iesus in semetipso cognoscens uirtutem ex sese prodisse, conuersus in turba aiebat, Quis tetigit uestimenta mea? Et dicebant ei discipuli ipsius, Vides turbã undiq̃ prementẽ te, & dicis, Quis me tetigit? Et circumspiciebat, ut uideret eam quæ hoc fecerat. Mulier uerò timens ac tremens, sciens quod factum esset in se, uenit & accidit ei, dixitq̃ ei omnem ueritatem. Ille autem dixit ei, Filia, fides tua te seruauit. uade cum pace, & esto sana à flagello tuo.] Egreditur uirtus à Christo, nõ à loco in locũ trãsiens, sed manens immota in Christo, cõmunicatur & alijs, quemadmodum & doctrinæ à docentibus sunt, & discentibus traduntur. Vide autem quomodo turbę quidem comprimant, & ex eis nullus illũ tetigerit: contrà illa quæ nõ premebat, illum tetigerit. My-

sterijs hic quoddam discimus, q nullus ex his qui turbulento sunt animo, tangit Chri- A
stum, sed solum premit eum. qui autem non premit Iesum, neq; turbato est animo, ille
tangit eum. Sed quamobrem Dominus manifestat mulierem? Primùm quidem, ut fi-
dem mulieris glorificet, deinde ut & archisynagogum animet q & eius filiã sit sanatu-
rus. Ad hæc, ut mulierem à magno metu liberet. Etenim timebat mulier, utpote quæ
sanitatem furtim abstulerat: idcirco & Euangelista dicit, tremens & timens uenit. Do-
minus itaq; nõ dixit, Ego te seruaui: sed, fides tua. Proinde uade in pacem, hoc est in re
† perturba tione quiẽ: ut sit hæc sentẽtia, Abi, & quieta esto, quæ hactenus fuisti in mœrore & † dolore.
Adhuc eo loquente uenitũt à principe synagogæ qui dicerent, Filia tua mortua est,
quid ultrà uexas magistrũ? Iesus aũt protinus audito sermone qui dicebatur, ait princi
pi synagoge, Ne timeas: tantummodo crede. Et non permisit ut quisquã se sequeretur
præter Petrũ & Iacobum & Ioannem fratrem Iacobi. Et uenit in domũ principis syna
gogæ, uidetq; tumultũ, & flentes & eiulantes multũ, & ingressus ait illis, Quid tumul-
tuamini & ploratis? puella non est mortua, sed dormit. Et irridebant eum. Ipse uerò eie
ctis omnibus assumit patrem & matrem puellæ, & eos qui cũ ipso erant: & ingreditur
eò ubi puella iacebat, & apprehensa manu puellæ, ait illi, Talithacumi, quod est si quis
interpretetur, Puella, tibi dico, surge. Et cõfestim surrexit puella, & ambulabat. Erat e-
nim annorũ duodecim, & obstupuerunt stupore magno. Et præcepit illis uehementer
ne quisquã id sciret: & iussit ut daretur illi quod ederet.] Familiares principis synago-
gæ arbitrabantur Christũ esse ex doctoribus quendam, propterea obsecrabãt ut ueni-
ret & oraret super puellam: & quia iam mortua erat, putauerunt ultrà nõ opus esse, eo
q mortua esset. Sed ille patrẽ animat, & inquit, Solum crede. Non permittit aũt ullum
alium esse comitem, q; tres discipulos. Neq; enim Iesus humilis ad ostentationẽ quip-
piam uult facere. Dicente aũt eo, Non mortua est puella, sed dormit: derident, ne pos-
sint postea dicere q in excessu mentis correpta fuerit, & non fuerit miraculum eam su-
scitare: sed ipsi contra seipsos testari conuincuntur, q uerè mortuam suscitauerit: quan
doquidem deriserint eum q diceret illam non mortuã, sed dormire. Manum uerò ap- B
prehendit, ut uirtutem ei imponat. Et iubet ut detur ei quod comedat: quo certius cre-
datur resurrectio uerè & non apparenter tantum facta.

CAPVT VI.

Matth. 13. Luc. 4. Ioan. 4. † quia & uirtutes ta les per ma nus eius ef ficiuntur.

ET egressus est illinc, uenitq; in patriã suam, & sequuntur eum discipuli sui. Cumq;
adesset sabbatũ, cœpit in synagoga docere: multiq; audientes obstupuerunt dicen
tes, Vnde huic hæc? & quæ est sapientia quæ data est illi? † & uirtutes tales quæ per ma
nus eius efficiuntur? Nonne hic est faber ille, filius Mariæ, frater Iacobi, & Iose, & Iuda,
& Simonis, Nonne & sorores eius hic nobiscũ sunt? Et offendebanẽ per eum.] Ascen
dit ad patriã, non ignorans se cõtemptum iri, sed ne in posterũ dicere queãt, si uenisset,
utiq; credidissemus ei. Reprehendebat aũt & inuidã illorum mentẽ. Oportebat sanè
magis gloriari de Domino, qui ipsorũ patriã ita ornaret & doctrina, & miraculis: atqui
Inuidia quæq; ob scurat bo na. ipsi despexerunt illũ ob humilitatẽ generis. tam atrox malũ est inuidia. Semper enim
obscurat bona, nec illa ab inuidis uideri sinit. Et nunc multi quosdã quasi ignobiles ar
guũt, qui tamẽ omni honore digni sunt, q sanè haud bene sentiũt, & neutiq; generose.
Dicebat aũt illis Iesus, Non est cõtemptus propheta nisi in patria sua, & inter cogna
tos, & in familia sua. Et non poterat ibi uirtutẽ ullam edere, nisi q paucos infirmos im
positis manibus sanauit, ac mirabaẽ propter incredulitatẽ illorũ.] In genere dicit Domi
Contempti prophetæ in patrijs suis. nus omnes prophetas cõtemptos in patria sua, & in domo sua, & inter cognatos suos.
Nam si nobiles habẽt cognatos, inuident illi eis, & propterea cõtemnunt. sin aũt igno
biles, iterũ propter ignobilitatẽ contemptui habent. Nõ potuit igitur illic uirtutes face
re, non q ipse infirmus esset, sed q illi increduli. Parcit igitur eis nõ faciendo signa, ne
signa sint eis ad maiorẽ condemnationẽ neq; sic credentibus: & idcirco non facit illic
uirtutes. Vel aliter in uirtutũ operationibus opus est eius qui facit uirtute, & eorũ qui
suscipiunt fide. Quia aũt illic defuit alterũ, nempe sanandorũ fides, non potuit illic si-
gnum facere Iesus. Ita enim intelligere debemus, non potuit, id est, nõ capaces erant.
Et obambulabat per uicos undiq; circumiacentes docẽs. Et accersit duodecim, cœ-
pitq; eos emittere binos, & dabat illis potestatẽ aduersus spiritus immundos. Et præ-
cepit illis ne quid tollerent in uiam, nisi uirgam tantum, non peram, non panem, non
in zona

A in zona æs, sed calcearentur sandalijs, & ne induerentur binis tunicis. Et dicebat eis, Vbicunq; introieritis in domũ, illic manete donec exeatis illinc. Et quicunq; non rece- *Act. 13.*
perint uos, neq; audierint uos, exeuntes illinc excutite puluerem qui est sub pedibus uestris, in testimoniũ illis. Amen dico uobis, tolerabilius erit Sodomis aut Gomorrhis in die iudicij, quàm ciuitati illi.] Non in solis ciuitatibus docebat Dominus, sed & in uicis: ut nos discamus paruas non despicere, neq; semper magnas quærere ciuitates, sed & in contemptis oppidulis prædicemus, seminando sermonem. Non solus autem ipse docet, sed & duodecim mittit binos, quo & alacriores sint. Nam si unum misisset, fuisset unicus ille minus alacris. iterum si plures quàm duos, non suffecisset numerus in plures pagos. Duos igitur mittit meliores enim sunt duo quàm unus, dicit Ecclesiastes. *Eccl. 4.*
Prohibet aũt eis quippiam tollere, uel peram, uel æs, uel panem, docens per hæc illos à diuitiarum studio esse debere alienos, † & quòd his qui illos uident, grati sint futuri, cũ agnouerint paupertatem tantam, eo quòd nihil habeant. Quis enim uiso apostolo qui neq; peram, neq; panem (qui maximè necessarius est) tollat, non bene afficeretur, & se ad diuitiarum contemptum pararet? Porrò in una domo eos manere iubet, ne uidean tur propter gastrimargiam inconstantes esse ab alijs ad alios transeuntes. Apud illos autem qui eos non accipiunt, iubet ut excutiant puluerem, demonstrantes quòd lon- gam uiam propter illos uenerint, & nihil profuerint: uel quòd nihil ab eis acceperint, & ne puluerem quidem, quem etiam ipsum excusserint, ita ut hoc sit in testimonium illis, hoc est, in reprehensionem. Amen enim dico uobis, quòd tolerabilius erit Sodo- mis aut Gomorrhis in die iudicij, quàm his qui non susceperint uos. Sodomitæ enim puniti in hoc seculo, leuius in alio seculo punientur. Insuper illis non sunt missi apostoli, hi uerò apostolos non susceperunt. meritò igitur grauius hi quàm illi punientur.

† & quòd hi qui ipsos uidebunt, bene efficientur erga eos qui possessionũ contemptũ doceãt, ex eo quòd ipsi nihil habeant.

Manere in una domo cur iubeantur apostoli.

Et egressi prædicabant ut resipiscerent, & dæmonia multa eijciebant, & ungebant oleo multos ægros, & sanabant.] Quòd unxerint oleo apostoli, solus Marcus narrat, quod & frater Domini Iacobus in catholica epistola dicit: Infirmatur quis inter uos? *Iacob. 5.*
B aduocet seniores ecclesiæ, & orent super illum, ungentes eum oleo. Est igitur oleum *Oleum sa-*
& ad labores utile, & lucis fomentum, & hilaritatis effectiuum, significatq; misericor- *crum.*
diam Dei, & gratiam spiritus, per quam à labore liberamur, & lucem ac gaudium hila ritatemq; spiritualem accipimus.

Et audiuit rex Herodes (innotuerat enim nomen eius) dicebatq;, Ioannes ille qui baptizabat, resurrexit à mortuis, & propterea uirtutes agunt in illo. Alij dicebant, He- lias est, alij uerò dicebant, Propheta est, uel tanquam unus ex prophetis. Cum audisset autem Herodes, ait, Cui ego præcidi caput, Ioannes iste est, ipse surrexit à mortuis.] Hic Herodes fuit filius eius qui pueros occiderat: & licet tetrarcha esset Herodes, eum *Herodes,*
tamen regem dixit, simpliciter usus nomine. Igitur ille cum audiret miracula Domi- *Matth. 2.*
ni, sciens quòd immeritò & absq; causa iustum Ioannẽ occidisset, suspicatus est quòd surrexisset à mortuis, & per resurrectionem in se uirtutem accepisset operandi miracu la. Ioannes enim prius nullum miraculum fecerat: Herodes autem putabat signorum operationem ei ex resurrectionis uirtute aduenisse. At alij dicebant, Helias est, repre- hendit enim multos, ut cum diceret, O incredula natio. Herodes autem timebat, adeò miser erat, ut & mortuorum timeret.

Nam ipse Herodes missis satellitibus manus iniecerat in Ioannẽ, & uinxerat eum in carcere propter Herodiadem uxorem Philippi fratris sui, quia duxerat eam uxo- rem. Dicebat enim Ioannes Herodi, Non licebit tibi habere uxorem fratris tui. Hero- *Matth. 14*
dias autem insidiabatur illi, uolebatq; occidere eum, nec poterat. Herodes enim me- *Lucæ 13.*
tuebat Ioannem, sciens eum uirum iustum ac sanctũ, & obseruabat eum, auditoq; eo multa faciebat, & libenter eum audiebat.] Interserit hoc loco Marcus narrationem de morte Ioannis Baptistæ, occasione sumpta. Dicunt autem quidam quòd Herodes ra- puerit Herodiadem uiuẽte Philippo, & quòd reprehensus fuerit ut præuaricator, qui abduxerit uiuentis fratris uxorem. Alij autem q; mortuus quidem fuerit Philippus, re liquerit autem filiolam: & cum filiam reliquerit, non debebat Herodes uxorem fratris ducere, etiam post mortem. Lex enim tunc iubebat fratrem fratris uxorẽ ducere, quũ *Deut. 25.*
non supereſſet puer: nunc autem illi erat filia. illegitimæ igitur erant nuptiæ. Vide au- *Amoris*
rem quid faciat amoris rabies, & quantũ ualeat. Ecce enim Herodes Ioannem quem *rabies.*

in tanto honore & reuerentia obseruabat, ut libidini satisfiat contemnit. A

Et cum dies opportunus accidisset, cum Herodes in natalitijs cœnã faceret primatibus ac tribunis & primoribus Galilææ, cumq; introisset filia ipsius Herodiadis, ac saltasset, placuissetq; Herodi, ac simul accũbentibus, rex ait puellę: Pete à me quod uis, & dabo tibi. Et iurauit illi, quicquid à me petieris, dabo tibi ad dimidiũ regni mei. At illa egressa statim dixit matri suæ, Quid petam? Illa uerò dixit, Caput Ioannis Baptistæ. Et ingressa statim cũ festinatione ad regẽ, petiuit dicens, Volo ut protinus des mihi in lance caput Ioannis Baptistæ. Et dolore affectus rex, propter iusiurandũ, eosq; qui simul accumbebãt, noluit eam reijcere. Et cõfestim rex misso spiculatore iussit inferri caput eius. At ille abijt, ac decollauit eum in carcere, & attulit caput eius in lance, & dedit illud puellæ, & puella dedit illud matri suæ. Quo audito discipuli eius uenerũt & sustulerunt cadauer eius, posueruntq; illud in monumento.] Conuiuiũ celebratur. Saltat per puellam diabolus, fit iusiurandũ impium & nephariũ, immò stultum. Nequã aũt mulier dicit, Da mihi protinus, hoc est statim, hac hora. Insipiẽs uerò & amore captus Herodes iusiurandum †implet, & iustum propter illud occidit. Oportebat hic periuriũ fieri, & non tam abominabile facinus perpetrare. Non enim ubiq; honestum est seruare quod iuraris. Spiculator miles carnifex est, deputatus in hoc ut occidat. Cadauer, id est corpus. Postquã enim detruncatũ est caput, corpus quod decidit, cadauer dicitur. Accipere hæc potes & spiritualiter. Herodes enim dicitur populus pelliceus Iudæorũ. Duxit aũt uxorem, uanam & impudicã gloriam, cuius filia adhuc saltat & tripudiat apud Iudæos, nempe scripturarũ cognitio qua seducuntur. Videntur enim sibi cognoscere scripturas: ueruntamen non sic habet res. Nam Ioannem detruncarunt, hoc est, propheticum sermonem: caput enim prophetiæ, Christum dico, non receperunt. Etsi igitur propheticum habeant sermonem, sed absq; capite, hoc est Christo, illum habent.

† metuitus

Periurium ubi licitum.

Cadauer quid dicatur.

Matth. 14. Luc. 9.

Et congregantur Apostoli ad Iesum, ac renunciauerunt ei omnia, & quæ egissent, quæq; docuissent. Et ait illis, Venite uos soli seorsum in desertũ locũ, & requiescite pusillũ. Erant enim qui uenirent & abirent multi, ac ne cibũ quidem capere uacabat. Et B abijt in desertũ locum nauigio seorsum: & uiderunt eos abeuntes, & agnouerunt eum multi, & itinere pedestri ex omnibus ciuitatibus concurrerũt illuc & præuenerũt eos, cõueneruntq; ad illũ.] Apostoli postq̃ prædicauerunt, cõgregantur apud Iesum: ut & nos discamus siquando in ministeriũ mittamur, ne nos totos ab eo qui mittit, abripiamus, sed illũ sciamus caput, & ad illũ redeamus, annũciemusq; ei omnia quę uel docuimus uel fecimus. Neq; enim satis est si doceamus, nisi & fecerimus. Quiescere aũt facit Christus discipulos, ut sciãt prælati, laborãtes in uerbo & doctrina, dignos qbus det sua quies, & nõ semper intendant laboribus. Porrò in locũ desertũ secedit, ut inanis gloria uitet. sed neq; eo loco latere potest quærẽtes. Adeò aũt uigilabant illi ne se effugeret, ut & præuenerint apostolos, & abiuerint in locũ ubi Christus quietẽ habiturus erat. Sic & tu præueni Iesum: ne expectes ut ille te uocet: sed præcurre, & tu magis illũ præuenito.

Nõ semper intendendũ laboribus.

Et egressus uidit turbam multam Iesus, & affectu misericordiæ tactus est erga eos: quia erant uelut oues non habentes pastorem. Et cœpit illos docere multa: & cum iam *Ioan. 9.* multum temporis præteriisset, accesserunt ad eum discipuli eius dicentes, Desertus est locus, & iam multũ temporis est: dimitte illos, ut abeant in circumiacentes uillas ac uicos, emantq; sibi panes. nam quod edant non habent. At ille respondens ait illis, Date illis uos quod edant. Et dixerunt ei, Euntes emamus ducentis denarijs panes, & demus illis quod edant? At ille dicit eis, Quot panes habetis? Ite & uidete. Et cum cognouissent, dicunt, Quinq;, & duos pisces. Et præcepit illis ut accumbere facerent omnes, distributis conuiuijs in uiridi gramine. Et discubuerunt diuisim in areolas centeni & quinquageni.] Pharisæi cum essent lupi rapaces, non pascebant populum, sed deuorabant. propterea relictis illis ad Christum uerum pastorem turbæ congregantur, unde & ipse alimoniam eis suppeditat, & primum utiliorem & honestiorem, nempe uerbum suum, deinde & corporalem. Vide aũt discipulos quomodo in misericordia proficiant. Misericordia enim moti erga turbas, accedunt ad Christum, & pro illis orant. Dominus aũt tentans & probans num suã agnoscerẽt uirtutem q̃ possit illas alere, ait, Date illis uos ut edant. Illi aũt & arguerunt eum, ut ignorantẽ quanta laborent rerum penuria, & quanta populi esset multitudo. Nonnulli enim grauati animo dicebant,

Emamus

A Emamus ducentis denarijs panes, & demus illis ut edant? Deniq; recumbere facit omnes in fœno separatos, hoc est enim distributis cõuiuijs, id est diuersis mensis, quod iterũ designat dum dicit, discubuerũt diuisim in areolas, hoc est multas partes & sectiones. Areolæ enim dicuntur uariæ sectiones in hortis in quibus plantantur uaria olera. *Areolæ.*

Et cum accepisset quinq; panes & duos pisces, sublatis in cœlum oculis benedixit ac fregit panes, deditq; discipulis suis, ut apponerẽt illis: & duos pisces diuisit omnibus. Et comederunt omnes, ac saturati sunt, & sustulerunt fragmentorum duodecim cophinos plenos, & de piscibus. Et erant qui comederant panes, quinq; millia uirorum.] Suspicit in cœlum, partim nos docens à Deo petere cibum, nõ à diabolo: id quod faciunt qui iniustis prædis uiuunt: partim monstrans turbis se nõ esse aduersarium Deo, quẽ inuocabat. Porrò discipulis dat, ne miraculi obliuiscãtur, quia suis manibus tenuissent panes. Residui aũt sunt duodecim cophini, eadem de causa, ut suis quisq; humeris unum gestantes, memoria rem seruarent. Virtutis aũt magnitudo indicatur, q̃ non solum tam multi pascuntur, sed & multa relinquuntur residua. Moses enim quãuis manna dedisset, tamen pro singulorum usu dabat, nam quod supererat, uermiculis scaturiebat. Helias quoq; uiduã pascens, suppeditabat quantũ satis erat. Iesus aũt ut Dominus etiã residua facit. Et hæc quidem iuxta historiã: uerùm iuxta anagogen, quinq; panes sunt libri Mosis, qui quinq; sunt, Genesis, Exodus, Leuiticus, Numeri, & Deuteronomium. Duo aũt pisces, piscatorum libri, Apostolus & Euangeliũ. Illis enim pascuntur quinq; nostri sensus, qui per quinq; millia signantur. Verùm nõ possunt omnia edere, sed multa residua relinquunt, quæ apostoli gestare possunt. Nam difficiliores sensus legis & euangeliorũ nos quidem quinq; sensibus seruientes non portamus, sed apostoli. *Qui cibum à diabolo petant.* *Exod. 16.* *3. Reg. 17.* *Quinq; panes.* *Duo pisces.*

Et statim coegit discipulos suos conscendere nauim, ut præcederent trãsmisso mari Bethsaidam, dum ipse dimitteret turbã. Et cum dimisisset eos, abijt in montẽ ad orandum. Et cum uespera aduenisset, erat nauis in medio mari, & ipse solus in terra: uiditq; eos laborantes in remigando. Erat enim uentus cõtrarius eis. Et circa quartã uigiliam
B noctis uenit ad eos ambulans super mare, & uolebat præterire eos. At illi ut uiderunt eum ambulantẽ super mare, putauerunt spectrũ esse, & exclamauerunt. Omnes enim uidebant eum, & conturbati sunt: & statim loquutus est cũ eis, dixitq; eis, Confidite ego sum, ne terreamini. Et ascendit ad illos in nauim, & cõquieuit uentus. Et uehementer supra modũ intra se stupebãt & admirabant. Non enim intellexerant de panibus. erat enim cor eorum obcæcatũ.] Cogit discipulos. Nolebant enim auelli ab eo, sed ui separabantur, partim propter amorẽ erga illum, partim q̃ dubitabant quomodónam ad ipsos rediret, cum abesset nauis. Dimissis itaq; turbis ascendit in montem ut oraret seorsum. Quiete & tranquillitate opus habent preces. Cæterùm discipulos tentari permittit, ut discant patientiam. Nam propterea nõ statim illis assistit, sed tota nocte sinit in tẽpestate esse, ut doceat fortes esse, & nõ in principio tentationũ sperandam requiem. Obserua & aliud, quòd daturus finem rerum difficultatibus, in maiorẽ illos terrorem adducit. Viso igitur illo clamauerunt turbati tanq̃ in phantasmate: & statim peruocẽ succurrit eis, dicens, Ne terreamini. Deinde & per ingressum in nauim, maiorẽ illis securitatẽ parit. Cõfestim enim cõquieuit uentus. Magnũ aũt miraculũ, ambulare super mare, & reuera diuinũ: & cũ esset tanta tẽpestas, tamq; cõtrarius uentus, miraculi incrementũ erat. Apostoli aũt cum non intellexissent de panibus, ex hoc miraculo in mari intellexerũt. Videtur sanè Christus propter hoc permisisse illos tentari, ut quoniã à panibus eum nõ cognouissent, notitiã à mari perciperẽt, atq; utilitatẽ consequerent. *Quiete opus habent orationes.*

Et cum traiecissent, uenerunt in terrã Genezareth, & applicuerũt in portũ. Cumq; egressi essent è naui, cõtinuò agnouerunt eum: ac percurrentes totam undiq; regionẽ illã, cœperunt in lectis eos qui malè habebãt circunferre, cum audissent eum illic esse: & quocũq; introisset in uicos aut ciuitates, aut in uillas, in plateis ponebant infirmos, & deprecabantur eum, ut uel fimbriã uestimenti eius tangerent: & quotquot tangebãt eum, salui fiebant.] Aliquanto tẽpore, ut uidetur, peregrinatus est Dominus in loco illo, eo q̃ Euangelista dicit, Cum agnouissent illum, attulerũt infirmos. Non enim in domos ipsum uocabant, sed ipsi afferebant eos qui malè habebant, obsecrantes ut illis uel fimbriã uestimenti tangere liceat. Nam miraculum quod in muliere operatus fuerat, quæ sanguinis profluuio laborabat, ad omnium aures peruenerat, fidemq; auxerat.

Universidad de Deusto
Biblioteca

CAPVT VII. A

Matth. 9. Sup. 5. Lucæ 8. Matth. 15. ET conueniunt ad eum pharisæi, & quidam de scribis qui uenerant à Hierosolymis: & cum uidissent quosdam ex discipulis eius communibus manibus, id est illotis, edere panes, incusabant. Nam pharisæi & omnes Iudæi nisi cubitaliter laualorint manus, non capiunt cibum, tenentes instituta maiorum: & à foro uenientes, nisi ti fuerint, non comedunt. Et alia multa sunt quæ susceperunt seruanda, nempe lotiones poculorum & urceorum, & æramentorum, & lectorum. Deinde interrogãt eum pharisæi & scribæ, Quare discipuli tui non ambulant iuxta traditionem seniorum, sed illotis manibus edunt panem?] Discipuli Domini docti solam uirtutem amplexari, & in alijs non esse superstitiosi, illotis manibus comedebant, simpliciter & absq; curiositate, Pharisæi autem quærentes conuicij occasionem, illud reprehendunt: neq; reprehendunt illos ut transgredientes legem, sed traditiones seniorum. Non enim in lege scriptum erat, Lauandum cubitaliter, hoc est usq; ad cubitum: (†cubitaliter enim dicitur à cubito usq; ad extremos digitos) sed hoc erat à senioribus traditum.

† πυγμῆ. alij πυκμῆ, id est, crebro.

Esaiæ 29. At ille respondẽs dixit eis, Bene uaticinatus est Esaias de uobis hypocritis, sicut scriptum est, Populus hic labijs me honorat, cor autem eorũ longè est à me: inuanum autem me colunt docentes doctrinas, præcepta hominũ. Nam omisso præcepto Dei tenetis constitutionem hominum: ablutiones urceorum & poculorũ, aliaq; similia his facitis multa. Et dicebat illis, Bene reijcitis præceptum Dei ut constitutionem uestram

Exod. 20. Deu. 5. Leuit. 20. seruetis. Moses enim dixit: Honora patrem tuũ & matrem tuam: &, Qui maledixerit patri uel matri, morte moriatur. Vos aũt dicitis, Si dixerit homo patri aut matri, corban, quod est, donum quodcunq; ex me, in tuum cedet cõmodum, & præterea non sinitis eum quicquã facere patri suo, aut matri suæ, & irritum facitis uerbũ Dei per constitutionem uestrã quam tradidistis. Et similia huiusmodi multa facitis.] Vt grauius arguat Dominus Iudæos, adducit & prophetam à quo taxantur. Illi enim discipulos arguebant q̃ seniorum traditionem præuaricati essent: Dominus autem eis impingit crimen longè grauius, quòd Mosis legem præuaricarentur. Lex enim dicit, Honora pa- B

Corban. trem tuum & matrem tuam: uos autem docetis pueros ut dicant ad parentes, corban, hoc est, donum & oblatum Deo est, quod quæris ex me. Pharisæi enim uolentes deuorare ea quæ erant plebeiorum, docebant pueros, si quid haberent uelut peculium, & illud quærerent parentes, dicerent, Iam consecraui hoc Deo, ne ultrà quærant iam oblatum Domino. Igitur sic decipiebant pueros, & simul persuadebant eis ut consecrarent Domino quæ haberent: quo parentes faciebant contemni, ipsi autem deuorabãt Deo sacrata. Propterea arguit eos Dominus, q̃ propter lucrum transgrediantur legem Dei.

Et cum aduocasset ad se totam turbam, dicebat illis, Audite me omnes, & intelligite. Nihil est extra hominem introiens in eum, quod possit eum inquinare: sed quæ de homine præcedunt, illa sunt quę inquinant hominem. Si quis habet aures ad audiendum, audiat. Et cũ intrasset in domũ semotus à turba interrogabant eum discipuli eius de parabola. Et ait illis, Adeò & uos intelligentia caretis? Nondum intelligitis quòd omne foris introiens in hominem, non potest eum inquinare, quia non intrat in cor eius, sed in uentrẽ, & in secessum exit, repurgans omnes escas? Dicebat autem, Quod ab homine exit, illud inquinat hominem. Ab interioribus enim de corde hominũ malæ cogitationes procedunt, adulteria, stupra, homicidia, furta, auaritiæ, fraudes, dolus, impudicitia, malus oculus, blasphemia, superbia, stultitia: omnia hæc mala ab internis procedunt, & coinquinant hominem.] Dominus docens homines q̃ ciborum obseruationes quas lex prohibet, non debeamus corporaliter intelligere, incipit hoc loco legis mentem aperire, dicens, nihil quod ingreditur, posse cõmunem facere, hoc est inquinare quempiam: sed ea quæ egrediuntur de corde. Illa enim sunt quæ inquinãt. &

Oculus malus. enumerat ea. Oculum malum inquit uel inuidiam, uel intemperantiam. Etenim inuidus oculum malum & fascinum immittit in eum cui inuidet. Et intemperans per oculum uidens, malum accersit. Blasphemiã autem dicit conuicium in Deum, ut si quis dicat, Non est prouidentia. unde & superbiam adijcit. Superbia enim est quasi contemptus Dei, quando quis bonũ operatur, & hoc nõ ascribit Deo, sed propriæ uirtuti. Stultitia autem cõuicium est in homines. Omnes illæ affectiones coinquinant animã, scaturiuntq̃ ex illa & egrediuntur. Cæterùm turbæ obscurius loquutus est Deus: idcirco

Blasphemia. Superbia. Stultitia.

& dice

A & dicebat, Qui habet aures audiẽdi, audiat, hoc eſt intelligens intelligat. Apoſtoli aũt ꝓfundius q̃ddã dicere Dominũ exiſtimarũt, & accedũt & interrogãt de parabola, hoc eſt obtenebrato & obſcuro ſermone. Parabola enim ſermo eſt tenebroſus. Et primũ q̃ dẽ increpauit eos dicens, Siccine & uos ſine intellectu eſtis? deinde ſoluit q̃d angebat. *Parabola.*

Et cũ inde ſurrexiſſet, abiit in cõfinia Tyri & Sidonis: & ingreſſus domũ, neminem uoluit ſcire, nec potuit latere. Mulier enim ſtatim ut audiuit de eo, cuius filiola habebat ſpiritum immũdum, uenit & accidit ad pedes eius. erat enim mulier Græca Syrophœniſſa genere, & rogabat eũ ut dæmoniũ eiiceret de filia ſua. Ieſus aũt dixit illi, Sine prius ſaturari filios. ñõ eſt enim honeſtum ſumere panem filiorũ, & proiicere catellis. At illa reſpondit & dixit illi, Etiam Domine: nam catelli quoq; comedunt ſub menſa de micis filiorum. Et ait illi, Propter iſtum ſermonem uade, exiit dæmonium à filia tua. Et cũ abiiſſet domum ſuam, reperit dæmoniũ exiiſſe, & filiam iacentem ſuper lectum.] Poſtq̃ de cibis loquutus eſt Dominus, & uidit incredulos Iudæos, tranſiit in Gentilium fines. Nam quum increduli eſſent Iudæi, ſalus futura erat Gentium. Et ipſe primùm quę fiuit latere, ut ne habeant Iudæi poſtea q̃ poſſint ipſum accuſare q̃ ad immũdas gentes præcurrerit. Non potuit tamen latêre. non enim † ueniebat ut latêret, & à nemine agnoſceret. Mulier igitur quæ audierat de eo, oſtẽdit alacrem fidẽ ſuã: & propterea Dominus nõ ſtatim exaudit, ſed moratur & differt donum, ut oſtendat mulieris ſolidam fidem, quæ cũiuis ablegaretur, perſeuerauit: ut & nos diſcamus non ſtatim reſilire cum precamur, ſi non ſtatim uotorum fuerimus cõpotes, ſed perſeueremus donec accipiamus. Præterea canes nominat Gentiles, tanq̃ exoſos Iudæis habitos. Panẽ aũt beneficiũ, quod pueris, hoc eſt Hebræis, ſegregarat Deus. Beneficia autem Hebræis imparti tus eſt. Dicit igitur Dominus, Non oportet Gentiles participes eſſe beneficiorum quę Iudęis deſtinata ſunt. Quia uerò prudenter reſpondit mulier & fideliter, deſideriũ facta eſt compos. Iudæi enim, inquit, panem habent, hoc eſt te totũ, qui è cœlis deſcendiſti, & beneficia tua: at ego micas peto, hoc eſt beneficium particulare. Vide autem Domi

B nũ quomodo non dixerit, Virtus mea ſaluauauit te. ſed quid dicit? Propter ſermonem hunc, hoc eſt propter fidẽ tuam, uade: mũdata enim eſt filia tua. Diſce igitur & tu hoc loco utilem doctrinã. Etenim unuſquiſq; noſtrũm quando peccat, mulier eſt, hoc eſt infirma anima. Phœniſſa autẽ, tanquam rubrum & ſanguinarium ac cruentum peccatum habens. Filiam aũt habet talis † mulier, malum opus, q̃nod habet dæmoniũ. Mala eñ opera, dæmonũ ſunt: Peccatores itaq; cũ ſimus, canes nominamur, immũditia pleni, ꝓpter q̃ & indigni ſumus q̃ accipiamus panẽ Dei, hoc eſt, cõmunicemus immaculatis myſterijs. Q̃d ſi p̃ humilitatẽ noſmetipſos agnouerimus, & cõfeſſi fuerimus nos eſſe canes, enarrauerimusq; pc̃ta noſtra, tũc ſanabit filia noſtra, hoc eſt opus diabolicum. †fieri potẽrat. *Preces cũ exaudire interdum differat Deus.* †anima *Peccatores canes.*

Et rurſum egreſſus de finibus Tyri ac Sidonis, uenit ad mare Galilææ per medios fines Decapolis, & adducunt ei ſurdũ, impeditæq; linguæ, & deprecant eum ut imponat illi manũ. & cũ apprehendiſſet eũ de turba ſeorſum, miſit digitos ſuos in auriculas eius, & ſputo emiſſo tetigit linguã eius, ac ſuſpiciens in cœlum ingemuit, & ait illi, Ephata, q̃d eſt aperire. Eſt ſtatim apertę ſunt aures eius, & ſolutũ eſt uinculũ linguę eius, & loquebat rectè: & p̃cepit illis ne cui dicerẽt. Sed q̃ magis ille eis præcipiebat, hoc amplius p̃dicabãt, & ſupra modũ ſtupebãt dicentes, Bene omnia fecit, & ſurdos fecit audire, & mutos loqui.] Non moratur diu in Gentiliũ locis, ſed ſtatim tranſit, ne (ſicut dicebam) daret occaſionem Iudæis dicendi q̃ præuaricaretur legem, Gentilibus ſe miſcẽs. Secedens igit̃ à finibus Tyri & Sidonis, uadit in Galilæã. Porrò ſurdũ & impeditæ linguæ illum ſanat. Erat autem morbus ille à dæmone. Iam quôd de turba ſeorſum apprehendit illum, ideo factum, q̃ non erat arrogantiæ ſectator, qui ſe humiliarat uſq; ad noſtram inopiam: & ut plurimum noluit coram multis miracula facere, niſi fortè propter uidentium utilitatem. Quum uerò expuiſſet, tetigit linguam illius, ut oſtenderet omnes partes ſanctæ carnis ſuæ ſanctas ac diuinas eſſe, adeò ut & ſputum ſolueret linguæ uinculum: tametſi ſuperfluitas ſit omne ſputum, ſed in Domino admirabilia erant ac diuina omnia. Vt autem ſuſpexit in cœlum, ingemuit, fortaſſis & orans patrem quò miſericordia dignaretur hominem: & nos docens quando facturi ſumus miraculum, ad Deũ reſpiciamus, & inde petamus miraculorũ uirtutem. fortaſſis etiã miſericordia erga humanã naturã tactus, q̃ pacto ſic tradita eſſet diabolo, q̃ illi ſic illuderet, & à quo *Partes omnes in Chriſto ſanctæ.*

tanta pateretur. Vnde & qui sanarat, à sanatis prædicatur: tametsi illis ipse interdiceret ac prohiberet ne quid dicerent. Docemur & item hoc loco ꝙ quando benefacturi sumus, ne plausus uel celebritates ex beneficijs quæramus: quum autem beneficia acceperimus, ut benefactores, licet ipsi recusent, laudemus & prædicemus.

CAPVT VIII.

Ioan. 15. IN diebus illis cum turba admodum multa esset, nec haberent quod manducarent, accersitis ad se Iesus discipulis, ait illis, Misericordia tangor erga turbam: quia iam triduo apud me manent, nec habent quod edant: & si dimisero eos ieiunos in domum suam, deficient in uia. quidam enim ex eis è longinquo uenerunt. Et responderunt ei discipuli sui, Vnde illos quis poterit hic satiare panib. in solitudine? Et interrogauit eos, Quot panes habetis? Illi uerò dixerunt, septem. Et præcepit turbę discumbere super terram: & acceptis septem panibus, cum gratias egisset, fregit, deditq; discipulis suis, ut apponerent, & apposuerunt turbæ. Et habebant pisciculos paucos: & quum benedixisset, iussit apponi & hos. Comederunt autem & saturati sunt: ac sustulerunt quæ superfuerant fragmentorum septem, sportas. Erant autem qui comederant, fermè quater mille: & dimisit illos.] Etiam antea tale quoddam miraculum fecit Dominus, & nunc idem denuò operatur sumpta occasione iusta, nempe ꝙ tres dies mãserat turba, & absumpta erant omnium uiatica. Non enim semper miraculum facit in alimentis, ut ne putent quòd propter cibos populus illum sequatur, & nunc nisi periculum ex ciborum penuria fuisset, neutiq; fecisset miraculũ. Vide autẽ & discipulos quàm insipienter se habeant, nondũ credentes uirtutes illius ex prioribus signis. Ipse aũt non reprehendit docens & nos ne morosiores & austeriores erga indociles simus, sed sunt quæ illis oportet ignoscere ut insipientibus. Considera aũt & hoc, quòd Christus nullũ uult dimittere ieiunũ. omnes enim uult delicijs suorũ donorum alere, & maximè eos qui triduo apud se manent, hoc est baptizatos. Illuminatio enim dicitur baptisma. Quia autem baptismus in tribus mersionibus fit, ita & triduo manent qui per baptismum illuminantur. Accepit septem panes, spirituales inquã sermones. Numerus enim septenarius, spiritus sancti symbolum est, qui perficit omnia. Septenario enim numero perficitur uita hæc, & hoc seculum. Comedunt autem illuminati, & saturantur, & reliquiæ supersunt. Neq; omnes sensus diuinos edere ualent. Verùm sicut in illo quinq; panum miraculo, duodecim cophini sunt, & plures reliquię: erant enim quinq; millia, hoc est, quinq; sensibus seruiebant, & propterea nõ potuerunt multa edere, sed paucis contenti fuerunt, & ideo plures sunt reliquiæ: ita hic septem sunt sportæ, & pauciora residua, eo quòd quatuor millia fuerunt, hoc est quatuor uirtutibus exercitati, & propterea tanquam potentiores, plura comederunt, & pauciora reliquerunt. Illa enim sola non potuerunt comedere, quæ fuerunt magis spiritualia, & profundiora, unde & per septem sportas designantur. Disce & hoc iuxta historiã, quòd debemus his quibus indigemus contenti esse, & nihil amplius quærere. Ecce enim turbæ quæ comederunt, & saturatæ fuerunt, non acceperunt secum reliquias panum, sed discipuli has gestarunt, quemadmodũ & in cophinis factũ fuerat, sic igit & nos usu nobis cõgruo esse contentos decet.

Matth. 14. Sup. 6. Luc. 9. Ioan. 6.

Erga indociles non decet austeriores nos esse.

Baptismi trina immersio.

Septenarius numerus.

Matth. 16. Hebr. 13.

Et mox ingressus in nauim cũ discipulis suis, uenit in partes Dalmanutha: & egressi sunt pharisæi, cœperũtq; disputare cũ illo, quærentes ab eo signũ è cœlo, tentantes eum. Et cũ ingemuisset spiritu suo, dicit, Cur generatio hæc signũ quærit? Amen dico uobis, si dabitur generationi huic signum.] Post signum hoc septem panũ statim secedit in alium locum, timens nequo pacto turba tanto miraculo excitata, quid nouarum rerum moliretur, regemq; se faceret. Pharisæi signum quærunt de cœlo, utpote quòd solem stat & lunam, fulmina deducat, aerem immutet. Arbitrabantur enim eum non posse facere signũ de cœlo: in Beelzebul facere solum signa in terra. Ipse autem morem eis nõ gerit. Aliud enim est tempus signorũ de cœlo, nempe secundi aduentus tempus, quando uirtutes cœlorum commouebuntur, & luna non dabit splendorem suum. Primi autem aduentus tempus nihil tale habet, sed omnia mansuetudine plena sunt, & ita non dabitur generationi huic signum tale, hoc est de cœlo.

Mat. 16. Lucæ 12. Matth. 24. Infra 13.

Et relictis illis ingressus rursus nauim abijt traiecto lacu. Et obliti fuerãt * sumere panes, nec præter unum panem habebant secum in naui. Ac præcepit illis dicens, Videte, cauete à fermento pharisęorũ, & à fermento Herodis. Et disputabãt inter sese dicentes, Panes

*Codex Romanus addit, discipuli eius.

A Panes nõ habemus. Et eo cognito Iesus dicit illis, Quid disputatis q̃ panes nõ habetis? Nondum animaduertitis nec intelligitis? adhuc obcæcatũ habetis cor uestrum? oculos habentes non cernitis, & aures habentes non auditis? & non meministis cũ quinq̃ panes fregissem in hominũ quinq̃ millia, quot cophinos fragmentis plenos sustulistis? Dicunt ei, duodecim. Cũ aũt septem in quatuor millia, quot sportas ex reliquijs fragmentorũ tulistis? Illi uero dixerunt, septem. & dixit illis, Quí sit ut nõ intelligatis?] Reliquit Pharisæos Dominus, ut incorrigibiles. Vbi enim spes est correctionis, ibi immorandũ est: ubi autem illa defuerit, inde transeundum. Singulari autem dispensatione fit ut discipuli obliuiscantur panum, quò meliores euadant obiurgati, & intelligant Domini uirtutem. Nã quum dixisset cauendum à fermento pharisæorum, hoc est doctrina, illi eum putabant de panũ fermento loquutum. Vnde meritò perstringuntur tanq̃ stupidi, & non intelligentes uirtutem Christi, qui possit ex nihilo facere panes. Fermentum ideo nominat doctrinam pharisæorum & Herodianorum, quia amara est, malitiæq̃ ueteris plena. Quicunq̃ enim malitia inueteratus est, & nihil spirituale potest dicere quod auditoris faucibus sit dulce, ille fermentum habet, ac mordacem ueteris malitiæ doctrinam, quæ illi obedientẽ ad pœnitudinẽ tandem ducat. Herodiani aũt erant doctores quidam nuper orti, dicentes Herodem esse Christum, & illi esse credendum. *Ioan. 6.* *Cur doctrina pharisæorum fermẽtum.* *Herodiani.*

Et uenit Bethsaidan, & adducũt illi cæcũ: & obsecrabant eũ ut illum tangeret. Et apprehensa manu cæci, eduxit illum extra uicũ: & quũ expuisset in oculos illius, impositisq̃ illi manus, interrogauit eũ si quid uideret: & recepto uisu dicebat, Video homines, quoniam uelut arbores cerno ambulantes. Deinde rursum imposuit manus super oculos illius, & fecit ut uisum reciperet, & restitutus est: ac denuo uidebat dilucidè omnes: & dimisit illum in domum suã, dicens, Neq̃ in uicum ingrediaris, neq̃ dixeris cui quã in uico.] Apparet Bethsaidan incredulitate multa laborasse: ideo & miseram eam dicit Christus, sicut Matthæus inquit, Væ tibi Chorazin, uæ tibi Bethsaida: quia si in Tyro & Sidone factæ fuissent uirtutes quæ factæ sunt in uobis, pridem resipuissent. Hue igitur quũ uenisset Iesus, adducunt ad eũ cæcum. Non erat aũt pura adducentium fides, unde & Dominus educit cæcũ è pago, & sic sanat illum. Expuit uero in oculos cæci, & manus imponit, ut discamus nos q̃ sermo diuinus & operatio illum subsequens ad miracula facienda efficax sit. Manus enim, operationis symbolũ est: sputum aũt sermonis, eo q̃ ex ore sit. Et quia neq̃ cæcus ille p̃fectã habuit fidẽ, idcirco nõ statim ipsum respicere facit, sed sensim, utpote integra carentẽ fide. Iuxta fidei enim magnitudinẽ & sanitas datur. Prohibet aũt ne ingrediatur in pagũ suum, eò q̃, sicut dixi, incredulí erãt homines, & animę eius nocuissent. Sed neq̃ Christus hoc de se alieni dici uult, ut ne in incredulitate sua perseuerãtes illi, in grauius inciderent iudiciũ. Et nos quandiu in hoc pago, id est mundo agimus, anima sumus cæci: educti aũt è mũdo & secularibus negocijs, à Christo sanamur. Postquam autem sanati fuerimus, dicit nobis ne ultrà reuertamur in pagũ, sed in domũ. Domus aũt uniuscuiusq̃ nostrũ cœlũ, mãsiones q̃ illic sunt. *Matth. 11.* *Manus.* *Sputum.*

B Et regressus est Iesus & discipuli illius in uicos Cæsariæ q̃ cognominat̃ Philippi: & in uia interrogauit discipulos suos dicẽs, Quẽ me dicũt homines esse? Illi uero respõderunt, Iohannẽ Baptistã, & alij Heliã, alij rursus unũ de numero Prophetarũ. Et ipse dicit illis, At uos quẽ me dicitis esse? Respondens aũt Petrus dicit illi, Tu es ille Christus. Et interminatus est eis ne cui dicerent de se.] Quum abduxisset eos procul à Iudæis, interrogat de se, ut nullum timentes ueritatem faterentur. Respondent igitur, alij quidẽ Iohannem Baptistam te suspicantur, alij uero Heliam. multi enim Iohannem resurrexisse credebant, sicut etiam Herodes opinatus est, q̃ propter resurrectionem accessisset ei uirtus illa qua miracula faciebat. Iohannes enim quum uiueret, non faciebat miracula. Vbi igitur interrogauit eos de aliorum opinionibus, rogat ex eis & suam ipsorũ sententiam, quasi diceret: Illi errãtes sic de me sentiunt, uos autẽ aliud quiddam dicite. Quid igitur Petrus? Confitetur eum esse illum qui à prophetis prædictus est. Quid aũt ad confessionem Petri dixerit Dominus, & quomodo beatificarit illum, Marcus quidem prætermisit, ne uideretur ad gratiam Petri præceptoris sui hæc dixisse: Matthæus autem non omisit. Interminatus est autem illis ut nulli de se dicant. Volebat enim adumbrari gloriam suã, ne postea multi in se scandalizarentur, & propterea ob incredulitatem suam maiori supplicio fierent obnoxij. *Matth. 16.*

Et

Et cœpit docere eos q̄ oporteret filiū hominis multa pati, & reprobari à senioribus A
summisq̄ sacerdotibus ac scribis, & occidi, & post tres dies resurgere: & aperte sermo
nē loquebat̄. Et apprehendit illū Petrus, cœpitq̄ increpare eū. At ille conuersus, & in-
tuitus discipulos suos, increpauit Petrū, dicens, Abi post me satana, quoniam non sapis
quæ Dei sunt, sed quæ sunt hominū.] Quādo deprehendit eos cōfessos se esse uerum il
lū Christū, tunc tandem & crucis sacramentū eis manifestat, tametsi nō omnino nude:
neq̄ enim sic q̄d diceret intellexissent, neq̄ intelligebāt quid esset resurgere. Vnde pu-
tabant melius esse omnino nō pati. Vnde & Petrus incepit eum increpare, q̄ temerè in
mortem se offerret, potuisset enim nō pati. At Dominus monstrans ad salutem suā pas
sionem pertinere, & solum satanam eum nolle pati, ne saluentur homines: satanam no
minat Petrum, tanquam idem cum satana sentientem, nolentemq̄ se pati, sed magis se
Satanas. opponentem. Satanas enim idem est quod aduersarius. Vade autem post me, inquit,
hoc est, sequere uoluntatem meam, & nō oblucteris, neq̄ ex aduerso mihi stes, sed post
me sequaris. Humana dicebat sapere Petrū, eò q̄ humilia quædā & carnalia sapiebat,
mollius agere, & nō crucifigi, nec in tentationes incidere dominū ꝓpter mūdi salutē.

Et quū ad se uocasset turbā unà cū discipulis suis, dixit illis, Quicunq̄ uult sequi me,
Iohan.12. abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequat̄ me. Nam quisquis uoluerit ani-
mā suam seruare, perdet eam. Quisquis autem perdiderit animam suam causa mea &
euangelij, hic seruabit eam. Quid aūt profuerit homini si lucratus fuerit mundū uniuer
sum, & animæ suæ iacturam fecerit? Aut quid daturus est homo quo repenset animam
suam?] Quandoquidem Petrus increparat eum uolentem crucifigi, aduocat turbā: &
audientibus omnibus Petrū acrius alloquitur, Tu me, inquit, reprehendis Petre, quòd
crucem tollo? ego autem tibi dico, quòd neq̄ tu neq̄ quisquam saluabitur, nisi moriat̄
Nota. pro bono & ueritate. Cæterū uide q̄ nō dixit, etiamsi nō uelit quis, moriatur, sed, qui-
cunq̄ uult. Nullum enim cogo. Ad bona uoco, non ad mala, ut & compellam: & ita si
Abnegare semetipsum quis non uult, nō est his dignus. Quid sit autem abnegare semetipsum, discemus, si di-
cerimus quid sit abnegare aliū. Qui enim abnegat alium, fratrem fortassis, uel familia B
rem, uel patrem, etiāsi flagellari illum uiderit, & occidi, nō aduertit, nō dolet, nō compa
titur semel ab eo alienatus: sic quoq̄ & nos uult corpus nostrum despicere, ut siue fla-
Crux ignominiosa. gella, siue aliud quid patiatur, ne illi parcamus. Tollat autem crucem suam, hoc est igno
miniosam mortem. Ignominiosa enim tūc uidebatur crux. Præterea quia multi in cru
cem agebantur latrones, addit quòd cum crucifixione etiam omnem aliam uirtutem
habeat. hoc enim est, & sequatur me. At quoniam graue hoc esse uidebatur & crudele
quod imperat nobis ut nos morti exponeremus, dicit q̄ hoc modo plus habeat miseri-
cordiæ. Nā quisquis perdiderit animā suam propter me, non tanq̄ latro qui occiditur,
† qui seipsum suffocat. uel tanq̄ is † qui suspendit̄ (hoc enim nō est propter me) talis inueniet animā suā: sicut
contrà si quis uideat̄ lucrari, perdet eam si in tempore martyrij non restiterit. Ne mihi
†si etiā addiderit, q̄ dixeris q̄ lucratus sit uitā, nam † quum postea deponēda sit, etiā si totum mundū fuerit
lucratus, nulla erit utilitas. neq̄ enim diuitijs salus repensari potest. siquidem enim hoc
est, quod is qui lucratur totū mundū, animā aūt perdit. Dedisset enim & is qui in flāma
cruciabat̄, & innocens fuisset. At nō est tūc talis quædā cōmutatio illic. Proinde & hoc
Origenistæ confutātur. loco cōfutabimus Origenistas dicētes q̄ futura sit quędā animarū reparatio, postq̄ pu
nitæ fuerint iuxta peccatorū suorū rationem. Audiāt enim q̄ illic nō repensēt quippiā
ꝑ aīa. Proinde neq̄ tantum subire licet supplicium, quantū ꝑ peccato rependendū est.

Quemcūq̄ enim puduerit mei ac meorū sermonū in generatione hac adultera & pec
catrice, pudebit illius & filiū hominis, ubi uenerit in gloria patris sui cū angelis sanctis.
Mat.18. Et dicebat illis: Amen dico uobis, sunt quidā inter eos qui hic stāt, qui nō gustabunt
Luc.9. mortem donec uiderint regnum Dei uenisse cum uirtute.] Non sufficit mentalis fi-
Sāctificatio corporis et animæ. des, sed etiam oris cōfessio exigitur. Nam quia duplex est homo, duplex fiat & sanctifi
catio. Sanctificatur quidem anima per fidem, corpus autem per confessionem. Quem
igitur puduerit crucifixum confiteri Deum suum, illius & ipsum pudebit. Indignum
se illum seruum iudicabit quum uenerit, non tunc humilis, neque (sicut hic apparebat)
contemptus ita, ut quem eius tunc pudere debeat: sed in gloria, & cum comitatu an-
gelorum. Quia autem de gloria sua dicebat, uolens eis declarare quòd non hoc in
uanum per arrogantiam loqueretur, dicit quòd sunt quidam ex hic stantibus, nempe

Petrus,

A Petrus, Iacobus, & Ioannes, qui non morientur donec ostendero eis in transfiguratione quanta cum gloria uenturus sim in secundo aduentu. nihil enim aliud erat transformatio, quàm secundi aduentus significatio. Sic enim tũc & ipse fulgebit & sancti eius.

CAPVT IX.

ET post dies sex assumsit Iesus Petrũ & Iacobum, ac Ioannẽ, & subduxit eos in montem excelsum seorsum solos, & transformatus fuit corã illis, & uestimenta illius facta sunt splendida & candida ualde uelut nix, q̃ cãdida facere nõ potest fullo super terram. Lucas autem post octo dies dicit, non dissidens à Marco, sed planè consonans. Ille enim & diem quo locutus erat, & diem quo ascendit, dixit: Marcus aũt intermedios dũtaxat. Assumptos igitur præcipuè secũ subducit in montem excelsum, Petrum quidem, tanq̃ eum qui confessus erat, & diligebat: Ioannem, ut eum qui diligebatur: & Iacobum, ut & ipsum theologum uocalissimum. nam ita molestus erat Iudæis, ut etiã Herodes Iudæis placere uolens ipsum occiderit. In montem aũt excelsum subduxit, quò glorioslius fiat miraculum. Et seorsum. sacramentũ enim seorsum demonstraturus erat. Per transformationem intellige nõ characteris & lineamentorum immutationem, sed manente charactere qualis prius erat, ineffabilis lucis factum esse augmentum.

Matt. 17. Luce 9.

Act. 12.

Est conspectus est illis Helias cum Moyse, colloquebanturq̃ cũ Iesu. Et respondens Petrus dicit Iesu, Rabbi, bonũ est nos hic esse: & faciamus tabernacula tria, tibi unum, Moysi unũ, & Heliæ unũ. Nõ enim nouerat quid loquereẽ erant enim expauefacti. Et facta est nubes quæ obũbrauit illos: & uenit uox è nube dicens, Hic est filius meus dilectus, ipsum audite. Et repentè quũ circũspexissent, nõ amplius uiderunt quenq̃, sed solũ Iesum esse secũ. Helias & Moyses uidenẽ colloquentes multis de causis, sed duæ; sufficiũt. Quia enim dixerãt discipuli populũ dicere q̃ Christus sit uel Helias, uel alius ex prophetarũ numero: ostendit eis prophetarũ præcipuos, ut & inde discant quantum interser uũ & dominũ intersit. Vna quidẽ causa hæc est, Alia aũt, quia multi eũ putabant aduersarium Deo, & quòd solueret sabbatũ, ac legem præuaricaretur, ostendit in monte prophetas, quorum unus legislator, alter æmulator fuerat. Neq̃ enim colloquiũ habuissent tales prophetæ cũ eo, qui uisus fuisset soluere legem nisi ipsis placuissent ea quæ diceret. At Petrus timebat descendere à mõte. timebat enim ne crucifigereẽ Dominus: & dicit, Bonum est nos hic esse, & non illuc descendere in medium Iudæorum. Nam si huc uenirent qui aduersum te sæuiunt, haberemus Mosen, qui de Aegyptijs triumphauit: haberemus item Heliã, qui ignem de cœlo deduxit, quinquagenarios consumentem. Quid aũt colloquebantur cum eo prophetæ: De cruce & de morte eius. Porrò de Petro dicit q̃ nescierit quid loqueretur. Territi enim facti sunt ob ineffabilem lucem & gloriã. Nõ enim integrè erat in eius animo, q̃ nunq̃ uellet descendere Iesum ut crucifigereẽ p̃ salute nostra, sed in monte semper manere. Nũc etiã sermonẽ ad anagogiã subducamus. Post consũmationem mũdi, qui sex dieb. est cõditus, & nos ascendere faciet Dñs, si qdem discipuli eius fuerimus, in mõtem excelsum, cœlũ dico, & ostendet nobis semetipsum fulgidiorẽ. Nũc qdem quasi in ignobilitate apparuit, crucifixus, & fabri filius: tũc aũt uidebimus unigeniti illius gloriã, uidebimus etiã legẽ & p̃phetas cũ ipso colloquẽtes, id est ea quę de ipso dicta sunt tã à Mose, q̃ à cęteris p̃phetis, & tũc cõperiemus ac uidebimus quòd cũ suis operibus consonent: ac tunc audiemus reuera paternam uocem, quæ reuelat nobis patris filium, & docet, Hic est filius meus. Quomodo docebit nos: Nube obumbrante, id est spiritu sancto, qui est fons sapientiæ.

Causæ cur Moses et Helias in monte & quid cũ Iesu colloquuti sint Ioan. 9.

Exod. 14. 4. Reg. 1.

Gen. 1.

Porrò cum descenderent de monte, præcepit illis ne cui dicerent ea quę uiderãt, donec filius hominis à mortuis resurrexisset. Ac uerbũ hoc tenuerũt apud seſe, inter seſe disputantes quid esset hoc quod dixerat è mortuis resurgere. Quam ob causam interdicit Dñs discipulis ne quid dicant cuipiam de transfiguratione: Vt ne scandalizarentur homines, si quum tam honorifica de Christo audissent, postea uiderent ipsum crucifigi. Igitur postquàm à mortuis surrexit, tempestiuum erat de Christo dicere gloriosa quæ ante crucem erant facta. Tenuerunt itaq̃ apostoli apud se sermonem, disputantes inter seſe quid esset ex mortuis resurgere. nondum enim sciebãt, inquit, quòd oportebat è mortuis resurgere.

Esaiæ 53.

Et interrogabant illum, dicentes, Quid est quod scribæ dicunt, Heliã oportere uenire prius: Ille uerò respondens dixit illis, Helias quidem ubi aduenerit prius, restituet omnia,

Malac. 4.

Esaiæ 53. mnia, & quemadmodum scriptũ est de filio hominis, ut multa patiatur, & contemnat, A
Malach. 4. Verũ dico uobis Heliã uenisse: & fecerũt illi quæcunq; uoluerũt, sicut scriptũ erat de illo.] De Helia rumor quidã erat apud Hebræos q uenturus esset ante Christũ. Verũtamen pharisæi nõ ut oportebat interpretabantur de Helia, sed spontanea malitia ueritatem occultabant. Duo enim sunt aduentus Christi, is scilicet qui præterijt, & is qui futurus est. Prioris præcursor fuit Ioannes, posterioris autem erit Helias. Proinde Christus uocat Ioannem Heliam, & quòd acriter reprehendebat ac æmulabatur, & quòd solitudinẽ amabat. Vrget itaq; Christus iuxta phariseorũ opinionẽ, suspicantiũ quòd prioris aduentus Christi pcursor sit Helias. Et qũo urget: Helias qdem quũ uenerit, restituet omnia: & quemadmodũ scriptũ est de filio hoĩs ut multa patiatur. Sensus aũt dictorũ is est: Helias Thesbites quãdo uenìet, facturus est pacẽ cũ Iudeis q nõ credũt, & adducturus est illos ad fidem: & ita secundi aduẽtus præcursor futurus est. Nã si primi aduentus præcursor fuisset Thesbites restituturus omnia, quomodo scripta essent de filio hominis quòd hæc & illa, debeat pati? Igitur è duobus alterum colligitur: uel non esse Heliã prioris aduentus præcursorem, si quidẽ uerè dicunt scripturę q pati debeat: uel nõ uerè dicere scripturas dicentes quòd patiẽt Christus, si quidem crediderimus quòd iuxta pharisæorum mentem prioris aduentus præcursor erit Helias. Helias enim restituturus est omnia, & nõ erit ultrà incredulus Iudæus, sed omnes credent prædicationi quot quot Heliam audierint. Itaq; Dominus opinionem pharisæorum euertens dicit q Helias iam uenerit, hoc est Ioannes, & fecerunt quæcunq; uoluerunt in eo. non enim credi-
Suprà 6. derunt ipsi, & tandem capite truncatus factus est ludi apud Herodem præmium.

Duorum aduẽtuũ Christi præcursores duo.

Et quum uenisset ad discipulos suos, uidit turbam multam circa illos, & scribas disceptantes cum illis. Et protinus uniuersa turba quum uidisset eum, obstupuit, & accurrentes salutauerũt eum, & interrogauit scribas, Quid disceptatis cũ illis? Et respõdens unus è turba dixit: Præceptor, adduxi filium meũ ad te, habentẽ spiritũ mutum: & quandocunq; eum corripuerit, lacerat eũ, atq; ille spumat ac stridet dentibus suis, & arescit: & dixi discipulis tuis ut ejicerent illũ, & nõ potuerũt.] Quum uenisset ad discipulos, nouem B uidelicet qui non ascenderant secũ, uidit disceptantes eos cũ pharisæis. Pharisæi autem freti absentia Iesu, molesti erãt discipulis. Ac turbę repentè uiso illo (desiderabant enim illum uidere) quasi à longinqua peregrinatione aduentantem salutant. Quidã autem dicunt q facies eius facta à luce trãsfigurationis formosior, ad salutationem populum inuitarit. Porrò respondens unus è turba dixit. Infirmæ fidei homo ille erat, sicut & Dominus testatur dicens, O generatio incredula. & iterum, Credenti omnia sunt possibilia. Et ille ipse, Succurre incredulitati meæ. Taxat autem discipulos tanquam incredulos. Etenim oportebat ipsum non coram omnibus illos accusasse, sed seorsum.

At ille respondens ei dicit, O natio incredula, quousq; apud uos ero? quousq; patiar uos? adducite illũ ad me. Et adduxerũt illũ ad eũ. At uiso illo, cõtinuò spũs discerpebat eũ, & plapsus in terra uoluebat spumãs. Et interrogauit patrẽ illius, Quantũ temporis est q hoc accidit ei? At ille dixit, A puero: & frequenter illũ in ignẽ abiecit, & in aquas, quò gderet eũ. age si quid potes, subueni nobis misertus nostri. Iesus aũt dixit illi, Illud si potes credere, omnia possibilia credenti. Et confestim exclamãs pater pueri cũ lachrymis dixit, Credo Domine, succurre incredulitati meæ. Quum uidisset aũt Iesus q turba simul accurreret, increpauit spiritum immundũ, dicens illi, Spiritus mute & surde, ego tibi impero, exi ab eo, & ne posthac ingrediaris in illũ. Et cũ clamasset spiritus, multũq; discerpsisset eũ, exiuit, & factus est tãq; mortuus, adeò ut multi dicerẽt, mortuus est. At Iesus correpta mãnu illius erexit eũ, & ille surrexit.] Ille quidẽ q accesserat ad Dñm, arguit discipulos q non possent sanare: Christus autem in ipsum crimen regerit, quasi ita dicẽs, Tu quia incredulus es, in causa fuisti q nõ sanatus sit filius tuus. Verũ hoc nõ illi soli dicit, sed generalẽ ad omnes sermonẽ uertit, & Iudæos oẽs simul ob incredulitatem obiurgat. Verisimile enim erat multos ex astantibus fuisse scãdalizatos. Ostẽdit aũt deFidei Christus miracula sua adscribit. siderabilẽ sibi esse mortẽ, eo q dicit, Vsquequò ero uobiscũ? hoc est, affligor uersans cũ uobis incredulis. Nõ tamen subsistit in hoc q eos reprehendit, sed etiã medicinam addit, nõ ut se ostentaret, sed magis ut cũ summa modestia sanaret puerum. Vide aũt quo modo nõ suæ uirtuti, sed illius fidei sanitatem tribuat, dicẽs. Oĩa possibilia credẽti. Sed & aliud, quũ uidisset cõgregari turbã, increpauit spiritũ. nolebat enim corã turba sanare, &

re,& ostentare se ut arrogantē. Quū increpasset aūt & dixisset,Egredere,& ne ultrà in A
grediaris: insinuat quòd propter incredulitatē hominis ingressurū iterū fuisset dæmonium,nisi suo prohibitum fuisset præcepto. Permittit aūt discerpi filiū, ut omnes sciant dæmonis insidias,& quòd occidisset hominem, nisi diuina manu refrenatus & retractus fuisset. Sæpe enim in ignē qs à dæmone proiicit cōcupiscentiæ & iræ,& in aquā seculariū negociorū procellis undantē. Porrò dæmon hic mutus erat & surdus. Surdus quidē, ut audire nolēs diuina eloquia: mutus uerò, ut neq; alios docere ualens quod oportebat. At ubi Iesus, hoc est sermo Euāgelicus, manū apprehenderit, operatiuā dico uirtutē, tūc liberamur ab hoc dæmone. Vide autem quòd Deus quidem adiuuat nos, deinde à nobis bona opera exiguntur. Dicit enim, Erexit illum Iesus, hoc erat Dei adiutorium.& surrexit, hoc est illius in bonis studium.

Bona opera exiguntur.

Et cū esset ingressus domū, discipuli illius interrogabant eum seorsum: Cur nos non potuimus eijcere illū? Et dixit illis, Hoc genus nulla re potest exire, nisi p orationem & ieiuniū.] Timebant discipuli ne fortè amisissent gratiam quam eis dederat Dñs,& propterea non potuissent eijcere dæmoniū. Vide aūt & reuerentiā eorum quomodo seorsum ad illū accedunt. Hoc enim genus. Quale? Vel lunaticorū, uel omne dæmoniorū genus nō egredit alio quodā modo, nisi precatione & ieiunio. Oportet enim ieiunare eū qui dæmonem patit,& qui sanaturus est: & utrisq; necessariū est ieiuniū, magis autem illius qui dæmonē patitur, ieiuniū exigit sermo. Oportet aūt non ieiunare solum, sed & orare: neq; solū orare, sed & ieiunare. Sic enim ueræ preces fiūt, si nō solum oretur, sed & ieiunetur: ut ne grauetur q orat, ciborū uaporib. sed expeditus sit & leuis.

Ieiunij uirtus in dæmoniacis.

Veræ preces quomodo fiant.

Et illinc digressi iter fecerunt p Galilæā, nec uolebat ut quisq; sciret. Docebat enim discipulos suos,& dicebat illis, Filius hominibus traditi in manus hominū, & occident eū.& occisus tertio die resurget. At illi ignorabāt quod dixerat,& timebāt eum interrogare.] Vbiq; miraculorū operationibus interserit sermonē de passione, ut ne putent ipsum propter impotentiam pati. Dixit igitur quod durum erat, quia occident: & subdit quod iucundum, quia tertio die resurrecturus esset: ut discamus quod semper læta sequuntur ad tristia,& in tristibus non frustra mœreamus, sed speremus meliora. B

Et uenit in Capernaum: & cum uenisset in domū, interrogauit illos, Quid in itinere inter uos disputabatis? At illi siluerunt. Nā inter se disputauerant inter uiam quis esset maior. Et quū cōsedisset, accersiuit duodecim,& dicit illis, Si qs uult primus esse, is erit oīm postremus & omniū minister. Atq; arreptū puerū statuit in medio illorū: & cū cepisset illū in ulnas suas, dixit illis, Quisqs unū ex talib. pueris receperit in nomine meo, me recipit: & qcūq; me recipit, nō me recipit, sed eū q me misit.] Discipuli adhuc humanū qddā sapiētes, cōtendebāt inter se qs eorū maior & dignior esset apud Christū. Dñs aūt nō prohibebat plationis cupiditatē: uult enim nos aspirare ad sublimiorē gradū: at nō rapere nos uult primas dignitates, sed potius per humilitatē † respicere sublimitatē. Puerū enim statuit in mediū,& illi similes nos uult fieri. Puer enī neq; gloriā desiderat neq; inuidet, neq; uindictæ cupidus est. Et nō solū, inquit, si ipsi tales fueritis, mercedē accipietis magnā: sed & si alios tales uenerabimini propter me, regnū cœlorū accipietis. me enim accipitis, qui autem me suscipitis, suscipitis eum qui me misit. Vides igitur quanta sit humilitas, simplicesq; & absq; fraude mores. Filium enim & patrem in nobis habitare facit, manifestum autem quòd & spiritum sanctum.

Mat. 18. Luc. 9.

† acquirere

Puer.

Quanta sit humilitas.

Respondit autem ei Iohannes dicens, Præceptor, uidimus quendā in nomine tuo eijcere dæmonia, nec sequitur nos: & prohibuimus illum propterea quòd nō sequitur nos. At Iesus ait, Ne prohibeatis illum. Nullus enim est qui si fecerit uirtutem per nomen meum, possit cito male loqui de me. Qui enim non est aduersus nos, pro nobis est.] Non zelotypia quadā uel inuidia ductus tonitrui filius prohibet illum qui dæmonia eijcit, sed uolens omnes qui inuocant nomen Domini nostri Iesu Christi, etiam sequi ipsum, & unum esse corpus omnes discipulos. Vel enim in principio prædicationis quidā uanæ gloriæ studio capti, uoluerunt & ipsi signa facere. Videntes autem nomen Iesu multum ualere, super infirmos hoc dicebant, signáque faciebant, alioqui gratia diuina indigni. Volebat enim Christus dilatari prædicationem etiam per indignos. Quid igitur saluator? Non permittit Iohannem prohibere signa facientem. Omittite, inquit, nullus enim qui fecerit uirtutem in nomine meo, statim poterit de me male loqui

qui. Nam quo pacto malè loqueretur de me, qui nomen meum in occasionem gloriæ A
prætexit, & inuocando illud operatur mira? Videtur autem Dominus sibi contradice-
Luc 11. re. Dixerat enim alibi, Qui non est mecum, contra me est: nunc dicit, Qui non est con-
tra nos, pro nobis est. Videntur quidem hæc diuersa, non sunt autem. Nam cum dicit,
Qui non est mecum, contra me est: de dæmonibus est dictum, qui studeant à diuinis ab-
strahere: & quę Dei sunt, dispergere. Quod autem nunc, dictum de hominibus, qui ad
Deum quosdam adducunt per miraculorum operationem.

Quisquis enim ad bibendum dederit uobis calicē aquæ nomine meo, ꝙ sitis Chri-
sti: amen dico uobis, nequaꝯ perditurus est mercedem suam. Et quisquis offenderit u-
num ex pusillis qui cōfidunt in me, melius foret illi si circundaretur saxum molare cir-
ca ceruicem eius, & abiiceretur in mare.] Non solum, inquit, facientes uirtutem in no-
mine meo, nō prohibeo: sed si quis minimum quiddam dederit uobis propter nomen
meum, & susceperit uos propter me, nō propter humanā gratiā, uel mundanā, neuti-
Cur dixerit calicem aquæ. quā perdet mercedem suā. Dixit aūt calicem aquæ, propter eos qui parpertatem præ-
texunt. Etiam si calicem, inquit, aquę dederis contēptibilem, neꝙ illum perdis. Quem
admodum autem si unum ex paruis honoraueris, gratus eris Deo: sic si unū ex paruis
scandalizaueris, hoc est despexeris, offenderis, expediret tibi si mola asinaria de collo
tuo suspenderet. grauiorē enim pœnā sustinebimus. Sensibile aūt, suppliciū dixit, ter-
rens nos per hoc sensibile exemplar.

Et si tibi fuerit obstaculo manus tua, amputa illā. bonum est tibi mutilum ad uitā in-
gredi, potius ꝙ duas manus habentem abire in gehennā, in ignem inextinguibilem,
Esai. 66. ubi uermis illorum nō moritur, & ignis nō extinguitur. Et si pes tuus fuerit tibi obstacu-
Matth. 5. lo, amputa illum. bonum est ut ingrediaris ad uitam claudus, potius ꝙ duos pedes ha-
Luc. 14. bens mittaris in gehennam, in ignem inextinguibilem, ubi uermis illorum non mori-
tur, & ignis nō extinguit. Et si oculus tuus tibi obstaculo est, erue illum: bonum est tibi
ut luscus introeas in regnum Dei, potius ꝙ ut duos oculos habens mittaris in gehennā
ignis, ubi uermis eorum nō moritur, & ignis nō extinguit. Nā omnis homo igne salie-, B
& omnis uictima sale salietur. Bona res est sal. cæterum si sal insulsus fuerit, per qd ipsum
cōdietis? Habete in uobisipsis salem, & pacem habete inter uos inuicem.] Postꝙ inter-
minatus est his q scandalizāt, ꝙ expediret eis si proiicerent in mare: nūc admonet eos
qui scandalizant, ut caueāt sibi ab his qui parati sunt offendere & scādalizare alios. Nā
siue pes siue manus siue oculus fuerit qui scādalizat te, hoc est, quantumuis sit tibi fami
liaris, etiāsi tibi sanguine iunctus sit, uel utilis, amputa illum, hoc est, renuncia eius ami
Vermis nō moriens. citię & familiaritati. Vermis autem & ignis quę puniunt peccatores, uniuscuiusq; sunt
Ignis inextinguibilis. cōscientia, & memoria eorum quę in hac uita fœdè sunt acta: quia quasi uermis absu-
mit, & quasi ignis ardet. Omnis enim homo igne salietur, hoc est probabitur: id qd & Pau-
1. Cor. 3. lus dicit, ꝙ in igne probabunt omnia. Et omnis, inquit, uictima sale salietur. Hoc aūt ex
Leuit. 2. Leuitico dixit. Ibi enim inquit Deus, Omne donū uictimæ uestræ salietur. Bonum igit
Sal qui sunt simile. est nos sale cōdire sacrificia nostra, sale Dei: hoc est, nō offerre uictimas infirmas & pi-
gras, sed uegetas & ualidas. Sal aūt dicit etiā apostolos Dominus, & omnes simpliciter
q uirtutē habent cōseruādi, & à putredine cohibendi. Nā sicut sal carnē prohibet, & nō
sinit uermes procreare, ita & sermo doctoris si recēs & mordax sit, carnales homines
cōstringens, nō sinit in ipsis generari uermē irrequietum. Si autē doctor insulsus fuerit,
& nihil habeat qd constringat & cohibeat, in quo salietur, hoc est, condietur? Habete
igitur in uobisipsis salem, hoc est, spiritus gratiam, quæ cohibeat, ita ut pacifici sitis. nā
qui constringit charitate erga proximū, hic salem habet, & pacificus est cum fratre suo.

CAPVT X.

ET quum inde surrexisset, uenit in fines Iudææ per regionem quæ est ultra Iorda-
nem, & conueniunt rursum turbæ ad illum, & sicut consueuerat, rursum docebat
Matth. 19. eas. Et adeuntes Pharisæi interrogabant illum, Licet ne uiro uxorem repudiare? ten-
Deut. 24. tantes illum. At ille respondens dixit illis, Quid uobis præcepit Moses? At illi dixe-
Gen. 1. 2. runt, Moses permisit libellum repudij scribere, ac dimittere. Et respondens Iesus
Eph. 5. dixit illis: Ad duritiam cordis uestri scripsit uobis præceptum istud: cæterùm ab initio
creationis masculum & fœminam fecit illos Deus: propter hoc relinquet homo pa-
trem suum & matrem, & adhærebit uxori suæ, & fient duo caro una. Itaque non iam

sunt

A ri suæ, & sient duo caro una. Itaq; non iã sunt duo, sed una caro. Quod igitur Deus co- 1. Cor. 6.
pulauit, homo ne separet.) Sæpenumero reliquit Dominus Iudæos propter inuidiam illorum, nunc autem iterum in eorum regionẽ transit, quia passionis tempus appropin quabat. Et non Hierosolyma nunc ascendit, sed in fines Iudeæ, ut populo simplici pro desset, Hierosolymitę enim omnis malitię officina erant, propter phariſęorum malitiã. Vide ergo malitiã illorũ, quomodo tentent Dominũ, nõ relinquentes illũ, ne credant ei turbæ, sed semper accedunt, & sperant se quęstionibus illũ facturos perplexũ animo, & confutaturos. Rogabant enim quæstionem quæ utrinq; præcipitia habebat. An li- ceat homini uxorẽ dimittere? Nã si diceret q; liceret absoluere, obiecissent ei q, dixisset extra causam fornicationis non licere absoluere. Si aũt diceret q; nõ liceret, taxarent eũ ut aduersarium doctrinis Mosi. Christus igitur, qui est sapientia ipsa, respondet eis re- sponso quo laqueos illorum effugit. Rogat enim illos quid eis præceperit Moses. Quũ aũt illi dixissent præceptum esse dimittendam, interpretatur eis legem. Non adeo cru- delis erat Moses, inquit, ut talem introduceret legem, sed ad uestri cordis duritiam scri- psit hoc. Deus enim sciens Iudæorum inhumanitatem, quod qui semel ex eis odio ha- bere cœpisset mulierem, occidisset eam: concessit eis † legem talem, nõ sibi placentem. Ab initio aũt nõ sic erat, sed Dei consiliũ coniuges ad inuicem coniũgit, & demissis pa- rentibus unũ facit. Vide aũt quid dicat, q; Deus noluit polygamiã, ut hæc relinqueret, & altera duceretur uxor: & iterũ relinqueretur illa, & assumeret alia? Nam si hoc esset, fecisset Deus unũ quidem uirũ, multas aũt mulieres. Nunc aũt hoc non fecit, sed masculũ & fœminã fecit, unum uni copulari iubens. Possemus fortè & sic hunc locum intelli- gere. Sermo doctoris, qui semen bonũ mittit in animã fidelis hominis, habet rationẽ ui ri erga animã quæ illũ suscipit. Sæpe igitur ratio quæ cupit prodesse animæ quæ uerbũ suscipit, relinquit patrem suũ, hoc est mentem sublimem: & matrem suam, hoc est uer- bũ ornatũ: & adhæret uxori suæ, attemperãdo se illi, quæ illi expediant docens, & sæpe sensum imperfectũ ac uerba simplicia & idiotarũ proferens: & tunc sunt duo in carnẽ B unam, hoc est, credit anima carnem factũ esse uerbum Dei, & nulla humana cogitatio potest separare animam à tali fide.

Hierosolyma κὰτ ἐξοχὴν pharisæorum nomine.

Captiosa pharisæorũ quæstio.

Iudæorũ inhumanitas ergo uxores.

† dimittere uxorem

Secũdus huius loci intellectus.

Et in domo rursum discipuli illius eadem de re interrogauerunt illum, & dicit illis, Luc. 18.
Quicũq; repudiauerit uxorem suã, & duxerit aliã, adulterium committit aduersus illã. Et si mulier repudiauerit uirũ suum, & nupserit alteri, adulterium cõmittit.] Iterũ etiã discipuli scandalizati sunt, atq; eam ob causam denuò ad eum accedũt & interrogant, quasi nondum satisfactum esset menti eorum. At ipse respondit eis dicens, Qui dimi- serit uxorem suam, & duxerit aliam, adulter est eius, scilicet secundæ. Similiter quoq; & uxor adultera est, quæ reliquit uirum proprium, & alteri coniuncta fuerit.

Et attulerũt ad illũ puellos, ut tãgeret illos. Discipuli uerò increpabãt eos q; adduce- bant. Quũ uidisset aũt Iesus, indignatus est, & dixit illis, Sinite puellos uenire ad me, ne prohibete illos: talium enim est regnum Dei. Amen dico uobis, Quicũq; nõ acceperit regnũ Dei tanq; puellus, haudquaq; ingredietur in illud. Et quũ cepisset illos in ulnas, impositis manibus super illos benedixit eis.] Magna fides turbarum, quæ etiã sola ma- nuũ impositione benedici à Christo existimabãt puellos quos offerebant. Discipuli ue rò indignũ hoc esse Christo arbitrabantur, q; pueri adducerentur ad ipsum: & prohibe bant adducentes. Quid igitur Christus? Vt doceat humilitatem, & mundani fastus con temptũ, illos & suscipit, & ulnis amplectitur. Ostendit enim q; simplices & innocentes suscipiat, ideoq; dicit, Talium est enim regnũ Dei. Vide, nõ dixit, horũ est enim regnũ Dei, sed talium, hoc est, eorum qui per exercitationem innocentiam acquirunt, quam puelli à natura habent. Puer enim neq; inuidet, neq; uindictã meditatur, neq; si flagelle tur à matre, recedit: sed † & uestẽ suã nouã regiæ purpuræ præfert. Sic & q uirtutibus uacat, matri suæ, Ecclesiæ dico, neq; uoluptatẽ, quæ multis imperat, neq; quippiã præ- fert. Ideo in ulnas tales suscipit Iesus, dicens, Venite ad me omnes q laboratis. & bene- cit dicẽs, Venite benedicti patris mei. Regnum autẽ Dei, prædicationẽ & promissio- nẽ † præsentium bonorum dicit. Quisq; igit acceperit prædicationẽ Dei sicut puer, nõ diudicans uel discredens, ille ingredit in regnum Dei, & in bona quę iam fide suscepit.

Simplicitas pueritię.

Mat. 11. 25.

† hanc, etiã si uestes detrasferat, reginæ

† honorum hic dicit

Et cũ exiret in uiã, accurrit quidã, ac genua flexit illi, & interrogabat eum, Præceptor bone, quid faciã ut uitã æternam possideã? Iesus aũt dixit illi, Cur me dicis bonum? Ne-

Exod. 20. mo bonus, nisi unus, nempe Deus. Præcepta nosti: Ne cõmittas adulteriũ, ne occidas, A
ne fureris, ne falsum testimoniũ dicas, ne fraudes, honora patrem tuũ & matrẽ. At ille
respondens dixit illi, Præceptor, hæc omnia seruaui ab adolescentia mea. Iesus autem
intuitus illum, dilexit eũ, & dixit illi, Vnum tibi deest: abi, quæcũq; habes uende, & da
pauperib. & habebis thesaurũ in cœlo, & ueni sequere me, sublata in humeros cruce.
At ille molestia affectus per sermonẽ, discedebat mœrens. habebat enim possessiones
multas.] Quidã taxant adolescentem illũ ut insidiatorẽ & malũ & tentatorẽ. At non ita
se res habet, sed amabat diuitias, nõ tentabat. Audi enim Euangelistã, q; quũ intuitus
esset eũ Iesus, dilexerit illum. Quare igitur sic respondit ei Christus dicens, Nullus bo-
nus? Quia ad ipsum accesserat tanq; ad hominem, & ad unum ex magistris. Dicere e-
nim uult Christus: Si quidem ut magistrũ, putas me esse bonum, nullus homo bonus,
si cum Deo conferatur. sin ut Deum, me bonũ esse censes, quid igitur magistrũ me uo-
cas? Et ita uerbis istis Christus mentem hominis illius sublimiorem reddere uult, ut ipse
tanq; Deus agnoscatur. Sed & aliud quiddam corrigit, docendum illum ne adulẽ his
cũ quibus conuersaturus est, sed radicem sontemq; bonitatis sciat Deum, cui honor tri
buendus est. Admiror aũt adolescentem, q; cum alij plericq; sanandorum morborum
grãtia accesserint, ille uitæ æternæ hæreditatem quæsierit, tametsi grauissimo auaritiæ
morbo teneretur: propter quod quũ audisset, Vade uende, & da pauperibus, abijt tri-
stitia affectus. Vide autẽ q; non dixerit, Vade, & quęcunq; habes, particulatim uende,
& da: sed, uende semel, & da pauperibus, inquit, sed nõ adulatoribus & intemperatis.
Non omnes pauperes humiles. Insuper & hoc dicit, Veni sequere me, hoc est, & omnẽ aliã uirtutem amplexare. Mul
ti enim pauperes sunt, sed nõ humiles: uel etsi humiles, nõ tamen sobrij, sed ebrij, uel a-
lio quodã malo impliciti. Et propterea Dominus dicit, Vende, & da pauperibus, & se
quere me, sublata cruce, hoc est præparato teipso pro me ad mortẽ. At hic mœstus ob
sermonẽ illũ, abijt. Habebat enim possessiones multas. Nec frustra addidit, multas, nõ
enim similiter alligant hi q multum, & hi q parum possident. Difficilius enim expedi-
untur uincula eorum qui multa possident. Verũ & si quis adolescens fuerit iuuenili ac le B
ui sensu, & malè cõposito pectore, uendat facultates suas, utpote iram & concupiscen-
tiam, & quæcunq; ex his mala pullulant, & det ea ac abijciat pauperibus, hoc est dæmo
nibus (pauperes enim sunt, omniq; priuati bono, & exciderunt diuitijs bonitatis Dei)
Pauperes dæmones. & tunc sequatur Christum. Nã q diuitias peccatorum dæmonibus obiecerit, sequi po-
Psal. 36. terit Christum. Declina enim à malo, inquit, hoc est, abijce malas diuitias pauperibus
potestatibus, dæmonib. inquã: & fac bonum, hoc est, sequere Christum, & tolle crucẽ.

Et cum circumspexisset Iesus, dicit discipulis suis, Quã difficulter ij qui pecunias ha
bent, in regnum Dei intrabũt? Discipuli uerò obstupuerũt super uerbis illius. At Iesus
rursum respondens dicit illis, Filij, q; difficile est eos qui fiduciã habent in pecunijs, re-
gnum Dei ingredi? Facilius est camelũ per foramen acus ingredi, q; diuitem in regnũ
Dei ingredi. Illi uerò supra modũ admirati sunt, dicentes intra sese, Et quis potest saluus
esse? Intuitus aũt Iesus illos dicit, Apud homines impossibile est, non apud Deũ: nam
omnia possibilia sunt apud Deum.] Diuitiæ non malæ sunt, sed qui illas habent, digni
sunt qui taxentur: nõ enim illas habere oportet, hoc est detinere, sed eis uti pro necessi-
Cur Græcis χρήματα possessiones dicta. tate. χρήματα enim, hoc est opes, dictæ sunt, quia usui sunt hominibus, & opem atq; au-
xilium afferũt: nõ aũt q detinendæ sint. Qui igitur illas habẽt & includũt, difficile in re
gnũ Dei ingrediunt. Difficile aũt hoc loco, p impossibili intellige. Impossibile enim di
uitẽ hominẽ saluari. Hoc aũt manifestũ ab exemplo quod ponit Dominus, dicens q fa
cilius sit camelũ intrare p foramẽ acus, q; diuitẽ in regnum Dei. fieri enim nõ potest ut
κάμηλος Græcis animal uel rudẽs quo nautæ alligãdis anchoris utuntur. camelus per foramen acus transeat. Per camelum autem intellige uel animal, uel cras-
sum funẽ q nautæ in maximis nauigijs utunt. Impossibile enim est hominẽ, quatenus
Luc. 16. diues est, saluari. Etenim apud Deũ hoc possibile est. Dixit enim Christus, Facite uo-
bis amicos ex mãmona iniustitiæ. Vides q si Deũ audiuerimus, q̃modo possibile fiat.
Apud homines aũt impossibile, hoc est, quando humana sapimus, impossibile est. Iam
quare discipuli obstupuerunt super uerbis illius? Non enim ipsi diuites erant. Mihi ui-
detur quòd pro omnibus hominibus anxij fuerint. Iam enim misericordes cœperant
fieri. Quidam hoc loco dubitant quomodo dixerit, Omnia possibilia sunt Deo: quum
Deus peccare nequeat. Dicimus itaq;, quando dicit omnia, intelligimus ea q̃ sunt. pec
catum

A catum aut̃ non est. Peccatū enim res est sine essentia, & sine substantia. Vel aliter, Peccatum non est potentiæ, sed infirmitatis: sicut & Apostolus dicit, Christus, quum nos infirmi essemus, mortuus est. Et iterum Dauid, Multiplicatæ sunt infirmitates eorum, & ita peccatum apud Deum non est possibile, quia infirmitas est, Nunquid autem dicunt, Deum factū infectū facere non posse? Dicimus Deum esse ueritatem, factum aũt infectū facere, mendacium est. Quo pacto, quęso ueritas fecerit mendaciū? Prius enim perderet naturam suam: & ideo qui sic loquuntur, perinde loquuntur ac si quærant, Num potest Deus non esse Deus? Vides igitur quàm ridicula sit quæstio. *Quomodo Deo omnia sint possibilia. Peccatum quid. Rom. 5. Psal. 15.*

Et cœpit Petrus dicere illi, Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te. Respondens aũt Iesus dixit: Amẽ dico uobis, nullus est q̃ reliquit domũ, aut fratres, aut sorores, aut patrem, aut matrẽ, aut uxorem, aut liberos, aut agros, mea causa & euangelij, quin recipiat centupla nunc in tempore hoc, domus, & fratres, & sorores, & matres, & liberos, & agros cũ persecutionibus, ac in uẽturo seculo uitã æternã. Multi aũt primi erunt postremi, & postremi primi.] Petrus tametsi pauca reliquisset, quia tamen dixit omnia, indicium est q uòd etiam pauca uinculo quodã illum detinuerint: & ita beatificatus est is qui etiam pauca reliquerat. Quumq̃ solus Petrus rogasset, omnibus generaliter loquitur Christus, dicens, Omnis qui reliquerit uxorẽ, uel patrem. Hæc dicit non ut parentes uelit auxilio destitui, & ab uxoribus separari, sed docet nos præferre pietatem erga Deũ omnibus carnalibus. Quia enim uerè bellũ à prædicatione accensum erat, & negaturi erãt pueri parentes propter pietatẽ, dicit, Quisquis reliquerit cognatos quos sibi natura dedit, & in summa, corporalia omnia propter Euangeliũ, centupla omnia accipiet in præsenti seculo, & in futuro uitã æternam. Nunquid ergo & mulieres centum accipiet? Etiam. Tametsi maledictus Iulianus hoc irriserit. Quid cõfert uxor domui uiri? Omnino curat ut uir habeat quod edat, quibus induatur, & horum omnium curam adimit uiro. Vide itaq̃ hoc etiã in Apostolis. Quot mulieres fuere quibus cura erat de amictu & esu illorũ, & quę ministrarũt eis, qui nihil horũ curabãt, sed solũ sermonẽ & B doctrinã? Similiter matres & patres multos habuerũt apostoli, qui diligerent, & amico affectu erga se essent. Et Petrus q̃ unã domũ reliquerat, postea omniũ discipulorũ suorum domos habebat. Et nunc quoq̃ ubiq̃ terrarũ erecta sunt templa in nomine eius, quæ sunt claræ domus. Et quod maius, hęc omnia in persequutionib. possident sancti, hoc est quod dicit, cũ persequutionibus, id est persequutionem passi, & malè affecti atq̃ afflicti. Vnde & qui ultimi in hoc seculo uidentur propter afflictiones & persequutiones, erũt primi propter spem in Deũ. Sed & pharisæi qui uidentur primi, facti sunt postremi. Qui autem relictis omnibus secuti sunt Christum, facti sunt primi. *Quomodo uxor & parentes relinquendi. Iulianus. Quænam uiro ab uxore utilitas. Qui primi, & qui postremi.*

Erant autẽ in uia ascendentes Hierosolyma, & præcedebat illos Iesus, erantq̃ pauefacti, & sequentes timebant. Et assumptis rursum duodecim, cœpit illis dicere quæ sibi euentura essent. Ecce ascendimus Hierosolyma, & filius hominis tradetur principibus sacerdotũ & scribis, & condemnabũt eum ad mortem, & tradent illũ gentibus, & illudent illi, & flagellabũt eum, & inspuent in illum, & occident eũ, & tertia die resurget.] Quare prædicit eis euentura? Vt mentes discipulorum præparet, quo prius audita facilius ferant, & non repentè percellant animo. Insuper ut sciant quòd uoluntarius patiatur. Nam qui prænouit, & effugere potest, & non fugit: manifestum quòd uoluntarium se passionibus exponat. Seorsim autem assumit discipulos, & cum solis illis loquitur. Secretum enim mysterium erat passio, quod familiarioribus duntaxat reuelandum erat, & propterea in uia omnes præcedit, uolens à multitudine segregare discipulos. Insuper per hoc quòd omnes præcedit & præuenit in uia, ostendit quòd ad passionem accurrat, & non fugiat mortem propter nostram salutem. Quamuis autem multa enumerat aspera, omnium tamen illorum sufficiens consolatio est unum hoc, quòd tertia die resurget. *Matth. 20. Luc. 18.*

Et accedunt ad eum Iacobus & Ioannes filij Zebedæi dicentes, Præceptor, uolumus ut quicquid petierimus, facias nobis. Ille uerò dicit eis, Quid me uultis facere uobis? Illi uerò dixerunt ei, Da nobis ut unus tibi à dextris, & alter tibi à sinistris sedeamus in gloria tua. Iesus autem dixit illis, Nescitis quid petatis. Potestis bibere poculum quod ego bibo? & baptismate quo ego baptizor, baptizari? At illi dixerunt ei, Possumus.] Alius Euangelista dicit quòd mater illorum accesserit ad Christum. Verisimile *Matth. 20.*

autem est utrunque factum, & apostolos pudore quodam matrem præmisisse, & dein A
de ipsos seorsum adijsse: idcirco & Euangelista assignat hoc dicens, Accesserunt, hoc
est, seorsum adierunt, alijs segregatis. Quid igitur fuerit quod petierunt, discamus. Co
gitabant quòd ascenderet in Hierosolyma ut regnaturus temporali quodam regno, &
postquã regnasset, passurus esset ea de quibus dicebat. Talia secum cogitantes, petiue-
runt sedem & à dextris & à sinistris: idcirco & Dominus increpat eos tanquam stul-
tum quiddam petentes. Nescitis enim, inquit, quid petatis. Vos enim creditis sensibile
quoddam meum regnum esse, & temporalem sedem petitis: at res non ita se habet, sed
Sedere à dextris Christi. omnia hæc supra mentem hominis sunt. Et sedere à dextris meis, magnum est, &
quod excellit etiam angelicos ordines: & uos quidem ad gloriam festinatis, ego au-
tem ad mortem uos uoco. Poculum enim & baptisma crucem nominat. Poculum qui
Crux poculum & baptismus. dem, quod statim somnum conciliet, & quod ab ipso magna cum suauitate sumatur.
Baptisma autem, quòd futura esset peccatorum purificatio. At hi non intelligentes
quid diceret, polliciti sunt. Opinabantur enim eum loqui de poculo sensibili, & bapti-
smate quo baptizabantur Iudæi cum ante cibum se lauarent.

Iesus autem dixit illis, Poculum quidem quod ego bibo, bibetis: & baptismate quo
ego baptizor, baptizabimini: cæterùm sedere mihi à dextris ac sinistris, non est meum
dare, sed ijs continget quibus paratum est.] Ad martyrium quidem, inquit, peruenie-
tis, & moriemini pro ueritate: at sedere à dextris ac sinistris, non est meum dare. Hoc
Duæ quæstiones. loco duo quæri solẽt: Primo, num cuipiam paratũ sit sedere: deinde an omniũ Domi-
nus non possit sedem istam dare: Dicimus igitur, quòd nullus à dextris sedebit & sini-
Cathedra quid sit in scripturis. stris. Et quum sæpe in scripturis audieris cathedram, non cathedram intelligas, sed ex-
cellentem dignitatem. Quòd autem non sit meum dare, hoc talem habet sensum: Non
est meum, hoc est iusti iudicis, dare uobis ad gratiam dignitatem istam (non enim iu-
stus essem) sed his qui laborauerint, præparata est dignitas illa: quemadmodum si iu-
stus rex præsideret certamini cuipiam, & deinde accedant ad illum quidam amici e-
ius, & dixerint, Da nobis coronas: dicet utiq;, non est meum dare, sed si quis certauerit B
& uicerit, illi præparata est corona. Et ita etiam uos ô filij Zebedæi, martyres quidem
eritis propter me: si autem quis inuentus fuerit cum martyrio omnes alias uirtutes pos-
sidere amplius quàm uos, ille uos præcedet.

Et cum audissent decem, cœperunt indignari super Iacobo & Ioanne. Iesus autem
cum uocasset eos ad se, dicit illis, Scitis quòd qui uidentur imperare gentibus, domini-
um exercent aduersus illas: & qui magnates sunt inter eas, potestatem exercent in il-
las. Verùm non sic erit inter uos: sed quicunque uoluerit ex uobis fieri magnus inter
uos, erit minister uester: & quicunque uoluerit ex uobis esse primus, erit omnium ser-
uus. Nam & filius hominis non uenit ut sibi ministraretur, sed ut ipse ministraret, ac da
ret animam suam redemptionem pro multis.] Discipuli adhuc humanis affectionibus
& inuidia laborabant: ideo & indignantur aduersus duos. Sed quando? Quum uidis-
sent eos non susceptos esse à Domino, sed quasi repulsam passos, tunc indignati sunt.
Quandiu enim à Domino honorabantur, ferebant non indignantes, quamuis uide-
rent eos præferri: cum autem nunc ipsi honorem sibi deposcunt, non ferunt alij. Cæ-
terùm nunc quidem ita imperfectè se gerunt, postea autem uidebis eos mutuum sibi
de primatu cedere. At Christus sanat illos, & primùm demulcet illos propius ad se uo-
cando. Hoc enim significat quod dicit, Quum uocasset eos ad se. Deinde monstrat
quòd rapere honorem, & ambire dignitates, gentium sit. Principes enim gentium ma-
gna potestate & authoritate efferuntur: discipuli autem mei non sic: sed qui uult esse
magnus, ministret omnibus: quoniam & hoc magnæ animæ est, omnia ferre, & om-
nibus seruire. Et exemplum in promptu erat. Etenim filius hominis non uenit ut sibi
ministraretur, sed ut ipse ministraret, & daret animam suam redemptionem pro mul-
tis, quod maius est quàm ministrare. Quando enim quis non solum ministrauerit,
sed & mortuus fuerit pro eo cui ministrat, quid illo maius & admirabilius? Attamen
ministerium illud & condescensio, exaltatio fuit ac gloria tam sua quàm omnium. Ete
nim priusquàm factus est homo, tantum ab angelis agnoscebatur: postquàm autem fa
ctus est homo & crucifixus, non solum illam gloriam habet, sed & aliam accepit, & in
toto regnat orbe.

Et

A Et uenit Hiericho: cumq; egrederetur ab urbe Hiericho, ac discipuli illius, & turba copiosa, filius Timæi Bartimæus cæcus sedebat iuxta uiam mendicans. Et cum audisset q Iesus Nazarenus esset, cœpit clamare & dicere, Fili Dauid Iesu miserere mei. Et increpabant illum multi ut taceret. At ille multo magis clamabat, Fili Dauid miserere mei. Et stetit Iesus, ac iussit illum uocari: & uocant cæcum, dicentes illi, Bono animo esto: surge, uocat te. Ille uerò abiecto pallio suo surrexit, & uenit ad Iesum. Et respondens dicit illi Iesus, Quid uis faciam tibi? Cæcus autem dixit ei, Rabboni, ut uisum recipiam. Iesus autem dixit illi, Abi, fides tua saluum te reddidit. ac protinus recepit uisum, & sequebat Iesum in uia.] Matthæus duos cæcos narrat: & fieri potest duos quidem esse sananos, hunc aũt ex illis clariorẽ fuisse, cuius nunc mentionẽ facit Marcus. Vide autem quomodo turbæ Iesum uenerantur, ita ut increparẽt cæcum clamantem, quasi rex quispiã præteriret. Porrò Iesus illũ interrogat, ut ne quis putet q ille alia uoluerit, Christus autem alia dederit. Grati aũt animi cæcus erat, qui postquã sanatus est, Iesum non dimisit, sed sequutus est illum. Iam & per anagogen intelligere possumus: Hiericho locus iste inferior est: cæcus aũt qui sedet hoc loco, humana est natura, quæ filius erat Dei, qui omnem superat dignitatem. Ista igitur clamabat ad Iesum, per Hiericho, id est hanc uitã, euntem. Misericordia autem motus erga illam, & propter fidem, saluam eam fecit ubi uetus peccati uestimentũ exuit. Seruata autem sequuta est illum, faciendo mandata in uia, hoc est in hac uita. Hic enim possumus sequi Christum: postea autem excluduntur omnes à mandatorum operatione.

Mat. 20. Quid sibi uult quòd Iesus cæcũ interrogat.

CAPVT XI.

ET cum appropinquant Hierosolymis ad Bethphagẽ & Bethaniã iuxta montem Oliuarum, emittit duos è discipulis suis, & dicit illis, Abite in uicum qui contra uos est, & statim ingredientes in illũ inuenietis pullum alligatũ, supra quem nullus hominũ sedit: soluite eum, & adducite: & si quis uobis dixerit, Cur facitis hoc? dicite q Dominus eo opus habet: & cõtinuò illum mittet huc. Abierunt aũt, & inuenerũt pullum alligatũ iuxta ianuã foris in biuio, & soluunt illũ. Et nonnulli eorũ qui illic stabãt dicebant illis, Quid facitis soluentes pullũ? At illi dixerũt eis quemadmodũ ipsis præceperat Iesus, & sinebant illos.] Sæpe etiã alias uenit Hierosolymã, sed nunquam cum tanta maiestate, quãta nunc. Prius quidem delitescebat propter inuidiam illorũ: nunc autem quia passionis tempus aderat, quod ipse sibi præfiniuerat, clarior uenit: ut si uelint, gloriã eius intelligant, & ex prophetijs quæ in ipso impletæ erãt, agnoscant eũ esse Deum uerum. sin nolint, in maiorem condemnationem eorum sit, q etiam tam claris miraculis non crediderint. Vide enim quot signa eis hoc loco dixerit. Dixit eis, Inuenietis pullum: dixit prohibendum: & deinde cum dicerent, Dominus illo opus habet, dixit dimittendum. Neutiquam enim hoc parum fuisset apostolis permitti ut abducãt pullum, nisi diuina quædam uirtus dominos pulli adegisset: præsertim pauperes & agricolas fortasis. Attamen disce Dominum id non sine causa fecisse: neq; opus habebat pullo, qui totius Iudææ & Galilææ peragrauerat: sed monstrabat quòd super populum gentium sessurus esset, qui tum incredulus erat & inerudítus, & uinctus peccatis suis in biuio, hoc est uita hac, apud ianuã, quæ est extra ecclesiam. Solutus est aũt ab apostolis per baptismũ & fidem: & uectus est in eo Dominus, cũ apostoli uestimenta sua, hoc est omnem qui est ex uirtute decorẽ imposuissent. Prius enim nudi erant Gentiles & deformes, patrantes nepharia: postquam autem ab apostolis adducti fuerunt, tunc honestè didicerunt ambulare, & propterea etiam in ipsis fertur gestatus Christus. Fuerunt autem quidam, nempe ij qui prius domini pulli, hi prohibere ausi fuerunt apostolos: uel certè dæmones: sanè & his apostoli præualuerunt.

Matth. 21. Luc. 19.

B

Asina quid designat.

Et adduxerũt pullum ad Iesum, & iniecerunt illi uestimenta sua, sedítq; super illum. Multi uerò uestimenta sua sternebant in uiam, alij uerò frondes incidebant ex arboribus, & sternebant in uiam. Et qui præcedebant, quiq; sequebantur, clamabãt dicentes, Hosanna, benedictus qui uenit in nomine Domini. Benedictũ quod uenit regnum, in nomine Domini patris nostri Dauid, Hosanna in altissimis.] Multitudo quamdiu incorrupta manet, agnoscit quantũ opus erat: ideo & singuli pro uiribus suis Iesum uenerãtur. Laudantes aũt quid dixerint, uideamus. A Dauid sanè hymnũ illũ sumpsere. Porrò Hosanna iuxta quosdam significat, salua obsecro: iuxta quosdã uerò hymnum.

Hosanna.

† cētesimo decimoseptimo.

Rectius tamen est quod primo dictum. Habetur enim in † decimoseptimo psalmo, O Domine salua obsecro: id quod in Hebraico Hosanna scriptum est. Regnum autem Dauid, regnum Christi dicebant, tum q̄ à semine Dauid deductus esset Christus, tum q̄ Dauid interpretari quis potest idoneū uel sufficientem manu. Quis autem alius manu usqueadeo ualidus & potens ut Dominus, cuius manus tanta miracula sunt operatæ? Cæterùm sternamus & nos uestimenta nostra, hoc est carnem. Vestis enim animę, caro, quam subijciamus Domino, & sternamus uiam uitæ nostræ: deputantes & incidētes ab arboribus ramos, hoc est, sanctorū uias imitemur. Arbores enim sunt sancti, à quibus ramos secant, qui illorū imitantur uirtutem. Opera item nostra & quæ præcedunt & quæ sequuntur, sint in gloriā Dei. Sunt etenim qui uitam honestam principiò præ se ferunt, quorum uita subsequens longè dissimilis est: non enim in gloriam Dei.

Vestis animæ caro.

Et ingressus est Hierosolymā Dominus, & in templum. Et cū circumspexisset omnia, iamq̄ tempus esset uespertinū, egressus est in Bethaniā cum duodecim: & postero die cum exissent Bethania, esurijt: cumq̄ uidisset arborem fici procul habentē folia, ueniebat si scilicet inuenturus esset aliquid in illa: & cū uenisset ad illam, nihil inuenit nisi folia. Nō enim erat tempus ficorū. Et respondens Iesus dixit ficui, Ne posthac ex te in æternū quisquā edat fructū. Et audiebant discipuli illius.] Ingressus quidē est in Hierosolymā, sed iterū exijt: ostendens q̄ relicturus esset eam desertā, & in direptionē. Et egreditur in Bethaniā, quam uertunt interpretes domū obedientię, Iudæis enim inobedientibus & duris corde relictis, uenit cū discipulis ad eos qui sibi obedierunt. Videamus aūt & quæ de ficu dicuntur. Emergunt enim & apparent quædā absurda. Primū quidem q̄ esurierit manè: deindè q̄ cum nō esset tempus fructuū, fructum quæsierit: ad hæc qua ratione plantam insensatā punierit. Dicunt igitur omnia hæc singulari dispensatione facta. Nam quoniā sæpe miracula fecit benefaciendo hominibus, non uiderant aūt discipuli potentiā eius si quem uellet affligere: eius gratia hic uult ostendere discipulis quod & affligere, & se crucifixuros in uno momento perdere potuisset, si uoluisset: & ideo in arbore insensata ostendit uirtutem suam: quæ res magna ac mira est, q̄ arbor succulenta tam subitò exaruerit. humidior enim fermè omnibus est ficus. At q̄ manè esurit, id dispensatione quadam permittit carni: ac fructū quærit ex ea quę nō habebat fructum: ut id quod suprà dixi, ostendat discipulis, quod etiā punire possit. Habet item & ficus typum synagogæ Iudæorū, qui folia sola habebant, hoc est legem, umbram illis præbentem, fructum uerò nullum afferebant. Esuriebat autem Iesus salutem illorum. Meus enim cibus est, inquit, ut faciā uoluntatem patris mei. uoluntas autem patris est, ut conuertant se peccatores. Et quia synagoga fructum non habebat, maledicta est & exaruit, neq̄ prophetam, neq̄ doctorem habens.

Bethania.

Ficus quare à Domino execrata.

Fici humiditas.

Ficus, typus synagogæ Iudaicæ.

Ioan. 4.

Et ueniunt Hierosolymā, & ingressus Iesus in templum cœpit eijcere eos qui uendebant & emebant in templo: & mensas collybistarum, & sellas uendentiū columbas subuertit: & non permisit ut quisquā deportaret uas per templum: & docebat dicens illis, Nónne scriptum est, Domus mea domus precationis uocabitur omnibus gentibus? uos aūt fecistis eam spelunçā latronū. Et audierunt scribæ principesq̄ sacerdotū, & quęrebant quō illum essent perdituri. Timebant enim eum, quòd tota turba admiratur doctrinam illius.] Quòd eiecerit uendentes, etiā Ioannes narrat: sed Ioannes in principio Euangelij, hic aūt sub finem. Verisimile igitur hoc secundò factū quo etiā Iudæorum accusatio maior esset: quandoquidē neq̄ cū sępe idem fecerit Dominus, sunt cōuersi. Speluncā aūt latronū nominat templū propter auaritiā. Latronū enim genus ad lucrū spectat. Et quoniā etiam illi propter sacrificia, animalia quę offerrent, lucri gratia uendebant, latrones ipsos nominauit. Collybistæ aūt fuerunt qui nūmos permutabant. Collyba enim genus est numismatis minimi ærei. Accusando aūt illis etiā Esaiā prophetā affert dicentē, Domus mea domus precationis uocabit. Absit aūt ne & nos extra templū eijciamur. Multi enim & in nostrū templū ingredimur uendentes utilia, & emētes deteriora. Sunt aūt qui & plenas mensas nummorū habent, qui administrāt & dispensant ecclesiastica, & omnia propter auaritiā faciunt. Quin & sellæ uendentiū columbas subuertunt, hoc est pontifices uendentes spiritualia dona. Columba ēm symbolum est spiritus sancti: quē qui uendūt, à Dño à sacerdotio repellunt. Nam qui propter datū aurū ordinatur, depositus est. Sed & quisquis gratiā quę ex baptismate est, &

Esaiæ 56. Hier. 7.

Ioann. 2.

Quamobrem templū spelunca latronum, & qui nam latrones.

Plenas mensas nummorum habentes q̄ sunt.

mundi-

A mundiciam prodit diabolo, hic uendit columbam suam: propterea ex templo ejicitur.

Et cum iam uespera esset, egressus est Iesus è ciuitate. Et manè prætereuntes uiderunt ficum exaruisse radicitus, & recordatus Petrus dicit illi, Rabbi, ecce ficus illa quã execratus es, exaruit. Et respondens Iesus dicit illis, Cõfidite Deo: amen dico uobis q̃ quicunq; dixerit monti huic, tollaris, ac mittaris in mare, & non hæsitauerit in corde suo, sed crediderit fore quæ dixerit, erit illi quicquid dixerit.] Tametsi Matthæus dixerit quòd statim exaruit ficus, & uidentes discipuli admirati sint: nihil mouearis audiẽs nunc Marcum dicentem q̃ sequenti die uiderint exaruisse ficum. Sic enim intelligere debes id quod apud Matthæum, Et statim exaruit ficus: quo lecto, subsiste, & dein dic, Et cum uidissent discipuli, admirati sunt. Quando? Cum uidissent: non statim, sed sequenti die: proinde sic intelligenti nihil difficile occurrit. Vide itẽ & ex hoc loco quomodo Christus monstretur Deus. dicit enim per prophetã Dominus, Ego aridũ facio lignum uiride. Porrò mireris diuinã misericordiã, quomodo etiã nobis, qui per fidem illi assimilamur, uirtutẽ dat faciendi miracula, quã ipse natura habet, ita ut montes trãsferre possimus. Mons autem est etiam superba mens, cum arrogans est & obstinata. Nam qui uidet superbiæ morbum sibi obsistentẽ & conantem ejicere ipsum à uisitatione & prouidentia Dei. (superbus enim ille est qui dicit q̃ omnia possit ipse sine Deo perficere) talis igitur debet increpare illum montẽ, superbiam dico, & dicere ei, Mitteris in mare, hoc est in mũdanos homines, hoc est, eos qui in mari huius uitę sunt, ac increduli: ipse aũt nunquam hæsitet, hoc est, separetur à Deo. Superbus enim separatur à Deo dicens, Nihil à Deo habeo neq; indigeo eius auxilio.

Cap. 21.

Ezech. 17.

Mons superba mens.

Propterea dico uobis, Omnia quæcunq; orantes petitis, credite q̃ accipietis, & erũt uobis. Et cũ steteritis orantes, remittite si quid habetis aduersus aliquem, ut & pater uester qui in cœlis est, remittat uobis delicta uestra. Quod si uos non dimiseritis, neq; pater uester qui in cœlis est dimittet uobis peccata uestra.] Qui magna affectione credit, cor suum omnino extendit ad Deum. Et ut ipsius Dauid uerbis utar, effundit animã

Matth. 7. 20.

Eccl. 28.

Credens.

B suam coram Deo. qui autem extendit cor suum ad Deum, unitur illi, & feruefactũ cor eius magnã certitudinẽ sumit q̃ uoti compos fiat: id quod experti sciunt omnes. Opinor aũt omnes hoc experiri, qui uel mediocriter attendunt. propterea dicit Christus q̃ omnia accipietis, quæ cum fide petitis. Qui aũt credit, totum se dat Deo, cũ lachrymis illi colloquens, quasi pedes Domini precando tenere se putans. Vis aũt & alia ratione accipere quæ petis? Dimitte si quid in te peccauerit frater. Vides facilitatem doni Dei.

Et ueniunt rursum Hierosolymã, & cũ ambularet in tẽplo, ueniunt ad illum principes sacerdotũ, & scribæ & seniores, & dicunt illi, Qua authoritate hæc facis? & quis tibi dedit authoritatẽ istam, ut ista facias? Iesus aũt respondens dixit illis, Quærã à uobis & ipse quiddã, & respõdete mihi, & dicã uobis qua authoritate hęc faciã. Baptismus Ioannis utrũ è cœlo erat, an ex hominibus, respondete mihi. Et cogitabãt apud se dicentes, Si dixerimus, è cœlo, dicet, Cur igit nõ credidistis illi? At si dixissent, ex hominibus, timebant populum. Omnes enim habebant Ioannẽ q̃ uerè propheta fuisset. Et respondentes dicunt Iesu, Nescimus. Et Iesus respondens dicit illis, Nec ego dico uobis qua authoritate hæc faciã.] Insanientes q̃ eiecisset è templo negociatores, accedũt ad eum, ut animo perplexum redderent, quærentes quanã potestate hæc faceret, quasi talia ei dicentes: Quis es tu qui hæc facis? magister constitutus es? sacerdos ordinatus es? Hæc aũt dicebant ut dubitare eum faciant, & in uerbis capere queant. Nam si dixisset, potestate mea hæc facio, lapidassent illum ut Deo cõtrarium. Sin aũt dixisset potestate Dei facio, abduxissent ab eo plebem, quæ illum arbitrabatur esse Deũ. Dominus igitur interrogat illos de Ioanne, nõ sine causa, neq; sophistarũ more uicissim illos capiens: sed quia Ioannes de ipso testificatus erat, idcirco de illo malignos interrogat, ut cũ receperint Ioannem à Deo esse, cogantur & testimonium Ioannis quod de Christo dederat, accipere. Et quia maleuoli dubitabant, neq; ego dico uobis, inquit, non dixit, neq; ego scio quid dicã: sed, neq; ego dico, hoc est, quia maleuoli estis, nõ dignabor uos respõso.

CAPVT XII.

ET cœpit illis per parabolas loqui: Vineam plantauit homo, & circundederat sepem, & foderat lacum, & ædificauerat turrim, & elocauerat eam agricolis, & peregrè profectus est; & misit ad agricolas, cum tempestiuum esset, seruũ, ut ab agricolis accip eret

Matth. 21. Luc. 20. Esaiæ 5.

acciperet de fructu uineæ. At illi arreptum illum ceciderunt, ac remiserunt uacuũ. Et A
rursum misit ad illos alium seruum, & illi coniectis in eum saxis, cõminuerunt caput,
& remiserunt contumelijs affectum. Et rursum alium misit, & illum occiderunt, mul-
tosq; alios: hos quidem cædentes, illos uerò occidentes. Itaq; cum unum adhuc habe-
ret filium suum dilectum, misit etiam illum ad eos postremum, dicens: Reuerebuntur
filium meũ. Illi uerò agricolę dicebant inter sese: Hic est hæres, uenite occidamus eum,
& nostra erit hæreditas. Et arreptum illum occiderunt, & eiecerunt è uinea. Quid igi-
tur facturus est dominus uineę? Veniet & perdet agricolas, & dabit uineam alijs.] Vi-
Psal. 79. nea populus est, quem plantauit dominus. Perfice enim, inquit, uineam istam, quam
Exod. 15. plantauit dextera tua. Et Moses, Introducens planta eos in monte sancto tuo. Sepes au-
tem, lex, quæ prohibebat ipsos commisceri gentibus. Turris uerò, templum. nam con
spicuum erat. Porrò torcular, altare in quo effundebatur sanguis. Elocarat autem po-
pulum agricolis, hoc est doctoribus qui per id temporis erant, & principibus Iudæo-
rum. Misit uerò seruum unum, fortè Heliam, & qui tunc erant, & Michæam, quem cę
cidit Sedechias, pseudopropheta scilicet. Secundum autem seruum lapidatum cęcide
runt, hoc est occiderunt, & contumelijs affecerunt, Osee & Esaiam prophetas. Tertiũ
autem seruum, id est eos qui in captiuitate fuerunt, ut Danielem & Ezechielem. Vlti-
mo autem misit filium suum Deus (qui homo nominatur propter misericordiam) di-
cens, Reuerebuntur filium meum. Non ut ignorans quod futurum erat hoc dixit, sed
quod fieri oporteret, & uerisimile erat futurum dicens. Mali autem agricolæ cum didi
cissent quòd hic esset filius Dei, eiecerunt illum extra uineam, id est, terra Hierusalem,
& interfecerunt. extra enim illam crucifixus est. Dominus igitur uineæ, pater occisi
filij, immò & ipse occisus filius, perdidit agricolas, quos tradidit Romanis, & populũ
collocauit alijs agricolis, apostolis scilicet. Vis uidere quomodo apostoli coluerint ui-
neam? lege librum Actorum, & inuenies uria millia & quinq; millia simul credere ac
offerri in primitias Deo.

Psal. 117. An ne hanc quidem scripturam legistis, Lapidem quem reprobauerunt ij qui ædifi- B
Act. 4. cabant, hic factus est in caput anguli: à Domino† factũ est hoc, & est admirabile in ocu
† factus est hic, & est admiran-dus. ista em̃ angulũ refert Theophylactus. lis nostris. Et quærebant eum cõprehendere, & metuebant turbã: sciebant enim q; ad-
uersus ipsos parabolam dixisset. Et relicto illo abierunt.] Per omnia ista ostendit reie-
ctos Iudæos, gentes autem acceptas. Lapis enim ille, Dominus: ædificantes aũt, docto
res populi. Quẽ igitur reprobauerunt doctores: ille in caput anguli factus est. Caput
enim ecclesiæ factus est. Angulus enim ecclesia, quæ in unũ coniungit Iudęos & Gen
tiles: quemadmodũ & angulus duos parietes inter se cõmittit. Igitur iste angulus, hoc
est ecclesia, à Domino factus. Et est mirabilis in nostris fidelium oculis. Ab infidelibus
etiã miracula calumniam patiuntur. Mirabilis est igitur ecclesia, quasi ex miraculis cõ-
stituta, Domino cooperante apostolis, & sermonem confirmante per sequentia signa.

Lapis quis. Ædificãtes qui. Angulus. Ecclesia mirabilis.

Et mittunt ad illum quosdam è Pharisæis & Herodianis, ut eum captarẽt sermone.
Illi uerò cũ uenissent, dicunt ei, Præceptor, scimus quòd uerax es, & non curas quenq;:
Matth. 22. nõ enim respicis personã hominũ, sed cũ ueritate uiã Dei doces. Licet censum dare Cę
Lucæ 20. sari, an nõ? demus, an non demus? Ille uerò sciens illorũ simulationẽ, dixit illis, Quid
me tentatis? Afferte mihi denariũ, ut uideam. Illi uerò attulerunt. Et dicit eis, Cuius est
imago hæc & inscriptio? Illi aũt dixerũt ei, Cęsaris. Et respondẽs Iesus dixit illis, Reddi
Sup. cap. 3. te quę sunt Cęsaris, Cæsari: & quę sunt Dei, Deo. Et admirati sunt de eo.] Diximus etiã
aliãs de Herodianis, q; fuerit hæresis quædã tũc nuper orta dicentiũ Herodẽ esse Chri
stum, eo q; in temporibus illius defecisset successio regũ Iudaicorũ. Alij aũt dicunt He
rodianos hoc loco dictos esse milites Herodis, quos pharisæi in testes eorum quæ Chri
stus dicturus erat, assumunt, ut consequenter cnmprehendant illum & abducant. Vi-
de aũt malitiam illorũ, quomodo adulatione tentent decipere Dominũ. Scimus dicũt,
q; non respicis personã hominum, & ita neq; Cæsarem reuereris. Totũ enim hoc artifi
cium erat utrinq; habens præcipitia: ut si quidem diceret q; liceat dare Cæsari tributũ,
arguerent eum apud populum, tanq; qui eos in seruitutem redigeret: sin diceret non
persoluendũ, accusarent eum ut ad seditionem populum mouentem cõtra Cæsarem.
At fons sapientiæ dolos illorum euadit. Ostendite mihi, inquit, numisma. Cum enim
uidisset quòd imaginem haberet Cæsaris, dicit, Reddite quod habet imaginem, ei

cuius

A cuius gerit imaginem, hoc est Cæsari: & quę sunt Dei, Deo, hoc est, Nihil obstat uobis ad pietatem persoluere Cæsari. Potestis enim & Cæsari persoluere, & Deo sua tribuere. Cæsar item unicuiq; nostrū, ineuitabilis illa corporis nostri necessitas est. Iubet igitur Dominus reddere etiam corpori sua necessaria, cibos scilicet ac uestes: & quæ Dei Deo, nempe uigilias quantas possumus, orationes &c. Sed & diabolo, qui Cæsar est, obijce quæ tibi ab illo data, iram, concupiscentiā malam: & quæ Dei sunt, offer Deo. *Cæsar quid.*

Et ueniunt Sadducæi ad illum, qui dicunt nō esse resurrectionē: interrogaueruntq; eū dicētes, Præceptor, Moses scripsit nobis, Si cuius frater moriat̄, ac relinquat uxorē, & liberos non relinquat, ut accipiat frater eius uxorē illius, & suscitet semen fratri suo. Septē fratres fuerūt, ac primus accepit uxorē, isq; moriens nō reliquit semen: & secundus accepit illā, ac mortuus est, & nec ipse reliquit semen: & tertius similiter: & accepe rūt eam septē, nec reliquerūt semen: postremò uerò omniū mortua est & uxor. in resurrectione igit̄, cum resurrexerint, cuius illorū erit uxor? Nam septē habuerūt eam uxorem. Et respondens Iesus dixit eis, An nō propterea erratis, q̄ nescitis scripturas, neq; uirtutē Dei? Cū enim à mortuis resurrexerint, neq; cōtrahunt matrimoniū, neq; nuptū dan̄: sed sunt uelut angeli qui in cœlis. Cęterū de mortuis q̄ resuscitan̄, nō legistis in libro Mosi, quō in rubo loquutus sit illi Deus dicens, Ego ille Deus Abrahā, & Deus Isaac, & Deus Iacob? nō est Deus mortuorū, sed Deus uiuentium. Vos igit̄ multū erratis.] Hæretici apud Iudæos erant Sadducæi, dicentes nō esse resurrectionē, neq; angelum, neq; spiritū. Obliquè aūt, ut dolosi, aggressi, fingunt narrationē quandā qua subuertatur resurrectio, cōtexto argumēto quod nunq̄ euenit, neq; fortè eueniet. Septem aūt fingunt qui unā ducunt uxorē, quo magis resurrectionē discerpant. Igit̄ quia prætexebant illi legē Mosi, ostendit eos ignaros scripturarū, Non em̄ intelligitis, inquit, de qua resurrectione scriptura loquat̄. Vos enim opinamini q̄ olim resurrectio talis magis corporalis sit futura: at nō sic erit. Itaq; ignoratis scripturæ mentē, sed & Dei uirtutem ignoratis. Enimuero uos ad difficultatē rei fortasse respicitis, & propterea addu- B bitatis quō poterunt dissoluta corpora redire ad animam. Sed uirtuti diuinæ hoc quasi nihil erit. Erit igitur resurrectio, & nō corporalis, sed diuinior quidā uitę status, angelicus uidelicet. Incorruptibiles enim erimus, & ijdem qui sumus manētes, propterea q̄ tollentur etiā nuptiæ. Nunc enim nuptiæ propter corruptionē fiunt, ut successione generis durātes homines nō intereant: tunc aūt sicut angeli absq; nuptiali successione illi ipsi erunt, & nunq̄ deficient: sic & qui resurgunt, sine nuptijs permanent, nunq̄ imminuendi. Et aliter quoq; taxātur ut nescientes scripturas. Si enim intellexissent illas, intelligerent etiā quomodo scriptum sit, Ego sum ille Deus Abrahā, utpote manifestè uiuentium. Non enim dixit, Ego eram, sed, sum: utpote præsentium, atq; illorum non perditorum, Iam fortasis dicet quis, q̄ hoc de sola Abrahę anima dixerit Dominus, & nō item de corpore, & ita corpora nō resurgunt. Dico igitur primùm quidem q̄ Abraham utrunq; dicatur, anima & corpus, & ita etiā Deus est corporis, quod & ipsum uiuit apud Deum, & nō omnino in nihilum redigitur. Insuper quia Sadducæi de corporis resurrectione dubitabāt, certum q̄ Dominus de corporibus dixerit q̄ uiuant apud Deum, nō de anima. nam istud iam ex confesso erat etiā apud carnales † Iudæos. Obserua & hoc. Resurrectio est eius quod ceciderat surrectio, immortalis autem anima non cecidit, sed corpus hoc: itaq; & resurget iterum, coniugali animæ complicitum.

Exod. 3.

Sadducæi apud Iudæos hæretici erant.

† Sadducæos Resurrectio.

Et cum accessisset quidā è scribis, & audisset eos simul disputantes, uideretq; q̄ bene respondisset eis, interrogauit illum, Quod est primum omnium præceptorū? Iesus aūt respondit illi, Primū omniū præceptum est, Audi Israel, Dñs Deus noster, Dñs unus est: & diliges Dñm Deum tuū ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota mente tua, & ex totis uiribus tuis. Hoc est primum pręceptū: & secundum simile hoc est, Diliges proximum tuum ut teipsum. Maius his aliud præceptum nō est. Et dixit illi scriba, Bene præceptor cum ueritate dixisti, q̄ unus sit Deus, & non sit alius præter illum: quodq; diligere eum ex toto corde, & ex tota intelligētia, & ex tota anima, & ex totis uiribus, ac diligere proximum ut seipsum: plus sit q̄ uniuersa holocaustomata & uictimæ. At Iesus cum uideret q̄ cordatè respondisset, dixit illi: Haud longè abes à regno Dei. Et nemo post illa audebat illum interrogare.] Matthæus quidem inquit quòd tentans accesserit: Marcus uerò dicit q̄ prudenter responderit, Nunquid ergo dicunt contraria?

Deut. 6.

Leuit. 19.

Cap. 22.

traria? Minimè: sed uerisimile est primũ quidẽ ipsum ut tentantẽ interrogasse, deinde cũ profuisset ei responsum Christi, & cordatè respondisset, ab illo laudatũ. Vide aũt & laudem. Non perfectũ illum testatur. Non enim dixit intra regnũ cœlorũ es? sed, non procul es. Quare aũt hanc potissimũ quæstionẽ legisperitus ille proposuit Christo? Putabat reprehendi posse Christũ, qui emẽdaturus esset legẽ, unde accusari possem tanq̃ legis aduersarius. Verũ Dñs ostendens ei q̃ charitatẽ simpliciter non habeat, sed inuidia corruptus uenisset ad hæc interroganda, dicit: Primùm & magnũ mandatũ est, diligere Deum: secundũ simile, diligere proximũ. Quomodo aũt simile? Eo q̃ simul inter
1. Ioan. 4. 5. se connexa sunt. Qui enim diligit Deum, diligit & facturam eius, homo aũt maximè propria factura Dei: & ita qui diligit Deũ, diliget etiã omnes homines: & dum proximũ diligit, multo magis Deũ diligit. Nã si homines diligit, q̃ multas sæpe scandalorum occasiones & odia fouẽt, quãto magis Deũ, qui semper benefacit? Audi aũt Dominũ,
Ioan. 14. Qui diligit me, mãdata mea seruabit. Vides nos diligendo Deũ seruare mandata eius.
Ioan. 15. Mandata aũt eius omnia de amore mutuo tractant. Et iterũ, In hoc sciẽt omnes q̃ mei discipuli estis, si diligitis inuicem. Vides iterum q̃ ex mutuo amore discitur amor erga Christũ, ita ut simus eius discipuli & amici. Obserua aũt quomodo omnes animæ uirtutes enumerarit. Est enim uirtus animę animalis, quã inspirat dũ dicit ex tota anima.
Tres uirtutes animæ. Irã em̃ & cõcupiscẽtiã totã dilectioni Dei dari uult. Est etiã alia uirtus animę quę dicit nutritiua, ea est & plantarũ: q̃ & ipsa quoq; Deo tota est dãda. Est insup rationalis uis, quã nominauit lex intelligentiã. Omnes igit animæ uirtutes charitati offerendæ sunt.

Et respondẽs Iesus dicebat docẽs in tẽplo: Quomodo dicunt scribę Christũ esse filiũ
Psal. 109. Dauid? nam ipse Dauid dixit afflatus spiritu sancto, Dixit Dominus Domino meo, sede à dextris mihi, donec posuero inimicos tuos scabellũ pedum tuorũ. Ipse ergo Dauid uocat eũ Dñm, & unde filius eius est? Et pleraq; turba audiebat illũ libẽter. Et dicebat illis in doctrina sua, Cauete à scribis, qui amant insulati obambulare, & amant salutationes in foris, primasq; sellas in cõgregationibus, & primos accubitus in cœnis, qui deuorant domos uiduarũ, & sub prætextu lõgas faciũt preces: isti accipient grauiorẽ damnationẽ.] Quia Christus ad passionẽ accessurus erat, corrigit prius opinionẽ scribarũ erroneã, qui suspicabantur Christũ esse filium Dauid, sed non Dominũ. Demonstrat igitur se Deum ex ipsis Dauid uerbis: & nõ simpliciter, sed deterret, eo q̃ dicit, Donec posuero inimicos tuos scabellũ pedum tuorũ. Nam ipsi omnino erãt inimici eius, quos posuit Deus pater scabellũ pedum Christi. Vide aũt & quomodo interroget. nõ enim dixit, Quid uobis uidetur de me, sed, de Christo? Et ita non perstringit eos. Et neq; potestis mihi dicere quòd absq; spiritu hoc dixerit, sed spiritus sancti afflatu di-
Quomodo pharisaica damnentur disciplina. xit Dominũ, hoc est, motus gratia spiritus. Quomodo ergo Christus, filius est Dauid, an nõ Dominus eius, & Deus? Turba igitur audiebat eum libenter. Et dicebat turbæ, Cauete à scribis, qui splendidiores ferunt stolas, & propter illas præferri uolunt, salutationesq; & celebritates fori probant, & gloriæ omnibus modis studẽt: qui & domus uiduarum comedunt. Clàm enim accedunt ad mulieres præsidio destitutas, quasi illarum futuri tutores & patroni & prætextu longæ orationis, & pietatis colore & simulatione decipiunt simpliciores, deuorantes domos diuitũ. Illi igitur grauiorem accipient
Sapien. 6. damnationem, quàm alij Iudæi peccantes. Potentes enim potentius punientur. Interim & Apostolos docet ne iuxta scribarum morem uiuant, sed se imitentur. Doctores enim illos ordinans uerisimile est ut uitæ suæ fecerit imitatores.

Et cũ sederet Iesus ex aduerso gazophylacij, spectabat quomodo turba mitteret æs
Luc. 21. in gazophylaciũ, & multi diuites mittebãt multa: & uenit quædam uidua pauper, misitq; minuta duo, quod est quadrans. Vocatisq; ad se discipulis suis, dicit illis: Amen dico uobis, q̃ uidua hæc pauper plus misit, q̃ omnes q miserũt in gazophylaciũ. Nam omnes ex eo quod ipsis supererat, miserũt: at hęc è penuria sua omnia quęcũq; habebat misit, totã substantiã suam.] Mirabilis quædã cõsuetudo apud Iudæos erat. Qui enim poterant & uolebant, mittebant in thesaurũ templi, qui uocabatur gazophylacium, è quo sacerdotes & pauperes & uiduæ alebãtur. Quũq; id multi facerẽt, & uidua accesPrecatio Theophylacti. sit, suam uoluntatẽ declarans opibus abundantiorẽ. Gloria tibi Christe, qui & parua gratiora sępe habes q̃ magna. Quæso ut etiã mea anima uidua talis sit, quę abijciat fatanam, cui ut uiro adhæsit, & mittat in thesaurũ sacrũ duo minuta, carnẽ & mentẽ, ipsa

immi-

A Imminuat, continentia quidem carnē, humilitate uerò animā, ut & ego audiam q̄ to-
tam meā uitam cōsecrarim Deo, nō relicta ulla cogitatione uel affectione huic mūdo.

CAPVT XIII.

ET cum exiret de templo, dicit illi quidam ē discipulis illius, Præceptor, uide quales lapides, & quales substructiones. Et Iesus respondens ait illi, Vides has magnas substructiones? Non relinquetur lapis super lapidem, qui nō diruatur. Et cū sederet in monte oliuarū ē regione templi interrogabāt illum secretò Petrus & Iacobus, & Ioannes & Andreas: Dic nobis, quādo hæc erūt? & quod signū est quando hæc omnia sint cōsummanda? Quoniam multa de desolatione Hierusalem dicebat Iesus, q̄ relinquetur domus illorū deserta, discipuli eius admirantes q̄ tantæ magnitudinis, tamq̄ pulchra ædificia abolenda essent, ostendunt illi decorē templi. At ille nihilominus prædicit perdenda, & in tantū, ut neq̄ lapis super lapidē maneat. Et dicūt quidam multas ueteris ciuitatis Hierusalem reliquias superstites, & ita Christū mendacē ostendere tentant. sed hoc neutiq̄ uerum est. Nam etiā si reliquiæ quædā relictæ essent (quod uerum non est) nō tamen relinquentur usq̄ ad consummationē seculi. Quin historiæ habēt q̄ Aelius Hadrianus templū & ciuitatem à fundamentis effoderit, & ita in illo impletū est q̄ non sit relictus lapis super lapidem. Porrò sedente illo in in monte oliuarum, accesserunt ad eum interrogantes: Quando hæc erunt? hoc est, quando consummabitur Hierusalem? At ipse antequam responderet eis de his de quibus interrogabant: munit cogitationem illorum, ut ne errent. Quia incipientibus illis fieri in Iudæa surrexerunt quidam qui se dicebant magistros, dicit Dominus, Videte ne decipiamini.

Matth. 24. Lucæ 21.

Matth. 23.

Aelius Hadrianus templū & ciuitatē Hierosolymorum funditus suffodit.

At Iesus respondens illis cœpit dicere, Videte ne quis uos fallat: multi enim uenient in nomine meo dicētes, Ego sum Christus, multosq̄ decipient. Cum aūt audieritis bella, & rumores bellorū, ne turbemini. oportet enim fieri, at nondū finis. Insurget enim gens aduersus gentē, & regnum aduersus regnū. Et erunt terræmotus in singulis locis, & erunt fames ac turbationes. Initia dolorū hæc. sed cauete uos uobis. Tradent enim
B uos in concilia, & in synagogis cædemini, & sub principibus ac regibus * ducemini propter me, in testimoniū illis. Et apud omnes gentes oportet prius prædicari Euangelium. Multi ueniēt, qualis erat Iudas, qualis Theudas, qui dicebāt se à Deo missos esse. Bella aūt futura dicit, quæ & Iosephus narrat ante captiuitatē facta. Nam insurgebat quidem gens, & nō reddebat tributa. Romani aūt irati eos infestarunt, & cōtinuis insidijs ac cladibus affecerunt, sed nondum finis Hierusalem. Romani enim misericordes erant. Nō solum autem bella erant, sed etiā aliæ clades à Deo immissæ, ut fames, & terræmotus: ostendente eis Deo manifestè q̄ ipse illos impugnaret. Omnia enim hęc principia parturitionum, hoc est malorum quæ ipsis euentura sunt. Cauete autem uos uobis. tradent enim uos in cōcilia. Tempestiuè interserit narrationem illam, Tradēt uos in concilia, ut ex cōmunibus habeant consolationem quandam in proprijs calamitatibus. Sed & dicendo, Propter me ducemini ad duces & reges, consolationem eis non mediocrē attulit, q̄ pro ipso passuri essent. In testimonium uerò illis, hoc est, ut inexcusabiles illi sint, & ob hoc condemnati, q̄ etiam torquentes uos, ueritatem uincere non potuerunt. Deinde ne putes q̄ pericula & afflictiones prædicationem prohibeant, inquit, Et in omnes gentes oportet prædicari Euāgelium, & tunc capietur Hierusalem. Nam q̄ ante captiuitatem prędicatum sit Euangelium, audi Paulum, In omnem terrā exiuit sonus eorum, & in fines orbis terræ uerba eorum. quod etiam in maiorem condemnationem Iudęæ factum est, q̄ ante captiuitatem ubiq̄ Euangelium prædicatum est. Nam cum uiderēt tam breui tempore in totum orbem prædicationem transire, etiam ipsi agnoscere debuissent Christi uirtutem, pœnitentiam agere, & liberari à calamitatibus: sed non intellexerunt, & idcirco maius illorum iudicium.

** Rom. cp. dex habet sabbato. Id est, sistemini uel stabitis.*

Act. 5. Iosephus.

Ad Ro. 10.

Cum autem duxerint uos tradentes, ne præcogitetis quid dicturi sitis, neq̄ meditemini, sed quicquid datum fuerit uobis in illa hora, hoc loquamini. Non enim estis uos qui loquimini, sed spiritus sanctus. Traditurus est autem frater fratrem in mortem, & pater filium, & insurgēt filij aduersus parentes, & morte afficient eos. Et eritis odio habiti ab omnibus propter nomen meum. Sed qui perseuerauerit usq̄ in finē, hic saluus erit. Anteq̄ bellum perfectū excitatū esset, quid nō patiebantur Apostoli ab illis dum protraherentur ad tribunalia, ducerentur ad reges, Herodē, & Agrippā, & Neronē?

Act. 12. 25. 26. 28.

Lucæ 12. Ne igitur antea soliciti sitis (inquit) quid loquamini, sed in ipsa hora dabit uobis spiritus sanctus quę loquamini. Prædicit aũt eis, quod omniũ est grauissimũ: nempe à maximè familiaribus impugnandos. Et dicit hoc, ut quũ prius audierint, præparentẽ, & periculũ facilius ferant: deinde cõsolatio sequitur, q̃ propter me odio eritis habiti. Quòd enim propter ipsum fuerũt odio habiti, satis erat ad omnes calamitates leniẽdas. Quia & q̃ saluandi erãt perseueraturi usq̃ in finẽ, etiã ipsum maximã afferebat cõsolationẽ.

Dan. 9. Porrò cum uideritis abominationẽ desolationis de qua dictum est à Daniele propheta, stantem ubi non oportet, qui legerit intelligat. Tunc qui fuerint in Iudęa, fugiãt ad montes: qui uerò fuerit in tecto, ne descendat in domũ, nec ingrediatur ut quicquã tollat è domo sua: & qui fuerit in agro, ne reuertatur ad ea quæ reliquit à tergo, ad tollendum pallium suum. Væ autem prægnantibus, & lactantibus in diebus illis.] Abominatio desolationis, statua est eius qui ciuitatem destruxit. Abominatio enim omne idolum dicitur: desolationis uerò q̃ capta & desolata Hierusalem, illam statuerunt intra adytum templi. Pilatus quoq; Cæsaris imagine noctu in templum illata, magni tumultus author fuit plebi. tunc enim cœpit & bellum, & desolatio Hierusalem. Igitur tunc hi qui in Iudęa fuerint, fugiant in montes. Bene autem dixit, hi qui in Iudæa. nam Apostoli non fuerunt in Iudæa: sed, ut diximus, antequã bellum exortum est, in persecutione exacti sunt è Hierusalem, immò ipsi exierunt, diuino afflati spiritu. Qui igitur inuenti fuerint in Iudæa, fugiãt: Et is qui supra tectum, nullius rei gratia quæ in domo, reuertatur. Expedit enim ut quis uel nudo corpore saluus fiat. Insuper uæ & prægnãtibus, & lactantibus uæ. Quare? quia nõ possunt fugere mulieres quibus sunt pueri, affectione erga illos detentæ. Prægnantes quoq; propter uteri sarcinam neq; ipsæ facilè fugam inueniunt. Existimo autem quòd & pueros hoc loco significet uorandos. Fame enim obsessi nec pueris pepercerunt.

Quãdo cœperit bellũ & desolatio Hierosolymorum.

Orate aũt ne fuga uestra fiat hyeme. Erunt enim dies illi tales afflictio, qualis nõ fuit ab initio rerum conditarũ quas condidit Deus, usq; ad hoc tẽpus, nec futura est. Et nisi Dominus abbreuiasset dies illos, haudquaq̃ salua fuisset uniuersa caro. Sed propter electos quos elegit, abbreuiauit dies.] Si hyeme fuga fieret, tẽporis iniuria impedimenta habituri essent fugere uolentes, & omnino afflictio futura est earum quæ fuerunt uel erunt unquam grauissima. & nisi abbreuiasset Deus, hoc est, citius Romanorum bellum dissoluisset, nõ fuisset salua uniuersa caro, hoc est, Iudæus non fuisset relictus. Sed propter electos, hoc est eos qui ex Iudæis crediderunt, uel postea credituri sunt, bellum citius diremptum est. Deus enim quia præcognouit ex Hebræis multos post captiuitatem credituros, non permisit totum genus aboleri. Possunt autem hæc morali sensu sic exponi. Abominatio desolationis, est omnis diabolica cogitatio, quæ stat in loco sancto, hoc est nostra mente. Tunc igitur qui est in Iudæa, fugiat in montana, hoc est, qui cõfessus fuerit, currat ad uirtutũ montes. Iudęa enim cõfessio dicitur. Et qui in summo stat, non descendat. Quando enim affectio quædam in mente nostra reperitur, oportet per confessionem ad summa recurrere, & à summitate uirtutis non descendere. Et qui operatur quod bonum, non reuertatur ut tollat ueterem † consuetudinem, quæ est uestis quam exuit. Væ autem fugienti in hyeme. Oportet enim nos fugere à peccato cum alacritate, & non frigide & segniter. Hoc enim per fugam in hyeme insinuatur.

Sensus moralis.

† conscientiam

Tunc si quis uobis dixerit, ecce hic Christus, ecce illic: ne credatis. Exorientur pseudochristi & pseudoprophetæ, & edent signa ac prodigia ad decipiendũ, si fieri possit, etiam electos: uos autem cauete, ecce prædixi uobis omnia. Cæterùm in illis diebus post afflictionem illam sol obtenebrabitur, & luna non dabit splendorem suum, & stellæ cœli decident, & uirtutes quæ in cœlis sunt, concutientur: & tunc uidebunt filiũ hominis uenientem in nubibus cum potestate † multa & gloria.] Quia impleuit quæ ad Hierusalem attinent, incipit igitur nunc de aduentu Antichristi dicere. Quòd autem dicit Tunc, ne intelligas quòd quando fient ea quæ suprà dicta sunt de Hierusalem, si quis uobis dixerit, Ecce hic Christus, ne credatis: sed ícito quòd scripturæ proprietas hęc est, sicut etiã Matthæus post genealogiam Christi dicit, In diebus illis aduenit Ioannes. Quibus diebus? Non mox sequentibus post Christi natiuitatem? Non, sed indefinitè. Sic igitur & hoc loco dicit tunc: nõ quando Hierusalem desolata fuit, sed per tempus aduentus Antichristi, ne seducamini. Multi enim prætexent nomen Christi, ita ut &

Ioel. 2. Esaiæ 13.

† & gloria multa.

Scripturæ proprietas.

Matth. 3.

A ut & electos seducere queant. At post aduentum Antichristi omnis creatura immuta bitur, quando stellæ obtenebrabuntur propter immensam lucem Christi. Commouebuntur autem & angelicæ uirtutes, hoc est obstupescent, uidentes tantam rerum mutationem fieri, & conseruos suos iudicari. Et tunc uidebunt Dominum ut filium hominis hoc est in corpore. Nam quod spectatur, necesse corpus est. Quãuis autem in corpore ut homo ueniet, aderit tamen cum potestate & gloria magna.

Et tunc mittet angelos suos, & aggregabit electos suos à quatuor uentis, à summo terræ usq; ad summũ cœli. A ficu uerò discite similitudinem: cum ramus eius tener fuerit, produxeritq; folia, scitis quòd propè sit æstas. sic & uos cum uideritis hæc fieri, scito te quòd propè sit in foribus. Amen dico uobis, quòd non præteribit generatio hæc donec omnia hæc facta fuerint. Cœlum & terra transibunt, sed uerba mea non præteribunt.] Vides q; & filius angelos mittit, sicut & pater. Vbi igitur sunt qui dicunt, Non est æqualis Deo & patri? Venient igitur angeli ut congregent electos, qui tanquam in nubes rapti, occurrant Domino. A ficulnea autem disce quod dico. Quemadmodum enim folia ficu habente, statim æstas adest: sic & post afflictionem Antichristi statim absq; ullo mediatore aderit Christi aduentus, quæ reuera iustis æstas quædã est ab hyeme, peccatoribus autem hyems ab æstate. Amen dico uobis, quòd generatio hæc, hoc est Christianorũ, non transibit donec hæc omnia, de Hierusalem & antichristi aduentu, fiant. Non enim generationem dicit Apostolorũ, quia plerisq; non usq; ad consummationem Hierusalem uixerunt, quomodo ergo ad consummationem mundi pertingere dicerentur? Generationem itaq; Christianorum dicit, ita consolans Apostolos, ne suspicentur quòd cum tanta mala fiant, fortè deficiat fides. Quasi diceret, Cõfidite, & bono animo estote: non præteribit generatio fidelium, neq; deficiet. Prius enim transibunt immobilia hæc elementa, cœlum & terram dico, quàm mei sermones in ullo intercidant. Omnia quæcunq; dixi, perficientur.

Contra dicẽtes Christũ non esse æqualem Deo & patri.

Secundus Christi ad uẽtus quando offutu=rus.

Cæterùm de die illo ac tempore nemo nouit, neq; angeli quidem qui in cœlo sunt, nec
B ipse filius, sed solus pater. Cauete, uigilate & orate: nescitis enim quando tempus sit: sicut homo qui peregrè ait relicta domo sua, deditq; seruis suis substantiã suam, ac suum cuiq; opus, & ianitori mandauit ut uigilaret. Vigilate igitur: nescitis enim quãdo dominus domus uenturus sit, serò an medio noctis, an in gallicinio, an diluculo: ne si uenerit repentè, offendat uos dormientes. Cæterùm quæ dico uobis, omnibus dico, uigilate.] Volens Dominus discipulos à diei & horæ illius interrogatione cohibere, dicit q; neq; angeli neq; filius sciãt. Si enim dixisset, scio quidem, sed nolo uobis reuelare, mœrore illos affecisset: nũc aũt prudenter rem agit, & eos omnino prohibet ne discere affectent ac molesti sint, dicens, Neq; angeli sciunt, neq; ego. Ab exemplo autem intelligas quod dicitur. Sæpe pueruli uident patres suos tenere quiddam in manibus, & hoc petunt, patribusq; dare nolentibus, plorant quòd nõ accipiunt: deniq; patres occultant illud quod tenent, & ostendentes manus uacuas pueris, fletum illorũ sistunt. Sic & Dominus quasi pueros apostolos alloquens, occultauit diem. Nam si dixisset, scio, non dico aũt indoluissent q; ab illo non discerent. Quòd aũt Dominus sciuerit & diem & horam, manifestum, quia seculi conditor est. Et quo pacto quod fecit nesciret? Verùm uti liter abscondit Deus consummationẽ uitę, siue omnium in cõmuni, siue uniuscuiusq; in singulari, ut dum incertus est finis, semper soliciti simus ac anxij, expectantes illũ, & timentes ne impræparatis superueniat. Consideremus aũt uerba. Tardè quidem tunc adest finis, quando quis in bona senecta moritur. Media aũt nocte, cum mediam ætatem peregerit. In gallicinio aũt, quando in nobis ratio completa fuerit. Gallus enim ratio est, quæ nos à somno excitat, & stuporem repellit. Cum igitur puer incipit iuxta rationem uiuere & sapere, tunc gallus ei canit. Ante gallicinium autem omnino puerilis ætas est. Omnes igitur finẽ in memoria habere oportet: etiãsi quis puer sit, prouidendum ne fortè non baptizatus moriatur. Omnibus autem hæc præcipit Dominus, & his qui in mundo uiuunt, & his qui secesserunt. Debemus igitur uigilare & orare. Vtraq; hæc necessaria sunt. Multi enim uigilant, sed noctem malè absumunt. Vide aũtem quomodo non dixerit, Nescio enim quando tempus est, sed, nescitis. Occultauit enim nostram ob utilitatem. Nam si nunc, cum est finis mundi incertus, mutuis odijs insanimus, quid non faceremus scientes finem? In extremam sanè malitiam insume-

Exemplum occultationis diei secũdi aductus.

meremus tempus quod uitæ finem præcederet, deinde ultimo die summa cum iactura pœnitentiam ageremus.

CAPVT XIIII.

Matth. 12. Luc. 22. Ioan. 11.

ERat autem pascha, & azymorum dies futuri post biduum. Et quærebant summi sacerdotes ac scribæ quomodo eum per dolum comprehensum occiderent. Dicebant autem, Non in die festo, ne tumultus fiat populi. Et cum esset Bethaniæ in domo Simonis leprosi, accumbente eo uenit mulier habens alabastrum unguenti nardi pistícæ pretiosæ: & cõminuto alabastro effudit illi in caput. erant autem quidam qui indignarentur apud seipsos, ac dicerẽt, Ad quid perditio hæc unguenti? nam poterat hoc uenditi pluris quàm trecentis denarijs, ac dari pauperibus. Et infremuerũt aduersus illam.]

Cur quartis nos ferijs ieiunamus. Christus pascha uerũ.

Feria quarta concilium conuenit, & propterea ieiunamus etiam nos quartis ferijs. Illi quidem cõsultabant solennitatis tẽpus prætermittere, at non permissum est eis, sed ipse sibijpsi tempus passionis statuẽs, in pascha crucifigi uoluit. ipse enim erat pascha uerum. unde uirtutem eius admirari licet. Nam cum illi uellent ipsum comprehendere, non potuerunt: quando autem illi noluerunt propter festum diem, tunc uoluntarius ipse seipsum tradidit. At cum ipse esset in Bethania in domo Simonis leprosi, uenit mulier. Et quatuor mentionem faciunt unguenti: & uidetur quibusdam una esse: nõ aũt ita est, sed duæ sunt. Vna quidem quæ apud Ioannem, quæ & Lazari soror est. Alia quę à reliquis tribus memoratur. Veruntamen attende & inuenies quòd tres sint. Apud Ioannẽ quidem una, apud Lucam alia, & apud duos illos adhuc una alia. Nam illa quę apud Lucam, meretrix erat, & in medio prædicationis Christi ad Christum uenit: quæ apud Matthæum, tempore passionis, & non dicitur meretrix. Probat autem Christus eius uoluntatem, quòd tanta expenderit in nardum. De nardo pistica scias quòd est species quædam nardi quæ pistica dicatur, uel quòd syncera sit, & non adulterata, uel cum fide confecta. Erant autem quidam ægre ferentes, Ioannes autem dicit Iudam ægrè tulisse. Verisimile igitur & alios quidem Apostolos mulierẽ obiurgasse, utpote qui audierant Christũ semper multa de eleemosyna docere. Iudas sanè non eodem scopo aduersus mulierẽ indignabatur, sed propter auaritiã, & turpe lucrũ suum. Propterea & Ioãnes ipsius duntaxat meminit, tanq̃ dolosa mordacitate mulierẽ reprehenderit. Et infremuerũt in eam, hoc est indignabant, cõuiciabãtur, perstringebãt eã.

Ioan. 12. De tribus Magdalenis. Luc. 7. Matth. 26. Nardus pistica quid.

At Iesus dixit, Sinite illã, cur illi molesti estis? Bonũ opus operata est erga me. Sẽper enim pauperes habetis uobiscũ, & quandocũq; uolueritis potestis illis benefacere: me uerò nõ semper habetis. Quod potuit hæc, fecit: præuenit ut ungeret corpus meum ad sepulturã. Amen dico uobis, ubicunq; prædicatũ fuerit Euangeliũ hoc in totum mundum, etiã hoc quod fecit hæc, dicetur in memoriã ipsius.] Reprehendit Dominus discipulos, q̃ intempestiuè mulieris alacritati obsistunt. Cur enim (inquit) illi negociũ facitis, & estis molesti? Num quia donum attulit, auersamini eam cũ ignominia? Interim aũt perstringit & proditorem dicendo, In sepulturã meam hoc fecit, & planè conscientiæ expertem arguit. quasi ita diceret ei, Tu quidem in mortem me tradidisti, & nõ reprehendis temetipsum: ista aũt in sepulturam meam unguentum afferens, tanq̃ à Deo mota, digna ne est quæ à te reprehendatur? Prophetã autem agit hoc loco Dominus, duoq; prædicit, & q̃ Euangelium prædicandum sit in toto mundo, & quòd opus mulieris simul prædicandũ. Confundantur hoc loco qui pauperes Christo præferunt. Audiui enim ego aurifabros dicentes, quòd si ego dissectum sacrum uasdem pauperibus, & ego utuam, nec condemner. Audiant igitur quomodo Christus præferat sui curam pauperibus. Christi autem corpus propriè est, quod in disco aureo, & sanguis qui in poculo. Qui igitur abstulerit discum pretiosum, & cogit ut corpus Christi in uiliori ponatur, prætexens scilicet pauperes, sciat cuius partis sit.

Christus propheta. Christi cura præferenda curæ pauperũ. Corpus Christi uerè est in altari.

Et Iudas Iscariotes unus è duodecim abijt ad summos sacerdotes, ut traderet eum illis. Quo audito illi gauisi sunt, & pollicíti sunt se ei daturos pecuniã. Et quærebat quomodo opportunè illum traderet.] Cum mulier suam liberalitatem declararet, insaniebat discipulus unus è duodecim. Non enim temerè additum est, unus è duodecim, sed ut ostenderetur q̃ unus è duodecim electioribus esset. Quid autem est hoc quod ait, ut traderet illũ? hoc est, significaret illis quãdo solus esset. timebant enim eum inuadere cũ doceret, propter turbam. Ipse itaq; pollicebatur illis se dicturũ quando ille solus esset.

Vnus è duodecim, non temerè additum.

Ac pri-

A Ac primo die azymorũ, cum pascha immolarent, dicunt illi discipuli sui, Vbi uis ut abeamus & paremus ut edas pascha? Et emittit duos è discipulis suis, & dicit illis, Ite in ciuitatẽ, & occurret uobis homo hydriã aquæ baiulans. sequimini illum, & quócunq; ingressus fuerit, dicite patrifamiliãs, Magister dicit, Vbi est diuersoriũ ubi pascha cum discipulis meis edam? Et ille uobis ostendet triclinium magnum stratum, paratum: illic parate nobis.] Primũ diem azimorum, diem quintũ dicit qui erat ante azyma. Azyma enim & infermentata die parasceues comedebant. Accedunt itaq; discipuli, & interrogant ubi comedant pascha. Ex hoc autem manifestũ est Christum non habuisse proprium diuersoriũ, & nec discipulos habuisse domum propriam. Nam si habuisset, illic eum suscepissent. Mittit autem duos è discipulis suis, Petrum & Ioannem, sicut & Lucas inquit, ad hominem ignotum: ostendens illis quòd posset non pati. Qui enim mentem hominis ignoti conciliare sibi poterat ut se exciperet, quid non fecisset in alijs? Præterea dat illis signum quomodo inueniant domum: nempe ut sequantur hominem figulinum uas aquæ gestantem. Hæc etiam sublimius intelligi possunt. Hydriam baiulat baptizatus. uadit autem in domum, quę rationali suo ordine digna est. Qui enim habet baptisma, ad requiem uadit, iuxta rationem uiuens, & uiuit in ordine quasi in domo quadam. Paterfamiliãs mens est, qui ostendit magnum triclinium, sublimes scilicet sensus. Verùm triclinii hoc stratum est, hoc est, tametsi sublime sit, nihil tamen habet uel asperum, uel superbum: sed stratum est, & humilitate complanatum. Illic ergo, in tali inquam mente, præparetur pascha Christo à duobus discipulis, Petro & Ioanne, practica dico & contemplatiua. Petrus enim propter feruorẽ practicus, Ioannes uerò ut theologus, contemplatiuus.

Neq; Christum, neque discipulos proprias edes habuisse.

Et exierunt discipuli eius, & uenerunt in ciuitatem, & repererunt quemadmodum dixerat illis: parauerunt q; pascha. Et cum uespera iam esset, uenit cum duodecim. Et cum accumberent, ederent q;, dixit Iesus, Amen dico uobis, unus ex uobis proditurus est me, qui edit mecum. At illi cœperũt esse mœsti, ac dicere illi singillatim: Num ego? Et alius, num ego? Ille uerò respondens dixit illis, Vnus è duodecim, qui intingit mecũ manum in catinũ. Filius quidem hominis uadit sicut scriptum est de illo: sed uæ homini illi per quẽ filius proditur. bonum erat illi si natus non fuisset homo ille.] Quomodo accumbebant, cum lex præciperet à stantibus comedendum pascha? Verisimile igitur primùm perfecta ea quæ sunt legis, deinde recubuisse proprium pascha traditurum. Cœperũt autem discipuli tristes fieri propter sermonem Domini quem dixerat, quòd unus ex eis se traditurus esset. Quamuis autem nihil sibi conscij essent, attamen anxij erant, credentes magis ei qui corda cognoscit, quàm sibijpsis. Obserua autem & uerbum, uadit. Mors Christi quasi peregrinatio quædam fuit, non mors. Quod autem dicitur, bonum esset homini illi si natus nunquã fuisset, dictum est propter pœnam qua cruciandus erat Iudas. Melius enim est omnino non nasci, quàm ad talem pœnam nasci. Igitur quantum ad finem attinet, melius uidetur omnino si nõ fuisset Iudas. Deus quidem illum fecerat, & ad bona opera: at quia ipse in talem incidit malitiam, ut appareret, melius erat si nunquam fuisset genitus.

B

Mors Christi quasi quædã erat peregrinatio.

Et edentibus illis, sumpto Iesus pane, cum gratias egisset, fregit & dedit illis: ac dixit, Sumite, comedite, hoc est enim corpus meum. & accepto poculo, cum benedixisset, dedit illis. Et biberunt ex ea omnes, & dixit illis, Hic est sanguis meus noui Testamenti, qui pro multis effunditur. Amen dico uobis, posthac nõ bibam de fructu uitis usq; ad diem illum cum illud bibero nouum in regno Dei.] Quidam dicunt Iudam non fuisse participem sacramentorum, sed egressum esse priusquam Dominus sacramenta traderet. Alij autem dicunt quòd etiam ingrato illi sacrosancta dederit. Cum benedixisset, hoc est, gratias egisset, fregit panẽ: id quod etiã nos facimus, preces adiũgendo. Hoc est corpus meum, hoc inquã quod sumitis. Non enim figura & exemplar quoddam Dominici corporis panis est, sed in† illum conuertitur corpus Christi. Dominus enim dicit: Panis quẽ ego dabo, caro mea est. non dixit, figura est carnis meæ, sed, caro mea est. Et iterum, Nisi ederitis carnem filij hominis. Et quomodo, inquis, caro non uidetur? O homo, propter nostram infirmitatem istud fit. Quia enim panis quidem & uinum ex his sunt quibus assueuimus, ea nõ abhorremus: sanguinem uerò propositũ & carnẽ uidentes, non ferremus, sed abhorreremus: idcirco misericors Deus nostræ infirmi-

1. Cor. 11.

† illud ipsum Panis non figura est corporis, sed conuertitur in corpus Christi.

Ioan. 6.

firmitati cõdescendens, speciem quidem panis & uini seruat, in uirtutem autem car- A
nis & sanguinis trãselementat. Sanguinẽ uerò noui Testamenti dixit, opponendo ue-
Exod.24. teri. Habebat enim & uetus Testamentũ sanguinẽ quo aspergebantur & populus, &
liber legis. Non aũt bibam ex hoc uino, dicit, usq; ad resurrectionẽ. Regnũ enim resur
rectionẽ uocat, tanq; rex qui aduersus mortẽ certarit, & regnat. Sanè post resurrectio-
Ioann.21. nem bibit & comedit cũ discipulis, probans q; ille ipse esset qui passus fuerat. Nouũ au
tem illud bibit, hoc est nouo quodam modo & insolito. non enim ultra corpus habe-
bat passibile, quod cibo indigeret, sed immortale & incorruptibile. Intellige aũt etiam
Ioan.15. sic. Vitis Dominus ipse est, fructus aũt uitis mysteria sunt & abscondita scientia, quam
ipse profert, docens hominem scientiam. In regno itaq; Dei, hoc est, in octauo seculo,
bibet cum discipulis suis, mysteria & sapientiam nouã quandam docens nos, & reue-
lans quæ nunc abscondita sunt.

Et cum hymnum dixissent, exierunt in montem oliuarũ: & dicit illis Iesus, Omnes
Zach.13. offendiculum patiemini per me in hac nocte: quia scriptum est, Percutiam pastorem,
& dispergentur oues. Sed posteaquã resurrexero, præcedam uos in Galilæam. Petrus
autem dixit illi, Etiamsi omnes offendiculum passi fuerint, at ego non. Et dicit illi Ie-
sus, Amen dico tibi quòd tu hodie in nocte hac priusquam bis gallus cecinerit, ter ab-
negabis me. At ille uehementius dicebat, Immò si me oportuerit commori tibi, non
te negabo. Similiter autem & omnes dicebãt.] Gratias egerunt. Et antequam & post-
quam bibissent, gratias egerunt: ut & nos discamus quòd oporteat gratias agere Chri-
sto, & ipsum laudare & ante cibum, & post cibum. Præterea etiam hoc indicat quòd
grata sit ei mors pro nobis, quoniam etiam exiens ut traderetur, laudat Dominũ. Om-
nino autem & nos docet, siquando in aduersa pro multorũ salute inciderimus, ne ni-
stes simus, sed & gratias agamus Deo, qui nostram afflictationem in multorũ salutem
operatur. Egreditur uerò in montem oliuarum, ut solitarium adorirentur, & detine-
rent, ne tantum tumultum faciant. Nam si in ciuitate ipsum inuasissent, fortasis subor
ta fuisset turba, & inimici occasione quapiam, quæ iusta uideri potuisset, apprehensi, B
uisi fuissent ipsum iustè ut seditiosum interficere. Prædicit autem illis quòd & offendi-
culum passuri essent. Postea ne uideantur hæc in manifestam omnium accusationem,
adducit etiam testimonium ex propheta Zacharia quòd dispergendi essent. Denicp
& consolationem illis affert dicens, Præcedam uos in Galilæam, hoc est, præueniam.

Abnegatio Petri quomodo se habeat.

At Petrus obsistit: ideo & audit quòd antequã gallus bis canat, ter me abnegabis. Hoc
autem in hunc modum se habet. Negauerat semel Petrus, deinde gallus cantauit: &
cum alias duas abnegationes fecisset, & tunc quoq; cantauit gallus. Et hoc est quod
hoc loco dicit, Priusquam gallus bis cantet, ter me abnegabis. Similiter autem & om-
nes frigidam alacritatem ostendentes, & ipsam ueritatem mendacem facientes, pol-

Cadere permisit Dominus Petrum & cæteros, ut humana natura imbecillitatem suam prodat.

licentur: ideo Dominus permittit ut humana natura suam prodat imbecillitatem. Om
nino enim potuisset illos Dominus seruare, & Petrũ maximè: sed permisit, ut ne in no
bis ipsis confideremus. Cæterùm, Percutiam pastorem, uox est patris. Quandoquidem
percuti permisit, percussisse ipse dicitur eum qui ipsius permissu percussus est. Oues
autem apostolos ut innocentes nominat.

Et ueniunt in locum cuius nomẽ Gethsemani, & dicit discipulis suis, Sedete hic, do
nec †digressus orauero. Et assumit Petrũ & Iacobum & Ioannem secũ: cœpitcp expa-
uescere & angi. Et dicit illis, Dolore afficitur anima mea usq; ad mortem. Manete hic,
& uigilate. Et progressus paulum, prostratus est in terrã, & orauit ut si possibile esset,
transiret à se hora. Et dicebat, Abba pater omnia possibilia sunt tibi: aufer poculum à
me hoc: ueruntamen nõ quid ego uelim, sed quid tu. Et uenit & offendit eos dormien
tes: dicitcp Petro, Simon, dormis? non potuisti unam horam uigilare? Vigilate & ora-
te ne ueniatis in tentationẽ. Spiritus quidem promptus, at caro infirma. Et rursum di
gressus orabat, & eundem dixit sermonem. Et reuersus offendit illos rursum dormien
tes. erant enim oculi eorum grauati, neq; sciebant quid illi responderent. Et uenit ter-
tiò, dicitcp illis, Dormite posthac, & requiescite, sufficit. Venit hora, ecce traditur filius
hominis in manus peccatorum. Surgite, eamus: ecce qui prodit me, appropinquat. I
Seorsum semper orare consueuit, dans etiam nobis figuram, ut quietem in precibus

†digressus, in Romano codice non habetur.

Matth.7. inquiramus. Assumit autem solum tres illos qui suæ in Tabor gloriæ spectatores fue-

ran

A rint, ut illi ipsi qui gloriosa uiderant, uideãt & tristia: discantq; q & ipse uerè homo sit, & mœreat & angatur sicut nos. Nam & qui totũ hominem cum naturalibus conditionibus suscepit, omnino & tristitiam & angorem naturalem habuit. Omnes autem natura insuauiter erga mortem affecti sumus. Cæterùm dicendo, Transeat calix, monstrat ut humanitatem. Dicendo autem, Non quod ego uolo, sed quod tu, docet nos ut inuadentem ac urgentẽ naturã contemnamus, q̃d Deo gratum est petentes. Postq; aũt post preces uenit, inuenit tres dormientes, & increpauit Petrum solũ, quasi talia ad ipsum dicens, Tu ne ille es, qui pollicitus es te mihi commoriturũ? Vnã horã nõ potuisti uigilare, quomodo mortẽ contemnes? Sed uigilate & orate, ut ne ueniatis in tentationem abnegandi me. Spiritus quidem promptus est, ut me non abneget, & propterea etiam uos pollicemini mihi hoc: sed caro infirma est, & ita si nõ per orationem uirtutẽ dederit Deus carni, periclitabimini. Et iterũ cum abiuisset, orauit eundem sermonem, ut etiam secundò orando credere faciat eos q; sit uerè & substantialiter homo, & ut doceat etiam nos sæpe orare, & nõ statim ut semel petiuerimus, cessare. Et cum inuenisset eos iterum dormientes, nõ ualde increpauit eos. erant enim grauati somno, unde discere humanam leuitatem & infirmitatẽ, quandoquidem qui, neq; somno possumus obsistere, promittimus sæpe quæ nobis impossibilia sunt. Igit̃ nunc tertiò precaĩ, propter illas ipsas causas quas suprà diximus. Et uenit iterũ, ac dicit illis, non iam perstringens durius quanuis meriti essent, quia post increpationẽ non erant facti meliores, sed somno indulserant. Et quid dicit? Dormite nunc, & requiescite. Per ironiã hæc illis loquit̃. quia sciebat uenire ꝓditorẽ, dicit ad illos, Nunc tempus est dormiendi, dormite nunc, ecce inimicus uenit. Hoc aũt dixit irridẽs eorũ somnolentiã. Et quod ꝓ ironiã dixerit, audi quoniam mox subdat, Surgite eamus: non ut fugiant hoc dicens, sed magis ut obuiam eant inimicis. Qidam autem hoc quod dicit, Tristis est anima mea usq; ad mortem, sic intellexerunt: Tristis sum, non quia moriturus, sed quia Israelitæ domestici mei me crucifixuri sunt, & propterea regno Dei ejcientur.

B Et continuò adhuc eo loquente accedit Iudas, qui erat unus è duodecim, & cum illo turba multa cũ gladijs & fustibus à summis sacerdotibus & scribis & senioribus. Dederat aũt is qui prodebat eum, cõmune signũ illis, dicens, Quemcunq; osculatus fuero, is est, comprehendite eum, & abducite cautè. Et cum uenisset, protinus accedit ad illũ, dicitq; ei, Rabbi, rabbi: ac deosculatus est eum. Illi uerò iniecerũt in illũ manus suas, & cõprehenderũt eum. Vnus aũt quispiã astantiũ educto gladio percussit seruum summi sacerdotis, & amputauit auriculam eius. Et respondens Iesus dixit illis, Tanquã ad latronem existis cũ gladijs ac fustibus ad comprehendendũ me: quotidie erã uobiscũ in templo docens, & non comprehendistis me: * sed ista fiunt, ut impleantur scripturæ.] Non frustra adiectũ est, Vnus ex duodecim, sedi in proditoris detestationẽ, q; cũ ex primo ordine esset, ita cõtra magistrũ insaniuerit. Vide aũt stuporẽ illius, quomodo putarit posse Dominũ latere, q; pro amico habendus esset propter osculũ. nam si amicus erat, quare cum inimicis ueniebat? Reuera malitia semper stulta est. Vnus aũt quispiã astantiũ, Petrus hic erat, obticet aũt nomẽ eius Marcus, ut ne uideatur laudare præceptorem suum Petrum maioris pro Christo zeli. Rectè autem auriculam serui summi sacerdotis amputauit. Innuit enim q; audire nolent & credere contemnentes scripturas. Si enim aures habuissent quæ scripturas exaudirẽt, nequaquam Dominum gloriæ crucifixissent. Nõ autem alium quàm pontificis seruum percussit Petrus. Pontifices enim primi scripturas aspernabãtur, facti inuidiæ & sui ipsorum amoris mancipia. Dixit item turbis, Tanq; ad latronem ad me exiuistis, quotidie docebam in templo. Hoc autem diuinitatem eius monstrabat. Quando enim in templo docebat, non potuerunt illum comprehendere, quamuis in illorum manibus esset, quia nondum tempus erat patiendi. quando autem uoluit, tunc seipsum obtulit, ut impleãtur scripturæ prophetarum quòd sicut ouis ad occisionem ductus sit, non contendens, neq; clamans, sed sua sponte sequens.

Et relicto illo omnes fugerũt. Et unusquispiã adolescentulus sequebatur illum circũ amictus sindone super nudum, & comprehendunt illum adolescentuli. Ille uerò relicta sindone nudus effugit ab illis. Et abduxerunt Iesum ad summum sacerdotem, & conueniunt cum illo omnes summi sacerdotes & seniores & scribæ. Et Petrus eminus

* ista uerbã (sed ista fiunt,) addita sunt ut plenior fiat sententia, quũ in græcis non habeantur.

Petri nomẽ cur Marcus tacuerit in amputatione auriculæ Malchi.

sequebatur illum intrò usq; in atrium summi sacerdotis, & erat sedens unà cum ministris, & calefiebat ad lumen.] Fugerunt discipuli, neque enim mentiri poterat ueritas ipsa, neq; prophetæ. Adolescentulus aũt quispiã sequebat. Verisimile est q; hic adolescentulus erat quidã è domo in qua comederant pascha. Quidã aũt dicũt illũ fuisse laco bũ fratrem Domini, qui cognominabat Iustus. Hic enim una uestè usus est per omnẽ uitam suam, qui & sedem Hierosolymitanã ab apostolis accepit post assumptionẽ Domini. Et hic igitur relicta sindone fugit. Nihil autem noui si fugientibus præcipuis etiã hic reliquerit Dominum. Petrus uerò sequutus est, ampliorem erga Dominũ declarãs amorem. Quum autem lex præciperet unum esse pontificem per totam uitam, multi tunc erãt, ementes quotãnis à Romanis principatus. Pontifices itaq; dicit eos, qui tempus suum iam exegerant, & pontificatum deposuerant.

Pontifices uerò & totũ consilium quærebant aduersus Iesum testimoniũ, ut morti traderent eũ: nec inueniebant. Nã multi falsum testimonium dixerant aduersus illum, nec erãt satis idonea testimonia. Et qdã assurgebãt & falsum testimoniũ ferebãt aduersus illũ, dicentes, Nos audiuimus eũ dicentem, Ego diruam templũ hoc, quod est manibus factum: & tribus diebus aliud sine manibus factũ extruam. Et ne sic quidem satis idoneũ erat testimoniũ illorũ. Et surgens summus sacerdos in medium, interrogabat Iesum dicens, Non respondes quicq; quid isti aduersum te dicunt testimonia? At ille tacebat, neq; quicq; respondebat.] Iudicij formã seruant illi, ipsi condemnatione digni, ut uideantur illũ cũ iudicio occidere. Quomodo enim iudicium iustum, cum tales adsunt testes, nihil sani, sed turbata & inæqualia dicentes omnia? Et ipsi quoque qui uisi
Ioann. 2. sunt dicere quiddam, mendaciter dixerunt. Non dixit enim, Ego destruam templum hoc: sed, soluite: & non dixit, manufactum: sed simpliciter, templum. Pontifex autem surgit, & interrogat Iesum, uolens ipsum ad defensionem trahere, ut uel ex defensione & responso ipsum comprehenderet. At Iesus tacet, sciens illos non attenturos his quæ
Lucæ 22. ab ipso dicerentur, id quod & Lucas dicit: quia cum interrogaretur Dominus, dixit, Si dixero uobis, non credetis: sin interrogauero uos, non respondebitis.

Rursum summus sacerdos interrogauit ipsum, & dicit illi, Tu es ille Christus filius Dei benedicti? Iesus aũt dixit, Ego sum, & uidebitis filiũ hominis sedentẽ à dextris uirtutis, & uenientem in nubibus cœli. Summus autem sacerdos dilaceratis uestibus suis dixit, Quid præterea opus habemus testibus? Audistis blasphemiam. Quid uobis uidetur? illi uerò omnes condemnauerunt eum esse reum mortis. Et cœperũt quidam conspuere in eum, & obuelare faciem illius, & colaphis eum cædere, & dicere illi, Diuina. Ac ministri alapas illi impingebant.] Rogat denuò pontifex, non ut discat & credat: sed ut captet contra eum occasionẽ. Adijcit autem ad istud, Tu es Christus: etiam hoc, filius Dei benedicti. Multi enim fuerunt Christi, reges inquam & pontifices, sed nullus horum fuit filius Dei, qui est semper benedicendus & laudandus. Iesus dixit, Ego sum. Sciebat enim q nõ crediturí essent, attamẽ respondit coactus, ut ne habeant postea quod dicãt, Si manifestè ipsum audiuissemus hoc dixisse, credidissemus. & propterea condẽnatio eorũ maior fuit, quia & nunc cũ audiuerũt, nõ crediderũt. Et uidebitis,
Christus nõ sine corpore ueniet. inquit, me ut filiũ hominis sedentem ad dexteram uirtutis nempe patris. Virtutem enim, patrem hoc loco dicit. Nõ enim sine corpore ueniet, sed talis qui uideri possit & agnosci ab his qui eum crucifixerunt. Itaq; pontifex morem Iudæorũ obseruat. Quando enim graue & atrox quippiam eueniebat eis, dilacerabant tunicas. Ita & hoc loco
Psal. 34. quasi blasphemasset Dominus, & malefactor magnus esset, discindit uestem pontifex. Rectè quis hoc Dauidis hic diceret, Discissi sunt, & non sunt compuncti. Verum signum hoc erat, tametsi illi nõ intelligerent, rumpendum & abolendũ Iudæorum sacerdotium. Itaq; quando communi pontificum suffragio condemnatus est, tunc ministri obuelauerunt illum & cecíderunt, dixeruntq;, Prophetiza, quis est qui te percussit? Quid igitur pati & nos debemus, ut reddamus par Domino? Horrore plena sunt hæc.

Et cum esset Petrus in atrio inferius, uenit una ancillarũ summi sacerdotis: quumq; uidisset Petrum calefacientem se, intuita illum dicit, Et tu cum Iesu Nazareno fuisti? At ille negauit dicens, Non noui neq; scio quid dicas. Et exiuit foràs in uestibulum, & gallus cecinit. Et ancilla cum uidisset eum, rursum cœpit dicere his qui astabant, Hic ex illis est. Ac ille rursum negabat, ac paulo pòst iterũ qui astabãt, dicebãt Petro, Verè

ex

A es illis es: nã & Galilæus es, & loquela tua conuenit. At ille cœpit execrari ac deierare, Non noui hominem istum de quo dicitis. Et iterũ gallus cecinit: recordatusq; est Petrus uerbi quod dixerat illi Iesus, Priusq; gallus cecinerit bis, abnegabis me ter. Et cum iniecisset, fleuit. Infirmus erat Petrus, tametsi alacer esset, & præ timore turbatus Dominũ abnegauit: id q; ab ancilla †interrogatus. Permisit autem Deus singulari dispensatione fieri, ut ne extolleretur, & ad hoc, ut compateretur labentibus, à seipso eruditus quanta sit humana imbecillitas & fragilitas. Non refert siue una, siue duæ ancillæ fuerint quæ arguerint Petrum. Matthæus sanè istam non eandem dicit, Marcus uerò eandem. Nihil autem nobis in hoc obstaculi ad euangelij ueritatem. Nũquid enim in magno aliquo & salutem nostram complectente discordãt? Nunquid ille dixit quod crucifixus sit, & alius non? absit. Igitur Petrus præ metu turbatus, & oblitus sermonis quẽ dixerat Dominus, quòd eũ qui me abnegauerit, abnegabo & ego corã patre meo, negauit: sed pœnitentia & lachrymæ illum ad Christum reduxerunt. Et quum iniecisset, fleuit: hoc est, quum caput obuelasset, uel pro eo q; cœpit magna uehementia. Iam q̃d Matthæus obscurè dixit, quod priusquam gallus cantet, interpretatus est Marcus, quia priusq; bis cantet, consueuerũt enim galli uno tempore sæpe sonare, & postea dormire, & post tempus quoddam iterũ cantũ incipere. Quod igitur Matthæus dixit, hoc est, prius q; gallus cantet, hoc est, impleat clamorem primi cantus, negabis me ter. Erubescant Nouatiani, qui eos q post baptismum & sacramentorum communionem peccarunt, non suscipiunt. Ecce & Petrus suscepto immaculato corpore & sanguine cũ negasset, propter pœnitentiam receptus est. Sanctorum enim delicta ideo scripta sunt, ut & nos siquãdo lapsi fuerimus non animaduertendo, possimus in exempla illorum respicere, & per pœnitentiam corrigi.

†obstupefactus.

Euãgelistæ in præcipuis nequaquã discordant.

Nouatiano rũ hæresis.

Sanctorum delicta quare scripta.

CAPVT XV.

ET confestim diluculo concilio inito summi sacerdotes cum senioribus & scribis ac toto consessu uinctum Iesum adduxerunt, tradideruntq; Pilato. Et interrogauit eum Pilatus, Tu es ille rex Iudæorum? At ille respondens dixit illi, Tu dicis. B Et accusabant eum summi sacerdotes de multis. Pilatus autem rursus interrogauit illum dicens, Non respondes quicquam? ecce quàm multa aduersus te testantur. Iesus autem deinde nihil respondit, adeò ut admiraretur Pilatus. Cæterùm in die festo dimittebat illis unum uinctum, quemcunq; postulassent. Erat autem qui dicebatur Barabbas, qui cum seditionis authoribus fuerat uinctus, qui per seditionem cædem patrauerant. Et cum acclamasset turba, cœpit flagitare quemadmodum semper fecerat ipsis. Pilatus autem respondit eis dicens, Vultis dimittam uobis regem illum Iudæorum? Sciebat enim quòd propter inuidiam tradidissent illum summi sacerdotes. Summi uerò sacerdotes concitauerunt turbam ut potius Barabbam dimitteret ipsis. Pilatus autem respondens rursum ait illis, Quid igitur uultis faciam ei quem dicitis regem Iudæorum? At illi rursum clamauerunt, Crucifige istum. Pilatus autem dicebat illis, Quid enim mali fecit? At illi uehementius clamauerunt, Crucifige eum. Pilatus uerò uolens turbæ satisfacere, dimisit illis Barabbam, & tradidit Iesum flagellatum, ut crucifigeretur. Tradiderunt Iudæi Romanis Dominum, traditi sunt & ipsi à Domino uicissim Romanorum manibus. Et implentur scripturæ quæ dicunt, Væ iniquo, mala erunt ei secundum opera manuum suarum. Et iterum, Secundum opera manuum suarum da illis. Et rursum, Sicut fecisti, ita erit & tibi retributio tua. Quum interrogasset Pilatus, Tu es rex Iudæorum? Dominus dubium responsum dedit. Nam, Tu dicis: potest intelligi, quòd uerè dixisti: tu dixisti id quod sum. Potest aũt etiã sic intelligi: hoc ego nõ dico, sed tu dicis. Iterũ aũt quũ interrogatus esset, & nihil responderet, mirari fecit Pilatũ. Admirabaꝫ q; cum legis peritus esset, ac eloquens, & qui posset per defensionẽ abstergere calumnias, nihil diceret, sed sustineret fortiter calumnias. Vide aũt sanguinarias Iudæorũ mentes & Pilati modestiã, quanuis etiã ipse condemnationẽ mereaꝫ, eo q; non strenuè iustum defenderit. Nam illi quidem clamabãt ut crucifigereꝫ: ille autem, licet mollius, tentabat eripere à condemnatione Iesum, propterea iterum rogat, Quid faciam Iesu? Vndiq; occasiones offerẽs ut dimitteretꝫ Iesus inocẽs. Ideoq; cũctabaꝫ & differebat. Tandẽ succũbens uolũtati illorũ flagellauit Dominũ, hoc est cecidit eũ loris, ut putaretꝫ accepisse, p tribunali condemnatũ: & tradidit illis eũ ut crucifigeretꝫ. Volebat eñ satisfa-

Matth. 27. Luc. 23. Ioan. 18.

Esaiæ 3. Psal. 27. Abdiæ 1.

Occasionẽ undiq; captat Pilatus dimittendi Christum.

cere

cere plebi, hoc est gratificari quantū possibile, nō autem quod gratū erat iusto & Deo. A

Milites autem abduxerunt eum intrò in atrium, quod est prætorium, & conuocant totam cohortem, & induunt illum purpura, & circumponunt ei contextam spinis coronam, & cœperunt salutare illum, Aue rex Iudæorum. Et uerberabant illius caput arundine, & inspuebant in illum, & positis genibus adorabant illum. Et quum illusissent ei, exuerunt eum purpura, & induerunt illum uestibus propriis: & educunt eum ut crucifigerent eum. Et coegerunt prætereuntem quendam Simonem Cyrenensem,

Milites in solentiæ.

qui ueniebat ex agro, patrem Alexandri & Rufi, ut tolleret crucem eius.] Militare genus semper conuicijs gaudet ac tumultibus, & sibi simile est. Nam quū Iudæi, qui plurimas audierant doctrinas, & in quos multa collocata erant beneficia, taliter affecti erant, quid de gentilibus possumus dicere? Conuocant itaq; totam cohortē, hoc est totum exercitum, & induunt eum purpura, ut regi illudentes: & coronā pro diademate, & calamum pro sceptro assumūt hoc loco diabolorum socij. Angariant autem quen-

Ioan. 19.

dam ut tollat crucem eius, quāuis alius euangelista dicat q̄ baiulans Iesus crucem exierit. Vtraq; igitur facta sunt. Aliquandiu enim portauit ipse lignum, deinde autem cum inuenissent aliquem qui portaret, coegerunt illū, & postea gestata est ab illo crux. Quare autem dixit, quorum etiam puerorum esset pater? Ad maiorem fidei confirmationem. Verisimile enim erat hominē adhuc uiuere, & posse enarrare omnia quæ in cruce facta. Porrò feramus & nos purpuram, regalem uestem. ut exempli gratia quid dicam, Sicut reges ambulare debemus super serpentes & scorpiones, & imperare peccato. Christiani enim dicimur, hoc est uncti & ipsi, sicut tunc reges dicebātur Christi. Sic igitur uita nostra non seruilis & illiberalis, sed regalis ac libera. Feramus autem & coronam spineam, hoc est, studeamus coronari asperitate & continentia uitæ: non uoluptuariè neq; delicatè. Simus autem & Simon, quod est obedientia: & tollamus crucem

Simon obedientia dicitur.

Iesu, quæ mortificet membra nostra quæ super terram sunt.

Et ducunt eum in Golgotha locū, quod est, si interpreteris, Caluariæ locus. Et dederunt illi bibere myrrhatū uinum, sed ille nō sumpsit. Quumq; crucifixissent eū, partiti B sunt uestimenta eius, mittentes sortē super illa, quis quid tolleret. Erat autem hora tertia, & crucifixerunt eum. Et erat inscriptio causæ illius inscripta, Rex Iudæorum. Et cū eo crucifigūt duos alios latrones, unū à dextris, & alterum à sinistris eius. Et impleta est

Esaiæ 53.

scriptura quæ dicit, Et cū iniquis deputatus est.] Traditio est quę à priscis patribus usq;

Adam ubi sepultus sit.

ad nos peruenit, quòd Adā illic sepultus sit. Dominus itaq; q lapsum & mortem Adæ sanauit, illic crucifixus est, ut unde principiū mortis, inde & mortis destructio. Dederūt autē illi bibere uinū myrrhatū. Myrrha autē amarissima est. Illudentes igitur hæc dederunt Domino. Alius aūt Euangelista dicit acetū cū felle, & alius aliud qd oblatum esse Domino. & nihil in his contrariū. Quū enim nulla apud illos disciplina, alij alia offerebant, & alius quidem acetum & fel, alius aūt uinum myrrhatū. Fortasse & uinū acetosum erat, & amara myrrha: & hinc conueniunt q̄ dicit ille myrrhatum uinum, alius uerò acetum cum felle. Nam & uinum acetum dici potest, quia acetosum: & myrrha fel, quia amara. Neq; in hoc dissonant q̄ unus dicit, Dabat ei bibere, ipse aūt nō sumebat: & alter, Quumq; gustasset, nolebat bibere. Omnino enim dicendo, non accepit, manifestauit q̄ non biberit. Miserunt quoq; sortes super uestes eius, & hoc ad illusionē eius facientes, quasi regis uestes diuiderent, quāuis nō ingentis precij essent. Scripserūt aūt & titulū, hoc est causam propter quā crucifixus est, rex Iudæorum, ut etiam per hoc ipsius gloriam carperent, quasi rebellis ac seditiosus esset, & seipsum regem appellasset: unde omnes qui prætergrederentur, non misererentur eius, sed magis infremerent in eum quasi tyrannum. Quomodo autem Marcus inquit hora tertia crucifixum esse, Matthæus autem hora sexta factas tenebras? Dicendum quòd hora tertia crucifixus est: tenebræ autem inceperunt fieri ab hora sexta usq; ad horam nonam. Et cum latronibus crucifixus est, ut homines de eo malè suspicarentur, quòd & ipse ut malefactor esset crucifixus. Factum est autē hoc singulari dispensatione. impleta enim est prophe

Esa. 53.

tia, Et cum iniquis reputatus est. Sunt & latrones figura duorum populorū, Iudęorum

Latrones, figura duorū populorum

scilicet, ac Gentium. Vtriq; enim impij sunt, Gentiles tanquam naturalis legis preuaricatores: Iudæi uerò ut contēptores & huius, & eius quā Dominus dedit legis. Sed hic quidem gentilis gratus fit, & resipiscit: Iudaicus aūt usq; ad finem blasphemat. Porrò

Dominus

A Dominus inter duos populos crucifigitur. Ipse enim lapis est coniungens nos.

Et qui præteribant, conuitiabantur illi, mouentes capita sua, ac dicentes. Vah qui destruis templum, & in tribus diebus extruis, serua teipsum, & descende de cruce. Similiter & summi sacerdotes illudentes inter sese cū scribis, dicebāt, Alios seruauit, seipsum seruare non potest. Christus ille rex Israel descendat nunc de cruce, ut uideamus & credamus. Et qui crucifixi fuerāt cū illo, probra iaciebant in eum.]Et qui præteribant, hoc est, qui transibant per uiā, & ipsi blasphemabant Dominum, improperantes ei ut impostori. Similiter autem & pontifices dicebāt, Alios saluauit, seipsum non saluat. Hoc autē dicebant deridentes eius miracula & uellicantes quasi phantastica fuissent. Nam operando miracula, saluos fecit multos. Diabolus autem incitabat illos ut dicerent, Descendat nunc de cruce. Quia enim cognoscebat author mali quòd salus per crucem fieret, iterū tentabat Dominū, ut si descēderet de cruce, certū foret ipsum nō esse filiū Dei, & sic periret salus quæ per crucē. sed ille & Dei filius erat uerè. & propterea minus descendit. Nā si uoluisset descēdere, neq; principio ascendisset. sciens enim per hoc saluā dos homines, sustinuit ut crucifigeretur, aliaq; multa pateretur, perficeretur q; eius opus. Et qui simul crucifixi, exprobrabāt, principio duo, postea unus agnouit eum innoxium, sicut Lucas dicit, & increpauit alium blasphemantem. *Luc.23.*

Quum uerò facta esset hora sexta, tenebræ ortæ sunt super totā terram usq; ad horā nonam. Et hora nona clamauit Iesus uoce magna dicens, Eloi, eloi, lamasabachtani, *Psal.21.* quod est, si quis interpretur, Deus meus, Deus meus, cur me deseruisti? Et quidā astantium quū audissent, dicebant, Ecce Heliam uocat. Accurrit autem quidam, & impleta spongia aceto, impositaq; arūdini, porrexit illi potum dicens, Sinite, uideamus an ueniturus sit Helias ad deponendū eum. Iesus aūt emissa uoce magna expirauit.]Tenebræ factæ sunt non in uno loco, sed super totā terrā: & si quidem fuisset tempus eclipsis, potuisset quis dicere naturale fuisse deliquiū: nunc aūt decimaquarta fuit luna, quando iuxta naturā deliquium fieri impossibile. Clamat uerò Iesus Hebraica uoce propheti-
B cum, ostendens se usq; ad mortem Hebraica in honore habuisse. Cæterum quod dicit, Cur me deseruisti? ex persona humanæ naturæ dicit: quasi diceret, Cur me hominem dereliquisti ô Deus, † ut precer Deū crucifixū p me? Nos enim homines fuimus deserti, ille nunq; à patre derelictus fuit. Audi enim quid dicat, Non sum solus, inquit, sed pater mecū est. Vel etiā pro Hebræis dicit, erat enim Hebræus & ipse secundū carnem. Cur me, hoc est, cur Hebraicū populū deseruisti, ut crucifigerēt filiū tuū? Quemadmodū enim consueuimus dicere, Deus tulit me, hoc est, humanā naturā: sic & hoc loco dereliquisti me hoc est, uel meā humanam naturam, uel meum populū Iudaicū. Cucurrit uerò unus ut acetū ei potandū porrigeret, quò citius eū aceti cōficeret amaritudo. Quū aūt clamasset Iesus uoce magna, expirauit. quasi iritās mortem ut Dominus, & potestate sua moriens. Quæ autem uox illa fuerit, Lucas manifestauit. Pater, in manus tuas cōmendo spiritum meum. Etenim & hoc beneficium Christi est, quòd nunc sanctorum spiritus in manus patris ascendunt, qui olim ab inferno tenebantur, donec ueniret qui prædicauit captiuis remissionem.

Hebraice Christus in honore habuit.

† ut onus habeāt Deo qui pro me crucifigatur *Ioan.10.*

Sanctorum animæ in manus patris nunc ascendunt. Luc.23.

Et uelum templi scissum est in duas partes à summo usq; ad imum. Quū aūt uidisset Centurio qui astabat ex aduerso illi, quòd sic emisso clamore expirasset, dixit, Verè homo hic filius erat Dei. Erāt aūt & mulieres è longinquo spectantes, inter quas erat Maria Magdalene, & Maria Iacobi parui, & Iose mater, & Salome: quæ etiā quum esset in Galilæa, sequutæ fuerāt illū, & ministrauerant ei, aliæq; cōplures quæ simul ascenderant cū eo Hierosolymā.]Scissum est uelum, per hoc manifestante Deo q; gratia spiritus è templo euolet, & q; sancta sanctorū omnibus conspicua & accessa fient: quod & factū est Romanis ingressis. Et q; lugeat etiam templū, idq; quod in calamitatibus facere solent Iudæi, quū uestes dilacerant, hoc & templū quasi animatū esset, faciat, compatiens conditori suo patienti, & uestes suas disrumpens: & aliud quiddā in hoc manifestatur. Caro ipsa uelamentū est nostri templi, hoc est mentis. Itaq; uirtus quā habuit caro aduersus spiritum, passionibus Christi dissoluta est, à summo usq; deorsum, hoc est, ab Adam usq; ad nouissimos homines. Etenim Adā sanctificato passionib. Christi, nō ultrà caro illius maledicta erit, neq; corruptioni obnoxia, sed incorruptibilitate honorati sumus omnes. Porrò Cēturio (hoc est, qui centū præerat) uidēs q; tā potenter & si- *Centurio.*

cut

cut Dominus mortis expiraſſet, admiratus eſt & confeſſus. Vide aũt ordinem conuer A
ſum. Iudæi interficiunt, Gentilis confitetur: discipuli fugiunt, mulieres manent. Erant enim, inquit, ibi & mulieres, inter quas Maria Magdalene, & Maria Iacobi & Ioſe mater. Et hæc Dei genitrix erat, quę quatenus Ioſepho deſponſata fuit, mater erat & filio rũ Ioſeph, cuius filij fuere Iacobus & Ioſes. Dicit horũ mater, hoc eſt mouerca: ſicut & Ioſeph uxor dicebatur, hoc eſt ſponſa. Salome aũt erat mater filiorum Zebedæi. Et aliæ quoq; multæ, nomina enim celebriorum tantum commemorauit.

Mater Ieſu nouerca dicitur filiorum Ioſeph.

Et cũ iam uenisſet ueſpera, quoniã erat paraſceue quæ p̃cedit ſabbatũ, uenit Ioſeph ortus ex ciuitate Arimathęa, honeſtus ſenator, qui & ipſe erat expectãs regnũ Dei, & ſumpta audacia ingreſſus eſt ad Pilatũ, & petijt corpus Ieſu. Pilatus aũt admiratus eſt ſi iam mortuus eſſet. Et accerſito ad ſe Centurione interrogauit illũ an iamdudũ mortuus fuiſſet. Et re cognita ex Centurione, donauit corpus ipſi Ioſeph. Et is mercatus ſindonem, depoſitum eũ inuoluit ſindoni, repoſuitq; in monumento quod erat exciſum è petra: & aduoluit lapidẽ ad oſtium monumenti. At Maria Magdalene & Maria Ioſe ſpectabant ubi poneretur.] Beatus Ioſeph adhuc legi ſeruiens, Chriſtũ Deum agnouit, ideo & laudatũ audet facinus. Neq; cogitabat, Diues ſum, & diuitias amittere poſſum: ſi poſtulauero corpus eius qui propter tyrannidẽ affectatã condemnatus eſt, accuſabor à Iudæis. Nihil tale ſecũ dicebat, ſed omnia ſecunda cogitans, petiuit ut ſepeliret condemnatũ corpus. Pilatus uerò mirabat quòd iam mortuus eſſet. Putabat enim ipſum in agone luctaturũ, ſicut & latrones. Interrogat aũt & Centurionem, ſi dudũ mortuus eſſet, hoc eſt, ante horã. Ioſeph itaq; accepto corpore mercatus eſt ſindonẽ, in qua depoſitum inuoluit: & quod honore dignum, cum honore ſepeliuit. Erat enim & ipſe diſcipulus Ieſu, ſciens dignum honore Dominum. Et honeſtus, hoc eſt pius, irreprehenſibilis. Senator autem, quæ dignitas quædã erat uel potius miniſterium & onus ciuile per quod cogebantur intendere his quæ fori erant, & multa ſæpe inde oriebantur pericula, propter fori malitiã. Audiant diuites, & publicis muneribus fungentes, quomodo Ioſepho nihil obſtiterat ad uirtutẽ ſenatoria dignitas. Ioſeph interpretari poſſumus augmentũ: Arimathæus uerò, tollens hoc. Concedat aũt Deus, ut etiam nos ſicut Ioſeph ille fiamus ſemper aucti, & adijcientes in curſu uirtutis, ac tollentes hoc, id eſt bonũ: accipiamus uerò corpus Ieſu per cõmunionem, & collocemus in monumento exciſo ex petra, hoc eſt in anima memori, quæ Deũ non obliuiſcatur. Sit autem anima illa ex petra exciſa, hoc eſt à Chriſto, qui eſt petra in qua conſiſtere poterimus. Inuoluatur uerò in ſindone, hoc eſt, in corpore mũdo ſuſcipiatur. Nã ſindon animæ eſt corpus quaſi uestis. Oportet igit nõ ſolũ in anima pura ſuſcipere diuinũ corpus Domini, ſed & in corpore puro. Inuoluendum aũt eſt hoc, id eſt, contrahendũ & continendũ & non explanandum. Myſterium enim in contracto eſt & occultum, & non cuiuis aperiendum.

Senator.

Ioſeph Arimathæus. B

Anima & corpore puris ſuſcipiẽdum corpus Domini.

CAPVT XVI.

Luc. 24. Ioan. 20. ET quum præteriſſet ſabbatũ, Maria Magdalene & Maria Iacobi & Salome emerunt aromata, ut uenirent & ungerent eum. Et ſummo diluculo diei primi ſabbatorum ueniunt ad monumentum exorto ſole, dicebantq; inter ſeſe, Quis reuoluet nobis lapidem ab oſtio monumenti? Et quum reſpexiſſent, uident lapidem eſſe reuolutũ, nam erat magnus ualde. Et ingreſſæ in monumentũ uiderũt adoleſcentem ſedentem à dextris amictũ ſtola candida, & expauerunt. At ille dicit eis, Ne expaueſcatis. Ieſum quæritis Nazarenũ, qui fuit crucifixus. ſurrexit, nõ eſt hic. Ecce locus ubi poſuerant illum. Sed abite, dicite diſcipulis eius & Petro, q; ille præcedit uos in Galilæã. illic eum uidebitis, ſicut dixit uobis. Et abeuntes fugerunt à monumento. Habebat enim illas tremor & ſtupor, neq; cuiquã quicq; dicebant, timebant enim.] Nihil magnum, neq; dignũ deitate Ieſu ſapientes mulieres illæ faciunt. aſſident ſepulchro, & unguenta emũt, ut ſecundũ conſuetudinem Iudæorũ ungãt corpus, ut fragrans maneat, & ne quid fœtidum ex corruptione oriatur, & ut unguenta, & alia quæ uirtutẽ ſiccandi habent, humoremq; corporis abſorbent, incorruptũ illud ſeruent. Et talia quidem ſentiebant mulieres. Et ualde mane, id Matthæus ueſperam ſabbatorum, & Lucas profundum diluculũ dicit. Vnius autem ſabbatorũ, hoc eſt primæ ex diebus hebdomadis. Sabbata enim dies hebdomadæ nominabant, unam autem primam. Surrexerunt & ueniunt ad monumentum, & diſceptabant, quis reuoluet nobis lapidem? Quumq; illæ cogitarent, an

Matth. 28. Luc. 24.

gelus

A gelus reuoluit lapidem, nō sentientibus mulieríb. Id ꝺꝺ & Matthæus dicit, ꝙ cum ue
nissent mulieres, angelus reuoluerit lapidē. Hoc autē Marcus siluit, ꝙ Matthæus di-
xisset à quo reuolutus esset lapis. Quòd autē Matthæus dicit, angelū sedere super la-
pidem, Marcus uerò, postꝯ ingressæ sunt in monumentū, uidisse ipsum mulieres in-
trò sedere, nō est mirandū. Potest em̄ fieri ꝙ quē uiderūt foris sedere, sicut Matthæus
dicit, super lapidem, illum iterū uiderint intus in monumēto, qui præuenerit mulie-
res, & ingressus sit. Quidam autē dicunt ꝙ aliæ quidem fuerint mulieres quæ apud
Matthæū, alię autē quę apud Marcū. Magdalena uerò omniū comes fuerit, nimirū ꝙ
alacris esset, flagransq́, ac officiosa. Dixit igitur mulieríb. ille qui apparuerat, Ne ex-
pauescatis. Principiò à metu liberat, deinde bonū illud de resurrectione nuncium af
fert. Crucifixum autē ipsum nominat. Nō enim pudet crucis, quæ salus est hominū,
& bonorū caput. Surrexit. Vnde manifestū? Nō est enim hic. Et uultis fide cōfirma-
ri? Ecce locus ubi posuerāt illum. Ad hoc enim & lapidem reuoluerat, ut osten deret
locū. Sed ite, dicite discipulis & Petro. Petrū ab aliis discipulis ut præcipuū segregat, *Et Petro, cur additū.*
ac ob excellentiā nominat illum præ aliis. uel quia negauerat Petrus: si uenissent mu
lieres & dixissent ꝙ præceptū esset eis ut annunciarēt discipulis, dixisset Petrus, Ego
negaui eum, iam nō sum illius discipulus, abiecit igitur me, abominatus est me. Illius
igitur gratia apponit, & Petro, ut ne offendaī Petrus ꝙ ipse nō meruerit uerbum, ut-
pote qui negarit, & propterea qui indignus sit qui aliis discipulis cōnumereī. Porrò
in Galilæā illos mittit, eripiēs à tumultu & metu Iudæorū. Inuaserat autē mulieres tre
mor ac ecstasis, hoc est stupor, & in spectaculo angeli, & in horrore resurrectiōis. Et
propterea nulli quicq́ dixerūt. Timebāt em̄, aut Iudæos metuebāt, aut uisionis metu
correptæ mēte exciderāt. ideoꝙ quicq́ dixerūt, & oblitæ erāt omniū quę audierant.
Cum surrexisset autē Iesus, manè prima sabbati apparuit primū Mariæ Magdalenę,
è qua eiecerat septē dæmonia. Illa profecta renunciauit his qui cum illo fuerāt, lugen
tibus ac flentib. Et illi cum audissent ꝙ uiueret, ac uisus esset ab illa, nō crediderunt.
B Post hæc autē duobus ex ipsis ambulantib. apparuit in alia forma, euntibus rus. Et illi
abierunt, ac renunciarūt reliquis: nec his illi crediderūt.] Cum surrexisset Iesus, hoc
loco punctum pone, deinde dic: Manè prima sabbati apparuit Mariæ Magdalenæ.
Non enim surrexit manè. Quis enim uidit quando surrexit? Sed apparuit manè do-
minica die, quæ est prima sabbati, hoc est hebdomadis, quā supra uocauit unā sabba-
torū, Mariæ Magdalenæ, à qua eiecerat septē dæmonia, hoc est multa. Solet em̄ scri- *Septenarius*
ptura septenariū numerū pro multitudine accipere: ut ꝙ sterilis peperit septē. Vel se- *numerus in*
ptem dæmonia, quæ cōtraria sunt septem spiritib, uirtutis, ut spiritus præsumptionis, *scriptura.*
hoc est, abiecti timoris: spiritus ruditatis, spiritus mendacij, & alij quotquot sunt con
trarij donis spiritus. Post hæc autē duobus ex illis apparuit cum ambularēt, in alia for *Esa. 11.*
ma, de quib. etiam Lucas dicit: & illi annunciauerūt aliis: & neq́ illis crediderunt. Et
quomodo igitur Lucas dicit ꝙ reuersi inuenerūt cōgregatos undecim, dicētes ꝙ sur- *Cap. 24.*
rexit Dñs: & Marcus hic dicit ꝙ neq́ his qui ex rure uenerūt, credidere? Dicimus igi
tur, ꝙ annunciauerūt reliquis, nō de undecim loquiī apostolis, sed de quibusdā aliis.
Illos enim hic reliquos uocat, quia undecim uiderant illum in ipso die, quando & hi
qui ex rure reuersi inuenerunt illos dicentes, Resurrexit Dominus.
Postea discumbentib. illis undecim apparuit, & exprobrauit illis incredulitatē suā
& cordis duritiā, ꝙ ijs qui se uidissent resurrexisse, nō credidissent. Et dicebat eis, Ite
in mundū uniuersum, & prædicate Euangeliū omni creaturæ. Qui crediderit & ba-
ptizatus fuerit, saluus erit: qui uerò nō crediderit, cōdemnabiī. Porrò signa eos ꝙ cre
diderint, hæc subsequentī. Per nomen meū dæmonia eijcient, linguis loquentī nouis,
serpētes tollent: & si ꝙd lethale biberint, nō nocebit eis. super ægrotos manus impo-
nent, & bene habebūt. Itaq́ Dñs quidē postꝯ locutus fuisset eis, receptus est in cœlū,
& cōsedit à dextris Dei. Illi uerò egressi prædicauerūt undiq́ Domino cooperāte, &
sermonē cōfirmare per signa subsequentia.] Vide mandatū Domini, Prædicate om
ni creaturæ. Non dixit, Prædicate his qui obtemperāt, sed omni creaturæ, siue reci-
piant, siue nō. Qui crediderit. Et nō sufficit hoc: sed, & baptizatus fuerit. Nā qui cre- *Signa cre-*
diderit, baptizatus autē nō fuerit, sed adhuc est catechumenus, nō iam saluatus est. Si *dentes sub-*
gna uerò quæ sequuntī credētes, dicit dæmonia eijcere, linguis loqui nouis, serpentes *sequentia.*

n tollere,

Matth. 10. Luc. 10 Act. 28. tollere, hoc est abolere serpentes, siue sensibiles, siue spirituales: sicut etiã dixit, Super serpentes & scorpios calcate, manifestè de spiritualib, intelligens. Potest item & sic intelligi, Serpentes tollent, sicut Paulus uiperã in manu sustulit, nihil ab illa offensus. Etiam si mortale quiddã biberint, nõ nocebit eis. Sæpe autẽ hæc facta sunt, ut in historijs inuenimus. Multi enim & uenenũ bibentes, per signaculũ crucis illæsi conseruati sunt. Hæc autẽ cum dixisset, assumptus est, & sedet à dextris Dei. Illi autẽ prædicauerunt ubiq;, Domino, inquit, cooperante, & sermonẽ cõfirmante per sequentia signa. Vides ubiq; nostra primũ, deinde Dei adiutoriũ. Cum enim nos operamur, & principium dederimus, Dominus cooperatur. ita si nos nõ dederimus occasionẽ, nõ cooperatur. Considera autẽ & hoc, quia post sermonẽ opera, & sermo per opera confirmatur, sicut & in apostolis sermonẽ confirmabant opera quæ subsequebantur ac signa. Fiat ô sermo Christe ut sermones nostri quos de uirtute dicimus per opera & facta confirmentur: ut perfecti sistamur apud te, qui cooperaris nobis in sermonibus & operibus, quoniam te decet & per sermones & per opera, gloria. Amen.

Et misericordia Domini præuenit.

IN EVANGELIVM SECVNDVM Lucam, argumentum.

Diuus Lucas Antiochenus fuit patria, medicæ artis peritus, & in externa philosophia magnus. Hierosolymis quoque probè Hebræorum disciplinis eruditus est. Sanè Domino nostro docente (uti quidam tradunt) unus septuaginta discipulorum factus est, Christoq; cum surrexisset à mortuis, cum Cleopa occurrit. Domino autem in cœlos assumpto, & Paulo ad fidem conuerso, illũ peregrinationis comes factus est, Paulo inquam, & Euangeliũ omni cum diligentia conscripsit, id quod & proœmium eius declarat, post assumptum in cœlos Christum anno quinto decimo. Scribit autem ad Theophilum, uirum senatorij ordinis, & fortassis principem. Nam strenui nomen principibus & præsidibus tribuebatur, sicut & Paulus ad præsidem Festum dicit, Strenue Feste. Omnis autẽ homo Dei amãs, & Theophili nomine dignus, roboreq; ac strenuitate in refrenandis affectionibus præditus, dignus reuera est ut Euangelium audiat.

Quãdo Lucas Euangelium suum scripserit. Strenui nomẽ quibus tributũ sit antiquitus. Act. 26.

PROLOGVS BEATI LVCAE IN Euangelium suum.

QVONIAM multi attentarũt contexere narrationẽ earũm quæ inter nos multis argumentis comprobatæ sunt rerum, sicuti tradiderunt nobis hi qui ab initio suis oculis uiderunt, & ministri fuerunt sermonis, uisum est & mihi, ut cuncta ab initio diligenter perueſtigans ordine tibi scribam, strenue Theophile, quò agnoscas eorũ quibus instructus es sermonũ * cõmunitionem.] Qui fuerũt multi illi qui attentarunt? Pseudoapostoli. Multi enim tunc conscripserunt Euangelia, uti est quod uocant Euangelium secũdum Aegyptios, & quod inscribitur Euangeliũ secundum duodecim. Tales itaq; attentarunt duntaxat, sed nõ perfecerunt. Quia enim absq; diuina gratia cœperunt, propterea neq; absoluerunt. Bene igitur dixit Lucas, multi conati sunt: at pauci, ut Matthæus & Marcus, nõ tantum attentauerunt, sed & perfecerunt. Nam spiritum sortiti erant, qui perfecta operatur: res autem multis argumentis comprobatas dixit. Res enim Christi nõ simpliciter & nudè traditæ sunt, sed uera & solida fide, & multorum argumentorũ certitudine. Et quomodo, dic Luca, multis argumentis comprobatæ sunt? Sicut tradiderunt nobis hi qui ab initio suis oculis uiderunt, & ministri fuerunt sermonis. Hinc manifestum est Lucam ab initio non fuisse discipulum, sed posterioribus temporibus. Alij enim ab initio didicerant, ut Petrus, & filij Zebedæi, qui & tradiderunt huic quæcunq; ipse non uiderat, neq; ipse audierat. Quid autem est quod dicit, quò agnoscas eorum de quibus edoctus es sermonũ cõmunitionem? Duos in hoc sensus habeo. Vnus quidem est hic, Prius te sine scriptis instituí ô Theophile, nunc scriptum tibi trado Euangelium: atq; ita mentẽ tuam munio, ut ne obliuiscatur eorum quæ sine scriptis tradita sunt. Alter uerò, Solemus nos homines sæpe quando quis nobis sine scripturis loquitur, suspicari ne fortè quid mendacij admixtum sit: quando autem etiam scribit quæ loquitur, tunc credimus quòd non scripsisset, nisi uera se dicere confideret. Idcirco & Euangelista dicit, Propterea scripsi tibi Euangelium, ut ea de quibus sine scriptis eruditus es, in maiori securitate conserues, maiorem mihi fidem nunc habens, qui adeò de his quæ non scripto docui, confidam, ut etiam scripturis prodere nõ formidarim. Attende item quod dicit,

* ἀσφάλειαν, id est, certitudinẽ uel securitatẽ. sic & in sequentibus.

Euangeliũ Aegyptiorum. Euangelium duodecim.

A dicit, agnoscas, non scias, hoc est, secundò maiorem accipias scientiam & fiduciam ac securitatem quòd non mentiar.

CAPVT I.

ERat in diebus Herodis regis Iudææ, sacerdos quidam nomine Zacharias, de uice Abia, & uxor illius de filiabus Aaron, & nomen eius Elizabeth.] Mentionẽ facit regni Herodis, tum ut narrando prophetarũ formã seruet. illi enim sic incipiũt, In diebus Ioachaz & Ezeciæ, & cuiuspiam, facta sunt hęc. tum quia de Christo dicturus est, ideo meminit Herodis, ut ostendat quòd sub Herode uerè uenerit Christus. Hic enim Herodes fuit cum defecissent apud Iudæos principes, iuxta prophetiam Iacob. Vnde monstratur quòd Christus uenerit. Sed & in hoc rectè facit, quòd ostendendo tempus, certius ostendit Euangeliũ. Copiam enim quærendi, si qui uolent, & discendi Euangelij ueritatẽ à tempore facit. Et incipit à Zacharia & natiuitate Ioannis: idq; meritò. Quandoquidem enim de Christi natiuitate dicturus erat, Christi autem præcursor esset Ioannes: consentaneè ante Christi natiuitatẽ, Ioannis narrat natiuitatem, eamq; non sine miraculo. Et quia uirgo partura erat, præordinauit Deus ut uetula pareret, non secundum legem naturæ, tametsi ex uiro. Quid autẽ est, Ex uice Abiæ? Intelligunt quidam sic, quòd duo fuerint sacerdotes, successione ministeriũ perficientes, quorum unus Abia, alter autem Zacharias. Quia igitur sacerdotio functus erat Abia, post illius ministeriũ ministrauit etiam Zacharias. Videtur autem nõ sic esse. Solomon enim cum perfecisset templum, cõstituit & uices, hoc est hebdomadas: & in una constituit filios Chore, in alia Asaphat, in alia Abia, in alia alium. Igitur quòd dicit fuisse de uice Abia, sic oportet intelligere, quòd de hebdomada Abia fuerit. Non quòd post hebdomadam Abia functus sit ministerio: dixisset enim, post hebdomadam Abia: nunc autem cum dixit, de uice Abia, ostendit quòd ex ordine & hebdomada Abiæ fuerit. Ostendere autem uolens quòd ex utroq; parente legitimè fuerit ex sacerdotali genere Ioannes, dicit, Et uxor eius de filiabus Aaron. Non

B enim licebat ex alia tribu uxorẽ ducere, sed ex eadem. Elizabeth interpretamur Dei quietem: Zacharias autem, memoriam Domini.

Prophetæ narraturi quippiam quomodo auspicẽtur. Gen. 49.

Num. 36 Elizabeth. Zacharias.

Erant autem ambo iusti coram Deo.] Quidam iusti sunt, at non coram Deo, sed in speciem tantùm, & coram hominibus: illi autem etiam coram Deo iusti erant.

Ambulantes in omnib. præceptis & iustificationibus Domini irreprehensibiles.] Mandata quidem sunt, ut, ne occidas, ne adulteriũ cõmittas: iustificationes autem, ut qui maledixerit patri, uel matri, morte moriatur. Iustũ enim hoc. Scito quòd & mandatum iustificatio nominari potest, utpote iustum faciens hominem, imò & Dei iustificatio existens. In die enim illa, quasi scriptã quandam iustificationẽ habens Deus ipsa mandata, condemnat nos. Nisi enim uenissem, inquit, & locutus essem eis, peccatum non habuissent. Et iterum: Sermo quem locutus sum eis, ille eos condemnabit. Quare autem cum dixit, ambulantes in omnibus mandatis, adiunxit, irreprehensibiles? audi: Multi ambulant in lege Dei, sed omnia faciunt ut uideantur ab hominibus. Tales igitur non sunt irreprehensibiles. Sed Zacharias & fecit mandata, & citra reprehensionem fecit, non ut hominibus placeat talia faciens.

Mandata. Exod. 20. Iustificationes. Exod. 21. Leuit. 20 Ioan. 15

Nec erat illis proles, eo q; Elizabeth sterilis esset, & ambo prouectæ iam ætatis essent.] Iustorũ mulieres & iustæ, sæpe steriles fuerũt, ut discas legẽ nõ exigere corporalium filiorũ procreationẽ, sed spiritualiũ. Prouectæ autẽ ætatis ambo erãt, tam corpore, q; anima. Etenim iuxta animã profecerant & progressi erant, ponentes ascensiones in corde, & diem habentes, sed non noctem, uitam: ut in luce honestè agentes.

Psal. 83

Factum autem quum sacerdotio fungeretur Zacharias in ordine uicis suæ coram Deo, secundũ consuetudinẽ functionis sacerdotalis sors illi obuenit ut odores incenderet ingressus in templũ Domini, & omnis multitudo populi precabatur foris tempore thymiamatis.] Coram Deo mundi soli sacerdotio funguntur, ab impuris autẽ auertit Deus faciem suam. Quando autẽ sors illi obuenit ut incenderet odores? Vel omnino secundum tempus deprecationis, quando solus in sancta sanctorũ ingrediebatur summus sacerdos: ut discamus quòd quẽadmodũ summus sacerdos iste ingressus in sancta sanctorũ fructũ accepit. Sic & Dominus Iesus ipse solus & reuera summus sacerdos ingressus in sancta sanctorũ, hoc est in cœlũ cum carne, fructũ accepit suæ quæ in carne erat uisitationis nostram salutem, & in filios adoptionem.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Apparuit autem illi angelus Domini ſtans à dextris altaris thymiamatis.] Non omnibus apparet angelus, ſed mundis corde, qualis erat Zacharias. Altare autem thymiamatis dixit, quia erat & alterum altare holocauſtorum. A

Et turbatus eſt Zacharias illo uiſo, ac timor irruit ſuper eũ. Dixit autẽ ad eũ angelus, Ne timeas Zacharia, quoniã exaudita eſt deprecatio tua: uxorq; tua Elizabeth pariet tibi filiũ, & uocabis nomẽ eius Ioannẽ: & erit gaudiũ tibi & exultatio, multiq; in natiuitate eius gaudebũt.] Turbatur quidem Zacharias. Inſolitæ enim uiſiones etiam ſanctos turbant. Verùm angelus confeſtim turbationem ſedat. Vbiq; enim hoc indicio diſcernunt uiſiones quæ à Deo, & quæ à diabolo. Nam ſi mens primũ turbetur, & ſtatim timor ſoluatur, & iterum quieſcat, reuera diuina eſt uiſio. Si autẽ timor ac turbatio magis atq; magis creſcant, dæmoniaca eſt uiſio. Quare angelus dicit, Exaudita eſt deprecatio tua, & uxor tua Elizabeth pariet tibi? Nam Zacharias nõ pro filio precatus eſt, ſed pro peccatis populi. Dicunt igitur quidã, quòd quoniã propeccatis populi orabat, futurũ autẽ quòd generaret filium qui clamaret, Ecce agnus Dei, qui tollit peccatũ mundi: meritò dicit ad illum angelus, Quoniam exaudita eſt deprecatio tua pro remiſſione peccatorũ populi. Filium enim generabis, per quẽ remiſsio erit peccatorũ. Alij autẽ ſic intelligunt, Quoniam exaudita eſt deprecatio tua Zacharia, & remiſit Deus peccata populo. Deinde quaſi ille dixiſſet angelo, Vnde hoc manifeſtum? dicit angelus, Hoc tibi ſignum do, quòd pariet tibi filium Elizabeth, & ita per puerperium Elizabeth credibile tibi ſit remiſſa eſſe peccata populo.

Viſiones quãdo diuinæ, & quando diabolicæ.

Ioan. 1.

Erit enim magnus corã Dño, ac uinũ & ſiceram nõ bibet: & ſpiritu ſancto replebitur iam inde ab utero matris ſuæ, multosq; ex filijs Iſrael conuertet ad Dominũ Deũ ipſorũ: & ipſe præcedet ante illum cum ſpiritu ac uirtute Heliæ, ut cõuertat corda patrum in filios, & inobedientes ad prudentiã iuſtorũ: ut paret Dño plebẽ præparatã.] Magnũ fore Ioannẽ prędicit angelus, ſed corã Dño. multi enim magni fuerũt coram hominibus, at nõ item corã Deo, ut hypocritę. Magnus autẽ Ioannes iuxta animam, ſicut & paruus iuxta animã dicitur omnis qui ſcandalizat. Nullus em̃ magnus ſcandalizatur, ſed parui, & puſillanimes. Dicit igitur Dominus, Qui ſcandalizauerit unũ ex paruis. Quemadmodũ autẽ hi qui genuerũt Ioannẽ, iuſti fuerũt coram Deo, ſic et puer ipſorũ magnus coram Deo. Sicera autẽ dicitur omne q̃d inebriare poteſt, & nõ eſt ex uite. Cum aũt eſſet adhuc in utero matris, repletus eſt ſpiritu ſancto, quãdo mater Domini uenit ad Elizabeth, & exultauit præ gaudio infans propter aduentũ Domini. Porrò cõuertit corda patrũ ad filios, hoc eſt Hebræorũ ad Apoſtolos. Patres enim fuerũt Iudæi, illorũ autẽ filij Apoſtoli. cõuertit igitur corda Iudæorũ ad Apoſtolos, docẽs & teſtificans de Chriſto. Qui autẽ de Chriſto teſtatur, † omnes fideles facit & diſcipulos ſuos. Non omnes cõuertit Ioannes, ſed multos: Chriſtus autẽ omnes illuminauit. At in ſpiritu Heliæ præceſſit. Sicut enim in Helia efficax fuit gratia, ita & in Ioanne. Et ſicut Helias ſecũdi aduentus præcurſor, ita & Ioannes primi. In uirtute autẽ Heliæ, eo q̃ idem uoluerũt aduentus amborũ. ambo enim ad Chriſtũ cõgregãt. Et aliter, In uirture ac ſpiritu Heliæ uenit Ioannes, eo q̃ eremita fuit etiam ipſe, & frugalis uitæ, & arguens ſicut ille. Cõuertit autẽ & incredulos Iudæos ad prudentiam iuſtorum, hoc eſt Apoſtolorũ doctrinã. Prudẽtia autẽ Apoſtolorũ, gratia eſt ſpiritus in illis à qua gubernabant. Præparauit quoq; Domino, id eſt Chriſto plebẽ præparatã, hoc eſt capacẽ ad ſuſcipiendũ prædicationẽ, ut exẽpli gratia quãdo ueniebat prophe ta quiſpiã prædicãs, nõ oẽs credebãt, ſed qui præparati erãt, & q ſeipſos ad hoc accõmodabãt. Nã ſicut ſi quis noctu ueniat in domũ, nõ omnes illũ excipiũt, ſed qui uigiles ſunt expectãtq;, & ad excipiendũ parati ſunt: ſic & Ioãnes pręparauit Domino populũ non incredulum quidem, ſed elaboratũ, & præparatũ ad ſuſcipiendũ Dominũ.

Hypocritæ magni corã hominibus.

Matth. 25.

Sicera.

† omnino fide dignos facit, & diſcipulos ipſius

Prudentia apoſtolorũ

Et dixit Zacharias ad angelũ, Quo argumento cognoſcã illud? Ego enim ſum ſenex, & uxor mea prouectæ ætatis eſt. Ac reſpondens angelus, dixit ei, Ego ſum Gabriel, qui aſtiti in cõſpectu Dei, miſſuſq; ſum ut loquar ad te, & hæc tibi læta nunciẽ. Et ecce futurũ eſt ut ſis tacitus, nec fari poſſis ad eum uſq; diem quo hæc fiãt, eo q̃ nõ credidiſti uerbis meis, quæ implebunt in tẽpore ſuo.] Tametſi iuſtus eſſet Zacharias & ſanctus, reſpiciẽs tamẽ ad p̃digioſam generationẽ filij, nõ facilè credebat. Idcirco & angelus ſuam dignitatẽ dicit, Ego ſum Gabriel, qui aſtiti in cõſpectu Dei. nõ ſeductor dæ-

A ctor dęmon, ſed angelus Dei. Igitur quia diſcredis, ego te faciam ſurdum, & loqui nō poteris. Meritò autē duo hæc paſſus eſt, & q̄ non audiret, & non loqueretur. Quia enim nō obedierat, cōdemnat ut ſurdus ſit: & quia cōtradixerat, ut ſileat. Veruntamē præfigurabat etiā ea quæ Iudæis euenerūt. Nam ſicut hic ſenex & ſterilis & incredulus peperit filiū, prophetis maiorē: ita & Iudæorū congregatio ſacerdotio inueterato cūius eſſet ſterilis, incredula & inobediēs, uerbū tamen Dei, hoc eſt Dominū prophetarum, peperit in carne: quo nato, hi qui prius inobedientes erant, ad fidem & cōfeſſionem peruenerunt.

Et erat populus expectans Zachariā, & mirabantur q̄ moraretur in templo. Egreſſus autem non poterat loqui illis. Et cognouerunt q̄ uiſionem uidiſſet in templo. Et ipſe innuebat illis, permanſitq̄ mutus. Et accidit ut impleti ſunt dies officij eius, abiit in domū ſuam.] Vides quomodo Iudæi expectabant & permanebant donec exiret ſummus ſacerdos? At nos Chriſtiani, niſi mox ut ingreſſi fuerimus in templū, iterum egrediamur, exiſtimamus malè nobiſcum agi. Innuebat autē populo Zacharias, fortè roganti ſilentij cauſam. Quia enim loqui nō poterat, per nutum ſignificabat. Vide item quòd nō abiit in domū ſuā, donec impleti eſſent dies miniſterij ſui, aſſeditq̄ templo. Aberat em̄ uerè à Hieruſalē mōtana regio. Quāuis autē & Hieroſolymis domū habuiſſet, nō licuiſſet tamen ei extra ambitū tēpli per tēpus uicis ſuæ exire. Nos autē proh pudor, q̄ cōtemnimus diuina miniſteria? Cæterū q̄ Zacharias nō poteſt loqui, ſed innuit populo, ſignificat indignā Iudæorū uitam: quia ubi occiderūt uerbum, nō poſſunt rationem reddere de his quæ uel dicunt uel faciunt. Et ſi quid propheticū interrogaueris, obmuteſcunt, & non poſſunt tibi uel ſermonem uel reſponſum dare. *Zacharias eſt lentiū quid ſignat.*

Poſt hos autē dies cōcepit Elizabeth uxor eius, & occultabat ſe menſib. quinq̄, dicens, Sic fecit mihi Dñs in diebus quib. me reſpexit, ut auferret probrū meū inter homines.] Elizabeth, quoniā caſta erat, erubeſcebat, & propterea occultabat ſe, eo q̄ ſenex cōcepiſſet. Menſib. autē quinq̄ occultauit ſe, donec Maria cōciperet. Vbi aūt illa cōcepit, & exultauit infans in utero, nō ultrà ſe occultauit, ſed liberè fuit, utpote tanti pueri mater, qui etiam anteq̄ naſceretur, prophetarum dignitate fuit honoratus.

B

In menſe aūt ſexto miſſus eſt angelus Gabriel à Deo in ciuitatē Galilææ cui nomē Nazareth, ad uirginē deſponſatā uiro cui nomen erat Ioſeph, de domo Dauid, ac nomen uirginis Maria. Et ingreſſus angelus ad eam dixit, Gaude gratioſa, Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus. Illa uerò cum uidiſſet, turbata eſt ſuper ſermone eius, & cogitabat qualis eſſet illa ſalutatio. Et dixit angelus ei, Ne timeas Maria. inueniſti enim gratiā apud Deū.] Menſem ſextū dicit à tēpore quo cōceptus fuit Ioannes. Dicit autē deſponſatā uirginē uiro qui erat de domo Dauid, ut oſtenderet & ipſam ex genere Dauid deſcendiſſe. Iuxta legem enim cōiuges ex eodem genere & eadem cognationis catena prognatos eſſe oportebat. Quia autē Heuæ dictū erat à Domino, ut in triſtitijs pariat filios, ſoluit triſtitiā illam in gaudiū, quod angelus uirgini afferens dicit, Gaude gratioſa. Et quia maledicta fuit Heua, hæc dicitur benedicta. Cōſiderabat autē de ſalutatione, qualiſnā eſſet, num abſurda & procatrix, ac qualis uiri ad puellam, an diuina: quia & Dei mentio inter ſalutandū facta, cū diceret, Dominus tecū. Primū autē timorē à corde ipſius repellit, ut in quiete cōſtituta diuinū reſpōſum accipiat. Neq̄ enim fieri poteſt ut turbata diligenter audiat quæ euentura ſunt. Porrò id quod ſuprà dixit, gratioſa, quaſi interpretās dicit, Inueniſti enim gratiam coram Domino. Hoc enim eſt gratioſam eſſe, uel gratificatam, quòd inuenerit gratiam apud Deum, hoc eſt placuerit Deo. Verùm hoc cōmune habet cum multis. Multæ enim & aliæ inuenerunt gratiam coram Deo, non autem id quod infertur. *Num. 36 Gen. 3 Gratioſa. Gratia plena.*

Ecce cōcipies in utero, & paries filiū, & uocabis nomen eius Ieſum. Is erit magnus, & filius altiſſimi uocabitur. Et dabit illi Dominus Deus ſedem Dauid patris ipſius, regnabitq̄ ſuper domū Iacob in æternum: & regni eius non erit finis.] Ecce concipies, hoc ſingulare, quod nulli alteri conceſſum. In utero autem dixit, ut oſtendat Dominum ex ipſius uirginis utero incarnatum ſubſtantialiter. Bene autē dictus eſt Ieſus, quia ob ſalutem noſtri generis uenit. Nomen enim hoc in græcam linguam conuerſum, dicitur ſalus. Ieſus igitur σωτὴρ eſt, hoc eſt ſaluator: quia & Ieſua ſalus dicitur. Erit autem, inquit, magnus, & filius altiſſimi uocabitur, Magnus quidem fuit & Ioan- *Eſa. 7 Mich. 4*

Universidad de Deusto
Biblioteca

nes, sed nō ad hoc altissimi filius. Iesus uerò magnus quidē, eo q̄ docuit: filius autē altissimi, & propter istuc ipsum. docebat em̄ sicut autoritatē habēs, & propter mirabiliū A
miraculorū operationē. Vocat autē filius altissimi, qui apparebat homo. Nam qa una fuit hypostasis, reuera filius altissimi fuit filius uirginis. Et fuit quidē ante secula filius altissimi uerbum, sed nō uocabat neq̄ cognoscebat, postq̄ autē incarnatū est & apparuit in carne, tunc & uocatum est filius altissimi, qui apparebat, & miracula faciebat.

Domus Iacob qui sunt

Audiens uerò thronum uel sedem Dauid, ne putes sensibile quoddam regnum, sed diuinum, quo regnauit super omnes gentes per diuinā prædicationē. Domus enim Iacob sunt hi qui ex Hebræis crediderunt, atq̄ etiam qui ex alijs gentibus. Illi enim

Quomodo Christus dicatur sedere super sedem Dauid. 1. reg. 16

propriè Iacob & Israel. Et quomodo dicit sedere super sedē Dauid? audi. Dauid paruus erat inter fratres suos, & Dominus quoq̄ contemptus & taxatus ut edax & uinipotor, & fabri filius, & à fratribus suis filijs Ioseph despiciebat. Neq̄ enim fratres eius, inquit, credebant in eum. Ille cum benefaceret, persecutionē patiebat: & Dominus quoq̄ miracula faciens accusabatur & lapidabatur. Ille per mansuetudinem uicit & regnauit, & Dominus per mansuetudinē suscepta cruce regnauit. Vides quomodo dicat sedere super sedē Dauid? Nam sicut Dauid sensibile regnū susceptit, ita & Dñs spirituale. Cuius regni nō erit finis. Non enim finis regni Christi, hoc est, agnitionis Dei & Christianismi. Nam & cum persecutionem patimur, gratia Christi floremus.

Dixit autē Maria ad angelum, Quomodo erit istud, quandoquidem uirum nō cognosco? Et respōdens angelus dixit ei, Spiritus sanctus superueniet in te, & uirtus altissimi obumbrabit tibi: quapropter & quod nascetur sanctum, uocabitur filius Dei.] Non quasi discredens uirgo dixit, Quomodo erit mihi istud? sed ut prudens & intelligens, ut discat, modum inquirit. Non enim prius tale quiddam factū est, neq̄ posthac fiet. Ideo & ignoscit ei angelus, & nō cōdemnat ut Zachariam, sed magis modū docet. Nam Zacharias meritò condemnatur. habuit enim exempla multa, quandoquidem & multæ steriles pepererūt: uirgini autem nullum exemplum erat. Spiritus, B
itaq̄, dicit, sanctus uenier super te, fœcundum reddens uterum tuum, & condens carnem cōsubstantiali uerbo. Virtus uerò altissimi, filius est Dei. Christus enim Dei uir-

Obumbrare.

tus est. Obumbrabit tibi, hoc est, conteget te, hoc est undiq̄ te circundabit. Sicut auis obumbrat pullos suos totos alis suis complectens, ita & diuina uirtus totam uirginem apprehendit & hoc est obumbrare. Alius autem quispiam fortassis dicet, quòd sicut pictor primū delineat, & umbras inducit, & deinde perfectum colorem addit: ita & Dominus ipse sibi carnē condens, & imaginē hominis formās, primū delineauit illā in utero uirginis, cōpacta ex sanguinib. semper uirginis carne, quā deinde paulatim figurauit. sed hoc dubium. Sunt enim qui dicunt q̄ ubi Dominus obumbrauit uterū uirginis, statim perfectus fuerit infans. Alij autem hoc nō recipiunt. Audi enim quid dicat. Ideo & quod nasceī sanctum, hoc est quod particulatim in utero crescit, & non

Nestorij hæresis.

statim perfectum existit. Cōfundatur autem & hoc loco Nestorius. Ille enim dixit q̄ nō fuerit filius Dei in utero uirginis quiescens, incarnatus: sed nudus homo è uirgine fuerit natus, posteaq̄ habuerit Deū factū sibi comitē. Audiat igitur q̄ illud quod nascebatur in utero, erat filius Dei. Et nō alius quidem fœtus est uteri, alius autem filius Dei, sed unus & idem fuit filius uirginis, & filius Dei. Vide item quomodo sanctā trinitatem declarauit, dicens spiritum sanctum, uirtutem filium, altissimum patrem.

Atq̄ ecce Elizabeth cognata tua & ipsa cōcepit filiū in senectute sua, & hic mensis est sextus illi quę dicebatur sterilis: quia nō erit impossibile apud Deum omne uerbū. Dixit autē Maria, Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum uerbum tuū. Ac discessit

Virgo Mariæ e qua tribu.

ab illa angelus.] Dubitauerit fortasse qui piā quomodo Elizabeth cognata fuerit Mariæ. Virgo enim ipsa ex tribu Iuda fuit, Elizabeth autem de filiabus Aaron. Nam lex

Elizabeth una filiarū Aaron.

præcepit coniuges ex eadem tribu esse: & ita cognationes ex una tribu erant. Dicendum igitur q̄ à captiuitate confusa sunt genera. Et melius ita dicitur: Aaron uxorem duxit Elizabeth, quæ filia fuit Aminadab: qui fuit ex tribu Iuda. Vides q̄ ab initio & ab Aaron cognata fuit Elizabeth Dei genitrix? Quia em̄ uxor Aaron ex Iuda descēdit, è qua tribu fuit Dei genitrix, & Elizabeth fuit ex filiabus Aaron, meritò Dei genitrix cognata dicitur Elizabeth. nam proaua eius, hoc est, uxor Aaron, fuit ex tribu Iuda. Considera autem & cognationis consequentiam. Elizabeth Aaron uxor, Eliza-

beth

A beth etiam Zachariæ uxor tanq; ex illa descendens? Sed uideamus quid dicat uirgo, Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum uerbum tuum. Tabula sum pictoria, pingat pictor quod uoluerit, faciat Deus quod uoluerit. Atq; ita etiam quod prius dixerat, Quomodo erit hoc, nō fuit incredulitatis, sed desiderij addiscendi modum. Nam si discredidisset, neutiquam dixisset, Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundū uerbum tuum. Disce autem q; Gabriel si quis interpretat̄, idem est quod † homo Dei. Maria uerò, domina, Nazareth autē sanctificatio. Meritò igitur cum nasci uoluit Deus homo, missus est Gabriel, hoc est † homo Dei. Sed in sancto loco fit salutatio, hoc est in Nazareth. Vbi enim Deus, ibi nihil impurum, nihil non sanctum.

Gabriel. *†homo Deus* *Maria.* *Nazareth.* *†homo Deus*

Exurgens autem Maria in diebus his, abijt in mōtana cum festinatione in ciuitatē Iuda, & intrauit in domum Zachariæ, ac salutauit Elizabeth. Et factum est ut audiuit salutationē Mariæ Elizabeth, salijt infans in utero eius, & repleta est spiritu sancto Elizabeth, exclamauitq; uoce magna, & dixit, Benedicta tu inter mulieres, & benedictus fructus uētris tui.] Cum audisset uirgo ab angelo q; cōcepisset Elizabeth, statim abijt ad illam, & gaudens de bono cognatæ, & uolens ut prudentissima maiore certitudine certior reddi num uera dixisset qui apparuerat ei, ut ex hoc nec de suo dubitaret. Prudens enim cum esset, timebat ne fortè deciperet̄, & nō ut incredula, sed ut diligens rem explorare uolebat. Zacharias itaq; in montanis habitat, & propterea illuc abit. At Ioannes susceptо singulari supra reliquos homines †gaudio, exultat in utero matris: unde & maior est prophetis. Nam alij quidem prædixerunt futura posteq; nati sunt: ille autē cum adhuc esset in utero matris, gratiā talem assecutus fuit. Vide enim: Salutauit uirgo Elizabetham, hoc est, prior allocuta est. Vox itaq; uirginis, uox erat incarnati in illa Dei, & idcirco etiam præcursorem in utero gratia prosecutus est, & prophetam fecit. Quæcunq; enim dixit Elizabeth prophetic̄ ad Mariam, nō uerba fuerunt Elizabeth, sed infantis: os autē Elizabeth tantū ministrauit, sicut & os Marię

†dono, uel munere,

B ministrauit filio Dei qui in utero eius erat. Quippe cum exultasset puer in utero, tūc impleta est spiritu Elizabeth. Nisi enim puer exultasset, nō prophetasset illa. Itaq; sicut dicunt prophetas primū mente excedere, & diuinum quid pati, ac tum denique prophetizare: ita & Ioannes fortè prius saltauit ut diuinum quiddam faciens, postea per os matris prophetizauit. Quid autem prophetizauit? Benedicta tu in mulieribus. Deinde quia multæ sanctæ mulieres pepererunt improbos, ut Rebecca Esau, dicit: Sed & fructus uentris tui benedictus. Aliter quoque intelligi potest. Benedicta tu in mulieribus, deinde ueluti quispiā interroget, quare ipsam causam dicit: Benedictus enim fructus uentris tui, hoc est, Deus enim est fructus ille uentris tui. Benedictus enim solus Deus, sicut & Dauid dicit, Benedictus qui uenit. Consueuit enim scriptura coniunctionē, Et pro enim accipere: ut, Da nobis auxiliū, & uana salus hominis: hoc est, uana enim salus hominis. Et iterum, Tu iratus fuisti, & nos peccauimus, hoc est, nos enim peccauimus. Fructum autem uentris Dei genitricis dicit Dominum, et ideo sine uiro conceptum. Pueri enim alij, fructus sunt patrum: Christus uerò solius uentris Mariæ fructus: ipsa enim sola hunc fructum protulit.

Gen. 25 *Et pro enim.* *Esa. 64* *Psal. 117*

Et unde hoc mihi, ut ueniat mater Dñi mei ad me? Ecce enim ut facta est uox salutationis tuæ in auribus meis, exultauit præ gaudio infans in utero meo. Et beata quæ credidit, quoniā perficient̄ ea quæ dicta sunt ei à Dño.] Sicut postea Ioānes Christū, cum uenisset ut baptizaretur, prohibuit propter reuerentiam, dicens, Ego nō sum dignus: sic & nunc per matrē suam loquitur. Vnde mihi hoc, ut ueniat mater Dñi mei ad me? priusq; pariat Dominū, matrem uocans eam, quæ in utero gerebat. Alias em̄ priusquam pariant, non solemus matres uocare propter metum abortiendi: in uirgine autem nihil tale suspicari oportebat; & idcirco priusquam pariat, mater. Et beata es tu ô Maria, quæ credidisti, quia implebuntur ea quæ à Domino tibi dicta sunt.

Matth. 3 *Infra 3*

Et ait Maria, Magnificat anima mea Dominū, Et exultauit spiritus meus in Deo seruatore meo. Quia respexit ad humilitatem ancillę suę, ecce enim ex hoc beatā me dicent omnes generationes. Quia fecit mihi magnifica qui potens est, & sanctum nomen eius. Et misericordia eius in progeniē & progeniē timentibus eum.] Virgo certior reddita de fœtu concepto, glorificat Deum, illi miraculū attribuens, non sibijpsi. Ille enim, dicit, respexit in me humilem, non ego ad illum respexi. Ille me prosecutus

Universidad de Deusto
Biblioteca

est misericordia, ego illũ nõ quæsiui. Et ex hoc tẽpore beatã me dicẽt omnes genera- A
tiones: nõ sola Elizabeth, sed & eorũ generatio qui crediderint. Quare autẽ beatã me
dicent? Nõ propter meã uirtutẽ, sed quia fecit mecũ magnalia qui potens est. Poten-
tem autẽ nominat Deum, ut ne quis discredat his quæ â se dicunt, considerans quòd
Deus illa facere potens sit. Porrò sanctũ nomen eius uocat, declarans ꝙ nõ inquinet
mũdissimus ille in utero cõceptus, sed sanctus maneat. Neꝙ in me sola est misericor
dia eius, sed in omnes q timent illũ. Qui em̃ nõ timent ipsum, sed omnino indigni sunt,
nõ assequunt misericordiã. In generationẽ autẽ & generationẽ dicens esse misericor
diam Dei, ostendit ꝙ misericordiã assequent & in præsenti seculo, & in futuro, nẽpe
æterno. Nã hic centuplũ accipiunt, & illic longè amplius. Attende autẽ ꝙ primũ ma
gnificat anima Dominũ, & deinde spiritus exultat: ut simile quid dicam, magnificas
Deũ, qui dignè iuxta Deũ ambulas, uocatus Christianus, nõ attenuãs nomẽ & digni
tatem Christi faciendo quod nõ oportet, sed magnificans operãdo magna, cœlestiaꝙ
opera. Et tunc etiã spiritus tuus exultabit, hoc est spirituale donũ quod accepisti per
egregia opera, exultabit & proficiet, & non contrahetur, & (ut ita dicam) mortifica-
bitur. Scies præterea uideri scripturã simpliciter istud dicere spiritum & animã, pro-
priè tamen differt. Animalem enim hominẽ dicit eum qui iuxta naturã uiuit, & hu-
manis rationibus regitur siquando esuriens comedat, odio habeat inimicũ, & in sum
ma, si nihil supra hominem appareat spiritualem uerò, qui transcendit leges naturæ,
& nõ humano more sapit. Et hæc est differentia animæ & spiritus in scriptura. Medi
ci forsitan hæc aliter discernunt, sed nobis scriptura cordi est, medici uero ualeant.

Discrimen animæ & spiritus.
1. Cor. 2. 15
Gal. 6.
Ephes. 1
Coloss. 1

Fecit robur in brachio suo, dispersit superbos cogitatione cordis ipsorũ. Detraxit
potentes de sedibus, & exaltauit humiles. Esurientes impleuit bonis, & diuites dimisit
inanes. Suscepit Israel puerũ suum, ut memor esset misericordiæ. Sicut locutus est ad
patres nostros, Abrahã, & semini eius in seculum. Mansit autẽ Maria cum illa mensi
bus circiter tribus, & reuersa est in domũ suam.] Brachium patris, filius. Fecit igitur
robur & uirtutẽ ac potentiã contra naturã Deus & pater in filio suo. Incarnato enim B
filio, uicta est natura, uirgine pariente, Deo homine facto: homine uerò deificato. Et
dispersit Dominus superbos dæmones, eiectis illis ex humanis animabus, & alijs qui
dem in abyssum missis, alijs autem in porcos. Poterit autẽ & de Iudæis intelligi, quos
dispersit in omnem regionẽ: & nunc dispersi sunt. Porrò detraxit etiam potentes de
sedibus, dæmones dico, qui contra homines præualuerant, & sedes in humanis habe
bant pectoribus, in illis requiescẽtes. Sunt & pharisæi potentes, nimirum ea quæ pau
perum diripientes: & cathedras habent ut doctores, à quibus depositi sunt. Et exalta-
uit humiles, homines quos humiliarat peccatum, uel gentes. Exaltauit autẽ adoptatis
illis in filios. Igitur sicut esurientes dicere licet eosdem gentiles, utpote non habentes
uel scripturas, uel legem, uel mandata, quos impleuit bonis scripturarũ: ita & Iudæos
diuites & in lege, ac in mandatis, quos etiam emisit extra terrenam & cœlestem Hie
rusalem inanes: nihil enim habẽt Iudæi, etiã si quid habere uideantur. Suscepit Israel
puerum suum, uel carnales Israelitas dicit. Multa enim millia ex illis crediderunt, &
impleta est promissio facta Abrahæ, ad quẽ dixerat Deus, In semine tuo benedicen-
tur omnes tribus terræ. uel etiã de spirituali Israel dicit: Omnis enim qui uidet Deũ,
Israel dicitur, iuxta nominis interpretationẽ. Suscepit itaqꝙ eos qui uident Deum, in
cœlestem hæreditatem adducens. Mansit autẽ Maria cum Elizabeth circiter mensi-
bus tribus, deinde reuersa est. Quia enim paritura erat Elizabeth, abscedit uirgo pro-
pter multitudinẽ qui ad partum conuenturi erant, indecens autem uirgini in talibus
uersari. Quòd autẽ cum paritura esset Elizabeth, reuersa sit uirgo, manifestum hinc
est, quòd mense sexto concepti præcursoris uenit angelus ad Mariam, & mansit illa
cum Elizabeth tribus circiter mensibus. Ecce fermè nouem menses.

Pharisæi potentes.
Israel duplex.
Gen. 22.
Maria domum reuertitur partu riente Elizabeth.
Gen. 22.

Elizabethæ uerò impletũ est tempus pariendi, & peperit filium. Et audierũt uicini
& cognati eius ꝙ magnificè Dominus misericordia sua usus esset erga illã, & gratu-
labant̃ ei. Et factum est in die octauo, uenerunt ad circuncidendum puerum, & uoca
bant eum nomine patris sui Zachariam. Et respõdens mater eius dixit, Nequaꝙ, sed
uocabitur Ioannes. Et dixerunt ad illam, Nemo est in cognatione tua qui uocetur
isto nomine, Innuebant autem patri eius qui uellet uocari eum. Isꝙ postulatis ta-
bellis

A bellis scripsit dicens, Ioannes est nomen eius. Et mirati sunt uniuersi. Apertum est autem os eius illicò, & lingua eius, & loquebat laudans Deum.] Virgo quidem circiter tribus mensibus mansit apud Elizabeth, fortassis tanto attonita miraculo, & indigẽs consolatione quadam quam ex consuetudine Elizabeth habuit. Verũ ubi appropinquauit partus, abscessit. Vbi autẽ impletũ tẽpus Elizabeth ut pareret, obseruandũ q̃ in peccatorũ non dicitur, Impletum est tempus pariendi, sed hoc duntaxat inuenies ubi de iustorũ partu habetur mentio. Nam (ut apparet) imperfecti & nõ impleti peccatorũ sunt partus, meliusq̃ illis si nati nõ fuissent. Quare autẽ post circunciſionẽ imponitur nomen? Quia prius suscipiendũ est signaculum Dei, & tunc humanũ nomẽ. Vel aliter, Circunciſio significat carnaliũ abiectionẽ. Nullus igitur nisi prius abiiciat & amputet carnalia, dignus est ut nominet̃ miles Dei, & ut in libro cœlorũ scribat̃ nomen eius. Elizabeth uerò ut prophetissa indicauit nomen, Ioãnes sit nomẽ eius. Fortassis autẽ Ioãnes sibijpsi indidit nomẽ, matriq̃ suæ cõmunicauit donũ propheticũ. Porrò Zacharias cum nõ posset nutu manifestare nomen, petit tabellas. Et quia astipulatus est sentẽtiæ uxoris in nomine pueri, obstupescunt omnes. nõ enim erat in cognatione eorum quispiam eius nominis, ut quis dicere possit q̃ ante tempus de hoc ambo tractarint. Ioannes iuxta interpretationẽ est Dei gratia: proinde & pater illius statim assecutus gratiam, primùm de Christo, deinde de puero prophetizat.

Circunciſio quid.

Ioannes.

Et factus est timor super omnes uicinos eorũ, & in tota montana regione Iudææ diuulgabant̃ omnia uerba hæc, & posuerunt omnes qui audierãt, in corde suo dicentes: Quisnam puer hic erit? Et manus Domini erat cum illo. Et Zacharias pater eius repletus est spiritu sancto, prophetauitq̃ dicens, Benedictus Dominus Deus Israel, quia uisitauit & fecit redemptionem populo suo. Et excitauit cornu salutis nobis in domo Dauid pueri sui: Sicut locutus est per os sanctorum, qui à seculo sunt prophetarum suorum. Salutem ex inimicis nostris, & de manu omniũ qui oderunt nos. Vt
B faceret misericordiam cum patribus nostris, & memor esset testamenti sui sancti. †Iuxta iusiurandum quod iurauit ad Abraham patrem nostrum, ut daret nobis. Vt citra timorem, de manu inimicorũ nostrorum liberati, seruiamus ipsi. In sanctitate & iustitia coram ipso, cunctis diebus uitæ nostræ.] Factus est timor super omnes, propter miraculum loquentis Zachariæ. Sicut enim prius cum obmutuisset, stupuerat populus, ita etiam nunc cum redditus est ei sermo. Propter duo igitur miracula hæc cogitabant de nato q̃ multos præcelleret. Facta autẽ sunt hæc omnia singulari quadã dispensatione, ut qui de Christo *prophetizaturus esset, fide dignus haberetur, & omnes ex ipsa natiuitate Ioannis certiores redderent̃ quòd multis maior esset. Benedicit autem Zacharias Deum, quia uisitauerat Israelitas. Et profectò uenerat ad oues quæ perditæ erant de domo Israel, sed plericq̃ beneficium eius suscipere noluerunt, unde ueros Israelitas inuisit. Et quinam sunt illi? Hi qui crediderunt. Excitauit autem cornu salutis, hoc est uirtutẽ & regnum salutare. Cornu enim uel potentiam significat (cornuta enim animantia in cornu robur habent) uel regnũ: ex cornu enim reges inungebantur. Itaq̃ Christus & potentia est & regnũ patris. Excitatũ igitur est nobis cornu salutis, Christus. Videbatur enim dormire, contemnens multorũ peccata, longanimitatẽ in simulacrorũ insano cultu præ se ferens, sed in nouissimis tẽporibus incarnatus excitatus est, & contriuit omnes qui oderunt nos dæmones, non iam ultrà longanimis & dormiẽs. Porrò in domo Dauid excitatus est, hoc est in Bethleem. illic enim natus est. Bethleem autẽ patria Dauid erat. Sicut locuti fuerũt prophetæ. omnes em̃ de incarnatione locuti sunt. Micheas etiã domus Dauid, Bethleem dico, mentionẽ facit dicens, Et tũ Bethleem neutiq̃ minima es. ex te enim egredie t̃ dux. Fecit aũt misericordiam nõ solùm cum uiuẽtibus, sed & cũ patrib. nostris. Christi enim gratia etiam in illos q̃ olim mortui, pertingit, ut uerbi gratia, Dedit nobis uiuentib. spem resurrectionis, & resurgemus: sed nõ soli nos hanc gratiã assequemur, sed & qui ante nos defuncti fuerãt. Omnis em̃ natura boni particeps fuit. Vel aliter, Fecit misericordiã cũ patribus, eo q̃ spem illorũ impleuit. Adimpleta em̃ uiderũt quæcunq̃ de Christo expectarant. Sed & filios suos cum uidẽt patres talib. bonis frui, gaudẽt, & participes sunt lætitiæ, perinde ac si in se collata essent. Cuius autẽ testamẽti, & cuius iurisiurandi q̃d Abraham factũ meminit? Vel omnino huius, Benedicens benedicã te, & multiplicãs multi-

†iurisiurandi, *Ipse in genitiuo legit Theop. ut regatur à, memor esset,*

* *testificaturus*

Matth. 15

Cornu.

Bethleem patria Dauid.

Mich. 5

Ad eos quoque qui antè mortui sunt, misericordia Christi perfluxit

Gen. 22.

Heb. 9.

Universidad de Deusto
Biblioteca

multiplicabo te. Verè nunc multiplicatus Abrahã, cum ei filij ex omnibus gentibus adoptati sunt per fidẽ. Nam sicut ille credidit, ita isti per fidem appropiarũt ei. Liberauit autẽ nos de inimicis sine timore. Sæpe liberãt quidam, sed nõ sine nostro timore, agone, & certamine: Christus uerò, cum nos nõ laborassemus, pro nobis crucifixus est, & liberauit nos sine timore, hoc est, absq; periculo. Quare autẽ liberauit nos? Nũ propter cibũ & potũ? nõ, sed ut seruiamus illi: nõ semel, neq; duobus diebus, sed omnibus diebus. Seruiamus autẽ nõ sola corporali adoratione & ministerio, sed in sanctitate & iustitia. Est autẽ sanctitas, iustitia erga Deũ: iustitia uerò, erga homines: ut exẽpli gratia si quis abstineat à sacris & ad diuina nõ accedit impiè, sed uenerabilibus omnẽ honorẽ exhibet, is sanctus est. Similiter & qui honorat parẽtes, sanctus est. nã & illi dij domestici. At si quis nõ fuerit auarus, nõ rapax, nõ fur, nõ adulter, nõ scortator, is iustus dicẽt. Itaq; oportet seruire Deo in sanctitate, hoc est reuerentia erga diuina: & iustitia, hoc est laudata in rebus humanis uita. Seruiendũ deniq; est corã ipso, non coram hominibus, sicut hi qui hominibus placere uolunt, ut hypocritæ faciunt.

Cur nos liberauit Christus.

Sanctitas.

Iustitia.

Sanctus. Iustus.

Et tu puer propheta altissimi uocaberis, præibis enim ante faciẽ Domini ad parandum uias eius, Ad dandam scientiam salutis populo ipsius, per remissionẽ peccatorũ eius. Per uiscera misericordiæ Dei nostri, quibus uisitauit nos oriens ex alto. Vt illuceseeret his qui in tenebris & umbra mortis sedent, ad dirigẽdos pedes nostros in uiã pacis. Puer autẽ crescebat, & corroborabatur spiritu, & erat in desertis donec ueniret dies quo ostendendus erat apud Israelitas.] Rarum uidẽ quod Zacharias ad puerũ loquitur adhuc insensatũ: quomodo potuit loqui? Dicendum igitur q̃ sicut raram & admirabilem habuit natiuitatẽ puer, qui exultauit & prophetauit in utero ad aduentum Mariæ: sic non est mirum si etiam ea quæ à patre dicebantur, post natiuitatẽ intellexerit. Præibis aũt, inquit, ante Dominũ me paulo pòst derelicto. Sciebat eñ Zacharias quòd nõ multo pòst priuandus esset eo, quando fugiturus in desertum. Quare autem præibis? ut parentur uiæ Domini. Viæ autẽ sunt animæ in quibus incedit Dominus, quas præparauit præcursor ut in eis ambularet Christus. Quomodo autẽ illas præparauit? Dando scientiam salutis populo. Salus quidem erat Dñs Iesus. Data est igitur scientia salutis, hoc est Christi, populo, à Ioanne. Ioannes enim testificabatur de Iesu. Scientia autem erat in remissione peccatorũ. Non enim aliter Christus agnitus fuisset esse Deus, nisi remisisset peccata populo. Dei enim est remittere peccata. Remisit autẽ nobis ista, propter uiscera misericordiæ. Non enim propter opera nostra, nihil enim fecimus boni: sed ille uisitauit nos ex alto, qui oriens dicitur. Sol enim iustitiæ est, & illuxit nobis qui in tenebris eramus, hoc est in ignorantia, & umbra mortis, hoc est peccatis, sedentes. Duo enim mala humanũ genus inuaserũt: ignoratio Dei, quam habebant gentiles: & peccatũ, quod habebant Hebræi, licet Deum cognoscerent. Apparuit itaq; humanæ naturæ, ut & eos qui in tenebris, hoc est Dei ignorantia, & umbra mortis, hoc est peccato (est enim peccatum umbra mortis) erãt sedentes, illustraret. Ideo autem umbram mortis dici opinor peccatũ, quòd sicut umbra sequitur corpus, ita ubi mors, illic & peccatũ. unde quia mortuus est Adam, consectaneum ibi etiam esse mortẽ. Et neq; Christi mortem sine peccato inuenies. Mortuus est enim Christus, sed propter peccata nostra. Et ita meritò peccatum dicitur esse umbra mortis, quia semper comitatur †ipsum mors. Possent & alia ad hoc dici, & opinor dictum à nobis in Matthæo. Num igitur sufficit solum illuxisse obtenebratis? Minimè, sed etiam opus est ut dirigantur pedes nostri in uiam pacis, hoc est iustitiæ. Sicut enim peccatum inimicitiæ sunt cum Deo, ita iustitia pax. Via igitur pacis, uita est iustitiæ, ad quam dixerit animarũ nostrarũ pedes, qui ex summo ortus est Christus. Cæterùm puer crescebat iuxta staturam corporalem, & corroborabatur spiritu. Cum corpore enim simul crescebat & spirituale donum. Et quanto magis crescebat puer, tanto magis & efficaciæ spiritus in illo se ostendebant, organo illarum capace existente. Quare autẽ erat in desertis? Vt ne multitudinis malitiæ particeps fieret, & ut neminem reueritus liberè reprehenderet. Nam si fuisset in mundo, fortassis consuetudine amicorum & societate coinquinatus fuisset: sed ut fide dignus haberetur, qui prædicaret Christum, utpote eremita, uitaq; excellens alios. Latuit autem in desertis, donec uisum fuit Deo Israelitarum populo illum ostendendum esse.

Viæ Domini quæ.

Peccata remittere cuius.

Malach. 4.

Peccatũ umbra mortis.

Rom. 6.

†ipsam mortem

Cur puer Ioannes in desertum abiret.

CAPVT

CAPVT II.

A FActum est autē in diebus illis, Exijt decretū à Cæsare Augusto, ut censeretur totus orbis. Hæc descriptio prima facta est præside Syrię Cyrenio. Et ibant omnes ut profiterentur, in suam quisq; ciuitatē. Ascendit autē & Ioseph à Galilæa de ciuitate Nazareth in Iudęam, in ciuitatē Dauid, quę uocatur Bethlehem, eo q; esset de domo & familia Dauid, ut profiteretur cum Maria desponsata sibi uxore, quæ erat prægnās. Accidit autē, cum essent ibi, cōpleti sunt dies pariendi. Et peperit filiū suū primogenitum, ac fascijs eum inuoluit, reclinauitq; eum in præsepi, q̄ nō esset eis locus in diuersorio.] Propterea fit descriptio, ut cum omnes in suas patrias irent, ascenderet & uirgo in Bethlehem, quæ eius patria erat, nasceretur q; sic Dominus in Bethlehē, ac impleretur prophetia. Decebat autē ut cum Deus unus multorū deorū cultui finem esset impositurus, unus etiam rex, nempe Cæsar, imperaret. Porrò Christus cum omnibus describitur. Oportebat enim etiam Dominū cum toto orbe censeri, ut sanctificaret eos qui censentur, aboleretq; seruitutē: quoniam sicut circunciſus circunciſionē aboleuit, ita descriptus sicut seruus, seruitutem naturæ nostræ aboleuit. Non enim ultrà sunt serui hominū, qui Domino seruiunt, sicut Apostolus dicit: Nolite fieri serui hominum. sed tametsi corpore simus serui, spiritu tamen sumus liberi, neq; cum impietate dominorū simul abducimur. Primogenitum uerò filium nominauit uirginis Dominum, quanuis nullum secundum pepererit. idq; meritò. Primogenitus enim dicitur, qui primus natus est, etiamsi non nascatur postea secundus. In prę sepium autem reclinatur, fortè ut statim ab initio uitæ frugalitatē nos doceret: fortè etiam quodam symbolo declarauit quòd peregrinatus sit in hoc mūdo, qui locus noster est, qui brutis animantibus comparati sumus. sicut & præsepe proprius brutorum locus est, ita nostrum præsepe est mundus, nos uerò bruta: ut autem nos redimeret, qui brutis assimulamur: propterea & ipse tali loco fuit reclinatus.

Michæ. 5.

Libertas spiritus.

Galat. 5.

Primogenitus quis dicatur.

Et pastores erant in regione eadem rusticantes, & excubantes excubias nocte super gregem suū: & ecce angelus Dñi astitit illis, & claritas Dñi circumfulsit illos, & timuerunt timore magno. Et dixit illis angelus, Ne timeatis. ecce enim annuncio uobis gaudium magnū, quod futurum est toti populo, quia natus est uobis hodie seruator, qui est Christus Dominus, in ciuitate Dauid. Et hoc uobis signū, Inuenietis infantem fascijs inuolutū, positum in præsepi. Et subitò facta est cum angelo multitudo militiæ cœlestis laudantiū Deum, ac dicentiū: Gloria in altissimis Deo, & in terra pax, in hominibus bona uoluntas.] Pastores erant rusticantes, hoc est uel rusticā agentes uitam, uel in agro stabulantes & uersantes: quibus apparet angelus, propter simplicitatem & innocentiā morū, & q̄ iustorū uitam imitari uideant. Etenim prisci patriarchæ pastores erant, ut Iacob, Moses, Dauid. Neq; in Hierusalem apparuit pharisæis uel scribis, qui omnis malitię receptacula erant. Illi autē cum simplices essent, diuinis spectaculis potiti sunt: monstrante Deo q̄ statim ab initio eos agrestiores præ alijs elegerit, præconesq; fecerit. Abierunt enim, & de omnibus illis prædicarūt. Angelus uerò magnū illis gaudiū euangelizauit, quod futurum omni populo, qui propriè populus Dei. Nō enim omnes Iudæi populus Dei. Nam & omniū hominū populo incarnatio Dei facta est gaudium. Quid autē hymnus angelorū declarat? Vel omnino gratiarum actionē supernorū exercituum, & gaudiū, eo quòd terreni beneficia tanta consequamur. Gloriam enim Deo dicunt. Super terram autē pax nunc facta est: & cum prius humana natura inimica fuerit Deo, nunc ita cōciliata est, ut & Deo adiuncta sit, & incarnato unita. Vides igitur pacem Dei cum homine? Et aliter quoq; intelligi: Pax est ipse filius Dei. Ego em̄, inquit, pax. Ista igitur pax, filius Dei inquā, super terrā facta est. Et in hominib. bona uoluntas, hoc est Deo requies in illis hominibus. Requieuit em̄ siue refocillatus est nūc & bene habitus in hominibus, quemadmodum prius quidem, nō sibi complacuit, nec bonū affectum habuit in hominibus.

Gen. 47.

Pharisæi omnis malitiæ receptacula sunt.

Ioan. 16. 20

Et factū est, ut discesserunt ab eis angeli in cœlū, homines pastores loquebant̄ inter sese: Transeamus iam Bethlehem usq;, & uideamus hoc quod accidit, q̄d Dominus aperuit nobis. Et uenerūt festinantes, & inuenerūt Mariā & Ioseph, & infantem positū in præsepi. Cum uidissent autē, diuulgauerūt de uerbo quod dictum erat ipsis de puero hoc: & omnes qui audierūt, mirati sunt de his quæ dicta erant à pastoribus ad ipsos.]

Episcoporũ munus quale.

ad ipsos.] Pastores illi figura sunt spiritualiũ pastorũ. Oportet igitur episcopos custo- A
dire gregẽ suum. & ἀγραυλεῖν, in agro canere, hoc est canere spiritualia, & docere po-
pulũ, & sic audire diuinas uisiones & auditus. Bethlehẽ interpretamur domũ panis.
Quæ autẽ alia est domus panis, ꝙ ecclesia, in qua panis repositus est? Officiũ itaq; spi
ritualium pastorum fuerit, quærere panẽ cœlestem, quẽ cum uiderint, debent illum
& alijs prædicare: sicut & pastores qui uiderunt infantem, locuti sunt de eo & alijs.

Maria autẽ cõseruabat omnia uerba hæc, cõferens in corde suo. Et reuersi sunt pa
stores glorificãtes ac laudantes Deũ super omnib. quę audierãt & uiderãt ita ut dictũ
fuerat ipsis.] Quæ uerba cõseruabat uirgo? Quidã dicũt ꝙ ea quæ angelus ei dixerat,
& quæ pastores narrauerãt, conseruarit & cõtulerit secum, inueneritq; in omnib. sen

Verba, id est facta. † id est gesta hęc quę nũc ego dico & facio esse uerba.

tentiã cõsonam unam, ꝙ Deus sit filius suus. Mihi autẽ uident uerba hoc loco res uel
gesta dici, & id esse quod dicitur: Maria autẽ cõseruabat omnia uerba hæc, † quę nũc
ego dico, & gesta esse facio. Gesta enim quãdo narrantur, dicunt uerba. Porrò pasto-
res reuersi sunt gratias agentes Deo in omnibus, neq; enim erant inuidi ut Iudæi.

Et postq; consummati sunt dies octo ut circumcideret puer, uocatũ est nomẽ eius
Iesus, quod uocatũ erat ab angelo priusquã in utero conciperet. Et posteaq; completi
Gen. 17. Leuit. 12 Exod. 34 Exod. 13 Deut. 15
fuissent dies purgationis eorum secundum legem Moysi, adduxerũt eum Hierosoly
mam, ut sisterent eum Domino, sicut scriptũ est in lege Domini, Omne masculinum
adaperiens uuluam, sanctũ Domino uocabit: & ut darent hostiam secundum ꝗd dic-
tum est in lege Domini, par turturũ, aut duos pullos columbarũ.] Qui mandata le-
gis præuaricabant, sub maledictione erant. Dominus igitur circũcidit, ut etiã in hoc
adimpleta lege, & nullo prætermisso ꝗd illa mandabat, eripiat nos à maledicto. Re-
uereant hinc qui dicũt ꝙ Christus incarnatus sit apparenter tantũ. Quomodo enim

Curiosæ quæstiones uitandæ.

circũcisus fuisset, si apparenter incarnatus fuisset? Inutiliter autẽ quærit ubi sit absecta
illa particula. Nam quæ scriptura tacuit, ea quærere nõ oportet, præsertim ubi nulla
utilitas. Dici autẽ posset ꝙ quando absectũ terrã tetigit, illam quoq; sanctificarit, sicut
etiam sanguis & aqua quæ ex latere eius fluxerũt. Et uidet ꝙ seruarit particulam illa- B
sam, & in resurrectione iterũ resumpserit, ut & hæc particula nõ inueniatur deesse.
Quippe & nos in resurrectione perfectũ corpus resumpturi sumus. Obserua autẽ ꝙ
nõ statim ut dixit angelus, concipies filiũ, conceptus est Dominus, sed postea, quãdo
uoluit. Vide enim quid dicat hoc loco, ꝗd uocatũ est ab angelo priusq; conciperet in
utero. Et hoc uerbo ostendit id quod diximus. Nõ enim dixit, Ecce cõcipis: sed ecce
concipies. Atq; ex his animaduertere licet, ꝙ hora quidem illa cõceptus fuerit Domi
nus: nõ autẽ illo momento quo angelus dixit, sed fortè posteaq; cõpleuit sermones.
Hæc autem non dixerimus definitiuè. Impleti autem sunt dies purgationis illorũ se-
cundum legem Mosi. Bene dixit secundum legem Mosi: nam secundũ ueritatẽ nul-
la necessitate uirgo astringebat expectare dies purificationis, qui sunt quadraginta
Leuit. 12
nato mare. Dictũ enim est in lege, Mulier quæ semine cõceperit, & pepererit masculũ,
Virgo autẽ nõ concepit de semine, sed ex spiritu sancto peperit: unde nulla illam ne-
cessitas urgebat, sed uolens implere legem, uenit in templum. Quare autẽ in masculo
septem dies, in muliere uerò bis totidem? Mulier enim, inquit, si susceperit semine ma
sculum pepererit, immunda erit septem diebus: sin aũt fœminam, immunda erit du
bus hebdomadibus. Quoniã ea quæ pepererit quod masculum est, secundũ Adam
in mundum induxit. quę uerò quod muliebre, secundum Euam pepererit, uas putre
& debile, amphoram contritam, baculum deceptionis, inductricem inobedientiæ.
Quod autem dicit, Omne adaperiens uuluam: propriè ad Christum solum pertinet.
Ipse enim aperuit uuluam uirginis, cum alijs uir aperiat uuluam. Cæterùm par turtu
rum offerri iussit lex, ostendens quòd ex casto coniugio procreatus sit. Dicunt enim

Turturum natura. † fieret uita pueri illius

turturem esse castum animal: cumq; coniugem amittit, nõ secundò se copulet. Cum
autem non haberent turtures, offerebant duos pullos columbarum, ut multiplicatio
prolis † huius signetur. Fœcundum enim animal columba.

Columba fœcunda.

Et ecce homo erat Hierosolymis cui nomen Simeon, & homo iste iustus ac pius,
expectans consolationẽ Israel, & spiritus sanctus erat super eum: & responsum acce-
perat à spiritu sancto, nõ uisurum se mortẽ, nisi prius uideret Christũ Domini. Et ue-
nit per spiritum in templum. Et cum inducerent puerum Iesum parentes ut facerent

secundum

A secundum consuetudinem legis pro eo: ipse quoq; accepit eum in ulnas suas, & benedixit Deū, ac dixit: Nunc absoluis seruū tuū Domine secundū uerbū tuum in pace: Quia uiderunt oculi mei salutare tuum, quod parasti ante faciē omniū populorū: Lumen ad reuelationem gentium, & gloriam plebis tuæ Israel.] Non erat Simeon sacerdos, sed homo Deum amans, & expectans quando ueniat Christus consolaturus Hebræos, & liberaturus à seruitute peccati, fortè & ea qua Romanis & Herodi seruiebāt. Nā qui Christo credit, liber est reuera, & dignior regibus ac hominib. omnibus. Vide apostolos, non fuerunt serui Romanorū, sed nunc uenerantur eos Romanorū reges. Itaq; hos, quū essent Israelitę, consolatus est Christus. Porrò hic Simeon spiritu sancto motus ascendit in templum quando adduxit Dominū mater, & suscepto illo, † Dominū confessus est. Dicere enim, Nunc absoluis seruū tuum Domine, cōfitentis est q̄ ipse sit Dominus uitæ ac mortis. Vide aūt quomodo sancti pro uinculo corpus habēt. idcirco dicit, Nunc absoluis, quasi à uinculo, secundū uerbū tuū, propter oraculum quod acceperat q̄ non esset moriturus donec uideret Christum. In pace autē, hoc est quiete, nam homo quoad uiuit turbatur, & sicut & Dauid dicit: mortuus uerò pacem habet. Vel aliter intellige, In pace, hoc est spei consecutione. Priusquā, inquit, uidissem Dominū, non pacata mente eram, expectans illū, & semper solicitus quando ueniat: nunc aūt ipso uiso, & pacem consequutus, & solicitudine liberatus (ut sic dicam) absoluor. Salutare aūt, incarnatio unigeniti est, quā ante secula omnia Deus præparauit. Ante faciem uerò omnium populorū istam salutem præparauit, ut saluaret mundum, & ut omnib. liquida fiat eius incarnatio, cuius gratia & incarnatus est. Salutare quoq; hoc, lumen est ad reuelationem gentiū, hoc est ad illustrationem gentium obtenebratarum, & gloriam Israelitarum. Christus enim gloria est populi qui uerè Israel, secundum quod ex illo ortus est, & in hoc ornantur qui sapiunt ac intelligunt. Hæc Symeon. Videnī aūt mihi & quæ dicta sunt à Dauid, conuenire Symeoni, Longitudine dierum implebo eum, & ostendam illi salutare meum.

Simeon.

† *Deum Sancti pro uinculo corpus habēt.*

Psal. 89.

Psal. 90.

B Et erant pater & mater eius mirantes super his quæ dicebantur de illo. Et benedixit illis Symeon: & dixit ad Mariam matrem eius, Ecce positus est hic in ruinā, & resurrectionem multorū in Israel, & in signum cui contradicitur. Quin & tuam ipsius animam penetrabit gladius, ut retegantur ex multis cordibus cogitationes.] Benedixit quidē ambobus Symeon: reiecto autem patre putatiuo, ad ueram matrem loquutus est, ecce hic positus est in ruinā, & resurrectionē multorū in Israel. Ruinam quidem dicit eorum qui nō crediderunt: resurrectionem autem eorum qui crediderūt. Vel etiam aliter, In ruinam positus est Dominus malorū quę in animabus nostris: in resurrectionem uerò bonorum. Cadit fornicatio, surgit cōtinentia. Vel aliter quoq; intelligi potest, Positus est enim Dominus in ruinam, hoc est ipse passurus est, et casurus est in mortem: & cum ceciderit ipse, resurgent multi. Punctum autem pone cum dixeris, in ruinam: deinde incipe, & resurrectionem multorum. Signum aūt, crux, cui usq; in hoc tempus contradicitur, hoc est, non recipitur ab incredulis. Dicitur & incarnatio signum, & mirabile signum. Deus enim homo fuit, & uirgo mater. huic aūt signo, incarnationi inquam, contradicitur. Quidam enim dicunt † carnem ex homine, quidam uerò apparenter, quidam autem aliud quiddam nugantur. Et tuam ipsius, uirginis dico, animam pertransibit gladius. Fortasis autem & dolorem quem in passione tulit, fortasis aūt & * scandalum dicit rhomphæam, quo offensa fuit. Videns enim crucifixum, fortasis cogitabat, quomodo qui natus est sine semine, qui miracula fecit, qui mortuos suscitauit, crucifixus est, cōsputus est, mortuus est? Quod autem dicit, Vt reuelentur ex multis cordibus cogitationes, hoc significat, q̄ reuelabuntur & manifestabuntur multorum cogitationes, qui scandalizantur, & reprehensi repentinum inuenient remedium: sicut & tu ô uirgo reuelaberis, & manifesta eris quid sentias de Christo, deinde confirmata eris fide in illum. Similiter & Petrus reuelabitur cum negauerit, uerùm demōstrata est Dei potentia, quæ per pœnitentiam ipsum suscepit. Et aliter, Reuelatæ sunt è cordibus cogitationes, cum apparuerit proditor, & apparuerint diligentes illum, qualis fuit Ioseph qui accessit ad Pilatum: quales fuerunt mulieres quæ permanebant apud crucem.

Crux, contradictionis signum.

† *corpus è cœlo,*

* *hæsitatię scandalum reijcientes cum sancta Elizabeth dicamus: Beata quæ credidisti.*

Matt. 26 Ioann. 16.

Et erat Anna prophetissa filia Phanuel, de tribu Aser. Hæc processerat in multam

ætatem, & uixerat cum uiro annis septem à uirginitate sua, & hæc uidua annorũ fermè octoginta quatuor, quæ non discedebat de tẽplo, ieiunijs ac deprecationibus seruiens nocte ac die. Et hæc eadẽ hora superueniens, uicissim confitebatur Domino, & loquebatur de illo omnibus qui expectabant redemptionẽ Hierosolymis. Et ut perfecerunt omnia secundũ legem Dñi, reuersi sunt in Galilæã in ciuitatem suam Nazareth. Puer aũt succrescebat, corroborabaturq; spiritu, & implebatur sapientia: & gratia Dei erat super illũ.] Euangelista Annæ profert genealogiã, enumerans eius patrẽ ac tribũ, ut sciamus illũ uera dicere, tot testibus accersitis, qui patrẽ tribumq; eius nouerũt. Ista igiũ uicissim cõfitebaẽ Domino, hoc est, gratias agebat, & docebat omnes de Domino q ipse esset saluator, & cõsolatio nostri expectantiũ redemptionẽ. Positq; autem perfecerunt hæc omnia, reuersi sunt in Galilæam in ciuitatẽ suam Nazareth. Erat quidem & Bethlehem ciuitas ipsorũ, sed ut patria: Nazareth uerò ut habitationis locus. Iesus uerò quantum ad corpus creuit, quamuis potuisset extra matris in statura uiri perfecti procedere, uisum tamen fuisset phãtasma, & propterea paulatim crescit. Cum autem cresceret, emicuit Dei uerbi sapientia. non enim sapiens fuit proficiendo, absit: sed paulatim declarauit insitam sapientiã, & iuxta corporis staturam dicitur proficere & corroborari spiritu. Si enim quãdiu breuis fuisset statura, ostẽdisset omnem sapientiam, uisus fuisset prodigiosus: nunc autem iuxta rationem staturæ, se ipsum pro ipsius capacitate ostendens, dispensationẽ implebat, nõ assumẽs sapientiã. Quid eñ perfectius eo, qui ab initio fuit perfectus? Verùm paulatim illam denudat.

Et ibant parẽtes eius quotãnis Hierosolymã in die festo paschę. Et cum factus esset annorũ duodecim, ascendentib. illis Hierosolymã secundũ consuetudinẽ diei festi, consummatisq; diebus cum redirent illi, remansit puer Iesus Hierosolymis, & nõ cognouerunt parentes eius. Cæterùm rati illum esse in comitatu, uenerunt itinere diei, & requirebant eum inter cognatos & inter notos. Et cum non inuenissent eum, reuersi sunt Hierosolymã, quærentes eum. Et accidit post triduũ, inuenerũt illũ in templo sedentem in medio doctorũ, audientem illos, & interrogantẽ eos. Stupebant aũt omnes qui eum audiebant, super intelligentia & responsis eius, & uiso eo admirati sunt. Et dixit mater eius ad illũ, Fili, cur feciſti nobis sic? Ecce pater tuus & ego dolentes quærebamus te. Et ait ad illos, Quid est quod quærebatis me? an nesciebatis q in his quæ patris mei sunt, oportet me esse? At illi nõ intellexerũt sermonẽ quem loquutus est ipsis.] Simul uenit cum parentibus in Hierusalem, ut per omnia ostendat se nõ aduersarium Deo, neq; repugnantem his quæ à lege posita fuerũt. Cum perfecissent autem dies septem, paschæ scilicet, mansit in Hierusalẽ. Disputabat autem cum scribis, rogãs eos de lege: & obstupuerũt omnes. Vides quomodo profecerit in sapiẽtia, eo q noscerẽtur à multis, et in admiratione esset. Emicatio eñ sapientiæ eius, pfectus ipse est. Porrò ipsum Ioseph patrẽ nominat Dei genitrix, sciens quidẽ non esse patrẽ: ueruntamẽ, pter Iudæos, ut ne uideatur ex fornicatione prognatus, patrẽ eius dicit Ioseph. Vel aliter, Quoniam uelut pater curam pueri gerebat, & simul conuersando ministrabat: meritò nominauit illum patrem, tanquam honorans illũ spiritus sanctus patris uocabulo. Quare autem quærebant illũ? num suspicabanẽ perditũ illum † aberraſſe, ut ita dicam? Absit. Neq; enim hoc sapientissimæ Mariæ fuerit, quæ plurimas de illo acceperat reuelationes: neq; Ioseph, cui et ipsi de illo reuelatum erat q à spiritu sancto esset. Verùm quærebãt illũ, nequo pacto ab eis abijsset, ne fortè reliquisset illos. Vbi autem inuenerunt eum, uide quomodo ipsis respondet. Cum enim illa Ioseph patrẽ eius dixisset ille dixit: Non hic uerus pater meus est, alioqui in domo eius mansissem: sed Deus est pater meus, & propterea in domo illius sum, hoc est in templo illius. Verùm ipsi non intellixerunt quid loquutus esset eis: sacramentũ eñ erat.

Cur Maria Ioseph patrem Iesu dicat.

† aut quòd aberrasset ut puer?

Et descendit cum eis, uenitq; Nazareth: eratq; subditus illis. Et mater eius cõseruabat omnia uerba hæc in corde suo. Et Iesus pficiebat sapiẽtia & ætate & gratia apud Deũ atq; homines.] Subditus fuit parentibus, dato etiam nobis exemplo ut patrib. simus obedientes. Cõseruabat aũt hæc omnia uirgo. Diuina eñ erant quæ dicebantur & agebantur à puero, non quasi duodecim annorũ, sed quasi perfecto. Vide aũt quõ hoc loco Euangelista interpretatur quid sit proficere sapientia. subdit enim, & ætate. Profectũ autem ætatis, sapientiæ profectum esse dicit. Gratiam uerò habebat apud Deum

A Deum & apud homines, hoc est, agebat ea quæ Deo beneplacita erant, & quæ lauda
ta ab hominibus. Primùm autem apud Deum, & postea apud homines. Primùm enim
oportet Deo placere, & deinde hominibus.

CAPVT III.

ANno autem decimoquinto imperij Tyberij Cæsaris, Pontio Pilato præside Iu- *Matt. 3. Marci 1. Ioann. 1.*
dææ, tetrarcha uerò Galileæ Herode, Philippo autem fratre eius Tetrarcha Itu
rææ & Trachonitidis regionis, & Lysania Abilenes Tetrarcha, sub pontificibus An-
na & Caipha, factum est uerbum Dei super Ioannem Zachariæ filium in deserto. Et
uenit in omnem regionem finitimam Iordani, prædicans baptismum pœnitentiæ, in
remissionem peccatorum.] Rectè memor est & temporis, & principum illorum: ut
sic demonstret tempore Christi defecisse Iudaicorũ principũ successionẽ, præsidatum
quidem Pilato homine alterius gentis, tetrarchatum autem Herodis Ascalonitæ, filijs *Gen. 49.*
tenentibus: credaturq; meritò adesse Christus, iuxta prophetiam Iacob. Factũ est au-
tem, inquit, uerbũ Dei super Ioannem: ut discas illum non temerè, neq; citra uocatio
nem ad testificandum Christo prosiliisse, sed diuino motum spiritu. Per uerbum intel *Verbum Dei.*
lige spiritum sanctum, uel mandatum Dei. Factum est autem in deserto uerbum Dei
ad Ioannem, quandoquidem enim filios desertæ multiplicaturus erat, ecclesiam dico
ex gentibus, magis quàm eius quæ habet uirũ, hoc est Iudaicæ synagogæ, meritò in
deserto fit ad Ioannẽ uerbũ & mandatũ Dei. Prædicauit autem baptisma pœnitentiæ
populis, hoc est †inuulgauit. Porrò baptisma cooperabatur illis in remissionem pecca *†confessio nis*
torum, quæ per baptismum Christi datur. Neq; enim baptisma Ioannis remissionem *Vis baptismatis Ioannis*
peccatorum habebat, sed ad remissionem conferebat: hoc est, præparabat homines
ut acciperent Christi baptisma quod habebat remissionem peccatorum.

Sicut scriptum est in libro sermonum Esaiæ prophetæ dicentis, Vox clamantis in *Esaiæ 40.*
deserto, parate uiam Domini, rectas facite semitas eius. Omnis uallis implebit, & o-
mnis mons & collis humiliabit, & fient quæ obliqua sunt directa, & aspera in uias pla
B nas, & uidebit omnis caro salutare Dei.] Via quidem quam iubet parari, uita est Chri
stiana. Paulopòst enim prædicaturus erat Dominus. Semitas uerò dicit mandata legis
iam trita, quæ præcipit recta facere. Peruertebãt enim mandata pharisæi. Potest item
per uiam anima intelligi, semitæ uerò cogitationes & opera. Oportet igitur ut nos
præparemus & animam, rectasq; faciamus cogitationes ac opera. Deinde quasi inter
rogante quopiam, & quo pacto hoc faciemus: uirtus enim ardua est ac difficilis, mul- *Virtus.*
tosq; anfractus habet & obliquitates, & propter potestates aduersarias, & propter af-
fectiones quæ in nobis habitant: dicit non fore operosum, sed omnino facile. Nam
ualles, inquit, implebuntur, hoc est naturales nostræ potestates, quæ ad bonũ infirmę
factæ sunt & deiectę, replebuntur, omnisq; mons & collis, aduersariæ nimirum pote
states, quæ propter superbiã se extollunt, humiliabuntur. Verè enim infirmatæ sunt po-
testates illæ aduersarię, & cupiditates quæ natura nobis uidentur insitę. Facta igitur sunt
omnia facilia, & obliqua uersa sunt in recta. Christus enim aduersarias potestates pro
triuit, quæ hoc loco mõtes ac colles dicũtur, & naturales nostras inclinationes ad bo-
num reuiuificauit, quas dixit Euangelista ualles quæ implentur. Nam propterea incar-
natus est, ut naturam nostram restitueret. Et omnis, inquit, caro uidebit salutare Dei,
non Iudæi tantum & proselyti, sed omnis caro. Etenim in omnẽ terrã peruenit Euan
gelium. Possent quidem & alia multa dici, sed hæc ut manifestiora dicta sint.

Dicebat ergo ad turbas quæ exibant ut baptizarentur ab ipso, Progenies uiperã-
rum, qs uobis submõstrauit ut fugeretis à uẽtura ira? Facite ergo fructus dignos pœ-
nitentiæ, & ne cœperitis dicere intra uosipsos, Patrem habemus Abrahã: dico enim
uobis, potens est Deus de lapidib. istis suscitare filios ipsi Abrahæ. Iam uerò & secu-
ris ad radicẽ arborũ posita est. Omnis ergo arbor non faciens fructũ bonũ, exciditur,
& in ignem conijcitur.] Progenies uiperarum uocat Iudæos, tanq; affligentes patres
et matres suas. Tradunt enim de hoc animali, q; uterũ deuoret, & sic nascatur. sic &
Iudęi prophetas & doctores occidebant. Venturam iram dicit perpetuũ supplicium.
Fructus autem pœnitentiæ non solum est fuga mali, sed elaboratio boni. Hoc enim *Fructus pœnitentiæ qs*
reuera est proferre fructum pœnitentiæ, si bonum operati fuerimus. Ne cœperitis au
tem dicere intra uos, Generosi sumus: & confidentes in patribus, uirtute negligatis.

Poterit enim Deus ex lapidibus iſtis patriarchæ filios dare, ſicut Sarræ & prius fecit. A
Vulua enim Sarræ lapidibus erat durior, attamen ad procreandos filios gratiam con
Securis. ſequuta eſt. Porrò ſecuris diuinum iudicium eſt, indignos è uita reſecans. Niſi igitur
pœnitentiam egeritis, inquit, excidemini ab hac uita. Securis enim poſita eſt ad radi-
cem noſtrarum arborum. Proinde (ut diximus) per radicem uita intelligitur. Intelli
gitur autem & per radicem, Abrahæ cognatio. Itaq; rami illo indigni excidunturab
Rom.6. eius cognatione, iuxta Apoſtolum. Cæterùm duplex eſt ſupplicium. Peccator enim et
ſterilis non ſolum excidítur à cognatione iuſtorum, ſed & in ignem conijcitur.

Et interrogabant eum turbæ dicentes, Quid ergo faciemus? Reſpondẽs aũt dicit
illis, Qui habet duas tunicas, impertiat nõ habenti: & qui habet eſcas, ſimiliter faciat.
Venerunt aũt & publicani ut baptizarentur, & dixerunt ad illum, Magiſter, quid fa-
ciemus? At ille dixit ad eos, Ne quid amplius q̃ quod cõſtitutum eſt uobis, exigatis.
Interrogabant aũt eum & milites, dicentes, Et nos quid faciemus? Et ait illis, Ne quẽ
cõcutiatis, ne quem calumniemini, & contenti eſtote obſonijs ueſtris. Expectante au
tem populo, & cogitantibus omnibus in corde ſuo de Ioanne num ipſe eſſet Chriſtus
ille, reſpondit Ioannes uniuerſis dicens, Ego quidẽ aqua baptizo uos, ſed uenit for-
tior me, cuius nõ ſum dignus ſoluere corrigiam calceamentorũ, ipſe uos baptizabit
ſpiritu ſancto & igni, cuius uentilabrum in manu ipſius, & purgabit aream ſuam, &
congregabit triticũ in horreum ſuum, paleas aũt comburet igni inextinguibili. Mul
Tres ordi- ta quidem & alia exhortans euangelizabat populo. Admonet & exhortatur tres il
nes ad Ioan los ordines qui ad Ioannem acceſſerant, turbas, publicanos, & milites. Et turbas qui-
nem accedẽ dem admonet ut eleemoſynæ uacent, præcipiens habenti duas ueſtes, cõmunicare ei
tes. qui non habet. Publicanis uerò non plus q̃ conſtitutũ eſt ipſis extorquere, hoc eſt exi
gere: militibus autem non rapere, ſed contentos eſſe obſonijs, hoc eſt his quæ à rege
iuxta cõſuetam liberalitatem eroganꝫ. Vide aũt quomodo turbis ceu innocentibus
dicit, exhortans ut bonum quiddam faciant, hoc eſt ut cõmunicẽt. Publicanis uerò, B
militibusq̃, ut abſiſtant à malo. Neq; enim capaces illi erant, neq; bonum quippiam
facere poterant, ſed ſufficiebat eis non facere malum. Quidam anagogiam hic admit
tunt, et intelligunt q̃ habẽtes duas ueſtes, cõmunicare debeant non habenti, dicentes
duas ueſtes, ſpiritum ſcripturæ, & literam: & exhortetur eum qui duas habet, ut com-
municet ei q̃ omnino nudus eſt: ut ſi quis ſit qui ſcripturam biſariam intelligat, & ſe-
cundum ſpiritũ, & ſecundũ literam, cõmunicet ei qui non habet, hoc eſt doceat igno
rantem, & det ei uel literam. Tanta aũt fuit Ioãnis uirtus, ut omnes cogitarent apud
ſe de illo q̃ eſſet Chriſtus. Talem itaq; ſuſpicionẽ repellens inquit. Tantum inter me
& Chriſtum intereſt, ut ego quidem in aqua baptizem, ille autem in ſpiritu & igni: et
neq; ego dignus ſum qui corrigiam calceamentorum illius ſoluam. Quid aũt hæc ſi-
bi uolunt? Baptizabit uos in ſpiritu & igni, manifeſtum omnino. Etenim Apoſtolis
ſpiritum miſit, & igneæ linguæ apparuerunt diſpartitæ illis. Non aũt dignũ eſſe ut ſol
uat corrigiam calceamentorũ, clara ſententia eſt, q̃ nõ ſit dignus qui inter extremos
ſeruos ordinetur. In ſenſu autem occultiore, duo calceamẽta Domini ſunt profectio
nes eius duæ, una è cœlis in terram, altera è terra in infernũ. harũ eñ duarũ profectio-
num modum nõ poteſt quiſpiã ſoluere, ne ſi Ioanni quidẽ ſimilis fuerit. Quis eñ ex
plicare poterit, aut quomodo incarnatus ſit, aut quomodo in infernum deſcenderit.
Iam uẽtilabrũ in manu eius, hoc ſignat, q̃ licet baptizarit uos, ne putetis q̃ iã inſontes
Palea quis. ſitis: ſed niſi poſthac uitã egeritis immaculatam, exuret uos igni inextinguibili. Palea
eñ eſt quĩ infœcundã mentẽ habet, & tantũmodo magnã rerũ tẽporaliũ curã gerit.

Multa aũt & alia exhortans euangelizabat populo.] Conſolatio enim & exhorta-
tio, reuera eſt doctrina bona, & iure dicitur Euangelium.

Matt.14. Herodes autem Tetrarcha quum corriperetur ab illo de Herodiade uxore fratris
Marci 6. ſui, deq; omnibus malis quæ faciebat Herodes, adiecit & hoc ſuper omnia, et incluſit
Ioannem in carcerem. Factum eſt autem cum baptizaretur omnis populus, ut & Ie-
ſu baptizato & orante apertum ſit cœlum, ac deſcendit ſpiritus ſanctus corporali ſpe
Matt.3. cie quaſi columba in ipſum, & uox de cœlo facta eſt quę diceret, Tu es filius ille meus
Eſaiæ 42 dilectus, in te complacitum eſt mihi.] Merito interſerit hoc loco Euangeliſta de He-
rode, quaſi in hunc modum dicens, Turba quidem talia de Ioanne ſentiebat: Hero-

des autem

A des autem cum reprehenderetur ab eo, etiam ad omnia alia facinora adiecit ut includeret illum in carcere. Narrat itaq; hæc miserum illum & ærūnosum indicans, quandoquidem talia ausus fuerat, turba tantam opinionem habente de Ioanne. Aperitur aūt cœlum, ut mōstretur nobis q̄ baptisma aperiat omnibus cœlū, quod Adā clauserat. Descendit autem spiritus in Iesum, ut ex hoc discamus q̄ & nos cum baptizamur descendat spiritus. neq; enim spiritu Dominus opus habebat, sed omnia ,ppter nos fa cit, & primitiæ ipse sit omniū quæ nos sumpturi sumus posthac, ut fiat primogenitus *Rom. 8.* in multis fratrib. In specie aūt columbæ descendit, ut discamus q̄ mansuetos nos esse oporteat, ac mundos. Et sicut tempore Noe columba significauit quieuisse iram Dei, *Gen. 8.* sic & hoc loco spiritus sanctus conciliauit nos Deo, facto peccati diluuio. Et filius audit à patre uocem allatam: monstrans q̄ & nobis qui baptizamur, adoptionem filiorū Dei largitus sit. In te bene placitum est mihi, hoc est in te quietem accepi.

Et ipse Iesus incipiebat esse fermè annorū triginta, ut putabatur, filius Ioseph, qui fuit filius Heli, qui fuit Mathat, qui fuit Leui, q̄ fuit Melchi, qui fuit Ianne, qui fuit Ioseph, qui fuit Mathatthiæ, qui fuit Amos, qui fuit Naum, qui fuit Hesli, qui fuit Naggæ, qui fuit Maath, qui fuit Matatthię, qui fuit Semei, qui fuit Iosech, qui fuit Iuda, qui fuit Ioanna, qui fuit Rhesa, qui fuit Zorobabel, qui fuit Salathiel, qui fuit Neri, q̄ fuit Melchi, qui fuit Addi, qui fuit Cosam, qui fuit Helmadam, qui fuit Her, qui fuit Ieso, qui fuit Heliezer, qui fuit Iorem, q̄ fuit Mattha, qui fuit Leui, qui fuit Simeon, qui fuit Iuda, qui fuit Ioseph, qui fuit Ionā, qui fuit Heliachim, qui fuit Meleach, qui fuit Menam, q̄ fuit Mathatha, qui fuit Nathā, qui fuit Dauid, qui fuit Iesse, qui fuit Obed, qui fuit Booz, qui fuit Salmon, qui fuit Naason, qui fuit Aminadab, qui fuit Aran, q̄ fuit Esron, qui fuit Phares, qui fuit Iudæ, qui fuit Iacob, qui fuit Isaac, qui fuit Abrahę, qui fuit Tharræ, qui fuit Nachor, qui fuit Saruch, qui fuit Ragau, qui fuit Phalec, qui fuit Heber, qui fuit Sale, qui fuit Cainan, qui fuit Arphaxat, qui fuit Sem, q̄ fuit Noe, qui fuit Lamech, qui fuit Mathusala, qui fuit Enoch, qui fuit Iaret, qui fuit Malalehel, qui

B fuit Cainan, qui fuis Enos, qui fuit Seth, qui fuit Adam, qui fuit Dei.] Cum triginta *Matt. 3.* annorū esset Dominus, baptizatus est, eo q̄ ætas illa perfectissima est, & illa homo uel probus uel improbus cognoscitur. Recenset autem Lucas retrogrado ordine à Matthæo, ut ostendat q̄ is qui nunc natus est in carne, à Deo sit. Vide ēm quomodo recēsendo catalogū, recurrat in Deum: ut discamus q̄ patres omnes intermedios in Deū reducat, & filios faciat, qua de causa & incarnatus est. Possum autem & aliter dicere, Difficilis creditu est natiuitas Christi q̄ sine semine sit. uolens igitur Euangelista ostēdere q̄ & aliàs sine semine factus sit homo, ab inferioribus ascendit ad Adam & Deū: quasi dicēs, Si non credis q̄ secūdus Adam sine semine factus sit, ascende precor memoria ad priorē Adam, & inuenies etiam illum sine semine factum à Deo, & posthac ne sis incredulus. Quęrunt autem quidam quomodo Matthæus Iosephum dicat filiū *Ioseph ut fi* Iacob, Lucas autem filium Heli: impossibile autem unū habuisse duos patres. Dicunt *erit filius Ia* itaq; ad hoc, q̄ Iacob & Heli uterini fratres fuerint ex diuersis patribus: mortuo autē *cob, et filius* Heli sine liberis, Iacob eius uxorem duxerit, ex illa procreaturus filios. Et sic dicitur *Heli.* Ioseph esse filius Iacob natura: filius autē Heli, lege. Iacob enim ipsum natura genuit, & uerè, deniq; & naturalis eius filius est, Heli uerò illius legitimus. Lex enim iussit, si *Deut. 25.* quis sine liberis moriatur, ut eius uxor ipsius fratri copuletur, & quod inde nascitur, mortui esse censeatur, tametsi natura sit uiuentis. Et sic bene dicunt Euāgelistæ, neq; sunt inter se contrarij. Matthæus enim naturalem patrem Ioseph descripsit, Lucas autem legalem & putatiuum patrem, hoc est Heli: ut ambo ostendāt q̄ propter hoc natus sit Dominus, ut & naturam & legem sanctificet.

CAPVT IIII.

IEsus autem plenus spiritu sancto regressus est à Iordane, & actus est per spiritū in *Matt. 4.* desertum, ac diebus quadraginta tentabatur à diabolo: nihilq; comedit in diebus *Marci 1.* illis. Et consummatis illis deinde esurijt. Dixit autem illi diabolus, Si filius es Dei, dic lapidi huic ut panis fiat. Et respondit ad illum Iesus dicens, Scriptum est, Non solo pa *Deut. 8.* ne uiuet homo, sed omni uerbo Dei. Et subduxit illum diabolus in montem excelsum, & ostendit illi omnia regna orbis terræ in puncto temporis: & ait illi diabolus, Tibi dabo potestatem hanc uniuersam, & gloriam illorum, quia mihi †tradita sunt, et †tradita est

cuicunq; uolo do illam: tu ergo si adoraueris prouolutus coram me, erunt tua omnia. A
Et respõdens Iesus dixit illi, Abi post me Satana: scriptũ est enim, Adorabis Dñm Deũ
Deut. 6. tuum, & illũ solũ coles. Et duxit illum Hierosolymã, statuitq; eum super pinnã tẽpli:
& dixit illi, Si filius Dei es, mitte teipsum hinc deorsum. scriptum est enim, Angelis suis
Ps. 90. mandauit de te, ut seruent te: et in manibus tollent te, ne offendas ad lapidem pedem
Deut. 6. tuum. Et respondens Iesus ait illi, Dictum est, Non tentabis Dominũ Deum tuum.]
Baptizatus est Dominus, ut sanctificaret aquas propter nos, qui gratiam consequuturi eramus: uerùm postquã baptizatus est, fertur à spiritu in montẽ desertum. Spiritus
Solitarij maxime tentãtur. enim sanctus ducebat eum ad certamen cum diabolo. Vnde & in desertum abit, ut diabolo det ansam insidiandi sibi. maximè enim cum soli fuerimus, insidiari solet. At ieiunans dies quadraginta, mensuram ieiunij Mosis & Heliæ non transgreditur, ut ne det Satanæ hoc loco suspicionem se illis esse maiorem, sed accessum ad se, putanti q; & ipse homo sit. Ad hæc, ut ne uideatur apparenter tantum incarnatus. Posi baptisma autem tentatur, ostendens nobis q; post baptisma tentationes nos sint excepturæ. Ieiunauit autem eo q; in tentationibus armorum loco sint ieiunia, & tunc debeamus non uacare delicijs, sed ieiunijs. Accedit igitur ad illum inimicus: & primùm de gula tentat, de qua tentauerat & Adam: deinde & per auaritiã, monstratis ei regnis
Gen. 3. omnibus. Quomodo aũt monstrauit? Sanè quidam dicunt q; imaginationi illius proposuerit: sed non opinor q; imaginationi tantum obtulerit, sed sensibiliter illa mõstrata fecerit ei clara. Tertiò autem aggreditur de uana gloria tentans. dicit enim, Si filius Dei es tu, mittito te deorsum. Adulans autem ei ita nugabatur, si fortassis adulatione deceptus se filium Dei ostentare uelit deijciendo se deorsum, quò cognosceret quisnã esset. At Dominus illum scripturis repellit. Non tentabis (inquit) Dominũ Deum tuũ. Neq; enim quis se in manifestaria pericula debet obijcere, probando num iuuet
Vtilitas sciẽtiæ scripturarum. se Deus. Animaduerte interim quanta sit utilitas scire scripturas. Scripturis enim Dominus satanam repulit. Hoc autem, Nõ solo pane uiuit homo, Mosaicũ est de mãna B
dictum. nam licet non esset panis manna, eo tamen alebatur populus. Similiter & illa à Mose deprompta sunt, Dominum autem Deum tuum adorabis: &, Non tentabis.

Et consummata omni tantatione diabolus recessit ab illo usq; ad tempus. Et reuersus est Iesus in uirtute spiritus in Galilęam, & fama exijt per uniuersam regionem de illo. Et ipse docebat in synagogis eorum, et glorificabatur ab omnib.] Omnẽ tentationem dicit Lucas cõsummasse Dominũ, quãuis tribus duntaxat tentationib. tentatũ:
Tentationũ capita tria. eo q; tentationũ omnium sint capita tria, auaritia, gula, & inanis gloria. Porrò gulæ tẽtationem repulit dicens, Non solo pane uiuet homo. Hac enim primò inuasit eum, sicut & Adamũ. Adã enim non potuit per auaritiã supplantare: nõ enim poterat plura alijs cupere, id quod auaritiæ est: solus existens. Neq; per iram: cui enim succensuisset? Neq; per inuidiam. Proinde per gulam supplantauit. Cęterùm auaritiæ tentationem repulit non procidens ante diabolum, neq; eum adorans. Nam cum demonstrasset omnia regna sensibiliter eius imaginationi, non ad ea respexit: tametsi nõnulli hoc nõ de sensibilibus regnis, sed mentalibus intellexerint, ut quod monstrauerit ei regnum inuidiæ, regnum gulæ, & in summa omniũ peccatorum regna: & quasi talia ei diceret, Si uis regnare affectionibus illis, & in hoc uenisti, ut eos qui sub me sunt rapias, procide, & adora me: & accipe omnes qui à me gubernantur. Dominus autẽ regnare quidẽ uult, & ad hoc uenit: regnare aũt nõ cũ peccato, neq; sine certamine, sed certans & uincens. Sic quidã intellexerũt: quẽ sensum, si cui placet, recipiat. Porrò & inanem gloriã repulit uerbo scripturæ. Eripe igitur & nos Domine à tribus illis capitibus draconis. Reuersus est autem Iesus in uirtute spiritus. Videtur mihi q; diuino quodam afflatu correptus redierit: hoc eñ est quod ait in uirtute spiritus. Attende quoq; scripturam, q; postquam uicit tentantem, & mõstrauit uirtutem suam, tũc illud scriptũ sit, in uirtute spiritus. Recessit autem ab illo usq; ad tempus, hunc sensum habet: Diabolus affectionibus duabus Dominum adortus est, uoluptatis scilicet ac tristitiæ: & accessit ad Dominum de uoluptate tentans in monte, recessit uerò usq; ad tempus, crucis scilicet, tunc illum per aduersa ac dura tentaturus.

Et uenit Nazareth, ubi erat nutritus: & intrauit secundũ consuetudinẽ suam die sabbatorũ in synagogã, & surrexit ut legeret, Et traditus est illi liber Esaiæ prophetę:

A & ut explicuit librū, inuenit locū ubi ſcriptū erat, Spiritus Dñi ſuper me, propterea q̄ unxit me. ad euangelizandū pauperibus miſit me, ut ſanē contritos corde, ut prædicem captiuis remiſsionem, & cęcis uiſum, ut emittam confractos per remiſsionem, ut prædicem annum Domini acceptum. Et complicato libro reddidit miniſtro, ac reſedit. Et omnium in ſynagoga oculi erant deſixi in eum. Cœpit autem dicere ad illos, Hodie impleta eſt hæc ſcriptura in auribus ueſtris.] Volebat quidem Ieſus manifeſtū ſe reddere Iſraelitis, & q̄ à Deo ac patre unctus ſit ut ſaluet eos qui ſub cœlo ſunt. Cū magna admiratione & hoc agit. Præ alijs autem ſe Nazarenis cum quibus conuerſaba tur, manifeſtat: ut & nos doceat, primùm & proprijs benefacere, atq̄ illos docere, & poſtea in alios quoq̄ benignitatē transfundere. Pe: rò oblatum ſibi librū aperuit, ac inuenit, nō quod fortè occurrit, ſed quod ipſe uoluit. Ne enim exiſtimes fortè aperto libro incidiſſe eum in illum locum in quo hæc de ipſo ſcripta erant: nam ipſo uolente hoc accidit. Quid autem ſcriptum erat: Spiritus Domini unxit me, hoc eſt conſecrauit me, conſtituit me, ut euangelizarem pauperibus, hoc eſt gentibus quæ neq̄ legem neq̄ prophetas habebant, & reuera ualde pauperes erant. Contriti aūt corde fortaſsis fuerunt Iſraelitæ, quorū cor priùs fuit magna & ſublimis domus Dei. Poſtea autem ubi uacare cœperunt idolis, & uarijs modis peccarunt, contritum & deſtructū eſt cor illorū, hoc eſt, domus Dei facta eſt ſpelunca latronum. Venit igitur Dominus ut & illos ſanaret, & captiuis remiſsionem daret, & cæcis uiſum, hoc eſt, gentibus & Iudæis. Ambo enim illi populi & captiui erant, & ſub ſatana, ac cæci. Poſſunt autem hæc & de mortuis intelligi. Erant enim & illi captiui atq̄ ſaucij, liberatiq̄ ſunt à poteſtate inferni per reſurrectionem. Prædicauit item & annum acceptū. Quis aūt fuit annus ille acceptus: Fortaſsis ſeculum futurum, de quo prædicauit Dominus dicens, In die illa non interrogabitis me quicquā. Et iterum, Venit hora quando mortui reſurgent. Acceptus autem eſt ille annus, hoc eſt deſiderabilis, & iuſtis amabilis: quem accipiunt omnes qui hic operati ſunt. Eſt autem & tempus dominici aduentus in carne
B annus acceptus: de quo Paulus dicit, Nunc tempus eſt acceptabile, nunc dies ſalutis. Porrò ubi hæc legit, dixit, Hodie impleta eſt ſcriptura hæc in auribus ueſtris, manifeſtè ſe audientibus commendans, quia ipſe ſit de quo hæc ſcripta fuerint.

Eſaiæ 61.

Matt. 12

Ioann. 5.

2. Cor. 6.

Et omnes teſtimonium illi dabant, ac mirabantur ſuper gratia ſermonum qui procedebant ex ore ipſius: dicebantq̄, Nónne hic eſt filius Ioſeph: Et ait illis, omnino dicetis mihi hanc ſimilitudinem: Medice, cura teipſum. Quæcunq̄ audiuimus facta in Capernaum, fac & hic in patria tua. Ait autem, Amen dico uobis, nemo propheta acceptus eſt in patria ſua. Sed in ueritate dico uobis: multæ uiduæ erant in diebus Heliæ in Iſrael quādo clauſum eſt cœlū annis tribus & menſib. ſex, cum facta eſſet fames magna per omnem terram: & ad nullam illarum miſſus eſt Helias niſi in Sarephtha Sidonis ad mulierem uiduam. Et multi leproſi erant in Iſrael ſub Heliſæo propheta, & nemo eorum mundatus eſt niſi Naamā Syrus. Et repleti ſunt omnes in ſynagoga ira, hæc audientes. Et inſurrexerunt, eiecerunt q̄ illum è ciuitate, & duxerunt illum uſq̄ ad ſupercilium mōtis, ſuper quem ciuitas illorum erat ædificata, ut præcipitarent eum. Ipſe autem tranſiens per medium illorum ibat.] Cum audirent turbæ quæ dicebantur à Chriſto, admirabantur ſuper ſermonibus gratiarum. Admirantes autem dicterijs inceſſebant eum: Nónne hic eſt fabri filius: Quanuis quid prohiberet ipſum dici admirabilem & adorabilem: Non uides quanta fecit: nō audis quæcunq̄ dicit: Deinde conuicijs patrem illius laceſsis: Reuera de illis dicere licet, ecce populus ſtultus & abſq̄ corde: oculi illorum non uident, aures etiam non audiunt. Dominus igitur quid dicit: Omnino dicetis mihi, fac & in patria mirabilia quæ in Capernaum feciſti. Hoc enim eſt quod dicit, Medice cura teipſum. Prouerbium enim erat apud Iudæos quod ægrotantibus medicis dicebatur. At ego dico uobis quòd feciſſem multa ſigna etiam apud uos patriotas meos: ſed ſcio commune omnium prouerbium, quòd contemnantur etiam res maximæ, niſi cum raræ fuerint, ſi uulgatæ ſint & quotidianæ, & eis omnes copioſe fruantur. Semper enim ſolent homines rara & admirabilia curare, deſpicere autem communia & familiaria. Et idcirco nullus propheta in patria ſua precioſus: ſed ſi aliunde ueniat, admirabuntur illum. Sic & Heliam Iudæorum uiduæ non ſuſceperunt; Sarephthana autem ſuſcepit. Et Heliſæus alienigenam

3. Reg. 17.

4. Reg. 5.

Hiere. 5.

Res maximæ ſint raræ, contēnuntur.

Cur Chriſtus in Capernaū ſigna faciat, in Nazareth uerò non.

leprosum purificauit, fide in illum declarata. Nam familiares eius, qui eiusdē erant pa-
triæ, ei nō crediderūt, & propterea nō sunt purificati. Similiter & ego uobis patriotis
nō uideor admirabilis, sed cōtemptus: & idcirco neq; signa facio. His sanè q in Caper
naum, uideor admirabilis, & signa facio, & acceptus eis sum. Audiētes aūt hæc hi qui
in synagoga erant, implebantur furore. Oportebat admirari, & præcipitare conārur.
At ipse per mediū illorū iuit, nō quidē passionē fugiēs, sed tempus expectans. Venit
eī ut pro nobis pateret: sed nunc in prædicationis exordio non debebat se morti ex-
ponere: sed tunc mori cum sufficientib. doctrinis nos docuisset. Et ita ex hoc manife-
stum est q neq; cum crucifigeret, inuitus sit crucifixus, sed sponte mortē obierit. Scias
Synagoga prophetarū patria. autem q prophetarū patria, synagoga Iudęorū est, in qua prophetę despicabiles sunt,
& non suscipiūtur: nos autem alienigenæ suscepimus illos. Vidua enim Ecclesia est,
quæ ex gentibus collecta, suscepit Heliam, hoc est propheticum sermonem, cum esset
1. Reg. 2. fames spiritualis facta in Iudæa, fames inquam audiendi sermonem Dei. De hac sanè
uidua prophetia dicit q plures sunt filij desertæ, q̄ eius quæ habet uirum. Et rursum
Esa. 54. quia sterilis peperit septem: & quæ multos habebat filios, infirmata est.
1. Reg. 2.

Et descendit in Capernaū ciuitatem Galilææ, ibiq; docebat illos sabbatis. Et stupe
bant super doctrina eius, quia cum potestate coniunctus erat sermo ipsius. Et in syna
goga erat homo habens spiritum dæmonis immundi, & exclamauit uoce magna di-
cens, Eia quid tibi nobiscū est Iesu Nazarene? ueneisti ad perdendum nos? Scio te qui
sis, sanctus ille Dei. Et increpauit illum Iesus dicens, Obmutesce, & exi ab eo. Et cum
proiecisset illum dæmonium in medium, exijt ab illo, nihilq; illi nocuit. Et factus est
pauor super omnes, & colloquebātur inter sese dicētes, Quis sermo hic est, quia cum
authoritate & potestate imperat immundis spiritibus, & exeunt? Et diuulgabatur fa-
ma de illo in omnem locum undiq; finitimæ regionis.] Postquam neq; ratio neq; do
ctrina ad fidem rapuit incredulos, Dominus ad miraculorum operationem se conuer
tit, ceu efficacissimū pharmacū. Miracula igitur operatur in Capernaū. Valde enim
incredulí erant, & multis ad fidem indigebant. idcirco postquam satis docuit, & id a
tanquā potestate præditus (nō enim dicebat, Hæc dicit Dominus: sed, Ego dico uo-
bis: quia nō unus ex prophetis erat, sed uerè Dei filius) subdit etiam miraculū, et sanat
dæmonio agitatum. At dæmon inimicitias primùm fatetur, quò testimonium eius fi-
de dignius sit: dein subijcit testimoniū, Scio te qui sis, sanctus ille Dei. Prius igitur in-
crepat illum, Cur ueneisti huc perdere nos? Postea adulatur, existimans Dominū adu-
latione fractum finere illum. tam stulta res est malitia. sed Dominus docēs nos ne uta
mur dæmonum testimonijs & sententijs, Obmutesce (inquit) & egredere ex illo. Per
mittit autem dæmoni ut proijciat hominem, ut discerent circunstantes illum uerè ha-
buisse dæmonium, cuius erant uerba, tametsi lingua hominis ministraret. Propterea
colloquebantur inter sese omnes admirantes de talibus factis & dicentes, Quis sermo
hic, id est mandatum istud quo imperat, Exi ab illo, & obmutesce. Scias aūt q & nūc
multi habent dæmonia, qui dæmonum perficiunt concupiscentias, ut iracundus qui
habet dæmoniū iræ. At si uenerit Iesus in synagogā, hoc est, cum mens fuerit coadu-
nata, & non diuagaī, tunc dicet dæmonio iræ, quæ coerceri nequibat, Obmutesce: &
statim proijcit hominem in medium, & egreditur ex eo. Quid autem sit in medium
proijci, disce. Oportet hominem non omnino iracundum esse & amarum (crudelis
enim hoc & truculentæ bestiæ fuerit) neq; omnino ira carentem (nam hoc insensati
fuerit) sed mediam incedere uiam, & furorem seruare contra malitiam. Cum igitur in
medium quis à malo spiritu proijcitur, relinquitur ab eo.

Matt. 8. Cum surrexisset autem Iesus de synagoga, introiuit in domum Simonis. Socrus
autem Simonis tenebatur febri magna, & rogauerunt illum pro ea. Et astans supra il
lam, increpauit febrem, et febris dimisit illam: statimq; surgens, ministrabat illis. Cum
autem sol occideret, omnes qui habebant infirmos morbis uarijs, ducebant illos ad
eum. At ille singulis manus imponens, sanabat eos. Exibant autem & dæmonia à
multis, clamantia ac dicentia, Tu es Christus filius Dei. Et increpans non sinebat ea
loqui, quia sciebant ipsum esse Christum. Facto autem die egressus ibat in deser-
tum locum, & turbæ quærebant eum, & uenerunt usq; ad ipsum, & detinebant illum
ne discederet ab eis. quibus ille ait: Et alijs ciuitatibus oportet me euangelizare
regnum

A regnũ Dei, nam in hoc missus sum. Et prædicabat in synagogis Galilææ.] Dominus omnium à discipulis excipiebatur & pascebatur, quemadmodũ nunc quoq; & apud Petrum hospitio excipitur, & sanat eius socrum: ut & te instruat ne rescias pauperũ modestiã & studiũ. Non simpliciter autem curat illam à morbo, sed & bonam ualetudinem & robur ad ministrandũ ei suppeditat. Et nos quoq; si illum exceperimus, extinguet nostram febrim iræ & concupiscentiæ, & eriget ac corroborabit nos, ita ut ei ministrare ualeamus, hoc est facere quæ ei placent. Vide autem obsecro & turbæ fidẽ, quomodo etiam iam occidente sole infirmos afferebat, neq; tempore impediebatur. Non sinit autem dæmonia loqui, tum q̃ non indigebat immundorum laude (neq; enim speciosa laus in ore peccatoris) tum q̃ nolebat accendi inuidiam Hebræorũ, uidentium eum ab omnibus celebrari. Turbæ item quærunt eum etiam in locum desertum abeuntem, & detinent. At ille nõ uno loco circunscribitur, sed etiam alijs, inquit, ciuitatibus oportet me euangelizare regnum Dei. Vnde oportet etiam nos non segnes, neq; uno loco contentos esse, sed ubiq; circumire, & prodesse quibusq;.

Christus apud Petrũ hospitio excipitur.

Ecc. 15.

CAPVT V.

FActum est autem cum turba immineret ei ut audiret uerbum Dei, & ipse stabat iuxta stagnum Genezareth. Et uidit duas naues stantes ad stagnum: piscatores autem descenderant ex illis, & abluebant retia. Ingressus autem in unam nauim quæ erat Simonis, rogauit eum ut à terra abduceret pusillum, & sedens docebat de naui turbas. Vt cessauit autem loqui, dixit ad Simonem, Duc in altum, & laxate retia uestra in capturam. Et respondens Simon dixit illi, Præceptor, per totam noctem laborantes nihil cepimus, tamen tuo iussu laxabo rete. Et cum hoc fecissent, concluserunt piscium multitudinem copiosam. Rumpebatur autem rete eorum. Et annuerunt sociis qui erant in altera naui, ut uenirent & adiuuarent ipsos. Et uenerunt, atq; impleuerunt ambas naues, ita ut mergerentur. Quod cum uideret Simon Petrus, accidit ad genua Iesu, dicens, Discede à me Domine, quia homo peccator sum. Stupor enim
B circundederat eum, & omnes qui cum illo fuerant, super captu piscium quem ceperant: similiter autem Iacobum & Ioannem filios Zebedæi, qui erant socij Simoni. Et ait ad Simonem Iesus, Ne metuas, posthac homines capies. Et subductis in terram nauibus, relictis omnibus secuti sunt eum.] Fugit Dominus gloriã, quæ eum ob hoc magis sequebatur. Igitur urgente turba in nauim ingreditur, ut uel à naue doceat in littore stantes, omnibus è regione comparentibus, et nullo à tergo uenente. Postquã autem turbam à naui docuit, dominum nauis non reliquit irremuneratum, sed bifariam ei benefecit, quia & multitudinem piscium ei donauit, & discipulum suum fecit. Admirare igitur Domini dispensationem, quomodo per propria & familiaria sua quemq; attrahit: sicut magos per stellam, ita & piscatores per pisces. Porrò Christi mansuetudinẽ uide, quomodo obsecret Petrum ut à terra abducat. Rogauit enim, idem est quod obsecrauit. sed & quomodo Petrus morigerus fuerit, ita ut hominem quem non uiderat, in nauim suam susceperit, & ei in omnibus obedierit. Nam ut dixit ei quòd abduceret in profundum, non abnuit, neq; dixit, Per totam noctem laboraui, & nihil consecutus sum: nunc tibi parẽrem, & alijs fatigandus laboribus incumberem? Sed ait, In uerbo tuo laxabo rete. Adeò feruebat fide etiam ante fidem: unde & tantos pisces comprehendit, ut illos non potuerit trahere, & annuerit sociis, hoc est participibus in alia naui. Nutu autem illos uocat, quia propter stuporem magnũ loqui nequibat. Porrò multa reuerentia Petrus rogat Iesum ut naui excedat, peccatorem seipsum dicens, & indignum illius conuersatione. Hæc etiam per anagogiam si uis intelligas, Nauis est Iudæorum synagoga, & Petrus gerit typum doctorum legis. Laborauerunt autem per totam noctem doctores qui ante Christum fuerunt. Tempus enim ante eius aduentum, nox erat, & nihil comprehenderunt: postquam autem uenit Christus, diesq; factus est, Apostoli in locum legis doctorum surrogati, in uerbo eius, hoc est in præcepto eius laxant rete Euangelij, & multitudinem hominum uenantur. Soli autem Apostoli nõ possunt trahere rete piscium, annuũtq; sociis suis, & cõmunicant, & cum eis trahunt. Hi autem sunt pastores & doctores Ecclesiarum in singulis tẽporib. qui interpretant & docẽt Apostolica, trahuntq; cum Apostolis, ut piscent homines. Animaduerte itẽ & dictionẽ, Laxate rete, Euangeliũ enim est rete, ora

Trahentes rete q̃ sunt, & qui illorum socij.

Laxare rete.

Universidad de Deusto
Biblioteca

rete, orationē habens humilē & pedestrem, & ad auditorū infirmitatē se attemperan A
tem: & idcirco dicit laxari. Si cui aūt & sensuum profunditas significari uideatur per
Hier.16 laxationē retis, neq; ipsum à uero abludit. Impletur enim & hoc prophetæ qui dicit,
Ecce ego mitto piscatores multos, dicit Dominus, & postea mittā multos uenatores,
& uenabuntur illos. piscatores quidem sanctos Apostolos uocans: uenatores autem
eos qui temporibus sequentibus habiti sunt doctores ecclesiarum & præfecti.

Matt.8. Et factum est, cum esset in quadam ciuitate, & ecce uir plenus lepra, quumq; uidis
set Iesum, prostratus in faciem rogauit eum dicens, Domine, si uis, potes me mūdare.
Et protensa manu tetigit eum, dicens, Volo: mundus esto. Et cōfestim lepra discessit
ab illo. Et ipse præcepit illi ne cuiq; diceret: sed uade (inquit) ostende teipsum sacerdo
Leu.14. ti, & offer pro emūdatione tui quemadmodū præcepit Moses in testimonīū illis. Per
uagabatur autem magis rumor de illo, & conueniebant turbæ multæ ut audirent, &
sanarentur ab infirmitatibus suis. Ipse autem agebat in secessu in desertis, & orabat.
Admiratione dignus est leprosus ille, quia dignam Deo de Christo opinionē habuit
& dixit, Si uis, potes me mūdare. Hoc enim indicat ipsum sentientem de Christo ut
de Deo. Non enim ut ad medicum accesserat (neq; enim lepra à medicis curari po-
Lepra, morbus immedicabilis. test) sed ut ad Deum, cuius solius est sanare id genus morborum. At Iesus tangit illū,
nec sine causa, sed quoniam immundus habebatur iuxta legem, qui leprosum tange
bat, uolēs ostendere q̄ nō teneatur ad seruāda tam exigua legis dicta, & q̄ ipse sit Do
minus legis, & q̄ mundus nō coinquinetur ex eo quod uidetur immundum, sed ani
morum lepra sit quæ coinquinat, & ideo tangit: interim & hoc indicās, q̄ sancta eius
caro diuinam habeat uirtutē, & purificet ac uiuificet, utpote quæ sit caro uerbi Dei.
Præcepit aūt leproso ne cui diceret, nos docens ut ab his quibus benefecerimus, laudē
non quæramus. Abi aūt (inquit) & ostende teipsum sacerdoti, & offer munus in testi
monium illis. Lex cauebat à sacerdote probandos leprosos, qui iudicaret an purifi-
cati essent. Et si quidem intra dies septem purificabatur quis, manebat intra ciuita-
Vade ostende te sacerdoti, quō intelligendū tem: sin minus, eijciebatur. Et hoc est quod dicit Dominus, Vade, ostende te sacer B
doti, & offer munus. Quod autem erat munus? Duæ aues. Sed quid est, in testimo-
nium illis? Hoc est in reprehensionem & condemnationem illorum, ut quando con-
demnant me ceu præuaricatorem legis, ex hoc arguantur me non præuaricari quòd
Leu.13.14. mandarim ut illis offeratur donum sicut præcepit Moses. Quomodo autem duæ a-
ues illæ offerebātur Domino, non intempestiuum fuerit dixisse. Occidebatur una a-
uis, & suscipiebant sanguinem eius in uase testaceo nouo: deinde alterius auis utraq;
alę tingebantur in sanguine, & sic dimittebatur auis uiua. Præfigurabant autem hęc,
res Christi. Duæ enim aues, duæ naturæ sunt Christi, diuina & humana, quarum u-
na occisa est, nempe humana, altera uerò dimissa uiua, diuina enim impassibilis per-
mansit, uncta sanguine passibilis naturæ, & in se passionem suscipiens. Sanguinem
autem Domini uas suscepit figulinum nouum, populus (inquam) nouus ex Gentī-
bus, noui testamenti capax. Vide autem q̄ ubi aliquis fuerit purificatus, tunc demiq;
dignus est offerre Domino donum istud, hoc est immolare Christum, & sacrificare.
Nam qui leprosus est, & immūdus anima, haud dignus fuerit offerre talia dona, hoc
est offerre corpus & sanguinem Domini, quod diuinæ naturæ unitum est. Vide au-
tem & hoc quomodo ineffabili excellentia Moysen præcellat Dominus. Moyses cūm
Num.12 sororem suam lepra laborantem, quanuis multū oraret, non potuit sanare: Dominus
uerò sermone solo mūdauit leprosum. Obserua item & humilitatem Dñi, quomodo
turba desiderante ut illum tangeret, in solitudinibus magis uersabatur placidus, ac o-
rabat: ut nobis in omnibus exemplū præberet & seorsim orādi, & gloriā declinandi.

Matt 9. Et factum est quodam die, & ipse docebat, erantq; pharisæi sedētes, ac legis docto-
Marci 2. res, qui uenerāt ex omni castello Galilææ, & Iudææ, & Hierusalē, & uirtus Dñi ade-
rat ad sanandum eos. Et ecce uiri portantes in lecto hominem qui erat paralyticus, et
quærebant eum inferre, & ponere ante illum. Et non inuenientes qua parte illum in
ferrent præ turba, ascenderunt supra tectum, ac per tegulas demiserunt eum cum le-
ctulo in medium ante Iesum. Quorum fidem ut uidit, dixit illi, Homo remittantur ti
bi peccata tua. Et cœperunt cogitare scribæ & pharisæi dicētes, Quis est is qui loqui-
tur blasphemias? Quis potest remittere peccata, nisi solus Deus? Vt cognouit au-
tem le-

A tem Iesus cogitationes eorum, respondens dixit ad illos, Quid cogitatis in cordibus uestris? Vtrum est facilius dicere, remittantur tibi peccata tua, an dicere, surge & ambula? Vt aũt sciatis q̃ filius hominis habeat potestatem in terra remittendi peccata, ait paralytico, Tibi dico, surge, tolle lectulũ tuum, & uade in domũ tuã. Isq̃ cõfestim surgens coram illis, tollebat in quo iacuerat, abijtq̃ in domũ suam, glorificãs Deum. Et stupor corripuit omnes, & glorificabant Deum, & repleti sunt timore, dicẽtes, Vidimus incredibilia hodie.] Oportebat Dominum rarius quoddam coram inimicis facere miraculum. proinde sanat hominem difficilimi morbi, ut sanando tantũ morbũ, sanaret & mirabilem pharisæorũ insaniam. Primùm igitur animam sanat, dicens, Remittantur tibi peccata: ut discamus multas infirmitates à peccatis nasci, deinde & corpus sanat, uisa afferentiũ fide. Sæpe em̃ alios propter aliorum seruat fidem. Porrò pharisæi dicunt, Cur ille loquitur blasphemias? Quis potest remittere peccata, nisi solus Deus? Hæc aũt dicunt mortis reum condemnantes. Lege enim statutum, ut blasphemans in Deum morte puniret. Dominus igit̃ monstrans eis se uerũ Deũ, & nõ arrogantia illud à se dictũ, alio signo illis suadet. Sciebat enim quid illi cogitarent. Vnde omnino liquidũ, eum esse Deum. Dei enim est uidere cor. propterea dixit, Quid uobis uidetur: facilius ne remittere peccatũ, uel sanare corpus? Omnino iuxta uestrã sentiã uidet facilius remittere peccata, ut obscurũ, & non reprehensibile, cuius difficilius sit: sanare aũt corpus, ut oculis conspicuũ, difficilius uidet̃, cuius natura facilius: attamen ego & hoc & illud faciam: & idcirco sanabo corpus, quæ res uobis difficilior uidetur, ut credibilẽ uobis faciã & animæ sanationẽ, quæ reuera difficilior est, quam uis uobis (quia non uidetur) facilis uideatur. Vide autem quod super terram remittãtur peccata. Quandiu enim super terram sumus, poterimus delere peccata nostra: at postquam è terra migrauerimus, non ultrà nobis ipsis poterimus per confessionem: clausa enim est ianua. Diximus de hac clausula in alijs Euangelistis uberius.

Leui. 24

2. Paral. 8

Animæ sanatio difficilior quàm corporis.

Et post hæc exijt ac uidit publicanũ nomine Leui sedentem ad telonium: & ait illi,
B Sequere me. Atq̃ is relictis omnibus surgens secutus est eum: & fecit ei conuiuiũ magnum Leui in domo sua: & erat turba multa publicanorum & aliorum qui cum illis accumbebant. Et murmurabant scribæ & pharisæi aduersus discipulos eius, dicẽtes, Quare cum publicanis & peccatoribus editis & bibitis? Et respondens Iesus dixit ad illos, Non egent qui sani sunt, medico, sed qui malè habent. Nõ ueni uocare iustos, sed peccatores ad pœnitentiam.] Matthæus nomen suum nõ tegit, sed clarè inuulgat, dicens, Vidit Matthæum publicanũ Iesus sedentem in telonio. Lucas uerò & Marcus honorantes Euangelistam, aliud eius nomen Leui in medium proponũt. Admirare autem Dei misericordiam, quomodo uasa maligni diripiat. Telones enim uas erat maligni, & mala bestia. Sciunt qui experti sunt, q̃ sint importuni exactores. Publicani enim sunt qui publica uectigalia emunt, quatenus inde damnosum suis animabus quid lucrentur. At non solum Matthæum tunc lucratus est, sed etiam alios publicanos cum quibus conuiuabatur, lucrari uolebat Dominus. Nam propterea & cõuiua illorum fit, ut etiam illos attrahat. Vide autem quid dicat pharisæis ipsum reprehendentib. Non ueni (inquit) uocare iustos, hoc est, uos, qui uosipsos iustificatis: sed peccatores ueni uocare, nõ ut in peccatis maneãt, sed ut pœnitentiã agãt. Vel aliter, Non ueni uocare iustos. nullos enim inuenio, quandoquidẽ omnes peccant. Quod si possibile esset inuenire iustos, nõ uenissem. Est autem publicanus omnis, qui mũdi domino seruit, & tributa carni dat. Gulosus uentri tributa dat cibos, scortator fœdũ congressum, & alius aliud. Cum igitur illum uiderit Dominus, hoc est euangelicus sermo, sedentẽ in telonio, hoc est non proficere, neq; procedere, neq; moueri ad maiorem malitiam, sed quasi ociosum, tunc resuscitabit à malo, & sequetur ille Iesum, & excipiet in domo animæ Dominum. Pharisæi autem arrogantes & dæmones abiecti (pharisæus em̃ dicit̃ qui ab alijs sequestratur) murmurãt q̃ cum peccatorib. comedit.

Cap. 9.

Cap. 2.

Publicanus quis.

Rom. 3.

Pharisæus.

At illi dixerunt ad eum, Quare discipuli Ioannis ieiunant frequenter, & obsecrationes faciũt, similiter & pharisæorũ: tui uerò edunt & bibunt? Quibus ipse ait, Num potestis facere ut filij thalami, dum cum illis est sponsus, ieiunẽt? uenient autẽ dies, & cum ablatus fuerit ab illis sponsus, tunc ieiunabunt in illis diebus. Dicebat aũt similitudinem ad illos, Nemo immissuram noui uestimenti immittit in uestimentum uetus: alio-

tus: alioquin & nouum rumpit, & ueteri non conuenit immissura ex nouo. Et nemo mittit uinum nouũ in utres ueteres, alioquin rumpet uinum nouum utres, & ipsum effundetur, & utres peribunt. Sed uinum mustum in utres nouos mittendum est, & utraq; conseruantur. Et nemo qui biberit uetus, statim uult nouum. dicit enim, Ve-

Cap. 9. tus melius est.] Diximus de his in Matthęo, & nunc dicemus succinctius. Apostolos uocat filios thalami. Aduẽtus enim Domini assimilatur nuptijs, eo q; Ecclesiã in spõsam duxerit. Proinde Apostolos ieiunare non oportebat: discipuli autem Ioannis debebant ieiunare, nimirum quia uirtutem magister illorum labore parabat. Veniteñ

Matt. 11. (inquit) Ioannes neq; comedens, neq; bibens. Discipuli autem mei qui mecũ agunt

Infertus 7 uti cum uerbo Dei, non indigent nunc ieiunij utilitate: quoniam ex mea conuersatione gratiam consecuti sunt, & per me custodiuntur. Vbi autem ego assumptus fuero, et ipsi ad prædicandũ missi fuerint, tunc & ieiunabunt, & orabunt, utpote ad magna certamina sese præparantes. Vel etiam aliter. Nunc cum infirmi sunt, & à spiritu sancto nondum innouati, ueteribus comparãtur utribus, & uestimento ueteri haud oportet illos grauiori uiuendi ratione grauari & onerari, sicut neq; ueteri uestimento noua addatur immissura. Potes sanè (ut dixi) per utres ueteres intelligere apostolos, utpote infirmos. Potes etiam pharisæos intelligere, qui utribus assimilantur: quasi diceret Dominus, Mea quidem doctrina, uinum est nouum: uos autem cum sitis utres ueteres, illud capere non potestis: sed uinum uetus bibentes, hoc est ueterẽ traditionem meam, quæ noua est, non uultis, sed dicitis, Vetus uinum, hoc est, uetus tastamentum, melius est.

CAPVT VI.

Matt. 12. Marci 2. ACcidit autem ut in sabbato secundoprimo transiret per sata, ac uellebant discipuli eius spicas, edebantq; confricantes manibus. Quidam autem pharisæorũ dicebant illis, Quid facitis quod non liceat facere in sabbatis? Et respondens Iesus ad

1. Reg. 21. eos dixit, Ne hoc quidem legistis quod fecit Dauid cum esurisset ipse, & qui cum illo erant? quomodo intrauit in domum Dei, et panes propositionis sumpsit, editq; ac de B dit etiam his qui secum erant: quos non licet edere nisi tantum sacerdotibus? Et dicebat illis, Dominus est filius hominis etiam sabbati.] Iudæi omne festum sabbatum nominabant. Sabbatum enim quies dicitur. Sæpe igitur occurrebat festum in parasceue, & uocabant parasceuen sabbatum propter festum: deinde quod propriè est sabbatum, nominabant secundoprimum, eo q; sequatur festum & sabbatum quod præcesserat. Contigit igitur tunc aliquid tale: & sabbatum illud uocabatur secundoprimũ. Atq; cum pharisæi discipulos carpebant q; in sabbato comedebant euellentes, hoc est aristas abstrahentes & confricantes, hoc est terentes manibus, adducit Dominus Dauid esurientem & comedentem panes propositionis, quos proponebant quotidie.

Sabbatũ Iudæi omne festum nominabant.

Panes propositionis Leuit. 28. Fugiens enim à Saul ueniebat ad Abiathar pontificem, & decepit eum quasi à rege missus esset in opus quoddam necessarium: & esurriens accepit à pontifice etiam panes propositionis, quorum duodecim quotidie super sacram mensam ponebant, sex à dextris, & sex à sinistris. Accepit autem & gladium Goliath. Hanc historiam dixit illis Dominus, & admonet eos à facto Dauid. Nam si Dauidem (inquit) honoratis, quomodo meos condemnatis discipulos? Vel aliter, Filius hominis, hoc est, ego Dominus sum sabbati, ut conditor & factor & legislator, potestatem habens soluẽdi sabbatum. Filius enim hominis nõ alius uocatus est quàm Christus, qui cum esset filius Dei, mirabiliter dignatus est filius hominis propter homines & fieri & uocari. Atq; ego & tu dicimur filius hominis, nihil noui. Illum autem dignum est uocari filium hominis, qui miro modo factus est homo.

Filius hominis.

Factum est autẽ in alio sabbato ut intraret in synagogã, ac doceret. Et erat ibi homo, & manus eius dextra erat arida. Obseruabant autẽ eum scribæ ac pharisæi an in sabbato sanaturus esset, ut inuenirẽt unde accusarẽt eum. Ipse uerò sciebat cogitationes eorũ, & ait homini qui habebat manũ aridam, Surge, & sta in medio. Et surgens stetit. Ait igitur ad illos Iesus: Interrogabo uos, utrũ licet sabbatis benefacere, an malefacere? animam seruare, an perdere? Et circunspectis omnibus dixit homini, Extende manum tuam. Ille autem fecit, & restituta est manus eius sana sicut altera. Ipsi autem repleti sunt amentia, & colloquebantur inter sese quidnam facerent Iesu.]

Quæ

A Quæ diximus in Matthæo, manifesta sunt: nunc autem hoc dicimus, quòd aridam manum habet, qui nulla uirtutum opera facit. Manus enim operandi organum est: cui aũt illa aresçit, is omnino ociosus est. Si quis igitur manum sanari uult in sabbato, illam sanctificet. Neq; eñ potest quis opera uirtutũ facere, nisi prius à malitia cesset. Declina enim (inquit) primò à malo, & tunc fac bonum. Itaq; quando sabbatum agis, hoc est, ociosus es ab operibus malis, tunc extendas manum ad opera uirtutum, & restituetur ipsa. Et meritò dixit, restituta est. Fuit enim quando humana natura habebat uim operandi bonum, ac manum, hoc est operandi efficaciam sanam: sed postea quàm perdita fuit, gratia Christi illam iterũ recepit, & ad priorẽ sanitatẽ restituta est. *Matt.12. psal.36.*

Factum est autem in illis diebus, exijt in montem ad orandum, eratq; pernoctans in deprecatione Dei. Et cum dies factus esset, uocauit discipulos suos, & elegit duodecim ex ipsis, quos & Apostolos nominauit: Simonem, quem & Petrum nominauit, & Andream fratrem eius, Iacobum & Ioannem, Philippum & Bartholomeum, Matthæum & Thomam, Iacobum Alphæi filium & Simonem qui uocatur Zelotes, Iudam Iacobi & Iudam Iscariotem, qui idem fuit proditor. Et descendens cum illis stetit in loco campestri, turbaq; discipulorum eius, & multitudo copiosa plebis ex omni Iudæa & Hierusalem, & à maritima Tyro & Sidone: qui uenerant ut audirent eum, & sanarentur à morbis suis: & qui uexabantur à spiritibus immundis & sanabãtur. Et omnis turba quærebat eum tangere, quia uirtus ab illo exibat & sanabat omnes.] Dñs docet nos ut opera sua imitemur, & sicut ipse fecit, ita & nos faciamus. Ecce oraturus erat, & ascẽdit in montem. Etenim oportet etiam nos à negocijs ociosos orare, & non in medio multorum, sed pernoctantes, ne statim ut cœperimus cessemus. Post orationem autem elegit discipulos, ut doceat etiam nos quando quempiam in spirituale ministerium sumus ordinaturi, cum precibus hoc faciamus, ut doctis à Deo & ab illo petentib. reuelet quis idoneus sit. Assumpsit ergo duodecim, descenditq; cum illis de monte, ut eos qui ex urbibus uenerant, sanet, & geminis beneficijs prosequatur, in anima scilicet ac corpore. Audi enim quid dicat, Venerunt ut audirẽt eum, q̃d ad animæ curam pertinebat: & sanarentur à morbis suis, hoc de corporibus dicit. Etenim uirtus ab illo egrediebatur, & sanabat omnes. Nã prophetæ et alij sancti non habebant uirtutem à se egredientem. Nõ eñ fuerunt ipsi fontes uirtutum. At Dominus habuit uirtutem à se egredientem, quandoquidem ipse fons uirtutum. Et ita prophetæ ac sancti uirtutem suam supernè acceperunt. *Matt.10. Ioan.13. Pernoctandum in oratione.*

B Et ipse attollens oculos suos in discipulos dicebat: Beati pauperes, quia uestrum est regnũ Dei. Beati qui esuritis nunc, quia saturabimini. Beati qui fletis nũc, quia ridebitis. Beati eritis cum uos oderint homines, & separauerint uos, & exprobrauerint, & eiecerint nomẽ uestrum tanq̃ malum propter filium hominis. Gaudete in illo die & exultate: ecce enim merces uestra multa est in cœlis. secundum hęc eñ faciebant prophetis patres eorum. Veruntamen uæ uobis diuitibus, qui habetis cõsolationem uestram. Vę uobis qui saturati estis, quia esurietis. Væ uobis qui ridetis nunc, quia lugebitis & flebitis. Vę cum laudauerint uos omnes homines, secundnm hæc enim faciebant pseudoprophetis patres eorum.] Postq̃ ordinauit discipulos, per beatitudines & doctrinas in ordinem magis spiritualem inducit ac componit. Nam ad illos se uertens sermonem facit. Et primùm beatos dicit pauperes, siue humiles intelligere uoluerit, siue à pecuniæ cupiditate alienos. Et omnes beatitudines simpliciter frugalitatem nos docent ac humilitatem, & contemptum ac opprobria ferenda: quemadmodũ & uæ dirigit in diuites huius seculi, quos & consolationem habere dicit, hoc est, hic in præsenti seculo lætitiã accipere, & ridere, & in delicijs ac laudibus claros uiuere. Horreamus fratres, quia uæ habent qui ab hominibus laudantur. Decet quidem ut & ab hominibus laudemur, sed prius à Deo. *Matth.5. Amos 9. Eccl.31.*

Sed uobis dico qui auditis, Diligite inimicos uestros, benefacite his qui uos oderũt. Benedicite maledicentibus uobis, & orate pro calumniantibus uos. Percutienti te in maxillam, præbe & alterã: & ab eo qui aufert tibi pallium, etiam noli tunicam prohibere. Omni aũt exigenti abs te, tribue: & ab eo qui aufert quæ tua sunt, ne reposcas: & prout uultis ut faciant uobis homines, uos quoq; facite illis similiter. Et si diligitis eos qui uos diligunt quæ uobis est gratia? Nam & peccatores eos à quibus diligunt̃, diligunt. Et si benefeceritis his qui uobis benefaciunt, quæ uobis est gratia? Siquidẽ

& peccatores hoc faciunt. Et si mutuũ dederitis his à quibus speratis uos recepturos, quæ gratia est uobis? Nã & peccatores peccatoribus dant mutuum, ut reciptant paria. Quinimo diligite inimicos uestros, & benefacite, & mutuũ date, nihil inde sperãtes: & erit merces uestra multa, & eritis filij altissimi: quia ipse benignus est erga ingratos & malos. Estote ergo misericordes, sicut & pater uester misericors est.] Quoniã Apostoli ad prędicandũ mittendi erãt, & expectabant multi persecutores & insidiatores: si igit apostoli in persecutione sua dolentes, ad uindicandũ eos q se offenderant, cõuersi fuissent, siluissentq & nõ docuissent, extinctus utiq fuisset sol euangelij: propterea Dñs anticipãs admonet discipulos ne uindictã de inimicis sumant, sed omnia quæ eueniunt, fortiter ferãt, quãuis quidã iniuria afficiant, quamuis irreligiose insidient, sicut & ipse in cruce faciebat, dicens, Pater dimitte eis, nesciunt em quid faciunt. Deinde ne apostoli dicere possint impossibile esse pręceptũ diligẽdi inimicos, dicit, Quod tibi uis fieri, hoc & alijs, facito: & esto talis alijs, quales alios tibi esse uis. Si quidem duros & incompatiẽtes & iracundos uolueris esse tibi inimicos, esto & tu talis, sin illos uolueris esse bonos, & cõpatientes, & iniuriarum immemores, ne impossibile credas esse q & tu talis fias. Vides legem naturalem in cordibus nostris inscriptam? Sic & Dñs dixit, In diebus illis dabo leges meas in mentẽ illorũ, & in corda illorũ inscribam eas. Postea & alia necessitate nos urget, Si diligitis eos qui uobis bene faciunt, similes estis peccatoribus & gentilibus. Sin diligitis eos qui uobis malefaciũt, similes estis Deo, qui est bonus ingratis & malis. Vtrum igitur Deo uel peccatoribus similes fieri uultis? Vides diuinam doctrinam? Primùm à naturali lege te docuit. Nã quod tu tibi uis fieri, hoc etiam alteri fac. Deinde & à fine ac mercede. mercedem enim pollicetur uobis, quòd similes fiatis Deo.

Exod. 22.

Non sumẽda uindicta.

Inf. 23.

Lex naturæ cordibus inscripta hominum.

Hiere. 31.

Nolite iudicare, & non iudicabimini. Nolite condemnare, & non condemnabimini. Remittite, & remittetur uobis. Date, & dabitur uobis. Mensuram bonam & confertam & concussam atq exundantem dabunt in sinum uestrum. Eadem quippe mẽsura qua metimini, metient alij uobis. Dicebat autem illis similitudinem. Nunquid potest cæcus cæcum ducere? nonne ambo in foueam cadunt? Non est discipulus supra magistrũ suũ. perfectus aũt omnis erit, sicut magister ipsius.] Omnem morbum difficilem ab animabus nostris amouet Dñs: radicem dico superbiæ. Nam qui seipsum non considerat, & solum attendit res proximi, illasq taxare uult, certum quòd superbia capitur, & obliuiscitur sui. Omnino enim de se q non peccet sentit, & propterea alios peccantes reprehendit. Igitur si uis incondemnatus esse, ne condemnes alios. Dic enim quæso, quare condemnas alium ut prævaricantem diuinas leges? An non & tu prævaricaris diuinam legem? Vt taceam de alijs peccatis, certè in illo ipso q alios iudicas, peccas. Etenim diuina lex præcipit tibi ne iudices fratrem. Et ita etiã tu prævaricaris legem. Et cum prævaricator es, non debes iudicare alium ut prævaricatorem. Iudicem enim superiorem esse oportet natura peccante. Remitte igitur, & remittetur tibi: da, & dabitur tibi. Mensuram enim bonam, confertam & concussam & exũdantem dabunt in sinum uestrum. Non enim parcè remetietur Dominus, sed opulentè. Sicut igitur mensurus farinam accumulas, concutis, exundareq facis, si quidem absq parsimonia metiri uis: ita & Dominus mensuram magnam & exundantem dabit tibi. Hic fortè acutior quispiã quæsierit, quomodo postq dixit, qua mẽsura metimini, metientur uobis & alij, iterum dicit q mẽsura exundet? Si enim exundet, quomodo mensura hæc eadem est? Dicimus itaque non esse dictum quòd tanta mensura metientur uobis & alij, sed eadem. siquidem dixisset tanta mensura, tunc non defuisset difficultas & contrarietas sermoni. nunc autem cum eadem dixerit, soluit contrarietatẽ. Licet enim dare eadem mensura, sed nõ tanta. Hoc igitur dicit Dominus, Si benefeceris, benefiet tibi. Hoc enim est eadem mensura. Exundãtem autem dicit, q cum semel benefeceris, innumeris modis tibi benefiet. Idem est etiam in condemnatione. Qui enim condemnat & deinde condemnatur, eadem mẽsura recipit: quatenus autem amplius condemnatur q similem condemnarit, in hoc in hoc exundans est mensura. Hæc autem dixit Dñs à condemnatione nos prohibens. Dicit autem & parabolam nobis, hoc est exemplum. Dic enim quæso, inquit, nónne alterum iudicans, & ipse eadem peccans, comparatus es cæco cæcum ducenti? Nam si alium condemnas, & ipse in eadem incidis peccata, uterq cæci estis: & uideris

Matth. 7.

Superbia malorũ radix.

Rom. 2.

A deris quidem illi dux esse ad bonum, eo q; condemnas: non es autem dux. Quomodo em̄ ille à te ad bonum inducetur, cum & tu labaris? Non est em̄ discipulus sup̄ magistrum. Si igitur tu qui uideris esse magister & dux, laberis: omnibus modis cadet etiam qui docetur ac ducitur. Elaboratus enim discipulus, hoc est perfectus, erit sicut magister eius. Hæc dicit etiam ut ne condemnētur hi qui sunt inferiores nobis, si uideantur peccare. Subdit quoq; & aliud eiusdem argumenti. *Ioann. 13.*

Quid aūt uides festucam in oculo fratris tui, trabem autem quæ in oculo proprio est, non animaduertis? Aut quomodo potes dicere fratri tuo: frater, sine eiiciam festucam quæ in oculo tuo est: ipse in oculo tuo trabē nō uidens? Hypocrita, eiice primū trabem ex oculo tuo, & tunc perspicies ut eiicias festucam quę est in oculo fratris tui. Non est enim arbor bona quæ facit fructum malū: neq; arbor mala faciens fructum bonū. Vnaquæq; em̄ arbor ex fructu suo agnoscitur. Neq; em̄ è spinis colligūt ficus, neq; è rubo uindemiant uuam. Bonus homo ex bono thesauro cordis sui, pfert bonum, & malus homo ex malo thesauro cordis sui profert malum. Ex abundantia em̄ cordis loquitur os eius.] Quid aūt uides, inquit, festucā, hoc est paruum peccatū fratris tui, trabem aūt magnum peccatum tuum nō aduertis? Hoc aūt omnibus dici potest, & maximè doctoribus & principibus, qui subditorum peccata quamuis parua puniūt: sua aūt etiam maxima impunita sinunt. Idcirco illos & hypocritas uocat Dominus. Sunt alij quidē apparentes, dum aliorum peccata puniunt: in hoc em̄ iusti apparent. Alij autem sunt ex eo q; & ipsi grauius peccent. Postea etiam & exemplo cōfirmat sermonem suum. Sicut, inquit, nō est arbor bona quæ facit fructum putrē, neque arbor putris quæ facit fructum bonum: ita & qui alios castigare & corrigere, & ad bonum transferre attentat, nō fuerit malus: si aūt malus fuerit, alios non faciet meliores. Vniuscuiusq; enim cor thesaurus est: & si quidem bona habeat, etiā homo bonus est, & bona loquitur: sin uerò malis cor plenum fuerit, etiam homo malus est, & B mala loquit̄. Potes autem hæc & de pharisæis sic intelligere. Ad illos em̄ sermonem dirigens inquit, Eijce primùm trabem ex oculo tuo, & tunc festucam quę est in oculo fratris tui: sicut etiam alibi dicit, Camelum glutientes, & culicem excolantes. Quo modo igitur uos pharisæi q estis arbores putres, poteritis fructus bonos afferre? Vester enim sermo semper putris est, sicut & uita. Loquimini em̄ ex abundātia cordis. Quomodo igit̄ alios corrigetis, & aliorum peccata punietis, ipsi grauius peccantes? *Matth. 12.* *Matth. 23.*

Quid aūt uocatis me Dn̄e, Domine, & nō facitis quæ dico? Quisquis uenit ad me, & audit sermones meos, & facit eos, ostendam uobis cui similis sit: Similis est homini ædificanti domum, qui fodit in altum, & posuit fundamentum super petrā. Inundatione autem facta illisum est flumen domui illi, & nō potuit eam mouere, fundata enim erat super petram. Qui autē audiuit, & non fecit, similis est homini qui ædificauit domum suam super terram absq; fundamēto, in quā illisus est fluuius, & cōtinuò cecidit, & facta est ruina domus illius magna.] Et hoc necessariò nobis dicitur, qui ore quidem Christum confitemur, opere autem negamus. Si enim Dominus sum, inquit, omnino uestrum est facere ea quæ sunt seruorum. Serui enim opus est rectè facere §d dominus imperat. Deinde dicit nobis quid lucretur se audiens, & non solū audiens, sed & faciens. Similis est enim homini ędificanti, qui ædificauit super petrā. Petra igitur est Christus, sicut apostolus testatur. Fodit autem in profundum, qui nō superficialiter sermones scripturæ accipit, sed scrutatur profunda illarum in spiritu. Talis igitur & supra petram fundat, & deinde facta tempestate, hoc est persecutione uel tentatione, illidit flumen domui illi tentator, siue dæmon, siue homo, & non ualet mouere illam. Flumini sanè tentans ille homo confertur, & ualde meritò. Sicut enim flumen inundare facit aqua quæ supernè decidit, ita & tentantem illum hominem satanas, qui è supernis cecidit, crescere facit. Domus aūt eorū q non faciunt sermonem Dn̄i cadit, & fit ruina domus illius magna. Magna em̄ ruina est eorū qui audiunt & nō faciunt. Nam qui non audit, & nō facit, non tam grauiter cadit. qui autē audit & non facit, grauius peccat. *Tit. 1.* *1. Cor. 10.*

CAPVT VII.

QVum aūt cōsummasset omnia uerba sua audiēte populo, intrauit Capernaū. Centurionis autem cuiusdam seruus malè habens agebat animam, qui illi erat charus. Cum audisset autem de Iesu, misit ad eum seniores Iudæorum, rogans eū

ut ueniret & seruaret seruum suum. At illi cum uenissent ad Iesum, rogabāt eum stu A
diosè, dicentes, Dignus est ut hoc illi præstes: diligit enim gentem nostram, & synago
gam ipse ædificauit nobis. Iesus aūt ibat cum illis. Et cum iam non longè abesset à do
mo, misit ad eum Centurio amicos, dicens ei, Domine, noli uexari: non enim sum di
gnus ut sub tectum meum intres. quapropter nec dignum meipsum arbitratus sum,
ut uenirem ad te: sed dic uerbo & sanabitur puer meus. Nam & ego homo sum sub
potestate constitutus, habens sub me milites, & dico huic, uade, & uadit: & alteri, ue
ni, & uenit: & seruo meo, fac hoc, & facit. Auditis autem his Iesus miratus est eum, &
conuersus sequenti se turbæ dixit, Dico uobis, ne in Israel quidem tantam fidem in
ueni. Et reuersi qui missi fuerant, in domum, inuenerunt seruum qui langueraṭ, sa-
Matth. 8. num.] Idem est hic cum illo quē Matthæus ponit, etiamsi non dicat Matthæus q̄ misē
rit Iudæos rogans & orans illum. Verisimile enim est q̄ primùm miserit Iudæos, de-
inde etiam ipse uenerit. Quod igitur prætermisit Matthæus, hoc dicit Lucas. Fortas-
sis & Iudęi inuidia tabescentes non permiserunt Centurionem ad pedes Iesu uenire.
fuisset enim hoc in gloriam Iesu. Denique ipse ūrgente necessitate accessit ad Iesum.
sed fortè iterum quis interrogarit, Quomodo igitur Matthæus dicit q̄ ille propria uo
ce obsecrarit ut ueniret Iesus, Lucas uerò hoc loco dicit q̄ amici obsecrarint eū ne ue-
niat: Dicendum itaq̄ quòd nihil nouum etiam alios mittere, & per se uenire, & dice-
re ac deprecari ne ueniat. Digna enim uiri fides est quam admiremur, indignū se uo-
cantis aduentu Iesu. Idcirco & Dominus dicit quòd neq̄ in Israelitico populo tantā
fidem inuenerit. Gentilis enim erat Centurio, forsitan ex Romanorum cohortibus.
Centurio quoq̄ omnis mens est quæ præest multis in malitia, cui per uitā multa sunt
negocia, & habet seruum ægrotantem, partem animæ rationis expertem, iram dico
& concupiscentiam. ordinata enim sunt hæc ut seruiant. & accersit Iesum mittitq̄ ad
illum intercessores Iudæos, hoc est cogitationes & uerba confessionis. Iudas enim in
Iudas. terpretatur confessio. Nónne enim confessionis & humilitatis uerba sunt, Non sum
dignus ut ingrediaris sub tectum meum, &c: Itaq̄ cum hæc crediderit in Iesum, sa- B
tim recipit seruum suum sanum, iram dico & concupiscentiam.

Et factū est, deinceps ibat in ciuitatē quę uocat Nain: & ibant cum eo discipuli eius
multi, turbaq̄ copiosa. Cum autē appropinquaret portæ ciuitatis, ecce defunctus effe
rebatur filius unicus matri suæ, & hæc uidua erat: & turba ciuitatis multa cū illa. Quā
cum uidisset Dominus, misericordia motus super eam, dixit illi, Noli flere. Et acces-
sit tetigitq̄ loculum. Porrò qui portabāt substiterunt. Et ait, Adolescens, tibi dico, sur
ge. Et resedit qui erat mortuus, & cœpit loqui, & dedit illum matri suæ. Accepit aūt
omnes timor, & glorificabant Deū dicentes, Propheta magnus surrexit inter nos, &
Deus uisitauit plebem suam.] Postq̄ Centurionis seruum etiam abiens sanauit, aliud
rarius facit miraculum, ut ne quis dicat, Et quid noui in hoc seruo contigit: Fortasis
alioquí nō fuisset mortuus, ꝓpterea mortuum illum qui efferebatur, suscitat. Non so
lum autem uerbo facit miraculum, sed & loculum tangit: ut discamus q̄ corpus eius
Caro Chri- corpus uiuificum sit. Quoniam enim caro eius facta est, ꝓpria uerbi omnia uiuifican
sti uiuifica. tis, ꝓpterea uiuifica est & ipsa, tollitq̄ mortem, & corruptionem. Porrò resedit mor-
tuus, & cœpit loqui, ut ne apparenter tantum quibusdā suscitatus uideat. Nam uerę
resurrectionis signum fuit, residere & loqui. Inanimatum enim corpus neq̄ residere,
Matth. 22. neq̄ loqui potest. Viduam autē intelligas & animā, quæ uirum suum, uerbum Dei,
qui bonum seminat semen, amisit: filius uerò eius, mens mortua est, & effertur extra
supernā ciuitatē Hierusalē. regio eñ uiuentium illa est. Proinde Dñs misericordia mo
tus tangit loculum. loculus mētis est corpus. Sepulchrum enim & loculus corpus est.
σῶμα cor- unde & Græci corpus σῶμα uocant, quasi σῆμα, hoc est sepulchrum. Tacto autē cor-
pus. pore Dñs suscitat mentem, iuuenem & fortem illam faciens, quæ residet, & ut suscita
ta fuerit à sepulchro peccati, incipit loqui, hoc est, docere alios. Quandiu enim in pec
cato detinetur, non audet docere & loqui. quis enim ei crederet?

Matth. 11. Et exijt hic rumor in uniuersam Iudæam de eo, & omnē finitimam regionē. Et nun
ciauerunt Ioāni discipuli ipsius de his omnibus. Et conuocauit duos de discipulis suis
Ioannes, misitq̄ ad Iesum dicens, Tu es qui uenturus es, an alium expectamus: Cum
autem uenissent ad eum uiri, dixerunt, Ioannes Baptista misit nos ad te, dicens, Tu
es ille

A es ille qui uẽturus est, an aliũ expectamus? In eadẽ aũt hora multos curauit à morbis
ac plagis, & spiritibus malis, & cæcis multis donauit uisum. Et respondens dixit illis,
Euntes renũciate Ioanni quæ uidistis & audistis, q̃ cæci uideant, claudi ambulent, le
prosi mundẽtur, surdi audiãt, mortui resurgant, pauperibus annunciet euangelium:
& beatus est quicunq; non fuerit offensus per me. Et cum discessissent nuncij Ioan-
nis, cœpit de Ioanne dicere ad turbas, Quid existis in desertũ ut uideretis? arundinẽ
quæ uentõ agitatur? Sed quid existis uisuri? hominẽ mollibus uestimentis indutum?
Ecce qui uestitu splendido uestiuntur, & in delicijs agunt, in aulis regum sunt. Sed
quid existis ad uidendum? prophetam? Vtiq; dico uobis, & plus q̃ prophetã. Hic est
de quo scriptum est, Ecce mitto angelum meum ante faciẽ tuam, qui præparabit uiã *Malac. 3*
tuam ante te. Dico enim uobis, Maior inter natos mulierum propheta Ioanne Bapti
sta nemo est: attamen qui minor est in regno Dei, maior est illo. Et omnis populus au
diens, & publicani, iustificauerũt Deum, baptizati baptismo Ioannis. pharisæi aũt &
legisperiti cõsiliũ Dei spreuerunt aduersus semetipsos, nõ baptizati ab eo. Increbuit
per totam Iudæam & finitimam regionem miraculum quod in Nain factum, audi-
tum etiã est à discipulis Ioannis, quos grauabant laudes Christi, utpote imperfectos.
Itaq; Ioannes uolens eis demonstrare magnitudinem Christi, & quantum se præcel-
leret, rem hanc comminiscitur, & nihil quidem dicit discipulis de Christo definiens,
sed simulans sese ignorantem, mittit illos, ut uisis miraculis confirmentur in fide ex o-
peribus ipsis, Dominum esse Christum, & seruum Ioannem. Ne igitur credas q̃ Ioã *Ioãnes cur*
nes uerè ignorans miserit ad Christum discipulos interrogantes. Quomodo eñ cum *miserit in-*
& ante natiuitatem in utero matris exultarit agnoscens illum, & in Iordane testifica *terrogatũ,*
tus sit eum esse filium Dei? Mittit igitur discipulos, dicens eis ut interrogent Iesum, *Tu es qui*
Tu es ille uenturus? Vides quomodo discipulos inducat ut credant q̃ Deus sit Iesus. *uenturus,*
Prophetæ enim missi dicuntur, & ipse Ioannes, sicut testatur euangelista, fuit homo *&c.*
missus à Deo: Dominus uerò uenturus. In potestate enim uenit, non inuitus. Tu igi *Suprà 1.*
B tur, dicit, es qui expectabatur ut ueniret in mundum? Quidam autem uenturum in *Ioann. 1.*
infernum intelligunt, ut q̃d dicitur, hunc sensum habeat, Tu es qui uenturus es ad in-
fernum? Quid igitur Dñs? Sciens scopum & mentem Ioannis quare misisset illos, ut
uiderent quæ faceret, & ex illis confirmarentur, propterea ad se missis dicit, Renun-
ciate quę uidetis. Deinde enumerat miraculorum opera, quæ & per prophetas annũ
ciata fuerant. Nam q̃ cæci uident, & claudi ambulant, & pauperibus annunciatur e-
uangelium, in Esaia scriptum est. Deinde dicit, Et beatus qui nõ offensus fuerit in me, *Esaiæ 35.*
quasi ita dicens eis, Et uos beati, si nõ fueritis offensi in me. Quoniam autem ueris imi
mile erat multos fuisse offensos in Ioanne, qui tantum testimonium perhibuisset de
Christo, & nunc misisset illos ad rogãdum num esset uenturus ille, propterea dicit tur
bis Christus, Ne quid tale suspicemini de Ioanne. Neq; enim arundo est, quæ nunc
huc, nunc illuc, moueatur, & nunc quidẽ testificetur de me, nunc autem ignoret me.
Nam si fuisset talis, cuius gratia exiuisse tis in desertum ut uideretis eum? Sed neq; ani
mum suum delicijs corrupit. uestis enim eius declarat delicijs eum superiorem esse.
Etenim si arrisissent ei delicíæ, in palatijs uixisset. Sed prophetam illum dicitis. Vti-
que dico uobis, maior est propheta. Nam alij de Christo tantum prædixerunt, hic e-
tiam & uidit, & monstrauit dicens, Ecce agnus ille Dei. Et alij quidẽ, pphetæ, ppheti
zarunt postq̃ egressi ex uteris matrũ: hic autẽ anteq̃ exiret de utero, agnouit Domi-
num, & exultauit. Posthęc affert & prophetã testẽ. dicit enim, Hic est de quo scriptum *Malac. 3.*
est, Ecce mitto angelum meum. Angelus enim Ioannes fuit, fortasis q̃ angelicam ui
tam & nõ carnalem, sed spiritualem egerit, fortasis etiam q̃ aduentũ saluatoris nun
ciarit. Amẽ dico uobis, non surrexit inter natos mulierum maior Ioanne. Præfert a-
lijs omnibus præcursorẽ. Deinde quasi quis dixisset, an & te maior ille est? subdit, E-
go autẽ qui minor illo sum, maior sum in regno cœlorum. Habeor eñ nunc minor il
lo propter ætatem, & propter genus, & propter gloriam, sed in regno cœlorum ma-
ior illo sum, hoc est in omnibus diuinis & spiritualibus. Proinde omnis populus qui
audierat Ioãnem, iustificauit Deum, hoc est honorauerunt Deum, eo q̃ prophetã e-
ius ipsi suscepissent: pharisæi autem nõ honorauerunt Deum, non suscepto Ioanne.
Quidẽ autem, inter filios mulierum, sic intellexerunt, q̃ bene dixerit mulierum. ita

Universidad de Deusto
Biblioteca

enim excepit seipsum, quandoquidem de uirgine fuerit natus, non de muliere ul- 1
rum experta. Et quod dicit, minor in regno cælorum, aliter intellexerunt. Minor in
uita Christiana, maior est iusto iuxta legem, ut Ioannes iuxta iusticiam legis erat ir-
reprehensibilis. Si quis autem inueniatur baptizatus quidem, nondum autem ma-
lum quoddã uel bonum operatus fuerit, hic minimus est in regno cœlorum, hoc est
in prædicatione Christi, attamen maior est non baptizato, quamuis ille in lege iustus
fuerit. Vel aliter, Sis licet minimè carnalis, sed fermè ut Ioannes spiritualis: attamen
quandoquidem adhuc in carne es, propterea minimus in resurrexione, quam re-
gnum cœlorum esse dicit, maior te est. Tunc enim ab incorruptione omni liberi, nõ
ultrà iuxta carnem ambulabimus. Et qui tunc paruus, maior est eo qui nunc quidem
est iustus, sed carnem adhuc gestat.

Inter filios mulierũ, quomodo à quibusdam sit intellectum.

Aít autem Dñs, Cui ergo similes dicam homines generationis huius? & cui similes
sunt? Similes sunt pueris sedentibus in foro, & acclamantibus inter se, ac dicentibus,
Cantauimus uobis tibijs, & non saltastis: cecinimus uobis lugubria, & nõ ploraſtis,
Venit enim Ioannes Baptista neq; edens panem, neq; bibens uinum, & dicitis, dæmo
nium habet. Venit filius hominis edens ac bibens, & dicitis, Ecce homo edax, & ui-
ni potor, amicus publicanorum ac peccatorum. Et iustificata est sapientia à filijs suis
omnibus.] Erat quoddam ludi genus apud Iudæos. In partes enim duas pueri multi
diuidebantur, & quasi uitam deridebant, alij ex una parte lamentabantur: alij ex alte
ra tibijs canebant: & neq; lugentes curabãt hi qui ex altera parte: neq; tibicines ipsos
curabant hi qui lugebant. Taxat igitur Dominus pharisæos, qui neq; lugebant cum Io
anne lugubrem uitam agẽte, & pœnitentiam introducente, neq; eum imitabantur, ne-
que obtemperabant Iesu: uitam præ se ferenti ciuiliorem: sed ambos repellebant, nec
lugentes cum Ioanne lugente, neq; concinentes cum Iesu tibijs canente, hoc est re-
missiore. Et iustificata est sapientia, hoc est honorata, non à pharisæis, sed à filijs suis,
id est, his qui susceperunt Iesum & Ioannem.

Matt. 11. Malach. 3

Rogabat aũt illum quidam è pharisæis ut caperet cibũ cum ipso. Et ingressus domũ 2
pharisæi accubuit: & ecce mulier quę fuerat in ciuitate peccatrix, ut cognouit q̃ Iesus
accubuisset in domo pharisæi, attulit alabastrum unguenti, stansq; ad pedes eius à ter
go flens lachrimis cœpit rigare pedes eius, & capillis capitis sui extergebat, & deosculabatur pedes eius, & unguento ungebat. Videns autem pharisæus qui uocauerat e-
um, ait intra se dicens, Hic si esset propheta, sciret utiq; quæ & qualis est mulier quæ
tangit ipsum, quia peccatrix est. Et respõdens Iesus dixit ad illum: Simõ, habeo quid-
dam quod tibi dicam. At ille ait, Magister dic. Duo debitores erãt cuidam creditori.
unus debebat denarios quingentos, & alter quinquaginta. cum autem illi non essent
soluendo, condonauit utrisq;. horum igitur dic uter eum plus diliget? Respondens
Simon dixit, Existimo quòd is cui plus condonauit. At ille dixit ei, Recte iudicasti.]
Videtur hic pharisæus non rectam habuisse sententiam, sed dolosus fuisse, & hypo-
crisi plenus. Dicit igitur: Si esset hic propheta, & ita non credidit, quia hæc loquebatur. Dominus tamen quamuis sciret eum non esse candidum, ingressus est ad eum,
& comedit cum eo, docens per hoc nos omnino quòd nos simplices exhibeamus er
ga eos qui dolose nobis agunt. Quærunt autem multi quot fuerint mulieres quæ un-
xerint Dominum unguento. Et alij quidem dicunt quòd duæ fuerunt, una scilicet a-
pud Ioannem, quæ fuit soror Lazari, & alia apud Matthæum & Marcum, & nunc a-
pud Lucam. Ego autem credo his qui dicunt tres esse, unam quidam apud Ioannem
ante sex dies paschæ, quæ & soror fuit Lazari: aliam autem apud Matthæum & Mar
cum ante duos dies paschæ, & tertiã hanc de qua nunc Lucas, quæ in media euange-
lij prædicatione Dominum unxit. Neq; mirum est quòd hæc ante passionem hoc fe
cerit, & inde illæ uel ad huius imitationem, siue alia de causa circiter passionem idem
fecerint. Quamuis autem & is qui apud Matthæum cõmemoratur, & cuius nunc fit
mentio, eodẽ Simonis nomine uocentur, haud mirũ fuerit. Sæpe enim multi idem no
men sortiuntur. At ille fuit leprosus, sed hic nõ. Et ille quidem sanatus à lepra in gratia-
rum actionẽ uocauit Dñm, hic autẽ neq; leprosus, neq; gratias referens. Et ille qui-
dẽ nihil dicit: hic aũt obmurmurauit, & condẽnauit in hoc tam Iesum q̃ mulierẽ: hãc
ut peccatricem, illum ut misericordẽ. O arrogãtiam. Vere pharisæus homo. Sed Do-
minus

Ioan. 12. 11. Matt. 26. Marc. 14

Tres sunt Mariæ ungentes dominum.

A minus rogans illū in parabolis, in medium pducit debitores duos, latenterq; & illum debitorem esse insinuat. Et parum quidem debere uidebatur, debebat igitur. Itaq; neque tu potes dare etiam minus debitum: non enim habes confessionem superbia inflatus: neq; mulier. Vtrisq; igitur remittet. Et uter plus diliget? Omnino cui multa demissa sunt. Et cum hæc dixisset, obmutescere fecit arrogantem.

Et conuersus ad mulierem, dixit Simoni, Vides hanc mulierem? Intraui in domum tuam: aquam pedibus meis non dedisti: hæc autem lachrimis rigauit pedes meos, & capillis capitis sui extersit. Osculum mihi non dedisti, hæc autem ex quo intraui, non cessauit deosculari pedes meos. Oleo caput meum non unxisti, hæc autem unguento unxit pedes meos. Propter quod dico tibi, Remittantur peccata eius multa, quoniam dilexit multum. Cui autem minus remittitur, is minus diligit. Dixit autem ad illam, Remittantur tibi peccata. Et cœperunt qui simul accumbebant, dicere intra se, Quis est hic, qui etiam peccata remittit? Dixit autem ad mulierem, Fides tua saluam te fecit, uade in pace.] Ostendit Dominus Simonem & arrogantem & insipientem fuisse. Arrogantem quidem ac contumelioſum, quandoquidem etiam ipse homo existens, hominem propter peccata condemnabat. Insipientem uerò, si quidem non intellexerit, quòd mulierem quæ tantæ fidei & charitatis signa præstitisset, oporteret iuscipere, non repellere. Idcirco reprehendit eum Dñs, utpote condemnantem eam quæ tanta fecit, quanta nec ipse: immo nec longè inferiora fecit Simon, quasi diceret, Tu quidem neque aquam ad abluendum † puluerem pedum, proposuisti, illa autem lachrymis rigauit. Tu faciem meam non es deosculatus, illa & pedes meos deosculata est. Tu item neque oleum, illa uerò unguentum effudit. Vnde quia dixisti quòd non sum propheta, ex eo quòd non cognouerim hanc esse peccatricem, ecce reprehendo ea quæ in corde tuo, ut cognoscas quòd sicut occulta tua scio, multo magis illa sciam, quæ & multi alij sciunt. Remittantur igitur peccata illi, quia dilexit multum, hoc est magnam præ se tulit fidem. Deniq; & qui simul accubuerant, etiam ipsi obmurmurant, non cogitantes, quod iam ad Simonem dixerat, uerisimiliter dictū & ad ipsos. Dominus uerò comprimens murmur illorum, & ostendere uolens quòd sua quemq; fides salutem faciat, non dixit, Vade mulier ego te seruo, ut ne maiori inuidia capiantur: sed, fides tua. Hoc dixit, ut dicebam, tum quò inuidiam illorum minueret, tum ut & illos ad credendum induceret, discentes salutem ex fide esse. Cæterū quod inquit, Vade in pace, hoc est in iustitiam. pax enim iustitia est, sicut peccatum inimicitiæ cum Deo. Vide autem quòd postquam remisit ei peccata, non contentus est remisisse peccata, nisi adiecisset & operationem boni, Vade in pace, id est, fac ea quæ te Deo consilient.

† pedes, quod uulgare est.

Esaiæ 5.

B

Dilectio pro maxima fide.

CAPVT VIII.

ET factū est deinceps, & ipse iter faciebat per singulas ciuitates & castella prædicans & annuncians regnū Dei, & duodecim cū illo, simulq; mulieres aliquæ, quę erant sanatæ à spiritibus malis, & infirmitatibus: Maria quæ uocatur Magdalene, de qua septē dæmonia exierāt, & Ioanna uxor Chuzæ procuratoris Herodis, & Susanna, & aliæ multæ quæ ministrabāt eis de facultatib. suis.] Qui cælitus descēderat ut figura & exēplar fieret nobis in omnib. docet nos ne pigri simus ad docendū, sed circūeamus p omnia loca, & prædicemus. Quæcūq; enim fecit, in admonitionē nostri fecit. Trāsijt itaq; per singulas ciuitates & castella, duodecimq; discipulos cohibuit ne docèrēt uel prædicarēt, ut discerēt à se & postea docerēt tam ea quæ docuerat, q̄ quæ fecerat. Porrò prædicauit Dñs nō bona terrena, sed regnū cœlorū. Et quē aliū decuisset p̄dicare superna, q̄ eū qui è supernis descēdit? Idcirco & nullus prophetarū regnū cœlorū prædicauit. Quæ enim nō uiderāt, q̄ pacto prędicassent? Propterea & pręcursor dicebat, Qui de terra est, de terra loquitur: qui è supernis uenit, quod uidit testatur. Secutæ autem sunt eum mulieres, ut discas quòd neq; fœminas sua infirmitas à comitatu Christi prohibeat. Vide item quomodo & quæ diuites erant, omnibus neglectis paupertatem cum Christo & pro Christo delegerint. Nam quòd diuites fuerint, audi, quia ministrarūt Domino de facultatibus suis, nō de alienis opibus, & iniuste partis, uti multi solent. Iam per septem dæmonia quæ de illa eiecta fuerunt, quidā intelli

Ioann. 3.

Septē ꝓmiuus. gunt multa. In ſcripturis enim pro multis ſeptem accipi ſolet. Fortaſsis autem dixerit quis ꝙ ſicut ſunt ſeptem ſpiritus uirtutis, ita ſunt ediuerſo ſeptem ſpiritus malitiæ, ut ſicut eſt ſpiritus timoris Dei, ita & ediuerſo ſpiritus cōtemptus Dei & impietatis. Eſt ſpiritus intellectus, eſt ediuerſo ſpiritus hebetudinis intellectu carentis, & ſic de alijs. Itaq; niſi eijciantur ſeptem ſpiritus malitiæ ab anima, non poteſt quis ſequi Chriſtū. Oportet enim primùm eijci dæmonem, & tunc inhabitare Chriſtum.

Matth. 4. Cum autem turba plurima cōueniret, & è ſingulis ciuitatibus properarent ad eum, dixit per ſimilitudinem. Exijt qui ſementem faciebat, ad ſeminandū ſemen ſuum: & inter ſeminandum, aliud cecidit circa uiam, & conculcatum eſt, & uolucres cœli comederunt illud. Et aliud cecidit ſuper petram, & enatum aruit, quia non habebat humorem. Et aliud cecidit inter ſpinas, & ſimul enatæ ſpinæ ſuffocauerunt illud. Et aliud cecidit in terram bonam, & enatum fecit fructum centuplum. Hęc dicens clamabat, Qui habet aures ad audiendum, audiat. Interrogabant autē eum diſcipuli eius dicentes, quęnam eſſet iſta parabola. At ille dixit, Vobis datum eſt noſſe myſteria regni Dei, cæteris autem per parabolas: ut uidentes non uideant, & audientes non intelligant.

Pſalm. 77. Cur in parabolis loquatur Dominus. Nunc tandē euenit quod olim Dauid in perſona Chriſti dixit. Aperiam enim, inquit, in parabolis os meum. Loquitur itaq; parabolas Dñs, propter multa, nempe ut attentiores reddat auditores, & excitet illorum mentem ad inquirendum de his q̄ dicta. Solēt enim homines curioſius inueſtigare de his quæ dicta ſunt obſcurius, ma niſeſta autem negligere, & ut indigni non intelligant quæ abſtruſius ſunt dicta, atq; propter multa alia in parabolis loquitur. Exijt igitur ſeminans, hoc eſt, filius Dei exiuit de patris ſui ſinu abſcondito, & conſpicuus factus eſt. Quis autem exiuit? Is qui

Filius Dei ſemper ſeminat. ſemper ſeminat. Filius eīm Dei non ceſſat ſemper ſeminare in animabus noſtris. Nō enim ſolum quando uidetur docere, ſed & per mundum iſtū, & per ea quæ quotidie facit erga nos, ſeminat in noſtris animab. bona ſemina. Exiuit autem, non ut agricolas occidat, uel agrum exurat, ſed ut ſeminet. Sæpe enim egreditur agricola & ꝓpter alia, non ſolum ut ſeminet. Sed exijt ut ſeminet ſemē ſuū. Proprius eīm eius eſt ſermo & doctrinę, & nō alienus. Prophetę enim quęcunq; dixerunt, è ſpiritu dixerunt, & nō ut ꝓpria: unde & dixerunt, Hæc dicit Dominus. Chriſtus uerò proprium habet ſermen. idcirco non dicebat docens, Hæc dicit Dominus: ſed, Ego dico uobis. Seminante autem illo, hoc eſt docente aliud quidem cecidit circa uiam: nō dixit quòd proiecerit ſeminans, ſed ꝙ illud ceciderit. Nam qui ſeminat, ſeminat & docet, ſermo autē cadit in audientes. Hi autem inueniuntur eſſe uel uia, uel petra, uel ſpinæ uel terra bona. Cæterum diſcipulis interrogantibus parabolam, dicit Dominus: Vobis datum eſt

Matth. 7. ſcire myſteria regni Dei, hoc eſt, uobis quærētibus ut diſcatis. Omnis enim qui petit, accipit. Reliquis uerò qui ſacramentis indigni ſunt, obſcurè dicuntur, & exiſtimant quidem ſe uidere, ſed non uident: & audiunt quidem: ſed non intelligunt, atq; hoc in illorū bonū. ne enim magis condemnentur ꝙ cognita myſteria ſpreuerint, ideo abſilis ea Chriſtus abſcondit. Qui eīm cognoſcit & contēnit, grauiora meretur ſupplicia.

Eſt aūt hæc parabola: Semen eſt ſermo Dei. Qui autem iuxta uiam, hi ſunt qui audiunt: deinde uenit diabolus, & tollit ſermonem de corde eorum, ne credentes ſeruē tur. Nam qui ſuper petram, hi ſunt qui cum audierint cum gaudio ſuſcipiunt ſermonem, & hi radices non habent, qui ad tempus credunt, & in tempore tentationis recedunt. Quod autem in ſpinas cecidit, hi ſunt qui audierunt, & à ſolicitudinibus & diuitijs ac uoluptatibus uitæ euntes, ſuffocant, nec referunt fructum. Quod aūt in bonā terram, hi ſunt qui in corde honeſto ac bono audientes ſermonē retinent, & fructum afferunt per patientiam. Tres hic ordines eorum ſunt qui non ſeruantur. nā hi qui ſecus uiam, neutiq; ſuſcipiunt ſermonem. ſicut enim uia cōculcata & cōſtipata ſemē nō ſuſcipit, eo ꝙ dura ſit: ita & obdurati corde ſermonem nō ſuſcipiunt etiā audiētes, nō attēdunt eīm. At q; per petrā intelliguntur, ſuſcipiunt quidem, ſed præ infirmitate humana in tentationib. marceſcunt. Tertij ſunt qui cum audiuerūt & ſuſceperunt, præ curis uitæ huius ſuffocant. Igitur tres quidē partes eorum ſunt qui pereunt, una autē eorum qui ſaluant. Ita pauci quidem ſunt qui ſeruantur, plures autem qui pereunt. Vide item cum de his qui ſuffocātur loquitur, quomodo non dicit quòd præ diuitijs ſuffocentur, ſed præ curis diuitiarū & ſolicitudinibus. Nō eīm diuitiæ nocent, ſed ſolicitu-

A citudines earum. Multi enim magna cõmoda ex diuitijs percipiunt, illas in pauperũ uentres proficientes. Considera quoq; & diligentiã Euangelistæ, q̃modo dixerit de his qui saluant, q̃ auditũ sermonẽ retineant. Hoc enim dixit, propter eos q̃ p uiam intelligunt. hi enim non retinẽt, sed diabolus tollit ab eis sermonẽ, & q̃d fructum afferant, dixit, propter eos q̃ suffocant: & qui nõ perdurant usq; ad finẽ. Illi enim fructum nõ afferunt, q̃ nõ perseuerant usq; ad finem. Porrò quod dicit, in patientia, dixit propter eos qui super petram, qui suscipiunt quidem sermonem, non sustinent autem tentationis insidias, & comprobantur reprobi. Vides quomodo dixerit de his qui saluantur, q̃ retineant, & fructum faciant, atq; id in patientia: & per tria distinxerit eos: ab his qui nõ retinẽt, & hi sunt qui iuxta uiam: ab his qui fructum non adferunt, & hi sunt qui inter spinas: ab his qui non sustinent tentationis insidias, & hi sunt qui super petram. *Diuitiæ nõ nocent, sed earũ solicitudines.*

Nemo uerò cum lucernã accenderit, operit eam uase, aut subter lectũ ponit, sed super candelabrũ ponit, ut intrãtes uideant lumẽ. Non est enim occultum, q̃d non manifestum sit futurum: nec abscõditum, quod nõ sit cognoscendum, & in p̃patulum uenturum, uidete ergo quomodo audiatis. Quisquis enim habet, dabitur illi: & quicunq; non habet, etiam quod putat se habere, auferetur ab eo.] Hoc loco alterius doctrinæ initium est. Ad discipulos enim sermonem dirigens, hęc dicit inducens eos ad sanctę uitæ diligentem custodiam, & instruens ut semper in agone sint ac certamine, utpote ab omnibus conspiciendi. Qui enim docet ac prædicat, ab omnibus conspicitur, ab omnibus dijudicatur, num honestus sit, & nihil quod facit, occultatur. Vos igitur ô discipuli, si attenderitis & studiosi fueritis, dabitur uobis maior gratia à Deo. Qui uerò non adhibuerit studium & attentionem, etiam siquam gratiam habere uideatur à Deo per negligentiam suam eam extinguit & perdit. *Matth. 5.*

Venerũt autẽ ad illũ mater & fratres eius, & nõ poterãt adire eũ p̃ turbã, & nuncia tũ est illi, dicẽsq;, Mater tua & fratres tui stant foris, uolẽtes te uidere. Qui respondẽs dixit ad illos, Mater mea & fratres mei hi sunt q̃ sermonẽ Dei audiũt, ac faciũt illum.] *Matth. 12. Marc. 3.*

B Hoc loco ostẽdit q̃ nõ fuerit cũ carnalib. cognatis Christus. illis enim relictis, spũali uacabat doctrinæ. unde illi ad eũ accedũt. Sic etiã oportet ut omnes quib. cõcreditũ est ministerĩũ Dei, nihil illo antiquius habeãt uel prętulerãt. Sũt itẽ & parẽtes repellẽdi, si quid ẽ absq; utilitate & frustra in opere Dei nos impediturí sunt, quẽadmodũ & nunc Dñs facit. q̃a enim dixerãt illi q̃dã de cognatis eius, ipse fraternitatẽ nõ in paruo numero claudit, neq; filijs Ioseph hũc honorẽ dat, ut soli sint fratres: sed q̃a uenit totũ mundũ seruare, & oẽs fratres facere, dicit, Mater mea & fratres mei hi sunt q̃ sermonẽ Dei audiũt. Deinde q̃a nõ saluat solũ audire uerbũ, si nõ & seruet in animo, sed magis cõdẽnat: dicit, Et faciũt illũ. Oportet igit audire, & facere. Porrò sermonẽ Dei, suam doctrinã uocat. Quæcũq; enim ipse dicebat, patris sui erãt, cui nõ fuit aduersarius, ut dicat q̃ Dei nõ sunt. At plerisq; locũ hũc sic intelligũt q̃ q̃dã irriserint Christũ docẽtẽ, & ob doctrinã suã factũ admirabilẽ, ut p̃ inuidiã dixerint, Ecce mater tua & fratres tui sunt foris, cupiẽtes te uidere. q̃a mater ipsius uidebat uilis esse, & fratres eius obscuri, utpote fabri filij, & idcirco quasi ignobilis, matrẽ eius & fratres irridẽdo obiiciebãt. Proinde sciens cogitationes eorũ, Nihil mihi, inquit, nocet ignobilis cognatio. Immo etiãsi quis ignobilis fuerit, si tamen audierit sermonẽ Dei, ipsum meũ cognatũ facio.

Factum est autẽ quodã die, & ipse ascendit in nauim, & discipuli eius, & ait ad illos, Traiiciamus in ulteriorẽ ripã stagni, ac soluerunt. Cæterum nauigantib. illis, obdormiuit. Et ingruit p̃cella uenti in stagnum, & cõplebant ac periclitabant. Accedentes autẽ suscitauerunt eum dicentes, Præceptor, præceptor, perimus. At ille excitatus increpauit uentũ ac tempestatẽ aquæ, & † cessauerunt, factaq; est trãquillitas. Dixit aũt illis, Vbi est fides uestra? Timẽtes aũt mirati sunt, inter se, dicentes, Quisputas hic est, quia uẽtis quoq; & aquæ imperat, & obediunt ei?] Exercẽs discipulos Dñs, eorũq; fidẽ examinãs num in tẽtationibus suis imperterriti sint: singulari quadã dispẽsatione dormit, arguitq; illorũ infirmitatẽ. Nõ enim perfectã fidẽ, sed infidelitate mixtã prę se ferebant. Credunt enim q̃ saluare possit, uerũm ut pusillanimes dicunt, Salua, perimus. Si enim perfectam habuissent fidem, satis certi fuissent impossibile esse perire illos, præsente eo qui omnia ualet. Excitatus autem increpauit uentum. Permisit uerò eos turbari, ut clarior fieret sua uirtus. Solent enim homines tunc meminisse eius qui saluat, *Matth. 8. Marc. 4.* † cessauit

Universidad de Deusto Biblioteca

saluat, quando à magnis miraculis eripiuntur. Propterea nõ in principio sed in arti- a
culo periculi excitatus, illos seruauit. Vide aũt & anagogiam, quia figura est eius q̃d
postea discipulis euenit. Stagnum enim est Iudæa, in qua tempestas orta, ꝓpter insa-
niam Iudæorũ qui crucifixerunt Dñm. Turbati uerò sunt & discipuli: nam illo reli-
Ioann. 20. cto fugerunt, sed excitatus est Dominus à somno, hoc est surrexit: unde reddita disci
pulis tranquillitas. Venit ẽm ad eos, ac dixit, Pax uobis. Et hæc quidem ꝑ anagogiã.
Quod autem dicũt, Quisnam hic est? non ut dubitantes dicunt, sed admirantes: qua
si dicerent, Quis hic est, hoc est quantus & qualis, & in quanta potestate hæc facit?

Et nauigauerũt ad regionẽ Gadarenorũ q̃ est cõtra Galilęã. Et cum de naui egres-
sus esset ad terrã, occurrit illi uir quidã è ciuitate q̃ habebat dæmoniũ iam temporib.
multis, & uestimẽto nõ induebat̃, neq; in domo manebat, sed in monumentis. Is ut ui
dit Iesum, & exclamasset, procidit ante illũ, ac uoce magna dixit, Quid mihi rei tecũ
est Iesu fili Dei altissimi? Obsecro te, ne me torqueas. Præcipiebat ẽm spiritui im-
mũdo ut exiret ab homine. Frequẽter ẽm corripuerat illũ, & uinciebat̃ catenis, & cõ
pedib. custodiebat̃, & ruptis uinculis agebat̃ à dęmonio in deserta. Interrogauit aũt
illũ Iesus dicẽs, Quod tibi nomẽ est? At ille dixit, Legio. qa intrauerãt dęmonia mul-
ta in eum. Et rogauerũt illũ ne imperaret ipsis ut in abyssum irent. Erat aũt ibi grex
porcorũ multorũ pascentiũ in monte, & rogabãt eum ut permitteret ipsis in illos in-
gredi. Et permisit illis. Exierunt ergo dæmonia ab homine, & intrauerunt in porcos:
& impetu abijt grex per præceps in stagnũ: & suffocatus est.] Vide dæmonẽ duabus
malis affectionibus teneri, audacia & timore. Nam q̃d dicit, Quid mihi & tibi? audа
cis & impudentis serui. q̃d uero dicit, Obsecro te, timentis est. Habitat autem in mo
numentis, ut malã suspicionẽ ingeneret hominib. ꝙ animę morientiũ dæmones fiãt.
Porrò petunt dæmones ne in abyssum ingrediant̃, sed in terra permittant̃ ultrà uersa
ri: & Dñs permittit illos esse in terra, ut certamen habeant cum hominib. & ꝓbatio- b
Si non essẽt aduersarij nec coronæ essent. nes illos reddãt. Nã si nõ essent aduersarij, neq; coronæ essent. Disce & quiddã subli
mioris anagogię. Quisq; habet intra se dęmones, hoc est opera dæmoniaca, ueste nõ
induit̃, caret ẽm stola q̃ in baptismate accepit. & in domo nõ manet, hoc est in eccle sia
(indignus ẽm est qui ingrediat̃ in ecclesiã) sed in monumẽtis, hoc est in mortuorũ o-
perũ receptaculis, ut in ꝓstibulis & telonijs, & alijs scelerũ officinis & monumentis.

Porrò ut uiderũt q̃d acciderat, hi qui pascebãt, fugerũt, & rumorẽ nũciauerunt in ci
uitatẽ ac uillas. Exierũt aũt ut uiderẽt q̃d factũ erat. Et uenerũt ad Iesum, & inuenerũt
hominẽ sedentẽ à quo dæmonia exierãt, uestitũ, ac sana mẽtẽ, ad pedes Iesu, & timue
runt. Nunciauerũt aũt illis etiã qui uiderãt, q̃modo sanus factus esset is qui agitabat̃ à
dęmonio. Et rogauerũt illũ omnis multitudo Gadarenorũ, ut discederet ab ipsis, qa
magno timore tenebant̃. Ipse aũt cõscensa naui reuersus est. Rogauerat ẽm illũ uir à
quo dæmonia exierant, ut cum eo esset, sed ablegauit eũ Iesus dicens, Redi in domũ
tuã & narra quæcunq; tibi fecerit Deus. Et abijt ꝑ totã ciuitatẽ prædicãs quæcũq; si-
bi fecisset Iesus.] Fuga pastorũ Gadarenis occasio salutis erat, sed illi nõ intellexerũt.
Oportebat ẽm mirari uirtutẽ saluatoris, & credere ei: at illi rogauerũt (inquit) Iesum,
hoc est obsecrauerũt ut ab ipsis recederet. Timuerunt ẽm nequo pacto etiã aliud dã-
num paterent̃, quando quidẽ porci perijssent. At sanatus ille certum quoddã sanitatis
indiciũ ostẽdebat. Ita ẽm corde sanatus est, ut Iesum agnosceret, orans ut sibi cum il-
lo esse liceret. Etenim, ut apparet, timebat ne fortè elongatus à Iesu à dęmonibus ite-
rum inuaderet̃, sed Dñs indicat ei ꝙ licet nõ sit secum, gratia tamẽ eius protectus, dæ
moniacis insultibus superior fiat. Redi, inquit, in domũ tuam, & narra quæcunq; tibi
fecerit Deus. Nõ dixit, quęcunq; ego tibi fecerim, figurã nobis humilitatis tradẽs, ut
omnia bona opera nostra Deo tribuamus. Erat aũt ille gratus, ita ut narraret quęcun
que fecisset ei Iesus. Nam Dominus quidem præceperat ei ut narraret quæcunq;
fecerat ei Deus: at is narrat quæcũq; ei fecerat Iesus. Oportet igitur & nos quando
cuipiam benefacimus, nolle hoc prædicari: at illum qui beneficio affectus est, etiam
nolentibus nobis prædicare decet.

Factũ est aũt cum rediret Iesus, excepit illũ turba. nã omnes expectabãt eũ. Et ecce
Matth. 9. Marc. 5. uenit uir cui nomẽ Iairus, & ipse princeps synagogæ erat, acciditq; ad pedes Iesu, ro
gans eum ut intraret in domũ suã, quoniã unica filia erat ei ferè annorũ duodecim,
& hæc

A & hæc moriebatur. Verùm inter eundū turbæ coarctabant eum. Et mulier quæ erat obnoxia profluuio ſanguinis ab annis duodecim, quæ in medicos impenderat omnem ſubſtantiā, nec ab ullo poterat curari, acceſsit retro, & tetigit fimbriā ueſtimenti eius, & cōfeſtim ſiſtebat fluxus ſanguinis eius.] Rediit quidē Ieſus à regione Gadarenorum: expectabat aūt illū turba, tum ꝓpter doctrinā, tum ꝓpter miracula. Acceſsit item & princeps quidā ſynagogę, nō uulgaris neq; abiectus, ſed ex primis. Apponit aūt & nomē illius Euangeliſta, ut notius fiat miraculum, q̄ uerè factū ſit. Accidit autē ad pedes Ieſu, urgente neceſsitate. quāuis em̄ ſine illa oporteat ꝓcidere, & agnoſcere Deum eſſe Ieſum, attamē & afflictio cogit homines ut meliora ſectētur. unde & Dauid dicebat, In chamo & freno maxillas eorum conſtringe, qui non approximant ad te. Porrò mulier in tranſitu accedit, ampliorem afferens fidem. Accedens enim tangebat fimbriam ueſtimenti eius, bona ſpe, & certa fide, quòd ſi tantum contingeret, ſaluaretur. Et ſtatim ſtetit fluxus ſanguinis eius. Sicut ſi quis afferret oculum ad lumen lucens, uel ſtipulam ad ignem, ſtatim operationem illorum experiretur: ita & illa afferens fidem ad eum qui ſanare poterat, ſtatim ſanitatem adepta eſt. neq; enim cogitabat uel diuturnitatem morbi, uel deſperationem medicorum, uel aliud quiddam, ſed credidit tantum, & ſaluata eſt: &, ut uidetur, prius tetigit Chriſtum mente, & dein corpore. *Pſalm. 31.*

Et ait Ieſus, Quis eſt qui me tetigit? Negantibus autem omnibus, dixit Petrus, & qui cum illo erant, Præceptor, turbæ te cōſtringunt & affligunt, & dicis, quis me tetigit? Et dixit Ieſus, Tetigit me aliquis: nam ego noui uirtutē à me exiſſe. Videns autē mulier q̄ non latuiſſet, tremens uenit ac procidit ante pedes eius, & ob quā cauſam tetigiſſet eum, indicauit ei coram toto populo, & quemadmodū cōfeſtim ſanata fuiſſet. At ipſe dixit ei, Cōfide filia: fides tua te ſeruauit. uade cum pace.] Dñs uolēs etiam mulieris fidem omnibus manifeſtam fieri, ut imitatores eius fierent, & lairum maiorem ſpem de ſalute filiolæ ſuę capere, quod clàm factū erat, manifeſtat. Et quærit quidem quis ipſum tetigerit, at Petrus audacter ob interrogationem hanc eum reprehēdens dicit, Tot te comprimunt, & dicis, Quis me tetigit? Non intelligebat aūt quare Ieſus interrogaret. Ieſus em̄ interrogat, quis me tetigit, cum fide, & non ita ſimpliciter. Nam ſicut quis habet aures audiendi, alius uerò aures habet, & nō audit: ita alius quidem tangit cum fide, alius autem appropinquat quidem pedibus, corde autem procul eſt. Rogat igitur Dominus, non ignorans factum mulieris, ſed id quod dicebam, ut & fidem eius aliis monſtraret, & principi ſynagogæ ſpem bonam faceret. Rogat, & ſpectabilem facit mulierem. Noui enim, inquit, uirtutem exiſſe à me. Meritò. Prophetæ enim non habebant uirtutem de ſe egredientem, ſed gratia Dei operabantur miracula. Ieſus uerò cum fons eſſet omnis boni, & omnis uirtutis, habet & uirtutem à ſe egredientem. Nam dupliciter ſanat mulierem Dominus, primùm quidem morbum eius ſanando, deinde timorem animæ eius tollens per hoc quod dixit, Confide filia. B

Adhuc illo loquente uenit quidā à domo principis ſynagogę, dicēs ei, Mortua eſt filia tua: noli uexare magiſtrū. Ieſus autē audito hoc uerbo reſpōdit patri puellæ, Noli timere, crede tantum, & ſalua erit. Et cum uenisſet in domum, non permiſit intrare ſecum quenq̄ niſi Petrum, & Iacobum, & Ioannem, & patrem ac matrem puellæ. Flebant autem omnes, & plangebant illam. At ille dixit, Nolite flere, nō eſt mortua, ſed dormit. Et deridebant eum, ſcientes q̄ mortua eſſet. Ipſe autem eiectis foras omnibus, apprehenſa manu eius clamauit dicens, Puella ſurge. Et reuerſus eſt ſpiritus eius, & ſurrexit cōtinuò, ac iuſsit illi dari cibum. Et ſtupuerūt parentes eius. At ille ꝑcepit eis ne cui dicerēt q̄d factum erat.] Ieſus ut audiuit q̄d dixit quidē ad archiſynagogum, Ne uexes magiſtrū, hoc eſt ne facias negociū, ne adduc illum: nō expectauit ut princeps ſynagogæ ſibi loquereꝰ, ſed præuenit eum, ne ſortè diceret archiſynagogus, Non opus habeo te, iam em̄ malum factum eſt, mortua eſt quam ſperabamus à te ſanandam. Igiꝰ ne quid tale diceret (incredulus enim erat & Iudæus) præueniens illum Chriſtus dicit, Ne timeas, tantum crede: reſpice ad mulierem hanc, quæ ſanguinis profluuio laborauit: illam ſi imitatus fueris, non aberrabis. Cæterùm ex diſcipulis tantum intrare ſecum permiſit Ioannem & Iacobum & Petrum, ut diſcipulorū præcipuos & taciturnos. Nolebat enim hoc miraculum ante tempus reuelari multis,

pro-

propter Iudæorum fortasse inuidiam pleraq; ex operibus suis occultans, ne inui-
Ab inuidis bona nostra occultanda. dia succensi, iudicij fierent rei. Hunc in modum etiam nos quoq; facere oportet, quando quis nobis inuidet, ne aperiamus ei nostra bona opera, sed curemus ut ignoret, ne ferientes ipsum, ansam præbeamus magis inuidendi ac in peccatum ruendi, sed quoad fieri potest, adniti debemus, ut ipsum lateant. Cum autem Dominus diceret, Nõ est mortua, sed dormit, & uocaret mortem somnum, eo quòd mortuam quasi ex somno suscitaturus esset: deriserunt eum audientes, ut iterum aliquid accederet miraculo. Vt enim postea dicere non possent q̃ non sit mortua, sed dormierit: propter hoc permisit ut prius derideret à dicentibus, Non est mortua, sed dormit: ut obturarentur ora uolentium calumniari. Vsq; adeò enim certa erat mors, ut deriderent dicentem, Non est mortua. Eiecit autem foràs omnes, fortasse docens nos carere inanis gloriæ studio, & nihil ad ostentationem facere: fortasse aũt & docens quòd facturus miracula, nõ in medio multorũ illa facere, sed solus, & non impeditus esse debeat. Rediit igitur spiritus puellæ, non autem aliam animam induxit, sed eam quæ à corpore auolarat, iterum in ipsum redire fecit. Præcepit autem ut ei cibum darent, quò confirmaretur fides ac ueritas quòd illa resurrexisset. Posset etiam & sic intelligi: Sanguinem profluens est omnis anima scaturiens cruentum peccatum & sanguinarium. Omne enim peccatum homicida est, & occisor animæ. At si anima contigerit uestem, hoc est incarnationẽ Iesu, & crediderit quòd incarnatus sit filius Dei, sanctificabitur. Et si quis fuerit princeps synagogæ, hoc est mens quæ præest multis per cupiditatem & habendi studium congregatis, & ægrotauerit filia eius, cogitatio scilicet: tantum inuocet Iesum, & credat, ac saluabitur. CAPVT IX.

Matth. 10. Marc. 3. 6. QVum autem conuocasset duodecim, dedit illis potestatem & authoritatem sup per omnia dæmonia, & ut morbos sanarent. Et misit illos ut prædicarent regnum Dei, & sanarent infirmos: & ait ad illos: Nequid tuleritis in uiam, neq; uirgã, neq; peram, neq; panem, neq; pecuniam, neq; binas tunicas habeatis. Et in quãcunque domum intraueritis, illic manete, atq; illinc exeatis. Et quicunq; non receperint uos exeuntes de ciuitate illa, etiam puluerem è pedibus uestris excutite, in testimonium aduersus illos. Egressi autem circumibant per castella, euangelizantes & curãtes ubiq;.] Ex hoc loco ostenditur excellentia deitatis Iesu, nõ enim ipse tantum miracula facit, sed & discipulis hoc concedit. Vtique hoc non hominis, sed Dei fuerit tanta ac talia dona præstare suis amicis. Dans autem eis potestatem contra malos spiritus, non illo contentus fuit, sed iussit etiam euangelium prædicare. Docet enim ut
Miracula quædã per dæmones. is cui concredita est doctrina, & prædicare, & miracula agere debeat. Tunc em̃ prædicatio per miracula confirmatur, miracula autem per prædicationem. multi enim multa miracula per dæmones fecerunt, quorum prædicatio sana non fuit, & miracula eorum ex Deo non fuerunt. Ita autem ab omni re superflua nudat, ut neq; panem eos ferre uelit, neq; aliud quid, quæ pleriq; secum tollunt. Porrò præcipit eis & hoc, ne à loco in locum transiliant, sed in quamcunq; domum intrauerint, in illa maneãt, ut ne uideantur inconstantes & mobiles. Puluerem uerò excutiendũ dicit, si nõ receperint uos, in testimoniũ illis, hoc est in reprehensionem ipsorũ ac condemnationẽ, ostendentes eis q̃ multum itineris ꝓpter eos confecerint, nullumq; inde lucrum habuerint. Quidam aũt sic intelligunt apostolos non gestare uel uirgam uel peram, & nec tunicas duas habere: Ne thesaurizetis cuius symbolum pera, quæ multa congreget: neq; uirgam gestetis: hoc est, ne sitis importuni, & ad uerberandũ proni: neq;
Marci 6. duas tunicas habeatis, hoc est, ne sitis duplices animo, ac uarijs moribus.

Audiuit aũt Herodes tetrarcha omnia quæ fiebant ab eo, & hæsitabat, eo q̃ dicerẽt à quibusdam q̃ Ioãnes surrexisset à mortuis: à quibusdam uerò q̃ Helias apparuisset: ab alijs aũt q̃d propheta quispiam ex antiquis surrexisset. Et ait Herodes, Ioannẽ ego decollaui: quis aũt iste de quo ego talia audio? Et quærebat uidere eũ.] Hic Herodes paruus fuit filius magni qui pueros occiderat. Nam ille quidẽ rex fuit, hic aũt tetrarcha. Dubitabat de Christo quis esset. Ioannẽ quidem, inquit, ego decollaui: & si quidem Ioannes excitatus est ex mortuis, omnino uisum illum agnoscam. Quærebat enim uidere eum. Vide aũt q̃ Hebræi errantes opinabantur resurrectionem mortuorum in carnali uita futuram, atq; in cibo & potu. resurrectio enim non in cibo uel potu uel carnali uita erit: sed qui resurgunt, sicut angeli Dei uersantur.

Etre-

A Et reuersi apostoli narrauerũt illi q̃cunq; fecerãt. Et assumptis illis secessit seorsum in locũ desertũ ciuitatis quæ uocat̃ Bethsaida. Quod cum cognouissent turbę, sequutę sunt illũ, & excepit eos, & loquebat̃ illis de regno Dei, & eos q curatione indigebant, sanabat. Dies aũt cœperat declinare, & accedentes duodecim dixerunt illi, Dimitte turbas, ut euntes in castella uillasq; uicinas diuertãt, & inueniãt escas, quia hic in loco deserto sumus. Ait aũt ad illos, Vos date illis quod edant. At illi dixerũt, Non sunt nobis plus q̃ quinq; panes, & duo pisces, nisi nos eamus & emamus in omnem hunc populum escas. Erant aũt ferè quinquies mille. Ait aũt ad discipulos suos, Facite illos discũbere in singulo discubitu quinquagenos: atq; ita fecerũt, & fecerũt omnes discũbere. Acceptis itaq; quinq; panibus, & duobus piscibus, sublatis in cœlũ oculis, benedixit illis, & fregit, distribuitq; discipulis ut apponerent turbæ. Et comederũt omnes, & saturati sunt. Et sublatũ est quod superfuit illis, fragmentorũ cophini duodecim.] In desertum locum abit Iesus, quoniã miraculũ panum ibi facturus erat, ut ne quis dicere posit, quoniã propè fuerit ciuitas unde panes allati. Docuit autem & sanauit: ut discas q philosoplia nostra uerbo & opere constet, & neq; dicenda sint quæ facere non licet, neq; facienda quæ dictu absurda. Inclinante aũt die discipuli incipientes fieri humaniores & officiosiores, miserent̃ turbis, & dicũt, Dimitte eas, hoc est, sana citius infirmitates illorum, imple petitiones illorum. Dominus autem ad discipulos dicit, Date illis uos quod edant. Non ignorans discipulorum inopiam hoc dicit, sed incitare uolens ut dicant quot panes sibi sint, ut sic commonstret̃ miraculũ maius, indicantib. illis numerũ panum. Quod aũt dicit, Facite illos discũbere in singulo discubitu quinquaginta, ostendit q oporteat etiam nos quando aliquẽ hospitio excipimus, & facere ipsum recumbere, & in eum officiosos esse. Porrò suspiciendo in cœlum, monstrat q manducaturi Deo gratias agere debeant. Dat autem discipulis, & illi deinde turbis, ut ne obliuiscãtur miraculi, sed memores eius sint, cogitantes q panes in manus sumpserint. Superfuerunt autem cophini duodecim, ut discamus quantũ possit hospitalitas, & q nostra multiplicẽtur cum suppeditamus indigentibus. Dictum est autem de his latius in his quæ dicta sunt apud Matthæum.

Ioann. 6.

Philosophia nostra uerbo et opere cõstat.

Matt. 14.

Et factũ est cum solus esset orans, erãt cũ illo & discipuli, interrogauitq; illos dicẽs, quẽ me dicunt esse turbæ? At illi responderũt & dixerũt, Ioannẽ Baptistã, alij aũt Heliã, alij uerò q unus ꝓpheta de antiqs surrexit. Dixit aũt illis, Vos aũt quẽ me esse dicitis? Respõdens Simõ Petrus dixit, Christũ illũ Dei. At ille cõminatus illis præcepit ne cui dicerẽt hoc, dicẽs, Quia oportet filiũ hominis multa pati, & reprobari à senioribus & principibus, sacerdotũ & scribis, & occidi, & tertia die resurgere.] Interrogãs discipulos Dñs, nõ statim interrogat eos quid ipsi dicant, sed prius uulgi & deinde etiã ab eis illorũ sententiã. Hoc aũt facit ut ostendat reprobã multorũ de se opinionẽ & discipulos in ueram transferat: id quod & factũ est. Cum eñ dixissent discipuli, q alij quidẽ Ioannẽ, alij uerò Heliã dicerent, ipse interrogat, Vos aũt, hoc est qui præcellitis alios, qui electi, quiq; præcipui, quem me esse dicitis? Ante alios autem Petrus prosilijt, & factus omniũ os, fatetur illum esse Christũ Dei, qui olim prædicatus fuerat. Nõ enim dixit tantũ Christũ Dei, sed Christũ illum Dei, cum articulo, ut declaret q ipse sit propriè Christus Dei. Multi enim uncti fuerunt, sed ille Christus Dei unus & solus est.

Matt. 16. Marci 8.

Dicebat autẽ ad omnes, Si quis uult post me uenire, abneget semetipsum, & tollat crucem suam quotidie, & sequat̃ me. Qui enim uoluerit animã suam saluã facere, perdet illã: qui uerò perdiderit animã suam ꝓpter me, is saluã faciet illã. Quid enim proficit homo, si lucretur uniuersum mundũ, se aũt ipsum perdat, aut iacturam suijpsius faciat? Nam qui me erubuerit, & meos sermones, hunc filius hominis erubescet cum uenerit in maiestate sua & patris, & sanctorum angelorũ. Dico autem uobis uerè, q sunt quidam hic stantes, qui nõ gustabunt mortẽ, donec uideant regnum Dei.] Quoniam de seipso dixerat q oporteat filium hominis multa pati, infert cõmune quoddam ac generale, quòd non solus ego mortem sustinebo, sed & omnes qui me uolũt sequi, debent seipsos abnegare, nullam cõmunionem cum carne habentes, sed despicientes seipsos. Crucem autem dicit hoc loco mortem contemptissimam, nulla enim mors tam cõtempta fuit, sicut crucis. Ostendit itaq; q si quis uoluerit eius discipulus esse, mori debet nõ gloriosa morte, sed cõtemptibili, & sicut cõdẽnatus occidi. Quo-

Infrà 14. Ioann. 12.

niam aũt multi ignominiosa morte occidunt, et sicut latrones ac malefactores: propter rea adijcit hoc, & sequatur me, hoc est, omnẽ uirtutem exerceat. Qui enim uoluerit animã suam seruare, perdet illam. hoc est, qui uoluerit uiuere iuxta mundũ, hic occidit animam. Erubescit Christum qui dicit, Quomodo credam in crucifixũ & illusum Deum? Et sermones illius erubescit, qui Euangelij simplicitatem irridet. talem autem erubescet & Dñs in gloria sua, hoc est in secundo aduentu. Quod autem dicit, hunc sensum habet: Sicut si quis patersfamilias habet seruum malum, erubescit nominare illum seruum proprium: ita & ego (inquit) erubescã nominare seruũ meum eum q abnegauerit me. Et quia suprà dixit, Qui perdit animã suam, saluabit illam: uolens mõstrare quænam bona tales mereantur, dicit, Sunt quidã ex his qui hic sunt, qui non morientur donec uiderint regnum Dei, hoc est, gloriam in qua futuri sunt iusti. Hoc autem dixit de transfiguratione sua. Transfiguratio em̃ figura fuit futuræ gloriæ: et sicut in hac Iesus mirabiliter fulgurauit, ita pari forma tunc & iusti fulgebunt. Sunt igitur (inquit) quidã, Ioannes, Iacobus, & Petrus, hi nõ præoccupabunt morte, donec uiderint in qua gloria futuri sunt q me confitent. Viderunt autẽ hoc in transfiguratione.

Quos Christi et sermonum eius pudeat.

Matt. 17. Marc. 19.

Factum est aũt post hæc uerba ferè diebus octo, & assumpsit Petrum & Ioannẽ & Iacobum, & ascendit in montem ut oraret. Et facta est, dum oraret, species uultus eius alia, et uestitus eius albus, & refulgens. Et ecce duo uiri loquebant cum illo, q erãt Moses & Helias, qui uisi in maiestate dicebant excessum eius quẽ cõpleturus erat Hierosolymis. Petrus uerò, et qui cum illo erant, grauati erãt somno. Experrecti aũt uiderũt maiestatẽ eius, & duos uiros qui stabant cum illo. Et factum est cum discederent ab illo, ait Petrus ad Iesum, Præceptor, bonũ est nos hic esse, & faciamus tria tabernacula, unum tibi, & unum Mosi, & unum Heliæ. nesciens quid diceret. Hæc autẽ illo loquẽte facta est nubes, & obumbrauit eos. Timuerunt autem intrantibus illis in nubem: & uox facta est de nube dicens, Hic est filius meus dilectus, ipsum audite. Et dum fieret uox, inuentus est Iesus solus, & ipsi tacuerunt, & nemini dixerũt in illis diebus quicq̃ ex his quæ uiderant.] Matthæus dicit sex dies transisse post sermones hos, & tunc lesum ascendisse in montem. Lucas autem dicit octo transisse. Nam ille solas dies intermedias dicit: Lucas aũt nõ intermedias solas, sed & diẽ qua dicti sunt sermones illi, & diem qua facta est transfiguratio. Assumpsit aũt tres solos: Petrũ, utpote se diligentẽ: Ioannẽ autem, ut eum quẽ diligebat: Iacobum, qui & ipse seruebat zelo pro Christo: uel ut magis taciturnos, & silere ualentes. Porrò in montẽ ascendit ut oraret. oportet enim nos solitarios esse & ascendere, & nullis terrenis rebus intendere orando. Facta est aũt species uultus eius alia, nõ mutato eo in aliam naturã: mansit enim qualis erat. sed species uultus eius splendidior apparuit q̃ prius. sicut & in uestimẽtis eius factum est, horum enim species tantũ refulsit, non permutata uestimentorũ substãtia, sed illustratiore. Moses aũt & Helias astiterunt cum eo orante, ut mõstretur q non sit aduersarius legi & prophetis. Nam si talis fuisset, non legis dator Moses, & feruentissimus prophetarũ Helias se illi associassent, uel cum ipso stetissent. Dicebat autem excessum eius quomodo illum completurus erat Hierosolymis, hoc est mortem. Petrus autem somno grauabatur, oratione uacante Christo. Infirmus enim erat, & humano more somno seruiebat. Cum autem euigilasset, spectabat gloriam, et duos uiros. Postquam autem uitam illam considerauisset, tum propter splendorem, tum propter prophetas, dixit, Bonum est nos hic esse. Putabat enim tunc consummationem fuisse, & regnum Iesu, ignorans quid loqueretur. Nondum finis nec̃ regni dies instabat, nec̃ gaudiorum fruitiones sanctis communicandæ erant. Insuper & crucifigi timens Christum, hæc dicebat. quoniam audierat q̃ oporteat eum occidi, & tertia die resurgere: dicit quasi in hunc modum, Ne descendamus de monte, maneamus hic, ut crucem & passionem effugiamus. Habemus Heliam adiutorem: si inuaserint nos Iudæi, ignem deducet, & sicut quinquagenarios comburet. Habemus Mosen, qui tot & tantas gentes perdidit. hæc autem dicebat nesciens quid loqueretur. Ipse enim putabat malũ quiddam & difficillimum esse crucem, & propter hoc illam cupiens uitari, hæc dicebat. Christus autem sitiebat crucifigi, quoniam non aliter salus hominum constabat. Petro autem dicente, faciamus tabernacula tria: Dominus repentè tabernaculum nõ manufactum facit, & in illud ingreditur cum prophetis, ut ostendatur q̃ in nullo minor sit patre.

Petrus cur in mõte illo manendum putabat.

4. Reg. 1.

A sit patre. Sicut enim in ueteri lege nubes dicebatur habere Dominum, & Moses ingrediebatur in eam, atq; sic legem suscepit: ita & nunc nubes Christum suscipit, nubesq; nō caliginosa: (transijt em̄ umbra ueteris legis, & tenebrosa obscuritas) sed nubes lucida. Venit enim ueritas, & illuxit gratia Domini, nihilq; nūc tenebrosum est. Facta est & uox de nube, sicut olim uox Dei audiebatur de nube. Inuentus est autem Iesus solus: ut ne quis putet q;, Hic est filius meus, de Mose uel Helia dictum sit. Fortassis etiam hoc significat, q; usq; ad tempus quoddam apparebant lex & prophetæ, sicut & hoc loco Moses & Helias: deinde solus præteritis illis apparuit. nunc enim Euangelium seruatur, legalibus abolitis. Siluerunt autem apostoli, & nulli annunciauerunt quicquam de his quæ uiderant. Nam ante crucem non oportebat diuinū quiddam dici de Iesu. Nam qui audiuissent hæc, si deinde eum crucifigi uidissent, qualem putas de eo habuissent opinionem? Nónne impostorem & præstigiatorem existimassent? & idcirco ante crucem nullum opus admirabile uel Deo dignum prædicant apostoli. De hoc autem loco multa & iucunda diximus apud Matthæum. *Euangelium seruatur.*

Factum est aūt sequenti die descendentibus illis de monte, occurrit illi turba multa. Et ecce uir de turba exclamauit dicens, Magister obsecro te, respice ad filiū meum, quia unicus est mihi, & ecce spiritus apprehēdit eū, & subitò clamat ac discerpit eum cū spuma, & uix discedit ab eo dilanians eum: & rogaui discipulos tuos ut eijcerēt illū, & non potuerūt. Respōdens aūt Iesus dixit, O' natio infidelis & peruersa, usquequo ero apud uos, †ac patiar uos? adduc huc filium tuum. Cum aūt accederet, laniauit illū dęmoniū, & dissipauit. Increpauit autem Iesus spiritū immundū, & sanauit puerū, & reddidit illū patri suo.] Valde incredulus erat uir ille, propterea em̄ hoc dæmoniū nō regressum est à puero eius, quia uincebat infidelitas eius apostolorū uirtutē. Insuper & hinc ostenditur eius incredulitas et peruicacia, q; coram omnibus accedit & accusat discipulos: & propterea Dominus ostendens incredulitatem eius in causa fuisse quia nō fuerit sanatus filius eius: coram omnibus exprobrat ei & nō soli ipsi, sed & alijs omnibus incredulitatē. Dicēdo em̄, O' natio incredula, omnes cōplectitur Iudæos. Nam quia peruersam dicit, declarat q; nō à principio, neq; à natura sit malitia. Natura em̄ recti fuerant, semen em̄ sanctū erant Abrahā & Isaac. peruersi aūt facti sunt præ malitia. Porrò illud usqueq; ero apud uos, usqueq; patiar uos: hoc significat, quod in uotis habebat mortē, & cupiebat statim ab illis liberari. Vsquequò em̄, inquit, ferā incredulitatē uestrā? Ostendens itaq; q; uirtutem habeat quæ uincat incredulitatē Iudæorū, dicit: Adduc filium tuum huc. & cum sanasset illū, reddidit ipsum patri suo. Prius em̄ qui à dæmonio possidebatur, non erat patris sui, sed mali spiritus qui detinebat eum: tunc autem Dominus reddidit eum ei qui illum perdiderat & inuenerat patri. †usquequo *Infidelitas unius plurimum euincit fidem.*

B Stupebant autem omnes super magnificentia Dei. Sed omnibus mirātibus super omnibus quæ faciebat, dixit ad discipulos suos: Ponite uos in auribus uestris sermones istos. Futurum est ut filius hominis tradatur in manus hominum. At illi ignorabant uerbum istud, & erat absconditum ab illis, ut non intelligerent illud. Et timebāt eum interrogare de hoc uerbo.] Alij quidem omnes admirabantur in omnibus quæ faciebat Iesus, nō in uno hoc miraculo. Verùm ipse relictis alijs cum discipulis loquitur, & dicit: Ponite uos hæc omnia, & miracula, & miraculorū sermones, in aures uestras. Quare? quia tradendus sum & crucifigendus: ut quādo crucifixum uideritis, ne existimetis q; præ infirmitate talia passus sim. Nam qui talia miracula facit, potest & non crucifigi. Illi autem ignorabant uerbum hoc, & erat absconditum ab eis. Et quare hoc fuit? ut ne ante tempus tristitia afficerentur, & timore exterrerentur. Itaq; Deus condescendens infirmitati illorum, & quasi pueros moderabatur illos, neq; concedit eis ut intelligant hoc quod de cruce dicebatur. Vide autem & illorum reuerentiam, quomodo præ reuerentia interrogare non audebant, immo præ timore. nam timor augmentū est pietatis & reuerētiæ: sicut & reuerentia uel pietas contractus timor est. *Timor augmentum reuerentiam.*

Intrauit autem cogitatio inter eos quis eorum maior esset. At Iesus uidens cogitationem cordis illorum, apprehendit puerum, & statuit illum iuxta se, & ait illis: Quicunq; receperit puerū hunc in nomine meo, me recipit: & quicunq; me receperit, recipit eum qui me misit. Nam qui minor est inter omnes uos, hic erit magnus. Respōdens autem Ioannes dixit, Præceptor, uidimus quendam sub nomine tuo eijcientem *Matt. 18. Marci 9.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

dæmonia, & prohibuimus eum, quia nō sequitur nobiscum. Et ait ad illum Iesus, Nolite prohibere. Qui enim non est aduersum nos, pro nobis est.] Morbus inanis gloriæ Apostolos inuasit. Mihi uidetur ortum id inter illos eo q̄ dæmoniacum nō sanarint. Verisimile enim q̄ super hoc contenderint, dicentibus singulis q̄ non propter suam, sed alterius cuiusdam infirmitatem puer ille sanatus non fuerit: & inde accensa lis est quis eorum maior esset. At Dominus uisis singulorum cordibus, præuenit: & priusq̄ morbus increduesceret, curauit radicitus eijci. Morbi enim ab initio facilè uincuntur: cum uerò increduerint, curatu difficiles sunt. Itaq̄ quomodo malum hoc emendat? Apprehensum puerum ostendit discipulis, manifestans eis per hoc, q̄ talem mentem oportet nos in nobis parare, qualis est in pueris. Illi enim malitiæ expertes sunt & simplicissimi, neq̄ inanis gloriæ neq̄ ambitionis cogitationibus diuexantur. Qui igitur (inquit) susceperit talem puerū in nomine meo, me suscipit. Quod autem dicit, hunc sensum habet, Vos quidē opinamini, si pōpatici & glorioſi fueritis, multis placeatis, pluresq̄ uos susceptur sint. Ego autem dico uobis, q̄ tantopere gaudeo simplicitate, & q̄ ea discipulos meos ita discernit, ut quisquis simplicissimū uirum & innocentem susceperit ut meū discipulū (hoc em̄ est quod dicit, in nomine meo) me suscipit. Qui autem arrogantem suscipit, neq̄ meum discipulum suscipit, neq̄ me. Respondens autem Ioānes dixit: Domine, uidimus quendam in nomine tuo eijcientem dæmonia, & prohibuimus eum. Quænam sermonis illius consequentia quem dixit Ioannes, ad ea quæ dixit Dominus? Vtiq̄ magna. Quia enim dixerat Dominus q̄ minor in uobis hic erit magnus, timere cœpit Ioānes ne fortè malū quid fecissent homine per arrogantiam & superbiam prohibito. Nam prohibere aliquē ab aliquo, non minorē arguit eum qui prohibet, sed maius quiddam de se sentientem, quàm de eo qui prohibetur ab ipso. Proinde Ioannes timebat ne fortè superbius egisset prohibito homine. Cuius igitur gratia prohibuerunt hominem? Non inuidentes, sed indignū illum iudicantes qui miraculum operaretur. nō enim aderat cum illis gratia agendorum miraculorum daretur, neq̄ ad hoc à Domino emissus erat sicut alij, neq̄ Christum usq̄ à sequebatur. Quid igitur Dominus? Sinite (inquit) eum hoc facere. Conterit enim & ipse satanæ caput: & quia non obstat nobis ad prædicationem, non cooperatur diabolo: proinde pro nobis est. Qui enim non est contra Deum, pro Deo est: quemadmodum qui non congregat cum Deo, ille cum diabolo est. Admirare autem obsecro uirtutem nominis Christi, quomodo & per indignos, & eos qui non erant eius discipuli, gratia operetur, & solum nominati. ita et per sacerdotes, etiam si indigni fuerint, operatur gratia, & sanctificantur omnes, etamsi impurus fuerit sacerdos.

Initiū morbi facilè curatur.

Virtus nominis Christi etiā per indignos operatur.

Factum est autem dum cōplerentur dies assumptionis eius, & ipse faciē suā obstinauerat, ut iret Hierosolymā, & misit nuncios ante conspectum suum, & euntes intrauerunt in ciuitatem Samaritanorum, ut pararent illi. Et nō receperunt eum, quia facies eius erat euntis Hierosolymam. Cum uidissent autem discipuli eius Iacobus et Ioannes, dixerunt, Domine, uis dicamus ut ignis de cœlo descendat, & consumat illos, quemadmodum et Helias fecit? Conuersus autem Iesus increpauit illos, dicens: Nescitis cuius spiritus estis uos. Filius enim hominis non uenit ad perdendum animas hominum, sed ad seruandum. Et abierunt in aliud castellum.] Quid est quod dicit, dum complerētur dies assumptionis eius? hoc est, cum instabat tempus quo postquam sustinuisset salutarem passionem pro nobis, oportebat assumi in cœlum, & considere Deo & patri. Tunc igitur cum appropinquabat tempus passionis eius, & assumptionis ex hoc mundo, decreuit non ultrà hinc & inde obambulare, sed ascendere in Hierosolymam. Itaq̄ q̄ obstinauit faciem suam, hoc declarat, q̄ stabilierit & firmarit sententiam q̄ uelit ascendere Hierosolymā. Porrò nuncios ante faciem suam emittit, ut parent ipsi diuersoriū. & sciens quòd à Samaritanis non essent suscipiendi, nihilominus tamen illos emittit, ut omnem Samaritanorū auferat excusationem, ne dicere possent, Suscepissemus illum si quosdam præ se misisset. Interim & discipulis eius utile hoc erat, ut uidentes postea in cruce illi opprobrari, minus scandalizarentur: sed ex hoc facto magis discerent quòd sicut nunc contemptus à Samaritanis patienter tulit, atq̄ discipulos increpauit exasperantes eum contra contumeliosos, ita & tunc cum crucifigeretur, nō ut impetens, sed ut longanimis ferat. Prodest etiam in

4. Reg. 1.

hoc

A hoc discipulis, q̃ illos suo exemplo docet patientes esse. Illi quidem ad Heliam respicientes, qui bis quinquaginta uiros cum quinquagenarijs exusserat, exasperabãt Dominum cõtra eos qui se iniuria affecerãt. erant enim adhuc imperfecti. Cæterũ Christus docens legem suam sublimiorem q̃ uitam Heliæ, increpat eos, atq; à tali sententia abducit, cum docuisset mãsuetè ferendos illos qui iniuria afficiebant. Quid autem est quod dicit, nõ susceperũt eum, quia facies eius erat euntis Hierosolymã? Nũquid dicit q̃ non susceperint eum, eo q̃ definierat abire Hierosolymã? & cum hoc sic intelexerimus, q̃ eum propterea nõ susceperint, eo q̃ definierat abire Hierosolymã, inueniantur illi excusati non suscipientes? Est igitur dicendum, q̃ Euangelista hoc dicit q̃ non susceperunt eum, neq; intrauit Samariã: deinde quasi interrogasset quispiã, nunquid impotens erat? an nõ ualebat etiã illis nolentibus ingredi? Soluẽs hoc, dicit, Nõ ideo quia impotens fuit, sed qua noluit illuc ire, sed Hierosolymam: quoniã nisi hoc fuisset, etiam inuitis illis in castellum ingressus fuisset. *Lex Christi sublimior q̃ Heliæ uita.*

Factum est aũt, ambulantibus illis in uia, dixit quidã ad illum. Sequar te quocũq; ieris. Dixit illi Iesus, Vulpes foueas habẽt, & uolucres cœli nidos: filius aũt hominis non habet ubi caput suum reclinet. Ait aũt ad alterũ: Sequere me. Ille aũt dixit, Domine, permitte mihi primùm abire, & sepelire patrẽ meũ. Dixit aũt ei Iesus, Sine ut mortui sepeliant mortuos suos: tu uerò uade & annũcia regnũ Dei. Et ait alius. Sequar te Domine, sed permitte mihi prius ut dicã uale ijs qui sunt domi meæ. Ait ad illũ Iesus, Nemo qui manu sua admota aratro, respexerit à tergo, aptus est regno Dei.] Hic q accessit ad Iesum, & petijt ut sequeretur illũ, mala mente accesit. Quia enim uidit magnã turbam sequi Dominũ, suspicatus est q̃ pecuniam ab illa colligeret Dominus, & speraũit etiam ipse sequẽdo pecunias se congregaturum: idcirco repellit eum Dñs, quasi talia dicẽs ei: Tu quidẽ putas q̃ pecuniã ab his qui me sequantur, corradã, & q̃ uita mea talis sit quã doceo, sed nõ est. Enimuero usqueadeò paupertatem doceo & induco, ut cum alia quidem animalia foueas habeant, ego ne domũ quidem. & sic illum repulit. *Matt. 8.* *Mẽte inuersa uolentẽ sequi, Christus non recipit.* *Christi paupertas.*

B Alium aũt qui nõ rogauerat, permittit sequi: & cum peteret ut abire ei liceret, & sepelire patrẽ suum, ei nõ cõcedit, dicens, Sine mortuos sepelire mortuos suos, quo insinuat incredulũ fuisse patrẽ illius, & propterea indignũ cuius curã ageret filius qui crediderat. Sine enim mortuos cognatos, hoc est incredulos, incredulí patris curã gerere, & illũ pascere usq; ad sepulturã. Sepelire enim hoc loco significat curã gerere usq; ad sepulturã: quia & cõmunis sermo ita habet, cum dicimus, ille filius sepelijt patrem suũ: nõ intelligimus q̃ tantũ sepelierit eum, & nihil boni aliud illi fecerit, sed q̃ diligẽtem eius curã habuerit usq; ad mortem & sepulturam. Igitur illi quidẽ mortui, hoc est incredulí, sepeliant mortuũ suũ, dico patrẽ tuũ. Tu aũt quia credidisti, annũcia uelut meus discipulus euangeliũ Dei. Hoc autẽ dixit Dominus, nõ prohibens nos ab alendis parentibus, sed docens pietatem præferendã incredulis parentibus, eo q̃ nullum ad uirtutẽ obstaculum esse debeat: & contemnendã etiam naturam propriã. ideo petenti sequi illum, prius autem renunciare his quæ domi suæ, non concessit, ire scilicet in domum suam, & renũciare domesticis: & ut magis propriè dicam, dicere uale. Insinuabat autem homo ille q̃ familiaritatẽ quandam adhuc habeat cum mundo, & nõ affectus sit ut apostoli, qui mox ut audierũt, Christũ sequuti sunt, nihil aliud curiosius perquirentes, & ne uale quidem necessarijs dicentes. Sepe enim contingit q̃ quando quis uale dicit amicis suis, ut inueniantur aliqui qui illum à uita sancta abducant & prohibeant. ideo bonũ est ut cum quis rem bonam facere uult, non moretur, sed statim perficiat. Nullus enim qui mittit manum suam ad aratrum spirituale, & respicit iterum ad mundum, idoneus est ad regnum cœlorũ. Intellige autem per uulpes, etiã malignos dæmones, qui & uolatilia cœli dicuntur, hoc est aeris. Iuxta principem enim, inquit, potestatis aeris. Dicit igitur Dominus ad hominem, Quia dæmones in te foueas habent, propterea ego filius hominis non habeo in te ubi caput reclinem, hoc est fidem. Nõ uideo locum in corde tuo, quod impletum est dæmonibus. Caput enim Christi, fides in illum. Quãdo enim quis credit Deum esse Christum, tunc caput Christi tenet. Mortuus autem peccator est, qui & sepelit suos mortuos, hoc est, malas cogitationes, quas non confitetur. Proinde Dominus prohibet sequuturũ se, ne sepeliat malas cogitationes & occultet. uult enim eas per confessionem manifestari. *Sepelire.* *Pietas præferẽda infidis parentibus.* *Eph. 2.* *Caput Christi.* *Mortuus, qui malas cogitationes non cõfitetur.*

CAPVT X.

POst hęc autem designauit Dominus & alios septuaginta, misitq; illos binos ante A
faciem suam in omnem ciuitatem & locum quò erat ipse uenturus. dicebat ergo
illis, Messis quidem multa, sed operarij pauci. Rogate ergo Dominum messis ut ex-
trudat operarios in messem suam. Ite, Ecce ego mitto uos sicut agnos inter lupos.]
Exod. 15. Scriptum est in Exodo q; filij Israel uenerint in Elim, & duodecim fontes aquarum
fuerint illic, & septuaginta palmæ. Quod igitur tunc per historiam & in figura factũ,
Elim. nunc uerè euenit. Elim ascensus interpretatur: quod nihil aliud uult, q; ne sitis cum
Iudæis in litera legis permanentes, sed ascendentes in Christianismum ad perfectio-
rem intelligentiam, et incrementũ spirituale. Inuenimus duodecim fontes, præcipuos
illos duodecim apostolos dico, qui omnis doctrinæ dulcissimi fontes sunt. Inueni-
mus item & septuaginta palmas, nimirum septuaginta discipulos, qui fontes quidem
non dicunt, palmæ tamẽ sunt, ueluti qui ab apostolis educãdi & docendi erant. Nam
quanuis Christus illos elegerit, fuerunt tamen inferiores illis duodecim, & discipuli
Palmæ. illorum postea ac comites. Palmæ igitur illæ à fontibus, apostolos dico, educatæ fue-
runt. Nobis autem fructum dulcem quodammodo & austerum suppeditarunt. Ta-
lis enim sanctorum doctrina est nõ omnino dulcis & adulans, neq; omnino austera
& uerberans, sed utriusq; particeps, & reuera condita sale, gratiamq; habens: unde &
Colos. 4 Paulus dicit, Sermo uester in gratia sale sit conditus. Designat autem septuaginta di-
Opus opa- scipulos Dominus, propter eorum multitudinẽ qui doctrina opus habebãt. Sicut eñ
rijs multis agri frugiferi multos quærũt messores, sic cum multi & innumerabiles essent creditu
ri, multis indigebãt magistris. Porrò binos mittit, ceu imperfectiores, & ut alius aliũ
adiuuaret. Ibant & ante faciẽ eius, eo q; docebant, sicut Ioannes, Parate uiam Dñi,
Matt. 2. Considera autẽ quomodo dixerit, Rogate Dominum messis ut extrudat operarios:
Ioan. 1. deinde ipse propria authoritate illos emittit. Ipse enim est uerè Dominus messis, hoc
est, uerus credentiũ Deus. Prædicit autem eis & persequutiones, q; sicut agni in me-
dio luporũ futuri essent, ut ne si repentè in aduersa talia inciderent, magis turbarent. B

Nolite portare sacculũ, neq; peram, neq; calceamenta: & neminem per uiam salu
taueritis. In quãcunq; domũ intrauerítis, primùm dicite, Pax huic domui. Et si ibi fue
rit filius pacis, requiescet super illum pax uestra: sin minus, ad uos reuertetur. In eadẽ
aũt domo manete edentes & bibentes quę dantur ab illis. Dignus est enim operarius
mercede sua. Nolite transire de domo in domum. Et in quãcunq; ciuitatem intraue-
ritis, & susceperint uos, edite quæ apponũtur uobis: & sanate infirmos qui in illa sunt:
& dicite illis, Appropinquauit in uos regnũ Dei.] Quia missurus erat prædicatores
euangelij, dicit, Ne portetis sacculum, neq; hoc uel illud: sufficit enim uobis q; curam
habeatis uerbi. Nam si sacculum portaueritis, manifestũ q; illius uobis cura est, & uer
bum cõtemnitis. Vel aliter, Quoniam alendi estis ab his quos docetis, quid uobis sac-
culo opus, uel pẽra, uel calceamentis? Omnem enim illorum usum suppeditabunt hi
Quare di- qui à uobis docebuntur. Porrò q; nullũ per uiam salutent, hac de causa eis iniũgit, ut
scipulis à ne occuparent in hominũ salutationib. & curiositatibus, quibus à prædicatione impe
Christo in direntur. Verisimile enim est ut cum quis salutauerit quempiam, ab eodem resalute-
iunctum ne tur, & de maiori familiaritate interpelletur: ut fieri solet in his qui simul uadunt. Simul
quem salu- enim ut amici facti, etiam amplius & curiosius quiddam scrutantur: & sic paulatim in
tarent per humana negocia apostoli inciderent, uerbumq; negligerent. In itinere igitur saluta-
uiam. re quempiam ea de causa prohibet. In domum autẽ ingressi, dicit, dicite, Pax huic do
mui, hoc est, salutate eos qui in domo sunt. Et deinde ostendens q; hoc non solum sit
salutare, sed & benedicere, dicit, Si quidem dignus fuerit pater familiâs, benedicetur:
si autem contumeliosus, & non capax pacis, pugnans & aduersarius sermoni uestro
& doctrinæ: benedictio nõ ueniet super illum, sed ad uos reuertetur. Præcipit quoq;
non transeundum de domo in domum, ut ne uideantur gulosi, & scandalo sint mul-
tis, & contristent eos à quibus primùm susceptí sunt. Insuper dicit, Comedite ea quæ
apud illos sunt: hoc est quę proponunt uobis, etiam si uilia et parua sint, nihil amplius
inquirentes. Pro mercede aũt habete cibũ. Et ne queratis & pasci, & mercedem in-
super accipere, sed cibũ pro mercede habetote. Vide igitur quomodo discipulos ad in
opiam instruat, & securos faciat. Sanare autem & infirmos q; in ciuitatibus, præcipit,

ut mira-

A ut miraculorū operatione attrahāt homines ad uerbū quod prædicant. Et uide quid dicat: Et dicite eis, Appropinquauit in uos regnū Dei. Nā si primùm sanaueritis, ac deinde docueritis, feliciter curret sermo uester, & credent homines q regnū Dei peruenerit in ipsos. Non enim sanati fuissent, nisi diuina quædā uirtus fuisset hæc operans. Sed & quādo quis animo ægrotās sanatus fuerit, tūc uenit in eū regnū Dei. Ab ægrotante enim longè istud est, quandoquidem peccatū in illo regnat ac dominatur. *Quālo prædicatiū sermo feliciter curret.*

In quācunq; autem ciuitatē intraueritis, & nō susceperint uos, exeuntes in plateas eius dicite, Etiam puluerem qui adhęsit nobis de ciuitate uestra, extergimus in uos: tamen hoc scitote q appropinquauit in uos regnū Dei. Dico uobis q Sodomis in die illo remissius erit q̄ illi ciuitati.] Quando, inquit, non susceperint uos, egressi testemini eis q nihil cōmune nobis uobiscum, neq; habemus aliquid de ciuitate uestra: sed etiā puluerē qui adhæsit nobis, extergimus, hoc est excutimus, spongia emūdamus, abijcimus in uos. Veruntamen scitote q appropinquauit in uos regnum Dei. Hoc loco quæsierit quispiam, Quomodo dicit Dominus appropinquasse regnum Dei & his qui susceperunt & qui non susceperunt apostolos: Appropinquare dicit regnū cœlorum his qui apostolos susceperē, propter beneficia quæ in eos collocant: his autē qui non susceperunt, propter condemnationē. Finge in spectaculo quodam multos condēnatos, & alios nō condēnatos, Senatores, inquā, ac exercitus duces & optimates: deinde dicere præconem ad omnes tam condēnatos q̄ uenerabiles, Appropinquauit rex uester: nónne his quidē ad supplicium, aliis uerò ad gloriam & beneficentiā appropinquare dicit regem? Sic igitur & hoc loco intellige: Tolerabilius erit Sodomis inquit q̄ ciuitati quæ uos non susceperit. Quare? Eo q in Sodoma apostoli non fuerunt missi. Igitur, qui apostolos non susceperunt, deteriores sunt Sodomitis. Obserua ciuitatem non susciptentem apostolos, plateas habere. Lata enim uia est quæ ducit ad interitum: quam quisquis ingreditur, ille apostolicū & diuinum uerbum non suscipit. *Quomodo susciptientibus & non susciptientibus apostolos apparquet regnū cœlorum.* *Matt. 7.*

Væ tibi Corozain, uæ tibi Bethsaida: quia si in Tyro & Sidone factæ fuissent uirtutes quæ factæ sunt in uobis, olim in cilicio & cinere sedentes pœnituissent. Verūta
B men Tyro & Sidoni remissius erit in iudicio, q̄ uobis. Et tu Capernaū, quæ usq; ad cœlum elata es, usq; ad infernū deprimeris. Qui uos audit, me audit: & q uos spernit, me spernit. Qui aūt me spernit, spernit eum q me misit.] Tyrus & Sidon ciuitates fuerunt Gentiliū, Bethsaida aūt & Corozain Iudaicæ. Dicit igitur q in iudicio tolerabilius erit Gentilibus q̄ uobis, q uidistis miracula, & nō credidistis. Illi enim si uidissent, credidissent utiq;. Sed & tu Capernaū quæ exaltata quidē fuisti usq; ad cœlū, & glorificata multis quæ in te facta sunt miraculis, detraheris usq; ad infernū, cōdemnanda ppter istuc ipsum, q & post tanta miracula incredula manes. Deinde ut ne dicant qui mittuntur ad prędicationē, quò mittis nos, si ciuitates quædā nō sunt nos susceptureę dicit, Ne sitis animo tristi: qui spernit uos, me spernit, & patrē meum: & ita iniuria nō uestra est, sed in Deum transit. Consolatio igitur sit uobis, q hæc Dei sit iniuria. Sicut contrà, ne gloriemini, uel sapite sublime, quòd quidam uos audiant. Non enim uestrum est opus, sed meum, & gratiæ.

Reuersi aūt sunt septuaginta cum gaudio, dicētes, Dñe etiā dæmonia subijciuntur nobis per nomē tuū. Ait aūt illis, uidebā satanā sicut fulgur de cœlo cadentē. Ecce do uobis potestatē calcādi sup serpentes & scorpiones, & sup omnē uirtutē inimici, & nihil uobis nocebit. Verūtamē in hoc nolite gaudere q spiritus uobis subijciunt, sed gaudete q nomina uestra scripta sunt in cœlis.] Prius dixit q miserit septuaginta, nūc aūt dicit q reuersi sint gaudentes q nō solū alios morbos fugarint, sed, quod maius maiū erat, effugarint etiā dæmones. Vide aūt quomodo non superbiūt. Dicunt enim q in nomine tuo subijciunt nobis dæmonia, tua gratia, non uostra uirtute. Dicit aūt illis Dominus, Ne miremini si dęmones uobis subijciant. Princeps em̄ ipsorū olim de cœlo decidit, et nullā fortitudinē habet. Nam licet hoc homines nō uiderint, ego tamē in uisibiliū spectator uidi. Decidit aūt sicut fulgur, quia lux erat, & archangelus & lucifer, etiāsi in tenebras uersus sit. Si igitur de cœlo ille decidit, serui eius, dæmonia dico, quid non patientur? Quidā aūt sic intelligunt, de cœlo, hoc est de gloria. Nam quia dixerant ei septuaginta q dæmonia sibi subijciant, dicit: hoc & ego sciebam. Videbā enim satanam de cœlo, id est de gloria sua, & de honore quem habebat, cadentem.

Ante Christũ enim ut Deus colebat, nũc aũt de cœlo decidit, hoc est de gloria sua, ne colatur ut Deus, neq; habeatur perinde ac si in cœlo habitet. Ecce igitur do uobis potestatẽ cõculcandi uirtutem illorũ. Serpentes & scorpij, dæmonũ sunt cateruæ, quæ deorsum trahunt. Et qui manifestè percutiunt, serpẽtes: qui uerò occultius, scorpij, ut dæmon libidinis & cædis est serpens. in manifestaria enim mala cõpellit. at qui ppter morbos persuadet hominẽ lauacris, unguentis, & alijs effœminantibus uti, scorpius uocatur, nõ manifestũ habens aculeũ, sed clàm carnẽ offendens, ut obedientẽ in magnum casum inijciat. Gratia aũt Domino, qui dedit potestatẽ calcandi super illos. Cęterùm docens eos ne superbiant, dicit, Verũtamen in hoc non gaudete q̃ dæmonia uobis subijciuntur (alij enim sunt qui ex hoc beneficia capiunt, nempe qui sanitatem consequuntur) sed magis q̃ nomina uestra scripta sunt in cœlis: non atramento, sed memoria Dei & gratia. Et diabolus decidit è cœlo, homines aũt q̃ infra sunt, scribunt supra. Verum itaq; gaudium nomina uestra in cœlis scribi, & esse in memoria Dei.

Dæmonũ cateruæ, serpentes & scorpij.

Scribi in cœlis, est esse in Dei memoria.

Matt. 11.

In eadem hora exultauit spiritu Iesus, & dixit, Confiteor tibi pater Domine cœli et terræ, q̃ abscondisti hæc à sapientibus & prudentibus, & reuelasti ea paruulis: etiã pater, quoniam sic complacitũ est coram te.] Sicut pater bonus cum uiderit filios recta quædam opera gessisse, ita saluator exultat, quia talia bona assequuti erant apostoli. Itaq; patri gratias agit q̃ occultauerit quidem talia mysteria à sapientibus, pharisæis scilicet & scribis, qui legem interpretantur, & intelligentibus, hoc est discipulis horũ scribarũ. Sapiens enim est qui docet, intelligens autem qui docetur & intelligit quæ dicuntur: ut exempli gratia sapiens Gamaliel, intelligens Paulus. ille enim docebat, hic intelligebat quæ ab illo docebãtur. Paruulos aũt nominabat Dominus suos discipulos, utpote eos qui in lege docti non erant, sed plericq; ex turba & piscatoribus congregati. Veruntamẽ & paruuli dicti sunt ob puerilem simplicitatẽ. Illi autem sapientes dicti, quia uidebantur sapientes, cum sapientes non essent. Abscõdit igitur mysteria ab his qui uidebãtur sapiẽtes & intelligentes, cum utiq; nõ essent. Nam si fuissent, reuelata fuissent eis. Etiam pater, gratias ago tibi, quia sic beneplacitũ fuit ante te, hoc est fuit talis approbatio & uolitio ante te, & sic placuit tibi.

Sapiens quid. Intelligens quid. Qui paruuli dicti, & quare.

Et conuersus ad discipulos dixit, Omnia mihi tradita sunt à patre meo, & nemo scit quis sit filius, nisi pater: & quis sit pater, nisi filius, & cui uoluerit filius aperire. Et conuersus ad discipulos seorsum, dixit, Beati oculi qui uident quæ uos uidetis. Dico enim uobis q̃ multi prophetę & reges uoluerũt uidere quæ uos uidetis, & nõ uiderũt: & audire quæ auditis, & nõ audierũt.] Omnia tradunt filio à patre, sicut subijcienda fuerũt filio omnia. Duo enim modi sunt quibus regnat in nobis Deus: unus quo regnat in his qui nolũt: alius, in his qui uolũt: ut exẽpli gratia quid dicã, Deus Dñs meus est etiã si nolim, quia cõditor meus est. Est aũt iterũ Dominus meus, quando seruando mandata eius, uoluntatẽ eius impleo, gratus seruus factus. Primùm humana natura seruit & subdita est Deo etiãsi nolit, etiamsi satanæ ministret. Postq̃ aũt Christus pro nobis suscepit bellũ, & nos à diaboli tyrãnide extractos, ministros suos, & mandatorũ suorum operarios fecit, tunc facti sumus serui grati & natura & uoluntate. Prior enim seruitus naturæ tantũ erat, secũda uerò etiam uoluntatis. Hoc igitur est quod nũc dicit Dominus, quia omnia mihi tradita sunt à patre meo, hoc est omnia mihi subijcienda sunt, & sub potestatẽ meam redigenda. Simile autem est hoc ei quod alicubi dictum, Data est mihi omnis potestas in cœlo & in terra. Qui eñ pacificauit omnia tam quæ in cœlo q̃ quæ in terra, talia dicit. Et aliter, Omnia tradũtur filio à patre, omnia opera quæ incarnatus pro nobis fecit. Quia enim neq; pater neq; spiritus pro nobis uel incarnatus est, uel passus, uel resurrexit, sed filius hæc omnia tulit, & dux salutis nostræ factus est: idcirco dixit omnia tradita ipsi esse: ueluti si dixisset, Pater meus mihi cõcredidit omnia, incarnari, pati, resurgere, saluare naturã repulsam. Et nullus scit filiũ nisi pater: & quis sit pater, nisi filius. Postq̃ aũt dicit, Omnia mihi cõcredita sunt, quasi dubium quoddã nũc soluit. Ne eñ quis dubitet, & cuius gratia tibi tradita sunt omnia, & nõ alteri fortassis angelo uel archãgelo: dicit q̃ propterea mihi tradidit, eo q̃ eiusdẽ naturæ & substantiæ sum cum eo. Et sicut illũ nullus scit, ita neq; me, nisi pater solus: & ita meritò mihi tradidit omnia ut eiusdẽ naturæ secũ, omnemq; cognitionẽ transcendenti, sicut eriam ipse supra omnem cognitionis uim est. Etenim pater, inquit,

Duo modi regnãris in nobis Dei.

Matt. 28. Coloss. 1.

Cur Christo potius quàm angelo seu archãgelo cuipiã tradita sint omnia.

à solo

A à solo filio cognoscitur, & cui filius uoluerit reuelare. Vide autem q̃ filius quidē non per reuelationem cognoscat patrem, creaturæ autem per reuelationem. gratia enim accipiunt scientiā, non igitur creatus est filius. Conuersus uerò ad discipulos, beatos illos dicit, & omnes quoq; qui eum fide ipsum in carne ambulantē uidēt, & miracula operantē. Et enim pphetæ prisci & reges desiderauerūt quidē in carne uidere Dominum, & audire eum, sed nō cōtigit eis. Et aliter: quia suprà dixit, Cui filius reuelauerit, ille scit patrē: beatos nunc dicit discipulos, q̃ sua reuelatione ista eis cōtingant. Reuelauit enim eis patrē per se. Ipsum enī uidens, uidet patrē: quod bonū nullus ex sanctis qui ante incarnationem eius fuerunt, obtinuit, quia non uiderunt Dominum in carne, per quem pater cognosceretur. unde neq; patrem sic uiderunt ut apostoli.

Et ecce quidam legisperitus surrexit tentans illum, & dicens: Magister, quid faciendo, uitam æternam possidebo? At ille dixit ad eum, In lege quid scriptum est? quomodo legis? Ille respondens dixit, Diliges Dominū Deum tuū ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex totis uiribus tuis, & ex tota mente tua: & proximum tuum sicut te ipsum. Dixitq; illi, Rectè respondisti. hoc fac, & uiues.] Arrogans quidam legisperitus fuit, immo superbus, ut ex his quę sequuntur, manifestum est: insuper & dolosus. Accedit itaq; tentans Dominum. Opinabatur enim q̃ ex responsis supplantare Dominum posset. Sed Dominus illum ad legem ducit, in qua mirè gloriabatur. Vide aūt quanto studio iubeat lex Deum amare. Homo creaturarū omniū est perfectissimus, & particeps naturæ omniū, & præterea quiddā sublimius habēs. Vt exēpli gratia q̃d dicā, Particeps est naturæ lapidis. habet enim capillos & ungues, quæ insensata sunt, quemadmodū lapis. Particeps est & naturę plantarū, secundū quod crescit & nutrit, & simile generat, sicut & plantæ. Particeps est & naturę brutorū, secundum quod habet sensus, & irascitur, & concupiscit. Particeps est autem & Deo iuxta rationalem animam, supra omnia alia animantia. Itaq; lex ostendere uolens q̃ homo debeat sese totum tradere Deo, & omnes animales uirtutes insumere in dilectionē Dei, eo quidē
B quod dicit, ex toto corde, crassiorem & plantis propriā declarauit uirtutem. Dicendo autem, ex tota anima, mediam ostendit, & sensatis cōgruentem. Per hoc aūt quod dicit, ex tota mente, homini maximè propriam uim significauit, animam rationalem. Porrò quod dicit, ex tota fortitudine, ad omnia hæc trahendū. Oportet enim nos & naturalem ac uegetatiuā uirtutē subijcere dilectioni Christi. Sed quomodo? Fortiter, & non dissolutè. Et sensitiuam, atq; illam fortiter. Denicq; & rationalem, atq; illam ex tota uirtute. Atq; ita debemus nos totos dare Deo, subijcereq; & nutritiuam, & sensitiuam, & rationalem nostram uirtutem dilectioni Dei. Et proximum tuum sicut teipsum. Lex nondū ualens perfecta docere ob auditorū puerilitatem, proximū diligere hortatur ut seipsum. Christus autem & plus q̃ seipsum diligere proximum docuit. Maiorem enim hac dilectionem, inquit, nemo exhibere potest, q̃ ut animā suam ponat quis pro amicis suis. Dicit igitur ad legisperitum, Rectè respondisti. Quia enim (dicere uult) legi adhuc subiectus es, rectè respondisti. iuxta legem enim sapis.

Ille aūt uolens iustificare seipsum, dixit ad Iesum, Et quis est meus proximus? Respondēs autem Iesus dixit, Homo quidā descendebat ab Hierosolymis in Hiericho, & incidit in latrones: qui etiam despoliauerūt eum uestibus, ac uulneribus inflictis abierunt semimortuo relicto. Accidit autem ut sacerdos quidā descenderet eadem uia, uisoq; illo præterijt. Similiter & leuita cum iret iuxta locum, cum accessisset ac uidisset eum, †præterijt. Samaritanus autem quidā iter faciens, uenit ad eum: & uiso eo, misericordia motus est, & accedens obligauit uulnera eius, infundens oleum ac uinum: & imponens illum in suum iumentū, duxit in diuersoriū, & curam eius egit. Et postero die egrediens, depromptos duos denarios dedit hospiti, & ait ei, Curā illius habe: & quodcunq; præterea insumpserit, ego cum rediero reddā tibi. Quis ergo horū trium uidetur tibi proximus fuisse illi qui incidit in latrones? At ille dixit, Qui exercuit misericordiam in illum. Ait igitur illi Iesus, Vade, & tu fac similiter.] Laudatur à saluatore legisperitus, prodidit insolentiam animi. dixit enim, Et quis est meus proximus? Existimabat enim se iustū esse, nullumq; habere sibi similem & proximū uirtute: putans solum iustū iusto proximū esse. Proinde uolens iustificare seipsum, & extolli super omnes homines, insolescens inquit: Et quis est proximus meus? Saluator autem

† ἀντιπαρῆλθεν. i. præterijt uel reuersus est, ut interpretatur ipse Theophyl.

Matt. 22.

Deut. 6. Rom. 13.

Homo omnis omniū naturæ particeps.

autem quoniam conditor ipse erat, sciens nos omnes unam creaturam, nõ operibus neq; dignitatibus, sed natura definit proximũ. Ne igitur putes, inquit, quia iustus es, q; nullus tibi similis sit. Omnes enim qui eiusdẽ naturæ sunt, proximi tui sunt. Sis igitur uicissim & tu illis proximus: nõ loco, sed affectione & studio erga illos. Idcirco & Samaritanum introduxit in exemplũ, ut tibi monstret q; licet hic uita excelluerat proximus tamen ei erat qui miseratione dignus. Sic & tu compassione proximum te illi exhibe, & sponte ac non uocatus in illius subsidium curre. Docemur igitur & hoc loco per parabolam ut parati simus ad misericordiam, & conemur esse proximi his qui indigent nostro subsidio. Docet autem & quanta Dei bonitas erga homines. Descendebat enim humana natura à Hierusalem, hoc est à tranquilla & pacifica uita. Hierusalem enim interpretatur uisio pacis. Quò autem descendebat? In Hiericho humilẽ, concauã, & æstu suffocantẽ, hoc est, uitam affectionib, plenã. Vide aũt q; nõ dixerit, descendit, sed descendebat. Semper enim humana natura ad inferiora procliuis est, non semel, sed semper uitæ affectionibus deditę uacãs. Incidit autem in latrones, hoc est dæmones. Nisi quis à cogitationibus sublimibus descenderit, non incidit in dæmones, qui exuto homini, & spoliato uestibus uirtutũ, plagas inferunt peccati. Primũ enim denudant nos omni bona cogitatione, & uisitatione Dei: deinde plagas peccati inferũt. Porrò naturam humanam semimortuam reliquerunt: uel q; anima immortalis, corpus autem mortale, & ita dimidium hominis morti subditum est: uel q; nõ omnino desperata erat humana natura. In Christo enim salutem se habiturã esse sperabat. Itaq; nõ mortua erat omnino: sed propter ruinam Adæ mors in mundũ intrauit: propter Christi autem iustificationem mors abolenda erat. Per sacerdotem uerò & leuitam, legem intellige & prophetas. Illi enim uolebant iustificare humanã naturã, sed non potuerunt. Impossibile enim (inquit Paulus) sanguinem taurorum & hircorum tollere peccatum. Miserti itaq; sunt hominis, & de eius sanitate cogitarunt. Deinde plagarũ magnitudine uicti, ad posteriora iterum regressi sunt. Hoc enim significat ἀνέκαμψαν. Venit enim, inquit, lex, & astitit iacenti: deinde non ualẽs sanare, reuersa est. hoc enim significat ἀνέκαμψεν. Attende item q; uerbũ, accidit, sensum quendam habet. Nam reuera lex nõ ob res in primis intentas, sed propter humanã infirmitatem, quæ non potuit ab initio sacramentum Christi suscipere, data est. Propterea dicit, accidit q; sacerdos, hoc est lex (ita enim dicere solemus de his quæ fortuitò obueniunt, & citra operã nostrã) uenit ut sanaret hominẽ, sed Dñs & Deus noster, qui pter nos factus est maledictũ, & uocatus Samaritanus, iter faciens, hoc est hanc potissimũ sui itineris causam esse uolens, & hunc scopũ obseruans, ut nos sanaret: non præteriens & obiter nos uisitans uenit ad nos, sed conuersatus nobiscũ, & loquutus non apparenter, sed uerè. Proinde statim obligat uulnera, neq; permittit malitiã amplius laxari, sed obligat eam. Infundit oleum ac uinũ: oleum, hoc est sermonẽ doctrinæ, qui per suauia nos adhortatur: uinum uerò, sermonẽ qui per austeriora inducit ad uirtutem. Exẽpli gratia, quando audis Dominũ dicentẽ, Venite ad me, & ego reficiam uos: hoc oleum hilaritatẽ eñ & quietem ostendit. & iterum, Venite, hæreditate præparatũ uobis regnũ. Quãdo aũt dicit, Ite in tenebras: uinum est, hoc est austerior doctrina. Intelligere potes & aliter. Oleum humanã significat conuersationẽ, uinum diuinam, ut tale quid dicam, Dominus alia humano more operabatur, alia autem diuino. Humanum erat comedere & bibere, & uitam laxiorem sectari, & non austeritatem præ se ferre, ut Ioãnes: atq; hoc fuerit oleũ. Ieiuniũ uerò mirabile, & ambulatio in mari, & aliæ diuinæ uirtutes, uinũ sunt. Vino eñ assimilata est deitas, quã meracã sustinere ac ferre nullus posset, nisi & oleum adesset, hoc est, humanior cõuersatio. Et proinde quia per utraq; nos seruauit, diuinitatẽ inquã & humanitatem: propterea dicit uinũ & oleum infudisse. Et quotidie qui baptizantur, liberantur à uulneribus animę, oleo quidem unguenti uncti: statim autem cõmunicantes, & diuini sanguinis participes fiunt. Porrò Dominus imposuit sauciã nostram naturã super propriũ fumentum, hoc est super corpus suum. Mẽbra enim sua nos fecit, & participes sui corporis: nosq; infimo loco sitos posuit in dignitatem illã, ut & eiusdẽ corporis uideamur esse. Diuersoriũ autem ecclesia est, quæ omnes suscipit, lex enim non omnes suscipiebat. Moabita enim, dicit, & Ammonita non intrabunt in ecclesiã Dei. Nunc aũt in omni gente

Proximus noster q; sit.

Cur Samaritanus in exemplum proximi inductus.

Hierusalẽ.

Dæmones latrones.

Rom. 5.

Hebræ. 10.

Galat. 2.

Ioann. 8.

Matt. 11.

Matt. 25.

Deut. 23.

Actuũ. 10.

Agente qui timet Deum, acceptus est ei, modò uelit credere, & pars fieri ecclesiæ, q̃ omnes peccatores & publicanos suscipit. Vide item & diligentiã, quõ ducẽs, inquit, in diuersoriũ, curã eius egerit. Nã prius q̃ in hoc duceret, solũ obligauit uulnera. Quid igitur est quod dico? Quia cum cõstituta est ecclesia, & factum est diuersoriũ, hoc est ex omnib. ferme gentibus aucta, tũc fuerũt & spiritus sancti dona, & dilatata est gratia Dei: id quod ex actis apostolorũ disces. Tenet aũt figurã hospitis, omnis apostolus & doctor, et pastor: quibus dedit Dominus duos denarios, duo testamẽta, uetus & nouum. Vnius enim regis imaginẽ utraq; tenẽt, nẽpe q̃ eloquia Dei sint. Itaq; denarios illos Dñs in cœlum ascendens reliquit apostolis, & episcopis alijs, atq; doctorib. Dixit autẽ, Quicquid ex tuo insumpseris, ego dabo tibi. Reuera enim de suo apostoli multa insumpserunt, multũ laborantes, & ubiq; doctrinã seminãtes. Sed & doctores qui explanãt ueterẽ & nouã, multa è suo insumũt, pro quibus mercedẽ accipiẽt Domino rediturο in secundo aduentu. Tunc enim singuli dicent ei, Domine, duos denarios dediſti mihi, ecce alios duos præterea impendi. Cui dicet & ipse, Euge serue bo. & c. *Matt. 25*

Factum est autem dum irent, ut ipse intraret in quoddã oppidulũ: ac mulier quędã Martha nomine excepit illum in domũ suam: & huic erat soror nomine Maria, quæ etiam assidens ad pedes Iesu audiebat sermonem illius. Martha aũt distrahebaẽ circa frequens ministeriũ: quæ assistens ait, Domine, nõ est tibi curæ q̃ soror mea reliquit me ut sola ministrem? Dic ergo illi ut me adiuuet. Et respondens dixit illi Iesus, Martha Martha, solicita es, & tumultuaris circa multa: atqui unum est necessariũ. Maria bonam partem delegit, quæ non auferetur ab ea.] Magna quidem hospitalitatis uirtus est, id quod Martha ostendit, & non reijcienda: maior autem attendere uerbis magis spiritualibus. Per illam enim corpus pascitur, per hoc anima ũiuificatur. Non eñ propter hoc assumus, inquit, ô Martha, ut uentrẽ impleamus uarijs cibis, sed ut animabus utiles simus. Vide item & Domini sentẽtiam. Nihil prius dixit Marthæ, q̃ ab illa perstringendi sumeret occasionem. Postq̃ enim illa auellere tentauit sororem ab auditu, tum demq; Dominus arrepta occasione illam uerberat. Eatenus enim hospitalitas ueneratione digna est, quatenus non abstrahit & abducit nos à magis necessarijs. Sed cum cæperit nos arcere à rebus grauioribus, tunc illi præferendus diuinorũ auditus: immo si accuratius dicendum, non hospitalitatem prohibet Dominus, sed uarietatem ac turbam, hoc est distractionem & turbationem. Laudat enim frugale hospitium. Quare enim, inquit, Martha solicita es, & turbaris circa multa, hoc est distraheris, turbaris? Vno nobis opus est, nempe ut comedamus qualitercunq;, non uarijs. Quidam autem exponunt, uno est opus, non de esu, sed attentione doctrinæ. Porrò dictis illis docet Dominus apostolos, ut cum uenerint in domum cuiusdam, non uaria inquirant, sed contenti sint frugali hospitalitate, nihil plus quærentes quàm ut attendant doctrinæ. Intellige quoq; per Martham uirtutem practicam, per Mariam contemplationem. Practice enim distractiones & turbationes fert: contemplatio uerò domina fit affectionum, Maria enim Domina interpretatur, ac in sola diuinorum eloquiorum & iudiciorum contemplatione occupata est. Animaduerte autem & hoc, q̃ assidet iuxta pedes Iesu, & audit sermones eius. Etenim per pedes intelligunt uirtutem practicam, motum enim & incessum ostendunt. Porrò sessio, firmitatis symbolum est. Quisquis igitur sederit iuxta pedes Iesu, & confirmatus fuerit in practica, ac imitatur uitam & conuersationem Iesu, ille postea uenit ad auditum diuinorum sermonum, uidelicet cõtemplationem: quia & Maria primùm sedet, deinde audit sermones. Tu igitur si quidem potes, in ordinem Mariæ ascẽde, & fias domina affectionum, & ad contemplationem uenies. At si hoc tibi non fuerit possibile, Martha esto, practicæ parti addictus, & per hoc Christũ suscipiens. Vide autem hoc, Quę non auferetur ab ea. Practicus eñ habet quod à se auferaẽ, hoc est distractionẽ & occupationem. proficiendo enim uenit ad contemplationem, liberaturq; à turbatione & distractione, & ita aufertur aliquid ab ea. Contemplator uerò non priuatur hac bona parte, contemplatione scilicet. In quod enim maius aliud proficeret, ubi in hoc uenerit fastigium, diuinam dico uisionem, id quod est deificari? Qui enim Dei uisionẽ assequitur, Deus fit. Simile enim ſimili comprehenditur.

B *Hospitalitas quatenus uenerãda.*

Vno opus est: uel, unũ est necessarium, quid significet.

Martha uirtutem practicã, Maria cõtemplatiuã significat.

CAPVT

Universidad de Deusto
Biblioteca

CAPVT XI.

ET factum est cum oraret quodam in loco, ut cessauit, dixit quidam ex discipulis eius ad eum, Domine, doce nos orare, sicut Ioānes docuit discipulos suos. Et ait illis, Cum oratis, dicite, Pater noster, qui es in cœlis, sanctificetur nomē tuum: ueniat regnum tuum: fiat uoluntas tua, quemadmodum in cœlo, sic etiam in terra. panem nostrum quotidianum da nobis hodie: & remitte nobis peccata nostra, siquidem & nos remittimus omni debenti nobis. Et ne nos inducas in tētationem, sed libera nos à malo.] Imitatur discipulus Christi discipulos Ioannis: idcirco & quærit ut doceatur modum orationis. Saluator autem nō repulsa discipuli prece, docet: Pater noster (inquit) qui es in cœlis. Vide orationis uim, statim sursum te ducit: tibiq; persuadet, quoniam nominas Deum patrem, ne omnino similitudine eius careas, sed enitaris fieri similis patri. Non dixit autem, pater meus: sed, pater noster, ad fraternitatis amorem nos cohortans, & compellens omnes diligere tanquam cōmunes fratres. Porrò cum dixisset, in cœlis, non Deum illic circunscribit, sed auditorem in cœlos subuehit, & à terrenis abducit. Sanctificetur uerò nomen tuum, pro eo quod est glorificetur, hoc est, fac uitam nostrā in tuam esse gloriam. Nam sicut nomen Dei propter malos blasphematur, ita propter eos qui bonam agūt uitam glorificatur. Veniat regnū tuum. Malus deprecatur regnum Dei, nolens illud uenire propter iudicia quæ tunc erunt: iustus uerò orat ut cito ueniat, quò à tentationibus quę hic sunt, liberetur & quiescat. Fiat autem uoluntas tua, quemadmodū in cœlo ab angelis, ita & à nobis hominibus super terram. Angeli enim omnino iuxta uoluntatem Dei operantur. Docet quoq; quotidianū panē solū quærendū, hoc est, eum qui substantiæ nostræ & uitæ conseruandæ conducit: non superfluum, sed necessariū. Porrò nō intrare in tentationes, significat non temere prosiliendum in tentationes. Neq; enim orare debemus Deum ut immittat in nos tentationem: sed deprecandæ sunt: & si nobis acciderint, ferendæ fortiter. Dicere autem possumus, q; duo sint genera tentationum. Aliæ enim sunt uoluntariæ, ut ebrietas, homicidium, adulterium, aliæq; affectiones. Hisce enim tentationibus sponte nos submittimus. Inuoluntariæ uerò sunt, quibus tyranni & ualidiores nos subijciunt. Igitur à uolūtarijs tentationibus, hoc est affectionibus, fugere nos oportet, & eas deprecari, & dicere, ne inducas nos, hoc est ne permittas nos incidere in tentationem, hoc est uoluntariam tentationē. Sed libera nos à malo. Hic enim est qui & uoluntarias & inuolunarias infert tentationes. Ideo qui tentaris ab homine & uim pateris, ne putes hominem esse tibi authorem tentationis, sed malignū. Ille enim est qui fratri persuadet ut in te sæuiat & insaniat.

Et ait illis, Quis uestrûm habebit amicum, & ibit ad illum media nocte, & dicet illi, Amice, da mihi mutuò tres panes, quoniam amicus meus uenit de uia ad me, & nō habeo quod apponam illi. & ille intus respōdens dicat: Noli mihi molestus esse, iam ostiū clausum est, & pueri mei mecū sunt in cubili: nō possum surgere, & dare tibi. Dico uobis, etiā si nō daturus sit illi surgens eo q; amicus eius sit, propter improbitatem tamē eius surget, ac dabit illi quotquot habet opus.] Parabolam hanc & exemplū dicit Dominus erudiens nos ne segniter oremus. Quid igitur uult parabola? Mediā noctem quidem inquit esse extremum uitæ, ad quod cum homines peruenerint sensum boni accipiūt, & ad Deum festinant: qui amicus est, omnes diligens, & omnes uolēs saluos fieri. Igiī multi accedunt in media nocte, hoc est in extrema uita, ad Deum, ut ad amicū: & dicunt ei, Da mihi tres panes, hoc est fidē in trinitatē. Amicus ēm meus aduenit, hoc est, angelus qui animam assumit. Amicus aūt est omnis angelus, sicut & Dominus dixit q; gaudium factū est in cœlo de salute hominis. Pueri autem qui in lecto quiescunt, sunt hi qui cōuersi sunt, & facti sunt pueri, & digni habiti sunt qui quiescerent cum Domino. Impudentiā autem & improbitatem dicit orationem attentā cum sustinentia. Intellige & aliter, per mediam noctem, ingentem tentationem. Nox enim omnis tentatio: media autem nox, omnis tentationis feruor. Igitur cum quis in medias tentationes peruenerit, accedit ad Deum nos diligentem & dicit, Commoda mihi tres panes, salutem corporis scilicet, & animæ, & spiritus. Timetur enim ne mia hæc per tentationes periclitentur. Quis autem amicus est qui uenit de uia? Vel omnino Dominus, qui probat nos, & auidus est edendi de salute nostra. Non habet autem

quod

Matt.6.

Orationis dominicæ expositio.

Duo genera tentationum.

1.Tim.2.

Inferius 15 Pueri in lecto quiescētes.

Amicus de uia ueniens

A quod apponat amico, qui in tentationes inciderat, & infirmus per se ut obsistat illis, & curet ea quæ sunt Dei. Claudi ianuam, signatq; oporteat ante tentationes nos esse præparatos. Quum autem inciderimus, clausa est præparationis ianua. Et qui inueniunt impræparati, nisi Deus adiuuerit, periclitabuntur. Pueri autem (sicut prius dictum) hi sunt, qui per uirtutem facti sunt filij Dei, & recumbunt ac quiescunt cum Deo.

Et ego dico uobis, Petite, & dabitur uobis: quærite, & inuenietis: pulsate, & aperietur uobis. Omnis enim qui petit, accipit: & qui quærit, inuenit: & pulsanti aperietur. Quis autem ex uobis pater, à quo si filius petierit panem, num lapidem dabit illi? aut si piscem, num pro pisce serpentem dabit illi? aut si petierit ouum, num porriget illi scorpium? Si ergo uos cum sitis mali, nostis bona dona dare filius uestris: quanto magis pater uester qui in cœlis est, dabit spiritum sanctum poscentibus se? Videte uerborum diligentiam. Non dixit, petetis, & dabitur: sed, petite, hoc est, continuò quærite. Omnis enim qui petit, accipit. Nunquid ergo & qui petit quæ nõ expediunt, accipit? Nõ. Primò igitur rerum noxiarum petitio, non uocatur petitio apud Deum. nam qui Deũ orat, debet petere quæ ille dat. Quando autem quis noxia petit, non ad Deum petitionem facit. ipse enim noxia non dat. Insuper audi etiam ipsum Dominum quomodo doceat nos petere quæ oportet. Panem, inquit, & piscẽ & ouum filius petit. Sicut igit hæc hominis sunt cibus, ita & petitiones nostræ utiles nobis esse debent. Intellige hic quòd panem petat omnis qui fidem in trinitatem & rectitudinem dogmatum reuelari sibi petit. Hæc enim cor sicut panis confirmant. At piscẽ petit, qui in mari uitæ huius est: & quærit à Deo adiutorium, ut in medijs tentationibus non submergatur, sed uiuat, & sicut piscis custodiatur. Ouum autem petit, qui sibi uirtuosarum animarum fructus dari petit. Quæ sanè animæ auibus conferuntur, quæ alas sumpserunt, & spiritu alleuiatæ super terrena sese extulerunt.

Matt. 7. 13. Marc. 11. Ioan. 10. 14. Panis, piscis, et ouũ, à Deo rogãda. Psal. 105.

Et erat eijciens dæmonium, & istud erat mutũ: quumq; eiecisset dæmonium, locutus est mutus: & admiratæ sunt turbæ. Quidam aũt ex eis dixerũt, Per Beelzebul principem dæmoniorũ eijcit dæmonia. Et alij tentantes, signũ de cœlo quærebãt ab eo. Ipse autem cum sciret cogitationes eorũ, dixit eis, Omne regnũ aduersus seipsum diuisum, desolatur, & domus super domũ cadit. Quòd si satanas quoq; aduersus seipsum diuisus est, quomodo stabit regnũ eius, quia dicitis me per Beelzebul eijcere dæmonia? Quod si ego Beelzebul præsidio dæmonia eijcio, filij uestri cuius præsidio eijciunt? Ideo ipsi iudices uestri erunt. Porrò si digito Dei eijcio dæmonia, profectò peruenit ad uos regnum Dei. Κωφὸς mutus frequenter dicitur, dicitur autem & qui non audit: propriè uerò, qui neq; audit, neque loquitur. Et sanè qui à natiuitate non audiunt, ijdem etiam necessariò non loquunt. Illa enim loquimur, quæ per auditum loqui didicimus. Quando autem quis non audit, non mirum si neq; loquatur. Verùm secus est si casu cuiuspiã auditus offendatur. Nam eum qui talis est, loqui nihil prohibet. Vnde qui ad Dominũ adductus est, & lingua & auribus impeditus erat. Figura aũt hic est humanæ naturæ, quæ à dæmonibus detenta, nõ audire potest sermonem Dei, multoq; minus eloqui ualet. At Dominus postq; uenerit, dæmonesq; effugarit, dæmoniacas affectiones & opera inquã, fecit nos audire & eloqui ueritatem. Non solum enim sermones Dei audire oportet, sed etiã alijs loqui. Audiamus igitur qui habemus in nobis diabolica opera, & putamus nos docere alios, & cupimus ab hominibus salutari rabbi. Egresso enim dæmonio, uerus sermo & doctrina fit. Quandiu autẽ intra nos fuerit dæmonis operatio, etiãsi uideamur loqui, non loquimur. Pharisæi sanè miraculum arguunt: & Dominũ ut magũ contumelia afficiunt. Dicunt habere eũ amicũ principẽ dæmoniorum, atq; illius co operatione eijcere dæmonia. Ad quos Dominus, Quomodo (inquit) potest dæmon eijcere aliũ dæmonẽ? Hoc enim esset destructio regni eius. Siquidẽ regnũ illi putant & quietẽ, habitare in hominibus: & si eijcit eos princeps ipsorũ, manifestum quòd seipsum destruit. Etenim omne regnũ diuisum & seditiosum destruitur, & domus diuisa cadit. Domũ aũt siue ędificiũ intellexeris, bene. Nã ędificiũ q; diu cohibet se, & seruat continuitatem, consistit: postq; autem etiam muri dispescũt, cadit. Siue eos qui domũ inhabitant intellexeris. nam hi quandiu pacifici sunt, conseruantur: cum aũt inter se dissident, cadunt. Esto autem q; ego eijciã dæmonia in Beelzebul, filij uestri, hoc est Apostoli, in quo eijciunt: nonne manifestum q; in meo nomine? Quomodo igitur di-

Κωφὸς quis dicitur

citis q̃ ego eijciã in Belzebul, quasi opus habeam illius uirtute, cum filij uestri, sancti scilicet Apostoli, in meo nomine dæmonia eijciant: Igitur ipsi condemnabũt uos. Manifestũ enim quòd si illi in meo nomine eijciunt dæmonia, mihi non opus sit uirtute alterius. In digito ergo Dei, hoc est in spiritu sancto eijcio, & non in malo spiritu. Digitum autem spiritum dicit, ut scias quòd sicut digitus eiusdem substantiæ est cum alio corpore, ita & spiritus eiusdem substãtiæ est cum patre & filio. Fortassis autem & ideo, quia filius dicitur manus Dei, & requieuerunt super eũ septẽ efficacię spiritus, non quòd per spiritum agatur, sed quia consubstantialis est spiritui. Vnum autem ex donis & efficaciis spiritus sancti est sanare: ꝓpterea dicit in digito Dei, hoc est, in spirituali dono eijcere dæmonia. Nã sicut digitus pars est manus, ita spiritus sanationum pars fuit spirituũ ques habuit Christus, hoc est operationũ spũs. Propterea si eijcio (inquit) dæmonia efficacia diuinæ uirtutis, ꝙuenit utiq; in uos regnũ Dei. Qđ talẽ habet sensum, Destructũ nũc est regnũ diaboli, regnatq; Deus q̃ dęmones effugat. Audi eñ qd deinceps dicat.

Digitus Dei quis.

Esai. 11.

Cum fortis armatus custodit atrium suũ, in pace sunt ea q̃ possidet. Vbi uerò fortior eo superueniens uicerit eũ, uniuersa armaeius aufert, in quibus cõfidebat, & spolia eius distribuit. Qui non est mecũ, contra me est: & qui nõ colligit mecũ, dispergit. Cum immũdus spiritus exierit ab homine, ambulat per loca arẽtia, quærẽs requiẽ: & nõ inueniens, dicit, Reuertar in domũ meã unde exiui. Et cũ uenerit, inuenit eã scopis mũdatam atq; ornatã. tũc uadit, & assumit septẽ alios spiritus nequiores ipso, & ingressi habitãt ibi, & fiũt extrema hominis illius peiora primis.] Fuit quidẽ, inquit, ante aduentũ meũ fortis satanas, & custodiebat atrium suum, hoc est, prævalebat & imperabat humanæ naturæ fortiter & securè. Postquam autem ego ueni illo fortior, & uici mundum, omniaq; arma eius in quibus fidebat, omnia scilicet peccatorũ genera, illa enim arma sunt diaboli in quibus fidebat & prævalebat aduersus homines. Arma igitur (inquam) illa eius diripui ego, qui sine peccato inuentus, unde infirmata sunt: & spolia eius, hoc est, homines quos habebat, quasi spolia ab eo rapui, & trado ea, aliud alij angelo fido custodi, ut pro dæmone, cuius tyrannidem tulerat, habeat angelum. Vel aliter, Egóne communionẽ cum Beelzebul habeo? Meum opus est congregare filios Dei dispersos, illius uerò cõgregatos dispergere. Quomodo igit̃ de me cogitatis ꝙ communionem habeã cum satana? Et profectò hæc cogitatio hinc oritur, ꝙ dæmones magis nũc uos q̃ olim premant. Etenim habuistis etiam olim immundum spiritum, qui habitabat in uobis quando idola colebatis, & prophetas occidebatis, & uisus est postea exire à uobis: at nunc rediit in domum suam, hoc est, animas uestras, cum septem spiritibus, hoc est multis (scriptura enim septem pro multis usurpat) fecitq; uobis extrema peiora primis. Cũ enim idola coleretis, prophetas occidebatis, nondum apertè iniuria afficiebatis filium Dei, qui nunc propter uos in carne apparuit. Nunc autem quæ spes salutis, quando & incarnato filio Dei, qui & propter uos miracula operatus est, in tantam ingratitudinẽ & contumeliam prorupistis? Porrò loca inaquosa, animæ sunt eorum qui nihil aquosum & dissolutum habent, sed aridæ & solicitæ sunt, in quibus nullã quietem inuenit spiritus immunditiæ. Et quoniam in talibus animabus malignus nullum domicilij locum inuenit, ad Iudæos reuertitur, & fiũt ipsis posteriora deteriora primis: neq; adhuc habent prophetas (occiderunt enim uerbum) neq; unctionem, Christũ enim crucifixerunt. Hæc enim in illis olim apparebant, quanuis idola colerent: nunc autem quia in filium Dei peccarunt, omnibus illis priuati sunt.

Arma diaboli.

Septem, pro multis.

Factum est autem, cum hæc diceret, extollens uocem quædam mulier de turba, dixit illi, Beatus uenter qui te portauit: & ubera quæ fuxisti. At ille dixit, Quinimmo, beati qui audiunt sermonem Dei, & custodiunt illum. Turbis autem condensantibus se cœpit dicere, Natio hæc mala est: signum quærit: & signũ non dabitur ei, nisi signũ Ionæ prophetæ. Nam sicut Ionas signum fuit Niniuitis, ita etiã filius hominis erit nationi isti. Regina austri surget in iudicio cum uiris nationis huius, & condemnabit illos: quia uenit à finibus terræ ut audiret sapientiã Solomonis, & ecce plus q̃ Solomon hoc in loco. Viri Niniuitæ surgent in iudicio cũ natione hac, & condemnabunt illã, quia ad pœnitentiã adducti sunt prædicatione Ionæ: & ecce plus q̃ Iona hoc in loco.] Pharisæis & scribis miracula taxantibus, mulier simplex doloq; carens illa celebrat. Vbi autem sunt q dicunt Dominũ apparenter tantũ apparuisse? Hæc igit̃ testis sit ꝙ & ubera

Matth. 12.

Ionæ 2.

3. Reg. 10.

2. Paral. 9.

A ubera fuxerit, Ipſe uerò beatos dicit illos qui cuſtodiunt ſermonẽ Dei, non deſtituens beatitudine matrẽ ſuã, abſit: ſed oſtẽdit q̃ etiã illi nulla utilitas futura ſit ex eo q̃ pepererit & lactauerit ipſum, niſi uirtutes alias omnes habeat. Inſup & hæc tempeſtiuè dicit. Quia enim inuidi & inobediẽtes arguebãt alios q̃ ſermones eius audiebãt, ideo Chriſtus cõtra beatos eos dicit qui auditũ. Fortaſſis aũt & propter ſanatũ ſurdũ hæc dicit: ut & ipſe cũ audierit, faciat ſermonẽ, & nõ fiat ei in condemnationẽ recepta audiendi uirtus. Congregãtib. aũt ſe turbis, cœpit Ieſus reprehendere ingratos. Na quoniã erãt qui dã apud eos q̃ quærebãt ſignũ de cœlo fieri à Ieſu: dicebant enim, Signa quæ fecit, de terra ſunt, & facit ea in Beelzebul mundi principe, qui poteſtatẽ habet terræ: de cœlo aũt nõ poterit, eò q̃ nõ ſit filius patris cœleſtis: quia, inquã, fuerũt quidã hęc dicentes, eius gratia arguit eos Dñs, & dicit, Dabit uobis ſignũ, id quod oſtẽdet uobis me uerum filiũ cœleſtis patris. Quale hoc? Ionę ſignũ, hoc eſt reſurrectionis. Sicut enim ille tribus diebus fuit in uentre ceti, ita & ego tres dies faciã in uentre magni ceti, hoc eſt inferni, & reſurgã. At Ionæ quidẽ, poſtquã reuixit ex uentre ceti, prædicãti crediderũt Niniuitæ: mihi aũt etiã cũ reſurrexero, nõ credet generatio iſta: unde cõdemnabunt, q̃ nec̃ Niniuitas ſint imitati, cuius maior nũc hic aſſit q̃ Ionas. Nã ob meã dignitatẽ, & prędicationis genus, maior monſtrat excellẽtia. Ego Dñs, ille ſeruus: ego regnũ cœlorũ prædico, ille ſalutem, ne perirẽt: ego cũ miraculis, ille abſq̃ miraculis. Similiter & regina auſtri cõdemnabit nationẽ hanc, quia ex finibus terræ uenit ut audiret ſapientẽ Solomonis. Intelligas quoq̃ obſecro per reginam auſtri, omnem animam quæ in bono ualida eſt, & perſeuerat. Et ut tale quid dicam, aquilo in ſcriptura infamatur tanquam aduerſarij regio. Gelida enim eſt & rigida, ac mortua facit. Auſter uerò laudatur ut uentus calidus, & uiuificans, & ſtupida membra confouens. Ideo & in Canticis ſponſa aquilonem fugans dicit, Surge aquilo, & ueni auſter. Et iterum Propheta dicit, Et eum qui ab aquilone eſt, exterminabit Dominus, Satanam ſcilicet. Igitur anima quæ regnat in auſtro, in bona parte ſpiritualis uitæ, & imperium habet in operibus, uenit ut audiat ſa-

B pientiam, hoc eſt, ad contemplationem aſcendit. Sapientia enim Solomonis pacifici regis, Domini & Dei noſtri contemplatio eſt: ad quam nõ ueniet quis aliter, niſi regnauerit in bona uita, & per actiuam imperauerit.

Signum Ionæ quod fuerit.

Regina auſtri quæ intelligatur. Cant. 4. Iohel. 2.

Sapientia Solomonis quæ fuerit.

Nemo lucernam accendit, & in abſcondito ponit, nec̃ ſubter modiũ, ſed ſuper candelabrũ, ut qui ingrediuntur, lumen uideant. Lucerna corporis eſt oculus. Quum igitur oculus tuus fuerit ſimplex, totũ quoq̃ corpus tuũ lucidũ erit. quod ſi malus fuerit, etiam corpus tuum tenebroſum erit. Vide ergo ne lumen quod in te eſt, tenebræ ſint. Si ergo corpus tuum totum lucidum fuerit, non habens aliquam partem tenebroſam: ſic erit lucidum totum, ut quum lucerna fulgore illuminat te. Quoniam inuidi Iudæi miracula uidentes, ea calumniabantur ob mentis malitiam, eius gratia Dominus hæc dicit. Quaſi lucernam, hoc eſt noſcendi Deum beneficium, quo uidemus ueluti ſi nobis datum eſſet lumen, homines abſcondunt mentis iudiciũ, & præ inuidia obtenebrati miracula & beneficia nõ uident, quanuis in hoc acceperimus mentem, ut ſuper candelabrum ponamus, ut etiã alij lumen uideant. Videtur autem mihi hoc dicere, O phariſæe, habes ſcientiam, hoc eſt lucernam: oportet te ſcientia illa uti, ut per eam agnoſcas miracula, & aliis quoq̃ oſtendere & monſtrare poſſis q̃ ſint opera filij Dei, & nõ Beelzebul: ut hi qui ingrediuntur, hoc eſt nouitij, & qui inſtruuntur, lumen uideant. Nam qui ſapiens eſt, iam ingreſſus eſt: qui autem diſcit, adhuc ingreditur. At phariſæi uos hoc facere non uultis, ſed oculum mentis ueſtræ, qui ſimplex erat, feciſtis obliquum & obſcurum. Etenim ſicut oculus corporis ſi quid habet, hoc & corpus habere facit: ſi quidem lucẽ habet, ac lucidus fuerit, erit & corpus in luce: ſin tenebroſus fuerit, erit & illud in tenebris: ſimili modo eundem affectum habet anima, quẽ habet mens. Et ſi inuenerit oculum quem accepit à Deo, & lucem obtenebrari uel ab inuidia, uel ab auaritia, uel ut in ſumma dicam, carnalitate, obtenebratur & ipſa.

Matth. 6.

Et cum loqueretur, rogauit illum quidam phariſæus ut prandere t apud ſe. Ieſus autẽ ingreſſus accubuit. Phariſæus autem cum uidiſſet, admiratus eſt q̃ non prius lauaſſet ante prandium: & ait Dominus ad illum: Nunc uos phariſæi exteriora poculi catinię mundatis, & quod intus eſt ueſtri, plenum eſt rapina & malitia: ſtulti: nónne qui fecit quod foris eſt, etiam id quod intus eſt, fecit? Veruntamen * quod ſupereſt date eleemo

Matth. 23.

τὰ ἐνόντα quæ ſuppetũt, ſiue in ſunt.

synam, & ecce omnia munda sunt uobis.] Sciebat quidem pharisæorum liuorem Dominus, & nihilominus comedit cum eis propter istud ipsum, quòd mali erant, & correctione opus habebant. Nam propter hoc comedit cum eis, ut occasionem apprehendat, & eorum mores emendet. Proinde & nunc stultam eorũ cõsuetudinẽ taxat, nempe lotionem antequam comedant: docens q̃ oporteat animã per bona opera purificare, nam lauari aqua, nõ animã, sed corpus purificat. At stulti illi putabant q̃ cũ corpore quãdo baptizabat' & lauabatur, simul & anima purgaretur. Dñs igitur pulchro calicis exẽplo usus est. Quia enim tẽpus erat mẽsę, calicis & catini meminit, ab his quę ob ocios lotos sita erant, testimonium afferens, & persuadens pharisæis q̃ sicut nulla quidem utilitas est extrinsecus mundũ esse poculũ, intrinsecus aũt impletũ esse sordibus: sic neq; si corpus baptizetur, anima aũt omni plena sit immunditia, utpote rapina & malitia. Insi nuauit aũt duas affectiones quibus laborabãt Iudæi, auaritiã per rapinã, inuidiã aũt, & quæ ex inuidia proueniũt, per malitiã. Nulla igitur utilitas est quando sic habet anima. Stulti: nónne qui fecit corpus, quòd multa cura dignaris, etiã animã fecit? Debetis igit & illã purgare. Deinde docet eos quomodo purgandũ sit: nẽpe quod interius, per eleemosynam inquit. Vide aũt quomodos duas illorũ affectiones sanet, inuidiã dico & rapinam, per hoc quod subijcit eleemosynam. Nã qui uerè miseretur, non rapiet eius bona cuius miseretur, neq; illi inuidebit. Et quia duos morbos eis exprobrauit, uno remedio eleumosynæ utrunq; sanat, quæ prima est † filia deificãtis charitatis. Si enim affuerit dilectio, ubi manebit auaritia & inuidia? Ea igitur quæ insunt, hoc est, facultates uestras. Bene dixit ea quæ insunt, & non dixit, ea quæ sunt, eò q̃ diuitiæ insunt in corde auari, & sedent in eo. Ideo & Dauid dicit non apponendum cor diuitijs, hoc est ne agglutinetur nec colligetur.

Sed uæ uobis pharisæis, quia decimatis mentam & rutam, & quoduis olus, & præteritis iudicium & charitatem Dei: immo hæc oportuit facere, & illa non omittere. Væ uobis pharisæis, quia diligitis primas cathedras in synagogis, & salutationes in foro. Væ uobis scribæ & pharisæi hypocritæ, quia estis ut monumenta quæ non apparent, & homines ambulantes super, nesciunt. Respondens autem quidam ex legisperitis ait illi, Magister, hæc dicens etiam nos afficis contumelia. At ille ait, Et uobis legisperitis uæ, quia oneratis homines oneribus quæ portare non possunt, & ipsi uno digito uestro non attingitis sarcinas. Væ uobis, quia ædificatis monumenta prophetarum: patres autem uestri occiderunt illos. profectò testamini quòd comprobatis facta patrum uestrorum, quoniam illi quidem eos occiderunt, uos autem ædificatis eorum sepulcra. Propterea & sapientia Dei dixit, Mittam ad illos prophetas, & apostolos, & ex illis occident & persequentur: ut requiratur sanguis omnium prophetarum qui effunditur à cõstitutione mundi à natione ista, à sanguine Abel usq; ad sanguinem Zachariæ, qui periit inter altare & ædem. profecto dico uobis, requiretur ab hac natione.] Pharisæi ne transgrederentur in ullo legem, decimas etiam de minimis dabant: & si quis illos reprehendebat tam paruarum rerum rationem habentes, legem proferebant, quę de omnibus decimas offerri sacerdotibus præcipiebat. Itaq; Dominus dicit, Sicut illa non negligitis, ita oportet uos & iudicium & dilectionem Dei facere. Quoniam iniusti erant, uiduasq; & orphanos pessundabant, dicit quòd oporteat eos habere iudicium, hoc est iustum iudicium. Et quia contemptores Dei erant, temere sacra opera tractantes: idcirco præcipit eis ut charitatem Dei habeant. Nam qui diligit Deum, non contemptim facit opera eius. Fortassis autem, ut mihi uidetur, quoniam duæ sunt dilectionis species, una erga Deum, altera erga proximum, duas illas insinuat. Dicendo enim iudicium, indicat dilectionem erga proximum. Iustè enim iudicare proximum, & non conculcare eum, ex dilectione fit. Dicendo uerò dilectionem Dei, omnino significat generalem affectionem erga Deum. Et quando quis diligit proximum, non propter seculare quiddam, uel turpem affectionem, sed iuxta Deum: itaque & illa dilectio Dei dicta fuerit, quòd eam mandauerit Deus. Volebant autem pharisæi ab omnibus hominibus honorari & salutari ut doctores in foro. Hoc enim uult salutatio & appellatio. Similes igitur estis (inquit) monumentis, quę plena quidem sunt omni putredine, extrinsecus autem marmore fulgere uident homines, nescientes quid calcent, alioquin abominarentur abominationem quæ intra est. Legisperitus uerò stultè ad reprehendendum

Cur cũ pharisæis et malis mãducat Dominus.

†Iunua. *Eleemosyna filia prima deificantis charitatis.*

Psal. 61.

Gen. 4. 2. Paral. 24.

Duæ dilectionis species.

Pharisei Legisperiti

dum procedit. Sanè alij erant legisperiti, & alij pharisæi. Nam pharisæi uidebantur ut monachi, & qui ab alijs se segregabant. Legisperiti uerò scribæ erant & doctores, qui soluebant quæstiones legis. Onerabāt itaq; homines grauibus & intolerabilibus, mandantes ea quæ in lege obseruatu difficilia, & ipsi neq; digito attingebant: hoc est, ipsi nihil ex his quæ alijs imperabāt, faciebant. Nam quando docens facit quæ docet, alleuiat onera, exemploq; suo consolationem affert discipulis. Quando autem nihil horum facit quæ docet, tunc quæ docet, grauiora onera uidentur discipulis, tanquam quæ ne à doctore quidem perfici queant. Declarat quoq; Dominus Iudæos nepotes esse ac hæredes malitiæ Cain, eo quòd dicit q̃ omnis sanguis effusus ab Abel uiq; ad Zachariā, à natione illa expetetur. Etenim uos prophetas qui erant fratres uestri, occidistis, sicut ille Abel. Vnde quidam non absurdè numerauerunt Cain inter eos qui prophetas occiderūt, à quo uindictæ exquisitę sunt septē, supplicio scilicet leuiore: Lamech aūt inter eos qui occiderūt Christū. Et ideo septuagies septem ultiones dederūt, dispersi in captiuitatē, à qua nō redibūt. Quis aūt fuit Zacharias quē occiderūt inter templū & altare? Alij quidē dicunt fuisse Zachariā filiū Ioiadæ, quem lapidarūt, ut discimus ex libro Regū. Alij uerò patrē p̃cursoris, eo q̃ ille ordinauerat Dei genitricem cum uirginibus etiam postquā peperisset Christum, & constituerat eam in loco quo illæ stant. hic enim locus est inter templum & altare, quod est extra æreum, & propterea occiderunt eum. Nam quia expectabant Christum quendam regem suum futurum, nolebant autem regem ferre, ideo occiderunt sanctum, qui asseruerat uirginem peperisse, & Christum natum esse regnaturum super eos, quod auersabantur. absq; enim rege uolebant esse.

Pharisæi. *Legisperiti* *Doctor sit, & factor.* *Cain.* *Lamech.* *Genes. 4.* *Zacharias inter templum & altare occisus* *2. Par. 24.* *4. Reg. 13.*

Væ uobis legisperitis, quia tulistis clauem scientiæ, ipsi non introistis: & eos qui introibant, uetuistis. Quum autem hæc ad illos diceret, cœperunt legisperiti & pharisæi grauiter insistere, & captiose eum interrogare de multis, insidiantes ei, & quærentes aliquid uenari ex ore eius, quo accusarent eum.] Clauem scientiæ nominauit Dominus doctrinam, & legis manuductionem, quæ ualebat adducere ad Christum. Lex enim
B omnino nos ad Christū manuducit. Legisperiti igitur, qui sibi rectè legem interpretari uidebantur, scientiæ clauem malignè tenebant, & non aperiebant ianuas legis, per quas intrarent & ipsi & populus ad Christum, quandoquidem lex ianua est ad Christum. Veruntamen ianua ista clausa est, nisi quis obscuritatem legis manifestet & aperiat, faciatq; manifestam. Etenim Dominus dixit, Si credidissetis Mosi, credidissetis utique & mihi. Et iterum, Scrutamini scripturas, quoniam istæ sunt quæ testimonium perhibent de me. Et uos uos nō uultis uenire ad me. Et ut exempli gratia unum ostendam, Agnus immolabat à Iudęis, & ungebant superliminaria, & carnes comedebant, & erat eis hoc uictoria contra exterminatorē. Significabat hoc planè mysteriū Christi, q̃ ut agno immaculato & puro occiso perfusi sunt nostri postes, ira & concupiscentia, & horum superliminare rationalis uis: carnemq; filij hominis comedimus, & uicimus quidem animales uirtutes nostras perdentem. Et pleraque in lege Christum significabant. Clausa enim erat lex obscuritate literæ, quasi ianua quadam. Si autem cuipiā doctrina concredita fuerit, hic habet clauem scientiæ: si uoluerit aperire, & ipse intrabit, & alijs dux erit: id quod legisperiti non fecerunt, sed tulerunt clauem scientiæ, hoc est absconderunt, obscurarunt, & iam quasi claui è medio sublata, hoc est legis interpretatione mansit clausa eius ianua. Intelligas item & fidem clauem esse scientiæ. Per fidē datur uera scientia: unde propheta Esaias dicit, Nisi credideritis, non intelligetis. Igitur legisperiti clauem hanc, hoc est fidem, è medio abstulerunt, & absconderunt. Non enim sinebant quosdam credere in Christum omnium saluatorem. Ille miracula faciebat, & populus per miracula credens agniturus erat Deum: at hi in Beelzebul dicebant eiicere dæmonia. Vides quomodo abstulerunt clauem scientiæ, non sinentes credere id per quod scientiam illi acquisituri erant. Docebat enim in synagogis uoluntatem Dei: illi autem dicebant, Dæmonium habet, & insanit: quid illum auditis? Tulerūt igitur uerè clauem scientiæ, & ipsi ingressi nō sunt, & alios prohibuerunt maximè ingredientes hoc est, studiosos cognitionis diuinæ. Illo aūt adhuc loquente hæc, illi quasi attestarentē dicta eius, cū oporteret propriā agnoscere imbecillitatē, ostentarūt se illo aliquatenus sapientiores, atq; occludere illi os (q̃d græci dicunt ἀποστοματίζειν) incipiebāt, hoc est, frequenter interrogare, & perplexū facere: id q̃d fieri solet quādo pluresinterro-

Clauis scientiæ Lex. *Ioan. 5.* *Ibidem.* *Exod. 12.* *Esaiæ 6.* *Mat. 12.* *Suprà eod.* ἀποστοματίζειν, os occludere uel ab ore capere.

gãt unũ de alijs atq; alijs argumentis. tunc enim q omnib. respondere nõ ualet, suspicio A
nẽ apud insipientes exhibet, quòd perplexus sit redditus, Hoc igit̃ struebant etiã male
dicti illi contra Christum. Multi enim interrogantes unũ, uidebantur illi os occludere,
& perplexũ reddere: ita ut non posset eis respondere, id quod uerisimiliter accidisset.
Quomodo enim unus posset multis respondere alia atq; alia interrogantibus? Potest
autem & ἀπροσωπαιτεῖν sic intelligi, hoc est illaqueare, & ob testimonium oris quem ap-
prehendere. Quando enim apprehenditur ac capitur ex his quæ ipse dicit, uidetur ab
ore capi, & ab ore suo rapi, atq; condemnari. Porrò & sequentia hoc declarãt, quæren
tes (enim inquit) uenari quippiam ex ore illius. quod enim paulo antè dixerat ἀπροσωπ-
παιτεῖν, hoc nunc dicit uenari quippiam ex ore eius. Interrogabant autem ipsum aliquan
do quidem de lege, ut eum blasphemum arguant, qui Moisen taxasset. hoc enim suspica
bantur. Aliquando uerò interrogant de his quæ ad Cæsarem attinebant, ut eum denũ
cient seditiosum, & tyrannidis studiosum, & omnino talia, qualia animæ pessimæ &
malignissimæ ac omni iniquitate plenæ excogitarent.

CAPVT XII.

Mat. 10.16 Mar. 4.8. QVum autem conuenissent innumera turbæ multitudo, adeò ut se inuicem con-
culcarent, cœpit dicere ad discipulos suos, Primùm cauete uobisipsis à fermen-
to pharisæorum, quod est hypocrisis. Nihil enim opertum est, quod non reuelabitur:
neque absconditum, quod non scietur: quoniam quæ in tenebris dixistis, in lumine au
dientur: & quod in aurem locuti estis in conclauibus, prædicabitur in tectis.] Pharisæi
quidem ipsum illaqueare tentabant in sermone, ut turbas ab illo abarcerent. At res in
contrarium euenit, magisq; adierunt turbæ, & in turbas innumeras colligebantur, &
ita singuli cupiebant appropiare ei, ut & se inuicem conculcarent. Sic igitur fortis est
ueritas, & dolus infirmus. Iesus itaque uisa fraude pharisæorum, & quòd figuram qui-
dem interrogantium gererent, re autem uera illaqueare conarentur: dixit discipulis
suis de simulatione pharisæorum, arguens omnino illos, & denudans corda illorum si
Fermentum pharisæorũ mulatione plena. Fermentum autem uocat hypocrisin & simulationem, quòd acerba B
sit, & plena ueteris malitiæ, & transformet corrumpatq; secum hominum mentes qui-
bus admixta fuerit. Nihil enim sic mores alterat, uti hyprocrisis. Qui igitur Christum
Hypocrisis. discunt, hypocrisin fugiunt. Christus enim cum sit ueritas, mendacio aduersatur. Por-
rò omnis hypocrisis mendacio plena est, & aliud quidem est, & aliud fingit. Pharisæi
itaq; (inquit) latere se putant per hypocrisin, bonos mores sibi effingentes. Atqui nihil
occultũ est, quod non reuelabit̃. Omnia enim & uerba & cogitationes nudæ ante iudi
cium in supremo illo die apparebũt: quin & in præsenti uita multa eorũ quæ occultan
tur, manifestari solent. Quæcũq; igitur in tenebris dixistis, & in promptuarijs & occul-
tè locuti estis, prædicabunt̃ in lumine & in tectis. Et hæc quidem uidetur ad discipulos
dicere, sed ad pharisæos dirigit, insidias illorum insinuans: & quasi hoc eis manifestat,
quamuis ad discipulos uideatur loqui. Quoniam ô pharisæi, quæcunq; in tenebris, hoc
est in tenebrosis uestris cordibus cogitatis, tentantes me illaqueare, in luce audientur
& cognoscentur. Ego enim sum lux, & non potestis à me occultari, sed in meo lumine
omnia tenebrarum uestrarum consilia internoscuntur. Et quod inter uos in aures con
sultastis, ita mihi cognitum est & auditum, per[illegible]de ac super summa tecta prædicatũ fu
isset. Poteris autem illa etiam sic intelligere, quòd lux, sit Euangelium: & tecta sum-
ma, Apostolorum summæ animæ. Quæcunq; autem pharisæi consultarunt, prædicata
sunt postea & audita in lumine Euangelij, stante super apostolicas animas magno præ
dicatore spiritu.

Dico autem uobis amicis meis, Ne terreamini ab his qui occidunt corpus, & post
hæc non habent quod amplius faciant. Ostendam autem uobis quem timeatis. Time-
te eum qui postquam occiderit, habet potestatem conijciendi in gehennam. Certè di-
co uobis, hunc timete. Nónne quinque passerculi ueneunt minutis assibus duobus? &
unus ex illis non est in obliuione coram Deo. Quin & capilli capitis uestri omnes nu-
merati sunt: nolite ergo timere: multis passeribus pluris estis.] Posti quam Dominus hy-
pocrisin pharisæorum accusauit, & discipulos suos ab illa deterruit, & interim phari-
sæos iterum perstrinxit per hoc quod dixit, Quod dixistis in tenebris, audietur in lumi
ne: nunc ad amicos suos perfectiora loquitur. Vbi enim spinas execuit, iam & bonum

semen

A semen seminat. Dico aũt uobis amicis meis. Ea enim quæ prius dixerat, non ad ipsos, sed ad pharisæos dicta fuerant. Vobis igitur dico amicis meis. Non enim omnibus ser mo ille congruit, sed his qui ex toto corde diligunt, & dicere possunt: Quis nos separa bit à dilectione Christi? Talibus enim admonitio illa conuenit, Ne timeatis, inquit, ab his qui occidunt corpus, & nihil amplius nocere possunt. Paruum enim damnum ab il lis euenit, qui corpori nocent, quod alioqui passurum esset etiã illis nõ lædentibus. Il le autem dignus qui timeatur, qui nõ solũ corpus punit, sed & animã immortalem pos sessionẽ immortalibus subijcit pœnis, ijsq; ardẽtibus. Itaq; in † spirituale certamẽ ungit & præparat amicos suos Christus, testesq; suos facit, ac humano metu exuit. Homines enim (inquit) iram suã ultra corruptibile corpus extendere nequeunt, finisq; insidiarũ illorũ contra nos, carnis mors est. Deo aũt puniente, nõ carnis solum damnũ est, sed & misera anima cũ supplicijs uadit. Scito autem hoc loco, q; peccatoribus mors ad suppli cium infertur, & in hac uita puniuntur cũ occiduntur, & in alia dum in gehennã conij ciuntur. Perscrutans aũt uerbum, etiã aliud quiddã simul intelliges. Vides enim q; nõ dixit, Metuatis eum, qui postq; occiderit, mittit in gehennã: sed, habentem potestatem mittendi. Non enim semper qui moriuntur peccatores, mittuntur in gehennam, sed sunt in potestate Dei, ut etiam dimitti possint. Hoc autem dico propter oblationes & distributiones quæ fiunt pro defunctis, quæ non parum conducunt etiam his qui in grauibus peccatis mortui sunt. Non omnino igitur postquam occidit mittit in gehen nam, sed potestatẽ habet mittendi. Ne igitur cessemus per eleemosynas & intercessio nes propitium reddere eum qui potestatem habet mittendi, non semper autem pote state hac utentem, sed & ualentem remittere quiddam: quoniã multi putant morien tes pro ueritate à Deo derelictos. Ne hoc existimetis uos, inquit: nõ enim moriemini quasi à me derelicti. Si enim nullus ex passerculis qui uenduntur, in obliuione est: mul tum abest ut uestra mors, qui amici mei estis, talis sit, quasi ego non prouideam uo bis. Equidem tantam uestri curam gero, ut & omnia uestra subtiliter perspecta sint, &
B numerati capilli uestri. Quamuis igitur uos in tentationem cadere permittam, suppedi tabo tamẽ ubertim sufferendi uires. Sæpe autem si quem infirmiorem uidero, nõ per mitto illum in tentationes incidere. Nam qui sum curator, & omnia bene scio, & nu merata habeo etiam minutissima: distribuo unicuiq; quod suæ mensuræ cõgruit. Por rò si obseruaueris, in scriptura inuenies numerantem omnia quę ad mensuram uirilis ætatis perueniunt, dignaq; diuina enumeratione. Per caput autem uniuscuiusq; Chri sti fideliũ, intelligenda uita Christo grata: per capillos uerò eius, particularia opera, & quibus corpus mortificatur, quæ numerãtur apud Deum & supputantur. Talia enim nostra opera diuinã uisitationem merentur. Iam quidam intelligunt per quinq; passer culos, quinq; sensus, qui duobus minutis assibus uenundantur, hoc est, nouo & ueteri testamento, & non sunt in obliuione apud Deum. Quorum enim sensus rectè compo nuntur, & sobrij sunt, & rationi subduntur, ita ut nõ sint inutiles, sed ualde utiles in spi ritualem cibum: hi non sunt in obliuione apud Dominum.

Dico autem uobis, omnis quicunq; confessus fuerit in me coram hominibus, & fi lius hominis confitebitur in illo coram angelis Dei. Qui autem negauerit me coram hominibus, negabitur coram angelis Dei. Et quisquis loquitur dictum in filium homi nis, remittetur illi: ei uerò qui in spiritum sanctum conuicium dixerit, non remittetur. Cum autẽ adduxerint uos ad synagogas, & ad magistratus ac potestates, nolite soliciti esse qualiter aut quid respondeatis, aut quid dicatis. Spiritus enim sanctus docebit uos in eadem hora quid oporteat uos dicere.] Nunc autem præmiũ martyrij adijcit. Post quam enim dixit, ne timeatis ab his qui occidunt corpus: & adiecit quòd capilli uestri numerati sint: ne quis dicat, Da mihi etiam mercedem aliquã, quid enim mihi profue rit si capillos numeraueris? Vis, inquit, etiam mercedem? audi: Quisquis cõfitebitur in me, * confitebitur coram Deo. In me (dicit) cõfitebitur, hoc est, meo adiutorio adiutus, & mea uirtute, confitebor igitur & ego in illo, hoc est, sub ipso cooperans. Opus enim habemus & nos Deo duce, sine quo nihil possumus: & Deus quoq; opus habet nobis. Si enim non inuenerit in nobis opera digna, neq; nos assumet: alioqui personarum ac ceptor esset. Confiteamur igitur & nos in illo, hoc est, in eius cooperatione: & ipse in nobis, hoc est, † intra nos cooperans, Si enim non dederimus ei occasionem, nõ confi-

Mat. 10. 28. Rom. 8.

† spiritualẽ fortitudinem.

Defuncto rũ auxilia. Purgatorij assertio.

Exod. 38. Nu. 26. 32.

Mat. 10. 32. Mar. 3. 8.

* agnoscetur Deus opus habet nobis.

† in nostra cooperatione

Universidad de Deusto
Biblioteca

tebitur pro nobis. Qui autem negauerit, non in uirtute Dei negat: ideo non appo- A
Ioan.15. nit, in me, sed qui negauerit me. Quid autem si etiam hoc uult, quod omnis sanctus ma
net in Christo, & Christus manet in eo? Iuxta quod dictum est, Quisquis confitebitur
in me, hoc est, in me manens, confitebor utique & ego in illo manens. Et omnis qui
dixerit sermonem in filium hominis, remittetur ei: hoc est, qui blasphemauerit in me,
qui uideor purus filius hominis, & comedo, & bibo, & cum publicanis & scortis uer-
sor: ueniam consequi poterit, siue pœnituerit, siue non. Non enim imputatur ei pec-
Cautè. catum si nō credat. Quid enim uidit ut credat? uel potius: Quid non uidit conuicio di-
gnum? Vidit hominem uersantem cū scortis, & ideo blasphemat eum: nō igitur impu
tatur ei peccatū. Verisimile enim uisum est: nam quomodo filius Dei, qui cum scortis
uersatur? Blasphemat igitur & impostorē uocat eum, qui sic conuersatur, & facientē se
Quando quis peccet in spiritum sanctum. filiū Dei. Quando aūt quis conuiciū dixerit in spiritū sanctū, non remittetur ei. Quod
uerò dicit, hunc sensum habet: Quādo uidēs diuina miracula, & opera magna & præ-
cellentia discredit, & calūniatur spiritus sancti operationes, illas Beelzebul attribuēs,
is blasphemat & conuiciū dicit in spiritū sanctum. Et in spiritu maligno & non diuino
Cautè. miracula fieri dicens, ueniā non cōsequetur, & non erit innocens, si nō pœnituerit. Ei
enim qui filiū hominis blasphemat, peccatū non imputatur: ideo etsi nō agat pœniten
tiam, ueniā cōsequetur. Videnti aūt diuini spiritus opera, & blasphemanti, absq; pœni
tentia peccatū non remittetur. peccatū enim maximū habet. Cum aūt adduxerint uos
Hominū infirmitas duplex. ad magistratus & potestates, &c. Quia infirmitas nostra duplex est, & uel propter timo
rem pœnarū fugimus martyriū, uel propter simplicitatē, eo q; nō possumus redderе ra
tionē nostræ fidei: sanauit quidē metū qui ex pœnis, quia dixit, Ne timeatis eos à qui-
bus occiditur corpus. Sanat quoq; nunc morbū qui ex simplicitate. nam quoniā non
multi sapientes secundū carnem crediderūt, sed plures laici: Ne timeas (inquit) qui sim
plex es, & agrestis ac idiota, neq; solicitus sis quomodo uel quid respondeas tyranno
cū interrogatus fueris, uel quid dicas. alius concionandi modus erit. Spiritus enim san
ctus docebit uos in illa hora quæ loqui oporteat: atq; ita quid fuerit opus solicitudine, si B
quidem in illa hora à spiritu sancto docendus eris? Sic igitur utroq; modo nos ad mar-
tyrium instruit: sanat metum qui est ex corporali infirmitate, & qui ex simplicitate.

Ait autem ei quidam de turba, Magister, dic fratri meo ut diuidat mecum hæredi-
tem. At ille dixit ei, Homo quis me constituit iudicem aut diuisorem super uos? Di-
xitq; ad illos, Videte & cauete ab auaritia, quia non in abundantia cuiusquā uita eius
est ex ijs quæ possidet.] Docens nos Dominus quomodo oporteat cōtemnere tempo-
ralia, & q; non opus sit multum occupari in terrenis, dimittit à se eum qui uocauerat
se ut partiretur hæreditatem paternam: ideo & dicit, Quis me constituit iudicem uel
diuisorem super uos? Quoniam enim ille omiserat petere utilia, & animæ saluti conse
rentia: in terrenis & temporalibus negocijs quærebat ipsum facere diuisorē: cuius gra
tia quasi uulgarem & nihil ex utilibus discere ualentem dimittit, idq; mansuetè & non
Non cōtendendum cū fratribus pro temporalibus. auferè faciens. Docet autem omnino per hoc omnes & qui tunc & qui nunc audiunt,
omnia quidem terrena negligenda, & ob temporalia negocia nō contendendum cū
fratribus, cedendum aūt magis illis, etiamsi uelint auari esse. Ab eo enim (inquit) qui
aufert tua, ne repetas. Quærenda igitur quæcūq; utilia & necessaria sunt ad salutē ani-
mæ. ideo & subdidit dicens, Videte & custodite uos ab auaritia. ut à diabolica quadam
fouea admonet nos ut fugiamus. Ad quos autem dixit, Videte & custodite uos ab ava
ritia? Ad duos illos fratres, quoniam de hæreditate illi contendebāt. Verisimile autem
erat unum ex illis duobus alterū iniuria affecisse, & propterea de auaritia cū illis loqui-
Colos.3. tur. Magnū enim hoc malū: idcirco & Paulus idololatriam ipsam uocat: fortè q; ad so-
los pertineat qui Deum ignorant: uel, id quod etiā uerius, quia idola gentiū, argentum
& aurū. igitur qui colit argentū & aurum, similis est idolorū cultoribus. Eandē enim
Diuitias nō comitatur uitæ longæuitas. materiam adorant & amplexantur uterq;. Superuacua itaq; fugiēda. Quare? Quia nō
in abundanti quodā uita illis est: id est, nō cōtinetur uitæ mensura abundantia. neq; e-
nim qui multa possidet. diutius uiuit: neq; comitatur diuitiarū multitudinem uitę lon-
gæuitas. Hoc aūt dicit Dominus confutans cogitationes amantium diuitias. Quoniā
autem diuitiarū amatores existimāt q; multo tempore diuitias possessuri sint, & quasi
diu uicturi, undequaq; opes colligunt, dicit, Miser & ærumnose, nunquid ex multorū

possess-

A te. Incertum enim num ad senectutem pertingas, cuius gratia thesaurizas. Manifestū autem quod nunc insumis in opes conquirendas.

Dixit autem similitudinē ad illos, dicens, Hominis cuiusdam diuitis uberes fructus ager attulit, & cogitabat intra se dicens, Quid faciam, q̄ non habeam quò congregem fructus meos? Et dixit, Hoc faciam, Destruam horrea mea, & maiora extruam, & congregabo illuc omnia bona mea, quæ mihi nata sunt: & dicam animæ meæ, Anima, habes multa bona reposita in annos multos: requiesce, comede, bibe, gaude. Dixit autem illi Deus: Stulte, hac nocte animam tuam repetent abs te: quę uerò parasti, cui cedent? Sic qui recondit sibi, nec est erga Deum diues.] Posiquam dixit uitam hominis non produci cum diuitiarū abundantia, ad confirmationem eius affert etiam parabolam: & uide quomodo describit nobis insatiabiles stulti diuitis cogitationes. Deus enim sua faciebat, & solitam ostendebat misericordiam, ut non unus tantum agellus, sed tota regio uberes illi fructus afferret: uerùm hic tam immisericors erat, ut antequam reciperet ea, clauderet. Vide item & diuitū uoluptates. Quid faciam? Neutiquam pauper ita loqueretur, quid faciam? sed, non habeo quomodo induar, quomodo alar. Vide autem & diuitis uoces, Quid faciam, quia non habeo ubi congregem fructus meos? Bona quidem est quies. Siquidem & pauper dicit, quid faciam, quia non habeo: & diues dicit, quid faciam quia habeo? Quid igitur lucramur ex eo quod plura congregamus? Quietem enim non lucramur, & manifestum id, quòd à curis: tantum autem peccatorum multitudinem nobis accumulamus. Destruam horrea mea, & maiora extruam: quòd si regio plures in posterum fructus attulerit, iterum illa destrues, & alia ædificabis? Et quæ utilitas destruendi & extruendi? Habes horrea, pauperum uentres, quæ multa capere possunt, quæq̄ incorruptibilia sunt: cœlestia enim sunt & diuina: quandoquidem qui pascit pauperem, Deum pascit. Vide item & aliam insipientiā. Prouentus meos, hoc est, quæ mihi nata sunt, & bona mea. Non enim putabat hæc se habere ex Deo, alioquin ut dispensator Dei aliter hæc dispossuisset: sed suis laboribus parta putabat. idcirco & sibi hæc tribuens, bona sua & sibi nata dicebat. quasi diceret, Nullū habeo socium, nullum diuisorem facio: nō Dei sunt, sed mea: solus igitur fruar, & ad fruitionem illorum Deum nō assumam. Quia autem ista stulta, uideamus & reliqua. Anima, habes multa bona reposita in multos annos. Longam sibi præstituit uitam, quasi & illam, terram colendo excoluisset. non enim & illa tibi inde nata est, neq̄ hoc tuum bonum, comede, bibe, lætare. Euge quales animę tuę affectiones. nam comedere & bibere, irrationalis animæ bonum est: igitur cum etiam ipse talem animam sortitus sis, meritò illi hæc tribuis. Rationalis uerò animæ bonum est, intelligere, ratiocinari, lætari in lege Dei, & bonis cogitationibus. Non sufficit autē tibi & comedere & bibere ô stulte, sed & abominabilem uoluptatem & turpissimā quę hanc consequitur, animę imperas? Clarè enim Dominus per hoc quod dicit, lætare, affectiones declarauit libidinosas, & intemperatas, quę satietatem ciborum & potuum comitantur. Dixit autem ei Deus, Stulte, hac nocte animā tuam repetent. Non hoc dicitur quasi Deus familiare colloquiū habeat cum diuite. Dixit autem ei Deus: sed sensum hunc habet quod dicit. Cum hæc ille in mente haberet, dixit Deus (fingitur enim hęc parabola) Stulte. Insipiens enim est & uanus omnis qui talis est, sicut & Dauid dicit, Vane omnis homo. & causa est: thesaurizat & nescit cui congreget ea. Nam quo pacto nō est insipiens, qui ignorat q̄ uitæ mensura apud solum Deum, nec sibi quisquā suam uitā definire possit? Obserua item & uerbum, & repetent. Angeli enim sicut crudeles tributorum exactores & terribiles, tuam repetent animam, te etiam inuito, utpote propter uitæ præsentis immodicum amorem obluctante. Nam à iusto non repetitur anima, sed ille gaudens & exultans cōmendat eam Deò patri spirituum, neq̄ mortem ægrefert. Corpore enim circūamictus est ut onere, quod leuiter deponit. Peccator uerò qui animā carni subdidit, corpori nimium affectus, etiam illam fecit carnem, indiuulsam eam habere uult: idcirco dicitur ab eo repetita, sicut ab inobediente quodam debitore, qui traditur crudelibus exactoribus. Vide quoq̄ quòd nō dixit, Repeto animam tuam: sed, reperent. Iustorum enim animę in manu Dei. Et profectò in nocte ab huiusmodi repetitur anima. Non enim habet lumen diuinæ scientiæ sibi fulgens, sed cum est in nocte cupiditatis diuitiarum, & ab illa obtenebratur, morte comprehenditur. Sic utiq̄ stultus

Ecclesiast. 11.

Horrea diuitarū nostrarū sint pauperum uentres.

Rationalis animæ bonum.

Psal. 38.

Sapien. 3.

Universidad de Deusto
Biblioteca

stultus est qui thesaurizat, & insipiens dicitur, & nō perficit cogitationem suam, sed in A
ipso cogitationis momento ex tota uita abscinditur. At si pauperibus & Deo congregasset, non sic se habuisset. Audiamus igitur, ut diuites fiamus in Deum, hoc est, ut in illo fiduciam habeamus, & ut ille habeat nostras diuitias, & diuitiarū cellam, nec dicamus bona nostra, sed bona Dei. si autem Dei sunt bona, ne priuemus Deū bonis suis. Hoc est ditari in Deo, credere quod si omnia dedero, & euacuauero me totum, nō me aliquid rerum necessariarum defecturum est. Promptuarium enim meum Deus est, aperiam & tollam necessaria, & ea quibus mihi opus fuerit.

Mat. th. 5. Dixitq; ad discipulos suos, Ideo dico uobis, Nolite solliciti esse animæ uestræ quid edatis, neq; corpori quid induamini. Anima plus est q̄ esca, & corpus plus quàm indumentū. Considerate coruos, quia non seminant, neq; metunt, quibus non est penarij, neq; horreum, & Deus pascit illos. Quanto magis uos præstatis uolucribus? Quis autem uestrûm sollicitudine sua potest adijcere ad staturā suam cubitum unum? Si ergo ne id quidē quod minimū est, potestis, quid de cæteris solliciti estis?] Paulatim in sublimiora subducit doctrinam Dominus. Vide enim ordinem. Docuit cauere ab auaritia, & apposuit parabolam illam de diuite, per illam monstrās q̄ insipiens sit qui plura

Diabolus apud Iob 4. cap. myrmicoleon nuncupatur secundum septuaginta interpretes. nos autē habemus, Tigris perijt, &c.

desiderat. Deinde proficiēs sermone, neq; de necessarijs solicitos nos esse sinit. Quemadmodū igitur diabolus à paruis incipit, ut nos in grauiora mala faciat incidere, quamobrem & myrmicoleon à Iob nominatur: ita ediuerso Dominus resoluit eius opera. Primùm enim magna peccata fugat, deinde etiam principia eorum ostendit. Cum igitur indicasset ut ab auaritia caueremus, uenit & ad ipsam radicē, ut & ipsam amputet, sollicitudinem inquam, & dicit: Propter hoc dico uobis, quoniam insipiens est, qui plura q̄ uitæ necessitas exigat, inquirit, & plus in hac uita appetit, qualis erat diues. idcirco dico uobis, ne solliciti sitis animæ uestræ quid comedatis: nō quòd mentales animæ comedant, sed quia apparet animam non aliunde corpori colligari, nisi nos alamur, propterea sic dicit. Et aliter, Corpus quidem mortuum induitur, non pascitur autem. Proinde quia animatorum est pasci, meritò addidit animæ pasci. An non & nutritiua B
uis anima dicitur? Igitur ne solliciti sitis uegetatiuæ parti animæ non rationalis, quid comedatis, neq; corpori quo induamini. Deinde affert rationem: nam qui maius dedit, nempe animam, non daret & cibum? Qui dedit corpus, nónne & indumentū dabit? Postea etiam ab exemplo coruorum probat q̄ nos obseruet, uolatilia in medium afferens. Potuerat enim sanctos prophetas in medium afferre, utpote Heliam uel Mosen, sed ad maiorem pudorem uolatilia affert. Deinde & aliam rationē adducit. Dic quæso, quid sollicitudine proficis? Adijciēs ne etiam staturæ tuæ uel minimum quid? Non,

Solicitudo.

immò aufers potius quippiam è carnalibus. Solicitudo enim arrosio est. Si igitur adijcere non potes id quod minimum, quid de reliquis solicitus es? Perspicuū enim, quòd sicut Deus incrementum dat, ita & alia dabit.

Considerate lilia quomodo crescunt: non laborant, neq; nent. Dico autem uobis, nec Solomon in omni gloria sua uestiebatur sicut unum ex istis. Si aūt grāmen quod hodie est in agro, & cras in clibanū mittitur, Deus sic uestit: quanto magis uos uestiet, ô parum fidentes? Et uos nolite quærere quid esuri sitis, aut quid bibituri: & nolite in sublime tolli. Hæc enim omnia gentes mundi quærunt. Pater autem uester scit quòd istis indigeatis. Quin potius quærite regnum Dei, & hęc omnia adijcientur uobis.] Et hoc liliorum exemplum posuit, ut nos magis inhortaretur. Si enim hęc sic uestit Deus, ut neq; Solomon in omnibus delicijs suis possit sic uestiri quomodo unū ex istis, idq; cum nulla sit necessitas pulchritudinis liliorum: quanto magis uos, qui tam digna creatura estis, uestiet: præsertim cum necessitas corporis indumentum postulet? Quid igi-

Solicitudo prohibetur non labor.

tur, dicet quispiam, iubes ut non colamus agros? Non dixit, ne colatis agros: sed, ne solliciti sitis. Etenim non prohibeo ne labores, sed ne solicitus sis, interdico: hoc est, ne spem in illis habeas. Sic qui laborat, & spem habet in Deo, is citra solicitudinem uiuit. Solicitudinē enim ut à Deo abducentē resecat Deus. Proinde dicit, Ne quæratis quid

In sublime tolli quid sit.

comedatis, uel quid bibatis, & nolite in sublime tolli. In sublime tolli prorsus nihil aliud dicit quàm distractionē, & mentis instabilem uersionem, nunc hoc nunc illud cogitantis, & ab hoc in illud salientis, & semper sublimius quiddam imaginantis secum. An non hoc fuerit in sublime tolli? Hanc igitur solicitudinem, hoc est ita in sublime

tolli,

tolli, quia à Deo abducit, prohibet Dominus, dicens hæc omnia gentes inquirere. So-
A licitudo enim non solis necessarijs contenta est: sed, ut dixi, semper amplius & maius quid requirit, & propterea dicitur μετεωρισμὸς elatio in sublime. Et ut aliquid exempli gratia dicam, Non habemus panem, solliciti simus unde habeamus: & non in hoc substitimus, sed & ut adipem frumenti, deinde & uinum, idq; fragrantissimum, & ad hæc assas carnes, & ad has attagines & phasianos. Vides solicitudinẽ, & in sublime ac amplius extollentiam, quam dicit μετεωρισμόν. Eapropter Dominus amputat hæc omnia. Gentiles enim hæc quærunt. Insuper & aliam affert rationẽ: quia pater uester scit quia his opus habetis, immò non unam rationem, sed multas. Pater est (inquit) & si pater, quomodo non daret: sed & scit, quomodo enim ignoraret: sed & quòd opus habetis. Non enim superflua sunt, sed nobis necessaria. Igitur cum & ipse sit pater, & uos opus habeatis, & sciat ille, quomodo non daturus esset: Quærite igitur regnũ Dei ante omnia, & temporalium solicitudinem abijcite, quæ ab illo abducunt, adijcienturq; uobis tunc omnia. Vides q; si parua quæsieris à Deo, nihil illi gratum facias, munificentiam enim eius dehonestas. Sin quæsieris magna, & illa accipies, & cum illis accipies etiã parua. Nam cum te uiderit occupatũ in regno Dei, necessariò & de omnibus prouidebit. An non & nos in rebus proprijs sic facimus, & magis curam illorum agimus, qui se totos nobis manciparunt, deq; illis solliciti sumus, tametsi seipsos ipsi negligant: quanto magis id agit Dominus: Propterea Dominus omnium temporalium curam reijcit, ut quæramus regnum eius, id quod de temporalibus soliciti non faciunt.

Solicitudo cur μετεωρισμὸς dicta.

Noli timere pusille grex, quia complacitum est patri uestro dare uobis regnũ. Vendite quæ possidetis, & date eleemosynam. Parate uobis sacculos qui non ueterascunt, thesaurum non deficientem in cœlis, quo fur non accedit, neq; tinea corrumpit. Vbi enim thesaurus uester est, ibi & cor uestrum erit.] Dominus nominat discipulos, & doctrinam suam suscipientes, pusillum gregem: uel quòd pauci sunt in mundo qui sponte paupertatem illam obeant: uel q; si ad angelos conferantur, numero incomparabiliB ter inferiores sint, quia multo plures sunt angeli. Et manifestũ est hoc ex parabola quã dixit Dominus, q; gaudeat pastor plus super una oue inuenta quæ perierat, quàm super nonagintanouem quæ non errauerunt. Quo loco monstratur q; sicut unum se habet ad nonagintanouem, ita humana natura ad angelicã. Ne timeas igitur, dicit, ô pusillus grex, hoc est, ne sis incredulus. gerit enim tui curam ac prouidentiam Deus, etiam si tu sollicitus non sis. Quare: quia bonũ uisum est, & placet patri ut det uobis regnum. Qui igitur uobis regnum dat, multo magis terrena cõcedet. Ne igitur sis incredulus, quòd si diuitiarum solicitudinem abieceris, non sis habiturus aliquem qui tibi prouideat: sed uende ea quæ habes, & da eleemosynam, & fac tibi thesaurũ indeficientem. Adhæc persuadet nobis rationibus quibus contradicere non possumus. In hac enim uita, inquit, tinea corrumpit, in cœlis autem non sic. Non ergo insipientis esset colligere thesauros in loco in quo corrumpuntur: Postea quia aurum à tinea non corrumpitur, dixit, & quo fur non accedit. Tinea quidem non corrumpit aurum, sed fur diripit. Deniq; quia non omnia furto pereunt, adijcit rationem maiorem, & contradictione superiorẽ. Vbi enim est thesaurus uester, inquit, illic & cor uestrum erit. Esto enim, inquit, q; neq; tinea corrumpat, neq; fur accedat: istuc ipsum tamen habere cor addictum thesauro defosso, & animam, quæ diuina possessio est, infigere terræ, per se quanto supplicio fuerit dignũ? immò quomodo non summo? si quis animaduertat. Vbi enim thesaurus tuus, illic & cor tuum: si in terra ille, & in terra hoc: sin autem in cœlo ille, sursum est & hoc. Quis igitur non sursum esse, & non sub terra, mallet? Quis non diligeret potius esse angelus, quàm talpa semper in subterraneis latebris agens?

Pusillus grex quis, & quare. Inferius cap. 15.

Sint lumbi uestri præcincti, & lucernæ accensæ, & uos similes hominibus expectantibus dominum suum quando reuertatur à nuptijs: ut cum uenerit & pulsauerit, cõsestim aperiant ei. Beati serui illi, quos cũ uenerit dominus, inuenerit uigilantes. Amen dico uobis q; præcinget se, & faciet illos discumbere, & transiens ministrabit illis. Et si uenerit in secunda uigilia, & in tertia uigilia uenerit, atq; ita inuenerit, beati sunt serui illi. Hoc autem scitote, q; si sciisset paterfamilias qua hora fur uenturus fuisset, uigilasset utiq; nec passus fuisset perfodi domũ suam. Et uos igitur estote parati, quia qua hora non putatis, filius hominis uenit.] Dominus postquam discipulum suum absq; superfluis

perfluis fecit & nudauit ab omni solicitudine & cupiditate temporaliũ, & ita planè leuem reddidit, nunc & ministrũ suum facit. Eum enim qui minister esse uoluerit, leuem & expeditum esse oportet. ideo dicit, Sint lumbi uestri præcincti, hoc est omnibus modis parati estote ad opera Domini uestri. Et lucernæ ardentes in manibus uestris, hoc est, ne in tenebris & absq; iudicio uersemini, sed sit uobis lumen uerbi, quod monstrabit uobis quæ facienda, & quæ non facienda. Est igitur hic mundus, nox. Porrò succincti lumbis sunt, qui actiuam uitam agunt. eiusmodi enim habitibus utuntur operarij, quibus & ardentibus candelis opus est. Opus enim habet uita actiua etiam iudicij dono, ut is qui actiuam uitam agit, non solum sciat quid oporteat facere, sed & quomodo. Multi enim bonum quidem fecerunt, sed non bene. & tales quidem succincti fuerunt lumbis, & opera quidem fecerunt, sed non bene: nec habuerunt ardentes lucernas in manibus, hoc est, nõ habuerunt rectum iudicium, sed uel in fastum inciderunt, uel in aliud arrogantiæ præcipitium. Consideres autem & hoc, quòd primùm lumbi uestri succincti sint, deinde lucernæ ardeant. Primùm enim operatio, & deinde contemplatio, quæ mentis est illustratio. Lucerna enim est mens nostra, quæ cum habet lumen Dei in se fulgens, tum dicitur ardere. Demus igitur operam, ut uirtute simus præditi duas habentes lucernas ardentes, & sermonem internũ in affectibus, & quẽ pronunciamus: & internũ quidem, ut per omnia animam illustret: eum autem quem proferimus, ut in lingua refulgeat lucidus. Et internus nos illuminet: doctorum autem sermo, & qui pronunciatur, alios. Et nos similes simus hominibus expectantibus dominum suum quãdo reuertatur à nuptijs. Quis autem hic dominus alius quàm Christus Iesus? qui humanã quidẽ assumpsit naturã, & sicut sponsam copulauit sibi, & nuptias fecit, in carnem unã ei se adiungendo: immò non unas fecit nuptias, sed multas. Quotidie enim nuptiæ fiunt in cœlo sanctarum animarum, quas ei cõmendat Paulus uel si quis similis Paulo uirginem castam. Redit autem ex cœlestibus nuptijs, fortasis in uniuersali consummatione mundi, quando de cœlis ueniet in gloriam patris. Fortasis autem & in uniuscuiusq; propria morte inexpectatus aduenit. Beatus igitur ille quem inuenerit succinctis lumbis, hoc est uerum Christianum philosophum agentem, & ad ministerium Dei præparatum, & habentem lucernam rationis & iudicij ardentem: & non solum facientem quod bonũ, sed bene etiã: accipientemq; & contemplationis lucernam. Bene enim & rectè operando acquirimus etiam contemplationis lucernam: immò duas lucernas, & unam quæ est in corde, & alterã quę in sermone. Eiusmodi ministri etiã Dominus minister erit. Præcingetur enim, inquit, & recumbere illos faciet, & præteriens ministrabit illis. Præcingitur itaq; Deus secundum quod non omnium bonorum effusionem nobis suppeditat, † sed sibi reseruat illam. Quis enim potest capere quantus sit Deus? & manifestum est ex Seraphim, qui se obtegunt propter excellentiam diuini luminis. Porrò recumbere facit bonos seruos. totos enim per omnia quiescere facit. Nam sicut qui recumbit, toto corpore quiescit: ita in secundo aduentu omnes sancti per omnia quiescent. Etenim in hac uita quietẽ corporis nõ inueniunt. Alibi autem cum animabus spiritualia & diuina eorum corpora incorruptionem hæreditabunt, & omni quiete fruentur, & erit Deus omnia in omnibus illis. Ministrat uerò dignis, par eis retribuens: & sicut ipsi ei ministrauerunt, ita etiam ipse eis uicissim ministrat, & dapsilem eis mensam præstat, exhibens spiritualium donorũ lauticias. At per secundam & tertiã uigiliam intelligas uaria uitæ nostræ tempora: ut exempli gratia aliquid dicam, Quemadmodum qui in secundam aut tertiam uigiliam uigilat, uigilantissimus esse uidetur (istis enim horis homines maximo & primo somno tenentur) sic obsecro etiam intelligas in diuersis uitæ nostræ statibus esse horas quæ beatos nos faciant, si uigilantes inuenti fuerimus. Rapuit quis diuitias tuas, mortui sunt tibi filij, calumniam passus es: si in illiusmodi temporibus non fueris lapsus, sed uigilans inuentus à Deo & Domino, & nihil aliud præter mandata Domini feceris: utiq; uigilantem te in secunda & tertia uigilia inuenerit, hoc est in periculoso & graui tẽpore, quod mortiferũ somnum & casum dissolutis animabus præbet. Opus itaq; fuerit uigilantia. Patrifamiliãs enim assimilamur, qui si uigilauerit, nihil ex rebus eius auferre poterunt fures. sin autem somniculosus fuerit, ablatis omnibus fur euadit. Per furem quidam hoc loco intelligunt diabolum, sicut & per domum animam: & patremfamiliãs, hominem

A

B

Primùm operatio, deinde cõtemplatio.

2. Cor. 11.

† sed illam restringit.

Esaiæ 5.

1. Cor. 15.

Secunda & tertia uigilia quæ intelligantur.

A nem. sed non apparet expositio satis accommoda textui. Furi enim hoc loco dominicus aduentus comparatur, eo quòd repentè & inopinatò ueniet: sicut & apostolorum quidam dicit, Dies enim Domini quasi fur in nocte. Et hoc loco uide quomodo interpretatur Dominus quis sit fur. Nam dicit, Et uos igitur uigilate, quia qua hora non putatis, filius hominis ueniet. Dicunt quidam quòd per primam uigiliam intelligantur hi qui aliis sunt diligentiores: per secundam uerò, qui aliquantum profecerunt: per tertiã autem, qui etiam illis sunt inferiores. At alij diuersas ætates exposuerunt, & primam, qua adolescentes sumus: secundam, qua uiri: tertiam, qua senes. Beatus igitur quisquis quacunq; ætate inuentus fuerit uigilans, nec in operãdo bonũ negligenter se gerens. 2. Petr. 3.

Dixit autem ei Petrus, Domine, ad nos dicis istam parabolam, an etiam ad omnes? Ait autem Dominus, Quisnam est fidelis dispensator ac prudens quem constituet dominus super familitium suum, ut det illis in tempore dimensum cibũ? Beatus ille seruus, quem cum uenerit dominus, inuenerit ita facientem. Verè dico uobis, q̃ omnibus quæ possidet, præficiet illum. Interrogauit Petrus ceu curam omniũ habens, & p̃ auditoribus solicitus, tanquam fratrum amator, & cui iam concredita ecclesia, num ad omnes parabolam dicat. Dominus uerò nõ manifestè ad interrogationem respondet, sed occulto quodam modo indicat quòd dicta parabola cõmunis sit, & ad omnes quidem pertineat fideles, & ad uos apostolos, & in primis eos qui uel doctrina uel dignitate præsunt. Verùm audi quisnam sit fidelis ac prudens dispensator. Parabola enim p̃dicta multis, inquit, congruit. Nunc autem de his qui præfecti sunt alijs, dubito quis inueniatur duo hæc habens, fidem dico, & prudentiam. Rarus enim hic, & inuentu difficilis. Nam sicut in dispensationibus diuitiarum si quis fidelis fuerit domino suo, non autem prudens, disperdit res domini, nesciens illas dispensare sicut conuenit, sed dat quando non oportet, & damnum facit domino maius: iterum si prudens quis fuerit, & expendat, infidelis q̃ sit, & fur; is tanto magis intolerabilis, quãto prudentior: ita & in diuinis opus est fide ac prudẽtia. Scio enim multos qui uidentur uirtute ac pieta

In diuinis quoque fide ac prudentia opus est.

B te ac fide præditi propterea quòd ecclesiastica prudenter administrare nequeant, damnosos esse ecclesiæ, & non solum facultates, sed etiam animas perdere: ut exempli gratia, Peccauit quispiam peccato quod animam offendit: nisi prudens sit qui præsidet, sed tantum habeat fidem, hoc est uirtutem absq; iudicio: uel ex immodica increpatione, uel ex intempestiua illius mansuetudine corrumpitur is qui lapsus est, & non sanatur, sed conteritur. Quisquis igitur fidelis & prudens inuentus fuerit, constituetur in ministerio Domini, hoc est super omnes seruos, ut unicuiq; det mensuram frumenti in tempore suo, siue hoc sit sermo doctrinæ quo aluntur animæ, siue operum exemplum, & mandatũ q̃mo uiuere oporteat. Beatus qui talis fuerit inuẽtus, & super omnia sua cõstituet illum Dominus. Non solum inter seruos, sed & sublimiori gradu prouehens, super omnia constituet, ut ei & terrena subsint & cœlestia. Talis erat Iesus Naue, talis Helias, ille enim soli, hic autem nubibus cœli imperabat. Et omnes simpliciter sancti, ut amici Dei, his quæ amici sunt utuntur. Communia enim sunt omnia amicorum. Et omnis qui in solitaria uita actiuam uitam agit, & seruiles affectiones, iram & concupiscentiam gubernat, & suam cuiq; mensuram tritici in tempore distribuit, iram quidem ita, ut odio habeat odio habentes Dominũ, & suas inimicitias aboleat: cõ cupiscentiã uerò ita, ut necessariã carnis gerat curam, & omnem in Deũ dirigat: omnis inquã talis beatus est, & assequetur etiam contemplationem, & super omnia quæ Domini sui sunt constituetur, merebiturq; contemplatiuo oculo perspicere & eas quæ non propriè dicuntur facultates, & eas quæ propriè, æternas dico. *Iosue 10. 1. Reg. 17. Act. 4.*

Quòd si seruus ille in corde suo dixerit, Differt dominus meus reditum: cœperitq; percutere seruos & ancillas, & edere bibereq; & inebriari: ueniet dominus serui illius in die quo non sperat, & hora qua nescit, & dissecabit eum, partemq; eius cũ infidis ponet. Væ talibus seruis, qui donum spiritualis præsidentiæ acceperunt, & dispensationem sibi commissam infideliter gerunt, & bibunt ac inebriantur: siue ebrietatẽ sensibiliter intelligere uolueris (contingit enim & hoc malis ecclesiarũ præsidibus, qui deliciose uiuunt de bonis pauperũ) siue etiam per ebrietatẽ intelligere placet peruersionem status mentis per falsas doctrinas, uel amorem diuitiarum. Verberant enim tales præsides seruos & ancillas, hoc est offendiculo sunt infirmioribus ecclesiæ, quorũ per-

cutiunt conscientiam. Etenim infirmus & pusillanimis cum uiderit me episcopum uitam malè transigere, percutitur conscientia offensus, & plagam accipit in corde, hicq; infirmior. Hæc autem omnia contingunt infideli seruo ex eo quod dicit, Differt Dominus meus reditum, præ ignauia enim hoc facit, non cogitans horam mortis. Nam si cogitaremus uenturum Dominum, & in foribus finem & consummationem uitæ nostræ, minus utiq; peccaremus. Verùm uide & suppliciũ. Dissecabit, inquit, illum, hoc est priuabit illum docendi gratia: ne quis enim putet quòd ipsi conferat donum ad hoc ne grauius puniatur. Quomodo, inquit, conferat ei donum cum illo tunc nudatus inueniatur? dissecari enim significat gratia priuari. Enimuero ille tunc miserabilis inuenitur, quod sit caro, & non spiritus: quia tunc sumus in spiritu secundũ Apostolũ, quando spiritus Dei habitat in nobis. Qui autem non ambulat spiritu, sed in carne est, & expers inuentus fuerit uitæ spiritualis, cum incredulis ordinatur, utpote qui cum incredulo mundo condemnatur: quoniã nihil utilitatis ab apparente fide percipit. Vera enim fides in ipso non fuit. nã si in eo fuisset uera fides, dispensator fidelis fuisset. uerùm nũc quia bibens & se inebrians fuit, & res Domini corrumpens, fidem ueram non habuit, quæ exigitur à dispensatoribus. bene ergo cum infidis ponitur portio eius. Priuatus enim dono & nudatus, mutilus inuenitur, & non integer. A

Rom. 8. Quando simus in spiritu.

Ille autem seruus qui cognouit uoluntatẽ Domini sui, nec se præparauit, neq; secundum uoluntatem eius fecit, plagis uapulabit multis. qui aũt nõ cognouit, & fecit digna plagis, uapulabit paucis. Porrò cuicunq; multum datum est, multũ quæretur ab eo: & cui commendauerunt multũ, plus petent ab eo.] Hoc loco amplius quiddam ac terribilius nobis demonstrat Dominus. Non solum enim, inquit, gratia nudabitur qui talis est, & nihil sibi proderit hoc ut liberetur à pœnis, sed & maioris condemnationis causa erit dignitatis magnitudo. Quo plus enim scit qui peccat, tanto grauiorem pœnam sibi accersit. Et in sequentibus hoc manifestius fit. Cui enim datũ est multũ, ab eo requiretur etiã multũ: & cui cõmendauerunt multum, plus petent ab eo. Per hoc enim signat, pœnã quã merentur doctores, futurã maiorẽ. Datur igit & commendat doctoribus: datur quidem, ut gratia sanãdi morbos, & faciendi miracula, commendat aũt eis uerbi & doctrinæ donũ. Et cum dixit, dat, nõ subiungit, amplius exigent: sed cum dixit, commendat, & profectò donũ uerbi opus habet labore, & amplius exigit à doctoribus. Oportet enim eum non esse desidem ac ignauũ, sed multiplicare talentũ uerbi. Igit cui commendauerunt intelligere debes, cui multũ datum ad usuram. Vsura enim commendatũ & depositum hic signat. At sunt qui quærant: Esto, bene, puniat is qui scit uoluntatẽ Domini, & non facit: qui aũt nescit, quare punitur? Eo q; potuisset etiam ipse discere, & noluit, sed piger fuit, ipse in causa fuit quo minus didicerit: quapropter puniendus est quòd sponte non didicit. Timeamus fratres. Nam si is qui nihil scit, omnino dignus est plagis: quæ excusatio liberabit eos qui scienter delinquunt, maximè si doctores fuerint? Grauior enim est hæc condemnatio. B

Vsura.

Ignem ueni mittere in terram, & quid uolo, si iam accensus est? Sed baptismo habeo baptizari, & quomodo constringor donec perficiatur?] Per ignem quidẽ & prædicatio intelligitur. Sermo enim ignis est, qui consumit omnem materialem & imperfectam cogitationem, & simulacra abolet cuiuscunq; fuerint materiæ. Intelligitur etiam & zelus pro uirtute in unoquoque nostrũm accensus. fortassis autem & is est qui propter uerbum Dei fit, non dissimilis autem est à priore. hoc enim igni uult Deus accendi corda nostra. Debemus ignitum pro uirtute zelum habere. Vnde, quid uolo, id est, quantum uolo, si iam accensus est? Vrget enim ut accendatur ignis ille: sicut & Paulus dicit, Spiritu feruentes. Et rursum, Aemulor enim uos æmulatione Dei. Baptismã autem mortem suam dicit. Quoniam enim ignis ille non aliter accendendus erat, q̃ post mortem eius (nam ex eo tempore prædicatio & zelus creuerunt) propterea subdit etiam de morte, baptismũ illam uocans. Hanc aũt ualde desiderans inquit, Et quomodo constringor, hoc est, q̃ solicitus & anxius sum ac premor, donec perficiatur? Sitio enim mortem pro omnium salute. Ignem uenit mittere non solum in omnem terrã in quam prædicatio & fides explanata sunt, sed uniuscuiusq; animam, quæ terra quidẽ spinosa est & sterilis, à uerbo autem Dei quasi igne succensa, & diuinorũ seminum capax, & spiritualium frugum ferax facta. Vbi enim alicuius animæ inuisibiliter diuina

Rom. 12. 2. Cor. 11.

gratia

A gratia cõtigerit. uidet desiderio Dei suprà q̃ dici queat flagrare, quemadmodũ & Cleo pas flagrabat diuino igne cũ diceret, Nonne cor nostrũ accensum erat in nobis? Quis quis igitur hanc affectionem expertus est, scit quid dicamus, Experiuntur autem multi etiam quando legũtur diuinæ scripturæ, uel uitæ sanctorum patrum, uel si admonentur uel doceantur, quomodo accendantur animæ ad faciendum bonum. Et alij quidem usq; ad finem flagrant, alij uerò statim frigescunt. *Luc.24.*

Putatis quòd pacẽ uenerim missurus in terrã? Nõ, dico uobis, immo separationem. Erunt enim ex hoc quinq; in domo una diuisi, tres aduersus duos, & duo contra tres †diuidet pater aduersus filium, & filius aduersus patrem: mater aduersus filiã, & filia aduersus matrem: socrus aduersus nurũ suã, & nurus aduersus socrũ suam.] Christus quidem est pax nostra, sed non ueni, inquit, missurus pacem: unde ænigmaticè hoc dictũ est. Dicimus igit̃ q̃ non omnis pax utiuperio caret, & bona est, sed est sæpe pax pericu losa, & procul à diuina charitate reijciens, utpote quando pacem habemus & conspira mus in destructionẽ ueritatis. Hanc enim pacem nõ uenit Christus ut daret, sed contra riũ uult: nempe ut dissideamus propter bonũ, quod & in persequutione factũ est. In una enim domo pater gentilis à filio fideli differebat, & mater à filia, & contrà. Quomodo aũt dicendo, quinq; in domo una diuisi erũt, in enumeratione sex personas posuit? Dicimus igit̃ quòd una persona bis assumpta est. Filia & nurus eadem est persona. Filia enim dicitur, si ad matrem referat: nurus uerò, si ad socrum. Tres igitur erunt diuisi, pater & mater & socrus, aduersus duos, filium & filiam. Filia enim cum una persona sit, duas relationes suscipit, & secundũ hoc uidetur duplex persona matri & socrui collata. Intellige aũt simpliciter per patrẽ & matrẽ & socrum, uetera omnia: per filium aũt & filiam, omnia noua. Itaq; Dominus uult ut sua noua & diuina præcepta & dogmata pugnent cum antiquis nostris sceleratis moribus & dogmatis. Intellige aũt etiam sic. Pater quidem mens, filius uerò ratio. diuisio horũ fit in unaquaq; domo, hominis inquam. ut manifestius dicã, Illustrata fuit mens Dionysii Areopagitæ, & prædicationẽ susceptit, repugnauit aũt eius menti quæ tam alacriter fidem susceptit, gentilis ratio, tentans ostendere dialecticis tendiculis, ut illas sequeret. Vides diuisionem patris & filij in ter se repugnantiũ propter Christum & prædicationem? Matrem quoq; & socrum uocabis mentem, filium uerò & nurum sensum: & inter has est pugna propter Christum, insurgente mente contra sensum: quando mens suadet præferenda non fluxa fluxis, in uisibiliaq; uisibilibus, habetq; ad hoc demonstrationes multas adiutrices. Committitur aũt & bellum sensus contra mentem. Sensus enim per miracula & signa quæ uidentur perductus ad fidem, non credit mentis cogitationibus. neq; enim gentiliũ demonstrationes uult sequi, quæ compellunt illis attendentes nõ credere q̃ Deus factus sit homo, uel quòd uirgo pepererit. Huiusmodi sunt gentilium deliramenta, naturæ seruientia. At sensus per miracula quæ uidentur, præstantior omni demonstratione est, ad Dei cognitionem manuducens. Non omnis igitur pax & concordia bona est, sed est quando & pugna & dissidium diuina quædã possessio uidetur. Nullus igitur amet malos, quanuis & pater & mater sint: & si aduersentur legi Christi, repugnandum est eis perinde ac hostibus ueritatis. *Matth.10. diuidentur* *Non omnis pax bona.* *Dionysius Areopagita.* *Act.17.*

Dicebat autem ad turbas, Quum uideritis nubem orientem ab occasu, statim dicitis, imber uenit, & ita fit: & cum austrũ flantem, dicitis quòd æstus erit, & fit. Hypocritæ, faciem cœli & terræ nostis probare, hoc autem tempus quî fit ut non probetis? Cur autem ex uobisipsis non iudicatis quod iustum est? Quum enim uadis cum aduersario tuo ad magistratum, in uia da operam, ut libereris ab illo, ne fortè pertrahat te ad iudicẽ, & iudex tradat te exactori, & exactor conijciat te in carcerẽ. Dico tibi, nõ exibis inde, donec ultimũ etiã minutũ reddas.] Postquã de prædicatione disseruit, ignẽq; & gladiũ nominauit: quia uerisimile erat audientes turbari, nõ intelligentes id quod dicebat, inquit, Quemadmodũ aeris qualitates à quibusdã signis cognoscitis, sic oportebat & meũ aduentũ cognoscere ex his quæ dicunt̃, & ex his quæ à me fiũt. Etenim sermones mei demonstrãt me cõtrariũ uobis. similiter & opera. nã uos quidẽ publicani & raptores. ego aũt nõ habeo ubi caput reclinẽ. Oportebat igit̃ uos, ueluti à nubibus imbrem, & ab austro æstũ coniectatis, sic etiã tempus huius mei aduentus probare, & coniectare q̃ non uenerim mittere pacem, sed imbrem & turbationẽ. Nubes enim & ipse sum, *Matth.16.* *Matth.5.* *Superius 9.*

& ab occidente humanæ naturæ uenio quæ prius fuit humilis, & magnam ex peccato caliginem habuit. Sed etiam ueni ignem mittere, & æstum facere. Auster enim sum, spiritus feruidus, & frigiditati aquilonis contrarius: quandoquidem in Bethlehem apparui, quæ ad austrum sita est. Et ubi hęc dixit, docet eos etiam de laudabili pace. Quia enim ostenderat laudatum dissidium, ostendit & irreprehensibilem pacem, & inquit, Quum aduersarius rapuerit te ad tribunal, in uia da operā, festina & labora, id enim significat ὅλως ἐργασίαν da oparā, hoc est, omnes modos cogita, quomodo ab eo libereris. Vel aliter, Da operam, hoc est etiam si nihil habeas, fœnerare, & da operam, hoc est usurā, ut libereris ab illo, nequando trahat te ad iudicem, & iudex tradat te exactori, & exactor proiiciat te in carcerem, donec ultimum minutum reddas. Hæc autem dicit Dominus exterrens per hęc crassiores, & ad pacē faciendā cogens, sciens quòd eos qui magis terrestres sunt, metus damni & suppliciorum plus emendet, & propterea dicit hæc. Intelliguntur autem hæc etiam de diabolo, qui noster aduersarius est. Quum igitur in uia huius uitæ sumus, demus operam, uirtutibus uacando, ut ab eo liberemur, & nihil commune cum eo habeamus, nequando in futuro iudicio tradat nos iudici. Opera enim eius quæ in hac uita facimus, illa tradunt nos iudici, & iudex tradit nos exactori, dæmoni cuidam nos torquenti & affligenti, & postea punit nos donec etiam minutorum peccatorum pœnam luamus, & mensuram pœnæ impleamus. Nunquàm autem impleta est pœnæ mensura, semper ergo puniemur. Si enim in carcere manebimus donec extremum minutum reddamus, & nunquàm reddituri sumus, manifestum quòd æternum sit futurum supplicium.

Bethlehem ad Austrum sita.

A

CAPVT XIII.

Act. 5. ADerant autem quidam eodem in tempore, nunciantes illi de Galilæis quorū sanguinem Pilatus miscuerat cum sacrificijs ipsorum: Et respondens Iesus dixit illis, Putatis quòd hi Galilæi præ cunctis Galilæis peccatores fuerint, quia talia passi sunt? *Ezec. 18.* Nō, dico uobis: immo nisi resipueritis, omnes similiter peribitis. Aut illi decem & octo *Eccl. 17.* supra quos cecidit turris in Siloe, & occidit eos, putatis quòd debitores fuerint ultra cunctos homines habitantes Hierosolymis? Non, dico uobis, immo nisi resipueritis, *Act. 5.* omnes similiter peribitis. Iudas Galilæus, cuius & in Actis ipse Euangelista noster meminit, cum & ipse aliquantum doctus esset in lege, docuit etiam alios Galilæos suo dogmati adhærere. Docebat autem non ferendum ullum omnino hominem Dominum dici neq; honoris uel modestiæ gratia, & ne regem quidē ipsum. Vnde & multi ipsorum, propterea quòd Cæsarem non dicerent dominum, grauiter feriebantur: qui & docebant non esse offerenda sacrificia præter ea quæ à Mose essent constituta. Ideoq; prohibebant ea quæ pro Cæsare & Romanorum gente fierent sacrificia. Verisimile igitur Pilatum ob hæc indignantem, iussisse occidi Galilæos illos super sacrificia quæ ab eis prohibebātur fieri pro Romanorum gente, & ita sanguinem eorum commisceri sanguini sacrificiorum. Annunciauerunt igitur quidam hæc saluatori ut aliqua ex parte pie facta, uolentes per hoc discere quid in eo sibi placeret. Putabant enim quidā illos iustissime passos, utpote peccatores & seditiosos, & iritantes Pilatum in odium Iudæorum, eo quòd urgebant Cæsarem non appellandum dominum: id quod in totius Iudæorum gentis incommodum cedebat. Igitur saluator non negans eos esse peccatores, dicit nō ipsos passos esse quasi essent maiores peccatores ijs qui nihil passi. Nisi enim & uos resipueritis, & à seditionibus intestina bella succendētes cessaueritis, & Deum operibus placare festinaueritis, grauiora patiemini. Non oportet enim prætextu pietatis suam gloriam quærere, & intestinas seditiones excitare. Porro turris quæ ceciderat in Siloe, præsagium erat eorū quæ postea populo euentura erāt. ꝓpaucos enim ꝙ tunc perierunt multos erudiebat, ꝙ & ipsi grauiora essent passuri. Turris enim, totius ciuitatis figura est: at decem & octo illi, totius populi. Quum enim sub Tito ciuitas rueret, omnis populus in incredulitate permanens simul perijt. Sit & hoc nobis in his quę quotidie eueniūt, admonitio. Quū enim quidā in tentationes incidunt, nobis extra tentationem positis, ne nos solicitudinem & metum ut iusti abijciamus, quasi tanq; iusti non simus obnoxij: sed ediuerso magis doceamur quòd in hoc puniantur illi, ut nos meliores efficiamur. quod si nos negligentes fuerimus, patiemur grauissima.

B

Prætextu pietatis nō oportet seditiones excitare.

Dicebat & hanc similitudinem, Arborem fici habebat quidam plantatam in uinea sua,

A sita, & uenit quærens fructum in illa, & non inuenit. Dixit autem ad cultorem uineæ, Ecce anni tres sunt ex quo uenio quærens fructum in ficu hac, & non inuenio: succide illã: ad quid uel terrã occupat? At ille respondens dixit illi, Domine, sine illã & hoc anno donec fodero circũ illã, & misero stercus, & si quidem fecerit fructũ: sin minus, in posterũ succides illã.] Bona consequentia parabolã hanc iungit. Postq; enim dixit, nisi resipueritis, peribitis, meritò & istã parabolã adijcit. Est igitur ficus, Iudęorũ generatio folia tantũ amara faciens, & nullũ fructũ proferens. In uinea aũt Dei stetit, nempe in iudaica uiuendi ratione. Paterfamilias aũt Christus uenit & quæsiuit fructũ fidei bonorũq; operum in ea, ac nõ inuenit. Tribus aũt annis uenit, per Mosen, per prophetas, & per seipsum: & quia non pœnituerũt, à dilectione Dei os absecuit. nõ ultrà enim gens Domini & populus sanctus uocat. In locũ aũt eius introductæ sunt gentes, quæ fructũ facere ualent. Intelligit & per ficũ totũ humanũ genus: per patremfamiliâs pater & Deus: per cultorẽ uineæ, filius Dei, qui nobiscũ peregrinatus est ut coleret & purgaret uineã. Christus aũt ficũ illã ut sterilem execarinõ sinit, dicens, Sine illã & hoc anno. Licet enim p legem & prophetas nõ fuerint facti meliores, neq; pœnitentiæ fructũ fecerint: attamen me irrigãte meis doctrinis & passionibus fortassis facient fructũ obedientiæ. Sin minus, in posterũ execabis illã, exectis illis à iustorum regione. Ex anno aũt tertio quæsitũ in se fructũ natura nostra non dedit. Primũ enim in paradiso mandatũ prætuaricati sumus: deinde cum daret lex, uitulo facto mutata est gloria Dei in similitudinem uituli comedentis fœnũ. tertio Dominus & saluator abnegatus est à dicentibus, Non habemus regem nisi Cæsarem. Et unusquisq; nostrũm ficus est in uinea Domini, in Ecclesia scilicet, uel simpliciter dicendo in mundo hoc plantata. Venit igit Deus quęrens fructũ: & si inuenerit te absq; fructu, iubet ut uel ex hac uita execeris: at cultor uineę supplicat ut tibi parcat. Quis aũt ille cultor uineæ? Vel suus cuiusq; custos angelus, uel etiã homo ipse. suæ enim uineæ quisq; cultor est. Sæpe igit cũ in lethales morbos uel alia pericula incidimus, Sine ô Domine, dicimus. etiã hoc anno: & pœnitentiã agemus. Hoc
B enim significat fodere & mittere circa illã stercus. Fodit quippe anima, quãdo decutit tẽporaliũ curarũ puluis, & alleuiat ipsa. Stercus uerò circũponi signat feruorẽ & seueritatẽ in uia uiliori, pœnitẽtię scilicet, quę ab omnib. cõtemnit. Quãdo enim quis à gloria in uitã in gloriã se demittit propter salutem animæ, stercus circa animã mittere dicitur ad hoc ut fructũ faciat. Si quidẽ fecerimus fructũ: sin minus, nõ ultrà relinquit nos in uinea illa, sed execat à mũdo, ut ne frustra occupemus locũ. Peccatorem enim quis uidens diu differentẽ, offendit, & peior fit: & sic inuenit peccator neq; ipse fructũ faciens, & aliũ quoq; impediens ne fructũ faciat. Quod si execet ex hac uita, fortassis ij qui exectũ uiderint, hoc animo secũ ppendentes, mutabunt, & fructũ facient. Tribus aũt annis dicit paterfamilias uenire ad ficũ, fortassis ppter tres leges quas nobis dedit Dñs, quæ sunt naturalis, legalis, & spiritualis. Oportebat sanè nos naturali lege cõmonitos fructũ facere: nã natura docet qd facere oporteat: at quia in nobis naturalẽ inuenit inutilem, dedit & Mosaicã legem naturæ adiutricẽ: quę cũ & ipsa inuenta est infrugifera ppter nostrã desidiã, addidit & spiritualem. Vbi igit tres illæ nõ meliorem reddiderint cuiuspiã animã, neq; longanimitate & misericordia Dei fit emendatior: tũc postea monere nõ ultrà sinit. nõ enim Deo sæpe procrastinationibus illudit. Quid aũt si per tres annos, ętatũ status intelligas? Pueritiã, hoc est, adolescentiã octo & decem annorũ: uirilem: & tertiam eorum qui iam incipiũt fieri uetuli. Quando igitur in tertio anno, hoc est senecta, non damus fructus, & adhuc permittimur uiuere ut adijciamus stercus, utilem pœnitentię uitam propter Christum accipientes, & deinde etiam tunc mentimur, non ultrà nobis parcet Dominus, sed excidet: ut ne frustra occupemus terram, & alios offendamus. Et hæc expositio proposito textui consona mihi uidetur.

Docebat aũt in una synagogarũ sabbatis: & ecce mulier quæ habebat spiritũ infirmitatis annis decem & octo, eratq; cõtracta, nec omnino poterat erigere caput: quã cũ uideret Iesus, uocauit eã ad se, & ait illi, Mulier liberata es ab infirmitate tua. Et imposuit illi manus, & cõfestim erecta est, & glorificabat Deũ. Respõdens aũt princeps synagogæ indignãs q sabbato sanasset Iesus, dicebat turbæ: Sex dies sunt in quibus oportet operari: in ijs ergo uenite ut sanemini, & nõ in die sabbati. Respõdens aũt ad illũ Dominus dixit, Hypocrita, unusquisq; uestrũ sabbato nónne soluit bouem suũ aut asinum à

Gen. 3. Exod. 32. Psal. 105. Ioan. 19.

præsepi, & ducit aquatum: Hanc aũt filiam Abrahæ, quã alligauit satanas ecce decem A
& octo annis, non oportuit solui à uinculo isto die sabbati: Et cũ hæc diceret, erubescebant omnes aduersarij eius, & omnis populus gaudebat super uniuersis quæ glorioſe fiebãt ab eo. Morbus ille mulieri diabolo affligente acciderat, sicut & Dominus dicit quã alligauit satanas decẽ & octo annis. Nã fortassis ꝓpter peccata derelictã à Deo puniuit satanas. Omnia enim mala humanis corporibus satan infert, quãdo ei à Domino ꝓmittit: quandoquidẽ nobis & ab initio author fuit ut ab incorruptione in qua conditi fuimus, excideremus, & infirmo passionũq; capaci corpori alligati essemus. Hoc enim per pelliceas tunicas intelligimus. At Dominus uoce Deo dignissima potestateq; plena, mulieris illius morbũ fugat. Imponit aũt ei & manus, ut discamus q; Dei sermonẽ ut rutẽq; & operationẽ sancta caro habuerit. Sua enim ꝓpria erat, & nõ alterius cuiusꝓiã sibi assistentis, & ꝓprietate personæ seꝑarati, sicut impio Nestorio uidet. Igit tanta quidẽ Domini benignitas, ut proprio figmento misericors esset. Satanas uerò q; prius mulierẽ alligauerat, morbi solutionẽ dolens, & eam amplius affligere cupiens, alligat principẽ synagogę inuidia, & ꝙ os eius miraculũ calumniat. more em̃ suo bonis ubiq; ꝓponit. Indignat ergo q; in sabbato sanat: quẽ Dominus pulcherrimis exẽplis brutorũ animaliũ arguit. Vnde nõ ipse tantũ talib. sermonib. sed & omnes alij q; aduersabãt Iesu, confundebant. Magnæ enim stultitiæ erat, ꝓhibere hominẽ sanari in sabbato propter ociũ: q̃d aliqua ex parte in sabbato lex ꝓceperat. Igit q; aduersabant Iesu, cõfundebant. Turbæ aũt gaudebãt in operib. sicut illi operib. nõ gaudebãt, sed insaniebãt Christo faciente miracula. At turbæ ex miraculis utilitatẽ percipiẽtes gaudebãt, maximẽq; sanationibus fruerentur. Intelligas autem (oro) miraculum istud etiam de interno homine. Incuruatur anima quando ad terrenas tantũ curas uergit, & nihil cœleste uel diuinum secum concipit. Idcirco decem & octo annis ægrotare dicit. Quando enim quis in obseruatione mandatorũ diuinæ legis quæ sunt decem, & in spe octaui seculi infirmus fuerit, decem & octo annis dicitur incuruari. An non incuruatur & contrahitur qui terrenis addictus peccat semper, mandata reprobat, & futurum seculum B
non expectat: Sed Dominus in sabbato & synagoga sanat talem animam. Quando enim quis in seipso colligit confessionis cogitationes (Iudas enim confessio dicit) & sabbatũ tenet, hoc est feriat à malis: tunc eum sanat Iesus, non sermone tantũ dicens ei, Liberatus esto ab infirmitate tua: sed & manus imponens. Opus enim est nobis ut ad operandũ opera uirtutis suscipiamus & diuinarum manuum cooperationem, & nõ persolum uerbum & institutiones eruditi contenti, putemus nos sanitatem consequutos.

Dicebat ergo, Cui simile est regnum Dei: & cui simile faciam illud: Simile est grano sinapis quod acceptũ homo misit in hortũ suũ, & creuit, & euasit in arborem magnã, & uolucres cœli nidulabantur in ramis eius. Et iterũ dixit, Cui simile faciã regnũ Dei: Simile est fermento, quod acceptũ mulier abscondit in farinæ sata tria, donec fermentetur totũ. Et ibat per ciuitates & castella docens, & iter faciens Hierosolymam. Granum sinapis cõparat regnũ Dei. Regnũ aũt Dei prædicatio est, & uerbũ Dei. Per prædicationem enim regnauit in animabus hominũ. Enimuero sicut sinapi uidetur quidem paruũ esse, multam aũt habet uirtutẽ: ita & sermo euãgelij contemnit quidẽ à multis, & apparet esse stultitia: cum uerò illum homo susceperit, & miserit in hortum suæ animæ, arborẽ magnã facit, ita ut & ramos dilatet, ac uolatilia cœli, hoc est homines qui in sublime uolare nituntur, nidos habeant in ramis. Qui enim supergressi sunt terrestria, in ramis prædicationis, hoc est in dilatatis sententijs quiescunt: ut exempli gratia quidã cam, Granũ sumpsit Paulus, paruam Ananiæ institutionem, sed plantatũ hoc granũ in horto eius pingui ramos fecit, multas inquã & bonas doctrinas ac epistolas, in quib. nidulabant nõ solũ hi q; tũc sublimes mẽte & sapiẽtia, uti Corinthij, Dionysius, Hierotheus & alij plurimi: sed & qui reliquis temporibus. Potest & per granum sinapis intelligi, & Dñs ipse. uilis enim uidebat. nam fabri filius, & pauperrimus. At ubi cecidit in cor terræ, cũ mortuus esset, & sepultus in horto, ramos pulchros apostolos fecit, in qbus quiescunt omnes qui prius agitabantur & uexabantur à spiritu erroris, nempe gentiles: q; comparabant uolatilibus, propter mentẽ facilè mobilẽ, & illusioni obnoxiã, magnaq; leuitatis. Tales enim sunt omnes qui errãt, uolatilibus cœli. hoc est aeris assimilati. Iterum assimilatur fermento diuinus sermo, quod sumptũ mulier, hoc est humana natu-

Mala omnia nobis à dæmone inferuntur cũ illi permittitur.

Nestorij impia opinio.

Iudas.

Matt. 13.

Regnũ Dei

Act. 9.

Ioan. 12.

ra,

A ra, occultauit in farinæ sata tria, hoc est in corpus, spiritum, & animam, ita ut illa sancti
ficentur, sicut dicit beatus Paulus: fiatq; una contemperatio communione cum spiri- 1. Tim. 4.
tu sancto. Intellige autem per mulierem, animam: sata uerò tria, tres partes eius, ratio-
nalem, concupiscibilem, & irascibilem. Si quis igitur in tribus illis partibus sermonem
Dei occultatis faciet illam totam spiritualem, ita ut rationalis non labatur in doctrinis,
neq; irascibilis & concupiscibilis absq; ratione ferantur, sed fermententur & assimilen
tur sermoni Dei. Perambulabat uerò Iesus per pagos & ciuitates docens. Neq; ita in
parua uenit oppida & pagos, ut magnas ciuitates negligeret: id quod faciũt qui uolunt
simpliciores decipere, neq; ita uenit in ciuitates, ut ostentator, & gloriosus paruas ne-
gligens: sed ut cõmunis Dominus, immò ut pater qui omnium curam agit, ubiq; cir-
cuit. Nunquid autem ita transit per externas ciuitates, in quibus non tot erant legispe
riti: à Hierusalem autem fugit, utpote formidans reprehendi à legisperitis, uel suspicãs
ne ab eis occidatur? Non est hoc dicendum, sed & iter, inquit, faciens in Hierosolymã.
Vbi enim plures ægrotant, eo magis festinat medicus.

Ait aũt illi quidam, Domine, an pauci sunt qui salutem consequuntur? Ille uerò di- Matth. 7.
xit ad illos, Contendite intrare per angustam portam, quia multi (dico uobis) quærent
intrare, & non poterunt. Cum autem experrectus fuerit paterfamiliãs, & clauserit o-
stium, & cœperitis foris stare, & pulsare ostium, dicentes, Domine domine, aperi no-
bis: & respondens dicet uobis, Nescio uos unde sitis: tunc incipietis dicere, Edimus co
ram te, & bibimus, & in plateis nostris docuisti. Et dicet, Dico uobis, nescio uos unde
sitis, Discedite à me omnes qui patratis iniquitatẽ. ibi erit fletus, & stridor dentiũ, cum Psal. 6.
uideritis Abrahã, & Isaac, & Iacob, & omnes prophetas in regno Dei, uos autem ex-
pelli foràs. Et ueniẽt ab oriente & occidente, & aquilone & austro, & accumbẽt in re-
gno Dei. Et ecce sunt postremi, qui erũt primi: & sunt primi, qui erunt postremi.] Pau
ci sunt qui saluantur, eo q; angusta uia multos non recipiat. Est aũt Dominus paterfa-
miliãs, qui cõuocat omnes homines ad prandiũ & fruitionẽ æternorũ bonorũ. Omnes
B itaq; uirtute prædicti usq; ad prandij tẽpus studuerunt intrare: omnes aũt degeneres &
ignaui, qui post tẽpus prãdij uenerũt, excludunt. Hora aũt prãdij, præsens uita est. Hoc
enim tẽpus utiq; prandiũ est, quo præparamur ut spirituali cõuiuio excipiamur. Cum
aũt expergefactus fuerit paterfamiliãs, hoc est, ad iudiciũ surrexerit, ac clauserit ianuã,
uirtutis dico uiã, quã ingredi nõ possumus postq; hinc emigrauerimus (quandiu eñ in
uita sumus, iri potest uia uirtutis) incipiũt quidẽ tũc hi qui negligtẽius in hac uita uixe
rint, pulsare ianuã, tunc, inq;, tũc per inutilẽ pœnitentiã uirtutis uiã requirũt, nudis uer
bis quasi pulsationibus & strepitibus quibusdã reuocantes illã, operibus tamẽ carẽtes.
Pater uerò familiãs cũ eos iustè excluserit, dissimulat scire unde sint: & meritò: sunt eñ
ex diabolo. Dominus aũt cognoscit suos. Hoc aũt quod dicit, Comedimus & bibimus
corã te, & in plateis nostris docuisti: simpliciter quidẽ ad Israelitas dicitur. Etenim Dñs
ex ipsis natus est secundũ carnẽ, & cũ eis comedit ac bibit. Et potest etiã sublimius in- 2. Tim. 2.
telligi, Corã te comedimus & bibimus. Legalem enim perficientes cultum, & offeren
tes Deo cruenta sacrificia, comederunt & lætati sunt: audierunt aũt diuinos libros in
synagogis. Omnino enim & per prophetas Dominus docuit. Neq; eñ prophetæ sua Prophetæ
ipsorũ dicta proferebant, sed diuina prædicabant: quapropter & dicebant, Hæc dicit dicebant,
Dñs. Non igitur sufficiebat Iudæis ad iustificationẽ cultus ille per sanguinis effusionẽ Hæc dicit
nõ accedente fide, quæ iustificat impiũ. Et meis quoq; Christianis quidẽ, uitæ aũt dis- Dominus:
solutę, hæc cõgruunt. An nõ & nos manducamus corpus diuinũ, & bibimus sanguinẽ Christus au
Dei corã eo, quotidie ad mysticã mensam accedentes, & docet in plateis nostris Dñs: tem, Ego di
Atqui nulla inde utilitas, si auditores diuinæ quidẽ legis fiamus, & nõ factores: immò co uobis.
cõtrà ad maiorẽ tormentorũ occasionẽ audiuisse cedet, sicut & diuinarũ sanctificatio- Rom. 2.
num sumptio ad iudiciũ. Obserua q; reiecti sunt illi, quorũ in plateis docet Dñs: uerũ si Iacob. 1.
ipsum habuerimus docentẽ, non in plateis, sed in angustis & tritis & cõpunctis cordi-
bus, nõ erimus reiecti. Iam hoc quod inquit, Illic erit ploratus, quando uidebitis Abra
ham & Isaac & Iacob: congruit quidẽ & Israelitis quibus ista dicebat, & his qui hodie
sunt incredulis. Iudæi sanè tãto magis torquebant audiẽdo alios ex gentibus requiesce
re, & quietẽ habituros cum Abraham & patribus: se aũt expellendos. Pertinet item &
ad nos, qui non bene operamur cũ fide: & nos quidem in lege Christi gloriamur, quã

mox postea trāsgredimur & reprobamus. Primi quidē esse uidemur, utpote à cunabu A
lis instructi, & nomen Christi ferentes: postremi aūt erimus, prælatis Gentilibus quibusdam, qui in fine uitæ suæ credunt, & Deo placentes paruum uitæ tempus agunt.

Eodem die accesserunt quidā pharisæorū dicentes illi, Exi, & uade hinc: quia Herodes uult te occidere. Et ait illis, Ite, & dicite uulpi huic, Ecce eijcio dæmonia, & sanitates perficio hodie, & cras, & tertia die consummor. Veruntamen oportet me hodie & cras, & proximo die proficisci: quia fieri non potest ut propheta pereat extra Hierusalem.] Inuidia tabescebant maledicti Iudæi, & Dominū terrere nituntur, & minantem ei faciunt Herodem. nolebant enim eum uidere facientem miracula, ne multitudine miraculorum turbas sibi conciliaret, & uirtute uerbi ad se alliceret. Prætexunt igitur Herodem, & fingunt sibi saluatoris curam esse. Ipse autem corda illorum sciens, man-

Vulpis nomine Pharisæi subtaxati.

suetè & adumbratè pro more suo eis respondet, Dicite uulpi huic. Et uidetur quidem Herodem appellare uulpem, sed pharisæos notat, si quis diligenter consideret. Non enim dixit, uulpi illi, sed huic, media quadam uoce usus, idq; scitè. Singulari numero dicendo uulpem, Herodem illos suspicari fecit: dicendo autem, huic, quod est pronomen demonstratiuum, insinuauit istos ipsos esse dolosos illos. Et profectò pharisæi præ se ferebant malignos uersipellesq; uulpiū mores. Vide autem (oro) quomodo malitiæ eorum respondeat. Quia enim illi propter sanitates inuidebant, incutiebant ei metum ex Herode, idcirco ipse id quod sciebat illis potissimū dolere, dicit: Ecce enim ego (inquit) sanitates perficio, & dæmonia eijcio. Nam (sicut prædictū est) propterea insectabantur eum, ut ne miraculis ostensis multos ad credendū sibi alliceret. Hodie uerò & cras, plures dies significat: quemadmodū & nos familiari sermone cōsueuimus dicere, Hodie & cras fiet hoc: non omnino intra tam breue temporis interuallum rem circunscribentes, sed statim fieri significantes. ita etiā Christus dicens, Sanitates perficio hodie & cras, & tertio die consummor: nō omnino significare uoluit q; tertio die necessariò sit cōsummandus, sed breui mortem suam futurā declarat. Veruntamē oportet me hodie & cras, hoc est aliquo tēpore, manere hoc loco, & operari miracula, & sequēti in B
Hierusalē proficisci. illic enim elegi mortē: quia & illi dicebāt ei, Egredere, quia Herodes te occisurus est. In Galilæa aūt hæc dicebāt, cui præerat Herodes: monstrabatq; eis, etiamsi plurimum uellet, non posse ab illo se interimi. non enim in Galilæa, sed Hierusalem præfinitū erat Christum esse passurū. Et ut tibi Euangelij dictum manifestius exponā, cum legeris, hodie & cras, punctū facito, & tunc dic, proximo die proficisci: quomodo numerantes sæpe dicere cōsueuimus, Ego dominico secundo, & tertio die egredior: nō q; egressurus sim dominico & secundo, sed solū duos illos dies enumeramus, ut manifestemus diem tertium. Ita sanè & Dominus hoc loco prius numerās inquit, Oportet me hodie & cras, deinde tertio die proficisci in Hierusalem. illic enim finis meus. Sicut aūt suprà diximus, nō q; tribus diebus uitā suā circumscribat, sed pluribus quidē diebus: ueruntamen nō ualde longo tēpore se mansurū significat: quali hęc dicat ad eos qui sibi inuidebant: Quid meam meditamini mortē? ecce paulò post ipsa instabit. Cū uerò audis quod fieri non possit extra Hierusalē perire prophetā, ne putes Iudæos ui quadā ac necessitate ad hoc faciendū cōpelli, sed scias sponte sua homicidiū istud patrare: ut si quis uidens crudelissimū maximeq; sanguinariū latronem uias obsidere, diceret, Fieri non potest, uiā hanc in qua latro prętereuntibus insidiatur, à sanguine puram esse. Omnino enim hoc loco quod consectaneum est ad opera latronum, dicit. Sic igitur & in Hierosolyma, quam occuparunt latrones pharisæi & scribæ, fieri non potest in alio loco quàm in illo in quo sunt latrones, perire prophetarum Dominum. assueti enim effundere seruorum sanguinem, etiam Dominum ipsum occident.

Hodie & cras id intelligatur.

Matt. 23. Hierusalem Hierusalem, quæ occidis prophetas, & lapidas eos qui mittuntur ad te, quoties uolui congregare filios tuos quemadmodum auis nidum suum sub pennas, *Matth. 23.* & noluisti? Ecce relinquitur uobis domus uestra deserta. Dico autem uobis q; nō uidebitis me, † donec uenerit tempus cū dicetis, Benedictus qui uenit in nomine Domini.] Duplicatione nominis ostendit amorē quem erga illos habet Dominus. Quemadmodum enim amator quis ab ămica contemptus, ita reuocat adulteram synagogam. Ostendit item suam misericordiam, quòd sæpenumero uoluerit congegare illos: & illorum significat arrogantiam, dicendo, quia noluistis, relinquo uos postea. In tantum

† donec dicatis

enim

A enim odio habui malitiam uestram, ut neq templum domum meam esse dicam, sed domum uestrā. Nam quamdiu uitam uestram bene gerebatis, & templum meū erat: quia autem illud contaminastis, & negociationis domum, & speluncam latronum fecistis, uarijsq negociationibus & auaris uestris studijs uicissim seruitis (negociatio enim latrocinium est, supplantans fratres, & rapiens quæ illorum: id quod & latrones faciunt: insidiantur enim uiatores, ut illorum bona rapiant) & quoniam speluncam latronum templum fecistis per negociationum speciem quas in ipso orationis loco faciebatis: non ultrà mea erit domus, sed uestra. Non solum autem templum intelligas domum, sed & omnem generationem Iudæorum. Solet enim scriptura & genus domū appellare, ut, Domus Leui benedicite Dominum. Et hoc loco potest intelligi, Domus uestra relinquitur, hoc est, genus uestrum relinquitur à me: sicut & per prophetā alibi dicit, Dereliqui domū meam, hæreditatem meam. Domum enim illic dicit Israelitas. Ostendit aūt quòd & ante hoc ipse eos conseruarit, & ab inimicis liberarit. Deniq dicens, Non me uidebitis donec dicatis, Benedictus qui uenit: secundū significat aduentum. Inuoluntarij enim confidebuntur & saluatorem, & Dominū: quando ipsis nulla inde utilitas eueniet. Quid igitur? Non uiderūt illum à quo tempore hæc dixit? Vtiq. Dicens enim, Non me uidebitis ex illo tempore: non horam quæ tunc erat significat, sed tempus quod post crucem: sicut si dixisset, A tempore quo me crucifixeritis, non ultrà me uidebitis donec redeam.

Negociatio, latrocinium dicitur.

Domus q̄d significet. Psal. 134.

CAPVT XIIII.

ET factum est cum introiret in domū cuiusdam principis pharisæorum sabbato ad capiendum cibum, & ipsi obseruabant eum. Et ecce homo quidam hydropicus erat ante illum. Et respondens Iesus dixit ad legisperitos & pharisæos, dicens, Num licet sabbato sanare? At illi tacuerunt. Ipse uerò apprehensum sanauit eum, ac dimisit. Et respondens ad illos dixit, Cuius uestrum † asinus aut bos in puteum cadet, & non continuo extrahet illū in die sabbati? Et non poterant ad hæc respondere illi.] Domi

† filius

B nus satis sciens pharisæorum morositatem, ingreditur in eorum domos. Curæ enim ei erat animarum utilitas, & propterea ingressus est. Potuissent enim uel ex doctrina & sermone, uel ex ostensione miraculorum utilitatem percepisse, si quidem uoluissent. Porrò cum in medium uenisset hydropicus: non hoc considerauit Dominus, quomodo non offenderet ipsos, sed quomodo sanaret eum qui cura sua indigebat. Oportet enim nos ubi magna prospectat utilitas, non curare insipientes qui scandalizantur. Arguit autem insipientiā eorum qui reprehensuri erant, ideoq interrogat, Licet ne sabbato sanare? Nonne manifestè irridet eos ut insipientes? Siquidem cum Deus sabbatū benedixerit, ipsi benefacere prohibēt in eo, & per hoc faciunt omnino maledictū. Nō enim benedictus est dies in quo nihil boni fieri soleat. At cum hi scientes quo renderet interrogatio, silerent, Iesus quod suum erat facit, & contactu sanat hominem: deinde etiam pharisæos admonet, quasi talia diceret eis, Si prohibuisset lex misereri in sabbato, non curæ tibi fuisset si filius tuus periclitatus fuisset in sabbato? Et quid dico filius? neq bouem reliquisses absq adiutorio, si periclitantem uidisses. Quomodo igitur non stultum fuerit quòd obseruatis sanationem hydropici in sabbato? Hydropicus est omnis qui per dissolutā uitam & lubricam anima sua grauiter ægrotat, qui & Christo indiget: & sanabitur planè, si ante Christum fuerit. Nam qui ante Christum fuerit, cogitās semper quomodo ab ipso uideatur, minimè peccabit.

Scandalum insipientiū utilitati proximi postha bendum.

Dicebat aūt & ad inuitatos parabolam, intendens quomodo primos accubitus eligerent, dicēs ad illos: cum inuitatus fueris ab aliquo ad nuptias, ne accumbas in primo loco, ne fortè honoratior te ab illo sit inuitatus, & ueniens is qui te & illum uocauit, dicat tibi, Da huic locum: & tunc incipias cum rubore extremū locum tenere: quin potius cū uocatus fueris, uade accumbe in nouissimo loco: ut cū uenerit qui te inuitauit, dicat tibi, Amice, ascende superius: tunc erit tibi gloria coram simul discumbentibus: Quia omnis qui se extollit, humiliabitur: & qui se humiliat, extolletur.] Vides cœnas Christi quales sint, nempe in utilitatem animæ, & nō in satietatē uentris uertunt. Ecce enim sanauit hydropicū: docuit pharisæos q bonū sit in sabbato benefacere. Et postea uidens eos de primo accubitu tumultuari, sanat & hanc affectionem, quæ non à para, sed magna & uix effugabili causa incipit, inani inquam gloria. Et ne quis existimet

hoc

hoc docere, minus & indignũ esse magnificentia uerbi Dei, immò maximè: quia me A
dicus qui pollicetur sanare podagram, omnesq; morbos memoratu dignos, neq; digi-
torum attritiones, uel dentis dolorem sanare detrectat. Deinde quomodo paruus ina-
nis gloriæ morbus, quo omnino turbantur qui primos accubitus quærunt: Oportebat
igitur humilitatis doctorem & principem & consummatorem Christum omnes ra-
mos inanis gloriæ amputare. Et hoc quoq; expende, si nõ fuisset tempus mensæ, & de
hoc disseruisset Dominus relicto de alijs rebus sermone, esset fortè reprehensioni lo-
cus: nunc autem quia hora cœnæ & ambitionis morbus miseros turbans ante oculos
saluatoris uersabatur, tempus erat admonitionis. Vide enim & aliter quomodo à cul-
pa hominem liberet, & quomodo ipsum ciuilem faciat. Quanta enim confusione ple-
nus, cum requisieris locum te indignum, & deinde cum superuenerit dignior, is qui
te uocauit, dicat, Da huic locum, idq; sæpe: descendes enim tu, illi autem primum lo-
cum occupabunt. Contrà, quanta laude dignus, quando prima sella dignus, principio
sedet in humili loco, & postea præ alijs sedere comperitur. Num igitur parua tibi uide-
tur illa admonitio Domini, quæ maximam uirtutum humilitatem docet, & in audito-
rum animabus collocat, & ad honestam uitæ obseruationem ducit: id quod Christi di-
1. Cor. 13. lectus discipulus Paulus postea dixit, Omnia honestè & secundum ordinem (inquit)
fiant. Quo pacto igitur hoc fiet? Nullus quærat quod suum est, sed unusquisq; quod al-
terius. Vides discipulum eadem loqui, quæ magister eius. Omnis qui seipsum exaltat,
humiliabit̃, quo pacto intelligãt. Etenim multi in uita hac se exaltantes, honore fruunt̃.
Humiliari quid sit. Igitur hoc quidẽ humiliari est, quando quis fruit̃ magno honore in mundo, tum miser
& humilis fit apud Deũ. Insuper non usq; ad finẽ, neq; apud omnes in tali honore est,
sed quantũ à quibusdã obseruat̃, tantũ ab alijs irridetur, & nonnunq; ab his à quibus ho
norat̃. Vera igitur est sententia. Et omnis indignus hanc sibi sublimitatẽ uendicãs, hu-
miliabit̃, & apud Deũ quidẽ, quãdo ultimũ iudiciũ, in uita uerò hac maximè. Natura
em̃ omnis homo indignus sublimitate. Nullus igit̃ extollatur, ut ne extremè humiliet̃.

Dicebat autem & ei qui se inuitauerat, Cum facis prandium aut cœnam, noli uoca- B
re amicos tuos, neq; fratres tuos, neq; cognatos tuos, neq; uicinos diuites, nequando
& ipsi te uicissim inuitent, ac rependatur tibi beneficium. Immò cũ facis conuiuium,
uoca pauperes, debiles, claudos, cæcos, & beatus eris: quia non possunt rependere tibi:
rependetur enim tibi in resurrectione iustorũ. Hæc cum audisset quidam de simul ac-
†prandiũ. sic & pau- cũbentibus, dixit illi, Beatus qui comedit † panẽ in regno Dei.] Ex duobus generibus
lo post. constabat conuiuium, ex uocatis, & his qui uocabant. Vocatorũ genus salubri admo-
† inexhau- stum nitione ad humilitatem induxerat, & conuiuiũ † minimè sumptuosum illis proposuerat. Nũc & in eum qui uocauerat, uicissim liberalitatẽ suã exercet: & admonitione re-
dinuitat, abducens eum ne cõuiuia instituat humani fauoris uel remunerationis mox
recipiendæ gratia. Qui pusillo sunt animo, amicos uel cognatos ob præsentis uitæ be-
neficiũ uocant: quod si minus consequantur, grauatim ferunt. Qui autem magni sunt
animi, futurũ præmiũ expectantes, à uerè diuite remunerationes accipiũt. Hæc aũt di-
cens Dominus, nõ nos ab amicis arcet, sed benignitatem non esse uendendam docet.
Itaq; postquã hęc quidẽ audisset, & sentiret q̃ Deus corporalibus mensis remuneraret
& redinuitaret iustos, dixit, Beatus qui comedit panẽ in regno Dei. Nõ em̃ spiritualis
Animalis homo. erat, ut intelligeret ea quæ supra sensum: sed animalis adhuc erat, hoc est, humanas co
gitationes sectabatur. Animalis em̃ est, qui nihil super naturã credit, sed omnia secun-
Tres homi nũ ordines. dum naturã intelligit. Tres enim sunt ordines, carnalium, animaliũ, & spiritaliũ. Car
nalis quidem est, qui uult lætari & gaudere cum alijs malefecerit, ut est omne genus a-
†lædere neq; lædi † præter uel citra uarorum. Animalis, qui neq; † furari neq; nocere uult. hoc est enim iuxta naturam ui
uere, quandoquidem hoc nobis natura indidit. Spiritualis uerò, qui & affligi & dam-
2. Cor. 5. num ferre uult propter uirtutem. Est igitur primus † circa naturam, secundus iuxta na-
turam, tertius supra naturam. Omnis igitur qui humana sapit, & non ualet intelligere
ea quæ supra naturam, animalis dicitur, uti qui anima & spiritu gubernetur. Quando
autem quis spiritu agitur, & non iam uiuit ipse, uiuit autem in eo Christus, hic est spiri-
tualis, naturam supergressus. Animalis igitur erat & hic, qui putabat fore sensibiles san
ctorum retributiones, quoniam nihil super naturam poterat intelligere.

Matth. 22. At ipse dixit ei, Homo quidam apparauerat cœnam magnam, & uocauit multos,
misitq;

A misitq; seruū illum suum hora cœnæ ut diceret inuitatis, Veníte, quia iam parata sunt omnia. Et cœperunt simul omnes excusare. Primus dixit ei, Villam emi, & necesse est mihi exire, & uidere illam: rogo te, habe me excusatum. Et alter dixit, Iuga boum emi quinq;, & eo ad probandum illa: rogo te, habe me excusatum. Et dixit alius, Vxorem duxi, & ideo nō possum uenire.] Cum dixisset is qui simul accubuerat, beatū eum qui comedit prandiū in regno Dei, Dominus docet eū latius quomodo oporteat nos intelligere conuiuium Dei, & parabolam hanc dicit: hominem quidem nominans misericordem suū patrem. Quando enim uindicatiuā Dei uirtutē scriptura significat, pantherā, & ursum, & pardum eum uocat: quando aūt misericordiā uult insinuare, hominem inducit: sicut & nunc misericordissimā eius dispensationē intelligens, quā operatur in nobis, qua nos facit participes carnis filij sui, hominē eum nominat. Cœnā enim magnā uocauit dispensationē hanc. Cœnā quidem, eo q; in nouissimis temporibus, etenim ad uesperam seculi uenit Dñs. Magna aūt cœna hæc, quoniā ex cōfesso magnū est salutis nostræ mysteriū. Et misit seruū illum suum hora cœnę. Quis est seruus ille: Is qui forma serui assumpta, filius Dei homo factus & ut homo missus esse dicitur. Attende quomodo nō dixerit seruū, sed cum articulo seruū illum suum. Illum propriè dixit, qui iuxta formā humanam ei placuit, & seruiuit. Nō enim ut filius & Deus tantū bene placitus est patri, sed & sicut homo ipse solus sine peccato, omnibus paternis cōsilijs & mandatis ministrauit & paruit: & implens omnē iustitiā, seruire dicitur Deo & patri: ideo & ipse solus propriè seruus Dei dicitur. Hora aūt cœnę missus est, hoc est definito & opportuno tēpore. Non enim aliud tēpus cōmodius fuit saluti nostrę, q̄ quo regnabat Cæsar Augustus, cū in summo esset malitia, quā destrui oportebat. Sicut enim medici sinunt in sæui morbi ulceribus humorē colligi, & deinde remedia apponunt: ita & peccatū oportebat omnes suas species indicare, & deinde magnum medicū imponere pharmaca. Et propterea expectauit Christus donec diabolus malitiæ mensurā implerет, & tunc demū incarnatus est, & omne genus malitiæ per sanctā uitam suā sanauit.

B Missus est igitur in tēpore, hoc est opportuno & accōmodo tēpore, sicut & Dauid dicit, Accingere gladio tuo super femur tuū potenter tēpestiuitate tua. Omnino em̄ gladius, uerbū Dei: per femur aūt natiuitas in carne significatur, quæ cōtigit in tempestiuitate, hoc est, in tēpore opportuno. Missus uerò est ut diceret inuitatis. Qui sunt hi qui uocati sunt? Fortassis omnes homines. Omnes em̄ uocauit Deus ad sui agnitionē, partim per ordinatā uisibiliū constitutionē, partim per naturalē legē, fortassis enim magis propriè Israelitas, qui per legē & prophetas uocati fuerunt. Ad illos igitur missus est primū Dominus, uti ad oues domus Israel. Ipse em̄ dicebat, Veníte, quia parata iam sunt omnia. Propè enim esse regnū Dei, omnibus euangelizabat Dominus, & intra nos. At illi cœperunt simul omnes excusare. Omnes enim principes Iudæorū detrectabāt Iesum habere regē, & cœnā nō meruerunt: & alius quidē propter diuitiarū cupiditatē, alius aūt propter uoluptatē. Nam ille quidē uillā emerat, & alius iuga boum, qui signāt diuitiarum cupidos. At alius qui uxorē duxerat, uoluptarius erat. Insuper & is uillam cōparat, qui propter mundanā sapientiā nō accipit mysteriū. Villa em̄ est & mundus hic, & natura simpliciter. Qui aūt naturā obseruat, nō recipit hoc quod super naturā. Igitur pharisęus qui uillā fortè cōparauerat, hoc est, qui respexerat ad naturę leges, nō recipit uirginē párere Deum, quod super naturā est: sed & omnes qui in externa sapientia gloriantur, propter uillā hanc, hoc est naturā, ignorauerunt eum qui cōdiderat & innouarat naturæ ordinē, Iesum. Porrò qui iuga boum quinq; emit ut probaret, signat carnalem hominem, qui quinq; sensus animæ corporalibus coniunxit, & animā carnem fecit: & propter hoc, utpote circa terrena occupatus, non uult spiritualis cœnæ particeps esse. Dicit enim Sapiēs, In quo erit sapiens, qui tenet aratrū: At qui propter uxorē excidit, uoluptarius utiq; fuerit, qui carni ut coniugi animæ alligatus est, & cum est in illa, quasi ei adhærens, Deo placere non potest. Intelligas aūt hæc omnia & iuxta literam. Etenim excidimus à Deo & propter uillas, & propter iuga boum, & propter nuptias. Adhærentes enim illis, & totam uitam in ea impendentes, & usq; ad sanguinem uexati & excoriati, nullum diuinum uel sensum uel uerbum cogitamus uel attentamus.

Et ueniens seruus ille renunciauit hæc domino suo. Tunc iratus paterfamiliās dixit seruo suo, Exi citò in plateas & uicos ciuitatis, & pauperes ac debiles claudosq; & cæ-

Dei uindicatis & misserentis in scriptura appellationes.

Philip. 2.

Cōparatio pulchra.

Psal. 44.

Matth. 22.

Naturā qui obseruat, non recipit quæ sunt super naturā.

Eccl. 38.

cos

cos introduc huc. Et ait seruus, Domine, factū est ut imperasti, & adhuc locus est. Et ait A
dominus seruo, Exi in uias & sepes, & cōpelle intrare, ut impleatur domus mea. Dico
aūt uobis, q̄ nemo uirorū illorum qui uocati sunt, gustabit cœnā meam.] Nam abiecti sunt principes Iudæorum, & nullus ex illis credidit Christo & ipsi gloriabantur in
Ioan. 7. malitia, ut dicit, Num quis principum credidit in eum? Proinde docti in lege, ac scribę
Hiere. 8. (ut propheta dicit) infatuati, gratiā amiserunt, idiotę autem ex Iudæis qui cæcis & claudis & debilibus comparantur, & stulti sunt huius mundi, & mirè contempti, hi uocati sunt. Turbæ enim admirabātur super gratia quæ de ore Iesu procedebat, & gaudebāt in doctrina. Posti q̄ aūt intrauerunt Israelitæ, electi inquā, quos in gloriā suam prædesti
Supra 14. narat Deus, quales fuerunt Petrus & filij Zebedæi, & multa alia millia eorū qui crediderūt, benignitas Dei etiā in gentes diffusa est. Per hos enim qui in uia & apud sepes, gentes intelligendæ sunt. Israelitæ enim fuerunt intra ciuitatē, ut qui legem susceperāt,
Eph. 2. 4. & ciuiliorem uitā sortiti. Gentiles uerò à testamentis & à lege Dei alieni erant, & non
Coloss. 2. facti ciues sanctorū, nec in una uia, sed in multis iniquitatis uijs & rusticitatis uersabantur: & apud sepes, peccata dico. Peccatum enim magna sepes est, & interstitiū diuidens
Peccatum quid. nos à Deo. Per uias itaq̄, pecuinā gentiliū uitam, & in multas dissectiā opiniones, intelligit: per sepes uerò, uitam illorū in peccatis. Non simpliciter aūt iubet illos uocare:
Cur Dominus dixerit, cōpelle intrare. sed cōpelle, inquit: quamuis uoluntariū sit omnibus credere. Cæterùm ut sciamus magnæ uirtutis Dei esse, credidisse gentes in tanta uersantes ignorantia, ideo dixit, compelle. Nisi enim magna fuisset eius qui prædicabatur uirtus, & magna uerbi ueritas, quomodo persuasi essent homines in idolorū cultu insanientes, & fœda operantes, ut repentè agnoscerent uerum Deum, & spiritualem diligerent uitā? Igitur admirabilem translationē significare uolens, necessitatē nominauit. quasi diceret quis, Gentiles etiam idola & delicias relinquere nolentes, à prædicatione tamen ueritatis ea relinquere coacti sunt. Vel aliter, Virtus signorū magnam afferebat necessitatē ut transferrentur ad fidem Christi. Et quotidie cœna illa præparatur, & uocamur omnes ad regnum
quod Deus præparauit ante mundi originē hominibus: sed alij quidē propter sapien- B
tiæ curiositatē, alij uerò propter rerū terrenarū cupiditatem, alij aūt propter carnalitatem, non meremur illud. At Dei misericordia alijs peccatoribus hoc largitur, qui cæci mentalibus oculis sunt, & nō intelligunt quæ sit uoluntas Dei, uel intelligunt quidem, sed claudi sunt, & ad operandū tardi ac immobiles, & omnino debiles ac pauperes, eo q̄ superna gloria exciderint, nec̄ immaculata uita cōspicui fuerint. Illis igitur peccato-
Matth. 9. ribus in latis ac spaciosis peccatorū uijs errantibus, mittit pater filiū suum ad cœnā inuitantem, qui secundū carnē seruus fuit, qui nō uenit ut uocet iustos, sed peccatores, inuitatq̄ eos liberaliter præ doctis illis & diuitibus, & carni indulgentibus. Multis aūt morbos & pericula immittendo, facit eos etiā inuoluntarios renunciare huic uitæ: quibus iudicijs solet inducere illos ad cœnā suā, necessitatē eis faciens periclitationē. & huius exempla multa sunt. Docet aūt nos parabola hæc simplicius, pauperibus & debilibus potius dandum q̄ diuitibus, id quod & paulo antea admonuerat. propterea istud uidetur parabola dicere, per hoc credibilius faciens pauperes conuiuio excipiendos. Discimus & aliud, debere nos esse alacres & liberales ad pauperū susceptionē, atq̄ etiā ita nolentes cogamus eos ut participes fiant nostrorū bonorū. Hoc & magistri admoneantur, q̄ operæprecium sit discipulos etiam nolentes docere ea quæ ipsis conueniant.

Ibant aūt turbæ multæ cū eo, & cōuersus dixit ad illos, Si quis uenit ad me, nec odit patrem suū ac matrem, & uxorē ac filios, & fratres & sorores, præterea aūt & animam suā, non potest meus esse discipulus: & quisquis nō baiulat crucē suā & uenit post me,
Christi discipulus qualis esse debeat. nō potest meus esse discipulus.] Quoniā multi ibant cū Iesu, qui nō cū omni alacritate & obedientia sequebant, sed frigidiores erant: docet eos qualē oporteat esse discipulū suū, ac ueluti informat & depingit eum, asserens oportere eum odio habere nō solum eos qui externa familiaritate iuncti sunt, sed & suam ipsius animā. Vide autem ne litera abripiaris. Non enim inhumanitatē & crudelitatem docet misericors, nec̄ sibiipsi docet manum inferre, sed propriū suum discipulum uult tunc odio habere cognatos suos, quando ad pietatem ei obstaculo sunt, & propter necessitudinem à bonis operibus prohibetur: quoniā nisi obsisterent, magis honorandos doceret usq̄ ad extremum spiritum. Et quomodo docet? Per maiorem doctrinam inquam, nempe per ea quæ

operatus

A operatus est. ipse enim & Ioseph, cuius non esset proprius parens, sed existimatus, obediens fuit: & matris suæ tantam semper egit curam, ut neq; cum crucifigeretur, eam negligeret, sed commendauit discipulo quē diligebat. Quomodo igitur is qui hæc per opera docuit, alia sermonibus asseuerauit? At (sicut dixi) præcipit odio habere parentes, quādo in cultu Dei periculum est, tunc enim non parentes censentur, neq; familiares, si in hoc nobis obsistant. Et hinc manifestum quod dicimus. Nam cum nostram animā odio habere præcipit, omnino non præcipit ut nobis ipsis mortem cōsciscamus, sed ut renunciemus concupiscentijs animæ, quæ nos separant à Deo. etiam si perferendum martyrium, non curanda anima, quoniam perpetuum lucrum proponitur. Hoc enim est quod nos docet, & non simpliciter ut quis seipsum occidat. Ostenditq; illud iterum ipse per hoc quod diabolus conatus fuit eum de summitate templi deijcere, quādo tentationem repulit: & non se Iudæis tradidit, sed secessit, atq; per medium eorum transiens, ab illis se occultauit. Igitur cuicunq; domestici & amici obstant in pietate, & is illorum familiaritatem Deo, cui placere debet, præfert, uel etiā propter amorem uitę imminente martyrio deficit & negat, ille non potest esse discipulus Christi. *Luce 1. Ioan. 19. Matt. 4. Luc. 4.*

Quis enim ex uobis, qui uelit turrim ædificare, quin prius sedens cōputet sumptus, an habeat quibus opus est ad perficiendum, ne posteq; posuerit fundamentum, nec potuerit perficere, omnes qui uiderint, incipiant illudere ei, dicentes, Hic homo cœpit ædificare, nec potuit consummare?] Per parabolā turris docet nos Dominus ut hi qui semel delegerint se sequi, idem propositum seruent: nec solum iaciant fundamentū, hoc est, ne incipiant tantū sequi, & postea finem non imponant, ut hi qui non habent sufficientem alacritatis præparationem. Tales fuerunt hi de quibus Euangelista Ioannes dicit, Multi igitur ex discipulis eius abierūt retrorsum. Et omnis homo qui uirtutē quidē operari uult, & non eò peruenit, ut & diuinā cogitationē accipiat, eo quod imperfectè & absq; ratione uirtutem orditur, imperfectè ædificat, non ualens absoluere turrim summæ cognitionis. Vnde & illuditur illi ab his à quibus uidetur & hominibus & diabo- B lis. Vel aliter, Per fundamentum quidem intelligas sermonem doctoris. Sermo enim doctrinæ, utpote tractans de cōtinentia, iactus in discipuli animam fundamento comparat. Opus est autem sermoni huic, hoc est fundamento, superædificatione, opere dico: ut turris nostra fortis à facie inimici absoluta sit uirtus illa quam proponebamus. Quòd autem fundamentum quidem sit sermo, extructio autem opus, sufficienter dicit apostolus, Fundamentum posui Iesum Christum, alius autem superextruit. & statim enumerat uaria ædificia, hoc est operationes uel bonorum uel malorum operum. Timeamus igitur ne fortè illudāt nobis dæmones, de quibus propheta dicit, Illusores dominabuntur eis, his scilicet qui à Deo repulsi sunt. *Ioan. 6. 1. Cor. 3. Esai. 3.*

Aut quis rex proficiscens ut committat prælium aduersus alterum regem: nónne sedens prius cogitat an possit cum decem millibus occurrere ei qui cum uiginti millibus uenit contra se? alioquin adhuc illo longè agente, legatione missa petit ea quæ pacis sunt. Sic ergo omnis ex uobis qui non renunciat omnibus quæ possidet, non potest meus esse discipulus. Bonum est sal. si uerò sal infatuatum fuerit, per quod condietur? Neque in terram, neq; in sterquilinium utile est, foràs proijciunt illud. Qui habet aures ad audiendum, audiat.] Et hæc parabola docet nos ne simus duplici anima, neque carni & Deo adhęreamus: sed si uolumus bellum contra malignos dæmones suscipere, ut feramur in eos tanquam hostes, & illis uerè obluctemur. Rex igitur est & peccatum regnans in mortali nostro corpore, si illud admittimus. Rex etiā & animus noster conditus est. Ne igitur cum resistendum est peccato, pusillanimiter illud impugnet. Grauis enim & terribilis est eius exercitus, & maior & numerosior uidetur quàm nos sumus. Quippe dæmones sunt milites peccati, q censentur uiginti millia cōtra nostra decē millia. Nā incorporei sunt, & pugnāt cōtra nos qui in corpore sumus: unde & maiorē uirtutē habere uidentur. Quāuis aūt uideantur fortiores, nos tamen resistere poterimus. In Deo enim, inquit, faciemus uirtutē: &, Dominus illuminatio mea, & salus mea, quem timebo? Si constiterint aduersum me castra, non timebit cor meum. Dedit aūt nobis Deus. Qui propter nos incarnatus est, uirtutē omnē calcādi hostē. Idcirco & quoniā in carne existentes, non carnalia arma habemus, etiāsi decē millia uideamur habere, eo q in corpore sumus, & illi uiginti milia, eo quòd incorporeæ naturæ sunt: attamē dicere de *Matth. 5. Esaiæ 6. Psal. 59. Psal. 26.*

bemus, Dominus Deus meus, uirtus mea: nullāq; unq; cum peccato habeamus pacem A
(id quod est seruire affectionibus) sed magis resistamus eis, & ostendamus nullas esse
inducias odiorū erga illas: neq; habere uelimus concupiscibilia mundi, sed renuncie-
mus omnibus. Non potest enim discipulus Christi esse, qui non renūciat omnibus, sed
Christi discipulus sal sit pacē habet cū his quæ in hoc mundo animas damno afficiūt. Christi sanè discipulus sal
esse debet, nō solū ipse bonus existens, & malitiæ expers, sed & alijs communicans bo
nitatē. Ita enim se habet sal. Ipsum enim cum maneat illæsum & incorruptū, alia quoq;
seruare ualet ne corrumpantur, quibus suā qualitatem communicat. At si naturā suam
sal abiecerit, omnino inutile est, neq; terræ neq; stercori accommodū. Quod autem di
cit, ita se habet, Ego quidē omnem Christianum utilem & condire ualentem esse uolo,
non solum eum cui concreditū docendi donum, quales sunt doctores & pastores, sed
etiam exigo ut laici ipsi bonæ frugis & utiles sint proximis. Iam si profuturus alijs re-
probus fiat, & à Christianorum ordine eijciatur, neq; prodesse, neq; utilitatem capere
poterit. Neq; in terram, inquit, neq; in sterquilinium utile est. Insinuatur autem per ter
ram quòd utilitatem capiat, per sterquilinium autem quòd prosit. Ideo reijcitur & rei-
ciendus est, tanquam qui nec prosit, nec utilitatem percipiat. Et quoniam obscurus pa-
rabolicusq; sermo ille fuit, excitans auditores Dominus ut non simpliciter suscipiāt di
ctum de sale, dicit, Qui habet aures ad audiendū, audiat: hoc est, qui habet intellectū,
Aures. intelligat. Aures enim hoc loco sensitiuam uirtutem animæ, & ad intelligendum apti-
tudinem significant. Omnes itaq; fideles sal sunt, ex diuinis sermonibus & superna gra
Coloss. 4. tia qualitatem hanc suscipientes. Et quod gratia sal sit, audi Paulum dicentē, Sermo ue
ster sit in gratia sale cōditus. Et ita si fuerit sermo ἄχαρις, hoc est sine gratia, insulsus dici-
tur. Igitur si diuinorum eloquiorum qualitatem contempserimus, & nō susceperimus
eam in nos, stulti & intellectu carentes efficimur. Et profectò infatuatū est sal nostrum,
si non habuerit supernæ gratiæ qualitatem.

CAPVT XV.

ACcedebant autem ad eum omnes publicani & peccatores ut audirent illum, & B
murmurabant pharisæi ac scribæ dicentes, Hic peccatores recipit, ac cibum ca-
pit cum illis. Dicebat autem ad illos parabolam hanc, dicens, Quis ex uobis est homo
qui habet centum oues, & si perdiderit unam ex illis, nónne relinquit nonagintanoue
uem in deserto, & uadit ad illam quæ perierat, donec inueniat eam? Et cum inuenerit
eam, imponit in humeros suos gaudens, ueniensq; domum conuocat amicos & uici-
nos, dicens illis, Gaudete mecum, quia inueni ouem meam, quæ perierat. Dico uobis,
quòd ita gaudium erit in cœlo super uno peccatore resipiscente magis quàm super no
nagintanouem iustis, qui nō indigent pœnitentia. Aut quæ mulier habens drachmas
decem, si perdiderit drachmam unam, nónne accendit lucernā, & uerrit domum, quæ
ritq; diligenter donec inueniat: & cum inuenerit, conuocat amicas ac uicinas, dicens,
Gaudete mecum, quia inueni drachmam quam perdideram. Ita dico uobis, gaudium
erit coram angelis Dei super uno peccatore resipiscente. Dominus quidem illud facie
bat, cuius gratia incarnatus est, accedens publicanos & peccatores, tanquam medicus
infirmos. Qui autem reuera peccatores erāt pharisæi, obmurmurationem tantæ huma
nitati rependebant. Abominabiles enim censebāt publicanos, ipsi aūt domos uiduarū
& orphanorum comedebant. Quid igitur Dominus? Sicut misericors erat erga publi
canos, ita & erga illos, qui iuam calumniabantur misericordiam. Non enim auersatur
insanabiles eos tanq; † insipientes & obmurmurantes, sed mansuetè sanat, parabolam hanc de oui
bus dicens, & de manifestis & certis eis persuadet, & cōfutat ita, ne ægrè ferant tantam
bonitatis effusionem. Nam si in oue una irrationali, & quæ ad imaginem Dei non est
facta, si cum errauerit, fuerit inuenta, gaudium fit tantum: quantum uerisimile est fieri
in homine rationali ad imaginem Dei condito? Manifestè igitur parabola hæc iustos
dicit per oues nonagintanouem, & per unā, peccatorē qui perierat. Dicunt aūt nōnul
li centum oues omnem creaturā rationalem: unam aūt ouem, rationalis naturæ homi-
nem, quam errantem requisiuit pastor bonus, relictis nonagintanouem in solitudine,
Solitudo cœlum dicitur hoc est, in superno loco cœlesti. Solitudo enim est cœlum, & à mūdano tumultu seque
stratum, plenumq; omni tranquillitate ac pace. Dominus uerò ut inuenit illam quæ
Esaiæ 53. errauerat, imposuit in humeros. Infirmitates enim nostras & peccata nostra ipse por-

tauit,

A tauit, & omnia ornata nostra non grauatim ipse susceperit, persolutis omnibus quæ debebamus, & nos sponte ac libenter portauit usq; in domū suam, hoc est in cœlum, & conuocat amicos & uicinos, fortassis angelos, quos & oues diximus esse iuxta aliam & aliā relationem. Nam secundum quod omnis creatura condita ad Deum cōfertur, pecunia est & bruta, & secundum hoc dicuntur etiā supernæ uirtutes oues, at si ad alias creaturas conferuntur rationales, dicuntur amici & uicini, angelicarum uirtutum chori. Et per mulierem intelligas sapientiam & uirtutem Dei & patris, Iesum ipsum, qui perdidit unam drachmā, ex rationalibus & ad imaginē Dei conditis creaturam, hominem inquam, & accendit lucernam, suam carnem. Sicut enim lucerna cuius sit ex terra illuminat tenebrosa per lucem quam recipit: ita & caro Domini licet terrena esset, similisq; nobis, lumine deitatis suæ quam in se recepit, lucem exhibuit cū incarnatus esset: & domus, hoc est omnis mundus, repurgata est à peccato. Christus enim abstulit peccatum mundi. Et planè inuenta drachma, regia scilicet imago, gaudiū fuit & Christo, & supernis uirtutibus, quæ amicæ eius & uicinæ sunt. Amicæ quidem, quia uoluntatem eius faciunt: uicinę uerò, quia incorporeæ. Quid autem si amicæ sint omnes supernę uirtutes: uicinæ autem, quæ propiores ei, ut throni & cherubim? Dicendo enim amicas & uicinas, duo genera manifestauit, quamuis hoc curiosius uideatur.

Ait autem, Homo quidam habuit duos filios, & dixit adolescentior illorum patri, Pater, da mihi portionem substantiæ quæ ad me redit. Et diuisit illis substantiam. Ac post dies non multos cū omnia contraxisset adolescentior filius, peregrè profectus est in regionem longinquā, & ibi dissipauit substantiā suam uiuendo luxuriosè: & postq; omnia cōsumpsisset, facta est fames ualida in regione illa, & ipse cœpit egere. Et abijt, & adhesit uni ciuium regionis illius: atq; is misit illum in uillam suā ut pasceret porcos: & cupiebat implere uentrem suū de siliquis quibus porci uescebantur, nec quisquā illi dabat. Et hæc parabola superiori similis est. Inducit enim & hæc hominē quidē, Deū uidelicet uerè misericordē: filios aūt duos, ordines hominū, iustorū dico & peccatorū. Di-

B xit aūt iunior, Da mihi partem substantiæ quæ ad me pertinet. Olim humanæ naturæ possessio erat iustitia: ideo & filius senior nō insolescit. Peccatū postea natū est, unde & iunior insolescit, qui cū peccato quod postea introductū est creuit. Vel aliter, Iunior dicit peccator, quia nouator rerū insolens, & deficiens à paterna uoluntate. Pater, da mihi partē substantiæ quæ ad me pertinet. Rationalis, ad quā subsequit liberū arbitriū, substantia est hominis. Omne aūt rationale, liberi arbitrij est. Dat igit nobis Dominus rationē, ut ea liberè utamur tanquā nostra substātia. Dat aūt omnibus ex æquo. Omnes enim ex æquo rationales sunt, & æquè liberū habent arbitriū. At alij utimur hac libertate secundū rationē, alij aūt dilapidamus donū diuinū. Et simpliciter omnia quæ dedit nobis Dominus, substantia nostra censeri possunt: ut exempli gratia cœlum & terra, & in summa creaturæ omnes, lex, prophetæ. Atqui filius natu minor uidit cœlum, & cœlum fecit Deum: uidit terrā, & * coluit eam. In lege Dei noluit ambulare, in prophetis †scortatus est. At senior filius omnibus his in gloriā Dei usus est. Itaq; ille qui dedit omnia hæc ex æquo, permisit libere ingredi. Nullū enim cogit non uolentē ut sibi seruiat. Nā si uoluisset nos cogi, nō fecisset nos rationales, & liberi arbitrij. Porrò filius iunior omnia hæc simul decoxit. Et quæ causa? Profectus est in terram longinquā. Nā quādo egreditur homo à Deo, & se à timore Dei elongat, omnia diuina dona expendit. Propinqui enim Deo existentes, nihil tale quod interitu dignū facimus, iuxta id quod dicitur: Prouidebā Dominū in cōspectu meo semper, quia à dextris meis est, ne cōmouear. Illo aūt longè à nobis absente, efficimur apostatę, faciētes & ferentes pessima quęq; iuxta illud dictū, Ecce qui elongāt se à te, peribūt. Dissipauit igit substantiā suā. Merito. Virtus enim terminū unū habet, & unū quoddā est: at malitia multifariā diuisa est, errorum multorū causa. ut exēpli gratia fortitudinis unus est limes, & quando oportet, & quomodo oportet, & erga quos oportet irascibili uti. Vitij autem eius duæ sunt species, timor & audacia. Vides spargi rationem, & unitatem uirtutis disperire? Consumpta autem substantia illa, homine secundū rationem, naturalem dico legē non amplius eūte, & neq; iuxta legem scriptā incedente, neq; prophetas audiente, fames magna est facta: nō fames panis, sed fames audiēdi uerbū Domini. Initiū fit penuriæ, quandoquidem non timet Dominū, sed longè discedit ab eo, nā ijs qui timent Dominū, nulla est

Liberum arbitrium.

ἐπόρνευσεν † malignatus est.

Psal. 104.

Cogere nos Deus non uult.

Psal. 15.

Psal. 72.

Amos 8.

penuria. Quomodo autem nulla est inopia timentium Dominum? Quia qui timet Do A
Psal.111. minum, in mandatis eius uolet nimis: & propterea gloria & diuitiæ in domo eius: imò
disperlit ipse potius, & dedit pauperibus: tantũ abest ne egeat. At qui longè profectus
est à Domino, & nõ habet ante oculos terribilem eius faciem, nil mirum si inopia labo
ret, semone diuino nihil in illo operante. Et profectus est, hoc est, processit & profecit
1.Cor.6. in malitia. Adhæsit uni ciuiũ regionis illius. Nam qui adhæret Domino, unus spiritus
fit cum illo: qui uerò adhæret scorto, unum corpus fit cum natura dæmonum, atq; fit to
tus caro, neq; spiritus est capax, sicut hi qui tempore diluuij fuerunt. Ciues regionis illi
us qui à Deo defecerant, dæmones omnino sunt. At qui proficit, & in peccatis fit po-
Porci qui sint. tens, pascit porcos, hoc est & alios docet malitiã, & lutosam operationem. Porci enim
Porcorum grũnitus ut cõpescatur. sunt omnes qui in luto uilium & materialium affectionum uolutantur. nam porco-
rum oculi nunq; possunt sursum spectare, aliam sortiti formationem. Vnde & porco-
rum pastores cum non possunt compescere porcum clamantem, resupinantes illum ef
ficiunt ut minus clamet. Etenim quasi in spectaculum ueniant spectantes quæ nunq;
uidere, & aspicientes sursum, stupescunt & silent. Tales sunt oculi eorum qui malè edu
cati sunt: nunq; uident ea quæ sursum. Tales pascit is qui multis in malitia præest, ut est
scortorum hospes, uel publicanorum princeps, uel latronum princeps. de omnibus e-
nim his dicendum quod porcos pascant. Cupit autem miserabilis ille saturari peccato,
& nemo ei dat saturari. Assueto enim malis nemo dat satietatem. Non enim manet uo
luptas, sed simulatq; contingit, protinus & perit, fitq; iterũ uacuus ille miserabilis. Assi
milatur enim siliquis peccatum dulcedinem habens & asperitatem. Delectat enim ad
tempus, cruciat uerò perpetuò. Propterea nullus dat satietatem malorum ei qui in illis
uoluptatem capiebat. Quis enim satiat, & quiescere facit? Deus. sed non adest: nam
qui talibus uescitur, longè abest à Deo. An dæmones? At hi multo magis soliciti sunt
ne unquam quiescamus, & malitia saturi simus.

In se autem reuersus dixit, Quàm multi mercenarij patris mei abundant panibus? e- B
go uerò fame pereo, surgam, & ibo ad patrem meum: & dicã ei, Pater, peccaui in cœlũ,
& coram te: iam non sum dignus uocari filius tuus. fac me sicut unum de mercenarijs
tuis. Et surgens uenit ad patrem suum. Quum autem adhuc longè abesset, uidit illum
pater ipsius, & misericordia motus est, & accurrens ruit in collum eius, & osculatus est
eum. Dixitq; ei filius, pater, peccaui in cœlum & coram te: neq; posthac sum dignus uo
cari filius tuus.] Intemperatus tandem ad seipsum redijt. Quãdiu male agebat, extra sei
psum erat. Consumpsisse enim dicitur substantiã, & meritò propter hoc extra seipsum
erat. Nam qui non gubernatur ratione, sed præter rationẽ uiuit, & absurda alia exordi
tur, extra seipsum est, & non manet in sua substantia, hoc est ratione. Quando aũt quis
cogitat in quantam uenerit miseriam, tunc redit ad seipsum, considerãs, & in pœniten
tiã ueniens à sua exteriori diuagatione. Porro mercenarios dicit catechumenos, quia
nondum eò peruenerunt ut dicerentur filij, quia nondum rectè illustrati. Omnino aũt
catechumeni abundantiã rationalium panũ habent, quotidie lectiones audientes. Et
ut discas differentiã mercenarij & filij, audi, tres sunt ordines eorũ qui saluantur. Alij e-
Psal.118. nim ut serui faciunt bonum, timentes iudicium: quod & Dauid insinuat dicens, Confi
ge timore tuo carnem meã: à iudicijs enim tuis timui. Mercenarij uerò esse uidentur, qui
Ibidem. desiderio bonorũ bene placere Deo cupiũt, sicut & ipse Dauid dicit, Inclinaui cor meũ
um ad faciendum iustificationes tuas in æternũ, propter retributionẽ. At filij sunt qui
Psal.108. propter amorẽ in Deũ, mandata perficiunt: sicut iterum Dauid testatur, Quomodo dile-
Ibidem. xi legem tuã Domine: tota die meditatio mea est, & iterũ, Leuaui manus meas ad man
data tua, quę dilexi, nõ quę timui. Et iterũ, Mirabilia testimonia tua: ideo scrutata ea est
anima mea. Quũ igitur quis fuerit filius, & deinde propter peccatũ abdicatus, uidetq; a-
lios frui diuinis dõnis, & communicantes diuinis mysterijs, & diuino pane (non enim
de solis catechumenis intelligi oportet q̃d de mercenario dicit, sed & de ecclesiasticis in
genere, qui non sunt ex primo ordine) tunc sanè illa miserabilia oportet ei enumerare:
Quot mercenarij patris mei abundant pane: ego aũt fame pereo. Sed surgens de ruina
peccati, ibo ad patrem meum, & dicam ei, Pater, peccaui in cœlũ et corã te. Derelinquẽ
do enim cœlestia, peccaui in ea, præferens ipsis uoluptatẽ contemptibilem. & præli-
gens cœlesti patriæ meæ regionem famis. Quemadmodum enim, ut exempli gratia di

camus,

A camus, in aurū peccare dicitur, qui illi plumbum præfert: ita in cœlum peccat, qui illi terrena præponit. Abest aūt omnino à uia quæ fert in cœlum. Scias item q̄ quando peccauit, quasi non coram Deo operans peccauit. Quando aūt confitetur, coram Deo se peccasse sentit. Porrò surgens uadit ad patrem suum. Non solum enim consultandum est de his quæ placent Deo, sed & opus est facto. Nunc quemadmodum uidisti ferudam pœnitentiam, ita & celerem patris misericordiam uide. Neq; enim expectauit donec filius ueniret ad se, sed præuenit & amplexatur. † Etenim natura & benignitate Deus pater est, & totus totum amplectitur, ut undequaq̄ ipsum ad se constringat, sicut dictū est, Et gloria Dei circundabit te. Olim quidem quando elongabat se filius, tempus erat & patri ut ab amplexu se elongaret: nunc uerò cum redit & appropinquat per conuersionem & orationem, tempus est amplexandi. Ruit igitur in collum eius, ostendens eum qui olim desciuerat, nunc obedientem esse factum. Et osculatur eum reconciliationem indicans, & quasi uestibulum quoddam os polluti sanctificans, ac per hoc ad interna sanctificationem immittens.

† pater enim est benignitate, etiam si natura Deus. Esai. 58.

Dixit aūt pater ad seruos suos, Proferte stolā primā, & induite illū: & date annulū in manū eius, & calceamēta in pedes: & adducite uitulū illū saginatum, atq̄ mactate, sumptisq̄ epulis lęteniur: q̄a hic filius meus mortuus erat, & reuixit: perierat, & inuētus est. Et cœperūt lætari.] Per seruos intellige uel angelos ministratorios spiritus, q̄ mittunt in ministeriū propter eos q̄ salute digni iunt. Illi enim uestiūt à peccato reuertentē stola prima, quā prius q̄ peccaremus gestabamus: indumento scilicet incorruptionis: uel dignitate qua præstat alijs omnibus, ut baptismi dignitate. Prima enim nos illa uestit, & ab ea sumimus honestatis uestitū. Vel per seruos intellige angelos, qui ministrant omnibus quæ propter nos fiunt, & quibus mediātibus sanctificamur. Vel etiam sacerdotes, qui conuersos per baptismū uel uerbum doctrinæ, induunt, & induunt eos Christum stolam primam. Quicunq̄ enim baptizati sumus in Christum, induti sumus Christum. Et annulum dat in manum, signaculum Christianismi, quod per opera habemus. Nā ma

Hebr. 1.

Baptismus præstat primam honestatis uestitum.

Galat. 3.

B nus, symbolum operationis est, annulus uerò signaculi. Igitur baptizatus, & omnis qui à peccato conuertitur, debet habere in manu, hoc est, operatiua uirtute, signaculū Christiani: ut demonstrare queat quòd recreatus sit ad imaginem eius qui se condidit. Vel aliter, Per annulum intelliges arrabonem spiritus: ut exempli gratia quid dicam, Deus perfectissima bona tunc dat, quando eorum tempus fuerit: & nunc ut credibilia sint, illa nobis dat charismata, ut arrabonem futurorum: & alijs donum operandi miracula, alijs donum docendi, alijs uerò aliud quiddam: & cum illa suscipimus, firmiter & perfectiora expectamus. Et calceos ad pedes, ut custodiātur à scorpijs, peccatis scilicet quæ uidentur parua & occulta, sicut dicebat Dauid: attamen mortiferis & ipsis: atq̄ etiam

Psal. 11.

à serpentibus, id est peccatis quæ manifestè nocere censentur. Vel aliter, Calceamenta dantur ei qui primam stolam assecutus est, faciente Deo eum aptum ut annūciet euangelium atq̄ alijs prosit. Christiani enim est prodesse proximo. Vitulus saginatus non ignoratur quis sit, qui immolatur & comeditur. Nam est uerus filius Dei, & ita homo qui carnem assumpsit, naturā ratione carentem, & brutam, illamq̄ diuino honore impleuit: & secundum hoc uitulus dicitur, non enim expertus est iugum peccati. saginatus uerò, secundum quòd ad hoc mysterium ordinatus est ante cōstitutionem mundi. Et fortassis curiosius uidebitur si dicatur, dicetur tamen. Quia panis quem frangimus, secundum id quod apparet, ex tritico confectus est, saginatus, & (ut Græci dicunt) σιτευτὸς, frumento pastus dicendus est. Secūdum hoc aūt quòd per illum intelligit quòd caro est, uitulus dictus est. Et ipse est uitulus, & saginatus. Omnis igitur qui baptizatur, & filius Dei efficitur, immo restituitur, & in summa omnis qui à peccato purgatur, particeps fit saginati illius uituli, & lætitiæ author fit patri, & seruis eius, angelis & sacerdotibus, tanquam ex morte resurrexisset, & post perditionem fuisset inuētus. Nam quantum ad malitiæ abundantiam mortuus erat, & desperatus: quantum uerò ad humanā naturam, quæ uertibilis est, & ualet à malitia ad uirtutem ingredi, perditus dicitur. Perditus enim mitius dicetur, quàm mortuus.

Officium hominis Christiani.

Erat autem filius eius senior in agro, & cum ueniret, & appropinquasset domui, audiuit concentum & choros, & uocauit unum de seruis suis, & interrogauit quid essent illa. At is dixit illi, Frater tuus uenit, & occidit pater tuus uitulum illum saginatum,

tum, quòd incolumem illū receperit. Indignatus est aūt, nec uolebat introire. Pater ergo illius egressus rogabat illum. At ille respondens dixit patri, Ecce tot annis seruio tibi, nec unquam præceptum tuum transgressus sum, nec unquā dedisti mihi hœdum ut cum amicis meis lętarer: sed postquam filius tuus hic, qui deuorauit substātiam tuam cū meretricibus, uenit, occidisti illi uitulum illum saginatum. At ille dixit ei, Fili, tu semper mecum es, & omnia mea tua sunt: lætari autem & gaudere oportebat, quia frater tuus hic mortuus erat, ac reuixit: & perierat, & inuētus est.] Hoc loco celebris mouetur quęstio, Quomodo appareat filius inuidus, qui alioqui uixit & seruiuit patri bene placens? Quæ soluetur, si quidem parabolam quis expenderit, quare dicta fuerit. Omnino enim quia obmurmurabant Domino pharisæi, mundos & iustos se putantes, eo quòd susciperet meretrices & publicanos, propterea parabola ista cū his quæ ante eam dicta sunt, proponitur: quandoquidem pharisæi, qui erant iustiores publicanis, ut uidebantur, obmurmurabant. Considera quòd persona filij qui uidebatur obmurmurare sumitur contra omnes qui scandalizantur in repentina felicitate & salute peccatorum. hoc autem non est inuidiæ, sed magnæ benignitatis diuinæ, quā nos ignoramus, & propte
Psal. 70. rea parit mumurationem. An non & Dauid inducit personā quæ offenditur in pace
Hier. 12. peccatorū, & similiter Hieremias? Quid ꝙ uia impiorū prosperatur? dicens: & Esaias,
Esaiæ 37. Plantasti eos, & radices egerunt. Hæc enim omnia sunt infirmarum & pauperum cogitationum hominum, qui accenduntur, & loquuntur in prosperitate malorum indigna. Dicit igitur per presentem parabolam Dominus pharisęis quasi in hunc modum: Esto, uos iusti sitis sicut filius ille beneplacens patri: obsecro uos iustos & mundos, ne obmurmuretis ob lætitiā quā habemus propter peccatoris salutem, siquidē hic quoq; filius est. Itaq; nō apparet inuidia, sed Dominus pharisæorū mentem instruit per parabolā illā, ut etiāsi iusti ipsi essent, & omnia mādata Dei pfeciſſent, grauatim ferre nō deberent suscipi peccatores. Nec mirū est si ægre feramus super his quæ indigne uidentur fieri. Tanta enim Dei est benignitas, & tā liberaliter sua bona nobis cōmunicat, ut & indignatio & obmurmuratio inde nasci posset: id ꝙd & in familiari colloquio dicimus. B
Sæpe cum beneficijs quempiā affecimus, & deinde gratias non egerit, dicimus, reprehendunt me omnes ꝙ tanta in te beneficia contulerim. quamuis fortè nemo nos reprehenderit: attamē magnitudinē beneficentiæ ostendere uolentes, ita fingimus. Videamus aūt & particulatim & breuiter parabolā. In agro erat filius senior, hoc est in mūdo hoc, & operabat suā terrā, carnem dico, ut impleretur panibus, & serebat in lachrymis, ut meteret in exultatione. Porrò ubi didicit quæ facta erāt, noluit ad cōmune gaudiū ingredi: sed misericors pater egreditur, & obsecrat, & docet eum, lætitiæ causam esse mortui reuiuificationem, eo ꝙ ignorans scandalizatus esset homo, & arguerat eum ꝙ sibi neq; hœdum dedisset, intemperato autem saginatum occidisset uitulum. Quid au
Matt. 25. tem est quod per hœdū significatur? Hoc loco disce: Omnis hœdus et peccator ordinatur ad sinistram partem. Dicit igit bonæ frugis filius, Transegi uitā in omnibus laboribus, persequutionem passus & afflictus, & à pecatoribus passus, & nunquā mihi occidisti hœdū, hoc est humiliasti peccatorem, ut inuenirē uel paruam quietem: qualis hœ
1. Reg. 17. dus erat Heliæ Achab. Persequebatur enim prophetam, & non dedit Dominus hœdū statim ad occidendum, ut parumper refocillaretur & quiesceret cum amicis prophetis suis. Proinde dicit ad Deum: Domine, prophetas tuos occiderunt, & altaria tua sub
3. Reg. 19. uerterūt. Hœdus Dauidi erat Saul, & omnes qui calumniabantur eum, quibus permit
2. Re. 22 23. tebat Dominus tentare eum, & nō occidit ut lætaretur Dauid: ideo & dicebat, Vsque-
Psal. 93. quo peccatores Domine, usquequo peccatores gloriabuntur? Hæc dicit in euangelio & filius, cum in multis esset laboribus, & nullam fuisset assequutus consolationē. Neq; aliquem ex persequutoribus meis morti tradidisti, nunc autem ita facilè saluas prodigum. Hic igitur totus scopus parabolæ est propter pharisæos obmurmurantes ꝙ peccatores susciperet: qua docet, etiamsi iusti simus, non repellendos peccatores, neq; obmurmurandum, recipiente illos Deo. Filius igitur iunior, sunt meretrices & publicani: senior uerò, pharisæi & scribæ, secundum materiam parabolæ iusti intelliguntur: quasi dicente Deo, Esto, uos sitis uerè iusti, nullumq; trangressi mandatum: non oportet igitur assumi eos qui à peccatis conuertuntur? Tales itaq; obmurmuratores docet

per

per hanc parabolam. Non ignoro autem quòd quidam per seniorem filium angelos exponunt, per iuniorem autem humanam naturam, quæ tumultuata est, & dato mandato uacauit delicijs. Alij uerò Israelitas & Gentiles. Verum autem hoc tenendum est quod diximus, quia filius senior personam gerit iustorum, iunior autem peccatorum, & se conuertentium. Totus autem parabolæ contextus propter pharisæos est positus, ut doceat eos Dominus ne ægrè ferant susceptionem peccatorum, etiamsi ipsi iusti essent. Nullus ergo iudicia Dei grauatim ferat, sed gratum sit ei, si peccatores feliciter agant & saluentur. Quî enim scis, si is quem tu peccatorum censes, pœnitentiam agens gratior fiat? Quid item, si occultas habet uirtutes, & propterea à Deo benignè respicitur?

CAPVT XVI.

DIcebat aũt & ad discipulos suos, Homo quidam erat diues, qui habebat dispensatorem, & hic delatus est apud illũ ut qui dissiparet bona ipsius: & uocauit illũ, & ait illi, Quid hoc audio de te? Redde rationẽ dispensationis tuæ: nõ enim poteris posthac dispensare. Ait aũt dispensator intra se, Quid faciã quia Dñs meus aufert à me dispensationẽ? Fodere nõ ualeo, mendicare erubesco: scio quid faciã, ut cũ amotus fuero à dispensatione, recipiant me in domos suas. Conuocatis itaq; singulis debitoribus domini sui, dicebat primo, Quantũ debes domino meo? At ille dixit, Centũ batos olei. dixitq; illi, Accipe cautionẽ tuam, & sede citò, & scribe quinquaginta. Deinde alteri dixit, Tu uerò quantũ debes? qui ait, Centũ coros tritici. ait illi, Accipe cautionẽ tuã, & scribe octoginta. Et laudauit dñs dispensatorẽ iniquũ, q; prudẽter fecisset: quia filij huius seculi prudentiores sunt filijs lucis in natione sua. Et ego uobis dico, Facite uobis amicos ex mãmona iniusto, ut cũ defeceritis, recipiãt uos in æterna tabernacula.] Omnis parabola obliquè & figurato modo rerũ quarundam naturã manifestat, nõ per omnia rebus illis assimilata propter quas assumpta est. Idcirco nõ oportet omnes parabolarum partes curiosius inquirere, sed quatenus apparẽt proposito utiles. reliquæ enim
B sinendæ sunt quasi parabolam cõtexentes, & nihil ad propositũ conducentes, quomodo & in proposita parabola faciendũ. Nam si per tenues particulas omnes exponere tentauero quis dispensator, quis dispensatoris dñs, & à quo delatus sit, & qui debitores, & propter quã causam ille quidem oleũ, alius aũt triticum, & qua de causa centũ debere dicantur, & si alia omnia perquisiuerimus, obscurũ & molestum sermonẽ faciemus: & fortasis, si ualde hæsitauerimus, etiã ridiculi erimus. Igitur tantũ utilitatis ex præsenti parabola capere oportet, quantũ possibile est. Et ut aliquid dicã, Dominus hoc loco uult nos docere ut bene dispensentur creditæ nobis diuitiæ. Et primũ hoc discimus, q; non sumus domini diuitiarũ. Nihil enim habemus propriũ, sed dispensatores alienarũ rerũ sumus, quę à Domino nobis cõcreditę sunt ut illas bene dispensemus sicut ipse imperat. At si cõcreditas diuitias nõ expenderimus iuxta mentẽ Domini, & abusi fuerimus illis in nostrũ luxũ, accusabimur. Etenim uoluntas Domini est datis uti in usus conseruorũ, non in proprias delicias. Porrò qui accusantur, & destituuntur à dispensatione diuitiarũ, hi sunt qui ex hac uita emigrãt, quãdo scilicet & rationẽ dabimus de dispensatione, cũ destituti fuerimus. Si itaq; prudẽtes essemus, uel tardè sentiremus quid facto opus, & faceremus nobis amicos ex diuitijs iniustitiæ. Dicuntur aũt diuitiæ iniustitiæ, quas nobis Dominus in usus fratrũ & conseruorum insumendas dedit, nos aũt nobis depositas tenemus. Verùm uel tardè sentiamus quò feramur, & quòd cum dies illa uenerit, neq; laborare poterimus. Non enim tunc erit operandi tempus, neq; tunc honestum erit mendicare. Stultæ enim uirgines dicuntur quæ mẽdicant. Quid igitur reliquũ, quàm ut harum diuitiarum fratres participes faciamus, ut quando hinc defecerimus, hoc est ex hac uita excesserimus, accipiant nos pauperes in æterna tabernacula? Æterna enim tabernacula pauperibus in Christo cõstituta sunt, in quæ possint recipere eos qui hic ipsis amicè de bonis quæ sunt dominica, largiũtur. Pauperibus enim primũ debemus dare: nam illi debitores sunt, secundũ hoc quod dictũ est, Tota die miseretur & cõmodat iustus, & iterũ, Qui miseretur pauperi, fœneratur Deo. Oportet igitur primũ dare bonis illis debitoribus, qui centupla reddũt. Verùm quia dispensatores iniustitiæ inuenimur, iniustè retinẽtes quæ alijs sepositа sunt, nõ semper manendũ erit in hac infidelitate, sed communicandum pauperibus, ut ab ipsis suscipiamur in æter-

Parabola et eius partes quatenus inquirendæ.

Diuitiæ iniustitiæ quæ dicantur.

Matth. 25.

Psal. 36.

Prouer. 19.

na tabernacula. Sic igitur nobis exponentibus parabolam, nihil uel superfluum, uel curiosum, uel somniculosum enarrando occurret. Videtur autem & alienũ quiddam significare, dicens, Filij huius seculi prudentiores sunt, &c. Non autem malè cohæret, neq; alienum est. Filios enim huius seculi dicit eos qui laudant omnia quæ in terra lucrola sunt: filios uerò lucis, eos qui debent piè spirituales diuitias communicare. Hoc igitur dicit, quia homines humanis dispensationibus præfecti, omnibus modis curam habent & prouident ut cum destituti fuerint à dispensationis munere, consolationem habeant. Qui autem filij lucis ordinantur, hoc est, quibus cõcredita est spiritualis rerũ dispensatio, nõ cogitant quomodo post hanc uitam commodum percipiant. Filij itaq; seculi huius, quibus humanę dispensationes cõcreditæ sunt, & in generatione sua, hoc est in uita hac prudenter res suas dispensant. Filij uerò lucis, qui pecunias receperunt ut illas in pios usus dispensent. Inuenimur itaq; in humanis dispensationibus res nõstras prudenter dispensare, ut etiã si administratione exciderimus, habeamus quoddã refugium uitæ: in his autem rebus quæ debent secundum Deum dispensari, nullam uidemur gerere curam quomodo rationem dispensationis reddamus, ex hac uita educti, ne inueniamur ab omni consolatione destituti. Ideo & insipientes uocamur, nõ sapientes ea quæ nobis posthac sint profutura, & quomodo faciamus nobis pauperes amicos communicatis diuitijs iniustitiæ, hoc est his quę datæ sunt nobis à Deo ut sint arma iustitię, sed à nobis detinentur, & propterea ad iniustitiã pertinẽt. Si aũt diuitię quę iustis modis partæ sunt, quando non bene dispensantur nec dantur pauperibus, iniustitia & mammona reputantur: quę ex iniustitia, multo magis. Ex ipsis igitur faciamus nobis amicos, ut quando defecerimus, & ex hac uita emigrauerimus, uel etiam aliter quãdo pusillo animo sumus, & cõdemnamur, illuc accipiãt nos in æterna tabernacula. A

Qui fidelis est in minimo, & in multo fidelis est: & qui in minimo iniquus est, is & in multo iniquus est. Si ergo in iniquo mãmona fideles nõ fuistis, quod uerũ est, quis credet uobis? Et si in alieno fideles nõ fuistis, quod uestrũ est, quis dabit uobis? Nemo seruus potest duobus dominis seruire, aut enim hũc odio habebit, & alterũ illũ diliget: B

Matth. 6. aut huic adhærebit, & alterũ illũ cõtemnet. Nõ potestis Deo seruire & mãmonę.] Adhuc docet quõ secundũ Deũ dispensandæ sint diuitię. Qui enim fidelis est in minimo, hoc est qui bene dispensauerit cõcreditas sibi diuitias in hoc mundo, etiã in multo fidelis est, hoc est in futuro seculo reuera diuitijs dignus est. Minimũ igitur uocat terrenas diuitias, ut reuera paruas, immò quæ nihili sunt, quãdoquidem transitoriæ sunt: multũ uerò cœlestes, utpote semper duraturas, & quibus semper accedit. Qui uerò in his terrenis diuitijs iniustus apparuerit, & sibi uendicat quæ in cõmunem usum fratrum sunt concessa, neq; illo multo dignus inuenietur, sed sicut iniustus repudiabitur. Interpretans autem quod dictum est, addit, Si in iniusto mammona fideles non fuistis, quod uerum est quis uobis credet? Iniustũ mammona nominat diuitias quæ apud nos sunt. Nam si non essent iniustæ, neq; apud nos essent: nunc autem quia apud nos sunt, manifestum quòd tenentur, & cum pauperibus non distribuãtur, iniustæ sint, hoc autem est uendicare sibi res alienas, atq; eas quæ pauperum sunt: id quod iniustitiæ est. Itaq; ei qui diuitias illas malè dispensat & infideliter, non bene dispensat aliena, hoc est bona & pecunias quæ ad pauperes pertinent, quomodo ueræ credentur diuitiæ? Vel aliter: cũ nihil attulerimus in hunc mundum, nudiq; in hunc mundum nati simus, quod nostrum est quis dabit? Nostræ aũt sunt diuitiæ cœlestes & diuinæ, illic noster municipatus est, eo quòd homo ad imaginem Dei est conditus. Pecuniæ autem & possessiones aliena sunt, nihil enim simile illi ex his. Diuinorum autem bonorũ fruitio, & participatio Dei, nostra sunt. Igiť hucusq; docuit nos Dominus quomodo fideliter dispensandæ sunt diuitiæ. alienæ enim sunt, & nõ nostræ. nos enim dispensatores sumus, & non domini. Quoniã autem dispensatio diuitiarum iuxta Deum non aliter fit rectè, nisi absint erga illas etiam affectiones, quod hac doctrina dixit, Non potestis Deo seruire & mammonæ: hoc est, impossibile est simul addictum esse mãmonæ, & tali affectione detentum seruire Deo. Atq; ita si uis fideliter dispensare diuitias, nõ seruias eis, hoc est, non tenearis affectione erga illas, & profectò seruias Deo. Vbiq; enim amor pecuniæ taxatur: hoc est affectio erga illas & studium.

Diuitias terrenas Christus minimum uocat.

Audiebant autem hæc omnia & pharisæi, qui erant auari, & deridebant illum. Et

ait il-

A ait illis. Vos estis qui iustificatis uosipsos coram hominibus: Deus autem nouit corda uestra: quia quod hominibus excelsum est, abominandũ est coram Deo.] Pharisęi quidam deridebant Dominum, eo ꝙ sermonibus illis notarentur. Grauatim enim ferunt auari, si quando de paupertate audiunt: quoniã & dictũ est, Abominatio est peccatori pietas, & reprehensiones impio sunt flagella. Dominus aũt retegens occultã eorũ malitiã, & ostendẽs eos simulare iustitiã, & abominabiles esse apud Deũ propter opinionẽ quã de se habebãt dicit, Vos estis qui iustificatis uosipsos, opinantes solis uobis datũ nosse quæ oportet docere, & ideo deridetis meos sermones, cupientes haberi à multitudine doctores ueritatis. Sed non sic. Deus enim nosse corda uestra, & abominabiles uox existimat, propter superbiam, & humanæ gloriæ cupiditatẽ. Quod enim sublime in hominibus, abominatio apud Deum est. Immundus enim apud Dominum omnis superbus corde. Oportebat igitur uos ô pharisæi, non ad humanã uiuere opinionem: (Deus enim disperdit ossa eorum qui hominibus placẽt) sed iustificare uos corã Deo. *Auaris paupertas exosa.* *Eccl.10.* *1.Cor.1.* *Psal.52.*

Lex & prophetæ usq; ad Ioannem. ab eo tempore regnũ Dei annunciatur, & quiuis in illud uim facit. Facilius est autem cœlum & terram præterire, quàm legis unum apicem cadere. Quisquis dimittit uxorem suam, & alteram ducit, adulterium cõmittit: & qui dimissam à uiro ducit, adulterium cõmittit.] Videntur hæc separatim dicta, & cum superioribus non cohærere: sed attendenti uidebuntur non malè consectanea. Nam quia ipse paupertatem in superioribus docuerat, uocando diuitias iniustũ mammona, lex uerò benedictiones & in diuitijs dabat, & prophetæ bona terræ promittebant: ut ne quis dicat ei irridens sicut pharisæi, quid tu dicis? contrarius es legi: illa & in diuitijs benedicit, & tu paupertatem doces? propterea dicit, Lex & prophetæ usq; ad Iohannem habuerunt tempus. Et bene quidem docebant, nempe ita auditorum infirmitate postulante. A quo autem tempore Ioannes propter paupertatem materia ferè carebat, & sine possessionibus uersabatur, regnumq; cælorũ prædicabat: non ultrà bona terrena huic tẽpori debentur, sed regnum cœlorũ prædicatur. Proinde & pauperta
B tem in terra debẽt seruare hi qui cœlos desiderant. Quoniã prophetæ & lex nõ memores fuerũt regni cœlorũ, meritò bona terræ promittuntur imperfectioribus, & nihil uirile uel magnũ intelligere ualentibus. Atq; itaq; ô pharisæi meritò paupertatẽ doceo, eo ꝙ imperfecta legis præcepta iam nõ habent tẽpus. Insuper ne dicant reiecta omnia quæ in lege sunt dicta, quasi uana sint & inutilia: nõ hoc dicit, sed magis implentur & & perficiuntur. Quæcunq; emi illa adumbrauit, ea dixit de Christo figuraliter. Et quantum ad leges attinet, etiam ipsæ nunc implentur, & nihil in his usq; ad extremũ apicem intercidit. Et quæ de Christo illic per umbram subindicata sunt, nunc perficientur clarius. Et mandata legis quæ tunc data, pro imperfectorũ sensu congruenter data, nunc sublimiorem & perfectiorem sensum habitura sunt. Lex enim imperfectè imperfectis locuta est: quod hinc manifestum est. Nam de solutione nuptiarum iuxta duritiem cordis Iudæorum respondit, ut cum uir odio habuerit uxorem, potestatem habeat dimittendi eam, ne deterius quid fiat. Homicidæ enim erant & sanguinarij, & neq; proprijs parcebant, quandoquidem & filios & filias dæmonibus immolabant. sed humilitas & imperfectio legis talis erat. Tempus enim eiusmodi legislationis tunc erat, nunc aũt alia perfectiore doctrina opus est. Idcirco etiam dico, Omnis qui dimittit uxorem excepta causa fornicationis, & ducit aliam, adulterium cõmittit. Vnde haud mirũ, si cum nihil tale de paupertate lex manifestè docuerit, ego de paupertate differã. Ecce cum de solutione matrimonij lex promiscuè præceperit propter cædem Iudæorum, ego ad perfectiora exercens auditores, repudiũ absq; rationabili causa prohibeo, non illi contraria docens, sed magis uoluntatem eius perficiens. Mens enim legis erat ne homicidia fierent inter uirum & uxorem. hoc & ego intendo, eo ꝙ doceam coniuges mutuam inter se curã gerere, & parcere alterum alteri ut membris proprijs: id quod & lex uolebat. At quoniam imperfecti erant auditores, decreuit illa coniugij solutionem, ut uel sic sibi mutuum parcerent, & non in se inuicem insanirent uir & mulier. Statuit igitur Christus omnia quæ ad legem pertinent, & ita bene dixit ꝙ impossibile sit unum apicem de lege cadere. Quomodo enim decideret, cum magis à Christo corrigeretur? *Nihil à lege excidit quin fiat.* *Matth.19.* *Deut.24.* *Psal.109.* *Matth.5.*

Homo quidam erat diues, qui induebatur purpura & byssо, & epulabatur quotidie splendidè. Erat autem quidam mendicus nomine Lazarus, qui iacebat ad ianuam

eius

eius ulcerosus, cupiens saturari de micis quæ cadebant de mensa diuitis. Sed & canes A
ueniebant, ac lingebant ulcera eius. Accidit autem ut moreretur mendicus, & deportaretur ab angelis in sinum Abrahæ. Mortuus est autem & diues, ac sepultus est.] Bene sequũtur hæc ad superiora. Quia enim prius docuerat ut nos rectè circa diuitias gereremus, meritò coniungit & hanc parabolam in eandem ferentẽ sententiã per exemplum diuitis. Parabola eñ est hæc, & nõ (ut quidã opinati sunt) historia. Nondũ enim separata erant iustis bona, & peccatoribus contraria: sed figurauit sermonem Dñs, ut immisericordes doceat qualia eis euentura sint, & iterum doceat eos qui affliguntur, quàm bene habituri sint pro his quæ hic sustinent. Diuitem igitur hoc loco absq; nomine in parabola assumpsit, utpote qui neq; dignus sit qui à Deo nominetur: sicut & per
Psal. 6. prophetam dicit, Non memor ero nominũ illorum per labia mea. Nomen autem pauperis memorat. Iustorum enim nomina in libro uitæ scripta sunt. Fert enim Hebræorum traditio, Lazarum quendam per illud tempus extrema inopia & infirmitate laborasse, cuius mentionẽ fecerit Dominus in parabola hac, utpote noti & manifesti. Diues igitur omnino dissolutus erat. nam purpura & byssо induebatur, & prẽterea omnibus alijs delicijs uacabat. Epulabatur enim dicit, & non nunc tantum, & postea non, sed quotidie: & nõ mediocriter, sed splendidè, hoc est sumptuosè & prodigaliter. Lazarus uerò pauper erat, & infirmus grauiter. Vlcerosus enim, inquit, erat. Aegrotant alij, sed ulceribus carent: hic autem grauiore malo affligebatur, & ad uestibulum diuitis iacebat. Ecce alius dolor, uidere alios in delicijs, se uerò fame premi. Desiderabat enim, inquit, satiari, non sumptuosis ferculis, sed de micis eius, & illis quibus satiabantur canes. Insuper destitutus erat omni cura, & canes lingebant ulcera eius, cum nemo esset qui ab illo istos abigeret. Num igitur Lazarus in tantis malis blasphemabat? num conuiciabatur? num incessebat luxum diuitis? num inhumanitatem condemnabat? num prouidentiam Dei reprehendebat? Nihil horum, sed fortis erat, & magnæ philosophiæ. Vnde manifestum? propterea q̃ angeli ipsum mortuum susceperint. Nam si obmurmurator fuisset & blasphemus, neutiq̃ tantum honorem fuisset consecutus, & angelorũ comi B
tatu stipatus. Mortuus est aũt & diues, ac sepultus est. Nam profectò etiã cum uiueret, sepulta erat eius anima, carnem quasi sepulchrũ circumferens. Et ideo cũ moreretur, nõ ab angelis assumptus est, sed in infernum deductus. Nam qui nihil sublime, nihilq̃ cœleste cognouit unquam, infimo loco dignus. Dicendo enim q̃ sepultus sit, insinuat obiter Dominus quòd & anima eius locum infimum & caliginosum sortita fuerit.

Atq; in tartaro sublatis oculis, cum esset in tormentis, uidet Abraham eminus, & Lazarũ in sinu eius: & ipse clamans dixit: Pater Abraham, miserere mei, & mitte Lazarum, ut intingat extremum digiti sui in aquam, ac refrigeret linguã meam, quia crucior in flãma hac. Dixit aũt Abraham, Fili, recordare q̃ receperis bona tua in uita tua, & Lazarus similiter mala, nunc aũt hic solatio fruit̃, tu uerò cruciaris. Et super hæc omnia inter nos & uos hiatus ingens firmatus est, ut hi qui uolunt hinc transire ad uos, nõ
Gen. 3. possint, neq; inde transcendere ad nos.] Quemadmodum Dominus eiectum Adam è regione paradisi collocauit, ut cõtinuò aspectans, clarius sentiret à quantis bonis excidisset: sic & illum cõdemnauit in conspectu Lazari, ut uidens illum in qualibus esset, sentiret unde per inhumanitatẽ excidisset. Et propterea nõ apud alium quendã iustũ, sed in sinu Abrahæ uidit Lazarũ, quoniã hospitalis fuerat Abraham. Vt igitur reprehenderetur illius inhospitalitas, propterea illum apud Abraham uidet. Ille etiam eos qui præteribant, in domũ suã trahebat, hic aũt etiã intra domũ iacentes despiciebat. At

Cur diues Abrahã in auxiliũ inuocet, ac nõ potius Lazarum.

cur nõ uertit sermonẽ ad Lazarũ, sed ad Abrahã? Confundebat̃ fortasis, existimãs forsitan Lazarũ uindictæ auidum, & ex suis causis iudicabat illum. Si enim ego tanta felicitate fruens contempsi illum tantis malis coangustatum, & neq; micas ei cõmunicauit: multo magis ipse cõtemptus uindicabit, & non annuet ut mihi beneficiũ concedatur. propterea ad Abraham facit sermonem. Putabat enim ignorare patriarcham quæ contigissent. Quid igitur ille? nõ dixit, Inhumane & crudelis, nõ erubescis? † immiseri cordiæ nõ recordaris? sed quomodo? Fili. Vide compatientem & sanctũ. Dicit enim & sapiens quidam, Animam humiliatam ne turbaueris. Et propterea etiam ipse dicit, fili: insinuans per hoc eatenus sibi licere, quatenus tam benignè alloquitur, sed ulterius nihil licere ei. Quod possum, hoc tibi communico, compatientem scilicet

† misericordiæ nõ recordaris?

Eccl. 4.

uocem.

A uocem. At hinc illuc transire non est nostrũ, cõclusa enim sunt omnia. Et tu quidem recepisti bona tua, ille aũt mala. Et quare nõ dixit, accepisti, sed, recepisti? Recipere enim de his dicere solemus qui suscipiunt quod eis debebatur. Discimus igitur q̃ licet quidã facinorosi sint, & in extremã peruenerint malitiã, nonnunquã tamen unum quoddã uel duo bona opera faciunt, unde & ipsi habentes bona quædã, quæ in præsentis uitæ prosperitate capiunt, recipere dicuntur. Similiter aũt & Lazarus mala. Fortasis aũt & ille unum uel duo mala cõmiserat, & propterea dolorem illum sustinens, dignã factis mercedem accepit. Vnde consolationem habet ille, tu uerò cruciaris. Porrò hiatus significat distantiã & differentiã iustorum & peccatorum. Nam sicut uoluntates eorum diuersæ fuerunt, ita & præmia multum inter se distant, unoquoq; recipiente ea quæ uitæ & uoluntati suæ congruunt. Obserua aũt hoc loco contra Origenistas dicentes q̃ tempus erit quo finientur impiorum supplicia, & peccatores cũ iustis coniungentur, & sic omnia in omnibus erit Deus. Ecce enim audimus Abraham dicentem quod hi qui uolunt hinc ad uos, uel illinc ad nos transire, non possint. Sicut igitur impossibile est ex consortio iustorum quempiam transire in locum peccãtorũ: ita impossibile est, ut nos docet Abraham, transire à loco pœnæ in locum iustorũ. Abraham sanè fide dignior est, q̃ Origenes. Quid aũt est infernus? Quidam dicunt esse locum subterraneũ tenebrosum. Alij autem transitum animæ à lucido in obscurũ & immundum dicunt infernũ. Quamdiu enim in corpore est anima, apparet propter operationes suas: postquam autem à corpore emigrauerit, inuisibilis fit. Hoc igitur dixerunt esse infernũ. Sinus autem Abrahæ uocant continentiam bonorum quæ reposita sunt iustis, qui à tempestate huius maris ingrediuntur in portus cœlestes: quoniam & in mari sinus appellamus loca portubus & quieti apta. Attende hic quòd in die illo qui alium iniuria affecit, uidebit iniuria affectum in quali gloria sit, & hic iterum illum in quanta cõdemnatione: sicut in hoc loco diues Lazarum, & Lazarus diuitem.

Recipere.

Hiatus q̃

Contra Origenistas.

Infernus quid.

Sinus Abrahæ.

Sinus maris.

Ait aũt, Rogo ergo te pater, ut mittas eum in domũ patris mei: habeo enim quinq;
B fratres: ut testetur illis, ne & ipsi ueniant in hunc locũ cruciatus. Ait illi Abraham, Habent Mosen ac prophetas, audiant illos. At ille dixit, Non, pater Abraham, sed si quis ex mortuis ierit ad eos, resipiscent. Ait aũt illi, Si Mosen & prophetas nõ audiunt, neq; si quis ex mortuis resurrexerit, credent.] De rebus suis desperãs miser ille diues, pro alijs supplicat. Vide aũt quomodo in supplicijs sensum alienę infeliciratis capit. Et prius Lazarum despiciebat ante pedes iacentem, nunc aliorũ absentium curam gerit, & obsecrat ut Lazarus ex mortuis in domũ patris sui mittatur. Et nõ simpliciter ex mortuis quispiã, sed Lazarus, ut uideant eum coronatũ & gloria & incolumitate, qui uiderant antè infirmũ & contemptum: & qui testes fuerunt paupertatis ipsius, ipsi etiam gloriæ fiant spectatores. Manifestum enim est, q̃ in gloria illis esset conspiciendus, si quidem ipsum fide dignũ præconem esse oportebat. Quid igit̃ Abrahã? Habent Mosem. Non ita, inquit, tu fratrũ curã geris ut qui illos fecit Deus. innumeros enim illis præfecit doctores. At diues, nõ, inquit, pater. Nam quemadmodũ ipse scripturas audiens nõ crediderat, & fabulas esse putarat ea quę dicebanũ; similiter etiã fratres suos se habere suspicatus est, & ex se iudicãs dicebat q̃ nõ audituri sint scripturas, sicut neq; ipse, sed si quis ex mortuis resurrecturus esset credituri sint. Tales etiã nunc sunt qui dicũt, Quis uidit ea quę in inferno? Quis uenit illinc, & annũciauit nobis? Sed audiãt Abrahã. Quoniã si scripturas nõ audimus, neq; his qui ex inferno ueniunt, credemus. Et hoc manifestarunt Iudæi, qui quia scripturas nõ audierũt, neq; cũ resurrexissent mortui, crediderũt: sed & Lazarũ occidere tentauerunt, & cũ mortui multi resurrexissent crucifixo Iesu, magis tamen sæuientes Iudæi inuaserunt Apostolos: quia si quidẽ illud profuisset nobis ad fidem, etiã hoc sæpe fecisset Dominus. Nunc nihil tam utile est ut scripturarũ diligens scrutatio. Mortuorũ suscitationem falsè & apparenter facere potest etiã diabolus, ut seducat imprudentes, seminans doctrinas de inferno dignas sua malitia: at eis qui scripturas probè scrutantur, nihil potest illudere. Illæ enim sunt lucerna & lumen, quo lucente fur deprehenditur & manifestatur. Illis igitur credendum, & de mortuorum suscitatione non curandum. Posset autem parabola hæc per allegoriam exponi, & ita dici, q̃ per diuitem populus Iudæorum significetur. Diues enim ille fuit olim, locupletatus omni cognitione & sapientia & sermonibus Dei, qui super aurum & lapidem

Ioan. 12.

Diligẽs scripturæ scrutatio curanda, non defunctorum spectra.

dem precioſum. Sed & purpura & byſſo indutus erat, regnũ habens & ſacerdotium, & regale erat ſacerdotium Deo. Significat autem purpura quidem regnum, byſſus uerò ſacerdotium. Nam Leuitæ byſsinis ſacerdotalibus ueſtimentis induebantur. Epulabatur autem quotidie & uiuebat ſplendidè. Quotidie enim offerebant ſacrificium matutinum & ueſpertinum, quę & ἐνδελεχισμὸν, hoc eſt iuge ſacrificium nominabant. Lazarus uerò populus gentilium fuit, pauper diuina gratia & ſapientia, & ante fores iacẽs, nõ enim licebat gentilibus intrare in domũ. pollutio enim uidebat̃, ſicut in Actis Apoſtolorum clamant in Paulum ꝙ Gentiles intoduxerat in templũ, & cõmunem feciſſet ſanctum illum locum. Inſuper & ulceribus peccatorum fœtentiũ plenus erat ille populus, & impudentes canes diabolos paſcebat ſuis ulceribus. Voluptati enim illis ſunt noſtra ulcera. Deſiderabat item & micas decidentes à menſa diuitis. Omnino enim carebat pane, qui confirmat cor hominis: & minimo tenuiq; cibo agebat, ſicut & Chanæa mulier cũ ethnica eſſet, de micis ſaturari cupiebat. Quid multis? Mortuus eſt Hebraicus populus Deo, & mortua ſunt illorũ oſſa, quæ ad bonũ faciendum nõ mouentur. Mortuus eſt aũt & Lazarus peccato, Gentilis inquã populus. Et Iudęi quidem qui in peccatis ſuis mortui ſunt, in flamma inuidię exuruntur zelantes, ut dicit Apoſtolus, ꝙ Gentiles aſſumpti ſint ad fidem: qui aũt prius pauper erat & ignobilis populus Gentilis, in ſinibus Abrahæ patris gentiũ meritò uerſatur. Etenim & Abraham cũ gentilis eſſet, credidit Deo, & ex idolorũ cultu ad Dei agnitionem tranſijt. Proinde qui participes ſunt translationis eius & fidei, iure & in ſinibus eius quieſcunt, eundem finẽ, & habitationes & ſuſceptionẽ bonorum ſortiti. Et cupit Iudęorũ populus unam guttam de aſperſionibus & purgationibus priſcis legalibus, ut refrigeretur eius lingua, & poſsit confidenter loqui nobis ꝙ lex ſit efficax & operetur, ſed nõ eſt, lex enim uſq; ad Ioannem. & ſacrificium (inquit) & oblationem noluiſti, ac cætera. & Daniel, Exterminabitur unctio. Et ſignari prophetas, hoc eſt ceſſaturos eſſe & concludendos prædixit. Tu aũt & moraliter parabolam expone, & ne cum ſis diues, in malo mentem tuam fameli cam prætereas, neq; deſpicias in humũ proiectam, & cũ facta ſit ut ſurſum tendat, ante fores iacentem, ſed introduc eam intro, & non ſtet foris, nec uagetur, nec iaceat, ſed operetur. Et ſic ea quæ mentis, operari, & nõ ſolum in carne deliciari poteris. Facilè fuerit etiam alia quæ in hac parabola ſunt, ad morum utilitatem exponere.

ἐνδελεχισμὸν.

Act. 21.

Pſal. 103.

Matth. 15.

Matt. 11.

Pſal. 39.

Dan. 9.

CAPVT XVII.

Matt. 18. Marc. 9.

DIxit autem ad diſcipulos, Fieri non poteſt quin ueniant offendicula: uæ tamen illi per quem ueniunt. Expedit illi, ſi mola aſinaria ponatur circa collum eius, & proiectus fuerit in mare, potius quàm ut offendiculo ſit uni de puſillis iſtis. Cauete uobis. Si peccauerit in te frater tuus, increpa illũ: & ſi pœnituerit, remitte illi. Et ſi ſepties in die peccauerit in te, & ſepties in die conuerſus fuerit ad te, dicens, Pœnitet me: remitte illi.] Quoniam phariſæi auari obmurmurabant contra Dominum de paupertate loquentẽ, quibus & parabolam dixit de diuite & Lazaro, oſtendens eis per illam quanta propter amorem diuitiarum ſupplicia paſſuri ſint: dicit nunc ad diſcipulos de iſdem phariſæis, manifeſtans eos eſſe ſcandalorũ authores, & impedientes à uia Dei, & propterea uæ eis infligendũ. Videamus igit̃ quid dicat, Fieri non poteſt ut non eueniant ſcandala, hoc eſt, impedimenta bonę Deoq; placitæ uitæ. Neceſſe enim propter multã hominũ malitiã multa impedimenta prædicationis & ueritatis inueniri. Vę aũt illi per quẽ ueniũt, id eſt, illi qui ea facit, quales ſunt phariſæi, qui offendunt & prohibẽt prædicationẽ. Quare igit̃ cõdemnas Dñe, & miſeros dicis eos qui ſcãdala faciũt, ſi ex neceſsitate illa eueniãt? Omne aũt quod neceſſariũ, hoc & uenia dignũ. Sed audi ꝙ neceſsitas illa ex uoluntate habet initiũ: & ita dicere uult, Dñs uidẽs malitiã hominũ qui tũc erãt (proni enim erãt in omne malũ, nihilq; bonũ eligebant) ꝙ quantũ ad cõſequentiã eorum quæ uident̃, neceſſe ſit uenire ſcandala. Malitia igitur cui ſtudent homines, ex uoluntate eſt. Operatio aũt offendiculorũ neceſſariò malitiã comitatur: & ita propter hoc & puniendi ſunt ſcandalorũ authores. Et age dicamus exẽpla. Videns quempiã medicus malã diætã ſeruare, & inſatiabilem eſſe, dicit, Neceſſariũ eſt illũ & ægrotare. Num igitur morbus neceſſarius? Etiã, quatenus obſeruat malam diætam. Propterea uæ his qui prædicationem impediunt, eo ꝙ in tantam peruenerunt malitiam, ut etiam neceſſariò eueniant ſcandala. Et expediret magis homini ſcandala & offendicula facienti,

Scandalorũ authores phariſæi.

Neceſsitas ſcandali nõ abſoluta, ſed ex uoluntate mala.

molam

A molam asinariam in collo eius appendi, & proiici eum in mare, quàm unum ex pusillis fidelibus scandalizari & subuerti. Ideo munit discipulos suos, & dicit, Cauete uobis. Ecce (inquit) prædico uobis q̃ uenient mala. Inexcusabiles estis. Necessarium enim ut ueniant illa, nõ necesse autem uos perire, si quidem munitueritis & armaueritis uos. Necessarium enim est uenire lupũ, sed si uigilauerit pastor, nõ necessariũ est perire oues, sed lupus frustra hians abibit. Dixit igitur hæc de his qui offendunt, hoc est, impediunt & nocent. Quoniam autem multæ horum differẽtiæ: nam alij quidem sunt incurabiles, quales pharisæi: alij uerò sanabiles, quales fratres Domini erga Dominũ ipsum: nã neq; ipsi credebant in eũ: quia igitur multæ impedientium differentiæ, uerisimile etiã quosdam qui idem credant, tales esse: & propterea dicit, Si peccauerit in te frater tuus, argue eum tu solus, & seorsum: & si quidẽ audierit te, lucratus es illũ: sin minus, accipe tecum unum uel duos &c. quæ latè exponit Matthæus: Lucas autem ut dicta à Matthæo silentio præterijt. Itaq; qui audierit increpationem, uenia dignus est. Qui autem non audierit, sit tibi uelut ethnicus & publicanus, hoc est, ab omnibus contemptus, & indignus qui uocetur frater. Postea quasi interroget quispiam, Esto Domine hæc quidem bene dixeris: si aũt sæpe ueniam consecutus fuerit, & iterum noceat, quid faciendum ei? dicit, Si resipiscit, iterum remitte ei. Et iterum, Si septies peccauerit, & cõuersus fuerit, remitte ei. Septies autem hoc loco pro sæpius positum est: sicut & cum dicitur, Sterilis peperit septẽ. Quoties igitur pœnitentiam agit, toties remittere oportet. Non enim cogites q̃ Dominus ponat numerũ remissionis: sed per septies intellige sæpius, & sine numero: quemadmodum & in familiari colloquio dicimus exercitum decem millium, non q̃ decẽ millia & non plures uiros habeat, nã fortassis plures habet: sed idem dicere uolumus, ac si diceremus, multorum uirorũ. Et q̃ hoc dicat, manifestum est ex Matthæo. Illic enim cum dixisset Petrus: Nunquid Domine usq; septies remittam ei? Dominus dixit, Non, sed septuagies septies, & per hoc innumerabilia designat.

Simile. *Ioan. 7.* *Cap. 18.* *Septies pro sæpius poniti.* *Matth. 18.*

Et dixerũt Apostoli Domino, Adauge nobis fidẽ. Dixit aũt Dominus, Si haberetis
B fidem sicut granum sinapis, dixissetis huic arbori sycamino, Eradicare, & transplantare in mare: & obediisset uobis. Quis autem uestrũ habens seruum arantem aut pascentem, qui regresso ab agro dicat, Statim transi & accumbe: ac non potius dicit illi, Para quod cœnem, & præcinge te, ac ministra mihi donec edero & bibero, & post hæc edito & bibito tu? Num gratiam habet seruo illi, quia fecit quæ imperata fuerant? Non puto. Sic & uos cũ feceritis omnia quæ præcepta sunt uobis, dicite, Serui inutiles sumus: quod debuimus facere, fecimus.] Apostoli credebant quidẽ Domino: ueruntamen cum uenissent in conscientiam infirmitatis suę, & audiuissent Dominũ de magnis quibusdam sibi dicentem, & de periculo ab offendiculis, precantur ut augeatur in eis fidei uirtus, per quam poterint hæc quæ dicit, perfici. Nihil enim adeò ad paupertatem de qua loquit̃, perficiendã cõducit, atq; credere & confidere Domino: quemadmodũ nihil ita facit thesauros reponere, ut nõ credere q̃ magnus sit thesaurarius Deus, & in exhaustum ſpromptuariũ bonitas eius. Insup ut ẽ offendiculis per fidẽ obsistere possint, ideo accedentes dicunt, Auge nobis fidem. Fac nos perfectiores & firmiores in fide. Dominus autem ostendens eis q̃ bene petant, & q̃ hãc mentẽ firmiter habere debeant de fide ut multum efficacem, dicit, Si haberetis fidem, istam sycaminum transplãtassetis. Duo autẽ in hoc magna sunt, nempe in alium locum moueri radicatam in terram, & plantari in mari. In aqua enim quidnã plantatur? Manifestum autẽ q̃ dum hæc dicit, fidei monstrat uirtutem. Fortassis autem per allegoriam quis sycaminum dixerit esse diabolum, q̃ nobis author & alumnus sit uermis æterni, propter cogitationes quas ille generat. Folia enim sycamini uermes pascunt, unde fiunt serica. Hanc igitur sycaminũ fides eradicare ualet ex corde humano, & in mare proiicere, hoc est, in abyssum perditionis. Et quia hæc dixit de fide, subdit doctrinam aliam magis necessariam. Qualis hęc? Non superbiendum esse in bonis operibus. Quoniã enim fides multa corrigit, & facit implere mandata eũ qui illã habet, cũ eo q̃ adornat miraculorũ operibus, quia uerisimile est hominẽ ex his in superbiam incidere, munit Apostolos ita ut non extollantur in bonis operibus, pulcherrimo exemplo. Quis enim uestrũm, inquit, seruum habens &c. Monstratur enim per hanc parabolam q̃ non oportet extolli in bono quopiam opere, immo neque in omnium mandatorum impletione. Seruo enim necessi-

tas incũbit ut faciat mandata Domini, neq; ut bonũ opus sibi ascribere debet. Quippe A si non operabitur, dignus est multis plagis: cum autem operatus fuerit, contentus sit q; plagas effugerit. Proinde non oportet de hoc preciũ uel honorem necessariò quærere. Liberalitatis enim Domini fuerit dare ipsi, immo largiri qdpiã. Igit & qui seruit Deo, etiãsi mãdata pficiat, non debet extolli. Nihil enim magnũ fecit, sed uæ erit ei nisi fecerit: sicut apostolus dicit, Væ mihi nisi euangelizauero. Proinde si dona fuerit assecutus, nõ debet in illis superbire, & de eis se iactare. Beneficia enim sunt per misericordiam Dei illi cõcessa, nõ q; debeat ei aliquid Dominus: immo seruus debet domino suo ut faciat omnia eius mãdata. Si aũt & cũ omnia mãdata fecerimus, neq; tunc debemus magnũ quiddã sentire: quantũ peccamus cũ maximã partẽ mãdatorũ Dei nõ perficimus, & nihilominus extollimur? Aduerte aũt q; in dicta parabola primùm posuit arantẽ, & subdidit postea pascentẽ. Primũ enim oportet esse aratorẽ, deinde & pastoralẽ curã assumere. Nã qui carnẽ suã bene arauerit quasi terrã quandã, dignus erit etiam aliorũ pastor fieri. Qui enim suæ domui nescit præesse ut oportet, q̃modo Ecclesiæ curã geret? Ara igit prius teipsum, tũc pasces & alios: sicut & Hieremias dicit, Nouate uobis noua lia, deinde subdẽs, Illuminate uos lumine sciẽtiæ: id q̃d pastorũ pręcipuũ munus fuerit.

1. Cor. 9.

1. Tim. 3.

Hier. 4.

Et factũ est dũ iret Hierosolymam, & ipse transibat per mediã Samariã & Galilæã. Et cũ ingrederet † quendã uicũ, occurrerunt ei decẽ uiri leprosi, qui steterunt procul, intentaq; uoce dixerunt, Iesu præceptor, miserere nostri. Quos ut uidit, dixit illis, Ite ostendite uos sacerdotibus. Et factũ est ut inter eundũ mundati sint. Vnus autem ex illis ut uidit q; mundatus esset, regressus est cũ uoce magna glorificans Deum, & procidit in faciẽ ad pedes eius, gratias agens ei: & hic erat Samaritanus. Respondẽs autem Iesus dixit, Nõne decẽ mundati sunt? nouem aũt illi ubi? Nõ sunt reperti qui redierint ut darent gloriã Deo, nisi hic alienigena. Et ait illi, Surge, uade, fides tua te seruauit. Et hinc discere quis potest, q; nihil cuiquã obest ad hoc ut Deo placeat, etiãsi maledicti generis sit, modò bonam uoluntatem habeat. Ecce enim decem leprosi occurrerunt Iesu in ciuitatem quandam ingressuro: occurrerunt autem extra ciuitatem. Non enim licebat B eis qui habebãtur maledicti, in ciuitatibus uersari. Procul igitur stabãt, utpote propter immunditiam quę in eis apparebat, erubescentes: & neq; audebant appropiare, putantes quòd abominabiles ei essent, sicut & alijs. Extollunt igitur uocem suam & orant: Et loco quidem procul stant, oratione autem appropiant. Propè enim est Dominus omnibus inuocãtibus se in ueritate. Et non simpliciter orant ut hominem, sed ut eum qui supra hominem. Præceptorem enim eum nominant, hoc est Dominũ, curatorem: id quod est putare illum prope Deum. At ille præcipit eis ut ostendant se sacerdotibus. Nam sacerdotes probabant tales, & ab illis sententiam accipiebãt an mundi essent uel non. Habebant enim sacerdotes signa per quæ insanabilẽ leprã inuestigabant. Sed & quãdo lepra quis infectus, postea sanitatem assequutus erat, eum sacerdotes probabãt, & donum offerebatur in lege præceptum. Hoc autem loco cum ex confesso essent leprosi, quid opus erat se ostendere sacerdotibus, nisi omnino fuissent mundandi? Nam quod præcipiebat eis ut ad sacerdotes abirent, nihil aliud indicabat, quàm quòd mũdi futuri essent: idcirco & dicit quòd inter eundũ mundati fuerunt. At uide hoc, ut in principio diximus, quòd cum decem essent, nouem quidem, quamuis Israelitæ, ingrati apparuerunt: at Samaritanus quum esset generis alterius, reuersus est, & uocem gratitudinis emisit. Assyrij enim erant Samaritani: ut nullus gentilis desperet, & nullus de sanctis parentibus glorietur. Insinuat hoc miraculum etiam communem totius humani generis salutem fieri. Decem enim leprosi, omne genus hominum signant lepra malitię infectum, ac turpitudinem peccati circumferens, & extra regni cœlorum ciuitatem propter immunditiã constitutum, proculq; à Deo stans. Et istuc ipsum procul stare, supplicandi speciem habet. Misericordi enim & uolenti omnibus benefacere, magna occasio est ad miserendum, uidere in nullo participem suæ bonitatis, propter hoc enim † reuelauit se, ut sanaret eos qui tã male habebãt. Quãuis etiã omnẽ naturã sanauerit lepra infectã, pro omnibus & incarnatus & mortuus: attamen Iudæi, quanuis * à Domino mũdati fuissent ab immũditijs leprosi peccati, ingrati fuerunt: & non reuersi sunt à uia uanitatis suæ, ita ut darent gloriam ei q saluos eos fecerat: hoc est, ut crederent ei, q; cum Deus esset, extremã passionẽ tulerit. Hęc enim est gloria Dei, caro & crux. Hi igi

Leuit. 13.

Cur leprosi se sacerdotibus ostendere præcipiũtur.

Samaritani Assyrij.

Decẽ leprosi quos designent.

† quendam ciuitatem.

† inclinauit

* quantum ad Dominũ attinet.

Caro & crux gloria Dei.

tur

A tur incarnatū & crucifixū Dominū glorię nō sunt confessi. Alienus aūt, populus gentilium, agnouit eum qui mundauerat, & glorificauit eum credendo quòd tam misericors & tam potens sit Dominus, ut & propter nos uilissima tulerit, id quod est misericordiæ: & cū pertulerit, nihil inde incōmodi in suā naturā acceperit, id q̄d potētiæ est.

Interrogatus aūt à pharisæis quādo uenturū esset regnū Dei, respondit eis & dixit, Nō uenīet regnū Dei cū obseruatione: neq; dicēt, ecce hic, aut ecce illic. Ecce enim regnū Dei intrā uos est. Et ait ad discipulos, Veniēt dies quādo desiderabitis uidere unū dierū filij hominis, nec uidebitis: & dicent uobis, Ecce hic, ecce illic. Nolite ire, neq; sectemini. Nam sicut fulgur coruscās è regione quæ sub cœlo est, in alterā quæ sub cœlo est, fulget: ita erit filius hominis in die suo. Sed prius oportet illū multa pati, & reprobari à natione hac. ¶ In multis quidem doctrinæ suæ locis Dominus regnū Dei nominat. Pharisæi aūt hoc audientes, irridebant eū: & propterea de hoc interrogaturi accedunt ad eū, rogātes quādo uenturū sit, irridentes eū ut insanū de insolita & admirabili re prędicantem. Nullus ex doctoribus & prophetis q̄ superioríb. seculis fuerūt, eius mentionem fecit. Vel fortassis in mente habentes q̄ paulopost occisuri essent eū, accedūt p̄ irrisionē rogātes, & quasi p̄ ironiā dicentes, Tu quidem de regno facis sermones, quādo aūt erit regnū istud tuū? Tu enim cras à nobis occidendus es, & feres crucē, & ignominiosa quæq̄. Quid igitur Christus? Non iuxta stultā sententiā & insipientiā respondit insipientibus: sed relictis ipsis ut errent in nomine regni, & nō manifestata eis re: neq; enim accepissent, si eis de regno disseruisset, q̄ nō sit mundanū regnū illud, sed plus q̄; mundanū. Illis igit̄ relictis ceu his q̄ indigni essent ut audirēt, eo q̄ ultro obsurdescerēt: de tēpore regni disserit, q̄ ignotū sit, & inobseruabile. Nō enim habet præfinitū tēpus, sed semper uolēti adest regnū. Omnino enim regnū quidē Dei est, angelorū more uiuere. Tūc enim uerè dicit̄ regnare Deus, quādo nihil mundanū in animab. nostris uersat̄, sed omnino aliter uiuit̄ q̄; mundus solet. Hanc aūt uitā intra nos habemus, hoc est, quādo uoluerimus. Nō enim longo tempore, neq; longa peregrinatione opus, sed prope nos est & fides, & post fidē diuina uita. Istuc ipsum etiā Apostolus dicebat: Prope B te uerbum est in ore tuo, & in corde tuo, hoc est uerbū fidei. Credere enim, & secundū fidem ambulare, sicut dignū est uocatione, intra nos est. Itaq; pharisæi irridebāt Dominū tanq̄; de regno prædicantē de quo nullus prædicauerat. At ipse illos in risum cōuertit, ostendens q̄ ignorēt rem quæ intra se sit, & quę ualde facilis, si q̄ capere uelint. Nūc enim cū sim medius inter uos, potestis omnino regnū Dei capere, si creditis in me, & uultis iuxta mandata mea uiuere. Discipulis uerò suis dixit: Veniēt dies, &c. hoc est, & uobis regnū Dei adest, quatenus sum uobiscū. Adest aūt illud uobis, nō solū q̄ credidistis & secuti estis me, sed quia nūc in magna securitate uiuitis absq; solicitudine, me curam uestri gerente. Venient aūt dies cum ego absuero, & trademini periculis, & ad reges & præsides trahemini: tunc desiderabitis securam illam & solicitudine carentem uitam, quam me præsente agitis, sicut regnū Dei. Et sæpe desiderabitis uel unū ex diebus meis habere, hoc est, ex secura illa quā mecum agitis uita. Quanuis autem & quo tempore cum ipso erant, non omnino sine labore & periculis uitam agebant, sed cum fugiente fugientes affligebantur, cumq; eo cōuicia audiebant: tamen si quæ tunc ferebant, compararentur cum his quæ postea laturi erant, uiderentur prorsus secura, & absq; periculis. Atq; ita regnū Dei etiā hoc modo intra apostolos erat, hoc est minimè laboriosum & periculosum regnū. Post resurrectionē enim sicut captiui, & qui persequutionē patiunt̄, obābulant. Porrò his uerbis apostolorū corda ad ferendos labores & parat & roborat, & p̄dicit eis ne decipiant̄. nā si qui dixerint, inquit, ecce hic, uel ecce illic, ne sectemini. Nullus, inquit, uobis persuadeat, q̄ uenerim huc uel illuc. Nō enim loco circūscribit̄ secundus ille meus aduētus, q̄ glorioſior & clarior. Verùm sicut fulgor nō latet, sed ab una summitate terrę usq; ad aliā conspicuū est: ita & meus aduētus clarus erit & illustris, nulliq; ignotus. Ne igitur decipiamini à Pseudochristis. Nō enim sicut prius in præsepio & humilitate per triginta annos apparui, ita & tūc, sed cū omni gloria sanctis. me angelis, & in momēto. Postea q̄ dixerat eis euētura ualde aspera, consolat̄ eos & exhortat̄, & ut generosè ferāt, exemplo suo cōmendat. Nō enim admiremini (inquit) si euenerint uobis tā molesta, quæ uobis desideriū afferēt dierū quibus ego uobiscū sum. Nā & ego ipse q̄ uēturus sum sicut fulgur, prius passurus multa, re, p̄banduſq;

Regnū Dei quod, & quādo Deus regnare dicatur.

Rom. 10.

ero,& ita in gloria ista ueniã, atq; ita hoc uobis sit extimulatio ad patientiæ uirtutẽ, & A
ad fortiter ferendũ alacres uos faciat,dum in me respicitis & speratis:quia & uobis ob-
ueniet gloria ex periculis dum patimini & reprobamini, quemadmodum & mihi.

Matth.19. Et sicut accidit in diebus Noe,ita erit & diebus filij hominis.Edebant,bibebãt,uxo
Gen.7. res ducebant,& dabant nuptum ad eum usq; diem, quo Noe in arcam intrauit: & ue-
Gen.19. nit diluuium,& perdidit omnes. Consimiliter etiã sicut accidit in diebus Lot. Edebãt,
bibebãt,emebãt,uendebant,plantabãt,ædificabant:cæterũm quo die exijt Lot è Sodo
mis pluit igni & sulphure de cœlo,& omnes perdidit. Secundum hæc erit dies quo fi-
Quid per exempla diluuij & Sodomitici incendij insinuetur. lius hominis reuelabitur.]Et per hæc inexpectatum suum aduentum ostendit. Nam si
cut temporibus Noe repente uenit diluuium,& abstulit omnes:ita erit & aduentus ei-
us. Insinuat aũt per exẽpla hæc diluuij & Sodomitici incendij,q; cum uenerit Antichri
stus, illicitæ uoluptates in hominibus increscent, & dissoluti erunt,delicijs uacantes:id
quod & Apostolus dixit, quòd in extremis temporibus erunt homines uoluptatũ ma
gis q; Dei amatores. Et meritò in regno deceptoris florebunt mala. Erit enim ille pecca
2.Tim.3. ti & malitiæ omnis sentina: unde quam aliam politiam & uitam inuehet miserandæ
tunc hominum generationi, quàm omnino eam quæ illi propria? Ex impuro enim
quid purificabitur? Erunt tunc homines in omnibus delicijs,sicut temporibus Noe,&
Genc.19. nihil graue formidabunt: sed neq; credent si quis illis de quibusdam aduersis euentu-
ris dicet,sicut & hi qui temporibus Noe & Lot fuerunt.

In illo die qui fuerit in tecto,& uasa eius in domo:ne descendat ad tollendum illa:& B
qui in agro,similiter nõ redeat ad relicta. Memores estote uxoris Lot. Quicũq; quæsie
rit animã suã seruare,perdet illam:& quicunq; perdiderit illam,uitam illi parabit.]In il
la die aduentus Antichristi, is qui fuerit super tectum,hoc est,in summis uirtutibus, ne
descendat,neq; ab illis desistat cuiuspiam temporalis rei gratia. Omnia enim tempora
lia hæc uasa dicuntur homini conferentia,alij quidem ad uirtutem, alij uerò ad malitiã.
Igitur qui in summis est uirtutibus,ne descẽdat propter temporale aliquod,& exci
dat à suo fastigio: sed resistat malitiæ, & non demulceatur. Et is qui in agro, similiter
non reuertatur ad ea quæ post se. Nam eum qui in agro est, hoc est mundo, & opera-
tur uirtutem,non oportet reuerti ad ea quæ post se, sed urgeri ad anteriora. Nam sicut
Lucæ 19. alio loco dicit, Nullus qui manum suam ad aratrum mittit,& conuersus est retrorsum,
idoneus est ad regnum cœlorum. Affert item exemplum mulieris Lot, quæ cum con-
uersa est retro,in statuam salis riguit,hoc est,non exijt à malitia,sed mansit in salsugine
sua,tota facta mala,ac celebre faciens,& quasi columnæ inscribens malum quod passa
est: obstinata enim mansit in malitia sua. Deinde affert ea quæ ad supradicta sequun-
tur, Quicunq; quæsierit animam suam saluare,perdet eam. Non quærat aliquis,inquit,
in Antichristi persequutione animã suam saluare,perdet enim eam. At qui se occisioni
& periculis exposuerit,saluabitur. Ne igitur se humiliet tyrãno propter uitæ amorem.
Quippe sicut suprà dixit, qui est in fastigio uirtutis, propter res temporales ne descen-
dat,diuitijs & possessionibus delenitus,& propterea cedat periculis: sic & nũc ulterius
progrediens dicit. Et quid dicit? Non descendat propter uasa, neq; propter externa
uirtutem deserat:neq; propter animæ lucrum annuat ut inclinetur impostori & perse-
Mat.24. quutori. Hæc quidem Matthæus propter Hierosolymorum captiuitatem dicta esse à
†insinuãte. Domino narrat † insinuans hostium uim,& quòd Romanos qui inuasuri sunt,fugere
oporteat,ita ut ne respiciatur:neq; q in tecto sint, descendant in domũ alicuius rei tem
poralis gratia,sed statim fugiant,non erit enim tempus ocij, ita ut uasa colligere liceat:
neq; qui in agro est,reuertatur in domum suam,sed eum qui in domo est, fugere opor
tet. Nihil enim mirum in Hierosolymorum captiuitate hoc factum esse, iterumq; futu
rum in aduentu Antichristi, immo ad ipsum tempus consummationis futura est tribu
latio grauissima.

Dico uobis,in illa nocte erunt duo in lecto uno,unus assumetur, & alter relinque-
tur. Duæ erũt molentes simul,una assumetur,& altera relinquetur. Et respondentes di
cunt illi, Vbi Domine? Qui dixit illis, Vbicunq; fuerit † corpus,illuc cõgregabuntur &
†cadauer aquilę.]Ex hoc loco repentinũ & inopinatũ eius aduentũ discimus. Duos enim esse in
lecto uno,significat solicitudinis carentiã. Et molere quoq;,inexpectatũ significat aduẽ
tum. Discimus & aliud quiddã, quod in nocte aduentus erit. Dicit igitur,q; ex diuitijs

bus

A bus qui in lecto quiescent, alij quidē saluabūtur, alij aūt nō. Nā quia dixit q̄ difficilè di uites saluant, ostendit nunc q̄ neq; hi pereunt: neq; pauperes omnes saluantur. Sed & ex diuitibus unus assumitur in occursum Domini, raptus quasi leuis spiritu, & cœlestis: & alius relinquitur infrà ut condemnatus. Et ex pauperibus similiter, quos per molentes significauit, (quoniā per pistrinū, laboriosam pauperū uitā insinuat) unus quidem saluabitur, alius autem nō. Non omnes pauperes iusti. Nam ex illis fures, & marsupiorum incisores. Quum autem rogassent discipuli, Quò Domine assumentur illi? dixit, Vbi† corpus, illic & aquilę: hoc est, ubi filius hominis, illic & sancti eius leues, & in sublime uolantes: sicut peccatores graues, qui & infrà relinquentur. Nam sicut proposito cadauere omnes carniuoræ uolucres aduolant: ita & ubi filius hominis propter nos mortuus, & in casum positus, de cœlo apparuerit, omnes sancti congregabūtur, & ipsi angeli. Cū illis enim ueniet in gloria patris, & in splendore indicibili: licet tempus illud noctem uocarit, eo quòd repentinum & inopinatum, uel quia tenebris inuoluentur peccatores. Iustis enim lux orietur, immo & ipsi fulgebunt sicut sol. *Matth. 24.* †cadauer

CAPVT XVIII.

DIcebat autē & parabolam ad illos huc spectantem, q̄ oporteret semper orare, nec defatigari, dicens: Iudex quidam erat in quadā ciuitate, qui Deum non timebat, nec hominem reuerebatur. Vidua autem quędam erat in ciuitate illa, & ueniebat ad eum dicens, Vindica me de aduersario meo. Et nolebat aliquandiu. Post hęc autem dixit intra se, Quanquam Deum non timeo, nec hominē reuereor, tamen quia molesta est mihi hæc uidua, uindicabo illam, ne tandem ueniens sugillet me. Ait autem Dominus, Audite quid iudex iniquus dicat. Deus autem non faciet uindictam electorum suorum clamantium ad se die ac nocte, etiam cum patiens fuerit super illis? Dico uobis quòd faciet uindictam illorum citò. Veruntamen filius hominis cum uenerit, an reperturus est fidem in terra? Postquam mentionem fecit afflictionum & periculorum, nunc subdit quomodo in illis saluemur. Curantur enim oratione perseuerante & solicita. Nam uentura sunt hæc omnia. Cæterùm magnum auxilium in his fert precatio, B modò perseuerans sit & continua. Oportet enim nos considerare quomodo iniusti iudicis pertinaciam sedulitas uiduæ fregerit. Si enim illum omni malitia repletum, neq; Deum neq; homines reuerentem, perseuerantis oratio demulsit: quanto magis nos patrem misericordiæ Deum ad miserationem mouebimus, etiamsi cunctetur nonnihil? Vide autem maioris malitiæ indicium esse, neque homines reuereri. Deū enim multi non timent, attamen homines reuerentur, ideo & minus peccant: quando autem & apud homines quis impudens fuerit, tūc omnis malitiæ uertex uidetur. Idcirco & Dominus postea posuit, neq; hominem reuerens, quasi hoc dicens, Iudex erat Deum non timens, & quid dico quòd Deum non timuerit? maius malitiæ indicium habuit, quia neq; hominem reuerebatur. Porrò hæc parabola nos docet, quòd sæpe dicimus inter exhortandum, † ne excidamus è precibus. Sanè sicut alibi dicit, Quis uestrûm amicum habens, & cum uenerit & pulsauerit nocte, illum reiecturus est? Nam propter impudentiam eius, si non propter aliud, aperiet. & iterum, Quis ex uobis, à quo si filius eius panem petat, &c. Quibus solicita ac perpetua oratio præscribitur. At tentarunt quidam parabolam hanc curiosius exponere. Viduam enim dicunt omnem animam esse, uirum autem dimisisse quem prius habuit, diabolum: & propter illum habet aduersarium semper resistentem sibi. Ipsa autem accedit ad Deum iudicem iniustitiæ, hoc est condemnantem iniustitiam, qui neque Deum timet. Ipse enim Deus solus non habet quem timeat alium. Sed neq; hominem reueretur. Deus enim personam hominis non recipit. Huic uiduæ, quæ dum orat continuis precibus propter aduersarium suum diabolum, misereatur Deus, & placatur propter assiduitatem eius. Hæc, qui uolet, & cui placent, suscipiat. Proposita enim sunt ne ignorentur. Atqui Dominus hæc nos docuit, quòd oporteat semper orare: & per exemplum indicauit, quòd etiamsi iste iniquus & omni malitia plenus, misereretur tamen ob continuas preces, quanto magis Deus omnis iustitiæ dux non faciet breui uindictā, quamuis differat, & uideat non audire orantes die ac nocte? Itaq; qui docuit & monstrauit nobis q̄ in tēpore consummationis seculi opus sit oratione, ut in futuris periculis durare ualeamus, subdit, Nunquid filius hominis cum uenerit, inueniet fidem in terra? Qua interrogationis figura raros dicit *Matth. 6.* *Galat. 2.* *Supra 9.* †ne defatigemur in precibus *Curiosa parabolæ expositio.*

tunc inueniendos fideles. In tantum enim inualescet filius iniquitatis, ut etiã, si possibile esset, seduceret electos. In rarís enim solet huiusmodi interrogandi figura uti, sicut
Suprà 11. & cum dicit, Quisputas fidelis & prudens seruus? Atq; hoc loco idem significãs, q̃ pauci numero erunt qui erga Deũ & inter se fidem seruabunt, hac interrogatione usus est. Meritò autem sermoni de oratione sermonẽ de fide cõnexuit, quoniam omnis oratio
Fides orationis basis. nis fundamentum ac basis est fides. Nisi enim crediderit homo, q̃ hoc quod petit, accepturus sit in suam utilitatem, uana est oratio quam facit. Et propterea Dominus de oratione docens, etiam fidei meminit, declarans interim, paucorum fore tunc orare: quandoquidem fides in paucis inuenietur. Igitur cum uenerit Dominus in nubibus, nõ inueniet fidem super terram, nisi in paucis. faciet autem hanc tunc. Inuiti autem omnes confitebuntur q̃ Dominus Iesus Christus in gloria est Dei patris: si quidem hæc fides uocanda est, & non potius necessitas. Nullus enim erit infidelium qui nõ credet quòd solus sit saluator is, quem antea blasphemarat.

Dixit autem & ad quosdam qui in se confidebãt quòd essent iusti, & aspernabantur cæteros, parabolam istam: Duo homines ascendebant in templũ ut precarentur: unus pharisæus, & alter publicanus. Pharisæus stans hæc apud se orabat: Deus, gratias ago tibi quòd non sum sicut cæteri homines, raptores, iniusti, adulteri, uelut etiam hic publicanus. ieiuno bis in sabbato, decimas do omnium quæ possideo. Et publicanus procul stans, nec oculos uolebat ad cœlum attollere, sed tundebat pectus suum, dicens, Deus propitius esto mihi peccatori. Dico uobis, descendit hic iustificatus in domum suam, magis quàm ille: quia omnis qui se extollit, humiliabit: & omnis qui se humiliat, extolletur.] Non cessat Dominus pluribus argumentis repurgare superbiæ uitiũ. Plus enim alijs uitijs mentem humanã turbat, propterea sæpe & multum de hac docet. Denique & nunc peiorem eius speciẽ purgat. Multa enim sunt philautiæ germina. Opinio de se magna, arrogantia, & inanis gloriæ cupiditas ab hac pullulãt. Pernicioſiorau
Superbia q̃ sit pernicio sa. tem omnibus alijs est superbia, quæ Dei est contemptus. Cum enim quis nõ Deo, sed sibi sua bona opera tribuit, quid hoc aliud q̃ negare Deũ est, & ei aduersari? Hoc igitur uitium, cui Dominus ita aduersatur, ut inimicus inimico, hac parabola medicari Dominus declaratur. Propter hoc enim quòd confidunt in seipsis, & non totũ Deo tribuũt,
Iustitia cum superbia homine facit infimum. sed alios per hoc exinaniunt, hæc dicit: & ostendit quòd iustitia quamuis alioqui sit mirabilis, & hominem Deo proximum constituat, cum superbiam admiserit, hominem in locum infimum reijciat, & dæmonem reddat, qui iam se æqualem Deo fecerat. Similia itaq; sunt uerba pharisæi ab initio, grati hominis sermonibus. Gratias enim habeo tibi, inquit, Deus: at cætera quanta referta sunt arrogantia? Non enim dixit, fecisti me abstinere ab iniustitia, & à rapina: sed quomodo? Non sum. Sibijpsi attribuit bonũ opus, & suo robori. At alios iudicare, quomodo est hominis scientis q̃ à Deo habeat quæ habet? Omnino enim si credidisset quòd per gratiam haberet aliena bona, nõ contempsisset alios, considerans quòd etiam ipse æquè nudus esset, quantum ad suã uirtutẽ attinebat. Gratis enim indutus est propter misericordiam: propterea superbus pharisæus, tanquam propriæ adscribens potentiæ ea quæ dicta sunt, inde eò progressus est, ut & alios iudicet. Ostendit aũt Dominus & per stationem, superbiam eius, & humilitatis inopiam. Humilis enim uiri est & aspectu humiliari, hic autem & habitu & gestu superbus agnoscitur. Quamuis autem & de publicano dictum sit q̃ steterit, tamen uide & quæ sequuntur, q̃ neq; oculos in cœlum uoluerit extollere, unde statio eius incuuata erat. Illius autem & oculi in cœlum extollebantur, & cor simul extollebatur. Vide autem & in oratione pharisæi ordinem, quid indicet nobis: primùm quidem dixit ea quæ non erant: & tunc enumerauit quæ erant. Dixit enim, Non sum sicut multi hominum, illa & illa: deinde apposuit quæ uirtutis erant, ut ieiunare bis in sabbato, & decimas dare de omnibus quæ possidebat. Oportet enim non solum declinare à malo, sed & facere bonum. Et prius oportet absistere à malo, & postea uirtutem aggredi: quemadmodum & fonte turbato, ut aqua pura defluat, prius lutum expurgandum, ut haurias puram aquam. Considera autem & hoc, quomodo nõ arripuerit paruũ uerbum, ut singulari nomine diceret: sed plurali numero in multos hæc expuerat, dicendo: quia non sum sicut cæteri: apposuit, & dixit: Ieiuno bis in sabbato, hoc est bis in hebdomada. Sabbatum enim hebdomas est, quæ à consummatione & quieto die nominatur.

Sabet

A Sabet enim, quies. Sabbata aũt hebdomadam dicebant plurali numero. Vnde & unã sabbatorum, primam diem hebdomadæ, quæ apud nos est Dominica, uocabãt. Apud Hebræos enim unum & primũ idem signat. Est & alius profundior sermo. Nam contra adulteriũ gloriabatur de ieiunio: à delicijs enim petulantia. Ipse igitur corpus propter ieiunium compescens, à multis eiusmodi affectionibus liber erat. Ieiunabant autem pharisæi secunda & quinta. Contra rapinam & iniustitiam proferebat dationem decimarum omnium quæ possidebat. Tantum, inquit, contrarius sum rapinæ & iniustitiæ, ut etiã quæ mea sunt, expendam. Decimarũ enim datio uidetur quibusdam simpliciter & semel de lege prædicari: his autem qui profundius scrutantur, occurrũt tres decimarum dationes, quas introducit id quod ex Deuteronomio disces, si diligenter intuearis. Et hæc quidem pharisæus. At publicanus diuersa. Longè enim stabat à pharisæo, & gestibus, & sermone, & cõpunctione cordis distabat ab illo, non tantum loco. Verebatur enim oculos in cœlum attollere, indignos iudicans qui sursum spectarent, qui uoluerant uidere bona terrena, & illis frui. Et percussit pectus suum, cor uidelicet propter malas cogitationes, & ut excitet quod obdormierat: & nihil aliud dicebat, q̃ Deus propitius esto mihi peccatori. Et propter hæc omnia descendit iustificatus in domum suam, magis quàm ille. Immundus enim apud Dominũ omnis superbus corde. Et Dominus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam. Verùm admirabitur quis quomodo pharisæus cum pauca uerba arroganter pronunciauerit, condemnetur: Iob aũt cum multa de se magnificè dicat, coronetur. Quia pharisæus quidem nullo cogente stat talia nugans & condemnans alios, nullo usu urgente: Iob uerò prementibus se amicis, & grauius incumbentibus q̃ calamitas ipsa, dicentibusq; q propter peccata illa sit passus, compulsus est enumerare sua opera, idq; propter gloriam Dei, ne scilicet homines à recto uirtutum cursu exciderent. Nam si cõperissent homines peccata fuisse quæ fecerat Iob, & propter illa passum, cauissent ne eadem facerent, factiq; insuper fuissent osores hospitũ, & inhospitales, immisericordes, & iniusti. Hæc enim erant opera Iob. Igitur ne multi inde incommodarentur, eius gratia bona opera enumerat. Et
B causæ quidem Iob tales fuere, ut ne dicamus q & in his quæ grandiloquentiam quandam sonant, omnis refulget humilitas. Quis enim me dabit, inquit, iuxta menses dierum pristinorũ, quando Deus me custodiebat? Vides q omne Deo obtulerit, & non cõdemnet alios, sed ipse ab amicis condemnetur. Pharisæo omnia in se, & non in Deũ referẽti, & absq; necessitate cõdemnanti alios, meritò cõdemnatio adscribitur. Omnis enim qui se exaltat humiliabitur, Deo illũ cõdemnante: qui aũt se cõdemnando humiliat, exaltabitur à Deo iustificante. Dic igitur tu prior, inquit, peccata tua, ut iustificeris.

Afferebant autem ad eum & infantes, ut eos tangeret. Quod cum uiderent discipuli, increpabant illos. Iesus autem cum illos ad se uocasset, dixit, Sinite pueros uenire ad me, & nolite uetare eos. talium est enim regnum Dei. Amen dico uobis, quicunq; non acceperit regnum Dei ueluti puer, non intrabit in illud.] Et ad humilitatem conducit etiã hoc de pueris exemplum. Docet enim Dominus per illos omnino humiliter agendum, & omnes suscipiendos, nullosq; cõtemnendos. Discipuli enim indignũ arbitrabantur ad talem magistrũ offerri pueros. At ille ostendit usqueadeo sectandã humilitatem, ut etiã minimi nõ sint abijciendi. Et sic quidem docet humilitatẽ opere suo. Non enim amandat, sed suauiter amplexatur infantes. Docet aũt & per sermonẽ, q regnũ cœlorum est eorũ qui similiter affecti sunt ut pueri. Puer non inflatur, neq; aliquẽ contemnit: innocens est, simplex, neq; in prosperis molestus sit, neq; in tristibus dejicitur. Vnde qui uiuit in omni humilitate & simplicitate, innocentiaq;, ille Deo acceptus est, & qui accipit regnũ Dei sicut puer, hoc est absq; dolo & curiositate, sed fideliter. Curiosus enim, & semper interrogans quomodo ab incredulitate liberetur, non intrabit in regnũ, quod noluit simpliciter & sine curiositate & humiliter suscipere. Omnes itaq; Apostoli, in summa omnes credentes in Christum, uocantur pueri: sicut & ipse Dominus Apostolos nominauit dicens, pueri num quid obsoniũ habetis? Sapientes aũt gentilium, sapientiã in mysterio quærentes, quod est regnũ Dei, & nolentes accipere absq; ratione, meritò excluſi sunt ab hoc regno. Non dixit aũt, Horũ est regnum, sed talium, qui uoluntariè possederunt innocentiã & humilitatem, quam pueri natura habent. Suscipiamus igitur omnia illa ecclesiastica, quæ sunt regnum Dei, fideliter, absq; curio-

Sabet. Vna sabbatorum.

Decimarũ datio. Deut. 12. 14. 26.

1. Pet. 5. Quare pharisæus ob bonorum operum iactantiam cõdemnetur, Iob uerò coronetur.

Iob 19.

Esai. 43. Matth. 19. Marc. 10.

Conditio pueri.

Ioan. 21.

sitate, & humiliter. Curiosè enim inquirere, superbiæ fuerit, & sapientiæ gloriosæ. A

Et interrogauit eum quidam princeps: Magister bone, quid faciendum mihi ut consequar uitam æternam? Dixit autem ei Iesus, Quid me dicis bonum? nemo bonus, ni-
Exod.20. si solus Deus. Præcepta nosti? Non cõmittes adulterium, non occides, non facies furtum, non falsum testimonium dices: honora patrem tuum, & matrem tuam. At ille ait, Hæc omnia seruaui à iuuentute mea. Quo audito Iesus ait ei, Adhuc unum tibi deest: Omnia quæcunq; habes, uende, & distribue pauperibus, & habebis thesaurum in cœlo: & ueni, sequere me. His ille auditis mœrore affectus est, quia diues erat ualde.] Videtur ille homo quibusdam malignus quispiã esse, & illaqueare quærens Iesum in sermone. Non est autem hoc uerisimile, sed auarus erat: quoniã & Christus eum quia ta-
Marc.10. lis erat, arguit. Etenim & Marcus dicit q̃ accurrerit, & genu flexerit, & obsecrauerit Iesum, & q̃ Iesus ipsum aspexerit, & dilexerit. Igitur diuitiarum amator erat homo ille. Accedit autem ad Iesum discere cupiens de uita æterna, fortasis & in hoc diuitiarum sectator. Nihil enim ita uitæ cupidum est, ut homo diuitijs studens. Suspicabatur igitur Iesum indicaturum sibi modum quempiam quo diuitiarum possessione perpetuò frui posset. Postquam autem Dominus dixit diuitiarum abiectionem conferre ad uitã æternam, quasi suam reprehendens interrogationem, & Christi responsum, abijt. Ipse enim quia habebat multas diuitias, multùm quærebat uitam perpetuam. Verùm cum renunciandũ esset diuitijs, quid opus illa æterna uita, ut uidebatur? pauper enim agenda fuisset uita. Proinde accedit ad Christum ut ad simplicem hominem & doctorem. Idcirco & Dominus demonstrans q̃ non oporteat ad ipsum accedere ut purum hominem, dixit, Nullus bonus, nisi unus Deus. Bonũ, inquit, me dixisti, cur igitur adiecisti, præceptor? Videris enim q̃ me quasi unum ex multis habeas. Quod si sic, non sum bonus. Nullus enim hominum bonus propriè, nisi Deus. Quod si bonum me dicere uis, ut Deum me bonum dicas: ne accedas ut ad simplicem hominem. Si enim me cõmunem quendam hominem putas, ne uoces bonum. Deus enim uerè bonus, & fons bonitatis, & principium substantialis bonitatis: nos autem homines licet boni simus, non B
tamen propriè, sed participes bonitatis illius, promiscuam habemus bonitatem, mutabilesq̃ sumus. Nosti præceptasq̃ non cõmittes adulteriũ, non occides, &c. Prius lex corrigit ea in quæ facilè cadimus: deinde etiam ea in quibus non multi, neq; sæpius:
Ira, mala bestia. uti est adulterium cõmittere, quia ignis naturalis & internus. Occidere, quia mala bestia est ira. Furari aũt leuius est, & in falsum testimoniũ rarius incidere contingit. Ideo & illla quidẽ prius corrigunt̃, eo q̃ facilè in illa prolabamur, q̃uis alioqui graviora sint. Hæc aũt, furtum dico, & falsum testimoniũ, secundo loco ponit, ut quæ rarius contingant, & leuiora sint. Porrò in parentes peccare, quãuis sit grande peccatũ, ueruntamẽ rarius cõtingit. Nõ enim facilè inuenitur qui ita bestialibus moribus sit, ut in parentes debacchetur. pauci enim sunt, raroq̃ fit: & ideo posterius ponit. Postquã aũt adolescẽs
Paupertas uirtutum caput. se omnia hæc seruasse dixit à iuuentute, præscripsit ei Dominus paupertatẽ, caput omnium uirtutũ. Vide aũt legem Christiana uita dignam. Omnia quæcũq; habes uende, inquit. Nam si quid reliqueris, illius seruus es. Et distribue non diuitibus cognatis, sed pauperibus. Habuit aũt & distribuendi uerbum emphasim quandam, ut cũ dijudicatione, & nõ fortuitò dispergantur bona. Quoniã autem cum paupertate & alias habere uirtutes Christianũ oportet, propterea dicit, Et ueni, sequere me: hoc est, & in omnibus alijs esto discipulus meus, & semper sequere, non hodie quidem, cras autem non. Vt autem auaro promisit cœlestem thesaurum, non attendit ille, seruus enim erat pecuniarum: ideo & ut audiuit, abijt tristis, eo q̃ possessionis priuatio esset ei dicta, propter quam ipse æternã uitam desiderat, quo possit perpetuò diuitijs frui. Cæterùm & tristitia arguit eum beneuolum & non malignum fuisse. Nullus enim Pharisæorũ un-
Chrysostomi laus. quam tristis abijt, sed exasperatus potius. Nõ ignoro aũt q̃ magnum luminare mundi Chrysostomus adolescentem hunc uerè æternam uitam desideraſſe putarit, q̃ de ea rogauerit, laboraſſe autem difficiliore morbo auaritiæ: nihilominus non caret gratia quod nunc adiectum est, quòd tanquam auarus, uitam æternam desiderauerit.

Videns autem Iesus illum mœrore affectum, dixit: Quàm difficilè qui pecunias habent, in regnum Dei intrabunt? Facilius est enim camelum per foramen acus transire, quàm diuitẽ intrare in regnũ Dei. Et dixerunt qui audierant: Et quis potest saluus fie-

ri?

A ri? At ille ait, Quæ impossibilia sunt apud homines, possibilia sunt apud Deū. Ait aūt Petrus, Ecce nos reliquimus omnia, & sequuti sumus te. Qui dixit eis, Amen dico uobis, nemo est qui reliquit domū, aut parentes, aut fratres, aut uxorem, aut liberos propter regnū Dei, qui non recepturus sit multo plura in hoc tempore, & in uenturo seculo uitam æternā.] Postquam diues audijt abijciendas diuitias, mœrore affectus est: unde dicit Dominus admirabili figura quomodo difficile sit habentes pecunias in regnum cœlorū regredi. Non dicit ꝙ impossibile sit eos ingredi, sed difficile. Non enim impossibile est saluari tales. possibile enim expendere pecuniā, & superna assequi. Et difficile quidem hoc. Tenaciores enim uisco adhærent pecuniæ, & difficile abstrahitur qui à talibus est comprehensus. Non multò autem pòst subijcit quomodo impossibile sit: dicit enim facilius esse camelū per foramen acus intrare, q̄ diuitem saluari. Impossibile enim est omnino quòd camelum capiat foramen acus: siue per camelū animal intelligas, siue funem nauticū crassum. Si igitur facilius camelum per foramen acus transire, quàm saluari diuitē: impossibile aūt hoc, impossibilius igitur saluari diuitē. Quid igitur dicendū? Primū quidē, ꝙ uerè sic habet, impossibile saluari eū qui diues est. Nec em̄ mihi dicas ꝙ saluatus sit diues quispiā qui sua dederit: non em̄ diues saluatus est, sed quia pauper factus, uel dispensator existēs seruatus est, nō diues. Aliud enim est dispensator, aliud diues. Diues enim est, qui sibi reseruat diuitias: dispensator uerò, cui concreditæ sunt propter alios. Et ita etiam hic si saluatus est, nō diues saluatus est, sed (ut diximus) quia omnibus renunciauit quæ habuit, uel ut dispensator bene illas distribuit. Insuper & hoc animaduerte, ꝙ diuitē quidem impossibile est saluari, pecunijs aūt habentem, difficile: quasi diceret, Qui habetur & tenetur à pecunias, ac seruit eis, nō saluabitur: qui uerò pecunias habet, hoc est, dominus illarum est, & ipse habet eas, & non habetur ab eis, difficile saluabitur propter humanā infirmitatē. Impossibile enim est non abuti his quæ habemus. Quippe quādiu pecunias habemus, molitur diabolus nos supplantare, ne regula dispensationis rectè utamur, & difficile est effugere eius laqueos, &
B propterea bona est paupertas, & quasi tentatione superior. Dixerunt autem, inquit, hi qui audierant: Quis igitur poterit saluari? At ille dixit, Quæ impossibilia apud homines sunt, possibilia sunt apud Deum. Qui enim habent mentem humanam quæ ad inferiora uergit, & terrena desiderat, saluari non possunt: sicut dictum est. Deo aūt possibile, hoc est, quando quis consiliariū habet Deum, & iustificationes Dei, & mandata magistri de paupertate suscipit, & illius inuocat auxilium. Possibile enim est hoc. Nostrum est enim uelle hoc, Dei aūt perficere. Et aliter, Si quidem transcenderimus humanam illam infirmitatem diuitum, & uoluerimus nobis facere amicos ex mām̄ona iniustitię, saluabimur per eas, & recipiemur in æterna tabernacula. Nam melius quidē fuerit dimittere omnia. Hoc autem si minus, saltē facere partiarios pauperes, & sic impossibile fiet possibile. Impossibile quidem esset nō omnibus dimissis saluari, uerumtamen & est propter misericordiā Dei, si partes dederimus in usum congruū. Ad hæc Petrus interrogat, Ecce nos reliquimus omnia. Interrogat autem non pro se solo, sed ad consolationem omniū pauperum. Vt enim non soli diuites bonam spem habeant se multa consecuturos, qui multū reliquerint: pauperes autem paruam spem habeant, quòd pauca reliquerint, & propterea paruas retributiones habituri sint, interrogat Petrus & audit, ꝙ in hoc tempore & in uenturo seculo retributiones habiturus sit omnis qui propter Deū qualescunq; possessiones reliquerint etiā si paruæ fuerint. Non enim hoc cōsideres, ꝙ paucę fuerint, sed ꝙ parua hæc homini totus uictus fuerint. Et sicut tu multis & magnis, ita ille paucis & paruis uitā suam se sustinere posse sperabat. Vt ne dicam ꝙ qui pauca habet, maiori ad illa teneat affectione: idq; manifestū ex patribus, qui quando unū habent puerū, maiorē erga illum affectionē gerunt, q̄ erga plurimos. Ita & pauper unam domū & unum agrū impensius diligit, q̄ tu multos. ꝙ si non, certè uel si eadem utriſq; est affectio, & propterea idem & contemptus. Hic sanè & in hoc seculo præsenti multiplices accipiunt retributiones, sicut Apostoli illi. Tuguriola quidem reliquerāt illi omnes, & nunc habent fulgentissima templa, & res familiares, & agros, & uxores multas, quę illis feruore fidei adhærent, aliaq; omnia. In futuo autem seculo, non agros tales multiplices & corporales retributiones, sed uitam æternam.

Assumpsit autem Iesus duodecim, & ait illis: Ecce ascendimus Hierosolymā, & con-

Pecuniæ uisco tenaciores.

Diues quis.

Dispensator quis.

summa-

Matth.20. Marc.10. τῷ ἑῷ. *Passionem suam Dominus prædicit ob causas duas.*

summabuntur omnia quæ scripta sunt per prophetas de filio hominis. Tradetur enim A gentibus, & illudetur, & contumelijs afficietur, & conspuetur, & postquam flagellauerint, occident eum, & tertia die resurget. Et ipsi nihil horum intellexerunt. Et erat uerbum istud absconditum ab eis, nec intelligebant quæ dicebantur.] Prædicit eis passionem propter duo illa. Vnum, ut ostendat, quòd non inuitus neq; ut purus homo mortem ignorãs crucifigatur, sed & præuideat, & uoluntariè patiatur. Nam si noluisset pati, deuitasset utiq; quæ præsciebat. Eorum enim qui non sunt præscij, est capi. Secundum, ut doceat eos leuiter ferre quæ euentura, utpote qui antea audiuerint, & non repentè in illa inciderint. Cum autem perficienda erant in te quæ dicta à prophetis, cur ascendis ô Domine? Propter istuc ipsum, ut salutem operer. & ita uoluntarius uadit. Et ipse quidem hæc, discipuli aũt tunc quidem nihil intellexerunt. Erat enim uerbũ hoc absconditum ab eis, & maximè omniũ uerbum hoc resurrectionis omnino non agno

Mat.22. Act.23.

scebant. Et alia quoq; nõ agnoscebant, ut, tradi gentibus. Maximè aũt uerbum resurrectionis ignorabant, quod non erat in usu. Et non omnes Iudæi credebant resurrectionem, in primis Sadducæi. Sed dixeris, & si nihil agnoscebant, quare ergo eis hæc prædicit? Quæ enim utilitas illis ad consolationem tempore crutis, si non intelligebant ea quæ dicebantur? Quòd nõ parum utilia postea futura essent, dum recordarentur q̃ ista essent quæ tunc prædicente Domino non intellexerunt, manifestum ex multis, & ma

Ioan.12. Ioan.14.

ximè ex his quæ Ioannes dicit, Hæc autem non cognouerunt discipuli eius: postea autem memores facti sunt quòd hæc de ipso essent scripta. Et spiritus paracletus suggesit eis omnia, certissimum testimonium de Christo in illis ponendo. De eo, quomodo tri duò fuerit in sepulchro, satis dictum est in Euangelistis alijs.

Accidit autem cum appropinquaret Hiericho, cæcus quidam sedebat iuxta uiam mendicans, & cum audiret turbam prætereuntem, interrogabat quid hoc esset. Dixerunt autem ei q̃ Iesus Nazarenus transiret, & clamauit dicens: Iesu fili Dauid miserere mei. Et qui præibant, increpabant eum ut taceret. Ipse uerò multo magis clamabat, Fili B Dauid, miserere mei. Stans aũt Iesus iussit illũ adduci ad se. Et cum appropinquasset, interrogauit illum, dicens, Quid tibi uis faciã? At ille dixit, Domine, ut uisum recipiã. Et Iesus dixit ei, Recipito uisum. fides tua te saluum reddidit. Et confestim uisum recepit, ac sequebatur illum, glorificãs Deum. Et omnis plebs ut uidit, dedit laudem Deo.] Dominus miraculum hoc cæci obiter in uia operatus est, ut & transitus eius nobis utilis esset, ac doctrina: ut semper & ubiq; & apud omnes utiles simus, & nunquã ignaui. Cæcus igitur credens eum esse Christũ qui expectabatur (uerisimile enim fuit ipsum, utpote innutritũ Iudaicis, nõ ignorasse Christum ex semine Dauid) uoce magna damat, Fili Dauid, miserere mei. Et dicendo miserere mei, declarat q̃ diuiniorem quandam de illo sententiam habeat, & non hominem purum censeat. Admirare aũt quæso quomodo cõfessionem suam multiplicet. Quomodo? Quãuis multi increparent eum, nõ tacebat, sed amplius clamabat. Feruor quidã intrinsecus instimulabat eum: idcirco & Iesus iussit illum adduci ad se, q̃ profectò dignus esset qui appropiaret ei. Interrogat aũt illum, Quid uis ut tibi faciam? nõ ut ignorans, sed ne ille præsentibus alia petere uideatur, ipse alia dare: & dum ille petit pecuniam, ipse, ut ostentator, cæcitatem sanaret. Nam fortasis insipienter talia fingere posset inuidia. Propterea cum interrogasset & comperisset eum recipiendi uisus ualde cupidum, dat quod petit. Vide aũt q̃ alienus sit ab arrogantia. Fides tua (inquit) saluum te fecit. credidisti enim q̃ ego sum ille filius Dauid, qui celebretur Christus, & tantum præ te tulisti feruorem, ut quamuis increparere, non silueris. Discamus aũt ex hoc, quòd quando cum fide petimus, non alia quidem nos petimus, & alia ipse dat, sed illa ipsa. Atq; ita quoties alia petimus, & alia accipimus, manifestũ q̃ non bene neq; fideliter petimus. Petitis, enim, inquit, & nõ accipi-

Iacob.4.

tis, eo q̃ malè petatis. Vide insuper & potestatem: Recipe uisum, inquit. Et quis prophetarum ita sanauit: tali inquam potestate? Vnde & uox à uero lumine progressa, lumen cæco facta est. Vide insuper gratitudinem eius qui sanatus est. Sequutus est enim Iesum, glorificans Deum, factusq; est & alijs glorificandi Deum author.

CAPVT XIX.

Et Tingressus perãbulabat Hiericho. Et ecce uir nomine Zacheus, atq; is princeps erat publicanorũ, & idẽ erat diues, & quærebat uidere Iesũ quis esset, nec poterat præ turba

A turba, quòd statura pusillus esset. Et præcurrens ascendit in arborem capprificum, ut uideret eum: nam illac erat trāsiturus. Et cum uenisset ad locum, suspiciens Iesus uidit illum, dixitq; ad eum, Zachæe festinans descende, quia hodie domi tuæ oportet me manere. Et festinās descendit, & excepit illum gaudens. Cumq; uiderent, omnes murmurabāt, dicentes quòd ingressus esset apud hominem peccatorē diuersaturus. Stans aūt Zachæus dixit ad Dominū, Ecce dimidium bonorū meorū Domine do pauperibus: & si quid aliquē defraudaui, reddo quadruplum. Ait Iesus ad eum, Hodie salus domui huic cōtigit, eo q; & ipsa filia sit; Abrah. Venit enim filius hominis quærere & seruare quod perierat.] Hæc fortissima diaboli uasa rapit Dominus, & ciuitates eius destruit. Vide enim quomodo nō solum publicanos discipulos fecit, sed & Zachęū principem publicanorū captiuum ad salutem recipit. Quòd publicanus quidem res abominabilis, princeps aūt publicanorū multo magis, utpote in malitia princeps, nullus dubitat. Victum enim publicani non aliunde quàm ex pauperū lachrymis habent. At neq; publicanorū ille princeps despicitur, sed solam dat alacritatem, & recipit mercedem. Desiderabat enim uidere Iesum. Et cum ascendisset in capprificū, priusquam uideret, prius ipse spectatur à Iesu. Sic igitur omnibus in locis præuenit nos Dominus, tantū ut nos alacres & promptos uideat. Vt autem eum uidit Iesus, festinat accedere, eo quòd in domo eius mansurus erat. Et ille non erat segnis. Vnde & nos paratos esse oportet quando Christus quippiam imperat. Sed & descendit, & suscipit gaudens, etiamsi multi obmurmurent. Videamus autem quantum etiam utilitatis accipiat in ingressu Christi. Dimidium bonorum meorum (inquit) do pauperibus. Vides alacritatem? Non parcè seminare cœpit, neq; pauca quædam dedit, sed totam uitam. Nam & illa quæ retinuit, ut haberet quod iniuria affectis daret, retinuit. Docet enim nos nullum esse lucrum, si quidē ex iniustitia pecunias habens, alijs misereatur, relictis illis quos iniuria affecerat. Et uide quomodo in hoc se gerat. Quadruplū reddit si quem defraudauit, ut illius cui iniuria facta, damnum resarciatur. Hæc enim uera eleemosyna est, ut non reddatur solum damnum simplex, sed & cum augmento, iuxta legem. Lex enim furem quadruplum reddere iubebat. Quamuis si diligenter consideremus, nullæ prorsus pecuniæ ei relictæ sunt. Dedit enim dimidium bonorum pauperibus. Relictæ autem sunt dimidiatæ, & ex his relictis dedit quadruplum his qui à se iniuria erant affecti: & ita si uita principis publicanorū ex iniustitia, ipse autem omnia quæcunq; iniustè abstulit, quadrifariam reddidit, considera quomodo omnino fuerit nudatus. Et hinc comperitur quòd sublimius sapuerit quàm lex præcipiebat, nunc eruditus ex Euangelio: quia dilexit proximum plus quàm se, talia promittens, immò faciens. Non enim dixit, Dabo dimidium, & reddam quadruplum: sed, ecce do, & reddo. Audierat enim Salomonis admonitionem, Ne dicas, rediens redi, & cras dabo. Christus euangelizat ei salutem. Hodie enim (inquit) das, hodie tibi & salus. Dicendo enim, domui huic, omnino Zachæum significat, qui salutem accepit. Zachæus enim per domum significatur. Etenim inanimatā domum non dicebat filiam Abrahæ: sed manifestum quòd animatum patremfamiliās filium Abrahæ nominarit: fortasis & quòd crediderat, iustificatusq; erat ex fide: fortasis & quòd in dispensandis opibus magnanimus, & pauperum amator, qualis erat patriarcha ille. Vide insuper quòd & nunc dicit filium Abrahæ Zachæum, cum morum similitudinem in se ostendit. Neq; enim dixit quòd & ipse Abrahæ filius fuerit, sed quòd nunc sit. Prius enim cum princeps publicanorum & exactor esset, nihilq; ei in iustitia cum Abraham commune esset, non erat filius. Quoniam autem & obmurmurabant quidam quòd apud peccatorem hominem diuertisset, ad consutandos eos inquit, Venit enim filius hominis quærere & saluare quod perierat. Et hoc quidem iuxta historiā. Facile autem & aliter hæc exponere licet in utilitatem moralem. omnis enim princeps multorum in malitia, paruus est spirituali statura. contraria enim sunt caro & spiritus: & propterea non potest uidere Iesum præ turba. Qui enim à secularibus negocijs & affectionibus turbatur, non uidet Iesum operantem, & mouentem, & ambulantem. Nam qui talis est, nullam experitur operationem Christiano dignam. Hoc est enim ambulare Iesum, operari Christum aliquid in nobis. At talis homo qui nunquam uidit Iesum ambulantem, neque sensit ullam operationem Christo congruam, sæpe per pœnitentiam uenit in conscientiam, & ascendit in

Publicanorum uictus, pauperū Lachrymæ.

Præuenit nos ubiq; Deus.

B

Exod. 22.

Prouer. 3.

Moralis expositio historiæ.

capprifi-

capríficum, omnem uoluptatem ac dulcedinem, quæ per ficum insinuatur, insatuans
Psal.82. & mortificans. Et sic excelsior se factus, ascensionesq; in corde suo ponens, uidetur à
Iesu, & uidet. Dicitq; ad illum Dominus, Festina, descende, hoc est ascendens per pœnitentiam in sublimiorem uitam, descende per humilitatem. Non te supplantet superbus sensus: festina, humiliare. Si enim humiliatus fueris, in domo tua oportet me ma-
Esaiæ 99. nere. Necesse enim (inquit) ut ego maneam in domo humilis. Ad quem enim respiciã quàm super mansuetũ & quietum, & trementem sermones meos? Etenim qui talis est,
Bona nostra duplicia. dimidium bonorũ suorum dat pauperibus dæmonibus. Duplicia enim sunt bona nostra, corporis dico, & animæ. Omnia corporalia concedit iustus uerè pauperibus, omniq; bono destitutis dæmonibus. Animę aũt bona nõ dispendit, id quod & de Iob Do-
Iob.2. minum dicentẽ audiuimus: Veruntamen animã eius ne tetigeris. Sed & si quem defraudauit, reddit quadruplum. Insinuatur igitur per hoc quòd omnis qui per pœnitentiæ uiam uadit contrariam priori malitię, per quatuor uirtutes omnia quæ prius peccata sunt, sanat: & sic accipit salutem, filiusq; nominatur Abrahę, eo q; & ipse egressus sit de terra sua & cognatione prioris malitiæ, & de domo patris sui, hoc est extra seipsum factus, & negans seipsum. Domus enim patris sui diaboli ipse erat. Igitur extra seipsum factus & alienatus salutem sicut Abraham consequitur.

Matth.25. Hoc illis audientibus, adijciens dixit parabolam, eo q; esset prope Hierosolymã, quodq; existimarent fore ut confestim regnum Dei manifestaretur. dixit ergo, Homo quidam generosus profectus est in regionem longinquã, ut acciperet sibi regnũ, ac reuerteretur. Vocatis autem decem seruis suis, dedit eis decẽ minas. & ait ad illos, Negociemini donec ueniã. Ciues aũt eius oderãt eum, miseruntq; legationẽ post illũ, dicentes, Nolumus hunc regnare super nos.] Videtur mihi q; homines illi audientes regnũ Dei, illud suspicabantur temporale esse à Deo datum in libertatẽ Hebraici generis: idcirco & suspicabantur q; Iesus ascendens in Hierusalẽ, sumpturus esset hoc regnũ. Dominus aũt monstrat eis q; insipientia quædam dicant. nõ enim temporale regnũ eius. Interea & hoc declarat, q; ut Deus cogitationes eorum sciat: unde & hanc parabolam B
dicit, & hominem generosum se introducit. Nam licet homo fuerit, mansit tamẽ in fastigio & nobilitate deitatis. Perfecto aũt mysterio dispensationis in carne, in regionẽ longinquã, cœlum dico, profectus est, ut acciperet sibi regnũ, hoc est, ut quasi & secundum q; homo sederet in dextra throni magnificentiæ in excelsis cũ carne. Etenim sicut Deus, semper †consubstantialis fuit patri: sicut homo aũt tunc sedit, quando assumptus est, permanens donec ponantur inimici eius sub pedes eius. Hoc autem erit in cõ
† cõsidens summatione, quando omnia etiam quę nolunt, subijcientur ei; credentia q; Dominus
Hebr.10. Iesus Christus in gloria patris. Ciues aũt eius sunt Iudæi, odio habentes illũ. Viderunt
Ioan.15. enim (inquit) & odio habuerunt & me, & patrẽ meum. Qui etiam noluerunt eum su-
Ioan.19. per se regnare: unde & dicebant ad Pilatũ, negantes regnũ eius, Non habemus regẽ.
Zach.9. Et iterũ, Ne scribas, rex Iudæorũ. quãuis Zacharias dicat, Gaude ualde filia Sion, quia
Esaiæ 32. rex tuus ueniet tibi iustus & saluans. Atq; Esaias, Ecce rex iustus regnabit. Insuper &
Psal.2. Dauid, Ego aũt constitutus sum rex ab eo. Iudæi sanè odio habuerunt Dominum. Por rò dominus dedit seruis decem minas. Serui autem illi sunt hi quibus in ecclesia ministerium concredit est: decemumq; dicuntur esse, propter perfectionem ecclesiasticæ præsidentiæ. Ordo enim in ecclesia perfectã præsidentium dispositionẽ habet, & neq; plures oportebat esse, neq; pauciores: ut exẽpli gratia tria hæc uidemus esse in ecclesia,
Tres operationes una cum tribus ecclesiæ ordinibus à Dionysio primũ assignatæ. purgationem, illuminationem, & perfectionem. Operationes enim illas, tres sortiũ sunt ordines. Diaconi purgant per instructionem & doctrinã, presbyteri illuminant per baptismum, episcopi sacerdotales ordines constituunt & perficiunt, hoc est ordinant. Vides ordines cum operationibus, & neq; plures, neq; pauciores præsidentium ordines. Illis igitur seruis distribuit decem minas, hoc est dona quæ unicuiq; data sunt in utilitatem. Omnis enim cuicunq; concredita est præsidentia, etiam si indignus fuerit, donũ habet ex unctione sua, id quod magnũ diuinæ misericordiæ sacramentũ est.

Et factum est ut rediret accepto regno, misitq; uocare seruos illos ad se, quibus dederat pecuniam, ut sciret quantum quisq; negociatus esset. Venit autem primus dicens, Domine, mina tua decem minas acquisiuit. Et ait illi, Euge bone serue: quia in minimo fuisti fidelis, habeto potestatem super decem ciuitates. Et alter uenit dicens,

Domine,

A Domine, mina tua confecit quinque minas. Et huic ait, Et tu præfectus esto quinque ciuitatibus. Et alius uenit dicens, Domine, ecce mina tua quam habui repositam in sudario: timui enim te, quòd homo austerus sis: tollis quod nō posuisti, & metis quod non seminasti. Dicit ei: De ore tuo te iudicabo serue male. Sciebas quòd ego homo austerus sim, tollens quod non posui, & metens quod non seminaui: & quare non dedisti pecuniā meā ad mensam, & ego ueniens cū usuris utiq; exegissem illam? Et adstantibus dixit, Auferte ab illo minam, & date illi qui decem minas habet. Et dixerunt ei, Domine habet decem minas. Dico enim uobis, q̄ omni habenti dabitur, ab eo aūt qui nō habet, etiam quod habet auferetur. Quin inimicos meos illos qui noluerunt me regnare super se, adducite huc, & interficite ante me. Et his dictis ibat pergens ascendere Hierosolymam.] Quum rediturus est Christus generosus ille & secundum humanam naturam (ex regio enim genere descendit Dominus) & secundum diuinam, hoc est in secūdo eius aduentu, q̄n apparebit rex cum angelis in gloria patris ueniens, & omne genu flectet ei: tunc sanè ad rationem adiget & eos q dona acceperunt: & inueniet unus quidem multis profuisse, & decuplicasse donū, alius aūt profuisse quidem & ipse, sed paucioribus profuisse: alius aūt nemini profuisse, sed ignauiter trāsiuisse negociationis tempus. Proinde qui decuplicauit quod acceperat, super decem ciuitates constituitur, hoc est multiplices retributiones accipit: & alius deinceps iuxta suā recipit proportionem. Qui aūt nihil lucratus fuit, condemnatur. Videamus autem & quid dicat, Dñe, ecce mina tua, accipe eam. habui enim istā in sudario reconditam. Dñs mortuus sudario inuolutus fuit, & Lazari facies in sepulchro sudario obuoluta fuit. meritò igitur ignauus ille in sudario inquit reconditum fuisse donum. Mortuum enim illud fecerat, & ineffi- *Ioan. 11.*
cax, non euoluens, neq; lucrum faciens. Timebam enim te, inquit, quia tollis quod nō posuisti. Talia multi prætexunt. Nolentes enim ullis prodesse, dicūt quod ubi nō seminauerit Deus bonam indolem & aptitudinem, illinc ne requirat messem. Illū non fecit industriū, & ad doctrinam idoneū, & quid à me exigitur ut inde fructum faciam? Idcir
B co Dominus dicit, Tu doce, & depone pecuniā tuam apud mensarios, hoc est, apud omnes homines qui propositi sunt ut percipiant utilitatē. Omnis enim homo mēsarius à Deo ordinatus est, ut in huius mundi officina magna negocietur. Et ego ueniens exegissem illud, hoc est repetijssem, cum usura. Oportet igitur & nos quod nostrum est facere: alios aūt Dominus iudicat, si noluerint utilitatē inde percipere. Tollitur igitur donū, & datur bono negociatori. Nam licet is habeat, propter istucipsum tamen magis debet plura accipere. Habenti enim dabitur, hoc est, ei qui ex negociatione boni multa lucratus fuerit, illi dabitur & amplius. nam si parua in decupla fecit crescere, manifestum quòd & plura decuplicabit, maioris lucri author Domino futurus. A negligente autem & ignauo, & cui non est studium ut crescat & augeatur quod acceperat, & istuc ipsum quod habet tollet, ut ne res dominica frustra uacet, quæ dari potest alteri, & multiplicari. Hæc nō solum de sermone & doctrina exponimus, sed & de moralibus uirtutibus. Nā & in his dona nobis dedit Deus, utpote uni donū ieiunij, alij uerò eleemosynæ, alij aūt māsuetudinis, alij autem humilitatis. Et si quidem sobrij fuerimus & uigilan- *Adhortatio pulchra Theophylacti.*
tes, multiplicabimus hæc: sin autem negligentes, & uolūtate mortui erimus, ac postea arguemus Deū, ut consueuimus dicere, Et quid faciā? Si quis fuerit sanctus, uult Deus, & est sanctus: me non uult, & non sum. &, Ille Petrus fuit, & ille Paulus fuit. Stulte homo, mina illa Paulum te fecit & Petrum. Operare aūt iuxta uirtutem, & affer aliquid ei qui dedit, etiamsi non quantum Paulus & Petrus. Tu autem cum eadem acceperis quæ Petrus & Paulus: nam & ille minam, & tu minam: postea non motus omnino ad operationem boni, arguis Deum? Propter hoc indigni inuēti donis, illis spoliabimur. Inimicos meos, dicit, eos qui nolūt me regnare, adducite huc, & occidite. Iudæos dicit, quos interitui tradet, in ignem æternum mittens illos. Atq; adeò illi miseri in hoc mundo occisi sunt à Romanis exercitibus, seruanturq; & internecioni quæ illic est.

Et factum est cum appropinquasset ad Bethphage & Bethaniā iuxta montem qui *Matt. 21. Marc. 11. Ioann. 12.*
uocatur oliuarū, misit duos discipulos suos, dicens, Ite in castellum quod è regione est, in quod introeuntes inuenietis pullum asinæ alligatū, in quo nemo unquam hominū sedit. Soluite illum, & adducite. Et si quis uos interrogauerit, quare soluitis? sic dicetis ei: Quia Dominus eo opus habet. Abierūt aūt qui missi erant, & inuenerunt sicut dixe-

rat illis. Soluentibus aũt illis pullũ, dixerunt domini eius ad illos, Quare soluitis pullũ? A
At illi dixerũt, Quia Dominus eo opus habet. Et duxerunt illum ad Iesum, & iectis uestimentis suis super pullũ, imposuerunt Iesum. Eunte autem illo substernebant uestimenta sua in uia. Et cũ appropinquaret iã ad descensum montis oliuarũ, cœperũt omnis multitudo discipulorũ gaudẽtes laudare Deũ uoce magna super omnibus quas uiderũt uirtutibus, dicentes, Benedictus qui uenit Rex in nomine Dñi. Pax in cœlo, & gloria in altissimis. Et quidã pharisæorũ è turba dixerunt ad illum, Magister, increpa discipulos tuos. Quibus ipse ait, Dico uobis, quòd si hi tacuerint, mox lapides clamabũt.] Dominus super pullum sedens, duo declarat: Vnũ, quòd impleat prophetiã dicentem,

Zac. 9. Ecce rex tuus uenit sedens super asinam. Secundũ figuraliter nobis insinuat quòd sessurus sit super nouum & indomitum & immundum populum gentilem. Nunquam enim aliàs rogauit ut pro itineris longitudine iumentũ sibi daretur. Qui enim per totã Galilæã & Iudeã pedestri itinere circuibat, quomodo à Bethania in Hierusalẽ trãsiens rogaret ut pullus sibi daretur, cum non sit tanta distantia, ut sciunt omnes? Proinde, ut ut dicebã, mystica sunt hæc. Vinctus aũt erat pullus, & dominos habebat multos: sed

Bethania. solutus est ab apostolis, hoc est, ab his qui missi fuerũt. Sensum aũt hũc habet, Bethania

Bethphage quidẽ domus obediẽtię interpretat, Bethphage uerò domus maxillarũ. Erat sanè uicus

Deut. 18. sacerdotum. Etenim maxillæ sacerdotibus dabantur, sicut in lege scriptum est. Indicatur autem per maxillas sermo doctrinæ, quem animales maxillæ efficiunt, & attenuant. Vbi igitur domus sermonis, doctrinæ, & obedientiæ erga illum, illuc mittuntur discipuli Domini, & soluunt populum catenis peccatorum ligatum, multisq; curis uitæ: & pro eo quòd habent multos dominos & Deos, faciũt eum habere unũ Dominũ Iesum Christũ, & unum Deum patrem. Vbi aũt non est domus obedientiæ, uel susceptio uerbi doctrinæ, ibi illud non fit, neq; pullus soluitur. Duos autem missos esse, hoc uult, quòd in adductione populi gentilis ad Christum ut obediant ei, duo ordines ministrent, prophetæ, & Apostoli. Et ducunt eum ex castello, ut discamus fuisse populum ualde crassum & inerudítum. Nondum enim sederat super eum sermo uel Mosaicus,

Matth. 21. uel propheticus, sed pullus erat indomitus. Quamuis aũt Euangelista alius dixit pueros fuisse qui clamabant, Hosanna filio Dauid: attamen & illi insinuabant nouum populum. Credendo enim Iesum ex semine Dauid secundum carnem apparuisse, glo

Psal. 101. riam retulerunt Deo, secundum quod scriptum est, Populus qui creatur, laudabit Dominum. Vestimentorum autem substratio, significare uidetur quòd exuti hominem ueterem, qui digni sunt laudare Iesum, substernant illum & subijciãt ipsi, ut cum ascenderit, sanctificet eum, & non ultrà repugnet caro spiritui, ut & ipsi possint dicere, Sub-

Psal. 56. iectus sui Domino, & orauí eum. Porrò omnem multitudinem discipulorũ dixit Lucas laudare Deum: discipulos uocans simpliciter omnes qui sequuntur Iesum, non solum duodecim, uel septuaginta, sed omnem multitudinem quæ uel propter miracula, uel ad tempus trahebatur à doctrina ut sequereẽ Iesum, in qua & pueros fuisse uerisimile est: sicut alij Euangelistæ dixerũt. & hi afflati Deo, regem illum confitebantur in nomine Dei uenturum, hoc est ut Deum. Et pacem dicũt in cœlo, pro eo quod est, Antiquum bellum quod habuimus contra Deum, diremptum est. Non enim fuit in terra rex Deus, nunc autem inuento Deo super terrã, meritò pax in cœlo, & idcirco gloria in altissimis angelis glorificãtibus in unione & cõciliatione tali quã nobis rex & Deus q̃ pullo uehit, largitus est. Etenim istuc ipsum, q̃ Deus existens super terrã apparuerit, & in regione inimicorũ suorũ ambulauerit, indicat fœdꝰ factũ inter nos & ipsum. Porrò pharisæi murmurabant quòd regem eum nominauerat populus, & quòd ut Deum laudauerat. Ad seditionem enim pertinere nomen regis, & ad blasphemiam nomen Domini existimabant. At Dominus, Si hi, inquit, tacuerint, lapides clamabunt. quasi diceret: Non hæc loquuntur homines ut mihi gratificentur, sed à uirtutibus & miraculis quæ uiderunt, inducti & compulsi, hanc confessionem & gloriam offerunt.

Et ut appropinquauit, uidens ciuitatem, fleuit super illã, dicẽs, Si cognouisses, & tu: & quidem in isto die tuo, quæ ad pacẽ tuã. Nunc autem abscondita sunt ab oculis tuis, quia uenient dies in te, & circundabunt te inimici tui uallo, & cingent te & coangustabunt te undiq;, & solo æquabunt te, & filios tuos qui in te sunt, & nõ relinquent in te lapidem super lapidem, eo quòd non cognoueris tempus uisitationis tuæ.] Plorat super

ciuitate

A ciuitate ut misereors, nolens perdi eos qui in illa, propter facinus contra se. Ostendit itaq; uiscera misericordiæ per fletū. Quòd enim miserebatur eis, & nō solum ante crucem, sed & post crucem etiā conuersionem eorū sitiebat, manifestū est ex eo q̄ post trigintaquinq; annos Romanis traditi sunt. Nā propter nihil aliud distulit suppliciū, q̄ q̄ cupiebat eos conuerti. Flet igit̄ stupiditatē ipsius Hierusalem, & ait: Si cognouisses, & tu & quidem in isto die tuo, quæ ad pacem tuam. Hoc est, si cognouisses quæ nunc tibi conferūt, ac pacem & quietē afferūt, nempe fidē erga me, & cessationē à persequendo me. Nūc aūt sunt abscondita ab oculis tuis, q̄ ꝓpter me, quē tu reprobas, innumera mala te apprehendent, patierisq; hæc ac illa, eo quòd non cognoueris tempus uisitationis tuæ, hoc est, mei aduentus, quando ueni ut inuiserem te, & saluarem. Oportebat igitur scire te quæ ad pacem tuam, ut in me crederes, & habuisses utiq; pacem à Romanis, & omnis malitiæ liberationem. Etenim omnes qui crediderunt Christo, à captiuitate fuerunt securi: & ita si omnes credidissent, nullus fuisset captus.

Et ingressus in templum, cœpit eijcere uendentes in illo & ementes, dicens illis, Scri- *Esai. 56.*
ptum est, Domus mea domus precationis est, uos autem fecistis illam speluncam latro- *Hier. 7.*
num. Et docebat quotidie in templo. Principes autem sacerdotū & scribæ quærebant illum perdere, & primores plebis: nec inueniebant quid facerent. Totus enim populus pendebat ab ore eius cum audiret illum. Et factum est in uno dierum illorum, do- *Matt. 21.*
cente illo populum in templo, & euangelizante, conuenerunt principes sacerdotum *Marc. 11.*
& scribæ cum senioribus, & aiunt illi dicentes, Dic nobis, qua authoritate ista facis: aut quis est qui dedit tibi istam authoritatem: Respondens autē Iesus dixit ad illos, Interrogabo uos & ego unum quiddam, & respondete mihi, Baptismus Iohānis è cœlo erat, *Ioan. 2.*
an ex hominibus: At illi cogitabāt intra se dicentes, Si dixerimus è cœlo, dicet, Quare ergo nō credidistis illi: Si dixerimus ex hominibus, plebs uniuersa lapidabit nos: pſuasum enim habet Iohannem prophetam esse. Et respondebant se nescire unde esset. Et Iesus ait illis, Neque ego dico uobis qua authoritate hæc faciam.] Iesus glorioſè Hieru-
B salem ingressus, suæ authoritatis indicium facit, repurgando domum patris sui à negociatoribus: quanuis & in principio prædicationis hoc fecerit, sicut Iohannes dicit: & & iterum nunc secundò facit: id quod ad maiorē Iudæorum accusationem pertinet, quòd primo suo aduentu nō fuerint facti emendatiores, & manserint ipsi negociatores, illum Dei aduersarium dicentes, cum patrem & Deum maximè coleret, ita ut & domum illius à negociatoribus repurgatam uoluerit, idcirco & Esaiam inducit, qui *Esaiæ 56.*
eos arguat, dicentem, Domus mea domus precationis uocabitur. At illi stultè interrogant eum, qua authoritate hæc facis: quanuis satis intelligere poterant. Quoniam enim propheticum dictum subdidit, quod testatur domum Dei domum precationis esse, non emporium & speluncam lattonum (negociatio enim & auaritia latronum est) quid postea opus rogare eum qua authoritate hæc faciat: Facilè enim coniectare poterant ex dictis prophetæ quòd Deus hæc iusserit. At illi interrogant, qua authoritate facis hæc: Lex (inquiunt) his qui à Leui originem deducunt, templi gubernationem per *Deut. 10.*
mittit: tu uerò cum ex tribu Leui non descendas, quomodo sacerdotum ius tibi usurpas, & hæc facis? Verùm ô Iudæe memor esto quid Dauid dicat, Tu es sacerdos in æ- *Psal. 109.*
ternum secundum ordinem Melchisedech. Si igitur secundum ordinem Melchisedech dictus est sacerdos, Melchisedech uerò non fuit sacerdos secundum legem, neque ex tribu Leuitica (quomodo enim posset hoc dici, quum fuerit multis seculis ante Leui:) Deinde, quid quæris in Christo ordinem legis: Deus legibus non est subditus. Imperabat, quum tempus esset, sacerdotes esse ex tribu Leui: nunc transfert hanc legem, & præfert sacerdotium Melchisedech. propterea eijcit ementes & uendentes ad sacrificandum animalia, sicut oues & columbas. Ad hæc decentiam & honestatem templi uindicat. Insuper & hoc ostendit, quòd non ultrà animalium sacrificijs placari Deum credi debeat. Igitur quanuis in promptu esset quod eis responderet Dominus sicut dictum est, & diceret quòd propheta hæc, immo Deus præcipiat: ueruntamen ut ostendat eis quòd semper inobedientes sint spiritui sancto: & non ostendit quòd noluerint credere Esaiæ ueteri prophetæ, & cuius fortè memoriam non habebant, sed ostendit quòd & Iohanni uiro euangelico, minimeq; carnali, qui nuper apparuerat, credere noluerint: & propterea interrogat interrogationem hanc admiratione dignam, qua &

confutat illos. Ostendit autem & nobis quòd si tali prophetæ Iohanni, qui maior se ha- A
bebatur, non crediderunt de se testanti, quomodo sibi essent credituri responsuro
qua authoritate hæc faciat? Quasi dixisset, omnino licere uobis uultis ut sermones
meos respuatis & calumniemini, sicut & Iohannis (qui maior apud uos fuit) sermo-
nes respuistis.

CAPVT XX.

Esaiæ 5. Hier. 2. COepit autē dicere ad plebem parabolā hanc, Homo quidam plantauit uineam,
& locauit eam colonis, & ipse peregrè egit multo tempore. Cumq; esset opportu
num, misit ad colonos seruum, ut de fructu uineæ darent ipsi: qui cæsum emiserunt e-
um inanem. Et rursus adhuc alterum seruum misit. Illi uerò hunc quoq; cæsum, & con
tumelijs affectum, emiserunt inanem. Rursus misit & tertium. At illi hunc quoq; uul-
neribus inflictis eiecerunt. Dixit autem dominus uineæ, Quid faciam? Mittam filium
meum dilectum, forsitan cum hunc uiderint, reuerebuntur. Quem cum uidissent co-
loni, cogitauerunt intra se, Hic est hæres, uenite occidamus illum, ut nostra fiat hæredi
tas: & eiectum illum extra uineam, occiderunt. Quid ergo faciet illis dominus uineæ?
Veniet & perdet colonos istos, & dabit uineā alijs.] Breuis quidem ista parabola, mul
Gen. 37. ta & magna nos docet: Curam quam Deus tantam erga Hebræos exhibuit, qui ab ini-
tio fuerunt homicidæ. Vnum esse Deum ueteris & nouæ legis. Vocandas gentes, &
Vinea quæ, & quinam eius cultores. abijciendos Iudæos. Vinea igitur ista, synagoga erat Iudæorum: cultores aūt, scribæ &
pharisæi, qui præerant populo. Est & unusquisq; uinea, & idem agricola. unusquisq; e-
nim nostrūm seipsum colit. Hanc igitur uineam cum collocasset agricolis misericors,
peregrè profectus est, hoc est, permisit eos iuxta liberum arbitrium ingredi. Misit au-
Liberum arbitrium. tem diuersos seruos, propheras dico, ut haberet uel paruum quoddam lucrum. Vole-
bat enim de fructu capere, non fructum omnem. Quid enim lucri faceret Deus ex no
bis nisi sui agnitionem? Illud autem etiam nostrum est lucrum: simul salutem nostram,
lucrumq; nostrum, suum facit. Contumelijs autem affecerunt mali agricolæ missos, & B
cæsos miserunt uacuos, hoc est, in tantam peruenerunt ingratitudinem, ut non solum
declinauerint à bono, & nullum fructum dederint, sed & mala fecerint: quod maiori
supplicio dignum. Igitur cum prophetæ tam grauia sustinuissent, filius mittitur. Fortè
enim hunc reuerebuntur. fortè dixit, non ut ignorans futurum quòd peius eum affe-
cturi essent quàm ꝓpheras: sed illud dicit quod fieri debebat. debebant enim reuereri il
lum. At illi usqueadeò non sunt reueriti, ut etiam occiderint: quod in maiorem eorū ac
cusationem est, quia postquàm affirmauit Deus bonum hoc esse, reuerentiam haberi
Hier. 26. filio: illi planè contrariam tulerunt sententiam. Hæc autem proprietas sæpe in scriptu
Exe. 2. 3. 12. ris inuenitur: ut cum dicitur, Si fortè audiant. Neq; enim illic ignorans futurū ita dicit,
Scripturæ proprietas in si fortè, & huiusmodi. sed ne quidā præscientiā Dei necessariā inobedientiæ causam esse dicāt: & idcirco eius
modi uerborū figura utitur. Eiectū aūt illū extra uineā, occiderūt. Extra uineā, exponi
solet extra Hierusalem. extra enim ciuitatē Christus passus est. At quia suprà uineam
populū, nō Hierusalē exposuimus: qd si magis propriè dixerimus ꝙ occiderit quidem
populus ipsum, sed extra uineā, hoc est nō ipse sua manu ei mortis fuerit author, sed tra
diderit illum Pilato & gentibus? Et ita extra uineā, hoc est, extra populi manus passus
est Christus. Etenim nō licebat his occidere quēq;. unde militū manib. occisus est. Nō-
nulli p uineā intellexerūt scripturā. Extra scripturā enim passus est Dñs. Illi enim q nō
crediderunt Mosi, occiderunt eū. Nā si credidissent Mosi scripturis, & eas scrutati fuis-
sent. Dñm scripturarū utiq; nō occidissent. His dictis protulit & sententiā in eos feren
dā, ꝙ uinea locāda sit alijs uineæ cultoribus, hoc est, alijs dabit hoc beneficiū ut dican-
tur populus meus. Vide aūt quòd hi qui dicunt scripturā uineam esse, magis assequiui
dentur sensum, ut hinc manifestū. Collocata est enim nobis scriptura, ab Hebræis sub-
lata. Fidenter aūt dixerit quis oīa spiritualia esse uineam quandā, siue in scripturis & le
gibus, siue in actis & historijs sita sint, quibus omnib. priuati sunt Iudei, & nos fruimur.

Quod cum audissent, dixerunt, absit. Ille uerò intuitus eos ait, Quid est ergo hoc qd
Psal. 117. scriptum est, Lapidem quem reprobauerunt ædificantes, is factus est in caput anguli?
Act. 4. Omnis qui ceciderit super lapidē illū, cōquassabitur: super quē aūt cadet, * dispergetil-
* λικμήσει lum. Et quærebant principes sacerdotū & scribæ inijcere in illum manus eadē hora, &
timuerunt populū. cognouerunt enim ꝙ in ipsos dixisset parabolā hanc.] Lucas qui-

dem

Adem (ut audis) inquit dicere Dominum q̃ dominus uineæ perditurus sit ingratos colonos, & uineã daturus alijs. Quod cum audissent pharisæi, dixerunt, Absit. Matthęus uerò aliter dicit: nempe quòd interrogauerit eos Dñs, Quid faciet agricolis illis dominus uineæ? respondérintq; Iudæi, ac dixerint, Malos malè perdet illos, & uineam daturus est agricolis alijs. Nunquid igitur cõtrarij sunt? Absit. Vtrũq; enim factũ fuisse ueri simile est, & quòd secundũ Matthæũ sententiã ipsi tulerint, & deinde animaduerterint quò tendat parabola, & q̃ de ipsis dicta sit: ac iterũ dixerint hoc q̃d Lucas dicit, nempe, Absit. Quid igit̃ Christus dicit? adducit & aliud testimoniũ ex Dauid, lapidem quidem seipsum nominans, ædificantes autem doctores ipsos: quemadmodum & Ezechiel dicit, Aedificantes parietem & linientes absq; temperatura, hoc est qui ad gratiam loquũtur, & cooperiunt delicta populi, & ueluti in superficie uitia populi liniunt, uelut parietem quendam. Quomodo autem reprobauerunt lapidem illum? quia dicebant, Non est ex Deo. Duas aũt perditiones hic dicit: Vnam animarum illorum in quam incidebant scandalizati. Omnis enim qui ceciderit super lapidem istũ, confringet̃. Alterã captiuitatis, quam contemptus ille lapis eis attulerit. Super quẽ enim ceciderit, dissilire illum faciet. Sic igitur dissiluerunt Iudæi, & dispersi sunt sicut paleæ ab una area Iudææ in totum mundum. Obserua autem q̃ illi prius ceciderunt super lapidem, hoc est scandalizati sunt, deinde lapis cecidit super eos, & ultus est illos. præcedit enim peccatum meum, deinde sequitur & iusta Dei uindicta. Verùm Iudæi quidem reprobauerunt lapidem istum. At lapis ille erat pulcher & electus, ita ut & in caput anguli sit positus, & coniunxerit parietes, & uniuerit uetera ac noua. Et quid multis? Oportebat illos audire Esaiam dicentem Dominum ipsum sanctificate, & ipse erit uester timor, & non impingetis in illum ut in lapidem offensionis, & petram scandali. At illi scientes quòd propter ipsos parabolam dicat, consilium ineunt cõtra eum, & nisi fuisset timor populi, etiam manus iniecissent in eum. Et contempserunt quidem legem quæ dicit, Innocentem & iustum non occides. Timuerunt autem & repressi sunt à metu hominum, ne manifestè inuadant eum, sed clàm ei denuò insidiantur.

Matt. 21.

Ezech. 13.

Duæ Iudæorum perditiones.

Esai. 8.

Exod. 23.

Et obseruantes emiserunt insidiatores qui se iustos simularent, ut caperent eũ ex sermone, traderentq; illũ principatui & potestati præsidis: & interrogauerunt eum dicentes, Magister, scimus quòd rectè dicis ac doces, nec respicis personam, sed uiam Dei cũ ueritate doces: licet nobis tributũ dare Cæsari, an non? Intellecta autem illorũ uersutia, dixit ad eos, Quid me tentatis? Ostendite mihi denariũ. Cuius habet imaginem & inscriptionẽ? Respondentes dixerunt, Cæsaris. Et ait illis, Reddite ergo quæ sunt Cæsaris Cæsari: & quæ sunt Dei, Deo. Et nõ potuerũt uerbũ eius reprehẽdere corã populo: & mirati super responso eius obmutuerunt. Laqueum parauerunt pharisæi, quem difficilè (ut tibi uidebatur) effugere poterat Dominus: sed comprehensus est illo pes eorũ, uide enim malitiam. Nam si quidem dixisset dandum tributum Cæsari, accusassent eũ apud populum quòd in seruitutem redigere studeat gentem quæ semen Abrahæ sit, & nullius seruituti obnoxia, sin prohibuisset dare, iterum ad præsidem ut seditiosum traxissent. Verùm ipse laqueos eorum effugit ut caprea, quo nomine ipsum in canticis appellauit sponsa: & docet ut ei q̃ potestatẽ habet super corpora nostra corporaliter sub iaceamus, siue rex ille sit, siue tyrãnus. nihil enim hoc nobis nocet ut spiritualiter bene placeamus Deo spirituũ. Reddite enim, inqt, quę Cęsaris sunt, Cęsari: & quę sunt Dei, Deo. Et uide quia nõ dixit, date: sed reddite. Debitũ igit̃, inquit, est: reddite igitur debitum. Custodit te princeps tuus ab hostibus, uitam tuam pacatam facit: debes itaque ei pro his tributum. Et aliter, Etiam ipsum quem profers nummum, ab illo habes. Igitur cum numisma regis iterum illi reddis, interim tibi lucraris, quòd per ipsum, quæ uitæ debita sunt, præstant̃. Sic deniq; & quæ Dei sunt, Deo sunt reddẽda, dedit tibi mentẽ, illam redde ei, iuxta mentem operans. dedit tibi rationem, redde ei illam, ne fias brutis insipientibus similis, sed facias omnia ut rationalis. Et in summa, dedit tibi animam & corpus: omnia redde ei, & imaginem suam restitue ei per fidem, per spem, perq; charitatem incedens. Sanè & aliter reddenda sunt Cæsari, quæ Cæsaris sunt. Vnusquisque enim nostrũm imaginem Dei gestat, uel principis mundi. Cum igitur similes nos fecerimus Cæsari, facti filij diaboli, imaginem eius gestantes, illam reddere ei oportet, & abijcere: ut habeat quæ sua, & nihil inueniat in nobis quod propriè suum sit. Ita &

Matt. 22.

Marc. 12.

Cantic. 2.

Rom. 13.

Cur nõ simpliciter dictum date, sed reddite &c.

1. Cor. 15. imago Dei seruetur à nobis incontaminata. Idcirco & Paulus admonet, Sicut portaui A
Eph. 4. mus imaginem terreni, ita portemus & imaginem cœlestis. Et alio loco, Deponẽtes ue terem hominẽ. Quod hoc loco dicit reddi, id apud Paulũ dicitur deponi: & quod hic imago Cæsaris, hoc illic imago terreni peccatoris, Adæ scilicet, ac ueteris hominis. Nã imago terreni nihil aliud q̃ corruptio & peccatũ, quod habuimus assimilati apostatæ, & nõ regi. Porrò nõ potuerũt pharisæi cõprehendere Iesum in sermone corã populo. Hoc enim maximè conabantur, ut apud populum ipsum accusare ualerent, quòd illum seruituti Romani populi subigeret: sed efficere nihil ualuerunt, propter excellentem ipsius sapientiam.

Accesserunt autem quidam Sadducæorum qui negant esse resurrectionem, & inter
Deut. 25. rogauerunt eum dicentes, Magister, Moses scripsit nobis: si cuius frater mortuus fuerit habens uxorem, isq; sine liberis mortuus fuerit, ut accipiat frater eius uxorem, & suscitet semen fratri suo. Septem ergo fratres erant, & primus accepit uxorem, ac mortuus est sine liberis: & accepit secundus illam, & ipse mortuus est sine liberis: & tertius accepit illam, similiter & cæteri septem, nec reliquerunt liberos, & mortui sunt. Nouissima omnium mortua est & mulier. In resurrectione ergo, cuius eorum erit uxor? Siquidẽ septẽ habuerũt eam uxorem. Et respondens ait illis Iesus, Filij huius seculi ducunt uxores, & nuptum dant: illi uerò qui digni habebuntur seculo illo, & resurrectione ex mortuis, neq; ducunt uxores, neq; nuptum dant, neq; ultrà mori possunt, æquales enim angelis sunt, & filij sunt Dei, cum sint filij resurrectionis. Quod uerò resurgant mortui, &
Exod. 3. Moses ostendit iuxta rubum, cum dicit Dominum Deum Abraham, & Deum Isaac, & Deũ Iacob. Deus aũt non est mortuorũ, sed uiuorũ. omnes enim illi uiuunt. Respondentes aũt quidam scribarum dixerũt, Magister, bene dixisti. Et amplius nõ audebant quicq̃ interrogare. Inualidum fundamentum suæ doctrinæ iecerant Sadducæi, non credentes resurrectionem, cogitabãt enim futuram corporalem resurrectionem. Ideo tanq̃ absurdum resurrectionis dogma calumniantes, stultã hanc narrationẽ singũt: tun B
de Dominus fundamentum eorum statim concussit: & ostendit q̃ non sit corporalis uita tũc: quo factũ, ut dogma eorũ, statim obtusa opinione, & inualido fundamento concideret. Erratis enim (inquit) nescientes scripturas, sed inuertentes sensum earũ. Filij enim huius seculi generant & generanť, uxores ducũt & nuptũ danť, hoc est, in nuptias traduntť: filij uerò seculi illius nihil tale faciũt, neq; enim ultrà mori possibile est. Proinde nõ illic fiũt ea quæ in nuptijs, sed angelica & diuina uita est. Hic enim quia mors, ideo & nuptiæ: & quia nuptiæ, ideo & mors. Illic aũt morte abolita, quis nuptiarum usus?

Nuptiæ auxilium uitæ mortalis.

Nuptiæ enim auxiliũ uitæ mortalis, & impletio eius q̃d deficit: ubi aũt nihil deficit, qd opus implente? Pares itaq; sunt angelis, & filij Dei. Quare? Quia resurrectionis filij sunt. Quod aũt dicit, talẽ sensum habet, Dixit (inquit) illos filios Dei, eo q̃ nihil corporeũ in generatione eorũ uideať, sed omnia diuina sint. Neq; enim in resurrectione præcedit uel coitus, uel semen, uel uterus, uel imprægnatio: sed Deus est q̃ generat corpora nostra modis quibus ipse scit. Et proinde quia Deus est q̃ operať in resurrectione, meritò filij Dei dicunť, qui ex resurrectione nascunť. Subdit aũt rationibus etiã scripturæ testimonium. Moses enim inquit dixisse sibi Deum ex rubo, Ego sum Deus Abrahæ, &c. Quod si omnino euanuissent patriarchæ, & non uixissent apud Deũ in spe resurrectionis, nõ utiq; dixisset Deus, Ego sum: sed ego erã. De rebus enim perditis & corruptis dicere solemus, Ego eram dominus huius & huius rei. Nunc autem quia dixit, Ego sum, ostendit quòd sit uiuentium Dominus & Deus, & non omnino corruptorum etiamsi mortui sint, sed spe resurgendi uiuunt: sicut & Adam quamuis uiuebat, attamen mortalis erat, nam ab ipsa hora qua comedit, mori dicebatur. Cõfusis autem Sadducæis, approbauerunt dictum Iesu pharisæi & scribæ, utpote aduersarij illorum, gaudentes illos uictos.

Psal. 109. Dixit aũt ad illos, Quomodo dicũt Christum filium esse Dauid, & ipse Dauid dicit
Matth. 23. in libro psalmorum, Dixit Dominus Domino meo, sede à dextris meis, donec ponã inimicos tuos scabellũ pedum tuorũ: Dauid ergo Dñm illũ uocat, & qũo filius eius est?
Marc. 12. Audiente uerò cũcto populo dixit discipulis suis, Cauete à scribis, q uolunt ambulare in stolis, & amant salutationes in foris, ac primas cathedras in synagogis, & primos discubitus in conuiuijs: qui deuorant domos uiduarum, simulantes longam orationem,

hi

A hi accipient damnationem maiorem.] Ad passionem propediem accessurus, suam prædicat diuinitatem: idq; non admodum aperte, nec iactanter, sed modeste. Interrogat enim illos, & perplexos reddit, sinitq; ratiocinari quid cõsectaneum. Dauid enim, inquit, Dominũ uocat, & quomodo filius eius est purus? Erat enim & filius Dauid secundum carnem, sed & Deus eius. Illi autem solum filiũ Dauid esse opinabantur, ideo opinionem eorũ euertit, quia putabant filiũ Dauidis solum. Declarat item q; nõ sit aduerlarius Deo patri, sed multã cum illo habeat concordiã, siquidem inimicos eius humiliat pater. Et hæc quidem scribis dixit. Quia autem discipulos magistros orbis misit, meritò eos admonet ne imitentur phariseorum arrogantiam, & ambitiosam mentem: & simpliciter ne cogitent quomodo placeant hominibus. Nam salutationibus fori studere, adulantium occurrentibus est, & opinionem probitatis uenantium, uel hanc occasionem ad cõgregandas diuitias admittentium: quin & hi uiduarum domos deuorãt, uentri dediti, & ultrà quàm opus sit insumunt, & prætextus quasi pius est. Preces enim & utilitatem animarum prætexentes, non ieiuniũ docent, at ebrietatem & gastrimargiam: & propterea accipient ampliorem condemnationẽ: quia non solum faciunt malum, sed prætexunt preces: & piam honestatem ac uirtutem faciunt prætextum peccati. Propterea sanè grauius sunt puniendi, ut qui rem honestam calumniæ reddunt obnoxiam. Oportebat sanè misereri uiduis. Illi autem & domos earum ingrediuntur quasi per longas preces benedicant: interim uiduę in præsentia illorum multos cogunt sumptus facere, quo fit ut exhauriantur illarum diuitiæ.

Phariseorũ improbitas erga simplices.

CAPVT XXI.

RE spiciens aũt uidit eos qui mittebant munera sua in gazophylacium diuites. Vidit aũt & quandam uiduam pauperculam mittentem illuc æra minuta duo, & dixit, Verè dico uobis quòd uidua hæc pauper plus quàm omnes misit. Nam omnes hi ex eo quod ipsis exuberat, miserunt in munera Dei, hæc autem ex penuria sua uniuersam substantiam quam habebat, misit.] Gazam thesaurum dicunt. Erat itaq; sacer the- *Gaza quid*
B saurus quem pij cõtribuerant, quo utebantur ad apparationem & necessaria sacrificij, & ad ornatum templi, pauperumq; alimoniam: quamuis & de hoc postea negociationem fecerunt sacerdotes, distribuentes thesaurũ non in ea ad quæ contributus fuerat. Laudat igitur Dominus uiduam supra omnes, quòd ex penuria sua totam suam substantiam dederat. Nam hi duo oboli etsi parui uidebantur: attamen totus uictus ex mendicimonio erat. Vidua enim erat pauper. Neq; enim Dominus mercedem reddet respiciens ad id quod datur, sed ad id quod deficit. Igitur plura diuites in domibus relinquunt, paruaq; ac pauca offerunt: hæc autem totam domum euacuauit, nihilq; sibi reliquit. Meritò igitur dignior est quæ laudetur, quàm illi. Intellexerunt quidam omnem animam exponi posse per uiduam, quæ priore uiro, hoc est ueteri lege, relicto, nondum uerbo Dei copulata, nunc arrabonem uerbo dignum offerat, fidem tenuem ac paruam, & pro sua mensura, conscientiam puram habens, ut simpliciter in uita & doctrina appareat inculpata. Opus enim est cum fide, & bona conscientia: & si sic accesserit quis ad Deum, uidetur mittere plus omnibus diuitibus in eloquio, & abundantibus in gentilium uirtutibus.

Matt. 12.

Sacerdotes, negociatores.

Et quibusdam dicentibus de templo quòd pulchris lapidibus ac donis ornatũ esset, dixit: Ex his quæ uidetis, uenient dies in quibus non relinquetur lapis super lapidem qui non diruatur. Interrogauerunt aũt illum dicentes: Præceptor, quando hæc erunt? & quod signum quando ista futura sunt? At ille dixit, Videte ne seducamini. Multi enim uenient sub nomine meo dicentes se esse Christum, & tempus instat: ne igitur sequamini illos. Cæterùm cũ audieritis bella & seditiones, nolite terreri. Oportet enim prius hæc fieri, sed non statim finis. Tunc dicebat illis: Insurget gens contra gentem, & regnum aduersus regnum, & terræmotus magni erunt in singulis locis, & fames ac pestilentiæ, terriculamentaq; & signa de cœlo magna erunt.] Meritò Dominus prædicit nunc de Hierusalẽ subuersione, quoniã propè erat ut crucifigeretur, ut sit & hoc magnũ argumentũ ipsum esse Deũ. Vnde quibusdã laudantibus structuras tẽpli, & quæ in illud oblata erant. Opinor aũt illum de sculptis & tornatis loqui, ut erant palmæ & Cherubim, & similia. Hoc enim fortè ἀναθήματα, hoc est dona, dicit. Dñs uerò nihil horum miratur, sed & destructionẽ eorum prædicit. Alij aũt opinati sunt eum de cõsum-

Matt. 24. Marc. 13.

3. Reg. 6.

ἀναθήματα.

matione uniuersali loquutum, quamuis de captiuitate Hierosolymarum à Romano A
exercitu dicat: ideo & ipse morem gerens eis relinquit sermonem de captiuitate, dictu
rus de ea postea: nunc autem de consummatione seculi loquitur, & præmunit eos, ne
se falsis prophetis ante suum aduentum uenturis subdant. Erunt autem bella & seditio
nes. nam cum sublata fuerit omnis charitas, meritò locum habent bella & seditiones,
post bella uerò fames & pestilentiæ: & pestilentiæ quidem corrupto ab occisis aere, fa-
mes autem ex agris non cultis. Quidam pestilentiam & famem non tantũ in consum-
matione seculi, sed etiam in captiuitatis temporibus fore intellexerunt: Etenim Iose-
Ioseph. phus miras tunc calamitates fuisse dicit propter famem, & meminit etiam Lucas in
Act. 11. Actis. Facta est fames sub Claudio Cæsare. Porrò & terriculamenta multa fuerũt tem-
pore captiuitatis Hierusalem, ut Iosephus testatur. Omnino tamen hæc sequentia (de
seditionibus, bellis, & fame, ac cæteris loquor) possunt tam de captiuitate Hierusalem,
quàm consummatione seculi intelligi.

Sed ante hæc omnia inijcient uobis manus suas, & persequentur, tradentes in con-
ciliabula & carceres, trahentes ad reges & præsides propter nomen meũ, contingent
autem uobis in testimonium. Habete igitur fixum in cordibus uestris, non esse præme
ditandam defensionem. Nam ipse dabo uobis os & sapientiam cui non poterunt con
tradicere neq; resistere omnes qui aduersabuntur uobis. Trademini autem etiam à pa
†dictio, tribus & fratribus, & cognatis & amicis, & morte afficient † quosdam ex uobis. Et eri
quosdam, tis inuisi omnibus propter nomen meum. Et pilus de capite uestro non perit. Per pa-
apud græ tientiam uestrã possidete animas uestras.] Ante hæc omnia, hoc est, ea quæ fient ante
cos non habetur. consummationẽ, uel etiam captiuitatem. Nam (ut dixi) coniungit sermonibus de con-
summatione, sermones de captiuitate. Inijcient enim, inquit, in uos meos discipulos,
manus. Et ante captam Hierusalem persecutionem passi sunt apostoli à Hierosolymi-
tanis, Deo hoc ita dispensante, ut cum milites mundum concuterent, & grauiter affli-
gerent Iudæos qui Christũ ad crucem adegerant, apostoli interim totũ mundum præ-
dicatione implerent. Ducti sunt igitur apostoli ad reges & præsides, sicut Paulus ad Fe B
stum, ad Agrippam, ad Cæsarem. & factum est eis hoc in gloriam testimonij. Quia aũt
Act. 25. priuati & imperiti erant, ne turbarentur reddituri rationem apud uiros sapientes: ni-
26. 26. hil, inquit, de hac re uobis curæ sit. Accipietis enim tunc à me eloquentiam & sapien-
tiam, ita ut etiam si omnes aduersarij uestri ad unũ usq; uobis obstiterint, non poterunt
uobis resistere, neq; per sapientiam, hoc est sensuum uim, neq; per eloquentiam, & lin-
guæ certitudinem. Sæpe enim quis habet sapientiã in rationibus & sensibus. In tumul
tibus tamen cum facilè turbetur, confundit omnia eũ dicendum est ad populũ. Hi au-
tem, Apostoli dico, in utroq; gratiam cõsecuti sunt. Vnde obstupuerunt sacerdotes de
Act. 4. Petro & Ioanne ob immensam sapientiam dum comprehenderent eos, qua prius ca-
rebant. Paulo uerò dicit Festus, Insanis Paule, multæ te literæ ad insaniam redigunt.
Act. 26. & cum excussisset timorem illorum quem ex imperitia habebant, subdit & aliud ne-
cessarium & ualidum ad cõcutiendas animas. Trademini ab amicis & cognatis. Præ-
dicit igitur & de hoc, ut ne cum hoc subitò contingat, turbentur. Grauiter enim hoc a-
Psal. 54. nimam cruciat, sicut & Dauid dicit, Quòd si inimicus meus maledixisset mihi, susti-
Psal. 40. nuissem utiq; : tu aũt homo unanimis, &c. Et iterum, Qui comedit panes meos mecũ,
magnificauit super me supplantationẽ. Cum dixisset q̃ odio habendi & q̃ occidendi
essent quidam ex eis, subdit maximam consolationem. Capillus de capite uestro non
perit. Saluabimini enim, inquit, & neq; minimũ quiddam in uobis corrumpetur, etiã
si uideatur multis corrumpi. tantum ferre oportet. Per patientiam enim possidebitis
animam uestram. Nam inimicus quidem inuadit ceu hostis, in captiuitatem ductu-
rus animas uestras, & tentat per afflictiones rapere: sed uos date pro pecunia patien-
tiam, & possidebitis animam uestram hac cõpositione, & nihil uobis damni erit. At-
†dictio il- tendite aũt quod dicit, † morte afficient ex uobis. intelliges enim rarius quiddam, quia
la, quosdã, non integros uos occident: sed cum ex duobus sitis anima & corpore, non utrunq;
in litera ab morte afficient, sed unum ex uobis occident, corpus dico: animas autem uestras possi-
interprete debitis per patientiam. id quod & alibi dicit, Ne timeatis ab his qui occidunt corpus
fuit addita animam autem occidere non poterunt.
Matth. 10.
Matt. 24. Cum autem uideritis circundari ab exercitibus Hierosolymam, tunc scitote q̃ im-

minet

A mineat desolatio eius. Tunc qui in Iudæa sunt, fugiãt ad montes: & qui in medio eius, discedant: & qui in regionibus, non intrent in eam, quia dies ultionis hi sunt, ut impleantur omnia quæ scripta sunt. Væ autem prægnãtibus, & mamma nutrientibus in illis diebus. Erit enim afflictio magna super terrã & ira in populo hoc, & cadent in ore gladij, & captiui ducentur in omnes gentes, & Hierusalem calcabitur à gentibus, donec impleantur tempora gentium. Et erunt signa in sole, & luna, & stellis, & in terris anxietas gentiũ per desperationem, resonante mari & fluctu, ex tabescentibus hominibus præ timore, & expectatione eorum quæ superuenient orbi terrarum. Nam uirtutes cœlorum mouebuntur, & tunc uidebũt filium hominis uenientem in nube cum potestate & gloria magna.] Manifestissimè nunc de captiuitate Hierusalem tradit. Vnde sic opinor intelligendũ: Ante hæc omnia autem, hoc est, ante fames & pestilentias, & alia grauia quæ sunt euentura in tempore consummationis, persequutionẽ quidem patiemini uos Apostoli, & cætera: deinde & Hierosolymis mala imminebunt. Nam quoniã illi putabant q̃ in tempore cõsummationis destruenda essent ædificia templi: non, inquit. Tempus enim consummationis falsos prophetas habebit, & fames & pestilentias ex continuis bellis quæ contingent ob charitatis penuriam. Vos autem ante tempus consummationis persecutionem patiemini, & Hierusalem capietur, & lapides illi diruentur. Quando enim uidebitis ciuitatem à Romanis exercitibus cingi, tũc desolationem eius scitote. Tragicè igitur profert mala quæ tunc ciuitati imminebunt. Nam qui in Iudæa, inquit, fugiant in montes: & qui in regionibus, ne sperent quòd ciuitas murata custodiat eos: sed secedant etiam ipsi qui in media ciuitate. Dies enim ultionis sunt, ut impleantur quæ in Daniele sunt scripta. Maximè aũt, uæ prægnantibus, quandoquidem fugere nõ poterunt propter sarcinam uentris: & lactantibus, propter amorem erga pueros, quos neq̃ relinquere possunt absq; cura, neq̃ secum auferre. Quidam in hoc insinuatũ putant esum pueri de quo tradit Iosephus, & prædicit Hieremias. Et Hierusalem, inquit, conculcata erit à gentibus. Hucusq; de captiuitate. Deinde iterum tradit ea quæ de consummatione. Erunt enim signa in sole, & luna, & stellis. Cum enim creatura alteratur, meritò elementa nouum morem habent. Et angustia gentium, hoc est, afflictio omnium, perplexitate commixta. Mare autem maximis sonis resonabit, & erit commotio ac turbatio, ita ut homines extabescant à solo timore & expectatione eorum quæ uenient super orbem. Vides hic manifestè de consummatione loquentẽ? Suprà enim dicebat Hierusalem ab exercitibus & gẽtibus cingendam & conculcandam, hic autem toti orbi superuentura dicit mala, & ita nunc de consummatione seculi loquitur. Nam uirtutes cœlorũ mouebuntur. Et quid dico, inquit, quòd homines turbabuntur, cum creatura omnis alteretur? Nam & ipsi angeli & primæ uirtutes turbabuntur, terrebunturq̃ in terribilibus immutationibus uniuersi. Et tunc uidebunt filium hominis. Qui? Omnes, credentes & non credentes. Venientem autem in nubibus, ut Deum scilicet cum uirtute & gloria magna. Quippe super solem tunc fulgebit & ipse, & crux eius, & ab omnibus agnoscetur.

His autem fieri incipientibus, suspicite & attollite capita uestra, quoniam appropinquat redemptio uestra. Et dixit illis similitudinem, Videte ficum & omnes arbores. cum protrudũt iam gemmas, cernentes ex uobisipsis scitis q̃ iam instet æstas. Ita & uos cum uideritis hæc fieri, scitote quòd instet regnum Dei. Amen dico uobis, non præteribit generatio hæc antequam omnia facta fuerint. Cœlum & terra transibunt, uerba autem mea non transibunt.] Sicut prior aduentus Domini in restitutionem & regenerationem animarũ nostrarum fuit, ita & secundus erit in regenerationem corporũ. Quoniam enim animæ prius mortuæ fuerant propter inobedientiam, corpora autem post nongentos annos inobedientiæ mortis uim experta sunt: ideo cõgruenter regenerantur, & melius habent, per priorem quidem aduentum animæ: per secundum uerò, corpora. Idcirco & Dominus dicit, Quando hæc fiunt, suspicite qui grauati estis corruptione, quasi libertate donandi. Nam ἀπολύτρωσις, hoc est redemptio uestra adest, hoc est consummatio utriusq; libertatis, animæ inquam & corporis. Præpositio enim ἀπὸ insinuare uidetur perfectam à corruptione libertatem, quam & corpus tunc accipiet gratia Domini extremum inimicum abolentis mortem. Aboleuit etenim principatus & potestates, & animas redemit: reliqua autem erat mors, corpora nostra depascens:

Marc. 13. Esai. 5. 13.

Dan. 9.

Ioseph. de puero Hierosolymis comesto. Hier. 19.

ἀπολύτρωσις.

depascens: quæ & ipsa cum abolebitur, erit nobis libertatis & redemptionis author. Et regnum Dei statim aderit, cum hæc fient. Etenim quemadmodum ficus quæ præmittit folia, propinquam æstatem nunciat: ita & cum hæc fiunt prodigia, & transformatio uniuersi, signant quòd uentura sit æstas, hoc est regnum Dei post hyemem & tempestatem quasi æstas aduenturũ iustis: tametsi tunc peccatoribus futura sit hyems & tempestas. nam illi præsens seculum pro æstate habent, futurum autem pro hyeme. Amen dico uobis, quòd nõ præteribit generatio hæc, donec hæc omnia fiant. Generationem uocat non eos qui tunc aderant, sed omnium fidelium generationem. Solet enim scriptura generationem † hoc nominare modo, ut, Hæc est generatio quærentium Dominum. Quia autem turbationes & bella & alterationes dixit futuras tam elementorum quàm rerum: ut ne quis suspicetur quòd fortè aliquando destruendus sit Christianismus, dicit, Non. Non enim prętęribit hęc Christianorum generatio. Cœlum quidem & terra immutabuntur: sermones aũt mei & euangeliũ meum non peribunt, sed manebunt. Tametsi commoueantur omnia, fides tamen in me non deficiet. Apparet autem hoc loco quòd ecclesiam omni creaturæ præferat. Ecclesia enim eius, & uerbum & euangelium nequaquam peribunt.

Generatio in sacris literis.

Psal. 23.

† ἀ morum similitudine nomina re

Fides in Christum defectura non est.

Attendite autem uobis nequãdo grauentur corda uestra crapula & ebrietate, & curis huius uitæ, subitusq; uobis ingruat dies ille. tanquam laqueus enim superueniet in omnes sedentes super faciem totius terrę. Vigilate itaq; omni tempore, deprecantes ut liceat uobis effugere ista omnia quæ futura sunt, & stare ante filium hominis.] Audiuistis, inquit, terriculamenta & turbationes, & grandia sunt hæc omnia ac symbola malorum quæ peccatores sunt deprehensura: sed quia grauia hæc, ideo magnum remedium eorum est attentio & oratio. Semper enim paratum esse & expectare finem, maximè omnium conferre poterit. Hoc autem uobis continget, si sobrij fuerítis, & non grauata fuerint corda uestra crapula & ebrietate, & solicitudine seculari. Num cum obseruatione aderit dies ille? Non, sed inopinatus & repentinus aderit, clàm sicut laqueus apprehendens eos qui non attendunt. Fortasis autem quis curiosius scrutabitur dictionem hanc, Sedentes super faciem omnis terræ. Hos enim illaqueabit dies ille, qui in ocio & absq; solicitudine uersantur. illi enim sunt qui sedent & qui illaquean tur. At qui operantur & actiui sunt, & sobrij in operatione boni, ferunturq; in omne bonum, non sedent neq; quiescunt super terram, sed surgunt hinc, & dicunt sibi, Surge & ambula, quia non est tibi hic requies. & patriam meliorem inquirunt. Hisce non erit dies ille laqueus, sed dies festiuus. Idcirco oportet uigilare, & orare Deum, ut possimus effugere futura omnia. Qualia? Fortasis tempestates & fames, & pestilentias, atq; alia quæ electos non ita prement ut alios. Immò propter electos alijs decurtabuntur: fortasis item mala quæ peccatoribus perpetuò superuentura: quæ aliter non possumus effugere, quàm uigilantia & oratione. Quoniam autem non sufficit fugere malum, sed opus est etiam bono quopiam: postquam dixit, ut possitis effugere omnia hæc uentura, addidit, Et stare coram filio hominis, quod est fruitio bonorum. Oportet igitur Christianum non solum fugere aspera, sed & curare ut gloriam accipiat. Angelica enim dignitas est stare coram filio hominis & Deo nostro. Angeli sanè semper uident faciem patris mei.

Mich. 2.

Matth. 18.

Docebat autem interdiu in templo: noctu uerò exiens diuersabatur in monte qui uocatur oliuarum. Et omnis populus diluculo uentitabat ad eum, ut in templo audiret eum.] Occultarunt Euangelistæ multa quæ docuit, & maximè tres: Ioannes autem & ipse multa silentio præterijt, ueruntamen sublimiores q̃ tres alij doctrinas quasdã exposuit. Igitur his qui cõgregabantur in templo, multa & sublimia disserebat, ut cõiecture licet. Nam pauca dixerunt euangelistæ, neq; ostendere uoluerunt, & manifestũ quidẽ est aliunde multis ex locis, & ex hoc non parum diuinare possumus, cum Dominus sermè per triennium prædicarit, scripsisse illos paucas doctrinas, quas intra diem unum si quis dixerit dici posse, non reprehendendus fuerit. Ex multis igitur pauca nobis scripserunt sancti Euangelistę, gustum quendam dulcedinis præbentes. Disserebat autem non unius generis, sed unicuiq; idoneũ sermonem referebat, ideo & turba diluculo ueniebat ad eum. Gratia enim effluebat ex labijs eius. Nocte uerò secedebat ad montẽ, monstrans nobis ꝙ oporteat nocte quidem per quietem colloqui cũ Deo, die autem

Pauca ex multis scripserũt Euangelistæ.

morem

A morem gerere, & prodesse hominibus, & congregare quidem nocte, die autem distribuere congregata. Ipse autem nō habebat opus oratione, uel cōuersatione cum Deo. Non enim erat ad quem se conferre poterat, cum ipse esset Deus. Nobis aūt hæc ad figuram prætulit: ut apud fluenta nocte quidem accipiamus orationis fluxum ex spiritualibus uenis, die aūt effundamus hausta his qui opus habent. At si quis uidisset populum ita mane ad audiendum confluentem, diceret congruere ei illud Dauidis, Deus Deus meus, ad te de luce uigilo. Sitiuit in te anima mea. *Psal. 62.*

CAPVT XXII.

INstabat autem dies festus azymorum qui dicitur pascha, & quærebant principes sacerdotum & scribæ quomodo Iesum interficerent. Timebāt enim plebem. Intrauit autem Satanas in Iudam cui cognomē erat Iscariotes, qui erat è numero duodecim: abijtq;, & locutus est cum principibus sacerdotum, ac * ducibus, quemadmodum illum traderet eis. Et gauisi sunt, ac pacti sunt pecuniam illi se daturos. Et ille spopondit: quærebatq; opportunitatem ut traderet illum illis sine turba.] Quærebant quidem illum interimere scribæ: at quia tempus paschæ instabat, & uidebant sibi inde periculum imminere à turba quę congregabatur maximè propter diem festum, quærebant insidias, quomodo interfecto illo non periclitarentur. Intrauit autem Satanas in Iudam qui erat unus è numero duodecim, eratq; ex maximè familiaribus discipulis: ut nullus confidat in seipso, sed semper attendat uitę suæ, utpote grauem habens aduersarium. Quidam autem sic intellexerunt, Qui erat è numero duodecim: numerum solum implebat † ut apostata, non ut Apostolus, nec ut uerus discipulus. Quomodo enim uerus discipulus, qui furatur quæ in marsupium mittebantur? Hic igitur, cum ingressus esset in eum Satanas, decreuit secum, & conspirauit cum quærentibus Iesum tradere. Hoc enim significat spopondit, hoc est, perfectam promissionem & pactum fecit. Et quærebat opportunitatem quando inueniret illum sine turba, hoc est seorsim & solitarium, & ipsis traderet. Magistratus autem loco hoc uocat præfectos ædificijs templi, uel etiam censores, ut qui curarent ea quæ ad bonū ordinem seruandum pertinebant. Præfecerant enim Romani quosdam populo, ut ne turbaretur, quandoquidem seditiosi erant. Illos igitur uocat στρατηγὸς, magistratus. Fortassis autem & militaria munera credebantur eis qui erant ex sacerdotali ordine, unde magistratus & duces dicti. Ambitione enim laborantes & illa officia inuadebant: unde eos magistratus & duces templi nominauit, manifestius fortè taxans illos.

Matt. 26. Mar. 14.

** στρατηγοῖς, id est, ductoribus, ducib. exercitus, magistratibus, siue præfectis tuendo templo.*

† apostolicum Ioan. 13.

Romanorū magistratus στρατηγὸς uocant.

Venit autem dies azymorum, in qua necesse erat immolari pascha. Et misit Petrum ac Ioannem, dicens, Euntes parate nobis pascha, ut edamus. At illi dixerunt ei, Vbi uis paremus? Et dixit ad eos, Ecce introeuntibus uobis in ciuitatem, occurret homo quidam uas aquæ testaceum portans, sequimini eum in domum in quam intrat, & dicetis patrifamiliās ædium: Dicit tibi magister: Vbi est diuersorium, ubi pascha cum discipulis meis edam? Et ipse ostendet uobis cœnaculum magnum stratum. ibi parate. Euntes autem inuenerunt sicut dixerat illis, & parauerunt pascha.] Quòd phase hebraice pascha dicatur, & signet transitum ex Aegypto, sæpe dictum est: & in summa omnia quæ in festo fiunt, ita dicta: nunc autem quem nobis dicat diem azymorum, dicendum. Diem igitur azymorum dicit quintum, ad cuius uesperam pascha immolandum erat. Igitur Dominus fortè quinto manè mittit discipulos, Petrum & Ioannem, & illum quidem ut diligentem, hunc uerò ut dilectum. Mittit autem in alienam domum. Neq; enim domum habebat uel ipse uel discipuli eius, alioquin in una discipulorum domo manducasset pascha. Vides paupertatem? Mittit uerò eos ad hominem incognitum, ut ostendat quòd sponte susceperit passionē. Si enim noluisset, sicut mentem homini qui se nesciebat, dedit ut se susciperet: ita poterat & cum Iudæis quæ libuisset facere. Quidam autem dicunt quòd propter hoc non dixit nomen hominis, nec manifestauit eum, sed signo quodam deduxit eos ad domum illius, propter proditorem, ut ignorato nomine non proderet domū pharisæis, qui uenissent & cōprehendissent eum priusquam cœnam perficeret, & spiritualia sua sacramenta traderet: idcirco infrà Christus dicit, Desiderio desiderauí hoc pascha manducare uobiscum antequā patiar. hoc est, omnem operam adhibui ut lateat proditorem, ne ante tempus sustineamus passionem priusquā traderemus sacramenta. Expositionem hanc accipiat qui uolet. Et cuius

gratia

gratia pascha facit? Per omnia ostendit quod usq; ad extremum anhelitum non sit con A
trarius legi. Atqui comedamus & nos hoc pascha spiritualiter. Et intelligamus dies a-
zymorum omnem quæ in spirituali lumine est conuersationem, quæ nullam uetusta-
tem primæ in Adam inobedientiæ habeat: in qua conuersatione si fuerimus, impin-
guandi sumus mysterijs Christi. Præparabunt itaq; hæc sacramenta Petrus & Ioan-
nes, actiua & cõtemplatiua, feruor zeli, & mansuetudo pacifica. Oportet enim fideles
& feruidos esse bonum operando, & zelotas aduersus malitiã, & mansuetos erga malè
operantes. Odio enim habenda malitia, non is qui malè agit, cuius habenda est cura,
*pati infirmus enim est. Et hoc est malè agere, à maligno uexari, & * facere malum. Quòd
Malè agere quid sit. si habuerimus Petrum & Ioannem adornantes cœnam: uitam dico bonam, quę est Pe
trus: & uera dogmata, quæ sunt Ioannes theologus: occurret illis præparatoribus ho-
mo: hoc est, tunc inueniemus humanam conditionem uerè formatam secundum ima
ginem conditoris: uas aquæ figulinum gestantem. Aqua quidem spiritus gratia, ut E-
Ioan.7. uangelista Ioannes docet. Figulinum autem uas, cor, quod facilè confringitur, nam
Iacob.4. qui spiritualem gratiam accipit, humilis est, & cõtritus corde. Humilibus enim dat Do
Iob 33. minus gratiam. Qui autem scit seipsum esse terram & cinerem, & dicit cum Iob, De
terra me formasti: ille portat gratiam spiritus in uase cordis sui, quod facilè compungi-
tur & conteritur. Et cum assequuti fuerimus hanc conditionem, abeamus in domum
mentis, cuius paterfamiliâs mens, monstrabit nobis cœnaculum stratum magnũ. Cœ-
naculum autem est sublimis eiusmodi mentis capacitas, diuinorum (inquam) & spiri-
tualium, in quibus habitat, & in quibus amicè excipitur. Strata autem sunt hæc: nihil
enim in eis asperum, sed & aspera in plana conuertuntur tali menti: sicut & Solomon
Prouerb.8. dixit, Omnia plana intelligentibus, & recta inuenientibus scientiam. Id autem pecca-
toribus non dixit: quia mens licet opus excellens faciat iuxta suam efficaciam agens,
strata tamen eius scientia est, & adhuc humiliora habet. Sublimis autem, & quæ uera
scientia, & super omnem sublimitatem, ignoratio est, quæ mentem transcendit, quan-
do non iam mens operatur, sed operationem sentit, ac patitur. Oportet autem nos B
prius mente nostra operari, & deinde gratiæ dominicæ in nobis operationem sentie-
mus, quæ nos suscipiet sicut prophetas, & eos qui excessum patiuntur, & omni natu-
rali operatione destituuntur. Denicq; dicitur assumptio Domini in propheta huiusmo-
di fieri. Sicut igitur & in hoc cœnaculum stratum uenit Iesus cũ discipulis suis, & my-
steria perficit: ita uenit ad nos, & suam ostendit efficaciam: sed non expectat ut nos ue-
Psal.8. niamus ad eum. Discipuli autem uerbi Dei sunt omnes sermones rerum gestarum.
†Tunc igitur cũ operabitur in nobis Deus, paschæ intelligemus participationẽ: uel potius erudiemur in sermonibus rerum factarũ, iuxta illud, uidebo
† Tunc igitur cum intellexerimus quòd operetur in nobis uerbũ, dico impletionem, immò assuefacti fuerimus iungere sermonibus opera: tunc uidebimus cœlos opera digitorum tuorum.

Et cum iam esset tempestiuum, accubuit, ac duodecim Apostoli cum eo. Et ait illis,
Desiderio desideraui hoc pascha comedere uobiscum antequam patiar. Dico enim
uobis, posthac non edam ultrà ex eo, donec compleatur in regno Dei. Et accepto po-
culo gratias egit, ac dixit, Accipite hoc, & diuidite inter uos. Dico enim uobis, quòd
non bibam de fructu uitis, donec regnum Dei ueniat. Et accepto pane, cum gratias e-
gisset, fregit, ac dedit eis, dicens, Hoc est corpus meum, quod pro uobis datur. hoc facite
in mei recordationem. Similiter & poculum postquam cœnauit, dicens, Hoc po-
culum nouum Testamentũ per sanguinem meum, qui pro uobis effunditur.] Pascha
Quomodo olim pascha comederũt. stantes comedebant, quomodo igitur Dominus recumbere dicitur? Dicũt itaq; quòd
postquam comedit legale pascha, recubuerunt more uulgari comedentes alios quosdã
cibos. Dicit autem ad discipulos, Desiderio desideraui hoc pascha manducare uobis-
cum, priusquam patiar: quasi diceret, hanc extremam cœnam meam uobiscum, idcir-
co & gratum ac desiderabile est, nam ultrà uobiscum non sum conuiaturus, sicut &
peregrè profecturi postrema colloquia cum maximè familiaribus suauiter miscent.
Vel aliter, Desideraui hoc pascha mãducare uobiscũ, eo quòd magna mysteria in hac
uobis cœna sim traditurus, nempe ea quæ sunt noui Testamenti. Significat autem per
Ioan.2. hæc, quòd uoluntariè patiatur. Poterat enim omnino secedere, sicut & alijs tempori-
bus, cum sciret sè passurum. Quod autem dicit, Non bibam illum, donec regnum Dei
ueniat: quidam sanctorum intellexerunt, donec resurgam. Post resurrectionem enim

conuer-

A conuersatus est cum discipulis, & comedit & bibit cum eis: sicut & Petrus ad Cornelium dicit, Qui comedimus & bibimus cum eo post resurrectionem. Quòd autē regnum Dei sit resurrectio, manifestūm est. Resurrectio enim destruxit mortē: regnauit autem mors ab Adam usq; ad Christum. Tunc autem destructa, concessit Domino uictoriā & regnū: quemadmodū dictum est, Vbi est mors uictoria tua? & Dauid, Dominus regnauit. Deinde interpretās quomodo regnauerit: Decorē (inquit) indutus est, incorruptionē accipiēte corpore, & decorato deitate, ut Esaias inquit: Hic formosus in stola, uiolentia cum fortitudine. Dominus quoq; postquā resurrexit, inqt, Data est mihi omnis potestas. Cum enim uenisset resurrectio, quā regnū Dei nominauit, eo q; mortē destruxit, iterū bibit cum discipulis, persuadens discipulis nō iuxta apparentiā tantū resurrexisse. Quidam autē regnū putarunt futurū statum: bibere autem dominū nobiscū in futuro, pro reuelatione mysteriorū. Lætificans enim nos exhilaratur, & pascens pascitur misericors, & nostrū potum ac alimoniā, hoc est doctrinam, propriū cibum existimat. Bibet igitur tunc nouam quandam potionē cum dignis, reuelans eis semper noua quędam & insolita. Duorū autē Lucas uidetur meminisse poculorū. Et de uno quidē dicit, Accipite & diuidite inter uos: q̄d ueteris testamēti figurā quis esse dixerit. Et de altero q̄ illum, postq̄ fregit panē & distribuit ipse distribuit discipulis, q̄d & noui testamēti nominat, & suo sanguine dicit hoc innouari. In ueteri enim sanguis erat brutorū animaliū, cum lex uigeret: nunc autē cum uerbū Dei homo factū est, sanguis nouum testamentū nobis obsignauit. Dicendo autē, q̄d pro uobis datur & effunditur, nō pro solis Apostolis signat corpus eius esse datū, & sanguinē eius esse effusum, sed pro humano genere. Quādo igitur dicit, quod pro uobis datur, intellige, pro uestro hominū genere. Vetus enim pascha perficiebat ob liberationem seruitutis ex Aegypto, & sanguis agni propter seruata primogenita: nouum autem pascha propter remissionem peccatorum, & conseruationē cogitationū
B sanctificatarum, & cōsecratarum Deo. Primū autem panis, & deinde poculum. Primùm enim laboriosior actio & difficilior. Sudores enim præcedunt uirtutē. Quemadmodum igitur panis, non solùm in sudore faciei excolitur, sed & comedendo operosior est. Deinde post labores, lætitia diuinæ gratiæ, quæ signatur per poculū. Postquam enim quis in uirtutibus diu grauiterq; laborauerit, tandem dignus est donis, & inebriatur laudata illa ebrietate qua excedit ex hoc mūdo, sicut Paulus & Dauid, & ut audentius quiddam dicam, sicut & Deus apud Habacuc.

Veruntamen ecce manus tradentis me, mecū est in mensa. Et filius quidem hominis secundum quod definitum est uadit: ueruntamen uæ homini illi per quem proditur. Et ipsi cœperunt quærere inter sese, quisnam esset ex ipsis qui hoc facturus esset. Facta est autē & cōtentio inter eos quis eorum uideretur esse maior. Dixit autē eis, Reges gentium dominantur eis, & qui potestatem habent super eas, benefici uocantur. Vos autem nō sic: sed qui maior est in uobis, fiat sicut iunior: & qui princeps est, sicut qui ministrat. Nam uter maior est, qui accumbit, an qui ministrat? nōne qui accumbit? At ego in medio uestrūm sum ut qui ministrat.] Nihil exęcatis miserius est. Vide enim quid Dominus dicat: Ecce manus tradentis me, mecū est in mensa: & stupidus nō sensit. Etenim Dominus hæc dicit, nō solùm ut ostendat se nō ignorare q̄d eueniet, sed & ut nobis suam bonitatē, & proditoris malitiam ostendat, qui non eruebuerit secum conuiuari. Nam non omisit sua facere, ut nobis exemplū daret ut usq; in finem lapsos lucrari studeamus. Et filius quidem hominis (inquit) uadit: non quasi nō ualeat se uindicare, sed quia olim decreuerat mori in salutem hominum. Veruntamen uæ homini illi per quem traditur. Nam prædefinitum quidem est ut patiatur: sed tu quare inuētus es malus, & ita ad proditionem paratus? Propterea tibi uæ adiudicatum est, quia inuentus es studens proditioni. Quia etiam serpens maledictus est eo q; seruiuit diaboli consilijs. Turbati sunt autem discipuli auditis his: & hoc latius discēs in Euangelio Ioannis. Nunc autem non solùm de suspicione proditionis tantùm turbantur, sed ex turbatione illa ad contentiones ueniunt, cōtendentes quis ex ipsis esset maximus. Inciderunt autem in hanc litem quia uerisimile est quòd inter se dixerint unus alteri, tu proditurus es, & alius alteri, tu proditurus es. Et inde eò peruenerunt ut dicerent, Ego sum melior, & ego sum maior, & similia. Quid igitur dominus?

Act. 10.

Quādiu diu rauerit regnū mortis.

Osee. 13
1. Cor. 15
Psal. 92
Esa. 61
Matth. 28

Exod. 12

Ebrietas sancta.

Abac. 3

Matth. 20.
Mar. 10.

Excęcatis miserius nihil.

Gen. 3.

Ioan. 13.

Christus cõtentionẽ discipulorum de primatu duobus exemplis comprimit.

minus? Comprimit tumultũ hunc duobus exemplis. Vno gentilium, quos abominantur: ostendens q̃ illis assimilandi sint, si sapiãt similia. Altero autem suo exemplo. Eos enim ad humilitatem exemplo suo ducit, ostendens quòd ipse ministret eis. Etenim tunc, sicut dictum est, panẽ suum & potum distribuit. Cum igitur ego, quem omnis rationalis & angelica creatura adorant, in medio uestri ministro: quomodo uos digni estis qui magna de uobis sentiatis, & primas partes capiatis? Videtur autem mihi non obiter huius recubitus & ministerij meminisse, sed reducere eis in memoriã, Quia de uno pane comedistis, & uno calice bibistis, amicos & unanimes una mensa fecerit: quare ergo sapitis quæ tales nõ decent? Et neq̃ ego uni quidem seruiui, alteri autem non seruiui, sed ex æquo omnibus uobis. Omnes igitur unum & idem sentiatis. Tu autẽ ex his omnibus intelligas quòd discipuli adhuc imperfecti fuerint, sed uide quomodo & postea resulserint. Confundantur Manichæi, qui dicũt quosdam natura esse indociles, & impossibilem esse uitæ mutationem.

Manichæi.

Vos autẽ estis qui permansistis mecũ in tentationibus meis: & ego dispono uobis, sicut disposuit mihi pater meus, regnum, ut edatis & bibatis super mensam meam in regno meo, & sedeatis super thronos, iudicantes duodecim tribus Israel. Ait autẽ Dominus, Simon Simon, ecce satanas expetiuit uos, ut cribraret sicut triticum: sed ego rogaui pro te, ne deficiat fides tua. Et tu aliquando conuersus confirma fratres tuos. At ille dixit ei, Domine tecum paratus sum & in carcerẽ & in mortem ire. At ille dixit, Dico tibi Petre, nõ canet hodie gallus priusq̃ ter abneges nosse me.] Postq̃ dixit traditori uæ, & in medio docuit eos humiles esse: sicut traditori uæ adiudicauit, ita è diuerso inquit, Vos estis qui mansistis mecũ in tentationibus. ideo & mercedem uobis dispono, hoc est, paciscor uobiscũ, ut cum pater meus disposuerit mihi, hoc est, segregauerit mihi regnum, ut edatis & bibatis super mensam meam. Comedere autem & bibere dixit, nõ quasi edulia illic sint posita, neq̃ quasi sensibile quoddam regnum sit. Ipse enim per ea quæ Sadducæis locutus est, docet quòd conuersatio quæ illic, angelica sit, & Paulus docet regnũ Dei nõ esse cibum & potum. Ne quis igitur erret audiens hic, edatis & bibatis super mensam: sed cogitet quod dictum sit, ex metaphora eorum qui à regibus honorantur. Nam qui cum regibus cœnant, uidentẽ primos honores sortiri. Hoc igitur & de Apostolis dicit, quod apud se omnibus alijs præferant, At ubi thronos & sedes audieris: nõ thronos intellige, sed gloriam & honorem. Non enim creaturæ est sedere, sed sanctæ trinitatis, increati & regis omniũ Dei: creaturæ autem tanq̃ ancillæ est stare, idq̃ cum corporaliter dicimus sedere & stare. Iudicantes uerò, hoc est condemnantes eos qui ex duodecim tribubus sunt increduli futuri. Non parua autẽ condemnatio Israelitis fuerit, quòd Apostoli qui etiam ipsi ex Israelitis erant, crediderunt, & alij nõ crediderunt. Itaq̃ quia proditori uæ adiudicatũ est, illorum autẽ qui permanserunt in amore erga illum, tantũ prædixit fore honorem, ut ne extollantur quasi magnũ quiddam fecissent, & permansissent in charitate, ac non prodidissent: Satanas uos, inquit, petiuit cribrare, hoc est, turbare, nocere, tentare. Sed ego rogaui. Ne existimetis (inquit) q̃ uestrum sit totũ hoc bonũ opus. Diabolus enim ualde urget, si possit uos ab amore mei depellere, & ostendere proditores. Ad Petrũ autẽ uerba hæc dirigit, qui reliquis audacior erat, & probabile est superbisse in ijs quæ à Christo promissa erant: idcirco & reprimit eum, dicẽs: Satanæ quidem fuit multũ studium cõtra uos, ego autẽ orauí pro te. Et hoc humano more dicebat. Nam ut Deus, nõ opus habebat orare aliquẽ. Rogaui igitur, dicit, ut non deficiat fides tua. q̃uis enim breui tempore cõcutiendus sis, habes tamen recondita semina fidei, ut etiam si folia abiecerit spiritus inuadentis, radix tamen uiuet, & non deficiet fides tua. Tu uerò cõuersus cõfirma fratres tuos. Plànus huius intellectus is est. Quia te habeo ut principem discipulorũ, postq̃ negato me fleueris, & ad pœnitentiam ueneris, confirma cæteros. Hoc enim te decet, qui post me ecclesiæ petra es & firmamentũ. Intelexerit autem quis nõ solùm de Apostolis dictũ quòd confirmati fuerint à Petro, sed de omnibus qui usq̃ ad consummationẽ seculi futuri sunt fideles. Tu enim Petre cõuersus, bonum exemplum pœnitentiæ eris omnibus, ut nullus credentiũ in te respiciens desperet: qui cum Apostolus fueris, & negaueris, iterũ tamen receperis primatum omniũ, & præfecturam orbis per pœnitentiam. Rogauit itaq̃ Satan cribrare &

Suprà 20 Rom. 14

Cuius sit sedere, cuius stare.

Petrus pœnitentiæ exemplũ omnibus.

nocere,

A nocere, sicut cribratur triticum purum, utpote inuidens amori tuo in me, sicut ei mos est. Nam sic etiam Iob inuasit. Verū ego nō omnino te derelinquā ut deficiat in uniuersum fides tua. Quāuis autē ego rogauerim pro te, attamen tu ne recideris, sed conuersus, hoc est pœnitentiā agēns, & lacrymas profundens, & à negatione resilīēs, esto etiā aliis pœnitentiæ exemplar, ne desperent. Quid igitur Petrus? Multa charitas animosum eum reddidit, ut polliceat quæ sibi tūc impossibilia. Dominus autē ubi uidit eum temeraria loqui (oportebat enim semel audita ueritate, quæ ei dicebat ꝙ tentandus esset, nō reluctari) manifestat ei tentationis speciē, nempe negationē. Hoc autem loco discimus magnā doctrinā, ꝙ nō sufficiat propositū hominis absq; subsidio Dei: quemadmodū & Petrus parum derelictus, tametsi charitatē ac feruorē habere uideretur, ubi reliquit eum Deus, supplantatus est ab inimico. Et iterū nō sufficit Dei subsidium, si nō affuerit & humanum propositum: quemadmodū & Iudæ nihil profuit cuius omnia faceret Dominus ut lucrifaceret eum, cum abesset ei bona uolūtas. Horreamus autem considerantes quantum contra remissos ualeant insidiæ diaboli. Ecce enim & hoc loco Petrus cuius à Deo conseruaretur, quia paruo tempore per dispensationem derelictus est, eò peruenit ut negaret: & nisi à Deo parua quędam custodita fuissent quæ in illo recondita erant semina, quid nō passus fuisset? Eò enim spectabat diabolus, ut & ipsum ad proditionem intruderet. † Cibus enim diaboli (inquit Propheta) electi. Deo autem sit gratia, qui nō derelinquit sanctos & iustos, & bonos corde: qualis erat Petrus, ualde amans, & alienus à malis erga magistrum suspicionibus. *Cap. 4.*

† esca enim diabolo, inquit propheta, electæ. *Abac. 1. Psal. 36.*

Et dixit eis, Quando misi uos sine sacculo & pera & calceamētis, num quid defuit uobis? At illi dixerunt, Nihil. Dixit ergo eis, Sed nunc qui habet sacculū, tollat, similiter & peram: & qui nō habet, uendat tunicā suam, & emat gladiū. Dico enim uobis, quoniam adhuc hoc quod scriptum est, oportet perfici in me, Et cum iniquis deputatus est. Etenim ea quæ sunt de me, finē habent. At illi dixerunt, Dñe, ecce duo gladij hic. At ille dixit eis, Satis est.] In principio quidem prædicationis mittens discipulos Dominus in castella & ciuitates, absq; necessarijs dimisit, neq; dedit quibus habebant opus, neq; curam gerere uolebat, & in his oportebat discere eius uirtutē. Illorū enim curam habens tanquā infirmorū, faciebat eis omnia necessaria affluere abundè citra ipsorum curā. Nunc autē cóntraria præcipit, nō contrarius sibijpsi, sed ostendens eis quòd usq; ad hoc tempus tanq; paruulos gestarit, & nō fecerit eos de quoq; solicitos. Nunc autē opus est eis ut curent ea quæ uirorum sunt, & prouideant sibijpsis. Ego enim (inquit) pater uester, uestri curam gerens iam abeo. Ex hoc tempore parati estote, & ipsi rerum propriarū curam gerite, & nolite omnē curam in me reijcere. Opera enim uestra non erunt tam facilia, & à labore aliena: sed obnoxij eritis fami & siti, & multis aduersis. Hęc enim insinuant per sacculum & peram, ac gladium. Proinde ne sitis ignaui: quia & famem experturi estis, & opus habebitis edulijs, quæ per peram significat. Et uiriles estote, quia in multa aduersa incidetis: quod per gladium indicat. Hæc autē dicit, nō ut omnino gladijs sint accincti, sed (ut dixi) significans bella & pericula, & docens ut ad omnia præparati sint. Nam ne existimēt posteriores ꝙ apostoli à se nihil ad uirtutē contulerint, sed totum Dei fuerit: nō hoc erit (inquit) sic. neque enim apostolis meis uti uolo ut instrumentis inanimatis. sed & quę ab ipsis sunt ipsos adferre postulo. Deniq; inuenies apostolos, & maximè Paulum, multa etiā ex humanis industrijs rectè facere (lege Acta) cuius & in his non abfuerit diuinū subsidiū. Interea autē & apostolis accedit utilitas, ne fastu inflentur ex hoc. Si enim ipsi nihil curassent, & à Deo omnia expectassent, atq; ipsis euenissent, inflati fuissent, quasi maius quiddā super uires humanas sortiti. Et alioquin naturæ esset ignauia & corruptio, nihil à se excogitare, sed omnia, ut dici solet, molita expectare. Propterea dicit eis, ex hoc tempore & peras gestate, hoc est, sic affecti estote, & curam habete, ut esuriem habituri. Et gladium emite: quod est, sic prouidete uobisipsis, tanq; hi qui in bella & prælia multa incident. Et aliter exposuerunt quidam, Emite gladium. Significat enim, inquiunt, breui tantas futuras insidias, quales nunq; fuerunt, & quòd inuasuri sint illos uiri sanguinarij. Nam quia illi prius inter se de primatu contenderant, Non est, inquit, tempus ambitionis, sed periculorū & cædium. nam & ego magister uester ad mortē abducor, neq; ad gloriosam mortē. Veruntamen implebit in me, Cum iniquis

B

Matth. 10. Suprà 10.

Quid per sacculū, peram, & gladium insinuetur.

deputatus est. Insidias igitur latrocinatorias significaturus, meminit gladij: & neq; o- A
mnino reuelauit, ut ne metu quodã terreant: neq; omnino siluit, ut ne repentinis insi
dijs confundant: imò ut post hæc recordantes admirentur eum tanq; præscientẽ, &
stupescant quomodo seipsum pro salute hominũ ad mortem tradiderit, & propterea
etiam ipsi nihil molestum subterfugiant ut saluent aliqui. Hæc enim opinor ænigma-
ticè propterea dicebat, ut postea recordantes & intelligentes, utilitatẽ caperent: quo-
niam tunc adeò insipientes erant, ut dicerent, Dñe, ecce hic gladij duo. at ipse quia ui
dit eos nõ intellexisse, inquit, Satis est. Tametsi nequaq; sufficiissent: si humano auxi-
lio cõtra homicidas illos uti oportuisset, neq; centũ gladij sufficissent. si autẽ hoc no-
luissent, & diuiniore subsidio opus erat, superflui fuissent & duo: uerũtamen Domi-
nus noluit eos arguere, utpote nihil intelligẽtes: sed dixit, satis est, ac processit. Sic igi
Mosloquen tium non in telligentib. tur etiam nos quando cum quodam cõuersantes uidemus eum nõ intellexisse quod
diximus, dicimus, Bene, dimitte: cuius nõ sit bonũ. sed ne conturbemus, remittimus.
Facit autem hoc Dominus, quãdo uidet discipulos nõ intelligere dictum: transit, &
euentum rerum permittit explicare dictorum intelligentiã, sicut & quãdo dixit: Sol
Ioan. 2. uite templum hoc. Nam postea cognouerũt hoc discipuli eius post resurrectionem.
Quidam autem per ironiam dixerunt dictum à Christo, Satis est. Nam cum dixis-
sent discipuli, Ecce duo gladij hic, Dominus ironicè (aiunt) dixit: Quia duo sunt, om
nino multi sunt, & sufficiunt nobis contra multitudinem quæ uenit super nos.

Matth. 26 Et egressus ibat (ut erat solitus) in montẽ oliuarũ: secuti sunt autẽ illum & discipuli.
Mar. 14. Et cum peruenissent ad locũ, dixit illis: Orate, ne intretis in tentationẽ. Et ipse auulsus
Ioan. 18. est ab eis fermè ad iactũ lapidis, positisq; genibus orabat, dicens: Pater, si uis, transfer
po culũ hoc à me: ueruntamẽ nõ mea uoluntas, sed tua fiat. Apparuit autẽ illi angelus
de cœlo cõfortans eum: & correptus angore prolixius orabat. Et erat sudor eius sicut
guttæ sanguinis decurrentes in terrã. Et cum surrexisset à deprecatione, uenissetq; ad
discipulos suos, reperit eos dormientes præ mœstitudine, & ait illis, Quid dormitis?
Surgite, & orate ne intretis in tentationẽ.] Post cœnam nõ desidia & ludi & somnus B
Dominũ excipiebãt, sed docebat & orabat, propter nos hæc figurans & demõstrans.
Væ scortato ribus. Væ igitur ijs qui post cœnã fœdis scortationibus uacant. Secedit autẽ in montẽ oliua
rum postq; talia docuisset discipulos, ut oraret. cõsueuerat enim seorsum hoc facere.
idcirco & à discipulis auellitur. Nõ omnes autẽ discipulos, sed tres tantũ assumit, qui
& gloriæ suæ in monte spectatores fuerant. Quia enim & in agone oraturus erat: ut
ne uideatur formidinis esse indiciũ, propterea assumit eos qui diuinæ gloriæ & su-
perni testimonij spectatores & auditores fuerant, ut cum uiderint laborantẽ, hoc hu
manæ naturæ esse dicant. Vt enim crederet uerus homo esse, naturę quod suum erat
facerę permisit, & uitã appetit etiã ipse ut homo, precaturq; ut transeat calix. Nam ui
tæ amans est homo. Quo confutant hæreses quæ dicũt phantasticũ fuisse hominem.
Etenim cum hæc facta sint, & habuerũt unde eiusmodi nugarent: quid nõ dicturi e-
rant si nõ fuissent hęc facta? Porro uelle q transeat calix, humanũ erat. Statim autẽ di
cendo, Veruntamẽ nõ mea uoluntas fiat, sed tua: ostendit q etiã nos sic oporteat affe
ctos esse, & philosophari, diuinæq; uolũtati cedere, & nõ parêre naturæ se opponen
ti. Non uoluntas mea humana fiat, sed tua, eo q tua uoluntas nõ est à mea diuina uo
luntate separata. Duas eñ naturas habẽs unus Christus, habuit & naturales uolunta
tes uel uolitiões, diuinã ac humanã. Voluit itaq; humana natura uiuere, naturale eñ
est. Deinde sequẽs diuinã uolũtatẽ, quę uolebat ut oẽs homines saluarent, & erat cõ
munis patri & filio ac spiritui sancto, mortẽ susceipit: & sic unũ factũ est uolitũ, hoc est
Ariani. salutaris mors. Quòd eñ ab humana natura fuerit orare, quę iuxta pmissionẽ patieba
Sudare ac flere sangui nem, κατασ- μία. tur cõmunẽ affectionẽ qua amamus uitã, & nõ à diuinitate, sicut dicũt maledicti Ari-
ani: manifestũ est ex hoc, q sudauit, idq; cũ tanta anxietate, ita ut planè, iuxta parœ-
miã, sanguinis guttę ex eo ceciderint. Parœmia eñ est in his q ualde laborãt, ita ut san
*& sanguinis guttas, ut id quod gerebatur repræsentaret, excepit guinẽ sudent: sicut & in his q amarè flent, dicimus q sanguinẽ fleant. Hoc igitur uo
luit manifestare Euãgelista, q nõ tenuib. quibusdã humorib. & uelut ostẽtationis gra
tia apparentibus, sed magnis guttis sudorẽ stillauerit, † & collegerit secũ riuos sangui-
nis. Hinc igitur manifestum. quòd natura illa quæ sudabat, & in agone erat, humana
ista fuit, non diuina; quia & humana natura permissa est hæc pati, & sic passa est.

Sed

Sed simul interim ostendit, q̃ nõ phantasticus fuerit homo. Interim & magis mysticum quiddam docet, q̃ & cõmunem humanæ naturæ formidinẽ sanet, quia† in seipsum illã sumpsit, diuinæq̃ uoluntati fecit obedientẽ. Quippe quòd egrediebant ẽ cor pore sudores & decidebant, uidet significare q̃ exiccet & abstergat & à nobis cadere faciat fontes formidinis, natura nostra in Christo corroborata, & cõfirmata. Nisi em̃ id significasset, q̃ uidelicet humanã nostram formidinẽ curare uoluisset: etiamsi ualde timidus & ignauus fuisset, non utiq̃ sic sudasset. Visus est autẽ ei angelus confortans eum, idq̃ ad nostrã consolationẽ, ut orationis uirtutem discamus, q̃ confortet. Quũq̃ didicerimus, eam in grauibus periculis præmittamus. Interea etiam implentur ea quæ dicta à Mose in magno cantico, Et roborent in eo omnes filij Dei. Nõnulli autem sic dictũ explicarunt curiosius, quia apparuit ei angelus glorificans eum, & dicens, Tua est Domine fortitudo. tu enim præualuisti contra mortem, & cõtra infernum, & liberasti genus humanũ. Et hæc quidem sic se habent. Ipse autẽ cum inueniret discipulos dormiẽtes, exprobrat simul & adhortatur ut orent in tentationibus, ne fortè ab illis uincãtur. Hoc enim significat non intrare in tentationẽ, hoc est, non absorberi à tentatione, neq̃ in illius potestate fieri. Vel etiam simpliciter iubet nos orare ut nostra sint serena, & ne in difficultatẽ quandã incidamus. Dęmoniacũ enim est, & arrogãtiæ plenũ, in pericula semetipsum inijcere. Quomodo igitur dicit Iacobus, Omne gaudiũ existimate fratres quum incideritis in tentationes? Et quid hoc? Non enim nos cõtraria dicimus. Ecce enim & Iacobus nõ dixit, Inijcite uosipsos: sed quũ incideritis, ne collabamini: & omne gaudiũ existimetis: & q̃d nõ erat uolitũ, facite uolitũ. Melius quidẽ fuerat si nõ uenissent: uerũ quũ uenerint, quæ utilitas fuerit inutili mœrore cõficit? Ostende igitur mihi ubi expresse præcipiat orandũ ut cadas in tentationẽ? Verũ nõ poteris. Cæterũ scio duplex genus esse tentationũ, & q̃ quidam intelligunt, ne ingrediamur in tentationẽ, hoc est in eã qua anima nostra uinciꝰ, scilicet in tentationẽ libidinis uel iræ. Omne autẽ gaudiũ existimandũ, cum in corporalẽ afflictionẽ & tentationẽ incidimus. Quãto em̃ externus homo corrumpit, tanto & internus renouat. Scio quidẽ hæc, sed ueriora arbitror quæ præsenti scopo uiciniora sunt.

† in seipso illam consumpsit

Deut. 32. secundum septuaginta.

Non intrare in tentationem.

Iacob. 1.

Duplex genus tentationum.

B

Adhuc autẽ eo loquente, ecce turba, & qui uocabat Iudas, unus ẽ duodecim, antecedebat eos, & appropinquauit Iesu, ut oscularet eum. Iesus autẽ dixit illi, Iuda, osculo filium hominis prodis? Videntes autẽ hi qui circa ipsum erãt, quod futurũ erat, dixerunt ei, Dñe, percutiemus ne gladio? Et percussit unus ex illis seruũ principis sacerdotum, & amputauit auriculã eius dextrã. Respondens autẽ Iesus ait, Sinite hucusq̃. & cum tetigisset auriculam eius, sanauit eum. Dixit autẽ Iesus ad eos qui uenerãt ad se, principes sacerdotũ, ac magistratus templi & seniores: Quasi ad latronẽ existis cũ gladijs & fustibus. cum quotidie uobiscũ fuerim in templo, nõ extendistis manus in me: sed hæc est hora illa uestra, & potestas tenebrarũ.] Osculũ Iudas dedit, q̃d his qui inuadebant, signũ esset. at nõ à longè mõstrauit, ut nõ deciperent nocte: quia & cum facibus & lucernis aduenerant, ne latêre posit Iesus. Quid igitur Dominus? Accedit ad hostile illud osculum: fulmina autẽ tam dolosum & ingratũ subitò extinguere neglexerunt, docente nos saluatore per illa patientiã. Reprehendit autẽ solũ, Iuda osculo prodis? Non erubescis hoc proditionis genus? Misces amico amplexui inimici opus proditionẽ? Sed & quem prodis? Filium hominis, hoc est, mansuetũ, lenem, morigerum, propter te factum hominẽ, cum Deus sit. Hæc dicebat, uiq̃ sub extremã horam fouens illum: & idcirco nõ prosecutus est cõuicijs, neq̃ dixit, O inhumane & ingratissime, sed, Iuda, proprio eum nomine compellans. neq̃ grauius simul arguisset, nisi & hoc ei cessisset in melius, si quidẽ uoluisset. Etenim ne putaret esse occultũ, sed notũ Dño, & uel tunc ante omnia scientẽ procumberet & pœniteret, hoc fecit, & uisus est eum confundere. Et sciebat quidẽ illum inemendabilẽ, faciebat tamen interim quod suum, quemadmodũ & pater eius in ueteri faciebat. sciens enim Iudæos nõ audituros, mittebat prophetas. Interea & nos idem docet, ut ne correcturi lapsos, deficiamus & laboribus cedamus. Porrò discipuli zelo flagrantes, etiam gladios eximũt. Vnde autẽ illos habebant? Agnũ immolarant, & à mensa exierant. At arguitur Petrus, qui præter scopũ Dñi zelo usus esset. Alij etenim interrogãt, num percutiemus? Ipse autem nõ expectat præceptum, ita semper seruebat pro magistro. Percutit autẽ

Quale signū abscissæ auris serui pontificis.

seruum pontificis, & amputat aurem eius dextram. Neq; hoc fortuitò cõtigit, sed si- A
gnum hoc erat, pontifices qui tunc erant, omnes futuros seruos, & perdituros auricu
lam dextram. Etenim si Mosen audiuissent, Dominum gloriæ nunc; crucifixissent.
Verũ Iesus auriculam restituit. Decet enim uirtutẽ uerbi sanare inobedientes, & ap-
ponere eis auriculam ut audiant. Iesus itaq; manifestum miraculum facit, & auricu-
lam sanans, miraculo patientiam suam ostendens, & per miraculum inducens eos ut
ab insania absistãt. Dicit autẽ ad principes sacerdotũ, & ad magistratus tẽpli, qui στρα-
τηγοὶ & ædiles dicebantur: quia cõstituti erant ad exquirenda ea quæ ad tẽpli usum exi
gebant, uel qui præfecti erãt ædificio & cõstructioni tẽpli. Ad hos igitur dicit, Quo-
tidie docebam in templo, & noluistis me comprehendere, & nunc quasi latrones in-
uaditis: sed reuera noctis attentatis opera, & potestas uestra tenebrarũ est; atq; idcir-
co hanc horam obseruatis, quæ conuenit uobis & operi, quo me inuaditis.

στρατηγοὶ qui & quodnã eorum officium.

Comprehensum autẽ eum duxerunt, & induxerunt in domũ principis sacerdotũ.
Petrus uerò sequebatur eminus. Cum autẽ accendissent ignẽ in medio aulæ, atq; unà
cõsedissent, sedit & Petrus inter illos. Quẽ cũ uidisset ancilla quædã sedentẽ ad lumẽ,
defixis in illũ oculis dixit, Et hic cũ illo erat. At ille abnegauit eũ, dicẽs, Mulier, nõ no
ui illum. Et post pusillũ alius uidẽs eum dixit, Et tu de illis es. Petrus uerò ait, Homo,
nõ sum. Et interuallo interiecto ferè horæ unius alius quidã affirmabat dicens, Verè
& hic cum illo erat. nam & Galilæus est. Et ait Petrus: Homo, nescio quid dicas. Et
cõtinuò adhuc illo loquente cecinit gallus. Et conuersus Dominus intuitus est Petrũ,
& recordatus est Petrus uerbi Domini, quomodo dixerat ipsi, Priusq; gallus cecine-
rit, ter me negabis. Et egressus foràs Petrus fleuit amarè.] Infirmus fuit Petrus iuxta
prædictionẽ Christi, & negauit Dominũ nõ semel, sed ter, & cum iuramẽto fecit ne-
gationem. Dicit enim Matthæus, q̃ cœperit detestari & iurare q̃ nesciebat hominẽ.
Cap. 26. In tantũ malum metu correptus, & parum à Domino derelictus propter temeritatẽ
peruenit, ut doceatur q̃ ad dandam aliis ueniam & ipse facilis sit. Pertinacior enim e-
rat: & nisi sic fuisset correctus, aliis ueniã nõ dedisset, manens in sua morositate. Por- B
rò tunc usqueadeò metu confusus est, ut ruinam nõ sensisset, nisi Dominus respexis-
set eum. O bonitatẽ. Etiam * cum negaret, nõ neglexit discipuli salutẽ. Meritò. Nam
* cõdemnaretur & * negatio ista propter salutẽ hominũ ab ipso tolerabatur. Itaq; negauit quidem pri
* cõdemnatio mùm discipulus: deinde gallus cecinit: & iterum negauit, usq; dum tertiò negasset, &
Mar. 14. tunc secundò iterũ cecinit. Sic enim Marcus scripsit manifestius & euidentius, quasi
à Petro edoctus. illius enim discipulus erat. Proinde dictũ à Marco, Lucas per trans-
cursum dixit, nõ exactiori sermone: nec est contrariũ ei quod dicit Lucas, q̃d à Mar-
co dictũ. Nam gallus solet & bis & ter canere singulis motibus. Quippe usqueadeo
Petrus ab humana infirmitate grauatus est, ut neq; galli cantum sentiret, sed postquã
gallus cecinit, iterum atq; iterum negauit, donec Iesus benigno suo uultu ipsum re-
cordari faceret sui dicti. Et egressus foràs, fleuit amarè. Nam & egressus est cum pri-
mùm negasset, ut Marcus inquit. Deinde probabile illum iterũ ingressum, ne daret
suspicionem q̃ familiaris esset Iesu. Et iterum cum recordatus esset, exit & flet amarè,
Insipienter quidam Petrum excusant. ut ne uideretur ab his qui in atrio erant, exit occultans se ab illis. Quidam autẽ nescio q̃
stultam pro Petro defensionem fingunt, dicentes audacter q̃ non negauerit Petrus,
sed dixerit, Nescio hominẽ, hoc est, nescio purum hominem, sed Deum hominem fa
ctum. Horum autẽ insipiens argumentũ aliis relinquamus. Mendacem enim faciũt
Dominum, & aduersantur contextui Euangelij, nulloq; modo facere poterũt ut co-
hæreat consequentia narrationis. sed & Petrus quare fleuit, si non negauit?

Et uiri qui tenebãt Iesum, illudebant ei, cædentes. Et cum circũtexissent eum, per-
cutiebãt faciẽ eius, & interrogabãt eum dicẽtes, Vaticinare, quis est ille qui te percus-
sit? Et alia multa cõuiciantes dicebant in eum. Et ut factus est dies, cõuenerunt senio-
res plebis, & principes sacerdotũ & scribæ, & duxerũt illum in conciliũ suũ, dicentes,
Num tu es ille Christus? dic nobis. Et ait illis: Si uobis dixero, nõ credetis: q̃ si etiã in-
terrogauero, nõ respõdebitis mihi, neq; dimittetis. Ex hoc tẽpore erit filius hominis
sedens à dextris uirtutis Dei. Dixerũt autẽ oẽs, Tu ergo es filius Dei? Qui ait, Vos
dicitis me esse. At illi dixerũt, Quid adhuc desideramus testimoniũ? Ipsi enim audiui
mus ex ore ipsius.] Cõuiciatores quidã intemperantes fuere qui hæc Iesu inferebãt.

Oportebat

A Oportebat enim interim & diabolū nullam malitiæ ſpeciem relinquere, ſed omnia effundere, ut in omnib. natura noſtra inuēta ſancta, uinceret ac deturbaret eum. Etenim quia propter hoc naturā noſtrā ſuſcepit Dominus, ut roboraret eam cōtra oēs diaboli artes, & oſtendat q̄ ſi ab initio ſobrius fuiſſet Adā, neutiquā eſſet uictus: ideo omnes ſpecies diabolicæ malitiæ quæ in eum fundebant, ſuſtinebat, ut nos qui ſequimur eum, cōfidamus q̄ in Chriſto natura noſtra uicerit, & ne formidemus ad ullum opprobriū uel triſte. Idcirco & percutitur, & illuditur: prophetarūq; ipſe Dominus, quaſi pſeudopropheta irridetur. Nam, uaticinare nobis, quis eſt qui te percuſſit? eò tendit, ut illum ſubſannarent, & dicerent impoſtorē, qui ſeipſum prophetam feciſſet. Et ut factus eſt dies (nocte enim ab ebrijs miniſtris illuſus & blaſphematus eſt) ſeniores & dignitate prēſtantiores interrogāt eum, num ipſe ſit Chriſtus. At ipſe cogitationes eorū ſciens, & q̄ operibus nō credidiſſent ad perſuadendū efficacioribus, & quo modo ergo uerbis ſuis crederēt? inquit, Si dixero uobis, nō credetis. Si enim credere *Mar. 11.*
tis uerbis meis, quid opus erat cōcilio? Sin interrogauero, nō reſpondebitis. Sæpius *Matth. 21.*
enim antea interrogati ſiluerūt, ut de baptiſmate Ioannis, & de hoc dicto prophetæ, Dixit Dñs Domino meo: & de muliere incuruata. Vbi igitur me audito credidiſtis? *Luc 13.*
Quando autē interrogati nō ſiluiſtis? Propterea hoc dico, q̄ ex hoc tempore non eſt tempus ſermonū & doctrinæ de hoc, quis ſim. Si enim uoluiſſetis, cognitus eſſem uobis ex ſignis & miraculis. Iudicij autē tempus eſt ex hoc tempore. Videbitis igitur me filium hominis ſedentē à dextris uirtutis Dei. Cum igitur debuiſſent metu trepidare, illi his auditis maiori rabie cōcitati, perinde ac inſani interrogant, Tu igitur es filius Dei? Verū ipſe medio quodā modo & ironicè reſpondet, Vos hoc dicitis, q̄ ego ſim. Etenim deſpiciebat inſaniā eorum, & intrepidè eis loquebat. Hinc autē manifeſtum quòd inobediētes nullā utilitatē percipiūt cum eis reuelant myſteria, ſed maiorē condemnationē accipiunt, Ideo illis occultanda ſunt. nam hoc maioris eſt miſericordiæ.

CAPVT XXIII.

B ET ſurgens uniuerſa multitudo eorum duxit illum ad Pilatum. Cœperunt autē illum accuſare, dicentes, Hunc deprehendimus euertentem gentem, ac uetantem *Matth. 17. Mar. 15 Ioan. 18. & 19.*
tributa dari Cæſari, dicentē ſe Chriſtū regem eſſe. Pilatus autē interrogauit eū, dicēs, Tu es ille rex Iudæorū? At ille reſpondens illi, ait, Tu dicis. Ait autem Pilatus ad principes ſacerdotū & turbas, Nihil inuenio noxiæ in hoc homine. At illi inualeſcebant dicentes, Cōmouet populū docens per uniuerſam Iudęam, exorſus à Galilęa uſq; ad hunc locū.] Manifeſtè ueritati aduerſant. Vbi enim prohibuit Ieſus tributa dari, qui ut debita potius reddi præcepit, ſic dicens, Reddite Cæſari quæ Cæſaris ſunt? Quo- *Matth 22*
modo autem cōmouet turbam? nunquid ut regna inuadens? Sed incredibile hoc o- *Supra 20*
mnibus. nam cum agnouiſſet q̄ populus uellet ipſum regem facere, receſſit: unde & *Ioan. 6.*
Pilatus deprehendens illorū ſycophantiam, fatetur, Nullam inuenio noxiam in homine hoc. Videtur autem mihi iſta interrogatione quam facit erga Chriſtum, ridere calumniā. Rem em̄ ipſam ſubſannat, dicens, Tu es rex Iudæorū? Quaſi ſic dicat, Tu qui tam pauper, tam uilis, tam deſtitutus auxilio, tam nudus es, accuſaris regnū ambire? Hoc autē deridentis eſt (ut diximus) eos qui in his accuſabant Ieſum, q̄ fingant talem rem attentari ab homine tam nudo atq; uili, ad quam tot diuitijs atq; præſidijs opus eſt. Verùm hi cum nihil aliud haberent ad ſycophantiam confirmandam, clamoris utuntur auxilio, & clamauerunt contra Deum uerbum. Cōmouet enim, inquiūt, hoc eſt, ſeditioſum facit populum: & nō in una parte, ſed à Galilæa incœpit, & peruenit hucuſq;, per mediam Iudæam tranſiens. Non ſimpliciter autem mihi uidentur meminiſſe Galilææ, ſed in terrorem Pilati. Nam Galilæi ſemper ſedioſi, rerumq; nouatores fuere, qualis erat & Iudas Galilæus, cuius recordari faciunt Pilatum, quaſi ita di- *Act. 5. Galilæi ſemper ſeditioſi*
centes, Cogita præſes Iudam Galilæum, qui multū negocij fecit Romanis, facta non parua ſeditione populi. talis & hic eſt, quem oportet è medio tollere.

Pilatus autē audita mentione Galilææ, interrogauit num homo Galilæus eſſet: & ut cognouit q̄ ad Herodis ditionē pertineret, remiſit eum ad Herodē, qui & ipſe Hieroſolymis erat per id tempus. Herodes aūt uiſo Ieſu gauiſus eſt ualde. Tenebat enim multo iam tempore cupiditate uidendi illum, eo q̄ audiret multa de eo, & ſperabat ſe ſignum aliquod uiſurum ab eo fieri. Interrogabat autem eum multis ſermonibus:

at ipse nihil illi respondebat. Stabant autem principes sacerdotũ & scribæ acriter ac- A
cusantes eum. Spreuit autẽ illum Herodes cum exercitibus suis: cumq; illusisset, indu
tum ueste splendida remisit ad Pilatum: & facti sunt amici inter sese Pilatus & Hero-
des in eodem die. Nam antea simultas inter eos interceserat. Pilatus autem cõuoca-
tis principibus sacerdotũ, & magistratib. ac plebe, dixit ad illos, Obtulistis mihi hunc
hominẽ quasi auertentem populum, & ecce ego coram uobis interrogans, nullũ cri-
men inuenio in homine isto ex ijs de quibus accusatis eum, sed ne Herodes quidem:
nam remisi uos ad illum, & ecce nihil dignum morte actum est ei. emendatum ergo
illum dimittam. Neceise autẽ habebat dimittere eis in festo unũ. Exclamauit autẽ si-
mul uniuersa turba dicens, Tolle hunc, & dimitte nobis Barabbã, qui propter seditio
nem quandã factã in ciuitate, & homicidiũ, in carcerẽ cõiectus erat. Iterum autẽ Pila
tus locutus est ad eos, uolens dimittere Iesum. At illi clamabãt dicẽtes, Crucifige, cru
cifige eum. Ille autẽ tertiò dixit ad illos, Quid enim mali fecit hic? Nullũ crimen capi-
tale cõperio in eo. Castigatũ ergo dimittam illum. At illi instabãt uocibus magnis po
stulantes ut crucifigeret, & inuale scebant uoces eorum, ac summorũ sacerdotũ. Et Pi
latus adiudicauit ut fieret quod illi postulabant. Dimisit autem illis eum qui propter
seditionẽ & homicidiũ coniectus fuerat in carcerem, quem poposcerunt: Iesum ue-
rò tradidit arbitrio eorum. Et cum abducerent, apprehenderunt Simonẽ quendam
Cyrenensem, uenientẽ è rure: & imposuerũt illi crucẽ, ut portaret post Iesum. Seque
batur autẽ illum multa turba populi, & mulierũ quæ plangebant & lamentabantur
eum.] Romanorũ legem sequens Pilatus, mittit Dñm ad Herodem. Illa enim cauet
ut unusquisq; à principe suæ regionis iudicetur. ideo & tanq; Galilæum Iesum mit-
tit principi Galilææ. Herodes autẽ gaudebat, nõ ut animæ suæ utile quid lucraret ex
spectaculo Iesu: sed quia audierat de eo q sapiens esset, & mira operaretur, habuit stul
tum desideriũ, laborans curiositatis morbo etiam ipse ut uideret alienum hominẽ, &
audiret quid ille diceret. An nõ etiam hodie multi morbo illo laborant? Desiderabat
enim & ipse signum quoddam uidere à Iesu, nõ ut crederet, sed ut oculos oblectaret: B
sicut in spectaculis uidemus præstigiatores apparere qui deuorent serpentes & gla-
dios, ac similia, & admiramur. Talem enim fermè Iesum esse putabat. Interrogabat
autẽ eum sermonib. multis, & illudentis more tractabat, totumq; subsannabat. ideo
& Iesus nihil respondit. Sciuit enim quando respondendũ, omniaq; ratione fecit, &
testimoniũ accepit à Dauid q dispensẽt sermones suos in iudicio. Quid enim respon
dendũ illi qui nõ interrogat ut discat? Quid item margaritæ mittendæ ante porcos?
Imò maioris, quemadmodũ suprà diximus, misericordiæ est tacere inter tales. Sermo
enim dictus cui nihil prodest, adhuc maioris condemnationis causa est ei si nõ atten-
dat. Pilato sanè respondit, quoniã aliquanto prudentior erat Herode, etiamsi nõ ad-
modũ apertè. Cum enim interrogasset ille, Tu es rex Iudæorũ? quid dicit Dñs? Tu di
cis. Hoc autẽ mediũ quodãmodo sensum habet. Potest enim intelligi: Verè ego sum,
tu dixisti id q̃d est. & aliter intelligi potest, ego nõ dico, tu autẽ dicis. Herodi aũt pror
sus nihil respondit, quandoquidẽ illusor erat. Et uerè secundum Esaiã semini malo, fi
lijs iniquis, his qui tunc erãt (inquã) Iudæis etiã exactores erant, opprimentes eos, &
illusores dominabant eis. Nam irrisoria mente & ridicula intentione Iesum uidere
cõcupiscebat, & signũ ab eo spectare. Et hoc animo interrogauit eum, atq; hoc tandẽ
indicauit, illum cõtemptũ & irrisum dimittẽs: & nõ ipse solùm, sed etiã omnis exerci
tus eius: qui præter cætera cõuicia induit eum ueste candida, remisitq; ad Pilatũ. Tu
autẽ uide quomodo per omnia quæ facit, diabolus irretiat & cõstringat. Excitat enim
opprobria & cõuicia cõtra Christũ, & inde ueritas magis declarat. Nam hisce irrisio
nibus manifestius testant q Dñs nõ fuerit seditiosus uel rebellis. Si enim talis fuisset,
neutiquã hisce ludibrijs illusissent, excitato tanto periculo, & seditione totius gentis,
præsertim tantæ & tam suspicacis, & tantũ nouitate rerum gaudentis. Facti sunt autẽ
amici Pilatus & Herodes. Herodi enim argumentũ amicitiæ fuit & initiũ, q à Pilato
ad se missus esset, quasi Pilatus nõ uindicet sibi aliqua priuilegia Herodis. Verunta-
men uide cẽq; discrepantia cõgreget diabolus, solũ ut Christo mortẽ præparet. In unam
enim conspirationẽ copulat & cõciliat inimicos. Non cõfundimur igitur nos, si quis-
dem ille inimicos pacificat ut Christũ occidat, nos propter salutẽ nostrã neq; amicos
seruamus

Quare Herodes Iesum uidere gauisus sit.

Psal. 111.

Tu dicis, bifariam intelligi potest.

A seruamus in officio. Postęp aūt missus est Pilato (uide ąmodo iterū refulgeat ueritas) Obtulistis mihi (inqt Pilatus) hominē hunc ut subuertentē populū, & nihil morte dignum in eo inuenio: sed neq; Herodes. Vides duorum hominū, quorū alter præses, alter rex, testimoniū omnino uerum. Neq; ego, inquit, neq; rex Herodes inuenimus ullam causam in eo. Quid dicent ad hæc Iudæi? Iudices ipli testanī q; culpa careat homo, & uos accusantes nullum adducitis testimoniū. Quibus credendum? Papę, quomodo uincit ueritas? Tacet Iesus, & testificanī pro eo inimici. Clamāt Iudęi, & nemo adstipulaī eorum clamoribus. Mollior autem erat Pilatus, & minimė pro ueritate cō stans. Timebat enim calumniā, ne accusareī q; rebellem absoluisset. Nō enim didicit: Terrorem uestrū ne timeamus, sed Dīs ipse erit timor. Castigatū, inquit, dimittā, hoc est, emendatū per flagella. Necesse autem habebāt Romani per diem festum unū dimittere Iudæis. Tale enim fœdus cum Iudæis inierāt, ut liberū permitterent eis iuxta legitima & consueta sua uiuere. Et mos patrius erat Iudæis, à principe iudicatos petere, sicut & à Saul petiuerūt Ionathā. Quòd si historiā ignoras, uade ad primū librū Regum, & eam inuenies. Clamauerūt autē, inquit, oīes dicentes, Tolle hūc. Quid hoc peius? Gens sancta rabie in cædē furit, & genulis Pilatus cædem auersaī. Et quæ sursum, cum his quę deorsum, miscenī. Tolle hunc, dicunt, dimitte autē nobis Barabbā: qui cum seditiosus esset & homicida, missus erat in carcerē. En tertiò absoluit Pilatus, & tertiò illi contra Christum clamāt, ut omnino tertia illa clamatione cędem suā perficiant, sanctumq; ac iustum negent: sicut dicit beatus Petrus, Petiuerunt autē uirum homicidā dari sibi: diligebāt enim similem: proindē partis illius erunt. Cum enim & ipsi cōtra Romanos insurrexerint innumerabiliū cædiū suaq; perditionis autores erunt. Hæc autē per Hieremiā prædicit Dominus, Dereliqui domū meā, reliqui hæreditatē meā. Dedi hæreditatē meā in manus inimicorū: facta est hæreditas mea mihi sicut leo in sylua: dedit super me uocē suā: propterea odi eā. Et iterū Oseas, Væ eis, qa resilierunt à me: miseri sunt, qa impiė egerunt in me. Ego autē redemi eos, ipsi uerò
B locuti sunt cōtra me mendacia: & cadent in ore gladij principes eorum, propter insipientiā linguæ eorum. Ducitur igitur Iesus, & primū quidem imposuerunt ei crucē, & baiulans exiuit. Nemo enim alius eam suscipere uolebat, qa habebāt ut maledictū lignum. Deinde inuento quodā Simone Cyrenæo, imposuerunt ui quadā ei illam, quā auersabanī alij. Insinuaī nō parua admonitio hoc loco. Crux enim est mortificatio affectionū, ita ut moueri nequeāt, & operari. Nam qui crucifigīī, clauis affigitur, & operari nequit. Vnde doctor secundū Christum debet prior ipse crucem tollere, & carnes suas timore Dei cōfigere: & affectionibus carens fulgere, deinde eam etiā auditoribus imponere. Simon enim obedientia interpretaī. Impletur autē & hoc loco Esaiæ dictum, Cuius principatus super humerum eius. Principatus enim Domini & regnum, crux est. Dicit enim Paulus, Humiliauit semetipsum usq; ad mortē, mortem autem crucis: ideo & Deus exaltauit illum, &c. At igitur qa crux fuit sublimitas & gloria Iesu, meritò principatus eius dicīt, qa principalis eius dignitas, & symbolū principatus est. Et si bene animaduerteris, inuenies nō aliter regnare in nobis Iesum, nisi per afflictionē: atq; ita qui in delicijs uiuunt, inimici sunt Christi. Ille autē potest fieri subditus Christi, & tollere crucem suā, qui uirtutis operarius est: qui uenit à uilla relinquens mundū, & ea quæ sunt in mundo, & ad Hierusalem illā supernā & liberā tendit. Porrò q; Christum multitudo populi & mulierū sequitur, insinuat quòd magna multitudo Iudæorū etiam post crucem credet in Christū (hoc enim est sequi) & mulieres multæ. lege Acta apostolorū, & uidebis innumera millia credentiū. Quid autē si lugere & plorare mulieres Iesum sequentes, moralem sensum secū afferat? Est enim mulier anima infirma, quæ si contritionē cordis suscipiat, per pœnitentiā luget & plorat, reuera sequens Iesum qui crucifigitur & affligitur propter nostrā salutem.

Conuersus autē ad illas Iesus dixit, Filiæ Hierusalē, nolite flere super me sed super uobisipsis flete, & super filijs uestris, quontā ecce uenient dies in quibus dicēt, Beatæ steriles, & uentres qui nō genuerunt, & ubera quæ nō lactauerūt. Tunc incipient dicere montibus, Cadite super nos: & collibus, cooperite nos. Quia si in humido ligno hoc faciunt, in arido quid fiet? Mulieres quidem hominū genus est facilè lacrymans & plorans, quasi graue quiddam accidisset Domino, plorant, compassionem præ se ferentes

s. Esdræ 4.

Esa. 8

1. Reg. 14

Act. 3.

Hier. 12.

Ose. 7.

Crux.

Officium doctoris.

Christiani.

Esa. 9.

Philip. 2

Act. 2. 6. 19.

Esa. 54.

ferentes magnã, & iniustitiã lamentantes. At ille non approbat, sed magis increpat illas. Voluntariò enim patiebat. Non decet autẽ lamentari eum qui sponte & pro salute omniũ patitur, sed cõgruum est ut ille magis laudibus efferatur & celebret. per crucem enim & mors destructa est, & infernus captiuus est. Lamenta enim his qui sponte patiunt, nullã consolationẽ afferunt. Proinde Dñs illas quæ ipsum lugebant, increpat. Admonet autẽ ut ad futura mala respiciãt, & propter illa ploret, quãdo mulieres inhumanè cocturæ sunt filios suos: & uenter qui portauit, ille iterũ miserabiliter fructum suum recipiet. Si enim me talia fecerunt Romani, in me ligno humido, feraci & semper uirenti, & semper uitali propter deitatem, & per doctrinas fructuum meorum alente omnes: in uobis, populo inquam arido, ligno sterili ab omni uiuifica iustitia, & nullum fructum afferente, quid non facient? Si enim quandam uitalem operationem boni haberetis, fortassis digni essetis quibus quodammodo parceretur: nunc autem quasi lignum aridum in combustionem & corruptionem eritis.

Ducebant autẽ & alij duo facinorosi cum eo, ut interficerent. & postq; uenerũt in locũ qui uocat Caluaria: ibi crucifixerũt eum & facinorosos, unũ à dextris, alterũ à sinistris. Iesus autẽ dicebat, Pater, remitte illis. nesciũt enim quid faciũt. Diuidentes uerò uestimenta eius, miserũt sortẽ. Et stabat populus spectãs, & deridebant eum principes cum eis, dicentes, Alios seruauit, seruet seipsum, si hic est ille Christus, ille Dei electus. Illudebãt autẽ ei & milites, accedentes & acetũ offerentes ei, dicentesq;, Si tu es ille rex Iudæorũ, saluũ te fac. Erat autẽ & inscriptio scripta super eum literis Græcis, & Latinis, & Hebraicis, Hic est rex Iudæorum.] Diabolus uolens Dñm magna infamia aspergere, facit crucifigi cũ eo & latrones: sed uide q̃modo & uno priuatus sit, & hoc ad maiorẽ gloriã Dñi cesserit. Nam aliorũ cruces nemo requirit, totus autẽ mundus à cruce ista pendet. & manifestè hic ostenditẽ Dñm nõ esse iniquũ sicut latrones, sed omnis iustitiæ principẽ. Ducũt autẽ eum ad locũ Cranij, ubi dicũt primũ parentẽ nostrũ sepultũ esse: ut ubi per lignum casus, illic & per lignũ resurrectio fiat. Iesus uerò eximiam mansuetudinẽ declarans, pro illis precatur: Pater remitte eis, dicens: nesciunt enim quid faciunt. Et utiq; dimissum fuisset eis peccatũ, nisi deinceps in incredulitate mansissent. Diuiserunt uerò uestimenta eius. Cuius gratia? Forsitan & multi ipsis indigebant, fortasis autẽ (quod & uerius) hæc ad maiorẽ contumeliã per lasciuiam fecerũt. Quid enim pretiosum uidebãt in his uestibus? Ridentes igitur, & cõtumelia afficientes, talia fecerunt. Vbi enim & principes subsannabant, quid non de reliquo uulgo cogitandum? Alios seruauit, seruet seipsum, si hic est ille Christus, ille Dei electus. Hoc dicebat per illos diabolus. Sicut enim in pinna tẽpli, ita & hoc loco dicit, inuidens saluti nostræ per crucẽ, quã uolẽs impedire, omẽs mouebat machinas. Acetum uerò offerebãt milites, quasi regi quodãmodo ministrãtes ut biberet. Vide autẽ & aliam machinã diaboli, quæ in ipsum uertitur. Qui enim tribus literarũ characteribus rebellionẽ Iesu inuulgarat quodammodo, ut neminẽ prætereuntiũ latêret quasi propter hoc suspensus esset, q̃ regem se fecisset: hoc iam, etiãsi nõ è mente scribentis, symbolũ factum est q̃ potentissimi gentiũ, quales Romani: & sapientissimi, quales Græci: & religiosissimi, quales Hebræi, Christi regno subijciẽdi essent, & ipsum prædicare debeant. De hoc autem plura & sublimiora in euangelio Ioannis dicemus.

Adã sepultura ubi.

Matth. 4

Quid per trilinguẽ titulum significetur. Cap. 19.

Vnus autẽ de his qui pendebãt facinorosorũ, cõuicia dicebat in eum, dicens, Si tu es Christus, serua teipsum, & nos. Respondens autẽ alter increpabat eum, dicens, Ne times quidem tu Deum, q̃ in eadem damnatione es: & nos quidem iustè, nam digna factis recipimus: hic uerò nihil mali gessit. Et dicebat ad Iesum, Dñe, memento mei cum ueneris in regnũ tuum. Et dixit illi Iesus, Amen dico tibi, hodie mecum eris in paradiso.] Quomodo igitur alij euangelistæ duos latrones dicunt cõuicia in eum iecisse? Verisimile autẽ est q̃ primũ quidem duo eum conuiciati sint, deinde unus eorũ cordatior agnoscens bonitatẽ & diuinitatem Iesu ex uoce quam fecit pro crucifigentibus, Pater, dicens, remitte eis, Nõ enim dixit, Domine, oro, dimitte eis, sed simpliciter sic & magna potestate, Remitte eis, quæ uox nõ solùm omni misericordia plena est, sed & magnam autoritatẽ præ se fert. Ex hac igitur uoce ut agnouit qui prius erat blasphemus Iesum uerum regem, confutat & alterũ latronem, & ad Iesum dicit Memento mei in regno tuo. Quid igitur Dominus? Hodie mecum eris in paradiso.

Sicut

A Sicut homo quidem in cruce, ut Deus autem ubiq;, & illic, & in paradiſo implens omnia, & nuſquam abſens. Quærunt autẽ quidam, quomodo dicente Domino latroni, Hodie mecũ eris in paradiſo, Paulus dixit q; nullus ſanctorũ receperit promiſſionem. Et quidã dicunt q; apoſtolus nõ de omnibus ſanctis aſſerat q; nõ receperint repromiſſionẽ, ſed de his quos ipſe ſolùm enumerauit. Enumerauit autẽ alios quidem multos, latronis autem nõ meminit. Audi enim quid dicat, hi omnes, demonſtrando eos quos ſermo enumerat, quibus latro cõnumeratus nõ eſt. Alij autem dixerunt q; latro nondum ſortitus ſit in paradiſo cõuerſationem: ſed quia inuariabilis ſit & mentiri nequeat Domini promiſſio, ideo dictum eſſe, Hodie mecum eris in paradiſo. Eſt enim & hæc ſpecies phraſeos in uerbis dominicis, ut de futuris loquatur tanq; de his quæ iam fiant: ut cum dicit, Qui non credit, iam iudicatus eſt. & rurſum: Qui ſermones meos audit & credit, in iudicium nõ uenit, ſed tranſiuit de morte in uitam. Alij autem † nõ torquent uerbum, punctum facientes poſt hodie, ut ſit is ſenſus dicti, Amen dico tibi hodie: deinde, mecum eris in paradiſo, adijcientes. Quidam uerò, qui maximè ſenſum aſſequi uiſi ſunt, ſic exponunt: Repromiſſa nobis bona nõ ſunt ingreſſus in paradiſum, uel aſcenſus, ſed regnum cœlorum: unde & oramus, Veniat regnum tuum, nõ conuerſatio illa in paradiſo. neq; enim mihi dicat aliquis quòd idem ſit paradiſus & regnum. Bona enim regni neq; auris audiuit, neq; oculus uidit, neq; in cor hominis aſcendit. Paradiſum autem & oculus Adæ uidit, & auris audiuit de eo. De omnibus enim lignis, inquit, quæ ſunt in paradiſo, edens comede. nam licet unũ tantum lignum interdictũ ſit eis, tamen & ipſum uiderunt, & de ipſo audierunt. Et in cor hominis aſcendit: lætabatur enim in ſpiritu Adam, alioquí tantam operationẽ cum lætitia in agricultura non obiuiſſet. Atq; ideo non eſt contrarium quod Paulus dicit. Latro itaq; paradiſum ſortitus eſt, non autem aſſecutus eſt regnum: aſſequetur autẽ, quando etiam omnes quos Paulus enumerauit: nũc autem hoc tempore paradiſum

B habet, qui eſt pars ſpiritualis quietis. Hæc quidem multi ſæpenumero dixerunt. Dicendum autem eſt idem eſſe regnum cœlorũ, & paradiſum. Nihil prohibet ergo & Dominũ uera dicere, & Paulum. Nam latro quidem eſt in paradiſo, hoc eſt regno, & non ſolus ipſe, ſed etiam omnes quos enumerat Paulus. Alioquí nõ frueretur perfecta bonorum participatione. Nam ſicut condemnati in regnis non ſunt, ſed in cuſtodijs clauſi tenentur in deputatis pœnis: honorabiles uerò, & in regna ingrediunt, & nunc in eis uerſantur: deinde cum uenerit tempus diſtributionis regalium donorum, illa aſſequunt: ita & ſancti tametſi nondum perfectè bonis fruantur, iam tamen uerſantur in locis lucidis & fragrantibus, & regijs denicq; tabernaculis, etiamſi nondum diſtributionem regiorum bonorũ perfectè aſſequantur. Ita & latro in paradiſo fuit, etiamſi nõdum perfectè acceperit, ut ne abſq; nobis perfectus ſit. Et hoc opinor ueriſsimũ omniũ, ut ne dicam quòd ſanctorum gratiæ in quotidianis miraculorũ operationibus, paradiſus meritò dictus ſit: & omnes ſancti quotquot participes facti ſunt ſpiritualium donorũ, & arrabonem habent ſpiritus, in paradiſo ſint, etiamſi nõdum perfecti fuerint, & regnum acceperint, ſicut dicit Paulus in epiſtola ad Hebræos, etiamſi nondum promiſſionem acceperint. Promiſſionem enim dicendo, integram felicitatem poſuit. At illam nondum integram acceperunt, & ſunt in regno ac paradiſo. Tu autem admireris, quomodo ſicut rex quidam trophæa ex uictoria referens ſpolia opima ſecum abducit: ita & Dominus, quoniam fortior, uas diaboli diripuit, ſecumq; abſtulit, & reduxit ad primã hominis patriam, paradiſum dico. Etenim Chriſtus non ſolùm ſicut Deus in paradiſo fuit, ſed & ſecundum quòd animam rationalem & mentalem habuit. Et in paradiſo cum mente fuit, in infernum autem deſcendit cum anima. Cæterũ per hoc quòd latronẽ ſeruauerit, oſtendit quòd malitiæ organum ligauerit, uti prædixerat, quòd cum alligaſſet fortem, uaſa eius diriperet.

Erat autem hora ferè ſexta, & tenebræ factæ ſunt ſuper totam terram uſq; ad horã nonã: obſcuratus eſt ſol, & uelũ templi ſciſſum eſt mediũ. Et cum clamaſſet uoce magna Ieſus, ait, Pater, in manus tuas cõmendo ſpiritum meũ. Et hæc cum dixiſſet, expirauit. Cum uidiſſet autem Centurio quod accidit, glorificauit Deum, dicens, Verè hic homo iuſtus erat. Et omnes turbæ eorum qui ſimul acceſſerant ad ſpectaculum iſtud, & uiderant quæ cõtingebant, percutientes pectora ſua reuertebantur. Stabant

autem

† torquent uerbum

Heb. 11.

Ioan. 5.

Matth. 6.

Eſa. 64.

1. Cor. 2.

Gen. 2.

Nota de ſtatu poſt hãc uitam.

Nota de ſanctis.

Heb. 11.

Mal. 3

Pſal. 30.

autem omnes noti eius procul, & mulieres quæ secutæ eum erant â Galilæa, spectan
Matth.11. tes hæc.] Signũ quærebant aliquando Iudæi uidere de cœlo. Ecce igitur signum ra-
Suprà 11 rum, tenebræ. Scinditur autem uelum templi, ostendente Domino q̃ nõ ultrà inac-
cessa erunt sancta sanctorũ, sed Romanis tradita prophanabunt. Vel aliter, Ostendit
quòd uelum quod diuisit nos â sanctis in cœlo, scindatur, hoc est inimicitiæ & pecca
tum. Hoc enim fuit magnũ interstitium, quod nos ab illis qui ibi erant, distinguebat.
Ostendit autẽ quòd nõ propter impotentiam crucifixus sit. Nam qui talia fecit, etiam
illos potuisset perdere. Cum uerò uoce magna clamasset, emisit spiritum. potestatem
Ioan.10. enim habebat animam suam ponere, & iterum accipere eam. Vox item illa, Centu-
rioni, & alia miracula, fidei fuerunt argumenta. Non enim sicut cõmunis homo, sed
cum magna potestate mortuus est. Et depositum, mortem nominauit, tanq̃ iterũ re-
cepturus animam. Hac autem uoce primũ libertatem assecutæ sunt animæ nostræ,
diabolo posthac nullam in eas habente potestatem, utpote patri cõmendatas. Ante
mortẽ enim Christi magnum ius fuit diabolo in animas. A quo autẽ tempore filius
non inferno, sed paternis manibus cõmendauit spiritum, libertatem assecuti sumus
Ioan.12. ab inferno. Et hoc quod dicit Dominus, Quando exaltatus fuero, traham ad me om
nia: nunc uidetur consummatum. Exaltatus enim in cruce, traxit latronẽ, traxit Cen
turionem. Percusserunt autem & pectora Iudæorum quidam, & crucifixores argue
bant, manifestè Iesum iustificantes. Et discipuli quidem fugerunt: mulieres autẽ, con
demnatum & maledictum genus, permanent ac spectant hæc omnia, & iustificatio-
ne ac benedictione illa fruuntur primæ, sicut & resurrectione. Tu autẽ admirare cæ-
citatem Iudæorum, quòd dicunt, Descendat de cruce, & credemus in eum: cum uisis
maioribus nõ credant. Non enim idem est, descendisse de cruce, & obtenebrari solẽ,
petras rumpi, terræ motũ horribilẽ fieri, mortuos resurgere, uelum scindi, & in sum-
ma creaturam alterari? Vnde non est quòd quis dubitet quare nõ descenderit. satis e-
nim habeat certum, q̃ licet etiam hoc fecisset, nec̃ tunc credidissent, & nihil aliud se-
Crux, ma- cutum fuisset, quàm abbreuiatam salutem per crucem. Crux enim inter omnia, ma-
xima gloria Christi. xima gloria Christi est. Igitur qui fecit maiora, cum non crederent illi, duo præcipua
operatus est: & magnũ crucis trophæum usq̃ ad finem sustinuit, & illos declarauit in-
gratos esse per omnia, & nihil boni habere, sed incredulitate fermẽtatos & perditos.

Et ecce uir nomine Ioseph decurio, qui erat uir bonus ac iustus, hic nõ consenserat
cõsilio ac facto eorum, oriundus ab Arimathæa ciuitate Iudæorũ, qui expectabat &
ipse regnum Dei. Hic accessit ad Pilatũ, & postulauit corpus Iesu, & depositũ inuol-
uit sindone, & posuit illud in monumento, quod erat in lapide excisum, in quo non-
dum quisquam positus fuerat. Et dies erat parasceue, & sabbatũ illucescebat. Subsecu
tæ autẽ mulieres, quæ cum eo uenerant de Galilæa, uiderunt monumentũ, & quem-
admodum positum erat corpus eius. Reuersæ uerò parauerunt aromata & unguen-
ta, ac sabbato quidem quieuerunt secundum præceptũ.] Ioseph tametsi primo latue
rit, rem tamen laude dignam nunc facit, cuius consiliarius esset ac diues, & audet pe-
tere corpus hominis crucifixi quasi perduellis & seditiosi, nullumq̃ periculum suspi-
catur, licet periculum esset diuitiarum: sed & petit, & honorificè sepelit, & in monu-
mento excisо ubi nullus alius iacuerat, ut ne dicant sycophantæ q̃ aliud corpus sume
xerit. Mulieres autem etsi fidem habebant erga Dominũ, non tamen qualem oporte
bat, sed infirmam ac paruam. Habebãt enim eum pro puro homine, unde & aroma-
ta & unguenta parauerunt, iuxta ueterem Iudæorum consuetudinem semper obser
uatam de mortuis ungendis. Et sabbato quidem quieuerunt iuxta mandatum legis.

CAPVT XXIIII.

Matth 28. VNa autem sabbatorũ, profundo crepusculo, uenerunt ad monumentũ, portan-
Mar 16 tes quæ parauerant aromata, & nõnullæ cum illis. Repererunt autem lapidem
Ioan 20 reuolutũ â monumento: & ingressæ, nõ inuenerunt corpus Domini Iesu. Et factum
est, dum mente consternatæ essent de hoc, ecce duo uiri steterunt iuxta illas in uesti-
bus fulgurantibus. Cum expauissent autem, & declinarent uultũ in terram, dixerunt
Matth.17 ad illas, Quid quæritis uiuentem cum mortuis? nõ est hic, sed surrexit. Recordamini
Mar.9. ut dixerit uobis cum adhuc in Galilæa esset, dicens q̃ oportuerit filium hominis tra-
di in manus hominũ peccatorũ, & crucifigi, & die tertio resurgere. Et recordatæ sunt
uerborum

A uerborum eius, & regressæ à monumento nunciauerunt hæc omnia illis undecim, & cæteris omnibus. * Erat autem Maria Magdalene, & Iohanna, & Maria Iacobi, et cæteræ quæ cum eis erant, quæ dicebant ad apostolos hæc. Et uisa sunt apud illos ceu deliramentum uerba illarum, neq; crediderunt illis. Petrus autem surgens cucurrit ad monumentum, & prospiciēs uidet linteamina sola posita, & abijt apud semetipsum admirans quod acciderat.] Vnam sabbatorum, primam dierum sabbati, hoc est hebdomadæ dierum nominat, quæ apud nos propter resurrectionem dominicam, dominica dicitur. Secundum illam igitur uenerunt ad monumentum mulieres ferentes aromata. Venerunt autem crepusculo profundo, quod uespere sabbatorum nominat Matthæus. Profundum enim crepusculum idem est quod ualde uespere. Inuenerunt aūt lapidem deuolutum. Angelus enim deuoluerat eum, ut Matthæus ait. Porrò ingressis illis duo uiri apparent. Vnus quidem apud Matthæum sedebat super lapidem, hic aūt duo uiri intra monumentū steterunt. Variæ enim uisiones sunt. Fulgurantibus aūt uestibus apparent, ob splendorem resurrectionis. Et recordari illas faciunt eorū quæ à Christo dicta fuerunt, q̄ eum oportuerit, hoc est necessarium fuerit tradi in manus hominum peccatorum, Romanorum scilicet, qui Gētiles erant, & abominabiles: & tertia die resurgere. De resurrectione, quomodo triū fuerit dierū, satis diximus in euāgelio Matthæi. Reuersæ uerò à sepulchro, cum apostolis hæc dicerent, uisæ sunt delirare. Adeò incredibile uidebatur hominibus resurrectionis miraculum. At Petrus nō cessat quemadmodū neq; ignis materiā nactus: sed uenit ad sepulturā, & uidet sola lintea: & tūc hāc utilitatem primū accepit à transitu ad sepulcrū. Admirans, hoc est subsannans. Abijt enim, inquit, ad seipsum, hoc est secum admirans factum: quomodo aūt sudaria sola fuerint relicta, idq; corpore myrrha inuncto: quomodo tantum ocij habuisset fur, ut relictis illis in quæ inuolutū erat, furatus fuisset corpus, idq; militibus sedentibus. Mariam uerò Iacobi, deiparā intellige. Sic enim

B illam nominant, quia putabatur mater Iacobi filij Ioseph, quem & paruum dicebant fratrem Domini inquam. Erat enim & magnus unus ex duodecim ille Zebedæi.

*Erant

Dominica dies.

Matth. 28.

Maria Iacobi, deipara dicitur.

Et ecce duo ex illis ibant eodem die in castellum quod aberat spacio stadiorū sexaginta à Hierosolymis, nomine Emaus, & ipsi cōfabulabantur inter se de his omnibus quæ acciderāt. Et factū est dum confabularent ac disputarēt, & ipse Iesus appropinquans ibat unà cum illis. Cæterùm oculi illorum tenebantur ne eum agnoscerent. Et ait ad illos, Qui sunt hi sermones quos confertis inter uos ambulantes, & estis tristes? Ac respondens unus cui nomen Cleophas, dixit ei, Tu solus peregrinus es Hierosolymis, neq; cognouisti quæ facta sunt illic his diebus? Quibus ille dixit, Quæ? Et dixerunt ei, De Iesu Nazareno, qui fuit uir propheta, potens opere & sermone corā Deo & toto populo: & quomodo eum tradiderunt summi sacerdotes & principes nostri in condēnationem mortis, & crucifixerūt eum. Nos autem sperabamus eum esse illum qui redempturus esset Israel. Atqui super hæc omnia tertius dies est hodie q̄ hæc facta sunt. Sed & mulieres quædam ex uobis attonitos reddidere nos, quæ diluculo peruenerunt ad monumentum: & non inuento corpore eius, uenerunt dicētes se etiam uisionem angelorum uidisse, qui dicerent eum uiuere. Et abierunt quidam eorum qui erāt nobiscum ad monumentum, & ita repererunt sicut mulieres dixerant. ipsum uerò non uiderunt.] Nōnulli unum ex duobus illis Lucam ipsum fuisse arbitrantur. Quod

corpus suum ultrà nõ sit tale ut simpliciter possit ab omnibus uideri. q̃uis illud ipsum A
q̃d passum est, surrexerit: attamẽ quib. uult, apparet. Magnũ aũt quiddã ex hoc lucri faciunt, q̃ non ultrà dubitant quare nõ iterũ in medijs populis uerset, cõsiderantes q̃ conuersatio post resurrectionem suam longè alia sit, & nõ cõmunis: nõ qualis hominum, sed diuinior, in typum futuræ resurrectionis, in qua sicut angeli & filij Dei uersabimur. propter hoc igitur tenebant̃ oculi eorum ne agnoscerẽt eum. à quibus eñ uolebat, uidebat̃. Cleophas uerò comiti itineris, ut apparebat obijcit: Tu solus, inquiens, peregrinus es in Hierusalem, hoc est tu solus ex his qui habitãt in Hierusalem, ignoras quæ facta sunt? Alij aũt, peregrinus es, sic intelligunt: Tu, inquit, solus peregrinus, & extra fines Hierusalẽ domicilium habẽs, non es particeps eorũ quæ in media Hierusalem contigerunt, ut hæc ignores? Vide aũt quomodo paruã omnino de Dño opinionẽ habebant. Virum enim ,pphetã eum nominabant, qualis Helias fuerat, uel Iesus Naue, uel Moses, Potentẽ in opere & sermone. Primùm opus, & deinde sermo. Nullus eñ sermo doctoris firmus est, nisi prius docens se factorẽ declaret. Potens igit̃ esto primùm in opere, deinde & uerbi solicitudinẽ habeto. sic & Deus cooperabit̃ tibi. Prius eñ opus, et deinde contemplatio ac illustratio. Nisi speculũ puriſi caueris in labore & sudore, neutiquã cõcupitã pulchritudinem in speculo suspicies,

Matth. 5. Beati enim mundo corde (hoc fit p̃ opera) quia ipsi Deum uidebunt: hic cõtemplationis est finis. Oportet aũt esse potentem in opere & sermone corã Deo, & tunc coram omni populo. Prius enim placere debemus Deo, deinde danda opera ut etiã inter nos sine macula uiuamus quantũ fieri potest: & neq; in primis quomodo hominibus placeas, sed quomodo seruias Deo, studendum: neq; uiuendum ut multis sis scandalo, sed & hoc post illud ,puidẽdum, quod & Sapiens dicit, Prouide bona corã deo,

Prou. 20. 2. Cor. 8. deinde & coram hominibus. & Paulus istucipsum dicit. Nos aũt sperabamus, inquit, q̃ ipse esset redempturus Israel. Quasi frustrati spe dicunt, nos sperabamus q̃ ipse & alios saluaturus esset: & ecce neq; seipsum seruauit. Adeò molli erant animo & parum B
fidenti. Et propè eadem dicebant quæ illi in cruce: Alios seruauit, seipsum non potest

Redimi Israel, quid sit. seruare. Ideo & insipientes eos uocat, & tardos ad credendum. Quid autem est redimi Israel? Diximus quòd Christum expectabant uulgares & minus exercitati saluatorem & redemptorem à malis quę eis imminebant, & à iugo seruitutis Romanorũ, sperabantq; eum regnaturum ut regem terrenum: ideo & dicunt, Nos sperabamus q̃ ipse redempturus esset Israel, uidelicet à gentilibus Romanis, & ipse neq; iniustã sententiam cõtra se latam effugit. Et hodie tertius dies est, & mulieres terruerunt nos, & c. Hæc quasi dubitantes dicunt: & uidentur mihi uiri in ualde ambigua esse sentẽtia, & neq; ualde discredere, neq; rectè credere. Etenim dicendo, sperauimus quòd redempturus sit Israel, incredulitatem indicant: q̃ aũt dicunt esse diem tertium, hominũ est qui propè recordent̃ quòd dixerit eis, die tertia resurgam. Et quod dicit, exterruerunt nos, hoc signat, q̃ incredulitas eorum concutiatur. Et omnino si considerent̃ sermones, humani sunt, & magnam dubitationẽ habent, & hominum perplexorum & ignorantium quid agãt propter resurrectionis miraculum. Abierunt aũt, inquit, quidam ex his qui sunt nobiscum, uel Petrum solum dicit, uel Petrum & Ioannẽ. Et hinc manifestum quòd quæ alij latè dicunt, alij cõpendio tradunt, & transcursu transeunt.

Ioann. 20. Abitionem enim Petri & Ioannis ad sepulchrum, Ioannes plurib. complexus est, hic autem paucis mentionem faciens, etiam nomina præterijt.

Et ipse dixit ad eos, O stulti & tardi corde ad credendum in omnibus quæ loquuti sunt prophetæ, Nõne hæc oportuit pati Christum, & ita intrare in gloriam suam? Et exorsus à Mose & omnibus prophetis, interpretabatur illis in omnibus scripturis quę de ipso erant. Et appropinquauerunt castello quo ibant. Et ipse præ se ferebat se longius ire. Et coegerunt illum, dicentes, Mane nobiscum, quoniam uergit ad uesperã, & inclinatus est dies. Et intrauit ut maneret cum illis. Et factum est dum accumberet cum eis, accepit panem & benedixit ac fregit, & porrigebat illis. Et aperti sunt oculi eorum, & agnouerunt eum, & ipse euanuit à conspectu eorum. Et dixerunt inter se, Nónne cor nostrum ardebat in nobis dum loqueretur nobis in uia, & aperiret nobis scripturas? Et surgentes eadẽ hora, regressi sunt in Hierosolymam & inuenerunt congregatos undecim, & eos qui cum illis erant, dicentes, Surrexit Dominus uerè,

& ap-

A & apparuit Simoni. Et ipsi narrabāt quæ gesta erant in uia, & quomodo fuisset agnitus sibi ex fractione panis.] Quoniam mente humano more affecti erant, multaq; dubitatione laborabāt, stultos uocat & tardos ad credendū in omnib. quæ locuti fuerāt pphetæ. Credere enim possumus & ex parte, & in totum: ut si quis speret Christum in salutē populi uenturum, non in salutem animarum, sed restitutionem & liberationem populi Iudaici: is nō quantū oportet credere, credit. & rursus si quis credat Dauidi dicēti, Foderunt manus meas, & pedes meos, & cętera quæ de cruce, & alijs quę in cruce facta sunt, tanquam ex persona Dñi prædicta, & recipit ea quæ de passione dicunt, ea aūt quæ de resurrectione, non curat, uti est hoc, Quia nō dabis sanctum tuum uidere corruptionem. & illud, Non derelinques animam meam in inferno. & iterum, Inter mortuos liber. & illud, Educēs uinctos & habitātes in sepulchris, & simi lia: non habet perfectiā fidem, sed ex parte. Oportet aūt in omnib. tam his quæ gloriæ sunt, q̄ quæ ignominiæ, credere pphetis. Oportebat eīm & Christū pati, quod est ignominiæ: & intrare in gloriā suā, quod est gloriæ. Vos aūt sic stulti estis, ut cum Esaiam utraq; dicentē audiatis, & q̄ ad occisionem ductus sit, & q̄ Dñs uelit ei ostendere lumē: illud quidem recipitis, hoc aūt respuitis. Et quòd uulneratus quidem sit, creditis: q̄ aūt Dñs uelit eum purificare à plaga, animo nō perpenditis. Sed q̄ dicit, Vos stulti estis: signat tardi estis. nam si stulti fuissent, neq; ipse eis fuisset locutus: at quia tardi estis uos, ego mentem uestram acutius uidere faciam. Vnde & à Mose & ab omnibus prophetis interpretatur eis, nempe mysterium sacrificij Abrahę, quando dimisso Isaac aries immolatus est. Hæc enim res dominicas præfigurabant. Sicut etiam ipse Dominus dicit uidisse Abrahā diem suum, & exultasse. Et illud, Videbitis uitam nostrā pendentē: in quo & crucifixionē significat, pendentē dicendo, & resurrectionem uitam nostrā nominando. In reliquis autem prophetis sparsim sita sunt quæ de cruce & resurrectione dicunt, præsertim in clarioribus. Et possent ex illis ea recenseri. At tu quæso attēdas quomodo per afflictionem eatur in gloriam Dei. Simulat autem se longius iturum, iuxta humanam naturam. Et quando permittit, tunc aperiunt oculi eorum, & agnoscunt eum. Insinuat autem & aliud quiddam, nempe q̄ oculi eorum qui benedictum panem assumunt, aperiuntur ut agnoscant illum. Magnam eīm & indicibilem uim habet caro Domini. Euanuit autem ab eis, neque enim adhuc habebat corpus quod multum corporali modo cum eis conuersaretur, ut ex hoc illorum cresceret desiderium. Nam ita exhilarati fuerunt, ut illa ipsa hora surgerent, & reuerterent in Hierusalem: nō eadem quidem hora, sed surrexerunt quidem hora illa: reuersi autem sunt, post complures, secundum quod uerisimile est iter fecisse euntes spacium sexaginta stadiorum, in quibus omnino & Dominus uisus est Simoni, dum illi interim reuertuntur Hierusalem. Ardens autem erat cor eorum, uel dum igni eloquiorum Domini illo interpretante intrinsecus succēderentur, & illis quæ dicebant, assentirentur ut ueris: uel dum illo interpretante scripturas tangeretur cor eorum intrinsecus. * Talis enim interpres nobis est Christus.

Psalm. 21. Psalm. 15. Ibidem. Psalm. 67. Psalm. 87. Esaiæ 53. Gen. 22. Ioan. 8 Deut. 18.

B

*quòd hic qui nobis interpretatur scripturas, Christus est.

Dum autem hæc loquuntur, stetit Iesus ipse in medio eorū, & dixit eis, Pax uobis. Expauefacti uerò & conterriti, existimabant se spiritū uidere: & dixit eis, Quid turbati estis, & cogitationes ascendunt in cordibus uestris? Videte manus meas & pedes meos, quia ego ipse sum. Contrectate me & uidete, quia spiritus carnem & ossa non habet, sicut me uidetis habere. Et cum hæc dixisset, ostendit eis manus ac pedes. Adhuc autē illis nō credentibus præ gaudio, & mirantibus, dixit eis: Habetis hic aliquid eduli? At illi obtulerunt ei partem piscis assati, & aliquid de fauo apiario: & accepit, & in conspectu illorum comedit, & dixit ad eos: Hæc sunt uerba quæ locutus sum ad uos cum adhuc essem uobiscum, q̄ necesse foret impleri omnia quę scripta sunt in lege Mosi & pphetis & psalmis de me.] Dominus propter salutem nostram omnia faciēs, stat in medio discipulorū, uolēs illis resurrectionē credibiliorē fieri, & primùm solita pacis imprecatione perturbationē illorum sedat. Et iterū ostendit quòd ipse sit ille ipsorum magister, qui ita alloqui gaudeat, & eos ad prædicationem mittens animet. Verùm quia animarum illorum perturbatio uerbis non sedabatur, monstrat eis etiam aliunde filium Dei se esse, corda agnoscētem. Quare enim, inquit, cogitationes ascendunt in corda uestra? Etenim in confesso est, solius Dei esse cognoscere corda.

Subiecit aũt & aliud argumentum, palpationẽ manuũ & pedũ eius. Vos eñ, inquit, A
spiritum putatis me esse, uel phantasma, qualia multa circa mortuorũ sepulchra appa
rere solẽt: sed scitis q̃ spiritus quidẽ neq̃ carnem neq̃ ossa habet: ego aũt carnẽ & ossa
habeo, rametsi diuiniora & spiritualia. Dñi eñ corpus, spiritus quidẽ nõ erat, sed spi-
rituale, hoc est absq̃ omni crassitudine, à spiritu gubernatũ. Etenim corpus q̃d nunc
habemus animale est, hoc est, ab anima regit̃, & à naturalib. & animalibus qualitatib.
1. Cor. 15. ac uirib. uiuificat̃. Quod aũt post resurrectionẽ habebimus, spirituale nominauit Pau
lus, hoc est, quod à diuino spiritu uiuificetur & gubernetur, modoq̃ indicibili & spi-
rituali ad incorruptionẽ alteratũ sit & in ea conseruatũ. Tale igitur oportet intellige
rę Dñi corpus post resurrectionem spirituale, & subtile, & alienum ab omni crassitu
dine, neq̃ cibi neq̃ alterius cuiusq̃ indigens, quãuis ad confirmationẽ illorũ comede
rit. Quod enim comedit, nõ secundũ naturã comedit, sed secundũ dispensationẽ, ad
docendum q̃ illud ipsum corpus q̃d passum est, surrexerit. Naturale aũt huic corpo
ri erat clausis ianuis ingredi, & absq̃ labore è loco in locũ trãsire. Itaque cum discipuli
adhuc nõ crederent neq̃ per palpationẽ persuaderẽt, addit & aliud indicium, come
dens, diuina quadam uirtute consumendo quod edebat. Omnis enim cibus natura
per os sumptus, ad secessum uadit, uerùm hæc non naturaliter, sed (ut diximus) se-
cundum dispensationem comedit. Habet autem ænigma quoddam, quòd partem
piscis comederit. significat enim quòd naturam nostram, quæ in salsuginoso hoc ma
ri natat, igni suæ deitatis assarit, & exiccarit omnem humorem quem ex profundis
fluctibus habebat, ut fieret diuinus cibus, & qui prius erat abominabilis, fieret nunc
dulcis Deo. Vel (ut opinor) significat per piscem assatum, actiuam uitam, quæ tol-
lit nostram humiditatem & crassitudinem auxilio carbonum solitariorum, & quie-
tem amplexantium, per fauum autem apiarium, scientiam uel contemplationem. si-
Psalm. 19 quidem dulcia eloquia Dei. Est & alius fauus agrestior, nempe gentilium sapientia.
hic autem est apiarius fauus, diuina inquam sapientia. siquidem Christus parua apis B
1. Cor. 1. est magnitudine. Abbreuiatum enim est uerbum, & infirmum robore. Non enim
in uirtute sermonis Paulus prædicat, ut ne crucem euacuet: ueruntamen regibus & i-
diotis est amabilis afferens labores suos in sanitatem animarum.

Tunc aperuit mentem illorum, ut intelligerent scripturas: & dixit eis, Sic scriptum
est & sic oportebat Christum pati, & resurgere à mortuis tertio die, & prædicari in no
mine eius pœnitentiã ac remissionem peccatorum in omnes gentes, initio facto ab
Hierosolymis. Vos autem estis testes horum. Et ecce ego mitto promissum patris mei
super uos. Vos autem sedete in ciuitate Hierusalem usquequo induamini uirtute ex
alto. Eduxit autem eos foràs usq̃ in Bethaniam, & sublatis in altum manib. suis bene
dixit eis. Et factũ est dum benediceret illis, recessit ab eis, ac ferebat̃ in cœlum. Et ipsi
adorato eo regressi sunt Hierusalem cũ gaudio magno, & erãt semper in templo lau
dantes & benedicentes Deum, Amen.] Postquam corda illorum pacificauit, & du-
bitationem, loquendo, palpabilemq̃ se exhibendo, ac comedendo sedauit, cõfirma-
ta ueritate resurrectionis corporis sui, tunc aperuit illorum mentẽ ad intelligendum
scripturas. Nisi enim quieta fuissent illorum anima, quomodo in tanta turbatione &
Psalm. 45. inquietudine cognouissent? Vacate enim, inquit, & cognoscite. idcirco & docet eos
quòd necessarium fuerit Christum sic pati. Quomodo sic? per lignum crucis. quia e-
nim per lignum interitus, ideo necessarium fuit per lignum corruptionem tolli & a-
boleri uoluptates quæ in ligno, per dolores quos in ligno pertulit inuictus Dñs. Et
deinde resurgere, inquit, tertio die, & prædicari in nomine eius pœnitentiam & re-
missionẽ peccatorum in omnes gentes. De baptismo autẽ hoc loco dicit. Nã & in eo
pœnitentia fit per confessionẽ & depositionẽ pristinorum malorum & impietatum,
An in solo Christi nomine debeat fieri baptismus. & simul comitat̃ remissio peccatorum. Quomodo autẽ baptisma in nomine solius
Christi fieri intelligemus, præsertim cum aliàs doceamur baptizari in nomine patris
& filij & spiritus sancti? Igitur primùm quidem dicimus q̃ quando dicimus baptisma
fieri in nomine Christi, nõ dicimus q̃ oporteat in solius Christi nomine fieri, sed q̃
Christi baptisma quo Christus baptizatus est, spirituale sit, nõ Iudaicum: neq̃ quale
Matth. 3 Ioannis in pœnitentiam solum, sed & communionem spiritus sancti, & remissionẽ
peccatorum cõferat: ut ipse nobis ostendit cum baptizaretur in Iordane, monstrato

in

A in colũbæ ſpecie ſpiritu ſancto. Inſuper baptiſma in nomine Chriſti, intellige in morte Chriſti. Nam ſicut ille mortuus triduanus reſurrexit, ita & nos figuraliter in aqua ſepulti, incorruptibilitatem animæ induimus: & arrabonem incorruptibilitatis corporis accipimus. Et aliter: Chriſti nomen in ſeipſo cõtinet & patrẽ inungentẽ, & unctionem ſpiritũ, & unctum filium. In nomine Domini remiſsio peccatorum. Vbi igitur fœtulentæ linguæ baptizantiũ in Montanum, & Priſcillam, & Maximillam? Verè nulla his qui ſic baptizant, remiſsio, ſed peccatorum augmentatio eſt: & hi quidem malè peribunt. In omnes aũt gentes ſermo exiuit, à Hieruſalẽ ſumpto initio. Oportebat em̃ humanã naturam, quæ tota in Chriſto unita eſt & aſſumpta, non ultrà in duas dirimi ſectiones, Iudęorum & Gentilium, ſed incipere ſermonem à Hieruſalem, & in gentibus requieſcere, unitis generibus. Vos aũt eſtis teſtes horum, paſsionis ſcilicet ac reſurrectionis. Poſtea ne turbarent̃ intra ſe, & cogitarent, quomodo teſtificabímur, qui priuati homines ac idiotæ ſumus, contraq; gentes mittimur, & contra Hieroſolymitanos armamur, qui & te occiderunt? dixit eis, Cõfidite: huius rei gratia mittã propediem promiſsionem patris, de qua dictum per Iohelem, Effundã de ſpiritu meo ſuper omnem carnem, & c. Sedete igitur, qui nunc timidi & parum fidentes, donec induamini uirtute, non humana, ſed cœleſti. Nõ dixit autem, accipite: ſed, induamini: declarans omnino cuſtodia ſpiritualis armaturæ muniendos. Eduxit autem eos uſq; in Bethaniã, hoc intelligamus in die quadrageſimo factum eſſe. Quæ enim illi breuiter dicũt, tu in multis diebus facta eſſe intellige: ſicut & ipſe Lucas in Actis dicit q; per quadraginta dies uiſus ſit eis. Sæpe enim ad eos acceſsit, & ab eis iterum abſceſsit. Benedicit autem diſcipulos, fortaſsis infundens eis uim quæ cuſtodiret uſq; in aduentũ ſpiritus: fortaſsis etiam nos docens, cum peregrè proficiſcimur, ut cõmendemus nos ſupernis benedictionibus. Ferebatur autem ſurſum in cœlum. Helias enim quaſi in cœlum (uidebat̃ enim quaſi in cœlum ferri) at ſaluator in cœlum ipſum præcurſor omnium aſcendit, ut oſtendat cõſpectui patris ſanctã carnẽ, & cõſideat in cœlis patri.

Ioelis 2.

Act. 1.

B Et nunc adorat̃ natura noſtra * in cœlo, ab omni angelica uirtute. Illi aũt reuerſi ſunt cum gaudio magno, & erant ſemper in templo. Vides uirtutẽ? Nondum ſpiritus, & ſpiritualiter uiuunt. Qui enim priùs incluſi erant, nunc inter medios pontifices uiuunt, & nihil in eis temporale, ſed cõtemptis omnibus, in templo ſemper Deũ laudãt & benedicunt. Quorum imitatores etiam nos facti, in uita ſancta ſemper ſimus, laudantes per hanc uitam & benedicẽtes Deum. Gloria enim Dei & benedictio eſt ſancta & uirtuoſa uita: quoniam eum decet omnis gloria in ſecula ſeculorum, Amen.

* in Chriſto

Gloria Dei quæ ſit.

IN EVANGELIVM IOANNIS

Prologus.

SPIRITVS potentia in infirmitate perficitur, ſicut & ſcriptum eſt, & credimus: in infirmitate autem non corporis tantum, ſed & ſermonis, & ſapientiæ quæ in lingua ſita. Manifeſtumq; eſt id cùm ex multorum aliorum, tum ex Ioannis magni theologi, qui frater Chriſti, gratia. Hic enim patre quidem piſcatore natus, eandem quam pater exercebat artẽ. Nõ ſolum aũt imperitus erat gentiliũ diſciplinarum & Iudaicæ eruditionis, ſed planè totus illiteratus erat, quemadmodum diuiniſsimus Lucas in Actis Apoſtolorum de eo tradit. Nam & patria eius uilis & obſcura, non inſignib. artibus clara, ſed piſcaturæ apta, Bethſaida erat. Nihilominus illiteratus ille, ignobilis ille, quippe in nullo ſpectabilis erat, uide quantum ſortitus ſit ſpíritum. Etenim quæ nullus aliorum Euangeliſtarum nos docuit, ea ipſe intonare auſus eſt. Nã cum illi occupati fuiſſent in carnali ſubſtantia Chriſti explicanda, nihilq; clarè & manifeſtè ſatis de ſubſtantia eius dixiſſent, quã ante ſecula habuit: metuebatur ne quãdo quidam humi repentes, nihilq; ſublime intelligere ualentes, putarent Chriſtum tunc primùm ſubſiſtere cœpiſſe, quando ex Maria natus eſt, & nõ ante ſecula ex patre natum eſſe, id quod utiq; Paulo Samoſateno accidit. propterea magnus Ioannes de ſuperna eius generatione tractat, quãuis interim & incarnationẽ uerbi non relinquit intactam. dicit enim, Et uerbum caro factum eſt. Dicunt autem nonnulli quòd etiam ipſum rogauerint quidam orthodoxi, ut conſcriberet de ſuperna natiuitate, eo quòd tunc in diebus illis pullularent hæretici aliqui Chriſtum hominem eſſe purum doce-

2. Cor. 12.

Act. 4?

Bethſaida patria Ioannis.

Paulus Samoſatenus.

re non reueriti. Dicitur quoq; quòd sanctus ille cum legisset alia quæ ab Euangelistis erant scripta, admiratus sit illos de omnib. quidē uera narrasse, & iudicarit illos recte & nihil ad gratiam apostolorum scripsisse. Cæterùm quę illi non manifestè dixerunt, uel omnino prætermiserunt, ea ipse explanare, & liquida facere, adijcereq; proprio Euangelio cœpit, quod & exul in Patmo insula conscripsit post triginta duos annos post assumptum in cœlos Christum. Dilectus est autem Ioannes præ discipulis omnibus maximè à Domino, eo quòd absolutè mitis erat, suauissimisq; moribus, ac mundo corde, nempe uirgo. Vnde & amplius notitiæ Dei donum ei concreditum est, mysterijsq; plerisq; incognitis ipse delicatus est. Beati enim, inquit, mundo corde, quoniam ipsi Deum uidebunt. Erat insuper & cognatus Domini. Quomodo autē? Audi. Ioseph ille deiparæ sponsus, habuit ex priore uxore liberos septē, quatuor mares & tres fœmellas, Martham, Esther, & Salomen. Et illius sanè, Salomes, inquam, filius erat Ioannes ille. Comperitur itaque Dominus esse auunculus eius, quoniam Ioseph habitus est pater Domini, illius autem Ioseph filia Salome, & proinde habita soror Domini, atq; sic Ioannes eius filius, nepos Domini. Fortasis autem non absurdū fuerit nomina & matris eius & Euangelistæ aperire. Etenim mater eius quæ Salome dicebatur, interpretatur pacifica. Ioannes autem, gratia eius. Sciat igitur omnis anima quòd pax quæ erga homines, & quæ in anima ab affectionibus libera, mater sit diuinæ gratiæ, & generat istam in nobis. Animam enim quæ adhuc turbat̄, & pugnat contra homines alios, & contra seipsam, non uerisimile diuinam consequi gratiam. Consideremus autem & mirabilius quiddam quod circa sanctum illum Euangelistam accidit. Vnus enim ille tres habere matres comparet, deiparam, Salomen, & tonitruum. Nam filius tonitrui est propterea quòd in Euangelio uocalissimus fuerit, deiparę: dicit enim, Ecce mater tua. Verùm hęc ante enarrationem dicta sufficiāt, nunc incipienda dictorum eius reseratio.

Quando & ubi Ioannes euangelium scripserit.

Ioannes uirgo.

Mat. 5.

Quomodo Ioannes cognatus Domini fuerit

Solome. Ioannes

Marc. 4. Ioan. 19.

CAPVT I.

IN principio erat uerbum.] Sicut & in procœmio dicebam, ita denuò dico, q̄ cum Euangelistę alij inferiorem natiuitatem Domini, conuersationem, & incrementum latè narrarūt, ea Ioannes transcurrat quidē, uti satis à condiscipulis suis dicta, de deitate autem eius qui propter nos homo factus est, differat: tametsi si diligenter consideres, neq; illi de deitate unigeniti dicere neglexerunt, sed eius mentionem fecerunt, quamuis non diffuse: neq; iste ita sublimitati uerbi intentus fuit ut omnino posthaberet dispensationem eius in carne. Vnus enim erat spiritus qui mouebat omnium animas. Itaq; nobis de filio differit. Etenim pater nobis ex ueteri lege notus erat: tametsi nec de patre obticeat, sed & eius meminit de filio loquens. Ostendit igitur sempiternitatem unigeniti, dicēdo, In principio erat, hoc est, à principio erat. Quod ēm à principio est, eius omnino nullū tēpus inuentū quando nō erat. Et unde, dixerit quis, manifestū q̄ in principio idē sit q̄ à principio? Vnde? Ex ipsa quidem cōmuni conceptione, maximè autem ab hoc ipso Euangelista. Inquit enim in una suarum epistolarum: Quod erat ab initio, quod uidimus. Vides igitur quomodo ille dilectus Domini seipsum interpretetur? Etiam, inquit: Sed ego quod erat in principio, sic intelligo, quemadmodum & à Mose dictum est, In principio fecit Deus. Sicut enim illic quod erat in principio non intelligitur quasi cœlum fuerit sempiternum, sic neque hoc loco quòd sempiternus sit unigenitus. Hæc quidem hæreticus. Nos autem ad hanc stultam instantiam nihil aliud dicimus, quàm hoc: O sophista malitiæ, quomodo quod sequitur obseruasti? At nos etiam hæc te nolente dicemus. Nam illic quidem Moses dicit, In principio fecit Deus cœlum & terram: hoc aūt loco, In principio erat uerbum. Quæ igitur communio uerbi fecit, ad uerbum erat? Equidem siluissem, si hoc loco scriptū fuisset, In principio fecit Deus filium, nunc autem inquit, In principio erat. Ex quo intelligo sempiternum fuisse uerbum, & non posterius conditum, sicut uos nugamini. Quare autem non dixit, In principio erat filius, sed, uerbum? Audi, propter auditorum infirmitatem. Ne audito statim ab initio filij nomine, cogitaremus natiuitatē corporalem, & ab affectionibus proficiscentem. Et eius gratia ipsum uocauit uerbū, quò discas, quòd sicut uerbum gignitur ex mente sine passione, ita & hic à patre natus

Euangelistas omnes unus spiritus mouit.

1. Ioan. 1.

Gen. 1.

Quare Ioānes dixerit, In principio erat uerbum, & nō potius, In principio erat filius.

A tus est absque ulla affectione. Vel aliter, ideo uerbum appellauit, quia paterna nobis annunciauit, quemadmodum omne uerbum, mentis uoluntates annunciat. Insuper ut ostendat coæternum esse patri filium. Sicut enim dici nequit mentem aliquando esse absq; uerbo, ita neq; patrem & Deum absq; filio. Dictum est aũt cum articulo, illud uerbum. Sunt enim multa etiam alia uerba Dei, ut prophetiæ & mandata: secundum quod dictum est de angelis, Potentes uirtute, facientes uerbum eius, hoc est mãdata eius. sed propriè uerbum subsistentia est personam constituens. *Psalm.102.* *Verbum.*

Et illud uerbum erat apud Deum.] Et hoc loco manifestius indicat coæternum patri filium. Ne enim existimes quòd pater aliquando fuerit absque filio, dicit, Et illud uerbum erat apud Deum, hoc est, cum Deo, in sinibus paternis. Apud enim intelligere debes pro cum: sicut & alio loco dictum est, Nónne fratres eius & sorores eius apud nos sunt? hoc est, nobiscum sunt, & nobiscum conuersantur? Sic & hoc loco apud Deum intellige, hoc est, cum Deo erat, cum Deo in sinibus eius. Impossibile enim est Deum absque sermone & sapientia & uirtute esse. Idcirco quia uerbum & sapientia & uirtus patris existit filius, credimus ipsum semper esse apud Deum, hoc est cum patre. Et quomodo, inquit, possibile est, quòd cum filius non sit posterior patre? Quomodo? Disce à corporali exemplo. Splendor solis nónne ab ipso sole est? Etiam omnino. Nunquid ergo & posterior sole, ita ut sine eo sol intelligatur? Hoc dici nõ potest. Quomodo enim sol esset, spendorem non habens? Igitur multo magis hoc de patre & filio intelligetur. Filius enim, patris quum sit splendor, sicut & Paulus dicit, semper cum patre credendus est fulgere, nec esse illo posterior. Attende hic & Sabelium Líben hoc dicto confutari. Ille enim docuit quòd pater, filius & spiritus, una persona sint, & quòd unica illa persona apparuerit aliquando ut pater, interdum ut filius, nonnunquam ut spiritus sanctus. Hæc nugatur mendacis patris filius, malignóque spiritu plenus, arguitur autem manifestè ex hoc quod dicitur, Et illud uerbum erat apud Deum. Manifestè enim Euangelista hoc loco alium dicit B esse uerbum, & alium Deum, hoc est patrem. Nam quia uerbum erat apud Deum, manifestum quòd duæ personæ introducantur, etiamsi una natura sit in his duobus. Quòd autem una natura sit, audi. *Marc.6.* *Heb.1.* *Sabellius Libes, tres personas unam esse docens, confutatur.*

Et Deus erat illud uerbũ.] Vides quòd & uerbum erat Deus, et ita una erat natura patris & filij, quia & una diuinitas. Confundantur igitur & Arius & Sabellius. Arius quidem, qui creaturam dicit filium Dei & facturam. Confutetur autem per hoc quod dicit, In principio erat illud uerbum, & Deus erat illud uerbum. Sabellius uerò negans personarum trinitatem, sed asserens unitatem, reijciatur per hoc quod dicitur, Et illud uerbum erat apud Deum. Manifestè enim hoc loco alium esse uerbum, & alium esse patrem declarat magnus Iohannes, etiamsi non sit aliud & aliud. Alius enim & alius de persona dicitur, aliud & aliud de naturis. Et ut exemplo manifestius faciamus, Petrus & Paulus sunt alius & alius, sunt enim personæ duæ: sed non aliud & aliud. Vna enim eorum natura est humanitas. Sic igitur de patre ac filio dicendum. Alius enim sunt & alius, duæ personæ: non autem aliud & aliud: una enim natura eorum deitas. *Quare Arius & Sabellius confundendi.* *Alius et alius de persona, aliud & aliud de natura dicitur.*

Illud erat in principio apud Deũ.] Ille Deus uerbum, nunq; separatus est à Deo patre. Quia enim dixerat, Deus erat uerbũ: ne quis diabolica illusione turbet quosdam dicens, Ergo quia & uerbum Deus est, aliquando insurget contra patrem, ut gentiles fabulantur, & segregans se ab eo, aduersarius erit: propterea dicit q; licet Deus sit uerbum, nihilominus cum Deo patre est, & ab eo nunquam separatus. Non minus facile fuerit & Arianis respondere. Surdi audite, qui dicitis opus & facturã esse Dei filium. Intelligite quale nomen imposuerit euãgelista filio Dei. Verbũ eñ ipsum uocauit: uos aũt opus & facturam uocatis eum, qui neq; opus est, neq; factura. Nam cum duplex sit uerbum, aliud quidem mentale, quod habemus etiam nihil loquentes, intellige autem uirtutem loquendi. Ita enim & dormiens & nihil loquens habet uim loquendi in seipso sitam, & uirtutem non abiecit. Est igitur aliud mentale, aliud uerò enunciatiuum, quod per labia proferimus, hoc est uis eloquendi cum id quod intus situm est in mente, in opus producimus. Cum igitur duplex sit uerbum, neutrum horum congruit in filium Dei. Neq; enim uel enunciatiuum uel mentale uerbum est fi- *Duplex uerbũ quorum neutrũ quadrat in filiũ Dei.*

lius Dei. Verba enim illa naturalia sunt, & qualia apud nos. Verbum autem patris A
super naturam est, nec subiectum artificijs illis loquendi inferioribus. Atq; ita cadit
Porphyrij sophisma. Porphyrij gentilis sophisma. Ille enim tentans subuertere euangelium, talibus utebatur diuisionibus. Si enim (inquit) filius Dei uerbum est, uel est pronunciatiuum, uel mentale: uerum, neq; hoc est, neq; illud: ergo neque uerbum est. Solutum itaq; prius est sophisma hoc, qui dicimus q̄ mentale & pronunciatiuum uerbum est de his quæ apud nos de naturalibus dicuntur: de eo autem quod supra naturam est, nihil tale. Veruntamen & hoc dicendum: Si quidem nomen uerbi dignum esset Deo, & propriè de illo ac substantialter diceretur, haberet utiq; locum gentilis dubitatio, at neq; ullum aliud proprium nomen quis inuenerit dignum Deo: neq; uerbum ipsum substantialiter & propriè est nomen unigeniti, sed tantum manifestat absq; affectione natum de patre filium, quemadmodū uerbum de mente, & q̄ filius sit paternæ uoluntatis nuncius. Et proinde ô miser quid uellicas nomen? Nam cum dicitur pater, et filius, & spiritus, ad materialia laberis, & carnales fingis patres, & filios, & spiritum aerium, meridionalem fortè, uel septentrionalem, uel alium excitantem tempestatē. Cæterùm si scire uis quale sit uerbum Dei, audi reliqua quæ sequuntur.

Omnia per ipsum facta sunt.] Ne existimes, inquit, uerbū q̄d in aera diffunditur &
Ariani. dissoluit, sed factorē omniū tam mentalium q̄ sensibiliū. Hic iterum Ariani insurgūt, & dicunt q̄ sicut dicimus securi fabricari ianuam quasi instrumento, & alium esse fabrum qui mouet hoc organum, ita & per filium fieri omnia, non q̄ ipse sit factor, sed instrumētum, sicut securis Dei & patris factoris, & utentis filio tanq̄ organo. Et ita factura (aiunt) est filius, ad hoc facta ut per ipsum fiant omnia, sicut & securis ad hoc fit ut per eam omnia artificialia elaborentur. Et hæc sunt maligna Arij nugamēta. Nos autē quid illis dicemus? Simpliciter ac rectè, q̄ si in hoc creauit (ut dicit) pater filium, ut instrumētum haberet ad completionem creaturæ, indignior fuerit filius creaturis. Nam sicut securi, quæ est instrumentum, alia quæ per eam fiunt, digniora sunt (propter illa enim fit securis, non illa propter securim) ita & creatura dignior est unigenito. propter illam enim (ut dicunt) ipse pater creauit eum, & ita, ut si non fuisset omnia creaturus, neq; unigenitum produxisset. Quid his uerbis insipientius? Etiam (inquit) B
Per præpositio. & quomodo non dixit q̄ ipsum uerbum fecerit omnia, sed usus est præpositione per? Quomodo? Vt ne suspiceris illum unigenitum & absq; principio esse filium, & Deo aduersarium, eius gratia dixit q̄ pater per uerbum fecerit omnia. Finge enim regem quendā qui habet filiū regē, & cōditurus est ciuitatē, & ei concredere illius extructionem. Sicut igit dicens q̄ per filiū regis cōdita sit ciuitas, nō seruū dicit filium regis, sed monstrat q̄ hic filius habeat patrem, & nō sit solus: sic etiam hoc loco Euangelista dicens per filium facta omnia, manifestauit q̄ pater mediatore illo ad conditionem rerum (ut sic dicam) usus fuerit, non se minore, sed æqualis potestatis, & ut ualente talia perficere. Insuper hoc tibi dixerim q̄ si te offendit præpositio per, & quæris inuenire in scriptura sermonē quendā qui dicat q̄ uerbum ipsum fecerit omnia, audi Dauid,
Psalm. 101. Principiò tu Dñe terram fundasti, & opera manuum tuarum sunt cœli. Vides quomodo non dixerit, quia per te facti sunt cœli, & fundata est terra: sed tu fundasti, & opera manuū tuarum sunt cœli, quia & hæc de unigenito, & nō de patre dicit. Disces
Heb. 1. etiam hoc & ab ipso quidem Apostolo, qui utitur hoc dicto in epistola ad Hebræos.
Psalm. 101. Disces quoq; ex eodem Psalmo cum dicit, Dominus in terram aspexit, ut audiret gemitū, & ut solueret mortificatos, & ut annunciet in Sion nomē Dñi. Nunquid alium significat quàm filium Dei? Hic enim in terram aspexit, siue hanc dicas quam inhabitamus, siue hanc nostram naturam quæ terræ inuoluta est, siue carnem. iuxta illud,
Gen. 3. Terra es. quam & assumpsit, soluitq; nos compeditos peccatorum uinculis, & filios oc
* Adæ & Heuæ cisorum * ab Adam & Heua, ut annunciet in Sion nomen Domini. Stans enim in
templo docuit de patre suo, quemadmodum & ipse dicit: Manifestaui nomen tuum
Ioan. 17. hominibus. Hæc igit cui congruunt? Patri ne an filio? Omnino filio. Nā ipse annūciauit nomē patris in Hierusalē docēs. Itaq; postq̄ hęc dixit Dauid, subdit. Et tu ab initio Dñe terrā fundasti, & opera manuum tuarum sunt cœli. An non manifestè filium inducit factorem, & non instrumentum? Quod si præpositio per, dimunitionem tibi inducere uidetur, quid dices quum Paulus apponat hanc patri? Dicit enim. Fi-
1. Cor. 1. delis

delis Deus, per quẽ uocati sumus in societatẽ filij sui. Num instrumentũ hoc loco facit patrem? Et iterum, Paulus Apostolus per uoluntatem Dei. Et de his quidem satis. *Ibidem.* redeamus ad ea unde digressi sumus. Omnia per ipsum facta sunt. Moses quidem de uisibili creatura loquens, nihil nobis de mentalib. manifestauit. Euangelista aũt uno uerbo complexus omnia, inquit, Omnia p ipsum facta sunt, tã uisibilia q̃ inuisibilia.

Et sine ipso factum est nihil quod factum est.] Quia dixit quòd omnia ipse fecerit, ut ne quis existimet quòd & spiritum sanctum creauerit, apponit quòd omnia per ipsum facta sint. Et quæ omnia? Quæ facta sunt: perinde ac si diceret, Quòd si quid est ex natura condita, illud factum est à uerbo: spiritus autẽ quia non est illius factæ naturæ, non factus est ab eo. Itaq; sine uirtute uerbi nihil factum est quod factum est, id est, quod est naturæ illius creatæ ac factæ.

In ipso uita erat, & uita erat lux hominũ.] Pneumatomachi, q̃ spũm negãt Deũ, hãc particulam sic legunt, Et sine ipso factũ est nihil, deinde hoc loco facto puncto legunt quasi ab altero principio, Quod factũ est in ipso uita erat. & interpretantur locum iuxta suam mentẽ, dicentes q̃ hoc loco de spiritu sancto Euãgelista differat, dicens, Quod factũ est in ipso, hoc est, spiritus sanctus, uita erat. Hæc aũt dicunt Macedoniani, co- *Macedoniani.* nantes ostẽdere spũm sanctum esse creaturã, & annumerare eum his quæ facta sunt. Nos aũt non sic, sed puncto facto posti q̃ dixit q̃d factum est nouum principium legimus, In ipso uita erat. Posti q̃ enim dixit de opificio q̃ omnia p ipsum facta sint, dicit postea de eius prudentia, q̃ nõ solum cõdiderit, sed etiã ipse sit is qui uitã omniũ creaturarum cõseruet. Et enim in ipso uita erat. Nõ enim, inquit, suspiceris q̃ expers uitæ sit uerbum hoc, sed in ipso uita erat. Scio aũt à sanctorum quodã particulã hanc sic lectam: Et sine ipso factum est nihil q̃d factũ est in ipso: deinde posito signo, cœpta quę sequũtur, Vita erat. Opinorq̃ etiam hanc lectionem nõ malam, sed rectã habere sententiam. Sanctus enim iste orthodoxè intellexit, quia sine uerbo nihil factum est q̃d
B factum est in ipso. Omnia enim quæcunq; facta sunt, & cõdita sunt in ipso uerbo inquam, sine ipso nõ sunt facta. Deinde aliud initium erat, Vita erat, & uita erat lux hominum. Vitã Euangelista nominat Dominum, eo q̃ contineat uitam omnium in se, & q̃ spiritualis uitæ cõciliator fuerit omnibus ratione præditis. Lux autẽ non aliqua sensibilis, sed spiritualis, quæ ipsam animam illustret. Non dixit autem q̃ Iudæorum lumen duntaxat sit, sed omnium hominum. Omnes enim homines secundum quod mentem accepimus, & rationem ab eo quod nos creauit uerbo, dicimur illustrari ab *Ratio lux nostra.* eo. Nam ratio data nobis secundum quam rationales uocamur, lux est, quæ ducit nos ad ea quæ sunt facienda, & quæ non sunt facienda.

Et lux in tenebris lucet, & tenebræ eam non cõprehenderunt.] Lux, hoc est, uerbum Dei: in tenebris, hoc est morte & errore lucet. Nam & ipse mortuus sic, mortem superauit, ut & eos quos prius absorpserat coegerit ipsam euomere. Et in errore gentili fulget prædicatio. Et tenebræ eam nõ comprehenderũt. Mors enim eum non cõprehendit, neq; error. Inuictum enim est lumen hoc, Deus uerbum inquam. Quidã autem tenebras existimarunt & carnem & uitam. Verbum enim factum in uita & carne hac fulsit. Et tenebræ, aduersaria inquam potestas, tentarunt quidem & persecutæ sunt lumen, sed inuictum & infatigabile offenderunt. Tenebræ autem dicit̃ caro, non quòd secundum naturam sit talis, absit, sed propter peccatum. Caro enim nihil omnino habet malum, si naturaliter moueatur: sed si præter naturam moueatur, & peccato seruiat, tenebræ fit & dicitur.

Fuit homo missus à Deo, nomen ei Ioãnes.] Posti q̃ dictum est nobis de subsistentia uerbi Dei ante secula: qa & de incarnatione uerbi dicturus est, sermonẽ de præcursore interserit. Et quis alius q̃ Ioãnes p̃cursor haberet sermonem de ipsius natiuitate, q̃ præcurrit & ante natiuitatẽ Dñi? Dicit igit̃ de præcursore Euangelista, quòd fuit ho- *Matth. 11. Malach. 3.* mo missus à Deo, missus inquã à Deo, pseudo, pphetæ eñ nõ à Deo missi erãt. Cæterùm cũ audieris q̃ missus fuerit à Deo, nihil priuatum uel humanũ dicere putes, sed diuina omnia. Et ideirco etiam angelus dicitur. Angeli enim uirtus est nihil proprium *Angeli uirtus.* dicere. Item cum Angelum audieris, ne putes quòd natura sit Angelus, uel ex cœlo descenderit, sed propter opus & ministerium uocatur Angelus. Quia enim mi- *Ioan. bap.* nistrauit prædicationi, & prænuncius fuit Domini, eius gratia dictus est Angelus.

Pro

Propterea Euangelista subuertens quorundam opinionem qui suspicantur Ioannē A
natura fuisse angelum, dicit, Fuit homo missus à Deo.

Hic uenit in testimonium, ut testimoniū perhiberet de lumine, ut omnes crederēt per illū.] Hic, inquit, qui missus erat à Deo, uenit ut testimonium perhiberet de lumine. Deinde ne quis existimet ꝙ huius testimonio opus habuerit ad gloriā unigenitus, quasi aliqua ex parte inops, idcirco addidit ꝙ uenit testificaturus de filio dei: nō ꝙ illi us testimonio habeat opus, sed ut oēs credāt p illū. Num & oēs crediderūt? Minimè. Quō igitur, inquit Euāgelista, ut oēs credāt? Quō? Quantū in illo erat, ꝓpterea testificabatur, ut oēs trahat. Quāuis aūt quidā discredāt, nō tamē ideo ille reprehēdendus: ꝙniam & sol in hoc lucet, ut oēs illuminet: at si quis in caliginosa quadā domo se incluserit, & iubare nō fruat, ꝙd hoc ad solē? Sic igitur & hoc loco missus quidē fuit Ioannes, ut omnes credant: quamuis autem euenerit contrarium, ille in causa non est.

Non erat ille lux illa, sed ut testaretur de luce.] Quādoquidē, ut sæpe fieri solet, qui testat, maior est eo cui testimonium perhibet: ne existimes ꝙ Ioānes testificās Christo maior illo fuerit, malā suspicionē illam interimēs inquit, Non erat ille lux illa. Sed di-

Sanctus qui libet lux nū cupari potest, non autem lux illa.

xerit quispiam: Igit̄ non erit uel Ioannes, uel quispiam sanctorum uocādus lux? Lucem utiq; rectè dixerimus unūquenq; sanctorum, sed lucem illam cum articulo neutiquam dicemus. Vnde si quis tibi dixerit, Ioannes lux est? annue. Si autem interroga rit, nunquid Ioannes lux illa est? dic, non. Non enim ipse propriè lux est, sed lux per participationem, habens fulgorem à uera luce.

Erat lux illa lux uera, quę illuminat omnem hominē uenientē in mundū.] Dicturus est de incarnatione unigeniti, ꝙ uenerit in ꝓpria, ꝙ caro factus sit: ne igit̄ quis suspicetur ꝙ nō fuerit antequam incarnaretur, eius gratia subuehit mentē nostram in substantiā quæ ultra omne principiū est, & inquit, Erat etiā anteq̄ incarnaret̄ lux uera. Et per hoc Photini & Pauli Samosateni subuertit hęresim, qui docēt in suis dogmatibus unigenitum tunc cœpisse, quādo de Maria natus est, & ante hoc non fuisse. Au- B

Photini et Pauli Samosateni hæresis subuertitur.

di & tu Ariane, qui negas uerū Deum filiū Dei, quid dicat Euangelista: Erat lux illa uera. Et tu quoq; Manichæe, q dicis ꝙ simus creaturæ opificis diaboli, au di, quia lux illa uera illuminat omnē hominē. Si igit̄ malignus ille opifex tenebræ est, nullū utiq; illuminat: atq; ita ueræ lucis creaturæ sumus. Et quomodo, inquit, illuminat omnem hominē, cum uideamus tam multos obtenebratos? Quantū ad ipsum attinet, illuminat omnes. Dic enim, obsecro, nónne omnes rationales sunt? nónne omnes naturā scientes bonum & malū? nōne omnes habent uirtutē ex creaturis cognoscendi creatorem? Et ita ratio data nobis, & natura nos instruens, quæ & naturalis lex uocatur,

Ratio et natura, lex dicitur naturalis.

hæc uocata est lux nobis à Deo data. Quòd aūt quidam ratione usi nō sunt, hi seipsos obtenebrarunt. Nōnulli hanc dubitationem ita soluunt: Illumínat (inquiunt) Dñs omnē hominē uenientē in mundū: hoc est eos qui sunt in statu meliori, & dātes operā ut ornetur anima sua, neq; illam inornatam & turpem esse sinentes.

†κόσμος, mundus si ue ornatū.

In mundo erat, & mundus per ipsum factus est, & mūdus eū nō cognouit.] In mūdo erat, sicut Deus ubiq; præsens. Quin & ꝓpter prouidētiā, & cōseruatiuā uim qua omnia cōseruat, dicendus est in mundo esse: quanuis cum hoc, inquit, dico ꝙ in mundo fuerit, quoniā neq; mundus ipse fuisset, nisi ille ipsum cōdidisset. Vbiq; ipsum esse dit opificem, partim ut Manichæi insaniā reprimeret, qui dicit malignum opificem

Manichæi & Arij hæreses.

ꝓduxisse omnia: & Arium cōfutaret, qui dixit filium Dei esse creaturā: partim ut omnem hominem induceret ut confiteat factorē & nō seruiat creaturis, sed adoret cōditorem. At mundus, inquit, eum, non cognouit: hoc est, promiscuus ille populus, qui

Mundus.

mundanis addictus est negocijs. Mundus enim significat quidē & uniuersum hoc, sicut hoc loco dictum est quòd mundus per ipsum factus est: significat autem & eos qui mundana sapiunt: sicut hic dicit quòd mundus eum non cognouit, hoc est terreni homines, quoniam sancti omnes & prophetæ agnouerunt.

In propria uenit, & proprij eum non receperunt.] Hoc loco manifestissimè ingreditur sermonē de incarnatione: & est totus sententiæ contextus is, Erat quidem absque carne lux uera in mundo, & non agnoscebatur: deinde in propria uenit cum carne. Propria autem eius uel totum mundum intellige, uel Iudęos, quos elegit ut funiculum hæreditatis, & ut portionē peculiumq; suum. Et proprij eum nō receperunt, uel Iu-

A uel Iudæi, uel cæteri homines qui ab eo conditi. Igitur quemadmodum deplorat dementiam hominum, ita & admiratur misericordiam Domini. Qui proprij eius, inquit, erant, non omnes receperunt eum. Nullum Dominus necessitate cogit & attrahit, sed uoluntatem reliquit & electionem. *Necessitatem nulli infert Deus.*

Quotquot aũt receperunt eũ, dedit eis potestatẽ fieri filios Dei, his q credũt in nomine eius. Siue serui, siue liberi, siue pueri, siue senes, siue Barbari, siue Græci quotquot receperunt eũ, dedit eis potestatem filios Dei fieri. Qui aũt sunt illi? Hi q credunt in nomine eius, hi scilicet qui suscepto uerbo lucẽ uerã per fidem receperunt, & declararunt: cuius gratia nõ dixit q̃ fecerit eos filios Dei, sed q̃ potestatẽ dederit eis filios Dei fieri. Cuius gratia? audi: Quia nõ sufficit ad custodiã puritatis, baptizari, sed & multo studio est opus ut imago adoptionis in filiũ Dei, figurata in baptismate, incontaminata seruetur: idcirco multi quidẽ in baptismo gratiã receperunt adoptionis, per ignauiam aũt nõ fuerunt filij Dei usq; ad finem. Fortasis aũt quis etiam hoc dixerit quòd multi recipiunt eum per hoc q̃ solum credunt, quales sunt qui dicuntur catechumeni, nondũ aũt facti sunt filij Dei, potestatẽ aũt tunc habent, cum uoluerint baptizari, & hanc gratiam consequi, adoptionẽ inquam in filios. Dicet aũt quis & hoc: Quãuis in baptismo adoptionis beneficiũ accipiamus, tamẽ q̃d perfectũ est in resurrectione accepturi sumus, & perfectissimam adoptionẽ tunc recepturos nos speramus: sicut & Paulus inquit, Quia adoptionem filiorum accipimus. Quapp̃ter & hic Euangelista non dixit, Quotquot receperunt eum, fecit eos filios Dei: sed, dedit eis potestatem filios Dei fieri, hoc est, dedit ut in futuro seculo gratiam illam suscipiant. *Galat. 4. Rom. 8.*

Qui non ex sanguinibus, neq; ex uoluntate carnis, neq; ex uoluntate uiri, sed ex Deo nati sunt.] Comparationẽ quodãmodo facit diuinæ & carnalis generationis, nõ absurdè reducens nobis in memoriam carnales partus, ut agnita utilitate & humilitate carnalis generationis per comparationem, ad diuinã gratiã curramus. Dicit igitur,
B Qui non ex sanguinibus nati sunt, menstruis scilicet. Ex illis enim embryo nutrimentum habet & incrementum. Dicunt aũt q̃ & semen primùm sanguinis naturam accipiat, & deinde in carnem & aliam dispositionem transformetur. Quia autem probabile est quosdam dicturos q̃ & natiuitas Isaac ferè talis fuerit, quali generantur credentes in Christum (etenim Isaac non ex sanguinibus natus est: defecerant enim Sarę menstrua) itaq; quia possibile est quosdã talia suspicari, subdit, Neq; ex uoluntate carnis, neq; ex uoluntate uiri. Etenim q̃uis natiuitas Isaac non fuerit ex sanguinibus, erat tamen ex uoluntate uiri. Voluit enim utiq; uir generare sibi puerum de Sara. Ex uoluntate autem carnis, sicut ex Anna Samuel. Dixerit enim quis Isaac ex uoluntate uiri, Samuelem uerò ex uolũtate carnis, hoc est Annę. Sitiuit enim (inquit) ut possideret filiũ sterilis ista. Fortasis autem ambo ex utriq; Quod si & aliud quid uolueris discere, audi: Carnalis coitus uel fit à naturali ardore (sæpe enim quis calidioris cõplexionis est, & inde ad coitum est propẽtior) & hoc appellat uoluntatem carnis: uel propter malã consuetudinem, & intẽperantiam diætæ, impetus coeundi uolentior fit, & illũ nominat uoluntatẽ uiri, q̃ nõ sit ex naturali cõstitutione, sed opus sit uirilis intemperantię. Fortasis autem quia mulier interdum inuenitur ad coitum ꝓpẽtior, interdum uerò uir per uoluntatem quidem carnis, intellexit mulieris: per uoluntatẽ autem uiri, uiri lasciuiam significauit. [Intelliges autem rectè per uoluntatem carnis, concupiscentiã incendentẽ ad coitum carnem: per uoluntatem autem uiri, congressum ac copulã concupiscentis, qui operis est principiũ. Posuit autem ambo, quia multi concupiscunt quidem, at non statim à concupiscentia abstrahunt, sed imperãt illi & in opus non labuntur. Cæterùm qui uincuntur, illi primùm à carne & titillante cõcupiscentia succensi concitantur ut coitum uelint. Igit̃ rectè adiunxit Euangelista uolũtatem carnis uoluntati uiri, quia coitum natura præcedit concupiscentia, & in copula necessariò præcedunt utraq;.] Hæc omnia dicta sunt propter eos qui multa sæpe interrogant stultè, quoniam propriè dicendo una ex omnibus illis sententia declaratur, ipsius dico, quę in carnali est generatione, utilitatis clarior manifestatio. Quid igitur plus habemus nos, q in Christum credimus, quàm Israelitæ in legẽ? Etenim & illi dicebant̃ filij Dei. Magnum sanè inter nos & illos discrimen: quoniam lex in omnibus habebat umbram futurorum, neq; adoptionem filiorum Dei dabat Israelitis, sed *Gen. 18. Gen. 21. 1. Reg. 1. Ista desunt in codice Romano. Quid discriminis inter nos & Israelitas, dũ filij Dei utriq; dicimur. Heb. 10. Galat. 4.*

ſed quaſi in figura & typo, nos aũt ſecundũ ueritatẽ, accepto ſpiritu Dei p baptiſma, A
clamamus, Abba pater. Sicut aũt illorũ baptiſma in umbra & in figura erat, ita & ado
ptionẽ quoq; noſtrã pfigurabat. ꝓpterea q̃uis uocati fuerint filij, hoc tñ contigit eis in
umbra, neq; in ueritate eandẽ filiorũ adoptionẽ habuerũt, quã nos nunc p baptiſma.

Et uerbũ caro factũ eſt. Poſtq̃ dixit q̃ nos credentes in Chriſtũ ſi uoluerimus, effi-
ciamur filij Dei: ſubinfert nunc & cauſam tanti boni. Dicit enim, Vis diſcere quid cõ
ciliarit nobis hanc adoptionẽ in filios? Quia uerbum caro factum eſt. Quãdo aũt au-
dieris q̃ uerbũ caro factũ eſt, ne opineris q̃ à ſua natura deſtiterit, & in carnẽ uerſum
ſit, neq; eñ Deus fuiſſet, ſi uerſum & alteratũ fuiſſet: ſed manens quod erat, factũ eſt
quod nõ erat. Apollinarius aũt Laodicenus hinc hęreſim excitauit. Dogma eñ eius
erat, Dñm & Deum noſtrum non ſuſcepiſſe perfectam hominis naturam, uidelicet
corpus cum anima rationali: ſed carnẽ ſolam mentalis & rationalis animæ expertẽ.
Quid eñ opus habebat anima, inquit, q̃ habebat deitatem, quæ gubernabat corpus,
ſicut nos habemus animam corpus noſtrum dirigentem? Habebat autem anſam, ut
exiſtimabatur, ex præſenti dicto, Et uerbum caro factum eſt. Non eñ, inquit, dixit,
Et factum eſt homo: ſed, caro. & ita nõ ſuſcepit animam quæ habet mentem ac ratio
nẽ, ſed carnẽ abſq; mẽte & ratione. Ignorabat aũt miſerabilis ille q̃ ſcriptura plerũq;
à parte totũ nominet, utpote cõmemoratura totũ hominẽ, à parte, anima ſcilicet, ip-
ſum nominat: ut, Omnis anima quæ non circuncidit, occidatur. Ecce enim p eo q̃d
eſt omnis homo, dicit partẽ, animã ſcilicet. Et iterum à carne nominat totũ, ut quãdo
dicit, Et uidebit omnis caro ſalutare Dei. Dicere enim uolens omnem hominem, car
nis nomine uſus eſt. Sic & Euangeliſta pro eo quod eſt, uerbum homo factum eſt: di
xit, uerbum caro factum eſt: à parte totum hominem nominans, ex anima & corpo
re conſtitutum. Fortaſsis aũt quia caro à diuina natura alienior eſt, uolens Euãgeliſta
ſignificare immenſam Dei miſericordiam, carnis meminit, ut ineffabilem eius beni B
gnitatem obſtupeſcamus, q̃ propter noſtram ſalutem, alienum à natura ſua, & omni
bus modis peregrinum, carnem dico, aſſumpſerit. Anima enim cognationem quan
dam habet cũ Deo, caro aũt nullo modo cõmunicat: & idcirco opinor Euãgeliſtam
ſolo carnis nomine uſum, nõ q̃ anima expers ſit aſſumptionis, ſed ad maiorẽ oſtẽſio-
nẽ mirandi & ſtupẽdi ſacramẽti. Nã ſi non aſſumpſiſſet animã humanam uerbũ in-
carnatũ, incurabiles adhuc eſſent animæ noſtræ. Nã q̃d nõ aſſumpſit, nõ ſanauit. Et
q̃ ridiculum, cum anima prior ęgrotarit (illam enim, cum crederet ſermonibus ſerpẽ
tis, decipereturq; in paradiſo, ut dominam & reginam ſecuta eſt manus, & fructũ ami
git) ſi relinqueretur domina, & non aſſumeretur, nec curaret: aſſumeretur autem &
ſanctificaretur & curaretur caro. Verũm Apolinarius ualeat: nos aũt quando audi-
mus q̃ uerbum caro factum ſit, credimus q̃ totus homo factus: quandoquidem ſcri-
pturæ mos eſt carnem, & animam, ut à parte, totũ hominẽ nominare. Conuincit aũt
& Neſtorius ex hoc dicto. Dicebat enim ille q̃ non Deus uerbum fuerit ille homo
conceptus ex ſanctiſsimis ſanguinibus ſanctæ uirginis, ſed peperit quidem uirgo ho
minem: iſte aũt homo gratiam aſſecutus in omni uirtutum genere, habuerit uerbum
Dei ſibi coadunatũ, quod poteſtatem ei dederat cõtra immundos ſpiritus: atq; ita di
cebat duos filios, unum uirginis Ieſum hominem, & alium filium Dei, qui adunatus
quidem fuerit homini inſeparabiliter, ſed per habitum & gratiam & charitatẽ, quẽad
modũ & in alio uirtutibus prędito homine. Hæc ille, ſua ſpõte ad ueritatẽ ſurdus. Nã
ſi uoluiſſet, audiuiſſet utiq; & beatũ Ioannem Euangeliſtam dicentem, Verbum caro
factũ eſt. Nónne manifeſtè hic cõuincit. Ipſum enim uerbum factum eſt homo. Nõ
dixit q̃ inuento homine uirtutibus prędito, illi ſe adiunxerit, ſed factũ eſt ille ipſe ho-
mo. Cõfutant inſuper & Eutyches & Valẽtinus & Manichæus hoc loco. Illi enim di
xerũt q̃ apparuerit homo iuxta apparentiã. audiãt igit, Verbũ caro factũ eſt, nõ dicit
q̃ apparenter fuerit caro, ſed q̃ fuerit ueritas & ſubſtantia, & nõ phãtaſia. Abſurdum
enim & ſtultum eſſet credere † quòd cum ſit & dicatur filius Dei, mentiatur incarna
tionem. In hunc ſe modum mendax phantaſia ſemper oſtentat.

Et habitauit in nobis.] Quoniã ſuprà dixerat, Verbum caro factum eſt: ut ne quis
ſuſpicetur q̃ una natura facta ſit Chriſtus, ideo ſubdit, Et habitauit in nobis, ut oſten-
dat duas naturas, noſtrã ſcilicet, ac uerbi. Nã ſicut alterius naturæ eſt tabernaculũ &

alte-

Apollinaris Laodicẽſis hæreticus.

Gen 18.

Pſal. 74.

Luc. 3.

Gen. 3.

Scripturæ mos.

Neſtorius.

Eutyches. Valentinus Manichæus

† quòd cũ filius Dei ueritas ſit & dicatur

A alterius is qui inhabitat in eo: ita & uerbū in nobis habitare dicitur, hoc est in nostra natura, & alterius est naturæ q̄ sit nostra. Confundant Armenij, qui unā colūt naturam. Discimus igitur per, Verbū caro factū est, q̄ ipsum uerbū homo factum est: & cum sit filius Dei, factum est filius mulieris, quæ propriè Deipara dicitur, eo q̄ genuerit Deum in carne. Per hoc autem quod dicit, habitauit in nobis, discimus duas naturas credendas in Christo. Nam etsi unus sit secundum hypostasin, hoc est secundum personam: secundum naturas tamen duo, Deus uidelicet, & homo. Diuina autem natura & humana non fuerint una, etiamsi apud unum uideantur, Christum dico. *Armenij.* *Deipara.*

Et spectauimus gloriā eius, gloriā uelut unigeniti à patre, †plenū gloria et ueritate.] Posti̊ dixit q̄ caro factū sit, subdit nūc, Et spectauimus gloriā eius, cum uidelicet esset in carne. Etenim cum faciē Mosi ex colloquio Dei factā clariorē Israelitę uidere neq̄ uerint, multo magis apostoli nudæ deitatis unigeniti capaces nō fuissent, nisi per carnem apparuisset. Spectauimus aūt gloriā, nō talem qualē habebat Moses, uel cū qua gloria Cherubim & Seraphim prophetæ apparuerunt: sed talem gloriā, qualem decuit esse unigeniti à patre, quæ illi naturaliter ineſt. Nam uelut, hic non similitudinis, sed confirmationis & determinationis indubitatæ uerbum est: sicut cum regem uidemus cum gloria magna uenientē, dicimus q̄ uelut rex prodeat, hoc est, q̄ uerè sit rex: ita etiam hoc loco intelligere debes, uelut unigeniti, q̄ gloria quam spectauimus, reuera fuerit gloria filij plena gratia & ueritate. Gratia quidem plena, secundum quod sermo eius gratiosus erat, ut sic dicā iuxta Dauid, Diffusa est gratia in labijs tuis. Et Euāgelista, Admirabantur omnes super sermonibus gratię qui procedebant ex ore eius. Et omnibus †sanctis conferebat, prout congruebat eis. Veritate autem plena erat, secundum q̄ ea quæ prophetæ & Moses ipse uel dicebant uel faciebant, figuræ erant per omnia, et quæ Christus faciebat, dicebatq̄, plena erant ueritate, cum esset ipsamet gratia, & ipsamet ueritas, alijsq̄ suppeditaret eam. Vbi aūt spectarūt gloriā illā? Quidam suspicant q̄ fortasis in monte Thabor. Fortasis aūt & hoc uerum est, q̄ nō solū B in monte, sed etiam in omnibus quæ dicebat & faciebat, spectabant gloriam eius. πλήρης, id est plenūsū ad uerbum referatur. Theop. legisse uidet πλήρη, id est plenam, scilicet gloriam. *Exod. 34.* *Eccl. 10.* *Psal. 44.* *Matt. 7.* sanitates. *Matt. 17.*

Ioannes testatur de ipso, & clamauit dicens: Hic erat de quo dicebam, qui post me uenturus, ante me factus est, quia prior me erat.] Frequenter Ioannis testimoniū assumit Euangelista, non ut Dominū fide dignū faciat ex uerbis serui, sed quia turbæ magnam de Ioanne opinionē habebant, eius gratia in testimoniū Christi assumit Ioannem qui apud illos magnus nominabatur, & super omnes alios esse credebatur. Verbum autem, clamauit, magnam fiduciam & libertatem Ioannis ostendit. Non enim in angulo, sed magna cum libertate clamabat de Christo. Quid autem dicebat? Hic erat de quo dicebam. Ioannes etiam anteq̄ uideret Christum, testificabat de illo: idq̄ singulari Dei uoluntate, ut ne uideatur gratificans personæ Christi, de eo honestiora testari. ideo dicit, de quo dicebā, hoc est, etiam priusq̄ uidere eum. Qui post me uenturus, manifestè quantum ad natiuitatis tempora. Sex enim mensibus prior fuit præcursor Christi secundum natiuitatem in carne. Hic ante me factus, est hoc est uenerabilior & glorioſior me factus est. Quare? Quia & prior me erat, secundum deitatem. Ariani autem stultè interpretati dictū hoc sunt, Volentes enim demonstrare q̄ filius dei non sit genitus à patre, sed factus sit sicut una aliarum creaturarum, dicunt, Ecce Ioānes testatur de eo, Ante me factus est, hoc est, ante me factus & cōditus est à Deo sicut una creaturarū. Redarguuntur aūt male intelligētes dictū, ex eo quod sequitur. Quę em̄ sentētia apparet si dicat, Hic, Christus scilicet, ante me factus est, hoc est, priusquā ego, cōditus est, eo q̄ prior me fuerit? Omnibus enim modis stultū est dicere q̄ illum creauerit Deus prius, eo q̄ prior me erat: sed contrariū magis dicere oportebat: quia hic prior me est, ideo ante me factus est, hoc est, conditus est. Et hæc quidē Arianorū sunt dicta. Nos aūt orthodoxè intelligimus q̄ qui post me uēturus erat, iuxta natiuitatem in carne ex uirgine: ante me fuit, hoc est glorioſior & dignior me fuit, propter miracula quæ circa ipsum acciderūt in partu, in educatione, in sapientia, & meritò hoc. Etenim prior me erat secundū natiuitatē diuinā ex patre, cuius post me uenerit secundum aduentum in carne. *Arianorum hæresis.*

Et de plenitudine eius accepimus omnes, & gratiā pro gratia.] Et hæc præcursoris uerba sunt, dicentis de Christo q̄ nos & prophetæ omnes de plenitudine eius accepe

A rimus.

rimus. Maiorē enim gratiā habet, q̄ qui ſpiritu afflabant homines. Nā fons omnis bo A
ni & omnis ſapientiæ ac prophetiæ exiſtens, ſupereffluit, & dat ſe omnibus dignis, et
effluens plenus manet, ac nunquam exhauritur. Gratiam autem accepimus, noui ſci
licet teſtamenti, pro gratia ueteris legis. Et quoniam teſtamentum illud antiquatū eſt,
pro eo nouum accepimus. Et quomodo, inquit, nominauit gratiam uetus teſtamen-
tum? Eo quòd Iudæi, gratia in filios adoptati & recepti fuerūt. Dicit enim, Non quia
uos multi eſtis, ſed propter patres ueſtros uos elegi. Patres quoq; gratia ſuſcepti fue-
runt, & nos ex confeſſo gratia ſumus ſaluati.

Quia lex per Moſen data eſt, gratia & ueritas per Ieſum Chriſtū facta eſt.] Interpre
tatur nobis quomodo acceperimus gratiam magnā pro parua gratia, & dicit q̄ lex
quidem per Moſen data ſit, cum uteretur Deus mediatore homine Moſe. Nouū aūt
teſtamentū per Ieſum Chriſtū quod quidem & gratia nominat, eo q̄ largitus ſit nobis
Deus non ſolum peccatorū remiſsionem, ſed & filiorū adoptionē. Veritas aūt uocat,
eo q̄ quęcunq; patres olim in figura uel uiderunt uel loquuti ſunt, ea clarè hoc prędi-
carit. Nouū igitur inquā teſtamantū, quod & gratia nominat & ueritas, † datū eſt nō
per mediatorē aliquē hominē uilē, ſed per filiū Dei. Et uide quō de uetere dicit, Da-
tum eſt per Moſen. Miniſter em̄ & ſubditus ille erat. De nouo aūt teſtamēto nō dixit,
datum eſt, ſed factum eſt: ut oſtendat à Domino noſtro Ieſu Chriſto, ue ut domino,
non ſeruo, factam & ad finem perductam gratiam ac ueritatem. Nam lex quidē da-
ta eſt à Deo, mediatore Moſe: gretia autem facta eſt, non data, per Ieſum Chriſtū. Fa-
ctum eſſe, authoritatem quandam ſonat: datum uerò, miniſterium indicat.

Nouum teſtamentum et gratia et ueritas appellatur.

† mediatorem nō habet ſimplicem & purum hominem, 1. Ioann. 4.

Deum nemo uidit unquam. Vnigenitus filius, qui eſt in ſinu patris, ille enarrauit.]
Quoniā dixerat q̄ gratia & ueritas per Ieſum Chriſtū facta ſit, iſtucipſum uolens ad-
ſtruere, dicit, Nihil incredendū dixi. Nam Moſes quidē neq; Deum uidit, ſicut neq;
alius quiſpiam: nec potuit nobis manifeſtam & liquidam de illo narrationem dice-
re: ſed cum eſſet ſeruus, miniſter fuit ſolum legalis literæ. Chriſtus autem qui eſt filius,
& unigenitus, & in ſinu paterno eſt, non ſolum illum uidet, ſed etiam omnibus homi
nibus de illo annunciat: atq; ita, quia filius eſt, & patrem uidet, & in ſinu eius eſt, meri
tò gratiam & ueritatē nobis dedit. Cæterū dixerit hic forteſſe quiſpiā: Quomodo hoc
loco diſcimus q̄ nullus uiderit Deum, cum propheta dicat, Vidi Dominū? Vidit qui-
dem propheta Deum, at non ipſam ſubſtantiā, ſed ſimilitudinē & apparentiā quan-
dam, ſicut capere poterat. Et alius iterum in alia figura uidit, & alius in alia. Vnde ſci-
licet nō ipſam ueritatem uiderunt: non enim diuerſis figuris illam uidiſſent, quæ ſim-
plex eſt & infigurabilis. Quin neq; angeli uident Dei ſubſtantiam, q̄uis dicantur ui-
dere faciem eius. Hoc enim totum indicat, ſemper Deum eis apparere. Filius igitur
ſolus uidet patrem, & enarrat illum omnibus hominibus. Sinū autem audiens pater-
num, nō ſuſpiceris aliquid corporale de Deo. Euāgeliſta enim uolens nobis indicare
filium patri eſſe coæternū, ac uerum & inſeparabilem, huius nominis mentionē fecit.

Eſaiæ 6. Gen. 32.

Sinus paternus quis intelligatur.

Et hoc eſt teſtimoniū Ioannis, quando miſerūt Iudæi ex Hieroſolymis ſacerdotes
& leuitas ut interrogarēt eum, Tu quis es? Et confeſſus eſt, & nō negauit. Et cōfeſſus
eſt, nō ſum ego Chriſtus.] Dixit ſuperius q̄ Ioānes teſteī de illo: & cum interſeruit qd
teſtatus ſit Ioannes de Chriſto, nēpe q̄ hic ante me factus eſt & q̄ nos omnes prophe
tę de plenitudine eius acceperimus, ſubdit, Et hoc eſt teſtimoniū. Quale? Quod ſupe-
rius dixit, Ante me factus eſt &c. Sed & quæ deinceps dicit, non ſum Chriſtus, & hęc
teſtimonia ſunt Ioannis. Porrò Iudæi ad Ioannē miſerant præſtantiores quos habe-
bant, ſacerdotes uidelicet & leuitas, eoſq; Hieroſolymitanos, q̄ illi, utpote ſapientio-
res, perſuaderent Ioanni per adulationem ut cōfiteretur ſe eſſe Chriſtū. Vide aūt q̄
ſiniſtra ſit illorū mens. Non interrogant eum ſtatim, Tūne es Chriſtus, ſed, tu quis es?
Verùm ille cognita eorū malignitate, non dicit quis ſit, ſed confitetur, non ſum Chri-
ſtus: ad ſcopum utiq; illorū reſpiciens, & undequaq; illos ad credendū alliciens q̄ a-
lius ſit Chriſtus, quē ipſi putant uilem, & ex uili patre, fabro uidelicet, et cōtempta pa
tria, nempe Nazareth, ex qua nihil boni eſſe credebāt. Atqui de præcurſore ipſo ma
gnam habebant opinionem, eo q̄ natus erat ex patre ſacerdotū principe, & uitam an
gelicam & quaſi materiæ expertē ageret. Vnde iuſtè admiramur, quomodo per illa
ipſa per quæ illi gloriæ Chriſti nocituros ſe putabant, impediunt. Nam interrogabāt

quidem

A quidem Iohannem, ut fide dignum, quò testimonium illius, suæ in Christum incredulitati prætexant, si quidē non confessus fuisset illum Christum. Verùm secus euenit, & contra eos testimonium uersum est. Etenim eum, quem pro fideli habebant, inueniunt præclara testari de Christo, & non sibi ipsi honorem arrogare.

Et interrogauerunt eum, Quid ergo? Helias es tu? Et dicit, Non sum. Es tu prophe ta ille? Et respondit, Non. Dixerunt ergo ei, Quis es, ut responsum demus his qui nos miserunt? Quid dicis de teipso? Ait, Ego uox clamantis in deserto, dirigite uiam Domini, sicut dixit Esaias propheta.] Heliam existimabant uenturum ueteri traditione persuasi: unde quærunt num sit Helias, eo ꝙ & uita eius similis erat uitæ Heliæ. Negat igitur & hoc. Propheta ille es tu? Negat hoc etiam, tametsi propheta esset. Et quomodo igitur negat? Quomodo? Quia nō interrogauerunt eum, Propheta es? sed, propheta ille es? facta interrogatione cum articulo, hoc est, propheta ille qui expectabatur, de quo dixit Moses, Prophetam suscitabit uobis Dominus Deus. Non negauit itaq; Ioannes se prophetā esse, sed prophetam illum qui expectabatur. Quia enim audierant Mosen dicentē prophetā suscitandū, sperabāt propter occasiones quasdā hūc futurū illum prophetā. Deinde iterum instāt, Dic nobis, quis es? Tunc respondit eis, Ego uox clamantis in deserto. Ego, inquit, sum, de quo scriptū est, Vox clamātis in deserto. Nisi enim adieceris, de quo scriptū est, absurda quędā uideretur sermonis cōstructio. Quid aūt clamātis? Dirigite uiam Domini. Seruus, inquit, sum, & uias præparo Domino corda uestra. Proinde illa facite recta dolosi uos & obliqui, & facite æqua, ita ut Dominus Christus per uos iter faciat. Post hæc inducit Esaiam testē. Nam cum magnifica dixisset de Christo ꝙ Dominus esset, ipse uerò serui & præconis suscepisset opus, confugit ad prophetam. Fortasis autem quis sic exposuerit, Ego uox clamantis, hoc est, ego sum uox Christi clamātis, id est, ueritatem manifestè annuncians. Omnes enim qui in lege erant, submisse & humiliter sonabant, utpote qui nondū peruenerant ad tempus euangelicæ ueritatis. Et hæc sanè erat uocis ruditas in Mose, quia lex obscura erat, & non manifesta. Christus autem cum sit ueritas ipsa, & annun-
B cietnobis omnia quæ patris, clamās est. ideo Ioānes dicit, Ego sum uox uerbi clamantis, uersans in deserto. Deinde sequitur aliud principiū, Dirigite uiam Domini. Meritò autem dicitur Ioannes uox, eo quòd præcursor erat Christi, sicut & uox uerbū præcurrit & ut manifestius dicā, Vox quidē est spiritus inarticulatus, qui à pectore egreditur: quādo aūt lingua articulatur, tunc fit uerbū. Primùm igitur uox, & deinde uerbum. Prior Ioannes, & deinde Christus secundū aduentū in carne. Et baptisma quidem Ioannis non erat articulatū, non enim fiebat in spiritu: Christi uerò articulatum erat. Nihil enim umbrarum uel figurarum continebat, sed fiebat in spiritu.

Esaiæ 40.

Deut. 18.

Vox, spiritus inarticulatus.

Et qui missi fuerant, erant ex pharisæis, & interrogauerūt eum ac dixerunt ei, Cur ergo baptizas, si tu non es Christus, neq; Helias, neq; propheta ille?] Postq; per adulationem nō potuerūt eum ad suas partes trahere, atrocioribus & minacibus uerbis terrent, ut diceret quod uolebant, & confiteretur se esse Christū. Quid igitur baptizas? dicentes: Quis tibi hanc dedit authoritatē? Ostenditur aūt ex hoc sermone, illos aliū putasse esse Christum, & alium qui expectabatur prophetam. Dicunt enim, Si tu nō es Christus, neq; propheta ille: alium intelligentes Christum, & alium prophetam illum, malè sentientes. Nam propheta ille, ipse est Christus & Deus noster. Hæc autē omnia dicebant, sicut dixi, ut urgerēt eum ꝙ confiteretur se esse Christū. Immo si ueriora dicere licet, quasi inuidentes eius glorię, eum interrogant. Ideo non quærunt num ipse sit Christus: sed, tu quis es? quasi dicentes, quis es tu, qui tale opus attentas, baptizans & purificans confitentes? Etenim neq; Ioannē apud multos pro Christo haberi Iudæi mihi uelle uidentur, sed ex liuore & inuidia interrogare eum, tu quis es? Maximè igitur maledicti Iudæi, & uerè progenies uiperarum, qui Ioannem quidem baptizantem acceperunt: postquam autem baptizati sunt, ingrati fuerunt.

Respondit eis Ioannes, dicens, Ego baptizo in aqua: sed medius uestrūm stat, quē uos nescitis: ipse est qui post me uenturus est, qui ante me factus est, cuius ego nō sum dignus ut soluam eius corrigiam calceamenti.] Vide & mansuetudinē & ueritatem sancti. Mansuetudinē quidem, eo ꝙ nihil asperum ad eos loquitur, quāuis insolentes essent. Veritatem autem, quia liberrimus testis erat gloriæ Christi, neq; Domini glo-

riam occultabat, ut sibi nobilitatē pareret: sed cōfitebatur, Ego quidē baptizo imperfecto baptismo: nam in sola aqua, non habente peccatorū remissionē, sed præparante ad suscipiendū spirituale baptisma, quod donat remissionē peccatorū. Medius autem uestrūm stat, quē uos nescitis. Nam Dominus multitudini se miscuerat, & ignorabāt quis esset, & unde. Fortasis aūt quispiam dixerit q̄ & alio modo medius steterit inter pharisæos Dominus, sed ignorarint eum, quia ēm uidebant scripturas edidicisse, quibus annunciatus fuit Dominus, medius fuit inter eos, hoc est, in cordibus eorum: sed
1. Tim. 2. ignorabāt eum, tanq̄ non intelligētes scripturas, q̄buis cordibus illas tenerent. Fortasis autem & secundū q̄ mediator Dei & hominum fuit Dominus, medius stetit inter pharisæos, conciliare illos uolens Deo, sed ignorabant eum. Continuè aūt ponit hoc, qui post me uenturus est: ostendens q̄ neq̄ perfectum suum sit baptisma, sed tantum præuiū ad spirituale baptisma. Ante me factus est, hoc est, dignior & glorioſior, in tantum ut ego me nō ausim numerare uel in ultimis eius seruis. Soluere enim calceum, extremi ministerij est. Scio autem me apud sanctorū quendā etiā hanc legisse expositionem: Calceus semper sumitur ad peccatricem carnem, & corruptioni subditam: corrigia autem ut uinculū peccatorū. Igitur Ioannes in alijs quidē qui ad se egrediebātur, & confitebantur, poterat soluere corrigiam peccatorū. Vinculis enim suorū peccatorum constricti ad ipsum egrediebantur. Et per hoc quod uocabat eos ad pœnitētiam, uiam præparauit eis ad hoc ut perfectè corrigiam illam, & calceamentū peccati abijciant: in Christo autem nō inueniens corrigiam, hoc est uinculum peccati, meritò
Esaiæ 53. neq̄ soluit, neq̄ soluere potuit. Quomodo enim soluisset, in quo nō inueniebat? Peccatum enim non fecit, neq̄ inuentus est dolus in ore eius. Calceamentum autem, est aduentus Domini ad nos: corrigia autem eius, modus incarnationis, quo uerbū Dei unitum & quodāmodo colligatū corpori. utiq̄ hunc nodum soluere impossibile est. Quis enim posset soluere, quomodo Deus corpori colligatus sit?

Hæc in Bethania facta sunt trans Iordanem, ubi erat Ioannes baptizans.] Quare dixit q̄ hæc in Bethania facta sint? Vt ostendat magni præconis libertatem, q̄ non in domo, neq̄ in angulo, sed circa Iordanem in media multitudine hæc de Christo prædicauerit. Sciendum autem q̄ exemplaria emendatiora habent, in Bethabara. Bethabara. Bethania enim non trans Iordanem est, sed prope Hierosolymas.

Postero die uidet Ioannes Iesum uenientē ad se, & ait, Ecce agnus ille Dei, qui tollit peccatū mūdi.] Sæpe Dñs uenit ad præcursorem. quare? Vel omnino quādoquidē sicut unus ex multis & ipse à Ioanne baptizatus esset, ne putent quidā q̄ quasi peccatis obnoxius, æqualiter cum alijs baptizatus sit, idcirco iterū uenit, dās Ioanni occasionem corrigēdi hanc opinionē. ideo & Baptista dicit, Ecce agnus Dei, qui tollit peccata mundi. Nam qui tam purus est, ut & aliorū peccata tollere & abolere ualeat, manifestū q̄ nō acceperit æqualiter cum alijs confessionis baptisma. Exquire aūt diligenter hoc dictū, Ecce agnus ille Dei: quia sermo est ad cupientes & quærentes uidere illū agnū qui ab Esaia prædictus est. Ecce, inquit, †qui quæris, ille agnus ecce adest. Probabile enim multos in prophetico libro Esaiæ edoctos quæsiuisse quisnam ille agnus esset. Igitur Ioannes demōstrat eum. Non dixit autē, agnus: sed dixit, ille agnus. Nam multi quidā agni, sicut & multi Christi: sed ille est uerus agnus qui à Mose figuratur, et ab Esaia prædicitur. Porrò agnus Dei dicitur Christus, siue q̄ Deus acceperit mortem Christi pro nostra salute, siue q̄ Deus tradiderit illum pro nobis ad mortem: quemadmodum dicere solemus, sacrificium hoc illius est: hoc est, ille sacrificium hoc obtulit. Sic igitur & Dominus dicitur agnus Dei, eo q̄ Deus pater propter charitatē suam erga nos, illum dederit ad mortem. Non dixit autem, qui abstulit peccatū: sed, qui tollit in præsenti peccata nostra. Quotidie enim tollit peccata nostra, & aliorum quidem per baptismum, aliorum autem per pœnitentiam. Et agni quidem qui in ueteri lege immolabantur, nullius peccatum omnino abolebant: hic autem totius mundi peccatum tollit è medio, & abolet. Quare autem non dixit, peccata, sed peccatum? Fortasse quidem per hoc quòd dicit peccatū, in genere dixit, & de omnibus. Sicut enim dicere solemus, defecit homo, hoc est, omnis humanitas, à Deo: ita & hoc loco dicens peccatum, omnia peccata significauit. Fortasis autem, quia inobediens fuit homo Deo, & in uarias affectiones incidit: peccatū mūdi, inobedientia fuit, quam è medio

Esaiæ 16. †agnus ille qui quærit

Quare Christus agnus Dei dicatur.

abstulit

A abstulit Dominus, factus obediens usq; ad mortem, & contrarium contrario sanans. *Philip. 2.*

Hic est de quo ego dicebã, Post me uenit uir, qui ante me factus est: quia prior me erat.] Superius quidẽ ijs qui à pharisæis uenerant, Ioannes dicebat, Medius uestrũm stat, quẽ nescitis, qui ante me factus est: nunc digito ostendit illum, & manifestat ignorantibus, Hic est ille de quo testificabar, inquit pharisæis, ꝙ ante me factus sit, hoc est, dignior me & insignior. Quare? Quia prior me erat. Audi Ari, nõ dixit, prior me cõditus est, sed erat. Audi & tu Pauli Samosateni secta, ꝙ nõ à Maria esse cœperit Dñs, sed præcursore prior fuerit secundũ substantiam suam, quam ante secula habuit, quoniam si, quemadmodũ uos nugamini, Dominus à Maria initiũ suæ substantiæ assum psisset, quomodo prior fuisset præcursore? Etenim præcursor manifestẽ sex mensibus antecessit Dominũ iuxta natiuitatem in carne. Vir autem dicitur Dominus, fortasis propter ætatem perfectam, quoniam triginta annorum erat cum baptizaretur. Fortasis aũt ꝙ & omnis animæ uir sit, & ecclesiæ sponsus. Adaptaui enim, inquit Paulus, uos uni uiro ut uirginem castam exhiberetis, Christo scilicet. Dicit igitur præcursor, Ego quidem pronubus & internũcius, ueniet autem post me uir. Nam ego quidẽ traho animas ad fidem in Christum: ipse autem uir est qui illas sibi adiunget.

Arij & Pauli Samosateni secta confutatur. *Lucæ 1.* *1. Cor. 11*

Et ego ne nesciebã illum: sed ut manifestetur Israeli, propterea ueni ego in aqua baptizans. Et testatus est Ioannes dicens, Vidi spiritum descendentem specie columbæ de cœlo, & mansit super eum, & ego nesciueram eum: sed hic qui misit me ut baptizarem aqua, ille mihi dixit, Super quẽ uideris spiritũ descendere, & manere super eum, hic est qui baptizat spiritu sancto. Et ego uidi & testatus sum hũc esse filiũ Dei.] Quoniam cognatus Domini erat præcursor (dicit enim angelus uirgini: Ecce cognata tua Elizabeth concepit) ut ne quis suspicetur ꝙ propter cognationem præcursor gratificaturus fuerit Domino, & testimoniũ de ipso perhibuerit, eius gratia subinde dicit, Et ego nesciueram illum. ita suspicionẽ tollens: sed dicit, ut manifestetur Israeli, ideo ueni baptizare: ut omnes, inquit, adducant ad fidem in illũ, & monstretur populis, nam
B propterea ego baptizo. me enim baptizante concurrunt populi, & cum congregantur, manifestatur eis Christus, qui à me prędicatur, & præsens præsentibus mõstratur. Nisi enim propter baptismum conflluerent, quomodo à Ioanne monstraretur Dominus? Non enim ostiatim obambulabat, ut manu Christũ ostenderet, & unicuiq; monstraret. igitur ea de causa, dicit, ueni baptizare aqua, ut populis propter baptisma conuenientibus à me manifestetur. Hoc autem loco discimus ꝙ miracula pueritiæ Christi conficta sint, & mendacia, composita ab his qui deridere uoluerũt mysteriũ. Nam si fuissent uera, quomodo ignotus fuisset Dominus qui hęc faciebat? Neutiq; enim uerisimile fuerit, non fuisse celebrem eum qui talia faciebat miracula. Verùm nõ ita est. Non enim antequam baptizaretur, signa fecit, neq; cognitus erat. Sed is qui misit me ut baptizarem, ille mihi dixit, Super quem uideris spiritum descendere, ille est qui baptizat spiritu sancto. Ioannes (ut dixit) quò testimonium non suspectum faceret de Christo, testimonium refert ad Deum & ad patrem. Nam ego quidem, inquit, nesciebam illum: pater autem reuelauit mihi hunc in baptismate. Porrò interrogauerit quispiam: si ignorauit illum Ioannes, quomodo Matthæus dicit ꝙ prohibuerit eum, dicens, Ego debeo à te baptizari? Dicendũ igitur ꝙ sic intelligi debeat nesciuerã ipsum, ante multum temporis, & ante baptismum nesciuerã illum. Nam in baptismi tempore nouit illum. Vel etiam aliter dicendum, ꝙ nouerit quidem illum ꝙ esset Christus: ꝙ autem ille esset qui baptizaret spiritu sancto, tunc didicerit, quãdo uidit spiritum descendentem. Dico igitur, ꝙ nesciuerit illum, hoc sibi uelit, ꝙ nesciuerit illum esse qui baptizet spiritu sancto: sciebat tamen eum esse super multos, & ideo secundum Matthæum eum prohibebat, tanẽ omnino maiorem eum cognoscens. Postq; aũt spiritus sanctus descendit, manifestius agnouit, & alijs eum prædicauit. Spiritus aũt omnibus apparuit qui aderant, & non soli Ioanni. Cur ergo, dicet quispiam, non crediderunt? Eo ꝙ obtenebratũ erat insipiens cor illorum: quia & cum uiderunt eum facientẽ miracula, non crediderunt. Quidam aũt dicunt ꝙ non omnes uiderint, sed hi qui magis pij erant. Nam quanuis corporaliter descenderit spiritus, uerisimile tamen est nõ omnibus apparuisse, sed dignis: quandoquidẽ & prophetæ multa in sensibili specie uiderunt, sicut Daniel & Ezechiel, quę tamen nullus alius uidit. Et uidi, & testatus sum

Miracula pueritiæ Christi conficta.

Obiectio Matt. 3.

Dan. 10. *Ez. 1. 9. 10.*

quòd hic est filius Dei. Et ubi testatus est Ioannes quòd hic est filius Dei? nusq; enim A
scriptū est. Nam agnū quidē dicit, filium autem Dei nusquā. Vnde uerisimile est con-
Ioann.21. iectare q; & plura alia prætermissa sint. Non enim omnia conscripta sunt.

Postero die iterū stabat Ioannes, & ex discipulis eius duo, & intuitus Iesum ambu
lantē, dicit, Ecce agnus ille Dei. Et audierunt eum duo discipuli loquentē, & sequuti
sunt Iesum.] Propter audientiū ignauiā cogitur Ioannes eadem dicere, ut uel crebro
testimonio efficiat aliquid: neq; falsus est. Christo em̄ statim duos discipulos obtulit.
Nam cum reuera pronubus esset, omnia faciebat, ut humanā naturam sponso addu
ceret. Ideo & Christus quidē tacet, ut sponsus: pronubus autem omnia loquitur. Et
Nuptiarum ritus. Dominus sicut sponsus uenit ad multitudinem. In nuptijs enim non sponsa ad spon
sum, sed sponsus ad illam abit, etiam si regis filius sit. Ideo & Dominus naturam no
stram desponsaturus, descendit ad eam in terram, & factis nuptijs assumptus in coelū,
tulit eam in domū patris. Itaq; cum intuitus esset Iesum Ioannes hoc est, etiam corpo
†& admira tionem: Ecce, ralibus oculis præ se tulisset gaudium quod habebat in Christo † & miraculo: Vide,
inquit, agnus ille. At discipuli crebris testimonijs demulsi, sequuti sunt Iesum: non
quidem contemnentes Ioannē, sed magis obedientes ei, testanti de Christo meliora.

Conuersus autem Iesus, & conspicatus eos sequentes se, dicit eis, Quid quæritis? Illi
autem dicebāt ei, Rabbi (quod dicitur, si quis interpretetur, magister) ubi manes? Di
cit eis, Venite & uidete. Venerūt igitur, & uiderūt ubi maneret: & manserūt apud il
Matt.4. lum die illo. Hora aūt erat quasi decima.] Matthæus quidē cum de baptismate narras
set, statim subducit illum in mōtem ad orandū: at præsens Euangelista relictis ijs quæ
ab illo dicta sunt, refert ea quæ post descensum de monte facta sunt. Igitur postq; de
monte ubi tentatus fuit, descendit, sequitur discipulorū Ioannis comitatio & accessus
Doctor constituí quas debeat. ad Christū. Opinor q; sermo demonstret q; non debeat aliquis constitui doctor, nisi
prius ad fastigiū cōscenderit uirtutū (hoc em̄ mons significat) & omnē deuicerit ten
tationem, triumphū de tentatore referens. Sequuntur igitur primùm discipuli, & tūc B
interrogāt eum ubi maneat. Non enim publicè multis præsentibus, sed seorsim opor
tebat colloqui, quasi de rebus quibusdā necessarijs. Immo illi nō priores interrogant,
sed Christus ipsos inducit ad interrogandū. Dicit em̄ eis, quid quæritis? nō tanq; igno
rans (quomodo enim ignoraret, qui sciebat corda hominum?) sed ut per interroga
tionem prouocaret eos ad dicendū quid uellent. Verisimile enim est eos erubuisse,
& reueritos illum cui Ioannes testimonium plus q; de homine dederat. Te autem ue
lim admirari bonam illorum affectionem erga Christum. Non enim solum sequuti
sunt, sed & Rabbi salutant, hoc est, magister, idq; cum nihil adhuc ab illo audissent.
Volentes itaq; seorsim aliquid ab eo discere, interrogant ubi maneat. In quiete enim
commodius & discitur & auditur. Dominus uerò non dicit eis signum domus: sed,
uenite, inquit, & uidete. Hoc aūt fecit tum ut magis alliciat eos ad sequendū se, tum
ut probet eorum desiderijū num grauentur ex itinere. Nam si frigida mente accessis
Obiectio. Lucæ 9. sent, neutiq; ad domum fuissent sequuti. Quomodo aūt Christus alibi dicit q; filius ho
minis non habeat ubi caput reclinet: hoc autem loco uidetur habere domum? Non
hæc inter se dissident. Etenim quando dicit q; non habeat ubi caput reclinet: non di
cit q; nullum omnino habeat diuersorium, sed q; non habeat proprium. Si igitur ha
bitasset in domo, non propriam inhabitasset, sed alienā. Non frustra aūt Euangelista
assignat tempus, q; fuerit hora quasi decima, sed ut doceat & doctores & discipulos, q;
propter nullum tempus studia sua differre debeāt, neq; doctor prætexat aliquid, & di
Omne tempus doctrinæ aptum. cat q; uespere sit: & discipulus sciat omne tempus esse doctrinæ, nec differendum au
ditum in crastinum. Hinc autem discimus q; discipuli habebant uentrem minimè o
neratum, sed ieiunijs assuetum, eo q; tempus quod alij impendunt in quietem corpo
ris cibis grauati, & non ualentes serio operi intendere, hoc illi insumebant in doctri
nam. Ita erant discipuli Ioannis ieiunijs clari. Vide autem obsecro q; Christus conuer
tit se ad sequentes, & ostendit eis faciem suam. Nisi enim per bonam operationem
sequutus fueris Iesum, non peruenies ad contemplationem faciei Domini, neq; ibis
ad habitationem eius, hoc est, non peruenies ad illuminationem diuinę scientię nam
1. Tim. 6. domus Christi, Lux. Lucem enim, inquit, habitat inaccessam. Propterea nisi quis sei
psum purificauerit, & per purificationē sequutus fuerit, quomodo scientia illustrabit?

Erat

A Erat autẽ Andreas frater Simonis Petri, unus ex duobus qui audierãt à Ioanne, & secuti fuerunt illum. Inuenit hic prior fratrẽ suum Simonem, & dicit ei, Inuenimus Messiã, quod est, si interpreteris, Christus Et duxit illum ad Iesum. Intuitus illũ Iesus, dixit, Tu es Simon filius Iona, tu uocaberis Cephas, quod interpretari licet, Petrus.] Andreæ quidem nomen profert nobis, sed non alterius. Quidam autem dicũt illum esse Ioannem, qui hæc scribit. Nonnulli autem aiunt q̃ non fuerit ex nobilioribus alicuis. Præterea nulla utilitas fuerat etiam scire nomen. Cæterũ Andreæ mentionẽ facit, quia & insignior erat, & adducebat suum fratrem. Vide autem, obsecro, quantũ amauerit fratrem, & quomodo nõ occultauerit ab eo bonũ, sed cõmunicarit ei thesaurum, emiserit q̃ iucunditatis uocem, Inuenimus, dicens. Et uerisimile est, q̃ multo tẽpore desiderarint & meditati fuerint quærere illum. Nec q̃ simpliciter dicit, Messiam: sed, messiam illum: cum articulo, illũ ipsum qui propriè est Christus. Vnus enim erat qui ab eis expectabatur, quanuis multi essent Christi, qui & filij Dei appellabant. Adduxit autem illũ ad Iesum, non q̃ tam leuibus esset moribus, ut ad omnem sermonem circunferretur: sed q̃ feruenti & bono animo susceperat sermones quos ei dixerat frater de Christo. Verisimile enim est q̃ Andreas plura dixerit ei, & manifestè annunciauerit de Christo, utpote edoctus secretiora quædam, eo q̃ manserat apud Christum. Quòd si perseuerat quis arguendo facilitatem Petri, discat & hoc non esse scriptum, q̃ crediderit statim Andreæ, sed q̃ Andreas duxerit illum ad Iesum, id quod magis solidæ mentis fuerit, & non quouis uento circumactæ. Non enim simpliciter recepit sermonem Andreæ, sed uoluit uidere & Christũ, ut si quidem inueniret quod dignũ fide, sequeretur: sin minus, resiliret: & ita duci ad Iesum, non leuis, sed studiosæ mentis indicium erat. Quid igitur Dominus? Prophetando de illo, illi se manifestare incipit. Nam quia prophetiæ non minus q̃ signa, immomagis hominibus persuadent, prædicit de Petro, Tu enim, inquit, es Simon filius Iona. deinde & quod futurum, Tu uocaberis Cephas. Nam cum quod præsens est dicitur, etiam futurum credibile fit. *Prophetiæ uis.*

B Non dixit autem, ego te uocabo Petrũ, sed uocaberis. Nolebat enim ab initio authoritatem suam indicare, eo quòd nondum firmam in illum fidem haberent. Quamobrem autem agnominat hũc quidem Petrũ, illos autem, filios inquam Zebedæi, filios tonitrui? Vt ostendat quòd ipse sit qui & † olim nomina indiderit, & sicut nunc, ita etiam tunc mutauerit nomen Abram in Abraham & Saram in Sarram. Scias autem q̃ Simon interpretatur obedientia, Ionas uerò columba. Igitur mansuetudinis quæ per columbam significatur, filia est obedientia: & qui habet obedientiam, etiam ipse Petrus efficitur, per obedientiam proficiens ut firmetur in bono. *Matt. Gen. 17. † uetus Testamẽtũ dederit*

Postero die uoluit Iesus exire in Galilæam & reperit Philippum: & dicit ei, Sequere me. Erat autem Philippus à Bethsaida ciuitate Andreæ & Petri. Reperit Philippus Nathanael, & dicit ei, De quo scripsit Moses in lege & prophetæ, inuenimus Iesum filium Ioseph, Nazarenum.] Andreas quidem præcursore audito, & Petrus Andrea, secuti sunt Iesum: at Philippus uidetur nullum audiuisse, & statim secutus esse Dominum, dicentem sibi, Sequere me. Vnde hoc igitur, q̃ ille tam statim credidit? Videtur igitur primùm uox Domini animam illius stimulo quodam charitatis tetigisse. Non enim simpliciter saluatoris uox dicebatur, sed dignos statim flagrare faciebat intrinsecus ad amandũ ipsum: sicut & Cleopas dicit, Nónne cor nostrũ ardẽs erat in nobis cum loqueretur nobis in uia? Deinde aũt Philippus, eo q̃ solicitũ cor habebat, & multum meditabatur scripta Mosis, expectabatq̃ semper Christũ, statim simul atq̃ uidit, credidit: propterea etiam dicit, inuenimus Iesũm: quo ostendit q̃ semper quæsiuerit. Fortasis aũt & à Petro & Andrea de Christo didicit. Etenim uerisimile est colloquutos illos ei, qui ex eadẽ patria erat, & narrasse de Christo: id quod & Euãgelista uidet insinuare per hoc quod dicit, Erat aũt Philippus à ciuitate Andreæ & Petri. Parua autem fuit ista ciuitas, quę pagus rectius diceret: unde & digna miraculo Christi uirtus, q̃ ab his qui nullum afferebant fructum, præcipuos discipulos elegerit. Igitur neque Philippus apud se bonum hoc retinet, sed cõmunicat & Nathanaeli: & quia legis peritus erat Nathanael, ad legem & prophetas ipsum mittit Philippus, quia diligenter legem meditabatur. Porrò filium dicit Ioseph Dominum, quia eius filius putabatur: & Nazarenum illum appellat, quamuis propriè à Betheem fuit, in qua natus, sed *Christum cur mox uocati discipuli sequebantur. Lucæ 24.*

in Nazareth educatus fuit. At quoniam natiuitas eius multis incognita erat, manifesta autem educatio, à Nazareth eum nominat, utpote illic enutritum.

Et dixit ei Nathanael, A' Nazareth potest aliquid boni esse? Dicit ei Philippus, Veni, & uide. Vidit Iesus Nathanael uenientem ad se, & dicit de eo, Ecce uerus Israelita, in quo dolus non est. Dicit ei Nathanael, Vnde me nosti? Respondit Iesus, et dixit ei, Priusq; te Philippus uocaret, cum esses sub ficu, uidebā te.] Philippus quidem Iesum Nazarenum dicebat, Nathanael autem, utpote in lege diligentior, cognoscebat ex scripturis q; à Bethleem oportebat uenire Christum: & propterea dicit, A' Nazareth potest esse aliquid boni? Philippus uerò inquit, Veni & uide: sciens q; si gustaret uerba Christi, non esset discessurus. Porrò laudatur à Christo Nathanael, utpote uerus Israelita. non enim ad gratiam neq; ad odium loquebatur. Non enim uerba illa sunt incredulæ, sed diligentis & in lege uersatæ mentis, quæ sciebat quòd Christus non à Nazareth, sed Bethleē ueniret. Quid igitur Nathanael? num laudibus † remissior fit? Minimè, sed urget, manifestius & euidentius quiddam discere uolens. Ideo & interrogat, Vnde me nosti? At Christus dicēdo ei quæ nullus alius sciebat præterq; ipse & Philippus, quòd solus & locutus esset & fecisset, detegit & suam deitatē. Nam Philippus solus & nullo præsente sub ficu locutus erat Nathanaeli, quæ sanè omnia Christus etiā absens cognoscebat. Proinde & dicit, Cum esses sub ficu, uidi te. Priusquā autem appropiaret Philippus, dixit Dominus de Nathanaele. ut ne quis suspicetur quòd Philippus Christo dixerit de ficu, & alijs quæ locutus sit cum Nathanaele. Vnde Nathanael agnito Domino, fatetur eum filium Dei. audi enim quid dicat.

† stultè intumescit

Respōdit Nathanael, & ait ei, Rabbi, tu es ille filius Dei, tu es ille rex Israel. Respōdit Iesus, & dixit ei, Quia dixi tibi, uidebā te sub ficu, credis: maiora his uidebis. Et dicit ei, Amē amē dico uobis, posthac uidebitis cœlū apertū, & angelos Dei ascendētes & descendentes super filiū hominis.] Maximè potēs est prophetia, & efficacior miraculis ad alliciendū quosdam ad fidem. Dæmones enim etiam possunt miracula simulare, & apparenter facere: prescientiam autem futurorū, & prædictionem euidentem nullus habet neq; angelus, & quanto minus dæmones? Ideo & Nathanaelē Dīs attraxit dicens ei locum, & quòd locutus esset ei Philippus, & q; uerè esset Israelita. Nathanael igitur auditis illis sentire cœpit magnitudinē Domini, quantū tunc possibile erat, & fatetur illum filium Dei. Veruntamē quāuis filiū Dei fateatur, nō tamen sicut Petrus. Nam Petrus quidem confessus est filiū Dei ut Deū uerū, ideo & beatus prædicatur, & Ecclesia ei concreditur. Nathanael uerò ut hominē nudū quidē eum fatetur, gratia aūt propter uirtutē adoptatū in filium Dei: & hoc manifestiū ex eo quod subditur, Tu es ille rex Israel. Vides q; nondum uenerat ad perfectam cognitionē ueræ deitatis unigeniti. Etenim quasi amicū Dei, & quasi regē Israel eum credit esse. q; si uerè eum Deū esset cōfessus, nō dixisset eum regē Israel, sed regē uniuersi. Vnde nō prædicatur beatus, sicut Petrus: & Dīs corrigens eum, & inducens ad cognoscendū quiddam dignum sua deitate, Videbitis, inquit, angelos Dei ascendentes & descendentes super filium hominis. Ne enim, inquit, suspiceris nudum hominē, sed Dominū angelorum. cui enim angeli ministrāt, is uticq; nō fuerit purus homo, sed uerus Deus. Porrò hęc in cruce & ascensione euenerūt. Nam & ante tempus passionis angelus de cœlo cōfortauit eum, & in sepulchro uisi sunt angeli, & in assumptione, sicut Lucas prodit. Sunt qui per ficum legem intellexerunt, quasi fructū habentē ad tempus dulcem, asperitate autem legaliū obseruationū, & difficultate mandatorū quasi foliis obtectā. Dicunt igitur q; Nathanaelē Dominus uiderit, & intellectum eius illustrarit, quāuis adhuc sub lege esset. Tu & hoc scias, si quid & hæc arrident, q; Nathanaelē Dominus uidit adhuc sub lege existentē, hoc est, intra legē, & profunda legis scrutantē. Nam si nō esset scrutatus profunda legis, neutiq; uidisset eum Dominus. Scias autem et hoc, q; Galilæa interpretatur deuolubilis. Exiuit igitur Dominus in deuolubilē huius mūdi regionem, uel etiam humanā naturā: & nos sub ficu sumus, hoc est, peccato dulci, cui etiam non parū amaritudinis adest propter pœnitudinē & iudicia secutura. Sicut misericors uidet ac eligit eos qui fatentē ipsum filium Dei, & regē eius Israel qui uidet Deum. Et si quidem studiū adhibuerimus, & maioribus nos dignabitur spectaculis, & uidebimus angelos ascendentes quidem ad summitatem cognitionis Dei: descendentes

Prophetia maximè potens allicere quosdam ad fidem.

Matt. 16.

Luc. 22. 24. Act. 1.

Galilæa.

A dentes uerò iterum, incognibilem eius substantiam deprehendere non ualentes. Vel aliter, Ascendit quis, quãdo uersatur in sermonibus de deitate unigeniti: descendit autem, quando tractare gaudet sermones de incarnatione & descensu in infernum.

CAPVT II.

ET die tertia factæ sunt nuptiæ in Cana Galilææ, & erat mater Iesu ibi. Vocatus est autem & Iesus ac discipuli eius ad nuptias. Et cum defecisset uinum, dicit mater Iesu ad eum, Vinum non habent. Dicit ei Iesus, Quid mihi & tibi est mulier? Nõdum uenit hora mea.] Vocant ad nuptias Dominũ, nõ q uiderint miracula, uel aliud quiddã magnũ: sed simpliciter uocant ut notũ. unde hoc significans Euangelista, dicit, Erat autẽ mater Iesu & fratres eius ibi. Igitur sicut illam & fratres, ita & Iesum uocauerunt. Affuit autem ipse, & uocationem non repulit, quia non respexit ad domũ dignam, sed ad utilitatem & beneficia nostra. Nam qui nõ dedignatus est fieri seruus, multo magis nõ dedignatus est uenire ad nuptias. Exhortatur autem illum mater ut faciat miraculum, quę magnã de ipsius potestate sumpserat opinionem tam ob conceptionem, q̃ ob partum. Omnia enim conseruabat in corde suo, & ex illis cogitabat filium aliquid posse supra hominem. Neq; enim mater eius ut oraret eum ad faciendum aliquod miraculũ, ex alio quod prius uiderat facere, inducta est. Nam cum puer esset, nullum fecit miraculum: quia si fecisset, notus fuisset omnibus. Audiuerat item mater de testimonijs Ioannis, quæ de ipso erat testatus, uidebatq; iam & discipulos ipsum sequentes: & ex his omnibus coniectabat uirtutem filij. At ille increpat eam, non absurdè. dicit enim, si non adest uinum, oportet illos ipsos quibus deest, accedere & rogare, & nõ te matrem. Nam quando hortantur à domesticis, scandalum fit uidentibus. quando autem hi rogant qui opus habent, suspicione res caret. Cæterùm dicens, Nõdum uenit hora mea, non uult q obnoxius sit necessitatibus temporum, uel horas obseruet (quomodo enim hoc dicere possemus de factore temporum & seculorum?) sed q omnia tempore congruo operetur. Igitur quoniam adhuc incognitus erat, & occultus multis, & nondum omnes habebat discipulos, & neq; hi qui B in nuptijs erant, eum agnoscebant (nam alioquin ipsi accessissent, & rogassent pro uino) quia hæc omnia ita se habebant, Nondum (inquit) uenit hora mea, hoc est, opportunum tempus nondum adest. At hic adhuc urget Arij furor, qui monstrare nititur Dominum horis & temporibus subditũ. Disce igitur ô maledicte, q si fuisset horis & temporibus subiectus, quomodo postea fecisset miraculum? Oportebat enim secundũ sermonem tuum, quandoquidẽ seruiret horis & temporibus, nondũ autem uenisset hora eius, ut nõ posset miracula facere: sed miraculum fecit, non igitur seruit horis. Vide autem, oro, quomodo nõ usq; ad finem, neq; per omnia resistit matri, sed cum eam parum perstrinxisset, iterum preces eius implet, honorãs illam: & nobis dat formam reuerentiæ erga parentes.

Dicit mater eius ministris, Quodcunq; dixerit uobis, facite. Erant autem ibi hydriæ lapideæ sex positæ secundum purificationem Iudæorum, capientes singulę metretas binas ac ternas. Dicit eis Iesus, Implete hydrias aqua. Et impleuerunt eas usq; ad summum. Et dicit eis, Haurite nunc, & ferte architriclino: & tulerunt.] Ministris dicit mater, Quicquid dixerit uobis, facite, atq; ita eum maior fieret petitio, quumq; accessissent & illi, ac petissent: ut monstretur q non infirmitatis fuerit repulsa, sed ne uideretur accurrere & festinare ad miraculorum operationem propter ostentationem & uanam gloriam. Lapideæ autem hydriæ ad purificationem Iudæorum aderant. Iudæi enim fermè singulis horis abluebantur, & sic comedebant: ut si tetigissent leprosum, uel mortuum, uel rem habuissent cum muliere, se lauabant, quasi immũdi forent. Et cum Palæstina inaquosa sit, nec ubiq; inueniantur fontes, implebant semper hydrias aqua, ut nõ currerent ad flumina, si quando immũdi fierent. Non temere igitur dixit, secundũ purificationem Iudęorum. Sed ne infidelium quidam suspicarentur q mansissent in ea † uindemiæ quæda reliquiæ, & dein aqua infusa & mixta, uinum deinde tenuissimum factũ sit, ostendit q nunquam illa fuerint uini receptacula. Iam, num potuit etiam absq; eo quòd impleretur hydria aqua, creare uinum ex nihilo? Potuit quidem, sed sæpe obest magnitudo ne miracula creditu sint facilia. Interim hoc accedit, ut testes miraculi fiant ministri, qui aquã infuderant hydrijs. Insuper ut discamus q

Luc. 2.

Palestina inaquosa.

† facie

ipse sit

Universidad de Deusto
Biblioteca

ipse sit ille qui & in uite liquorẽ aquæ in uinum conuertat. Iubet autem ministros q̃ A
architriclino gustandum exhibeant. Non immeritò, sed ut ne suspicentur quidam ut
ebriorum conuentus fuerit, quorum gustus corruptus esset, & qui ebrietatis uitio exi
stimarunt aquam uinum. Ne igitur locum haberet talis suspicio, iubet gustandũ, da-
ri architriclino, qui sobrius erat. Etenim hi quibus tale concreditũ est ministeriũ, ma-
gis sobrij sunt, ut eorum iussu omnia quæ illic geruntur, ordinatè fiant & composité.

Adhortatio Theophylacti, & moralis expositio.

Cæterùm oremus ut hæc in nobis quoq̃ impleantur etiam nunc: nempe ut fiant nu-
ptiæ, hoc est, coniunctio Dei cum anima nostra, quandiu sumus in Cana Galilææ, lo
co inquam inferioris huius & deuolubilis mundi, eius qui rotatur, & rotat alia. Nu-
ptiæ illæ non fiunt sine præsentia Christi, & suæ matris, & discipulorum eius. Nisi e-
nim quis crediderit in Christũ, qui natus est ex Maria uirgine, & locutus est per Apo
stolos, quomodo coniunget Deo? Sciamus igitur quid miraculi operetur Dominus
in talibus nuptijs, & in tali coniunctione Dei ad animã. Aquam in uinum conuertit,
& sex nostras lapideas hydrias implet. Per aquam tu quidem intellexeris dissolutionẽ
nostram & mollitiem in uita ac doctrina: per hydrias uerò sex, quinq̃ sensus per quos
in operibus labimur: & sextam hydriam, rationalem uim, per quam in doctrinis peri
clitamur. Itaq̃ Dominus noster Iesus Christus, uerbum inquã euangelicum, nostros
sensus, siue in uirtute practica, siue contemplatiua, si quid in eis aqueũ est & resolutũ,
in uinum conuertit sapidũ, & lætificans uitam & sermonẽ: atq̃ ita implentur hydriæ
nostræ bono hoc poculo: sensus scilicet, ne in operatiua ui labamur: & ratio, ne in pra
ua incidamus dogmata. Obserua autem q̃ & lapideæ hydriæ propter purificationem
Iudæorum stabant illic. Nam Iudas quidem dicitur confessio: purificatur autem qui
pœnitet, per quinq̃ sensus quibus prius peccarat. Oculus malè uiderat, sed oculus ite-
rum lacrymas in confessione profundit, atq̃ ita seruit purgationi. Audiuit auris uerba
meretricia, sed iterum se inclinat ad uerba oris Dei. ita & in alijs sensibus. Sic & ratio-
nalis uirtus in dogmatibus peccat, sed iterũ mundat priorem malitiam quando ad pia B
dogmata redit. Cæterùm lapideæ hydriæ ideo sunt, uel q̃ ex terra formati sumus, uel
Galat. 5. q̃ solida receptacula talis uini esse oporteat, & nusquam futilia. Lapidea hydria erat
Pauli rationalis uis, etiam quando persequebatur. Zelator enim erat paternarũ tradi
tionum super omnes coætaneos & quando prædicabat. tantam enim uim uerbi ha-
Act. 14. bebat, ut à Lycaonibus Mercurius crederetur, utpote dux uerbi.

Postquã autem gustasset architriclinus aquã in uinũ uersam, neq̃ sciret unde esset,
sed ministri sciebant qui hauserant aquam, uocat sponsum, & dicit ei, Omnis homo
primo loco bonũ uinum ponit, & cum inebriati fuerint tunc id quod deterius est. Tu
seruasti bonũ uinum usq̃ ad hoc tẽpus?] Architriclinus nõ ministros, sed spõsum in-
terrogat: quare? Omnino iuxta diuinã prouidentiã. Nam si ministros interrogasset,
utiq̃ miraculũ reuelassent, & nullus eis credidisset. Initium enim erat signorũ, & nul-
lus adhuc opinionẽ talem habebat de Christo: atq̃ ita ministris narrantibus miraculũ
hoc, nullus credidisset. Igitur postquam & alia signa ostensa sunt, credibile & hoc fu-
turũ erat, & paulatim ministri omnibus hoc enarrãtes, fideles habiti fuerunt. Idcirco
ordinauit Dominus ne ministri interrogarentẽ, sed sponsus. Porrò nõ simpliciter fecit
uinum, sed & optimũ. Hæc enim quæ per miracula Christi facta, multo meliora his
sunt quæ per naturã fiunt. Et q̃ aqua factũ sit uinum, testes sunt ministri qui hauserãt
aquam. q̃ uerò optimum fuerit, architriclinus testatus est: quæ sanè omnia procedẽte
tempore prædicata, credibiliora q̃ facta sunt audientibus. Potes autem intelligere &
uinum quidem sermonẽ euangelicũ, aquam aũt omnia quæ ante Euangeliũ, quæ li-
quidiora & insipidiora erant, & ad illius perfectionem nõ peruenientia: & ut aliquid

Varias dedit Deus homini leges. Gen. 1. 9. 17 Exod. 19. & 20.

exempli gratia dicã, Dominus homini uarias leges dedit, unam in paradiso, secundã
tempore Noe, tertiam sub Abraham, nempe circuncisionẽ, quartã per Mosen, quin-
tam per Prophetas. Omnes igitur illę si conferantur cum Euangelij euidentia & uir-
tute, aqueæ sunt, si quis eas simpliciter & ad literã intelligat. Quod si quis spiritu ince-
dit, & intelligit abscondita, inueniet aquam mutatam in uinum. Nam quæ simpli-
citer dicuntur, & ad literam intelligũtur, multis omnino aqua sunt: qui autem spiritua-
liter dijudicat, inueniet uinum optimum, postea † habendum & seruandum à sponso
Christo: quandoquidem & in extremis temporibus monstratum est Euangelium.

† bibendũ

Hoc

A Hoc fecit initium signorum Iesus in Cana Galileæ, & manifestauit gloriam suam, & crediderunt in eum discipuli eius.] Quòd Dominus signa operari cœperit post baptismum, & prius quidem diximus: uidetur autem & hoc signum primò fecisse, dicit enim, Hoc fecit initium signorum. At dicet quis, q licet fuerit initium signorum, non tamen omnium, sed eorum quæ in Cana Galilææ. Nam cum plura ibi fecerit signa, hoc tamẽ primũ fuit. Et hæc quidem illi dixerint: nos autem q̃uis multa habeamus ad monstrandum q initium fuerit omnium signorum (etenim cum dicit, manifestauit gloriam suam, & crediderunt in eum discipuli eius: indicat q ante hoc nõ fecerit miraculum aliud, ab illo enim manifestauit gloriam suam) attamen nõ refert siue hoc siue aliud fuerit prius. Quomodo autem manifestauit gloriã suam? Non multi interfuerunt, neq; coram populo fuit factum. Verùm quidem nõ tunc, sed postea miraculum hoc audituri erant omnes, unde usq; in hunc diem celebratur, & in occulto non est. Quòd autem & discipuli eius crediderint in eum, ita intellige, q fidem ampliorem & firmiorem acceperint, quia & prius quidem crediderant, sed non tam firmiter.

Signum in Cana, an absolutè primũ fuerit.

Post hæc descendit Capernaũ ipse & mater eius, & fratres eius, & discipuli eius, & ibi manserunt nõ multis diebus. Et in propinquo erat pascha Iudæorum, & ascendit Iesus Hierosolymam, & reperit in templo eos qui uendebant boues & oues & colũbas, & nummularios sedentes. Et cum fecisset flagellum è funiculis, omnes eiecit de templo, oues simul ac boues, & nummulariorum effudit æs, mensasq; subuertit: & ijs qui columbas uendebant, dixit, Auferte ista hinc, nec facite domũ patris mei domũ mercatus. Recordati uerò sunt discipuli eius quod scriptũ est, Zelus domus tuæ exedit me.] Descendit in Capernaum Dominus, non alterius usus gratia, q̃ ut matrem suam illic residere faceret, ut ne illã ubiq; post se traheret. Quoniam enim ad nuptias uenerant in Cana, nuptijs habitis ãbducit matrẽ in domũ suam in Capernaũ. Manifestum autem q propter hanc causam descenderit in Capernaũ, ex eo q neq; multis illic manebat diebus, neq; miraculũ illic faciebat. Increduli enim erant eius ciuitatis

Psal. 68.

Matt. 11. Lucæ 10.

B uiri, ideo & alio loco Dominus eam miseram esse dicit. Quod autem dicit Euangelista fuisse prope pascha, ostendit q non ante multos dies paschæ fuerit baptizatus. Porrò ubi ascendit in Hierusalẽ, rem fecit magnæ authoritatis. Vendentes enim oues & boues eiecit. Iam q faciũ hoc & Matthæus cõmemorat, scias q non semel hoc Christus fecerit, sed hoc quod Matthæus cõmemorat, fecit prope tempus passionis, quod autem apud Ioannem, in exordio signorum, idcirco hoc loco minus asperè dixit, Ne feceritis domum patris mei, domum mercatus. initium enim signorũ adhuc erat, & nondũ tanta signorũ ostensorũ erat authoritas. Illic autem apud Matthæũ dicit, Non facite, inquit, spelun cam latronũ. Manifestè enim illos latrones nominauit, q ex iniustis modis lucrum facerent. Quando enim quis ex eo quod parui precij est, multũ precij petijt, & à pauperibus fortasis & uiduis lucrum corradit, sicut fermè solent hi qui necessaria uenditant, quid aliud q̃ opus latronis facit, ex calamitatibus aliorũ lucra cõportans? Et quare illos è templo eiecit? Nõ immeritò. Quia enim in sabbato sanaturus erat, & soluturus legem: ut ne uideatur cõtrarius Deo, corrigit hoc loco opinionẽ illam. Neq; enim tantũ zelũ propter domũ ostendens, spreuisset Deum; Dominũ domus. Non enim simpliciter eijcit, sed & flagello plexo percutit, & subuertit mensas, & æs, hoc est pecuniam nummulariorũ, effundit. Et opus periculosum attentans, nõ se in periculum coniecisset pro domo Dei, soluens legem Dei ut aduersarius: sed omnino ut filius Dei, & æqualem habens potestatẽ patri, qui legem de sabbato statuerat. Ideo autem nõ dixit domum Dei, sed domum patris mei, ostendens q potestatẽ habeat sicut filius patris omniũ. Nummularij aũt, qui & collybistæ, sunt hi qui parua numismata uendunt. Collybos em̃ apud Græcos minutũ numisma est, quod Romani nummũ uocant. Multi aũt ex pontificibus in hunc modum peccant. Nam & ipsi negociatores uendũt boues in Ecclesia: hoc est, q præstãtes sunt in uerbo doctrinę, nõ iuuant, sed tradunt his qui affligere uolũt. Insuper & oues, hoc est, simpliciorẽ & cõmunem populũ: & columbas, hoc est spiritualia dona uendũt, & maiores dignitates conferũt his qui plura dant: quos Dominus eijcit è tẽplo, indignos iudicãs sacerdotio. At hæc si quis æs & nummũ, hoc est, & sermonẽ & dogma uendat, & fortasis cum sit doctor, nõ annunciet uerbum, nisi lucrum habeat, etiam eius mensam subuertit Dominus.

Matt. 21. Christus nõ semel emẽtes et uendentes è tẽplo eiecit.

Pontificum peccatum.

In doctores quæstuarios.

nus, sedem dico doctrinæ, sermonem quem ille cohibet propter malitiam, non dans A
illum omnibus, quem Dominus Iesus per misericordiam effundit, populisq; dat illū
quidem à principatu deijciens, & alium in doctrinę sedem collocans. Recordati sunt
autem discipuli eius q̄ scriptū sit, Zelus domus tuæ comedit me. Paulatim enim in-
Psal. 68. crementa boni sumentes, & scripturarum recordantur, inde testimonia recipiendo,
& firmiorem de Christo scientiam apud se constituendo.

Responderunt ergo Iudæi, & dixerunt ei, Quod signum ostendis nobis quòd ista
facias? Respōdit Iesus, & dixit eis, Destruite templum hoc, & in tribus diebus erigā
illud. Dixerunt ergo Iudæi. Quadraginta sex annis extructum est templū hoc, & tu
in tribus diebus eriges illud? At ille dicebat de templo corporis sui. Cum ergo resur-
rexisset à mortuis, recordati sunt discipuli eius quòd hoc dixisset, & crediderunt scri-
pturæ, & sermoni quem dixerat Iesus.] Postquam uiderūt Iudæi Dominum magna
potestate hæc facere, & dicere, Ne feceritis domum patris mei mercatum, dicunt. Per
suade nobis signo aliquo q̄ filius Dei sis tu, & quòd illinc missus sis. Vnde enim ma-
nifestum quod pater tuus sit qui domus istius est dominus? At ille per ænigma eis
respondit, Soluite, dicens, templum hoc, corpus omnino suum dicens, quòd in ipso
habitabat omnis diuinitas unigeniti. Vbi autem dixit, Soluite, non exhortatus est ad
cædem, absit: sed quoniam sciebat facturos, certò euenturum affirmat. Audiant uerò
Ariani quomodo sicut Dominus & mortis destructor dicat, Excitabo. nō enim dicit,
Excitabit pater, sed, ego excitabo, propria uirtute usus, nullaq; externa indigens. Cæ
terum Iudæi de inanimato tēplo ipsum dicere autumantes hoc, derident eum. Cum
Quot annis templū Solomonis extructum sit. quadraginta & sex annis sit ędificatum, quo pacto (dicunt) tu dicis in tribus diebus te
excitaturum? Sciendum autem q̄ quando à Solomone templum primò extructū est
uiginti annis omnia perfectè absoluta fuerunt, postea autem post captiuitatem, He-
braei accepta potestate illud reædificandi, cœperunt quidem sub Cyro rege ædifica-
re: impediti autem ab his qui inuidebant eis, prorogarunt structuram usq; ad Arta-
†securitatē maximam xerxen regem, sub quo nacti †omniū rerum copiam, omni studio uix potuerūt per- B
ficere opus. Vnde & dicitur Iudæos ædificantes altera manu gladium, altera tenuisse
ædificatorīū instrumentum, usqueadeo timebant uicinos Idumæos, non aūt Persas, à
quibus (ut dixi) omnes accipiebant sumptus. Istam itaq; structuram, post captiuita-
tem aiunt quadraginta sex annis factam, eo quòd prohiberentur & impedirentur Iu
dæi à Cyro usq; ad Artaxerxen. Et nō est mirandū q̄ Iudæi non intellexerint, quan-
doquidem neq; discipuli intelligebant. Obstabant enim duo magna: unum, q̄ resur-
rectio per se tam difficilis captu, immo omnibus ignota esset: alterū, q̄ Deus corpus
eius inhabitaret. Etenim post resurrectionem cognouerunt discipuli, & crediderunt
Psal. 15. scripturæ: cui scripturæ? Omni quæ de resurrectione tradit: manifestissimè aūt ei quæ
Esaiæ 53. secundum transl. 70. dicit, Non derelinques animam meam in inferno. Et illi, Dominus uoluit purificare
eum à plaga & ostendere ei lumen. Manifestè enim illa de resurrectione dicunt. A-
pollinarius autem tentat hoc loco patrocinium suæ hæreseos inuenire. Volens enim
persuadere inanimatam esse carnem Domini, dicit q̄ templū dicatur caro, templū au
tem inanimatum sit, inanimata ergo & caro est. Attonite & uersute: tu & ligna & la-
pides, Domini carnem facies, quādoquidem ex his est templū? Quando aūt audieris
Ioann. 12. Dominum, Nunc turbata est anima mea: &, Potestatem habeo ponendi animā meā:
Ioann. 10. quomodo ea intelligis? Quòd si tu non de mentali & rationali anima hæc dicta asse-
Luce 23. ris, quò referes hoc, Pater in manus tuas commendo spiritum meum? Vtiq; hoc de
Psal. 15. irrationali anima non intellexeris. De hoc autem, Non derelinques animam meam
†una cum tuis pereas in inferno, quid tibi uidetur? At tu †propter tua corrumpis.

CAPVT. III.

QVum autem esset Hierosolymis in pascha in die festo, multi crediderunt in no
men eius, uidentes signa eius quæ edebat. Ipse autē Iesus nō credebat semet ip-
sum eis, eo quòd ipse nosset omnes, nec opus haberet ut quisquam testaretur de ho
mine. Ipse enim sciebat quid esset in homine. Erat autem homo ex pharisæis Nicode
mus nomine, princeps Iudæorū: hic uenit ad Iesum nocte, & dixit ei, Rabbi, scimus
quòd à Deo uenisti magister. Nullus enim hæc signa potest facere quæ tu facis, nisi
Deus sit cum eo.] Videbantur quidem nonnulli credere in nomine Iesu, cum esset in
festo;

A festo, sed non firma illorū fides erat. ad tempus enim attendebant Christo, non ut Deo, sed ut homini qui Deo afflabatur: ac iterū à fide illa contemptibili excidebant. Nam qp tales fuerint, manifestū ex sequentibus. Iesus enim ipse, inquit, nō credebat se eis, neqꝫ omnia dogmata, ut his qui uerè credunt, concredebat. Scrutator enim est cordium, & scit quid sit in homine. Non enim ignorat quales sint cogitationes in singulis hominibus. Fermè & Nicodemus talis erat, qui & ipse credebat Iesu, & uidetur pro Domino contra Iudæos loqui, qp oporteat cum scrutatione & examine condemnari illum: sed post crucem multum officij & liberalitatis in sepultura exhibuit. Cæterùm quia non ut oportebat, credulus erat, & adhuc infirmitate Iudaica tenebatur, nocte quidem uenit ad Iesum, propter timorem Iudæorum. Magistrum autem ipsum uocat, quasi purum hominem. talem enim opinionem de eo cōceperat. iccirco & subdit, Nullus potest talia facere, nisi Deus sit cū eo. Vides qp sicut ad prophetā & hominem dilectum à Deo, accedit ad Iesum. Quid igitur Dominus? Nō arguit, neqꝫ dicit, Quare igitur ad magistrum qui à Deo missus est, uenisti nocte? quare non fidenter & publicè accedis? Nihil horum dicit, sed lætè ei de diuinis & sublimibus differit. Nota autem quòd quanuis Christus multa fecerit miracula, nullum tamen illorum narrat Euangelista, uel quòd ab alijs traduntur Euangelistis, uel quòd maiora sint cꝫ quæ particulatim recensentur.

Hiere. 17. Psal. 93.

Nicodemus non perfectè credidit

Respondit Iesus, & dixit ei, Amen amen dico tibi, nisi quis natus fuerit supernè, non potest uidere regnum Dei.] Videntur uerba quæ à saluatore dicta, nihil alludere ad ea quæ à Nicodemo dicta: at si quis rectè peruiderit, ualde congruere inueniet. Quando quidem Nicodemus humilem de Christo habebat opinionem, nempe quòd magister esset, ac Deus esset cum illo, dicit ei Dominus, Meritò ita de me sentis. nondum enim natus es supernè, hoc est, à Deo spirituali natiuitate, sed carnalis es: & cognitio quam de me habes, nō est spiritualis, sed animalis, & humana. Egò autem dico tibi, quòd nisi tu, & quisquis alius fuerit, supernè & ex Deo nati fueritis, & p.am & dignam de me opinionem habueritis, extra regnum cœlorum estis. Natiuitas enim per baptismū, illumi
B nationem præbens animę, regnum Dei, hoc est, unigenitū illius filium, uidere, hoc est, intelligere dat. Nam sicut Dei sapientia filius est, ita & regnum quoqꝫ Dei dicitur. Hoc sanè regnum nemo uidet, hoc est, intelligit, ô Nicodeme, nisi natus fuerit à Deo: atque ita etiam tu, quoniam nondum natus es spiritualiter, propterea non uides me regnum Dei, sicut oportet, sed humilem opinionem de me habes.

Dicit ad eum Nicodemus, Quomodo potest homo nasci, quum sit senex? Num pōtest in uentrem matris suæ iterum introire, ac renasci? Respondit Iesus, Amen amen dico tibi, nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu, non potest intrare in regnū Dei.] Audiens Nicodemus doctrinam plus cꝫ humanam, stupescit, & passus humanum quiddam interrogat, quomodo potest? id quod incredulitatis est signum. Vbi enim fides non est, illic quæritur, quomodo hoc, & quare hoc? propterea ridicula Nicodemi uerba apparent. Neqꝫ enim intellexit spiritualem natiuitatem, sed mentionem corporalis uentris facit. Postquàm enim audiuit, nisi quis ἄνωθεν, è supernis fuerit natus, existimauit ἄνωθεν ab initio, & denuò, atque tale quippiam dici, nisi quis ab initio & denuò nascatur: & propterea dicit, Quomodo potest is qui senex est, denuò intrare in uterum matris suæ? Nam duo illum faciebant perplexum, natiuitas scilicet spiritualis, & regnum. Neqꝫ enim nomen regni cœlorum auditū erat aliquando apud Iudæos. Nunc igitur de natiuitate dubitat. propterea & Christus ei manifestius spiritualis natiuitatis modū reuelat, Nisi quis nascat, dicens, ex aqua & spiritu. Homo cum ex duobus constet, ex corpore & anima, habet natiuitatis quoqꝫ duplicem modum. Aqua enim si uisibiliter accipiatur, ad corporis ptinet purificationē: spiritus uerò inuisibiliter cōcurrens, ad inuisibilis animæ regenerationē pertinet. Quod si rogas, qūo aqua potest generare? Interrogabo & ego, quomodo semen & ipsum aquosum existens, potest in hominem transformari? Igitur sicut in corporali semine totum est gratię diuinę, ita & in baptismate aqua subdita est, & spiritus omnia operatur, & inuocatio per preces, immo Dei præsentia. Symbola enim sepulturæ & resurrectionis in aqua illa perficiuntur. Tres mersiones, triduanæ sepulturæ symbola sunt: deinde regreditur homo, sicut Dominus, fulgidior & clarior, incorruptionis ferens indumēta, qui in aqua corruptionē summersit.

Nota incredulorū uerba.

ἄνωθεν.

Trinæ mersionis symbolum.

Quod natum est ex carne, caro est: & quod natum est ex spiritu, spiritus est. Ne admireris

mireris q̃ dixi, Oportet uos nasci è supernis. Spiritus ubi uult spirat, & uocẽ eius audis, A
sed nescis unde ueniat, & quò uadat. Sic est omnis qui natus est ex spiritu.] Abducens Dominus Nicodemum à carnali natiuitate, dicit, Quod natum est ex carne, caro est: & quod natum est ex spiritu, spiritus est. hoc est, spiritualis est homo, qui natus est per baptismum. Per spiritum enim, spiritualem intelligere debes. Neq; spiritus diuinus sit baptizatus, sed cum adoptionem filiorũ in spiritu, & gratiam & honorem susceperit, spiritualis esse meretur. Videns autem Nicodemum adhuc perturbari, dicit: Ne mireris. deinde sensibili exemplo docere eum tentat. Spiritus enim (inquit) ubi uult, spirat. A uento, inquit, disce maiora. Ventus enim, quem hoc loco spiritum uocat, ubi uult, flat: & sonum eius audis, & ignoras tamen unde feratur, Nequit enim comprehendi uel prohiberi. Naturali enim potestate fertur in aliquem locũ incertum. Cæterum ubi uult, inquit, nõ q̃ uentus uoluntatẽ habeat, sed (ut dixi) à natura indita illi potestas quæ prohiberi nequit ostenditur. Si igitur uentũ, qui spiritus est sensibus subiectus, ignoras quo modo & quò spiret, quomodo regenerationẽ à diuino spiritu curiosius inquiris: Si hic spiritus cõprehendi nequit, multo minus sancti spiritus gratia legibus naturæ subdet̃.

Macedonius. Confundat̃ Macedonius, spiritus oppugnator, & q̃ antecessit illũ Eunomius. Ille enim seruũ facit spiritũ, cuius audierit hoc loco q̃ uentus quò uult, spirat. multo igitur magis

Eunomius. spiritus sanctus liberiorem habet motionem, & quò uult, & sicut uult, operabit̃. Eunomius uerò in illo ipso peccans, & creaturam dixit spiritum, & in tantam peruenit peruicaciam, quasi cognosceret Deum sicut ipse seipsum. Audiat igitur quòd neq; uenti impetum neq; finem sciat. Quomodo igitur Dei substantiam cognoscet impostor?

Respondit Nicodemus, & dixit ei, Quomodo possunt hæc fieri? Respondit Iesus, & dixit ei, Tu es ille magister Israelis, & hæc ignoras? Amen amẽ dico tibi, q̃d scimus, loquimur: & quod uidimus, testamur: & testimoniũ nostrum nõ accipitis. Si terrena dixi uobis, & non creditis: quomodo si dixero uobis cœlestia, crediturí estis?] Nicodemus adhuc in Iudaica imperfectione subsistit: propterea iterũ rogat, quomodo possunt hæc fieri? Ideo & Dñs monstrans ei q̃d p̃ imperfectionẽ ita loquit̃, dicit, Tu cũ sis doctor in Is B

Gen.1.2. Exo.7.8.9. 14. rael, si recordatus fueris miraculorũ quæ in ueteri testamento tradũt̃ de formatione hominis, & alia, quomodo formatus sit, quomodo ex latere uxor, quomodo prodigia in Aegypto, quũ in mari rubro, quomodo sterilis pepererit, & similia: si hæc considerares

1.Reg.1.2. sicut doctor in Israel, nõ discrederes his quę nũc dico. Veruntamen ego quidem quod scio, dico: & quod uidi, hoc est clarè cognoui. Neq; enim corporalem uisionẽ significat cum dicit, uidimus: sed cognitionẽ certissimã. At uos testimoniũ nostrũ, hoc est, meum, nõ accipitis. Hæc aũt dicit Dñs nõ ad Nicodemũ, sed ad genus Iudæorum, qui usq; ad finem increduli fuerunt. Igitur si terrena dixi uobis, & non creditis, hoc est, si de generatione quæ est in baptismo, dixi uobis, & non recepistis, sed interrogastis dicentes,

Baptismum cur Dominus terrenã dixerit natiuitatem Quomodo? Terrenam autem hanc natiuitatem nominat, quòd super terram facta sit in beneficium hominum. quanuis enim cœlestis sit secundũ gratiam & honorem, at baptizamur cum super terram sumus. Si igitur de hac terrena natiuitate dicens, inueni uos incredulos: de supercœlesti natiuitate, quæ ineffabilis, qua unigenitus filius à patre natus est, cum audiueritis, quomodo credetis? Quidam autem per terrenum intellexerunt similitudinem de uento: ita ut quod dicitur, sic se habeat, Si exemplum à terrenis dedi uobis, & neq; sic persuasi estis, quomodo poteritis superiora discere?

Et nullus ascendit in cœlum, nisi qui de cœlo descendit, filius hominis, qui est in cœlis.] Neq; hoc uidet̃ cum his quę precesserũt, rectè cõtexi. At si quis diligenter mentem Domini inspexerit, apparebũt etiã illa bene cohærere cũ superioribus. Quia enim magistrũ Dominum & prophetã nominabat Nicodemus: Ne putes me, inquit, quasi prophetã qui de terra est, à Deo missum doctorẽ, sed è supernis me scias descẽdisse ut filiũ, non & à terra esse. Nullus igitur prophetarum ascendit in cœlum, nisi ego solus ascensurus, qui & descendi. Filiũ autem hominis cũ audiueris descendisse de cœlo, ne existimes q̃ caro è cœlo descẽderit. Hoc enim Apollinarius docuit, quòd Christus habuerit

Apollinarius. corpus de cœlo, quod per uirginem transierit quasi per canalem. Verùm quia una hy-

Vna hypostasis in Christo. postasis, hoc est, una persona Christus, ex duabus naturis constituta est, ideo omnia quæ sunt hominis, dicuntur de uerbo: & iterum ea quæ sunt uerbi, attribuuntur homini. Sic & hoc loco quoq; filius hominis dicit̃ descendere de cœlo, eo quòd una sit persona,

A sona, & una hypostasis. Deinde ut ne cum audiueris, qui descendit, putes quòd non sit in cœlo, dicit. Is qui est in cœlo. Noli enim suspicari me propterea non esse illic, quia descendi: sed & hic adsum corporaliter, & illic sedeo cum patre ut Deus.

Et sicut Moses exaltauit serpentem in eremo, ita exaltari oportet filium hominis, ut omnis qui credit in illum, non pereat, sed habeat uitam æternam.] Postq̃ dixit de regeneratione per baptismum, nunc dicit de beneficio quod per crucem nobis factum est. Crux enim & mors author nobis fit gratiæ quæ per baptismum data est, siquidem cum baptizamur, mortem Domini repræsentamus. Non dicit autem manifestè, crucifigendus sum: sed meminit serpentis, & ueteris historiæ. Interim docens uetera cognata nouis, & unũ esse legislatorem ueteris & noui testamenti: tametsi Marcion & Manichæus, & reliqua id genus hæreticorum cohors, uetus reijciant, dicentes ipsum à malo opifice esse conditum. Docet item, cum Iudæi uidentes ærei serpentis imaginem, mortem effugerint: multo magis nos ad crucifixum respicientes & credentes, animæ mortem effugituros. Vide autem, oro, figuram, & confer cum ueritate. Illic serpentis similitudo, formam quidem habet bestiæ, uenenum autem nõ habet. Ita et hoc loco homo Dominus, sed à peccati ueneno liber, in similitudine carnis peccati uenit, hoc est, in similitudine carnis peccato obnoxiæ, quæ minimè caro peccati esset. Et tunc quidem uidentes euadebant mortem corporis: nunc autem qui uident, mortem animæ. Tunc quidẽ suspensus, serpentium ictus sanabat: nunc autem spiritualis draconis plagas curat Christus. Exaltatum autem audiens, intellige quidem & suspensum esse. In summo enim suspensus est, ut & aerem sanctificaret, qui terram sanctificarat in illa ambulando. Intellige a tem quid sit glorificari. Nam reuera gloria Christi, crux fuit. Per hoc enim quo uisus est condẽnari, condẽnauit huius mũdi principẽ. ut clarius dicã, Adã iustè mortuus est, peccarat enim: Dominus iniustè mortuus est, non enim peccarat. Igitur usq; ad crucifixionem Domini iustè prævaluit hominibus mors. Quia autem absq; peccato inuentus est Christus, quid igitur in illo iuris habebat diabolus, ut occideret ipsum? atq;
B ita quia iniustè mortuus est, uicit eum à quo occisus est: & sic liberauit Adamum à morte, quæ illi iustè inferebat, utpote ei qui peccarat. Et aliter, Duo fuerunt quæ dominiũ habebant in humanum genus: uoluptas, & tristitia. A duobus autem illis inuictus repertus est Dominus. Nam assumpserat quidem illũ in montem, tentans per uoluptatẽ: & cum experiretur hac uia uinci non posse, maiorem postea machinam, tristitiam scilicet, adhibuit, ut saltem per illam deuinceret: & propterea commouit omnes contra illum: discipulos, ut negarent: milites, ut illuderent: prætereuntes, ut blasphemarent: & in summa Iudæos, ut crucifigerent: & sic quoq; inuictum comperit. Non enim potuit crucis dolor efficere ut crucifigentes haberet odio, sed diligebat eos, & pro eis orabat, dicens, Ne statuas illis pater peccatum hoc. Vides quomodo uicerit per hoc ipsum, per quod uidebatur uictus esse. Sic igitur exaltatio & gloria eius, crux fuit.

Num. 21.

Marcion. Manichæus

Crux, gloria Christi.

Matt. 4.

Mat. 26.8 Luc. 23.

Sic enim Deus dilexit mundũ, ut filiũ suũ unigenitũ daret, ut omnis qui credit in eũ, nõ pereat, sed habeat uitam æternam. Non enim misit Deus filium suum in mundũ ut condemnet mundũ: sed ut seruetur mundus per eum.] Mira Dei erga mundum dilectio, & tanta, ut non dederit uel prophetam, uel angelũ, sed filium suum, atq; illum unigenitum. Angelũ si quidem dedisset, nõ erat res parua, eò q̃ angelus quidem minister eius fidelis & seruus, nos autem inimici & apostatæ: nunc autem dato filio, quanto excellentiorem dedit charitatem? Item si multos habens filios, unum dedisset, & hoc maximum fuisset, nunc uerò unigenitum dedit. Igitur bonitas dignè laudanda est. Ariani autem dicunt q̃ unigenitus dicatur eo q̃ solus ipse factus sit & conditus à Deo, omnia autem alia ab illo. Quibus simpliciter respondemus, Si quidẽ unigenitus dictus fuisset, † cum non esset filius, haberet rationem impudens uestrum commentum: at nunc cum non solum unigenitus, sed & filius dicatur, non permittit sic intelligere, sed uult illum solum ex patre natum. Vide aũt, oro, quòd sicut suprà dixit filiũ hominis descendisse de cœlo, quãuis nõ descenderit caro de cœlo, sed proprer unã personã & unã hypostasin, ea quæ Dei sunt, attribuit homini: ita & hoc loco, ea quæ hominis sunt, attribuit uerbo Deo. Dedit enim (inquit) Deus filiũ suum in mortem: quãuis impassibilis permãserit Deus: attamen quia unus & idem fuit per hypostasin, & qui uerbũ Dei, & homo qui pro nobis patiens, filius dicitur datus esse, in quantum & uerè passus, non in

1. Ioan. 4.

Ariani.

† nec additum esset filius.

Vicissim quæ sunt naturæ humanæ, diuinæ tribuuntur in Christo: & quæ diuinæ, humanæ

sua natura, sed in sua carne. Quod autem lucrum, dari filium? O magnũ, & supra huma A
nam mentem, ut omnis qui credit in illum, duo illa lucretur: unum quidem, quòd non
Vetus lex. perit: alterum, quòd uitam habet, atq; uitam æternam. Vetus enim lex promittebat e-
Euangeliũ. os qui in illa Deo placebant, implendos longitudine dierum: Euangelium autem non
temporariam uitam largitur, sed æternã & indissolubilem. Quia enim duo sunt aduen
tus Christi, & ille qui fuit, & ille qui uenturus est: de priore aduentu dicit, q̃ non missus
sit filius ut condemnet mundum (quia si propter hoc uenisset, condemnati fuissent uti-
Rom. 3. que omnes. omnes enim peccauerunt, sicut & Paulus dicit) sed primùm ad hoc uenit,
ut mundum seruaret, atq; hæc intentio eius fuit: per accidens autem iudicat eos qui nõ
Exod. 20. crediderunt. Lex enim Mosaica præcessit, ut reprehenderet peccatum, & condemna-
Deut. 5. 17. ret præuaricantes. Nulli enim ignoscit, sed simul atq; inuenerit peccantem in aliquo,
32. pœnam infert. Itaq; primus aduentus non propter iudicium factus, nisi per accidens,
iudicans eos qui non crediderunt, qui iam iudicati sunt. Secundus uerò erit ut omnes
iudicet, & unicuiq; secundum opera sua faciat.

Qui credit in filium, non iudicatur: qui uerò non credit, iam iudicatus est, quia non
credidit in nomen unigeniti filij Dei. Hæc est autem condemnatio, q̃ lux uenit in mũ
dum, & dilexerunt homines magis tenebras q̃ lucem. Erant enim eorum opera mala.
Omnis enim qui mala agit, odit lucem: nec uenit ad lucem, ne arguantur opera ipsius.
Qui autem operatur ueritatem, uenit ad lucem, ut conspicua fiant facta ipsius, quòd
Immũdus ui per Deum sint facta.] Quid est, qui credit in filium, non iudicatur? Nunquid si immun
ta, non uerè dam egerit uitam, nõ iudicatur? maximè quidem. nõ enim uerè fideles sunt eiusmodi,
fidelis est. ut Paulus dicit. Deum enim, inquit, fatentur se scire, operibus autem negant. Verunta-
Ad Tit. 1. men hoc loco dicit, quòd propter ipsum credere nõ iudicatur: dabit autem pœnas gra
ues malorum operum: propter incredulitatem autem quam non habet, non punietur.
semel enim credidit. at qui non credidit, iam iudicatus est. Quomodo? Primùm quidẽ
Incredulitas est con- quoniam & ipsa incredulitas condemnatio est. Esse enim extra lucem, per se maximũ B
demnatio. supplicium est. Deinde quamuis non hic gehennæ traditus sit, sed congregauit hic fu-
turi supplicij occasiones, sicut & homicida, tametsi non sententia iudicis condemnes
Gen. 3. ur, natura tamen rei condemnatus est. Et Adam die quo comedit de ligno, mortuus
est: & q̃uis uiueret, sententia tamen & natura rei mortuus fuit. Omnis igitur incredu-
lus condemnatus est, quòd hinc migrans mox supplicio tradendus est, & non in iudi-
Psal. 1. cio producendus: iuxta illud, Non resurgent impij in iudicio. Indigni enim habentur
ut rationem dent impij, sicut & diabolus. In iudicium igitur non resurgent, sed in com
Ioann. 12. demnationẽ. Ita & in Euangelio dicit Dñs q̃ princeps huius mũdi iam iudicatus sit, nõ
solũ q̃ ipse nõ crediderit, sed q̃ & Iudã proditorem fecerit, & alijs perditionis fuerit au-
thor. Quãuis aũt Dñs in parabolis adducat puniẽdos quasi eos à quibus sumatur ratio,
Quatenus ne mireris. Primũ quidẽ eo ipso, quia parabolæ sunt ea quæ dicunt, nõ oportet oĩa quę
parabolæ ad in parabolis dicuntur, quasi canones ac leges assumere. In die enim illo unusquisq; cõ-
sumendæ. scientiã habens pro iudicio quod falli nequeat, nõ opus habebit alio q̃ reprehẽdat, sed
semetipsum quisq; confutabit, ac abibit. Deinde Dñs nõ inducit incredulos quòd me-
reantur ut rationẽ reddãt: sed credentes quidẽ, at immisericordes. Nos aũt de impijs &
incredulis loquimur. Aliud aũt est impius ac infidelis: & aliud immisericors & pecca-
tor. Hoc est iudiciũ, q̃a lux uenit in mundũ. Ostẽdit hoc loco infideles omni excusatio
ne destitutos. Ista enim cõdemnatio est, inqt, q̃a uenit ad eos lux, & neq; sic ad illam ac
cesserũt. Non enim in hoc solo peccarũt, q̃ ipsi nõ quæsiuerũt lucẽ, sed hoc pessimũ est,
quòd lux ad illos uenit, & illã non susceperunt: propterea & condemnati sunt. Nam
siquidẽ nõ uenisset lux, potuissent homines prætexere ignorasse se quid esset bonũ: ue
rùm quia uenit quidẽ Deus uerbũ, dedit q̃ uerbum suum ut illuminaret, non susce-
runt aũt illi, omni excusatione posthac carent. Vt autem nullus dicat, Nemo præfert te
nebras luci, ponit causam propter quam tenebris adhæserint homines. Erant enim, in
Quid exi- quit, opera illorum mala. Quia enim Christianismus non solum recta dogmata, sed &
gat Christia honestam uitam exigit: ipsi autem uoluerunt luto peccati inuolui, ideo nolunt impro-
nismus. bi ad lucem Christianismi uenire, & se meis subijcere legibus. Porrò qui facit uerita-
tem, & cõtendit & aspirat ad uitam quę Deo placeat, is ad Christianismum ueluti ad lu
cem accedit, quò magis in bono proficiat, & appareant eius opera secundum Deum

facta.

A facta. Qui talis est cũ fide recta, & uitã quoq; honestam instituit, lucetq; omnibus hominibus, in illo glorificat Deus. Et ita Gentilibus incredulitatis causa facta est immunditia uitæ. Sed fortè dixerit quis, Quid igitur? non sunt & Christiani improbi, & Gentiles honestæ uitæ? Fateor & ipse quidem improbos Christianos: at bonos Gentiles inuenîri non asseuerauerim. Et natura quidem mansueti & boni reperiuntur quidã, sed nõ uirtute. Nam exercitatione & meditatione boni nullus inuenietur: & quamuis boni quidam habiti sint, omnia tamen ad uanã gloriam fecerunt. Qui autem operat propter gloriam, & non propter bonũ ipsum, siquãdo tẽpus inuenerit, malis indulgebit cõcupiscentijs. Nam si apud nos & interminatio gehennæ, & omne aliud studiũ, & uitæ innumerabiliũ sanctorũ uix conseruant homines in uirtute: quo pacto nugæ Gentiliũ illos in bono cõtinebunt? Magna quoq; res fuerit, si non & pessimos reddiderint.

Post hæc uenit Iesus & discipuli eius in terrã Iudææ, & illic morabatur cũ eis, ac baptizabat. Baptizabat aũt & Ioannes in Aenon iuxta Salim: quia aquæ multæ erant illic, & ueniebant ac baptizabantur. Nondum enim coniectus fuerat Ioannes in carcerem.] Erat Iesus Hierosolymis usq; ad festum paschę: & postq; illud præterijt, exiuit in terram Iudæam, & prope Iordanem uersabatur, ubi multi conueniebant. Non quærebat autem populosa loca propter inanem gloriam, uel ostentationem: sed cupiebat pluribus suam bonitatem communicare, & usui esse: quoniam & eam ob causam ad festũ ascenderat, utpote plurimis profuturus doctrina & miraculis. Audiens autem quòd baptizarit, ne putes quòd per se baptizarit, sed per discipulos. hoc enim discipulorum opus, in magistrum refert Euangelista. Nam in progressu idem hic euangelista dicit q; Iesus non baptizarit, sed discipuli eius. Sed quęris, Quare nõ ipse baptizauit? disce. Prę occupans dixit Ioannes, Ille uos baptizabit spiritu sancto. Spiritus autem sanctus nondum erat datus, eo q; nondũ tẽpus erat. Igit si baptizasset, uel absq; spiritu baptizasset: & quid igitur præstabat Ioãne? Vel dedisset spiritum, atq; ante tempus, sed id indignũ Deo, qui in tempore facit omnia. Quod aũt tempus dandi spiritũ? Tempus post assum

Cur Christus ipse nõ baptizarit. Infrà 4. Matth. 3.

B ptionem. Oportebat enim ut humana natura Deo patri demonstraretur à peccato immunis in Christo Iesu: atq; ita Deo nobis reconciliato spiritus tanq; opulenta quædã liberalitas mitteretur. Proinde discipuli Iesu baptizabant, ut plures ad saluatoris doctrinam adducerent. Vnde & his baptizãtibus, etiã Ioannes baptizabat, & non cessabat, duo bona faciens. Vnũ quidẽ, quia ad se uenientes de Christo loquens ad illum adducebat. Alterũ uerò, quia curabat ne discipuli sui in maiorem zelũ & contentionẽ prouocarentur. si enim cessasset baptizare, quid non fecissent discipuli eius, alioqui maiore inuidia Christum persequentes? Nam cum sæpe clamarit, & primas semper Christo tribuerit, non persuasit eis ut accederent ad illum: in quantam ergo inuidiam impulisset, si cessasset baptizare? Idcirco & Christus tunc maximè cœpit prædicare, quando Ioannes inclusus est, propter inuidiã discipulorũ Baptistæ. Opinor autem permissam Ioannis mortem maturari, ut omnis populus paratus ad Christum transiret, & non diuiderent sententię de Christo & Ioanne. Baptizant igitur discipuli Christi baptismo qui nihil habebat amplius quàm baptismus Ioãnis. ambo enim imperfecti, & nondum habentes spiritum, eademq; utriq; causa, ut adducantur ad Christum baptizandi.

Opinio Theophylacti super morte Ioannis.

Orta autem est quæstio ex discipulis Ioannis cum Iudæis de purificatione. Et uenerunt ad Ioannem, & dixerunt ei, Rabbi, qui erat tecum trans Iordanem, cui tu testimonium perhibuisti, ecce is baptizat, & omnes ueniunt ad eum. Respondit Ioannes, & dixit, Non potest homo accipere quicquam, nisi fuerit ei datũ è cœlo.] Facta est quæstio de baptismate aduersus Iudæũ quendã contendentibus discipulis Ioannis. Nã Iudęus quidem præferebat baptisma discipulorũ Christi: discipuli aũt Ioannis baptisma sui magistri. Cum ergo de purificatione, hoc est baptismo, quæsitum esset, accedunt ad magistrum suum, & incipiunt obiter uellicare eũ, dicẽtes: Rabbi, qui erat tecum, qui in ordine erat discipulorũ, ut à te discesserit, baptizat: cui tu testimonium dedisti. hoc est, quẽ baptizasti, quem tu clarum fecisti: eadem nunc audet quæ tu. Sed & aliud: ad te nulli nũc ueniunt, ad illum uerò omnes. Omnes, inquit, ueniũt ad eum, contempto te. Ioannes autem uolens eos terrere, & ostendere quòd pugnent contra Deum, prohibẽtes Christum, & abstrahentes à glorificatione eius, dicit, Non potest homo à se quicq; accipere, &c. Nam nisi supernè (inquit) datum esset, neutiq; creuisset is, cui inuidetis: & ita in

duobus peccatis. nam & contrarij estis diuino consilio, & attentatis impossibile. Interim autem & consolatur eos placidè, eo quòd non sit homo qui uincat ipsos, sed Deus. Quin & nos (inquit) supernè habuimus quod habuimus, non à nobis. Quòd si præclariora sunt quæ agit Christus, non oportet admirari. Deus enim uult. A

Ipsi uos testes estis q̃ dixerim, non sum ego Christus: sed missus sum ante illũ. Qui habet sponsam, sponsus est: amicus aũt sponsi, qui stat & audit eum, gaudio gaudet propter uocem sponsi. Hoc autem gaudiũ meũ impletum est. Illũ oportet crescere, me uerò minui.] Ipsi (inqt) uos scitis q̃ ego testimoniũ dedi ei q̃ maior mè sit. Igit̃ si omnino meum attenditis testimonium, discite illum mihi præferendum. Et hoc est gaudium meum, quòd illum omnes accedant. Si quidem non accessissent ad sponsum sponsa, hoc est, populus, doluissem utique ego pronubus: nunc autem cum hoc fiat, ualde gaudeo. Video enim sponsum Christum loquentem sponsæ, populo scilicet, & docentem ipsum. Non simpliciter autem dixit, Qui stat. Ostendit enim finem esse operum suorum, & stare iam non ultrà operantem: & se nunc oportet stare, & solum audire Christum docentem, & differentem sponsæ. Meum enim (inquit) opus perfectum est, & tradidi ipsi populum. Oportet igitur meam quidem gloriam imminui, illius autem augeri. Igitur quomodo imminuitur gloria præcursoris? Vel omnino sicut lucifer à sole occultatur, & uidetur quidem multis quòd extinctum sit lumen, at reuera non est extinctum, sed à maiori occultatur: ita & præcursor uelut lucifer à spirituali sole occultatus, imminui dicitur. Crescit autem Christus, secundum quòd paulatim manifestat se per signa & miracula, non secundum profectum in uirtutibus, absit: hoc enim Nestorij delira- *Nestorius.*
mentum esset: sed secundum ostensionem & manifestationem deitatis. Paulatim enim declarauit se Deum esse, & non repentè. Impletum igitur (inquit) meum gaudium in sponso. Nam meum opus, quod mihi ut pronubo concreditum, uideo profeciſſe. Omnis igitur animæ sponsus, Dominus: thalamus autem ubi copula fit, locus baptismatis, hoc est ecclesia. Dat autem arrabonem sponsæ, peccatorum remissionem, spiritus sancti communione: perfectiora uerò in futuro, quando dignos in meliora & sublimiora B
Christus sponsus solus, docentes pronubi introducet. Nota autem quòd nullus alius est sponsus, quàm solus Christus: omnes autem docentes pronubi sunt, sicut & præcursor quoq̃. Nullus alius dator est bonorũ, q̃ solus Dominus, alij aũt omnes mediatores, & ministri bonorũ quę à Domino dantur.

Qui è supernis uenit, super omnes est: qui à terra profectus est, terrenus est, & de terra loquitur. Qui è cœlo uenit, supra omnes est: & quod uidit & audiuit, hoc testat̃: & testimoniũ eius nemo accipit. Qui accipit eius testimoniũ, is obsignauit q̃ Deus uerax sit. Nam is quẽ misit Deus, uerba Dei loquit̃. Non enim ad mensuram Dat Deus spi- *Rom. 1. 1. Ioan. 5.*
ritũ.] Comparat se præcursor Christo, & dicit q̃ ille quidẽ è supernis uenerit à patre, & super omnes sit, egregius super omnes, & paternã seruans excellentiã. Ego autẽ qui de terra sum, terrena loquor, uilia & humilia, si cum doctrina Christi conferantur. Quanuis autem quæ à præcursore fiebant, diuina erãt: collata tamen cum his quæ à Christo, ualde humilia apparebant. Ille (inquit) quod uidit & audiuit, loquitur, hoc est, quæ à patre audiuit, & quæ uidit, hoc est clarè nouit, illa loquitur & testatur. Et testimonium eius nullus ex his qui ueritatẽ non attendunt, recipit. Qui autẽ recipit testimoniũ, hoc est doctrinã eius, obsignauit, hoc est mõstrauit & stabiliuit, q̃ Deus uerus sit. Qui eñ credit ei qui à Deo missus est, Deo credit, & cõsequenter obsignat & demõstrat q̃ eiq̃ uerax sit crediderit: sicut ediuerso qui nõ credit ei qui à Deo missus est, ostendit q̃ mendax sit, & propter hoc non credit ei, utpote mendaci. Et ita qui Christo credit, ostendit *Veritas, fidei basis.*
q̃ Deus est uerax, ex eo q̃ credidit ei qui ab ipso missus est. Manifestũ enim q̃ illi ut ueraci crediderit. Et meritò. Nos enim alij omnes ad mensuram accepimus operationem spiritus, ipsi autem Christo non ad mensuram dedit unam uel duas uirtutes, sed ipsum spiritum integrum habet substantialiter. Igitur & prophetis dedit Deus spiritum, hoc est operationem spiritus, & ad mensuram dedit: Christo autem non ad mensuram, & neq̃ omnino dedit. habet enim illum Christus substantialiter. Quando autem audis q̃ Christus loquitur illa quæ audiuit à patre, ne putes illum indigere ut scientiam ab illo discat: sed quia quæcunq̃ scit filius, à patre naturaliter scit, quasi illi cõsubstantialis, eius gratia dicitur à patre audire quæ scit: quemadmodum si uideris filium patri per omnia similem, dicis quòd omnia à patre habet, hoc est, nulli similis est quàm patri. Audiens igitur

A igitur missum esse, quasi radiū intellige eum à sole nēpe patre ipsum missum esse. Nonnic & ita dicere solemus, q̄ sol radios emiserit, hoc est, miserit in terrā, & nusquā radium alterius substantiæ dicimus esse, uel posteriorem q̄ sol? Sic quoq; & filium missum esse à spirituali sole, scilicet patre huic mundo, ueluti deradiationem, & radium, & lumen, & qualitercunq; (quantum cōgruit) uocare illum uolueris. Non intempestiuū autem fuerit hoc loco dicere quomodo habeat filius spiritum, & quomodo dicatur spiritus filij. Dicit enim & Apostolus, Spiritum filij sui in corda uestra misit, clamantem, Abba pater. Et iterum. Si autem quis spiritū Christi non habuerit, hic non est eius. Sanè Latini malè hæc exponentes, & minus rectè intelligentes, dicunt q̄ spiritus etiam ex filio procedat. Nos autem hoc quidem primū dicimus ad eos, q̄ aliud sit esse ex quopiam, & aliud esse cuiusdam: ut spiritus est quidem spiritus filij absq; dubio, & ab omni scriptura approbratum: cæterū esse ex filio, nulla scriptura testatur, ut ne duo principia spiritus introducamus patrem & filiū. Profectò, inquiunt: nam & inspirauit discipulis, & dixit, Accipite spiritum sanctum. O desipientiā. Si tunc dedit discipulis spiritum quando insufflauit, quomodo postea dixit eis, Accipietis uirtutem superuenientis spiritus sancti super uos, non post multos hos dies: uel quomodo in pentecoste credimus factū descensum spiritus, siquidem in uespera diei resurrectionis dedit illum: tunc enim inspirauit. At hæc quidem ualde ridicula. Manifestum enim q̄ tunc illis spiritū sanctum non dederit, sed donum unum spiritus sancti, remissionem scilicet peccati. statim enim subdit, Quorum remiseritis peccata. Habet autem spiritum filius substantialiter, ut consubstantialem sibi, non à quo operationem recipiat, sicut prophetæ. Dicitur autem spiritus esse filij secundū q̄ ueritas est filius, & ueritas & sapientia. Spiritus aūt sanctus, & ueritatis & fortitudinis & sapientię spiritus ab Esaia describitur. Et aliter, quia per filiū hominibus datur propterea filij dicitur. Crede igitur tu spiritum à patre quidem proficisci, per filium autem dari creaturæ, atq; hic sit tibi canon orthodoxæ doctrinæ.

Galat. 4. Rom. 8. Spiritū sanctum à filio procedere negat Theophylactus cum Græcis antiqs. Nūc autem omnes confitemur, Qui à patre filioq; procedit. Ioan. 20. Act. 1. Esaiæ 11.

Pater diligit filium, & omnia dedit illi in manu. Qui credit in filium, habet uitā æternam: qui autem incredulus est filio, non uidebit uitam, sed ira Dei manet super eum.]

B Postquam dixit de Christo sublimia, nunc iterum humilia loquitur, sermonem auditoribus attemperans, ut capi possit. Ideo dicit, Pater diligit filium, quasi de homine quodam admirabili loquens. Et omnia dedit in manu filij iuxta humanitatem. Si autem & secundum diuinitatem, quid hoc? Dedit pater omnia filio ratione naturæ, sed non gratię, quoniam enim & esse à patre habet, meritò & omnia dicitur à patre habere. Habet igitur omnia filius, tam quę in cœlo, q̄ quę in terra. Dominatur enim omnibus, etiamsi quidam nolint. Postea uerò in secundo aduentu, quando omne genu flectetur ei, perfectum omnium accipiet dominiū: quando malitia non ultrà habebit uirtutem, sed inefficax manens ostendet naturam boni à principio omnibus inditam, & omnia continentem. Qui credit in filium, habet uitam æternam in ipso. †illam dico Christiū, qui uerè uita est. In ipso enim uiuimus & mouemur. Qui autem incredulus est, non uidebit uitam. Nam qui sponte recessit à uita, quo pacto habebit eam quę est Christus? sicut & Paulus inquit, Quando Christus manifestabitur uita nostra, tunc & nos qui ad malitiā mortui & immobiles facti, manifestabimur in gloria. Sed ira Dei manet super illū, nō dixit q̄ maneat illum, sed super illum, ostendens q̄ nunquam ab eo recedat. ut ne mortem credas temporalem, dicit quòd maneat super eum qui incredulus fuerit, & perpetuum erit supplicium. Per omnia autem uerba hæc inducit Baptista, & compellit auditores omnes ad fidem Christi. Non enim in uanum hæc dixit, sed suos discipulos & alios omnes instruit ne inuideant Christo, sed ut Deo auscultent.

†ipsum Act. 17. Colos. 3.

CAPVT IIII.

VT ergo cognouit Dominus audisse pharisæos quòd Iesus plures discipulos faceret ac baptizaret quàm Ioannes: quanquā Iesus ipse non baptizaret, sed discipuli eius, reliquit Iudæam terram, & abijt iterum in Galilæam. Oportebat aūt eum transire per Samariam.] Misericors Dominus semel propter nos incarnatus, omnia ad nostrā salutem facit. Denicq; & nunc cum audisset q̄ pharisæi de gloria ipsius audiuerint, & sciret contra ipsum ad inuidiā concitandos, secedit in Galilæam: duo nos docens: Vnum quidem, ut parcamus inimicis, & omni modo tentemus non dare eis occasionē scandali uel inuidiæ. Alterū, ne injiciamus nos in tentationem insipienter & inutiliter, sed

secedamus ad tempus, donec insania resideat. Quamuis autem potens sit cohibere in A
uidentes sibi, etiam si impetu quodam nunc urgerent: non tamen hoc egit ne uidere-
tur phantasticum habere corpus. si enim sæpe per medium illorum exijsset, quid non
dixissent Phantasiodocitæ, Manichæi inquam, & Valentiniani & Eutychiani: Insi-
nuans autem Euangelista inuidiam pronam esse ad calumniam, dicit, quamuis Iesus
non baptizarit, inuidi tamen uolentes concitare pharisæos contra Christum, calum-
niabantur eum quasi baptizasset. Oportebat autem ipsum transire per Samariam. Ve
luti obiter & non destinato itinere Samaritanos adibat. Vide enim quòd non dixerit,
oportebat ipsum abire in Samariam, sed, transire per Samariam. Volebat enim occa-
sionem omnem calumniæ Iudæis excindere, ut dicere nõ possint quòd relictis eis con
cesserit ad gentes, quas abominabantur. Quando autem abegerunt eum, tunc accesit
ad gentiles, & neq; tunc ex proposito, sed obiter.

Gen. 48. Venit ergo in ciuitatem Samariæ quæ dicitur Sychar, iuxta prædiũ quod dedit Ia-
cob Ioseph filio suo. Erat autem ibi fons Iacob.] Operæprecium fuerit dicere unde Sa
maritani originem duxerint, & unde appellationem illam sortiti fuerint. Somor enim
Esaiæ 7. mons uocabatur ab eo à quo possidebatur: sicut & Esaias dicit, Et caput Somor E-
phraim. Qui autem ad montem illum habitabant, primùm non uocabantur Samari-
4. Reg. 17. tani, sed Israelitæ dicebantur. Cum autem offendissent Deum, traditi sunt uarijs tem-
poribus Assyrijs. Tandem Assyrijs cum defectionẽ meditarentur, superuenit, tenuitq;
captiuos, & non ultrà in suam regionem abire permisit, suspicans iterum defecturos:
sed illos quidem transtulit in Babylonios & Medos. Samariam autem gentibus ex di-
uersis locis congregatis coloniam dedit. Porrò cum hæc facta essent, Deus monstra-
re uolens barbaris quòd nõ propter impotentiam, sed propter peccata illis Iudæos ser
uire fecerit, immisit leones in eos qui in Samaria habitabant barbaros, qui illos perde-
bant omnes. Rex uerò cum hoc audisset, misit ad quosdam ex senioribus Iudæis, &
rogauit quid faciendum ut non ultrà leones perdant eos qui in Samaria barbaros. Illi
autem enarrabant Deum Israel suspicere locũ illum, & nõ sinere habitare illic eos qui B
sua legitima ignorent. Igitur si cũræ sibi sint barbari qui illic, mittat Iudæos sacerdotes
qui Dei legitima barbaris tradant, & sic placent Deum. Obtemperat illis rex, & mittit
sacerdotem quendam traditurũ his qui in Samaria barbaris legem Dei. At illi non om
nes libros receperunt, sed tantum quinq; libros Mosi, Genesim, Exodum, Leuiticum,
Numeros, & Deuteronomium: neq; perfectè ab impietate discesserunt, & posterio-
ribus quidem temporibus abstiterunt ab idolorum cultu, deumq; coluerunt. Itaq; Iudæi
à captiuitate regressi, æmulabantur illos, utpote Assyrios genere, & à monte Samarita
Abraham Chaldæus. nos uocabant. Illi uerò Abraham & Iacob progenitores suos nominabant: quoniam
Abraham Chaldæus fuerat: & Iacob propter fontem quem illic habuerat, proprius il-
lorum putabatur. At Iudæi cum Gentibus alijs etiam istos abominabãtur: unde & Do
Ioan. 8. Mat. 10. mino opprobrantes dicebant, Samaritanus es. Et ipse discipulis suis dicebat, In ciuita-
tem Samaritanã ne intraueritis. Quare autem Euangelista de loco Iacob & fonte tam
diligenter differit: Primùm quidem, ut quando audieris dicentem mulierem, Pater no
ster Iacob dedit nobis fontem illum, ne mireris. locus enim ille erat Sycima, ubi filij Ia-
Gen. 34. cob Symeon & Leui grauem illam cædem cõmiserunt eo q; sororem illorũ Dinam op
pressérat Sycimorum princeps. Insuper & hoc discimus, eo q; Euangelista nobis nar-
rat ea quæ de fonte & loco, q; etiã olim reiecti fuerint propter peccata sua, & cũ offen-
dissent Deum, gentes illorũ loca possederint: & quæ patriarchæ propter suã in Deũ fi-
dem possederãt, ea illi propter impietatẽ amiserunt: & ita nihil nouũ si & nunc Genti-
Prædium Iacob Sycimæ. les pro Iudæis in regnum cœlorum sint introducti. Prædium autem quod dedit Iacob
Ioseph, Sycima dicebatur. quoniam enim filij Iacob Sycimitas perdiderant, & ciuita-
tem desolauerant: eam utpote desolatam pater in hæreditatem filio Ioseph dedit.

Iesus ergo fatigatus ex itinere, sedebat sic super fontem. Hora erat fermè sexta, uenit
mulier Samaritana, ut hauriret aquam. dicit ei Iesus, Da mihi quod bibam. nam disci-
puli eius abierant in ciuitatẽ ut cibos emerent.] Fatigatum Dominũ ex itinere narrãs
Quàm Dominus à fastu alienus. Euangelista, ostendit nobis Dominũ à fastu & rerũ abundantia alienum fuisse. Nõ e-
nim iumentis utebatur ad iter, sed pedes ibat, instruens etiã nos nõ multis opus habere.
Insuper dicit & ipsum incedere strenuè, & nõ ignauiter. Ex quo discimus & nos, ut cũ
constan-

A constantia & diligentia faciamus opus Dei. Quòd autem sedebat sic, significat simpliciter, & ut forte obueniebat, & nō super sede, sed simpliciter uidelicet super pauimento, refocillans corpus, & apud fontem se recreans. Deinde & aliā causam inducit quare sederit apud fontem. Erat enim tempus meridianum. Hora enim (inquit) erat quasi sexta; atq; etiam propter horæ calorem opus habebat refrigerio, & recreatione. Vel aliter dicit, ut ne quis reprehenderit Dominum, quomodo cum præcepisset discipulis ut ne uiam gentium ingrederentur, ipse ad Samaritanos uenerit: idcirco dicit quòd sedens in loco propter fatigationem fuerit, & quòd colloquium cum muliere rationabilem habuerit causam, sitim scilicet. Quoniam enim sitiebat, cōsequenter humano more indigebat & potu. Quærenti autem occurrit mulier, anima discendi auida. Quid igitur opus erat facto: Repellerétne mulierem adeò studiosam, colloquentē & sitientem ea de quibus dubitabat, ut audiret: absit: Non fuisset hoc diuinæ misericordię. Vide autem oro & ex hoc quàm procul à fastu fuerit Dominus. Solus enim relinquitur in uia, cum discipuli abiuissent in ciuitatem ut emerent alimenta. Vsqueadeò enim nullam curam uentris agebant, ut quo tempore fermè omnes à prandio dormiunt, illi cibos emerent, & panes duntaxat: ut & nos discamus uarietatem ciborum paruificere. Vide obsecro & diligentiam Euangelistæ. neq; enim dixit affirmatiuè, hora erat sexta, sed ut minus à ueritate excidat, fermè sexta, inquit, securum faciens sermonem.

Dicit illi mulier Samaritana, Quomodo tu Iudæus cum sis, potum à me poscis, quæ sum mulier Samaritana? Non enim cōmercium habent Iudæi cum Samaritanis. Respondit Iesus, & dixit ei, Si scires donū Dei, & quis sit qui dicit tibi, da mihi quod bibā, tu petisses ab eo, & dedisset tibi aquam uiuam. Dicit ei mulier, Domine, neq; quo hauris habes, & puteus profundus est: unde ergo habes aquam illam uiuam? Ab habitu & ueste forsitan, & alia corporis forma, & colloquio ipso existimauit Samaritana Iudæum esse Dominum, ideo & ad ipsum dicit, Quomodo tu Iudæus cum sis, &c. Vide autem quomodo circumspecta fuerit mulier. Nam si cauere oportebat, Dominum o-
B portebat, non illam. non enim dixit quod Samaritani consuetudinem nō habent cum Iudæis, sed Iudæi non habent consuetudinem cum Samaritanis. Attamen neq; sic tacet, sed existimans Dominum rem illicitam facere, corrigit quod præter legem fiebat. Christus aūt non prius manifestat se, q̄ uirtus mulieris monstretur. Postquā aūt indicata est mulieris uirtus, & q̄ tam circumspecta & diligens esset, tunc tandem incipit loqui cum ea de sublimibus. Si scires enim (inquit) donum Dei, hoc est, si cognosceres quid donet Deus, nempe æterna & incorruptibilia: scires autem & me, q̄ cum Deus sim, ut possim hæc tibi dare: tu quæsiuisses utiq;, & accepisses aquā uiuam. Gratiam autem spi- *Gratia spiritus sancti, aqua uiua.*
ritus sancti aquam dicit esse, propterea q̄ purificat, & multum refrigerij præbet suscipientibus. Porrò aquā dicit non stantem, qualis est in puteis & lacubus, putris & corrupta: sed uiuā, hoc est, scaturientē, & quæ moueatur. Nam gratia spiritus semper agilem ad bonum facit animā, ascensiones semper disponentem. Talem aquā bibit Paulus uiuentem, & semper mobilem, cum obliuisceretur eorum quæ post se, & ad anteriora se extenderet. Dicit ei mulier, Domine. Vides quomodo statim ab humili cogitatu desistens, magnū ei honorem attribuat, Dominū uocando? Neq; enim in profundū uerborum Christi uenerat. Nam aliter quidē ille dicit, aliter aūt illa intelligit uerba de aqua. *Psal. 83.* *Philip. 3.*

Num tu maior es patre nostro Iacob, qui dedit nobis puteū, & ipse ex eo bibit, & filij eius, & pecora eius? Respondit Iesus, & dixit ei, Omnis qui bibit ex aqua hac, sitiet iterū, quisquis aūt biberit ex aqua quam ego dabo ei, nō sitiet in æternū: sed aqua quā ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ salientis in uitā æternā. Dicit illi mulier, Domine, da mihi istam aquam, ut non sitiam, neq; ueniam huc ad hauriendum. Patrem suū facit Iacob, se intrudens in nobilitatem Iudaicam. Vide autem obsecro prudentiā mulieris, quomodo statim à uarietate aquarū ratiocinatur, & dantium uarietatem. Dicit enim, Si talem aquam daturus es, omnino maior es patre Iacob, qui nobis dedit hanc aquā. Quòd autem ipse ex eo bibit, laus est bonitatis aquæ. tantum enim placuit fons ille patriarchæ, ut & ipse biberit, & filij eius. Quòd autem & pecora eius biberint, indicium est copiæ aquarum. Non enim solum dulcis est aqua, & ita dulcis, ut & Iacob ex ea biberit: sed & larga, & sic larga, ut suffecerit multitudini pecorum patriarchæ Iacob. Cum aūt diceret mulier, num tu maior es patre nostro? Dominus quidem manifestè

non

non dicit, profectò maior sum, ut non uideatur arrogans esse, cũ nondum aliquod spe- a
cimen suæ uirtutis exhibuisset: hoc tamen parat per ea quæ dicit. dicit enim, Qui bibit
ex hac aqua, iterum sitiet: qui autem ex mea bibit, non sitiet in æternum. Atq; ita si mi-
raris Iacob qui dedit aquam talem, multo magis admirari oportet eum qui præbet lon
gè meliorem aquã, quam enim ego do, fons fit aquæ, quæ indies magis ac magis mul-
tiplicatur. Non enim q̃ parum accipiunt sancti à Deo, ita usq; ad finem seruant, sed se-
mina quidem & initia accipiunt boni per gratiam, insumunt autem & ipsi, ac crescere
Matt.25. faciunt: id quod per parabolam talentorum significat Dominus, & per hospitem. Ete-
nim qui acceperat duo talenta, lucratus est alia duo, sed sua pręparatione: & hospiti qui
susceperat uulneratum à latronibus, pollicetur Dominus, quicquid præterea impen-
deris de tuo, dabo tibi. Istud igitur & hoc loco innuit: equidem aquam do sitienti: illa
autem quam ego do, non manet tanta, sed etiam multiplicatur, ac fons efficitur. Dedit
Act.9. Paulo aquã breuẽ Dominus, Ananię instructiones: at breuem illam aquã doctrinarũ
Ananiæ Paulus fontem esse demonstrauit, ita ut à Hierusalem usq; ad Illyricum perue
nirent illius fontis prosilientes fluxus. Et mulier quomodo in his affecta est: Humiliter
quidem adhuc se gerit, opinatur enim de sensibili aqua sermones haberi. profectum ta
men quendam indicat. Nam primùm quidem dubitabat, dicens, Vnde habes aquam
uiuentem? Nunc autem & sermonem non retrocedens suscipit, dicens, Da mihi hanc
Mulier Samaritana Nicodemo prudẽtior. aquam. Videtur igitur hæc esse prudentior Nicodemo. Nam ille quidem cum multa
audiuisset talia dicebat: quomodo possunt hæc fieri? Ista autem incipit contemnere e-
tiam fontem Iacob. Nam dicit, si talem aquam habes, da mihi, ut non ultrà ueniam huc
ad hauriendum. Vides quòd prætulerit ipsi Iacob Dominum.

Dicit ei Iesus, Vade, uoca uirum tuũ, & ueni huc. Respondit mulier, & dixit ei, Nõ
habeo uirũ. Dicit ei Iesus, Bene dixisti, non habeo uirũ: quinq; enim uiros habuisti, &
nunc quẽ habes, nõ est tuus uir. hoc uerè dixisti. Dicit ei mulier, Domine, uideo q̃ pro
pheta es tu. Patres nostri in monte hoc adorauerũt, & uos dicitis q̃ Hierosolymis est lo
cus ubi oporteat adorare. Dicit ei Iesus, Mulier, crede mihi, uenit hora quando neq; in
mõte hoc, neq; in Hierosolymis adorabitis patrẽ. Vos adoratis quod nescitis: nos ado-
ramus quod scimus: quia salus ex Iudæis est.] Vade uoca uirũ tuũ. Quia uidebat illã ur
gentẽ ad recipiendũ, & cogentẽ se ad dandũ, dicit, Vade uoca uirũ tuũ: quasi ostendat
q̃ etiã illũ oporteat esse participẽ huius doni mei. Illa aũt festinãs, & ut recipiat, & ut se
defendat, dicit, Nõ habeo uirũ. At Dñs per prophetiã nunc reuelat suã uirtutẽ, & pro
res eius uiros numerat, & eum qui nunc ignorabat̃, arguit. Nunquid igitur illa ægrè se
rebat cũ talia audiret? uel relicto illo fugiebat? Nõ, sed magis admirata est & cõfortata,
dicẽs, Dñe, uideo q̃ propheta es tu. Et de dogmatibus diuinis statim illũ interrogat, nõ
de corporalibus, ut de sanitate corporis, uel diuitijs, (ita sapientiæ auidã, & uirtuti dedi
tam habebat animã) sed dicens, Patres nostri in monte illo adorauerũt, quod dicit pro-
Gen.22. pter Abrahã & Iacob. etenim illuc tradũt Isaac in sacrificiũ adductũ. Et quomodo (in-
quit) uos dicitis q̃ in Hierosolymis oportet adorare? Vidisti qũo sublimior fuerit. Nã
quæ paulo antè solicita erat ne siti ultrà uexaret̃, nunc de dogmatibus rogat. Idcirco &
Christus uisa eius sapientia hoc quidem eius dogma non soluit. Non em̃ erat satis seriũ
& magni momenti, sed aliud quoddã maius dogma manifestat, id quod neq; Nicode-
mo neq; Nathanaeli reuelauerat. Venit enim, inquit, hora quando neq; in Hierosoly
mis neq; in hoc loco adorabitur Deus. Nam tu quidem, inquit, conaris ostendere res
Samaritanorum digniores ijs quæ apud Iudæos aguntur: ego autem dico tibi q̃ neq;
hæc neq; illa habent dignitatẽ, sed alius quispiam status erit illis dignior. Veruntamen
& sic Iudæos uobis Samaritanis digniores affirmo. Vos enim, inquit, adoratis quod
nescitis: nos aũt Iudæi, quod scimus. Porrò seipsum Iudæis annumerat, eo quòd iuxta
opinionem mulieris loquitur. Illa enim suspicabatur Iudaicũ prophetam esse, & pro-
pterea dicit, nos adoramus. Quomodo aũt nesciuerunt Samaritani quod adorarunt?
Loco putabant concludi Deum: ideo & cum mississent quando à leonibus deuorabã
tur (ut suprà dictum est) & annunciassent regi Assyriorũ se à Deo loci non suscipi: ibi
† nõ ipsum manserunt multo tempore, & coluerunt idola, & † ipsum quoq; uerum Deum. Iudæi
aũt ab hoc errore liberi fuerunt, & sciuerunt esse unum Deum omniũ, tametsi non om
nes. Quia salus ex Iudæis est. Duplicẽ sensum hoc nobis dat. Vel enim q̃ orbi ex Iudæis

bona

A bona prouenerint, scire enim Deum, & contemnere idola, inde exordium habuere, atq; omnia sana dogmata: etiam ipsa adoratio, quę apud uos Samaritanos, tametsi nō recta fuerit, à Iudæis originē duxit. Vel salutem nominat suū aduentū, qui ex Iudæis fuit. Potest autem & Dominus ipse dici salus, quia ex Iudæis fuit secundum carnem.

Sed uenit hora, & nunc est, quando ueri adoratores adorabunt patrem spiritu ac ueritate. Nam & pater tales quærit qui adorent ipsum. Spiritus est Deus, & eos qui adorant eum, spiritu ac ueritate oportet adorare.] Quamuis nos Iudæi quantū ad modum adorationis attinet, plus habeamus q̄ uos Samaritani: attamen & res Iudæorum nunc finem habituræ sunt. Nō enim in solis locis mutatio erit, sed & modus colendi alterabitur: & hæc in foribus sunt, & nunc est hora. non enim sicut ea quæ à prophetis dicta, in longum tempus differentur. Veros autem adoratores dicit eos qui secundum ipsius legem uiuunt, qui nō loco aliquo includunt Deum, sicut Samaritani: uel cultu colunt corporali, sicut Iudæi: sed spiritu & ueritate: hoc est per animam, per puritatem mentis. Quia enim Deus spiritus est, hoc est incorporeus, oportet ipsum adorare incorporaliter, uidelicet in anima. hoc enim significat, in spiritu. Etenim anima spiritus est incorporeus. Quoniā autem multi uidentur adorare in anima, non tamen recta habent scientiam, sicut hæretici: ideo addidit, & in ueritate. Oportet enim & mente adorare Deum, & sanā opinionem de ipso habere. Fortasis autem quispiam dicet, quòd duæ partes nostræ philosophiæ hic insinuentur, praxis dico & contemplatio per duo ista. Nam cum dicit, in spiritu, practice docetur. Quicunq; enim spiritu Dei aguntur, opera corporis mortificant secundum diuinū apostolum: & iterum, Caro concupiscit aduersus spiritum, spiritus autem contra carnem. Et ita practice insinuatur per hoc quod dicit, in spiritu. Per hoc autem quod dicitur, in ueritate, contemplatiua. Porrò hæc & Paulus dicit, Epulemur, inquit in azymis synceritatis, hoc est puritatis uitæ, id quod est practices: & ueritatis, id quod est contemplatiuæ. Contemplatio enim occupatur circa ueritatem doctrinæ uerbi. Vel aliter, Quoniā peculiare erat Samaritanis Deum

B loco includere, & dicere q̄ in hoc loco oporteat adorare: apud Iudæos autem omnia in figura & umbra fiebant: in spiritu adorare, opponitur adorationi Samaritanorū: ut dictum hunc sensum habeat, Vos quidem Samaritani localem quendam cultum offertis Deo ueri aūt adoratores non localem offerent. In spiritu enim colent, hoc est mente & anima. Sed neq; sicut Iudæi in typo & umbra adorabunt, sed in ueritate: quia Iudaicorum morum & obseruationum futurus est finis. Fortasis autem Iudaica lex secundum literā intellecta, figura erat & umbra. Quod dicitur, in spiritu, opponitur literæ. Non enim lex literæ à nobis obseruatur, sed lex spiritus. Nam litera quidem occidit, spiritus autem uiuificat. Et quod dicitur in ueritate, opponitur umbræ & figuræ. Venit igitur, inquit, hora, immò nūc est, corporalis mei scilicet aduentus tempus, quando ueri adoratores, neq; sicut Samaritani, uno loco adorabunt, sed omni loco secundū spiritum, & incorporaliter adorationem offerentes: sicut & Paulus dicit, cui seruio in spiritu meo. Neq; (sicut Iudæi) figuralem & umbratilem futurorum ostensiuum cultum adducent, sed uerum, & nihil umbratile habentem. Tales enim quærit adoratores Deus. Quoniam spiritus est, spirituales: & quia ueritas est, ueros.

Anima quid.

Rom. 8.
Galat. 5.

1. Cor. 5.

2. Cor. 3.

Rom. 1.

Dicit ei mulier, Scio quòd Messias uenturus est, qui dicitur Christus: cum ergo uenerit, ille nobis nunciabit omnia. Dicit ei Iesus, Ego sum qui loquor tibi. Et continuò uenerunt discipuli eius, & mirabantur q̄ cum muliere loqueretur. Nemo tamē dixit, quid quæris, aut cur loqueris cum ea?] Vnde mulier sciebat uenturū Messiam, qui dicitur Christus? ex Mosaicis scripturis. Nam superius diximus q̄ quinq; libros Mosi Samaritani receperint. Quia igitur Mosaica receperant, ex illis cognouerunt prophetias de Christo, & quòd filius sit Dei. Nam cum dicitur, Faciamus hominem, tanq̄ ad filiū dicta esse à patre, manifestum est. Et Abrahę quoq; in tabernaculo filius loquebatur, & Iacob de ipso prædicens dicebat: Non deficiet princeps de Iuda, donec ueniat cui repositum est. Et ipse Moses quoq; dicit, Prophetam suscitabit uobis Dominus de fratribus uestris sicut me, illum audietis. Et multa alia Christi aduentum prædicunt. Propterea dicit mulier, Scio quòd uenturus sit Messias. At nunc se illi manifestat Dominus, ita consequentia sermonis exigente. Sanè si statim ab initio dixisset, Ego sum Christus: neq; mulieri persuasisset, & uisus fuisset onerosus quispiam & arrogans: nunc paulatim

Gen. 1.
Gen. 17. & 18.
Gen. 49.
Deut. 18.

latim illam ad hoc inducit, ut mentio fiat expectationis Christi. ita iam se illi detegit. A
Matth.16. Cuius gratia Iudæis quidem cõtinuò interrogantibus, Dic nobis, num tu es Christus?
Ioan.13. non reuelauit seipsum: mulieri autem dicit. Illis quidem nihil dicit, eo quòd nõ interro
gabant discendi gratia, sed calumniandi animo: huic autem, quia studiosa erat, manife
stè se reuelat. Nam quod simplici mente & cogitatione, discẽdiq; desiderio rogauerit,
manifestum ex his quæ sequuntur. Nam ut audiuit, nõ solum ipsa credidit, sed etiam
alios ad fidem adduxit, semperq; apparet & fidelis, & diligenter inquirens. Absoluto
autem colloquio cum muliere ac doctrina, tempestiuè occurrerunt discipuli, & admi
rati sunt humilitatem eius, quòd cum tam glorioſus esset, & apud omnes celebris, non
dedignatus sit cum tam paupere & Samaritana muliere tanta cũ modestia sermonem
habere. Admirantes aũt, non audent rogare de quo loquatur ei. adeò erant bene com
Ioan.13. positi, seruantes suam erga præceptorem reuerentiam. Quod si alicubi apparuerint fi-
Matth. 18. denter loquentes, sicut Ioannes cum recumberet super pectus, & cum accederent & di
Matt.20. cerent, Quis maior? & cũ filij Zebedæi obsecrarent ut unus à dextris, & alter à sinistris
sederent: illa inquirunt quasi ad se attinentia, & tunc eis necessaria uisa. Hoc autem
loco quia non usqueadeò ipsorum intererat quærere, neq; necessarium omnino, pro
pterea non utuntur fiducia, eo quòd non habeant tempus opportunum.

Reliquit ergo hydriam suam mulier, & abijt in ciuitatem, & dicit illis hominibus:
Venite, uidete hominem qui dixit mihi omnia quę feci: num hic est ille Christus? Exie
runt ergo è ciuitate, & ueniebant ad eum.] In tantum accensum est cor mulieris dictis
dominicis, ut & aquam relinqueret. Sic igitur statim prætulit aquam Christi fonti la-
cob, & fit Apostola ordinata à fide, quæ cor eius occupauerat, docetq; & attrahit totã
ciuitatem. Venite, inquit, uidete eum qui mihi dixit omnia quæcunq; feci. Profectò
quoniam accensa fuit anima diuino igni, ad nihil eorum quæ in terra, respicit: non ad
confusionem, non ad ignominiam, nec ad aliud quippiam. Ecce igitur & ista non ue-
retur sua secreta pandere, sed ait, qui dixit mihi omnia quæ feci. quamuis posset & ali- B
ter dicere: Venite, uidete prophetam prophetantem: at non sic. Contemnit autem
suam gloriam, & ad hoc solum spectat, ut prædicet ueritatem. Non dicit autem, Hic
est Christus, affirmatiuè: sed, nunquid hic est Christus? uolens etiam illos calculum ad-
dere, & facere sermonem creditu faciliorem. Etenim si affirmasset hunc esse Christũ,
fortasis refugissent quidam sententiam eius, neq; tam diffamatæ credidissent. Intelle-
xerunt autem quidam per quinq; uiros Samaritanæ, quinq; libros Mosi, quos solos Sa
maritani recipiũt. Quem autem nunc habes, dicit, hoc est uerbum meum, quod nunc
à me accipis, non est uir tuus. Nondũ enim coniuncta fuisti, inquit Iesus, meæ doctri-
næ. Dixerit autem quis Samaritanam gerere typum humanæ naturæ. Natura enim
nostra olim quidem in monte habitabat, mente scilicet plena gratiæ diuinæ. Nam
priusquam peccaret Adam, omnibus diuinis ornatus erat donis. Erat enim & prophe
ta. Vnde & à somno expergefactus prædixit de formatione mulieris & habitudine ui
Gen.2. ri erga illam: dicebatq;, Hoc nunc os ex ossibus meis, & propter hoc relinquet homo
patrem suum & matrem. Proinde tunc erat natura nostra in excelso monte mentis.
Sed ubi offendit Deum, abducta est captiua, & sanctum quidem semen eius, omnem
diuiniorem dico cogitationẽ, diabolus captiuam in Babylonẽ inde abduxit, hoc est, in
cõfusionẽ huius mundi, & pro eis inhabitare fecit barbaricas cogitationes, hoc est leo-
nes, qui bonas cogitationes quæ habitabant in nobis, deuorabãt, donec persuasum est
eis ut reciperent diuina eloquia, nec tamen illa integrè. Malitia enim cũ semel in mon-
te mentis nostræ habitare cœperit, suscipit quidem Mosi libros, non aũt integrè bonũ
amplexatẽ, sed adhuc sub maledicto manet. Igitur iter faciens, hoc est, multas uias tran-
siens, & modos pro salute nostra tractans, & interim minis malorũ, interim afflictioni
bus, interim beneficijs, interim bonorũ promissionibus, nostrã uitam lucrari quęrit: &
fatigatus quidem est talibus modis attentans nos corrigere: inuenit aũt alium modum
regendi, qui ei & placuit, unde super illum sedit & requieuit. Et quis ille? Fons bapti-
Baptisma fons Iacob dicitur. Psal.73. smatis, in quo naturæ nostrę quasi Samaritanæ cuipiam benefecit. Fons aũt iste bapti-
smatis, fons Iacob meritò dicit, hoc est, supplãtatoris. In fonte enim isto supplantamus
diabolum, quia & dominus in illo contriuit caput draconis, quẽ dedit escã populis Æ-
thiopum. Dracone aũt isto nõ alij quidem pascuntur & oblectantur, q̃ obtenebrati &
nigri

A nigri anima, & diuinæ lucis non participes. Huic autem nostræ naturæ quinq; uiri cõ iuncti fuerunt, uariæ scilicet leges à Deo datæ ei, nempe lex in paradiso, lex quæ tempore Noe, lex quæ data Abrahæ, lex quæ data Moli, lex quæ data per prophetas. Nam & Noe post diluuium præceptũ q̃ddã suscepit, & Abrahã circũcisionem, his itaq; quinq; legibus coniuncta natura, & sextã accepit, quã tamen nõ habebat ut uirũ, nondũ enim coniungebat sibi legem noui testamenti. Intellexerit aũt quis per sextã legem, quam ut uirũ nõ habebat natura, legem idololatriæ. Hanc enim legem nõ habebat à Deo datã sibi coniugem, sed uelut adulterũ iungebat sibi. Ideo & propheta dicit, Et adulterabantur in ligno, Et iterũ, Fornicati post omne lignũ. ꝓpter sculptilia scilicet & arbores quas colebãt, Eò enim dementiæ peruenerat natura, ut & arboribus pulchris ꝓpter pulchritudinem sacrificaret, Cypariſſis uidelicet, & Platanis, & similibus. Quãdo igit sextũ illũ adulterũ homines dilexerũt, & in idololatriã exciderũt, tũc Dominus ueniens liberauit nos ab ea. Ideo & dicit, quem nũc habes. Nã perfecto tempore aduentus Iesu Christi, etiã Iudæorũ sapientiores in Gentiliũ errorem inciderant. Et manifestauit hoc pharisæorũ hæresis, quæ fato & astrologiæ credebat. Est & Samaritana omnis anima, quæ sensibus quinq; imprudenter subiecta est, deinde periculosam doctrinã ueluti sextum quendã adulterũ suscipit, cui Iesus benefacit, uel per baptismũ, uel per fontẽ lachrymarũ. Nã & lachrymę fons Iacob dicunt, mẽte nostra supplantãte malitiã: ex qua aqua & ipsa mẽs bibit, & cogitationes eius, q̃ filij dicũt, & pecora, ceu irrationales partes animę, ira & cõcupiscẽtia. Lachrymę enim menti & cogitationib. & reliqs in refrigeriũ fiunt.

Interea rogabant eum discipuli dicentes, Rabbi comede. Ille autem dixit eis, Ego cibũ habeo comedendum, quem uos nescitis. Dicebant ergo discipuli inter se: Num quis attulit ei quod ederet? Dicit eis Iesus, Meus cibus est, ut faciam quod uult is qui misit me, & perficiam opus eius.]Rogabant discipuli Dominum, hoc est, obsecrabant ut comederet: non temeraria quadam mente, sed magna dilectione erga magistrum. Etenim uidebant ipsum defatigatum ex itinere, & calore flagrante. Dominus autem sciB ens Samaritanam ferè totam ciuitatem ad se euocaturam, & Samaritanos in se credituros, Ego, inquit, cibum habeo comedendum, hoc est, salutem hominum: quam tanto desiderio auebat, quãto nullus nostrũm sensibilem cibum. Hunc autem cibum quem habeo comedere, uos discipuli mei nescitis. Crassi enim cum uos adhuc sitis, & intelligere nequeatis quæ obscurius à me dicuntur, nescitis quòd cibum salutem hominum nominem. Et aliter, Hunc cibum nescitis. ignoratis enim quòd Samaritani crediturí sunt mihi, & saluabuntur. Quid igitur discipuli? Adhuc dubitabant num quis attulisset ei quod comedat. Non autem propter solitam ipsorum reuerentiam erga illum, interrogare audent. Porrò ille quamuis ipsi non interrogassent, reuelat obscurius dictũ, & dicit, Meus cibus est, ut faciam uoluntatem eius qui me misit. Voluntas enim Dei est salus hominum, & perficiam opus eius. Prophetæ quidem & lex minimè potuerunt perficere opus Dei. Imperfecti enim erant, utpote figuras & umbras futurorum continentes. at Dominus perfecit opus Dei, nostram dico salutem & renouationem. Forsitan & per opus Dei intelligere potes hominem, quem solus filius Dei, ostensa natura nostra in seipso nullis peccatis obnoxia, perfecit, hoc est declarauit perfectũ & absolutũ in omni bono opere per diuinam in carne uitam: & usque ad finem uicit mundum. Et Deut. 9. lex quoque Dei opus est, secundum quod digito Dei scripta: quam legem perfecit Dominus. Finis enim legis, Christus: quoniam cessare fecit omnia quæ in lege fiebant, & Rom. 10. à corporali cultu ad spiritualem eam transtulit. Cæterũ Dominus sæpe loquitur obscurius, ut attentiores faciat auditores, & excitet eos ad interrogandum & discendũ quod obscurè dicebatur. Cibum autem nominans hominum salutem, docet discipulos ut & ipsi cum ordinati sint in magistros orbis, minoris faciant corporalem cibum, omneq; desiderium suũ eò transferant, ut saluent homines. Obserua autem q; & Dominus ipse accipiebat cibos à quibusdam propositos. Dicunt enim discipuli, Num quis attulit ei ut comedat: non quasi opus habens aliorum ministerio (quomodo enim aliorum indigeret ministerio, qui dat escã omni carni:) sed ut afferentes mercedem habeãt, & assuescant simul & ipsi alios pascere. Et interim dat exemplũ omnibus hominibus, ut nõ erubescamus paupertatem, neq; graue putemus si ab alijs pascamur, præsertim ij qui docemus: & maximè necessarium est alios habere ciborũ curatores, ut ipsi nõ diuulsi curis, Psal. 135. Docentes pascuntur à discentibus.

C ministerio

ministerio uerbi uacemus. propterea & discipulis imperauit ut à discentibus pascan̄. A

Nónne uos dicitis, Adhuc quatuor mẽses sunt, & messis ueniet? Ecce dico uobis, attollite oculos uestros, & uidete regiones: quoniã albæ sunt iam ad messem. Et qui metit, mercedem accipit, & congregat fructum in uitam ęternam: ut & qui seminat, simul gaudeat, & qui metit. In hoc enim est sermo uerus, quòd alius est qui seminat, & alius est qui metit. Ego misi uos ad metendum quod uos non laborastis. Alij laborauerunt, & uos in labores eorum introistis.] Incipit nunc manifestius reuelare discipulis ea quæ prius obscurius dixerat. Nã uos quidem, inquit, dicitis, hoc est putatis, quòd messis sensibilis illa quatuor mensib. futura sit: ego autem dico uobis quòd aderit spiritualis messis. Hæc autem dicebat propter Samaritanos, qui iam ueniebant ad ipsum. Attollite igitur oculos uestros, uel spirituales, uel sensibiles: & spectate multitudinem Samaritanorum, & animas ipsorum ad fidem alacres & promptas, quæ quasi regiones albæ opus habent messoribus. Nam sicut aristæ quum fuerint albæ, paratæ sunt ad messem, ita & hæ ad salutem sunt præparatæ. Et metens mercedem accipit, & colligit fructum in uitam æternam, ut & seminans simul gaudeat, & metens: quod hunc sensum habet, Prophetæ seminauerunt, sed nõ messuerunt, neq; propterea priuati sunt uoluptate, quam uos nobiscum non metant. id quod in sensibilibus messibus non est. Illic enim si euenerit quòd alius seminat, & alius metit, tristitia est nõ metenti. In spiritualibus autem non sic est. Sed & prophetæ antea prædicauerunt, & præmolliuerunt hominũ mentes: unde uobiscum gaudent, qui homines ad salutem capitis. Ego autem misi uos ut metatis quod uos non elaborastis. propterea dicit Dominus, ut mittendi discipuli ad prædicationem, non turbentur quasi ad rem difficilem: nam quod onerosum erat, prophetæ susceperant: uos autem in præparata mittimini. At sermonem uerum dicit, prouerbium uulgo iactatũ: Alius est qui seminat, & alius qui metit. Obserua autem quomodo omnia authoritatem & dominium indicent. Ego misi uos ad metendum. Audiant malenicti Marcionitæ & Manichæi, & similes, qui uetus testamentũ à nouo abalienãt: nam & hoc loco redarguuntur. Etenim si alienũ fuisset uetus, quomodo Apostoli messuissent ea quæ à prophetis seminata? Vnde quia Apostoli messuerũt ea quę in ueteri non sunt alienum est ipsum à nouo testamento: sed utraq; unum sunt. Audiant & Ariani, quomodo tanquam Dominus & potestatem habens mittat discipulos. Mittit autem ut detentis metant & execent eos qui terrenis affixi erant, tam Gentiles, quàm Iudæos: inuehantq; illos in areã, Ecclesiam dico, in qua conculcentur à bobus, hoc est doctoribus: & iaceant sub illis, ac triturentur, cum omnes paleas, & ignis fomitem, & quicquid carneum est, abiecerint, & facti pura grana in cœlesti penu reponantur, ac deinde cibus fiant Dei, qui gaudet in salute eorum. Ita Paulus messuit, à terra resecãs, & docens nos q; municipatus noster in cœlis sit. Cauillantur autem quidã hoc dicto lepidè senes, uideri regiones quòd albæ sint ad messem, propter canos scilicet, & messem mortis.

Cõparatio pulchra. Prouerbiũ. Marcionitæ Manichæi Ariani. Phil. 3. Lepidũ cauillum in senes. B

Ex ciuitate aũt illa multi Samaritanorũ crediderũt in eum propter sermonẽ mulieris testificãtis quòd dixisset sibi omnia quæcunq; fecisset. Cũ uenissent ergo ad illũ Samaritani, rogauerũt eum ut apud se maneret: & mansit ibi duos dies, ac multo plures crediderunt propter sermonẽ ipsius: & mulieri dicebant, Iam non propter tuam orationem credimus, ipsi enim audiuimus, & scimus quòd hic est uerè saluator mundi Christus.] Propter sermonem mulieris multi Samaritani credunt, utpote prudenter apud se iudicantes quòd uitam suã mulier non uulgasset ad hoc ut gratificaretur alteri, nisi uerè magnus quis esset, & super multos, qui ab illa prædicabatur. Ideo & fidem operibus comprobantes, obsecrabant illum ut perpetuò apud ipsos esset. Manere enim hoc significat perpetuum domicilium apud illos habere. Verùm ille in hoc non obtemperat, sed ad duos tantum dies manet: unde & multo plures crediderũt propter doctrinam eius. Tametsi Euangelista non enarret particulatim mirabilia doctrinæ eius uerba: euentu tamen docet, ut intelligamus uirtutem diuinæ illius doctrinæ. Nã & multa alia & magna transeũt Euangelistæ, eo q; nõ ad ostentationem, sed ad ueritatem declarandã scribũt. Itaq; cum Dominus esset apud Samaritanos, uerisimile est eum diuiniora quędam docuisse: unde nullo uiso signo credunt, & obsecrant ut maneat. Iudæi autem quamuis plurimis sermonibus & signis fruerentur, adhuc persequebantur. Profectò inimici hominis, domestici eius. Vide item quomodo breui multitudo præcellat eam à qua doc-

Micheæ 7. Matth. 10.

cta

A sit fuerat, nõ enim prophetam uocant, neq; ſaluatorem Iſrael, ſed mundi: & cum arti-
culo, hic eſt ſaluator ille qui propriè & uere ſaluauit omnes. Venerunt enim multi ut
ſaluarent, & lex, & prophetæ, & angeli: ſed hic eſt ille uerus ſaluator.

Poſt duos autem dies exijt inde, & abijt in Galilæam. Ipſe enim Ieſus teſtatus eſt q̃
propheta in ſua patria honorem non haberet. Cum ergo uenisſet in Galilæam, excepe
runt eum Galilæi, cum omnia uidiſſent quæ fecerat Hieroſolymis in die feſto. nam &
ipſi uenerant ad diem feſtum.] Cum exiſſet à Samaria Dominus, in Galilæam digredi-
tur. Deinde ne quis inquirat, & dubitet quare nõ ſemper maneat in Galilæa, ſed per in
terualla peregrinet̃ apud eos, maximè cũ uideat̃ eſſe ex Galilæa: dicit q̃ propterea non
manſerit in Galilæa, quia nullum honorem illi exhibuerant. Ipſe enim Ieſus teſtatus
fuit q̃ propheta in ſua patria in honore non ſit. Conſueuimus enim nos homines con-
temnere ea quę ualde familiaria, ſemper magis attendentes alienis & inſolitis. Quid igi *Pauci apud*
tur? Non uidemus etiam multos apud ſuos in honore haberi? ſanè hoc ualde rarum. Si *ſuos in ho-*
autem nonnulli inueniuntur qui in patria ſua in honore habentur, multo magis in ter *nore habe-*
ra aliena: ita ut honor qui eis in patria impenditur, ſi conferatur cum eo qui in terra a- *tur.*
liena, ignominia eſſe inueniatur. Nam inuidia compatriotis non ſinit congruum ho-
norem reddi, ſed parum illis tribuunt ciues, ſuam confuſionem exiſtimantes gloriam
contribulium. Cum ueniſſet igitur Dominus in Galilæam, crediderunt Galilæi: quia
uiderant ſigna facta in Hieroſolymis. Atqui Samaritani probatiores erant & abſq; ſi-
gnis uerbo mulieris crediderunt. Vide autem ubiq; eos qui abiecti habebantur, cele-
brari ut potiores fide, Samaritanos dico & Galilæos. Nam hos contemnebant ut agre
ſtiores: ideo & dicebant, Propheta ex Galilæa nõ ſurrexit. Vide autem q̃ & hi qui ele- *Ioan. 7.*
cti putabantur, abijciuntur, quales fuerunt Hieroſolymitani Iudæi. Meritò igitur &
Gentiles ſuſcepti ſunt. Nam in ſua patria, hoc eſt, in ſynagoga Iudæorum, honorem
non habebat propheta Chriſtus, ſicut Moſes dicit: Prophetam ſuſcitabit uobis Dñs. *Deut. 18.*

Venit ergo Ieſus iterũ in Cana Galilææ, ubi fecerat ex aqua uinum. Et erat quidã re *Luc. 4.*
B gius cuius filius infirmabatur Capernaum. Hic cũ audiſſet quòd Ieſus aduenisſet à Iu-
dæa in Galilæam, abijt ad eum, & rogabat eum ut deſcenderet, ac ſanaret ipſius filium:
ſiquidem is agebat animam. Dixit ergo Ieſus ad eum, Niſi ſigna & prodigia uideritis,
nõ creditis. Dixit ad eum regius, Domine, deſcende prius q̃ moriatur filius meus. Di
cit ei Ieſus, Vade, filius tuus uiuit. Credidit homo ſermoni quem dixerat ei Ieſus, & i-
bat.] Recordari nos facit Euangeliſta miraculi in Cana, ubi aqua facta eſt uinum, & in
terim ut creſcat laus Samaritanorum. Nam & Galilæi quidem, inquit, ſuſceperũt eum
propter ſigna quæ facta ſunt in Hieroſolymis, & apud ſe: Samaritani autem ob ſolius
mulieris teſtimoniũ, & ipſius Domini doctrinã. Oſtẽdit inſuper q̃ & regius ille ex mi
raculo quod in Cana erat factum, bonam quandã de Chriſto opinionem conceperat,
tametſi minus dignam. Regium autem illum uocat, uel quòd ex regio erat genere, uel
q̃ gerebat dignitatem quandam ob quam ſic uocabatur. Num igitur, dicet quis, idem
eſt ille cum Centurione apud Matthæum? Nam & ille ex Capernaũ erat. Non opinor
igitur illum eſſe, ſed alium. Nam ille quidem & uolentem uenire Chriſtũ prohibet, di-
cens, Non ſum dignus ut ſub tectum meum ingrediaris, iſte uerò Ieſum in domum ſu-
am trahit. & illius quidẽ puer paralyſi detinebat̃, ſeruus uidelicet: iſtius aũt filius febri.
Et illic quidẽ cũ à monte deſcendiſſet, in Capernaũ ingreſſus eſt: nũc aũt à Samaria, &
nõ in Capernaũ, ſed in Cana. In ſumma, ille Cẽturio, hic aũt regius fuit dignitate. Orat
igit̃ regius ille Dñm ut deſcẽdat ad ſanandũ filiũ. At Dñs perſtringit eũ, utpote nõ per-
fectã, ſed paruã habentem fidem. Dicendo enim deſcende, prius q̃ moriat̃ filius meus,
infirmitatẽ fidei ſuæ oſtendit: quia nõ credebat q̃ ſi cõtingeret mori filium, potens eſſet
eũ ſuſcitare. propterea perſtringens eum dicit, Niſi ſigna & prodigia uideritis, non cre
detis. Interim autem & alios ciues Capernaũ accuſat. Videntur enim ubiq; ob multam
incredulitatẽ condẽnari. Igit̃ qm̃ infirmæ mentis erat regius, & urgebat Dñm ut deſcẽ
deret ad ſanandũ filium: oſtendens ei ſaluator q̃ etiã abſens poſſet ipſum ſanare, dicit,
Vade, filius tuus uiuit. Deniq; pueri quidẽ ſanauit febrem, patris autem incredulitatẽ. *Ioan. 9. 10.*
Scias autem aliud eſſe ſignum, aliud prodigium. Nam prodigium fit prẽter naturam, *Prodigium*
ut eſt aperire oculos cæci nati, & excitare mortuum: Signum autem non præter na- *& ſignum*
turam, ut eſt ſanare infirmũ. Perficiet aũt & nũc hoc miraculũ Dñs, ſi quis illum adeat. *differunt.*

Omnis homo est regius quidam, non solum q̃ cognatus propter animam regiom niũ, A
sed etiã q̃ ipse regiã dignitatẽ supra omnes accepit. Inuenit aũt sæpe habẽs quidẽ men
tem quali filiũ igne illicitarum uoluptatũ & concupiscentijs malè laborantem. Si igit
accesserit ad Iesum, & petiuerit ab eo ut descẽdat, hoc est misereatur & remittat illi pec
cata prius q̃ tota à morbo uoluptatũ moriatur (si enim nostri nõ misereretur Deus, sed
Psal. 129. obseruaret iniquitates, & secundum illas ulciscceretur, quisnam sustineret?) Si igitur ac-
cesserit ut dictũ est, assequẽ quod quęrit, & recipiet mentẽ suã sanã. Veruntamen uide
& qd dicat ad illũ Dominus, Vade, filius tuus uiuit. hoc est, ne sis immobilis ad bonũ,
sed uade, & incessabilem motionem ostende ad bonũ. Tunc enim filius tuus uiuet. Si
aũt quieueris nõ ambulans, morietur planè mens tua, eo q̃ ad bonũ te nõ promoueris.

Iam aũt eo descendente, serui occurrerũt ei, & nunciauerũt ei dicẽtes, Filius tuus ui
uit. Scisciatus est ergo horam ab eis in qua uegetius se habuisset. Et dixerunt ei, Heri
hora septima reliqt eũ febris. Cognouit ergo pater q̃ illa hora erat in qua dixisset sibi Ie
sus, Filius tuus uiuit, & credidit ipsẽ, & domus eius tota. Hoc iterũ secundum signum
edidit Iesus cum uenisset à Iudæa in Galilæã. Obstupefacti serui repentina morbi mu-
tatione, occurrũt domino, bonũ nunciũ afferentes de sanitate filij. Non enim simplici-
ter & sicut fieri solet, sed subitò liberatus est à febre, ut ita ostendatur miraculũ hoc non
fuisse naturæ, sed uirtutis Christi. Vt ergo didicit à seruis horam in qua puer uegetius
se habuisset, hoc est melius habuisset, & in meliorẽ transisset ualetudinẽ, plenè credidit
Dño. Prior enim eius fides imperfecta erat. Ne enim mihi dixeris q̃ nõ accessisset nisi
credidisset. Nã & patres consueuerũt prę amore erga filios, non solũ accedere ad medi
cos quib. bene fidunt, sed & ad imperitos, nihil ex his quæ facere oporteat, intermitten
tes. Accessit quidem ex fide, siquidem & hoc dabimus: sed frigida & imperfecta, quam
neq; fidem quis rectè uocauerit. Tunc autẽ perfectè credidit, quãdo & de hora didicit.
Et quare Euangelista dicit quòd secundum hoc signum fecerit in Cana? Vt ostendat
Samaritanos multis dignos laudibus. Etenim dicit, & cum secundo hoc fieret signum, B
nondum peruenerunt Galilæi ad sublimitatem illorum qui nullũm uiderant signum.

CAPVT V.

† probatica piscina: quæ cognominatur hebraice Bethsaida,

POst hæc erat dies festus Iudæorum, & ascendit Iesus Hierosolymam. Est autem
Hierosolymis † ad probaticam, piscina, quæ Hebraicè dicitur Bethesda, quinque
porticus habens. In his iacebat multitudo languentium, cæcorum, claudorum, aridо-
rum, expectantium aquæ motum. Angelus enim descendebat certo tempore in pisci-
nam, & turbabat aquam. Itaq; qui primus descendisset post turbationem aquæ, sanus
fiebat à quocunque detinebatur morbo.] Dies festus erat Iudæorum, Pentecostes opi-
nor. Ascendit in eo Dominus: partim ne uideretur esse aduersarius legi, sed compare-
ret cum reliquis diem festum agens: partim ut plures per signa & doctrinas alliceret,
& maximè turbam simplicem. Solebant enim conuenire & rustici & opifices urbani,
Quare pi- qui alijs diebus in operibus suis erant occupati. Probatica autem dicebatur piscina, eo
scina probatica dicta. quòd oues illic ad sacrificium congregabantur, & intestina earum abluebantur. Multi
autem opinabantur quòd sola ablutione intestinorum sacrificalium, uirtutem quan-
dam diuiniorem acciperet aqua, & propterea angelus ad aquam ut electam accede-
ret, & miraculum operaretur. Videbatur utiq; diuina sapientia à longe uiam facere Iu
dæis ad fidem in Christum, præordinando miraculum piscinæ. Nã quoniã baptisma
daturum erat magnam uirtutem, & maximum donum, utpote purificans peccatũ, &
Piscina illa baptisma de signat. uiuificans animas, præfigurat Deus baptisma in rebus Iudaicis, & ipsis quoq; aquã dat
quæ purificet sordes, quæ non sordes propriè erant, sed uidebantur esse: ut siquando re
tigissent mortuum, uel leprosum, uel aliquid tale. Dat autem & piscinæ huic miraculũ,
quod duceret eos ad susceptionem baptismatis. Angelus enim tempore opportuno
descendebat, & turbabat aquam, & sanatiuam illi uirtutem indebat. nusq; enim ista na
tura aquæ est, ut per se sanet, alioqui hoc perpetuò fieret: sed totum in angelo situm e-
Aqua bap- rat, quicquid erat efficaciæ. Ita & apud nos aqua baptismatis, aqua est simpliciter: cum
tismatis. autem accesserit spiritus sancti gratia, propter inuocationem Dei morbos soluit ani-
marum: & si quis cæcus fuisset, obcæcatis oculis animæ ne possit dijudicare bonum à
malo: & si claudus quis fuisset, qui nõ mouebatur ad faciendum bonũ, & proficiendũ
in melius: & si aridus, & desperati omnino fuisset morbi, nulliusq; boni particeps, ab

aqua

A aqua illa curabatur. Et tunc infirmitas impediebat quosdam ne sanarentur: nunc autem in baptismo nullum est obstaculum. Non enim uno sanato alij relinquuntur non curati: sed etiamsi totus orbis confluueret, non imminueretur gratia.

Erat autē quidam homo illic qui triginta & octo annos morbo tenebatur. Hūc cum uidisset Iesus decumbentem, & cognouisset q̄ iam multum temporis morbo teneretur, dicit ei, Vis sanus fieri? Respondit ei languidus, Domine, hominem non habeo, ut cum turbata fuerit aqua, mittat me in piscinam: sed interim dum ego uenio, iā alius ante me descendit.] Stupenda paralytici cōstantia. annos habebat triginta octo, & quotānis liberari à morbo expectans assidebat, & impediebatur à potentioribus præuētus, nec tamen destitit, neq; desperauit: ideo & Dominus interrogat eum, uolens monstrare nobis fortitudinem hominis. non enim interrogat quasi discere quippiā uellet. Hoc enim non solum superfluum esset, sed insipiens, quærere an æger uelit sanari. Factum ergo ut monstretur nobis hominis patientia. Quid igitur ille? Multa cum mansuetudine respondet: Etiam, inquit, Domine, uolo quidem, sed nō habeo hominem qui possit me in aquam inferre. Nihil blasphemum respondit, non arguit Christum ut stultam interrogationem interrogātem: nō maledixit diei natiuitatis, sicut pusillanimes facimus, idq; cum in leuiores morbos incidimus: sed mansuetè & placidè responsum dat, tametsi nesciret quisnam esset qui interrogabat. Nanq; hoc solum existimauit utilitatis sibi accedere fortassis, ut inferret ipsum in aquam, & propterea blandè Christo loquitur. Non dixit autem Christus, Vis? sanabo te: ut ne uideretur gloriam quærere.

Dicit ei Iesus, Surge, tolle grabatum tuum, & ambula. Et statim sanus factus est homo ille, & sustulit grabatū suum, & ambulabat. Erat autem sabbatum in die illo. Dicebant ergo Iudæi ei qui sanatus fuerat, Sabbatum est, non licet tibi tollere grabatum.] Iubet tolli lectulum, uolens credibilius fieri miraculū quod faciebat, ne putaret esse phantasma quoddam. Nisi enim membra firmè fuissent solidata, lectum ferre non potuisset. Non autem exegit ab eo fidem antecq; sanasset, sicut in alijs quibusdam: quia æger ille
B nondum uiderat eum signa facientem. Etenim Dominus fidem exigere nō solebat ab illis antecq; in conspectu eorum faceret miracula: sed postq; uidissent miracula, exigebat fidem. Attende autem q̄ simul atq; audiuit, credidit. Non enim secum murmurauit, & dixit, Me iubes surgere, qui nunc triginta octo annos habeam, & salutem nunq; sim assecutus, & sic repentè surgerem? Nihil tale cogitauit, sed credidit, ac surrexit. In sabbato sanat, docens hominem aliter intelligere sabbati obseruationes, & non putare coli sabbatum ocio corporali, sed malorum abstinentia. Nam benefacere alicui in sabbato lex non prohibet, quæ lex est Dei semper benefacientis. *Sabbatum quomodo colendum.*

Respondit eis, Qui me sanum fecit, is mihi dixit, Tolle grabatum tuum, & ambula. Interrogauerunt ergo eum, Quis est ille homo qui dixit tibi, Tolle grabatum tuum, & ambula? Is autem qui sanus fuerat effectus, nesciebat quis esset. Iesus enim subduxit se, quòd turba esset in eo loco.] Admirari conuenit hominis erga Iudæos in dicendo libertatem, quando urgentibus illis, & dicentibus, Non tibi licet tollere grabatum tuum per sabbatum, ipse cum fiducia liberè prædicat benefactorem: Qui fecit me sanum, ille mihi dixit, ueluti huiusmodi quædam proferens: Deliratis & desipitis iubentes ne obediā ei qui me à tam diuturno & difficili morbo liberauit. At Iudæi non interrogant eum, quis est qui te sanum fecit? sed, quis est qui dixit tibi, Tolle grabatū? ita ad bonum sponte excæcabantur, sursumq; ac deorsum rapiebant sabbati uiolationem, ut sibi uidebat. At Iesus se subduxerat: primùm quidem, ut absente ipso testimonium sanitatis illius suspicione magis careret, & ne uideretur gratificari ei, sed ueritatem testari. Insuper ut ne Iudæorum inuidiam magis accenderet. Solet enim & aspectus eius cui inuidetur, non paruam inuidiæ flammam immittere inuidentibus. propterea permittit eas de miraculo inquirere per seipsos. Porrò Iudæi reprehendentes cum factum inquirerent, multis sermonibus celebrius illud reddunt. *Aspectus inuidiosi.*

Postea eum reperit Iesus in templo, & dixit ei, Ecce sanus factus es: ne posthac pecces, ne quid deterius tibi contingat. Abijt ille homo, & nunciauit Iudæis q̄ Iesus esset qui ipsum fecisset sanum. & propter hoc persequebātur Iudæi Iesum, & quærebant eū occidere, q̄ ista fecisset in sabbato.] Ex eo q̄ Dñs paralytico dixit, Vide, sanus factus es, ne posthac pecces, primū quidem discimus, ex peccatis natos hominū morbos, deinde *Ex peccatis nascuntur morbi.*

de uera enarrari de gehenna, æternumq; esse suppliciũ. Igit̃ ubi nunc sunt qui dicunt, A
ad unam horam indulti rei uenereæ, quomodo in perpetuũ puniar? Ecce enim etiã hic
non tot annis peccauerat quot puniebatur, sed fermè integrã hominis uitam in supplicij mensuram amplam impendit. Sanè peccata non iudicantur tempore, sed ipsa delictorum natura. Quin hic & illud discimus, quòd licet grauem luamus pro primis peccatis pœnam, si deinde iterum in eadem incidamus peccata, iterũ grauiora patiemur, idq; meritò. Qui enim priori supplicio non emendatus est, ad maiora tormenta ducet, tanq; insensatus & cõtemptor. Et quare (inquit) nõ omnes sic puniunt? Etenim multos improborũ uidemus bene ualentes corpore, & in delicijs ac prosperitate uiuentes. Verũ q; illi nihil hic patiũtur, uiaticũ eis erit ad supplicium grauius, quod alibi ferent. & hoc
1. Cor. 11. Paulus manifestè dicebat, Cum enim iudicamur à Dño, hic scilicet, erudimur, ut ne cũ hoc mũdo cõdemnemur, alibi uidelicet. Nã quæ hic fiunt, admonitionis sunt: quæ aũt alibi, supplicium. Quid igit̃? nũquid omnes morbi sunt ex peccatis? Nõ omnes quidem, sed plures. Morbi enim aliqui propter peccata accidũt, sicut & illius paralytici, &
3. Reg. 17. in libris Regũ uidemus quendã laborantẽ dolore pedũ ꝓpter peccatũ. Aliqui aũt sunt
Iob 1.2. propter probationem, sicut morbus Iob, ut monstretur eius uirtus. Quidam aũt etiam ab ignauia oriunt̃, utpote gula & ebrietate. Sunt aũt nõnulli qui coniecturã sumũt ex hoc quod Dñs dicit, ne posthac pecces: & asserũt q; Dñs sciuerit q; paralyticus ille indicaturus esset & significaturus Iudæis: postea reperit eũ in templo: & ꝓpterea dicit, Ne ultrà pecces. Sed nõ est ita. Videt̃ enim pius homo esse. Nã reperit eũ, inquit, Iesus in tẽplo. nisi em̃ pius fuisset, exposuisset se uoluptati & delicijs, in domũ curr̃es, & effugisset Iudæorũ insaniã, ne illis rationẽ redderet: sed nihil horũ terruit eũ ut desisteret à tẽplo. Sed & postq; agnouit Iesum, uide quãta gratitudine eũ Iudæis prædicet. Non enim dicit, Iesus est q; dixit mihi, tolle grabatũ: id quod illi audire uolebãt; sed is q; ipsum sanũ fecit: id quod audire nõ ferebant, pro crimine habentes sabbati uiolationẽ. Quod aũt Iudæi persequebantur Dñm, quid propterea peccauit homo qui illum eis ostendit? Ipse enim grata mente, ut & alios ad fidem attraheret, prædicat seruatorem. At quum illi B
Quid per probaticam piscinam intelligendũ. persequerentur benefactorem, ipsorum erat crimen. Porrò per probaticam piscinam intellige baptisma, in quo Iesus Dominus noster ouis illa pro nobis immolata, lotus est & baptizatus pro nobis. Quinq; autem porticus habet ista piscina. Quatuor enim uirtutes, & una contemplatiua, in baptismate apparent. Igit̃ humana natura, uelut̃ paralyticus quidã, cuius omnes animales uirtutes morbo correptæ sunt, iacet trigintaocto annis ægrotans. Neq; enim rectè se habebat in fide trinitatis, neq; octauum seculum, resurrectionem dico, & iudicium operum huius uitæ firmiter credebat fore: ideo & non inuenit curam. Nõ enim habebat hominem qui inferret in piscinam, hoc est, non dum erat factus homo filius Dei, qui per baptismum illum sanaturus esset. quando autem factus est homo, tunc sanauit quidem naturam nostram. præcepit autem & lectulum ferre, hoc est, & corpus leue facere & expeditum, & sustollere à terra, ne grauetur carnibus & terrenis curis, sed surgat à desidia ad bonum, & ambulet, quod est moueri ad operationem boni. Turbari autem aquam piscinæ significat q; in ipsa turbentur spi-
Precatio Theophylacti. ritus malitię, contriti & suffocati gratia spiritus. Vtinam & nos assequamur sanitatem, qui dissoluti sumus, & ad omne opus bonũ immobiles, neq; habemus hominem, hoc est, humanam rationem, utpote comparati cum iumentis: ut portet nos in piscinã pœnitentiæ lachrymarum, in quam qui primus ingreditur, sanatur. Nam qui pœnitentiã differt in tempora posteriora, non festinat hic pœnitere: qui procrastinat, non assequitur sanitatem. Primus igitur festina ingredi, ne te mors præoccupet. Hanc autem piscinam pœnitentiæ angelus turbat, qualis? Ille magni consilij patris, Christus & saluator. Nam nisi tetigerit cor nostrum diuinum uerbum, & turbationem fecerit in illo propter memoriam futurorum supplicium, nunquam efficax erit piscina ista, neq; sanitas erit animæ dissolutæ. Probatica autem quædam dicitur ista. Nam intestina & cogitationes, quæ in sacrificium uiuum, sanctum, beneplacitum Deo præparãtur, & inno-
πρόβατα centia fiunt, sicut πρόβατα, hoc est oues, in ista abluuntur. Itaq; faxit Deus ut sanitatem consequamur, & in templo post sanitatem inueniamur, hoc est, ne ultrà prophanis cogitationibus inquinemur, ut ne in grauiorem incidamus pœnam futuram.

Iesus autem respondit eis, Pater meus usq; ad hoc tẽpus operat̃, & ego operor. Propterea

A Propterea ergo magis quærebant eum Iudæi interficere, quia non solum soluisset sabbatū, sed & patrem suū dixisset Deum, æqualem se Deo faciens.] Iudæi quidē crimen impo nunt Christo, nempe q̄ operatus sit in sabbato sanationem: ipse aūt tanquā æqualis pa tri, & eiusdem authoritatis, dicit, Sicut Deus & pater meus operatur etiam in sabbato, & reprehensione caret, ita neq̄ ego crimini obnoxius sum. Quomodo autē pater ope ratur usq̄ ad hoc tempus, cū Moses dicat quòd quieuerit Deus ab omnibus operibus suis: Vis discere quomodo operetur adhuc Deus: Vide dispensationē rerum, & disce opera prouidentiæ, solem orientē, occidentē, mare, fontes, flumina, animalia, & simpli citer omnes factiuras, & uidebis creaturā opera sua operari, immò operationem recipe re, & moueri ineffabili prouidentiæ uerbo. Omnino aūt prouidentia & in sabbato sua operatur. Atq̄ ita quia pater operatur, & in sabbato creaturā gubernat, meritò & ego, inquit, filius, eius opera operor. At illi inuidia correpti quærebant eum occidere, non solum q̄ solueret sabbatū, sed & patrem suum diceret Deum, æqualem se faciens Deo. Nam quia se filiū dicebat, necessario honore se faciebat parem Deo. Omnis enim fi lius eiusdem naturæ est cum patre. Vbi hoc loco est Arius? Profectò cæcus factus est circa lumen. Filium enim nominans Christum patris, non dat ei q̄ eandem naturā ha beat cum patre, sed creaturā increati patris filium fatetur: tametsi uel Iudæos oportebat in magistros assumere, qui propter hoc persequebātur Dominum, q̄ se filium diceret Dei: unde necessariò colligebant q̄ æqualis esset Deo: quoniam nisi magna fuisset filij dignitas, & fecisset se æqualem Deo, quare persequuti fuissent illum Iudæi?

Quomodò Deus etiam nunc operetur. Gen. 2.

Arij cæcitas circa lumē.

Respondit itaq̄ Iesus, & dixit eis, Amen amen dico uobis, nō potest filius facere à se quicq̄ nisi quod uiderit patrem facientem. quæcunq̄ enim ille fecerit, hæc itidem & fi lius facit. pater enim diligit filium, & omnia demonstrat ei quæ ipse facit: & maiora his demonstrabit ei opera, ut uos miremini. Sicut enim pater suscitat mortuos & uiuifi cat, sic & filius quos uult uiuificat.] Non potest filius à seipso facere aliquid, secundum q̄ nihil alienum uel nouum habet à patre, sed per omnia similis est patri: neq̄ aliam ha
B bet substantiam, ut & aliam uirtutem habeat, & consequenter aliam operationem: sed quia eandem habet substantiam, eandem habet & uirtutem: & propter hoc etiam ea dem operatur, & non potest aliud quid facere præter id quod pater facit. Non enim a liam uirtutem habet, uel inferiorem, uel superiorem paterna: sed una est substantia, u na uirtus, una operatio patris & filij. Profectò, inquit, sed pater quasi doctor quidā est filij, quodammodo ei demonstrans quomodo oporteat operari. Nam nisi filius uiderit patrem facientē, nihil facit. Igitur interrogo talia nugantes, Arium & Eunomiū, quo modo docet pater filium: in sapientia, uel non? Omnino in sapientia. Quæ aūt sapien tia Dei? Nónne ipse filius? Etiam profectò. Itaq̄ filius docet seipsum. Papæ quanta ue stra insipientia. Siquidem quasi puerū quendam traditis patri filium erudiendū. Ego autem cum Dei † sapientiā assero, si quid nouit pater, non sine filio nouit. ipse enim est sapientia eius. si quid potest pater, nō sine filio potest. Ipse enim est eius potētia. Quòd autem hæc uera sint, audi: quia quæcunq̄ facit pater, ea & filius similiter facit. Si pater cum potestate & uirtute, & filius similiter. Nō igitur inferior filius patre. Quòd autem humiliter dicta sint, Ostendit ei omnia: &, Maiora his ostendet, non oportet admira ri. Nam ad homines loquitur, qui contra ipsum clamabant, & præ inuidia dissecaban tur. Et nisi ubiq̄ humilia summis interseruisset, quid non tandem fecissent? quando quidem insaniunt cum tam multa humiliter loquitur. Quid autem est, Et maiora his ostendet? Quoniam paralyticum solidauerat, etiam mortuum suscitaturus est, idcirco dicit, si admiramini quòd paralyticum sanum feci, maiora his uidebitis. Quòd au tem & hoc uerbum monstrabit, humile sit, & per dispensationem dictum, ut insaniam illorum demulceret, audi sequentia. Nam sicut pater suscitat mortuos, ita & filius quos uult uiuificat. Igitur suscitat quidem filius sicut pater, & ideo monstrat potestatē suam nil differentē quæ auferri nequeat. Sed & per uerbum, quos uult, indicat suæ cum pa tre potestatis æqualitatem. Hæc autem omnia Ariani quidem exponunt contra glo riam filij, nos autem orthodoxi pro illa intelligimus.

Arius. Eunomius.

† Sapientia assero quòd Vna eadēq̄ patris & filij operatio, eandem eorum notat potentiam.

Monstrabit.

Neq̄ enim pater iudicat quenquam, sed omne iudicium dedit filio, ut omnes hono rent filium, sicut honorant patrem. Qui non honorat filium, non honorat patrem qui misit illum. Amen amen dico uobis, qui sermonē meum audit, & credit ei qui me mi-

sit, habet uitam æternam, & in condemnationem non ueniet, sed transiuit à morte in A
uitam.] Monstrarat seipsum posse benefacere per multa signa quę fecerat. Quia autem
benefaciendo nō placauit eos, nec attraxerat ut se honorarent sicut dignum erat, dicit
quòd pater omne iudicium dederit filio, ut uel timor iudicij illis persuadeat quo ipsum
honore prosequantur. Consueuimus enim nos homines, præsertim hi qui craßiore
Nota. mente prędíti sumus, metu potius q̄ beneficijs quod oportet addiscere. Iam quod dicit,
dedit iudicium pater filio, sic intellige, q̄ iudicem eum genuerit. sic etiam cum audis q̄
uitam dederit illi, intelligas q̄ uiuentem illum genuerit. Quia enim pater author est fi-
lio ut sit, omnia quæcunq; habet filius, dicitur accipere à patre, eo quòd ex illo naturali
ter hæc habeat. Igitur & iudiciū habet à patre, sicut habet illud pater: ut ne audientes
authorem esse patrem filij, intelligamus quòd sic sit author eius, sicut & creaturarū, &
propterea honoris imminutionem introducamus: ait quòd in nullo minor filius est pa
tre. Nam qui habet potestatē puniendi & honorandi sicut uult, eadem potest quæ pa-
ter, ideo & oportet illum honorare eodem modo quo patrem. Dicit enim, ut omnes ho
Ariani. norent filium, sicut honorant patrem. & ita Ariani quia ueluti creaturam putant ho-
norandum filium, & patrem quoq; sicut creaturam honorari debere, redarguuntur,
uel omnino non honorant filium, & cum Iudæis ordinantur. Vel si quidem honorāt
eum, honorant uerò ut creaturam, decet autem honorari ipsum sicut & patrem: redar-
guentur omnino & patrem sicut creaturam honorare. Et aliter secundum hoc quod
subditur, Quomodo honorant patrem, qui non honorant filiū? Subdit enim, Qui nō
honorat filium, non honorat patrē. Qui non honorat, inquit, ita ut dixi, sicut & patrē.
Quia si quis dicat q̄ creatura quidem filius sit, excellentissima aūt omniū creaturarū,
& opinetur tribui filio falsum illum & uanum honorem, inhonorat omnino & patrē
qui misit illum. Dixit autem eum qui misit, ne exasperarentur, sicut prędiximus. Nam
doctrinam (ut dictum est) mirabiliter plectit. Interdum quidem sublimia de se testimo
nia ut dignum erat, fert: interdum autem humilia, propter inimicam inimicorum lu-
dæorum. Nam si cum & surrexisset à mortuis, & ascendisset in cœlos, & per apostolos B
Arius. suam monstrasset uirtutem, insurrexerunt Arius & Eunomius contra gloriam eius, &
Eunomius. in creaturam ipsum deduxerunt: Iudæi qui tunc erant, qui uidebāt ipsum in carne am
bulare cum publicanis & meretricibus, & comedere & bibere sicut unum ex multis,
quid non fecissent si omnia sublimia de se dixisset, & nō admiscuisset etiā humilia? Id-
circo & subdit, Qui audit meos sermones, & credit ei qui me misit, habet uitam æternā.
Et mentes eorū etiam per hoc exhilarat, cum audiunt q̄ audientes sermones eius, Deo
sint credituri. Non enim dixit, qui credit mihi: sed, ei qui me misit. Igitur qui credit illi,
in iudicium, hoc est in supplicium non uenit, sed uiuit uitam æternam, non sustinens
mortem animæ: uel æternam, etiamsi naturalem & temporalem non effugiat.

Amen amen dico uobis, q̄ uenit hora, & nunc est, quando mortui audient uocem
filij Dei: & qui audierint, uiuent. Sicut enim pater habet uitā in semetipso, sic dedit &
filio in semetipso habere uitam: & potestatem dedit ei iudicandi quoq;. Quia filius ho
minis est, nolite mirari hoc: quia uenit hora in qua omnes qui in monumentis sunt,
audient uocem eius: & prodibunt qui bona fecerunt, in resurrectionem uitæ: qui ue-
rò malè egerunt, in resurrectionem condemnationis.] Dixerat superius q̄ qui non ho
norat filium, non honorat patrem, sublimia quædam de se loquutus: quæ ut ne uidean
tur per arrogantiā & inanem gloriam dicta, adiungit & demonstrationem per opera,
dicens q̄ uenit hora. deinde ut ne longū suspicentur tempus, inquit, Et nunc est, quan-
do mortui audient uocem filij Dei, hoc est meam, qui uobiscū conuersor. Dicit autem
hæc de ijs quos suscitaturus erat: ut de filio uiduæ, filij archisynagogi, & Lazaro. Dein-
de & rationem affert dictorū demonstratiuā. dicit enim, Sicut pater uitam habet in se-
metipso, ita dedit & filio uitam habere in semetipso, ut uiuificet audientes uocem eius.
Non solum aūt potestatē dedit ei uiuificandi, sed & faciendi iudiciū, & puniendi. Sæ-
pe autem in medium affert sermones de iudicio, ut auditores excitet. Cui enim persua
sum est q̄ suscitandus sit recepturus delictorum pœnas, omnino curriit ad ipsum, pla-
Samosate- catq; ut suum futurum iudicem. Ne admiremini autem q̄ filius hominis est: nam quan
nus redar- uis filius hominis sit, est tamen & Deus. Et ita iudiciū meritò habet sicut filius Dei. Si
guitur. aūt & homo appareat, ne admiremini. Sciendū aūt q̄ Samosatenus docens Dominū

purum

A purum esse hominem, sic legit hunc locum, Et potestatem dedit ei iudicium faciendi, quia filius hominis est. Hoc autem loco punctum faciens, ab alio principio legit, Ne admiremini hoc. Valde autem stultum est sic legere. Non enim dedit pater filio iudicium q̃ filius hominis sit, sed quia Deus. Vnde ille non recipiens ut Christus dicatur Deus, sed filius hominis, sic cogitabat iudicem illum esse, non ut Deum, sed ut filiũ hominis. Nos aũt sic intelligimus, ut dictum est. Postquã autem dixit de particulari resurrectione, Lazari uidelicet, & aliorum qui iterum mortui sunt: nunc dicit de uniuersali, Quia uenit hora in qua hi qui in monumentis sunt, audient uocem Dei. Nam de uniuersali resurrectione hic loquitur. Quoniam dixerat superius, Qui credit, in iudicium nõ uenit: ne putemus q̃ fides sola ad salutem sufficiat, dicit q̃ resurgent hi qui mala fecerunt, in resurrectionem condemnationis: qui autem bona, in resurrectionem uitæ. nõ igitur sola fides absq; operibus iustificat, sed oportet etiam opera adesse. tunc enim propriè fides est. Vide autem geminam doctrinam fieri per metum & lætitiam. Nam cum dicit condemnari impia facientes, deterret. Cum autem dicit resurgere ad uitam eos qui bona fecerunt, per lætitiam exhortatur. *Non sola fides iustificat.*

Non possum ego ex meipso facere quicquã: sicut audio, iudico: & iudiciũ meum iustum est: quia nõ quæro uoluntatẽ meam, sed uoluntatem eius qui misit me patris.] Sicut & in superioribus dictũ est, eadem patris & filij potestas ostendit hisce uerbis, Non possum ego facere ex meipso quicq̃: & quæcunq; huius generis sunt. Nihil enim alienum & peregrinũ à patre ego possum facere. neq; enim uoluntatẽ aliam habeo præter paternã, neq; aliã potestatẽ. Verũ sicut audio à patre, ita iudico: hoc est, sicut ipse pater iudicat, ita & ego. Hæc autem dicit ut ostendat (sicut sæpe diximus) in nullo sibi deesse aliquid à patre, siue in sermonibus, siue in operibus, siue in iudicijs. Nam ut ne quidam hominem uidentes eum offenderentur, quomodo cum appareat homo, iustum faciat iudicium, cum Dauid dicat, Omnis homo mendax: præuenit quidem, dicens, Ne admiremini de eo quòd filius hominis sum: nam & Deus sum. Dicit aũt, Et nunc *Psal. 115.*
B iustum iudiciũ meum est, eo quòd iudico sicut audio patrem meum iudicantem. Non enim meam uoluntatem quæro, sed patris. Nam qui suam uoluerit stabilire, fortasis suspectus erit quòd corrumpat quod iustum. qui autem non sua spectat, quo prætextu posset iniustè iudicare? Ego igitur nõ quæro uoluntatem meam, neq; enim ego habeo uoluntatem, sed quod uult pater, illud & ego. *Ioan. 15.* *Patris & filij uoluntas una, potestas una, unum iudicium.*

Si ego testimoniũ perhiberem de meipso, testimoniũ meum non esset uerum. Alius est qui testimonium perhibet de me. Et scio uerum esse testimonium quod testatur de me. Vos misistis ad Ioannem, & is testimonium reddidit ueritati. Ego autem non ab homine testimoniũ accipio, sed hoc dico, ut uos salui fiatis. Ille erat lucerna ardens & lucens, uos aũt uoluistis ad tempus exultare in luce eius.] Apparet hic cõtraria dicere Dominus. Etenim alicubi uidet̃ testari de se, sicut Samaritanæ dicebat, Ego sum Christus, & cæco, & aliàs sæpe. Si igitur hæc falsa sunt, quæ nobis salutis spes? Non aũt hæc sola uidetur esse cõtrarietas, sed & alia nõ minor. Nam & in progressu dicit, Si ego testimonium perhibeo de meipso, testimoniũ meum uerum est. quomodo igitur conuenient quæ pugnare uidentur? Id quidẽ quod dicit, Si ego testificor de meipso, testimonium meum non est uerũ, dicit ad opinionem Iudæorũ. quoniã enim illi dicturi erant ei, Tu testimoniũ perhibes de teipso, nullus aũt qui de seipso testificat, fide dignus est: dicit urgendo illos, Nõ testimoniũ perhibeo ego de meipso, alioqui iuxta uestram sententiam non dignus essem cui crederetur. Alius enim est qui testimonium de me perhibet, Ioannes scilicet. Quod autem dicit, Et si ego testimoniũ perhibeo, testimonium meum uerum est, secundum cõcessionem dicit. Accedens enim sermoni Iudæorũ, dicit, Esto q̃ ego testimoniũ de meipso perhibeam, etsi ego igitur testimoniũ de meipso perhibeam, testimoniũ meum uerũ est. Nam cum Deus sim, fide dignus sum. Atq; ita primũ dixit illos urgendo, Non ego testimoniũ perhibeo, sed præcursor. Secundum aũt se illis opponendo, uel etiam concedendo, dicens, Si etiam ego testimonium perhibeam, testimoniũ meum uerum est. Porrò tria, inquit, habeo testimonia, Ioannem, opera mea, patrem meum. Et primum ponit Ioannẽ: deinde ut ne quis dicat ei, quid igitur si ille ad gratiam testificatus est tibi? dicit, Vos ipsi misistis ad Ioannem. Omnino autem nõ misissetis interrogantes, nisi fide dignũ habuissetis. Atq; ita etiã uos ipsi testes *Ioan. 4.* *Ioan. 8.* *Tria Christo testimonia.*

estis

eius q̃ uerax fuerit Ioannes: quamuis ego quidem cum Deus sim, humano testimonio A
opus nõ habeam, & dominus serui testimonio. Quia aũt uos digniorẽ illum fide puta
stis, & ipsi magis quàm mihi attendistis, & ad illũ quidem accessistis, mihi autem neq̃
miracula facienti creditis: propterea uobis in memoriã reduco Ioannis testimoniũ, &
recipio etiã indigna mea deitate, ut uos salui fiatis. Lucernam aũt ardentem Ioannem
dicit, eo q̃ de terra habet formationem, & non per seipsum esset lumen, sed à gratia spi
ritus, ac temporarium. At ubi apparuit dies Domini, hoc est doctrina, occultata est lu-
cerna. Cæterùm uos ad horam quidem recepistis ea quæ ab illo dicta sunt, & exultastis
in ipso, & deinde obliti eorum quæ de me dixit, manifestis in priori incredulitate. Nam
si illi semel firmiter credidissetis, quamprimum uos ad meam adduxisset fidem.

Quare Ioannes lucerna ardens.

At ego testimonium habeo maius testimonio Ioannis. Opera enim quę dedit mihi
pater ut perficiã ea, ipsa opera quæ ego facio, testimoniũ perhibent de me q̃ pater me
miserit. Et qui misit me pater, ipse testatus est de me: neq̃ uocem eius unq̃ audistis, neq̃
speciem eius uidistis, & sermonẽ eius nõ habetis in uobis manentẽ, quia quẽ misit ille,
ei uos nõ creditis.] Testatus quidẽ est Ioannes de me qui uobis omniũ maximè fide d
gnus uidebatur: ueruntamen quia uerisimile est forsan quosdã sycophantas qui fortasis
dicent, Et quid ad nos, si Ioannes gratificari tibi uoluerat, & propterea blandiora quæ-
dam attestatus sit? Vos, inquit, misistis ad Ioannẽ, & interrogastis, ueracẽ per omnia il-
lum existimantes. Veruntamen & ego aliud testimoniũ habeo maius Ioanne. Opera
enim quæ dedit mihi pater, hoc est, quæ statuit mihi pater ut perficiã, ea testãtur de me.
Dicit aũt opera, mirabilia illa scilicet, quale fuit paralytici restitutio, &c. Veruntamen
quia arguebant eum q̃ in sabbato hæc faceret, dicentes, Hic nõ est ex Deo, quia sabba
tum nõ seruat, ostendit eis q̃ faciat ea quę à patre decreta, & q̃ magis à Deo sit, eo q̃ in-
iuncta sibi à Deo opera faciat. Opera enim, inquit, quę dedit mihi pater ut perficiã ea.
Quia igit̃ pater dedit mihi illa, uos estis Deo aduersarij, qui illis operibus aduersamini:
& qui misit me pater, ipse testatur de me. Vbi aũt testatus est de eo pater? Quidã dicunt

Ioan. 9.

Matth. 17.

q̃ in baptismate, quãdo dixit, Hic est filius meus dilectus. Opinor aũt q̃ magis intelli- B
gat q̃ per omnem scripturã testatus sit de eo Deus, tam per legẽ, q̃ per prophetas. Sed
uos, inquit, neq̃ uocem eius audistis, patris inquã, neq̃ speciem eius uidistis. Ideo om-
nibus modis incognitus uobis est. Ideo & sermonem eius non habetis manentẽ in uo
bis, hoc est scripturas quæ de me testantur, nescitis: tametsi uideamini scire, & gloriari
in eloquijs Dei, quæ uobis concredita sunt. Hinc aũt manifestum q̃ nesciatis scriptu-
ras, quia ei quem ille misit, non creditis. Igitur sicut neq̃ uocem Dei audiuistis (non e-
nim habet Deus uocem sensibilem) neq̃ speciem eius uidistis (specie enim & figura ca
ret) ita neq̃ sermonem eius, scripturas dico quæ de me testantur, habetis in uobis.

Specie & figura caret Deus.

Scrutamini scripturas, quia uos uidemini in ipsis uitam æternam habere. Et illę sunt
quæ testantur de me: nec uultis uenire ad me ut uitam habeatis. Gloriã ab hominibus
non accipio, sed cognoui uos q̃ dilectionem Dei non habeatis in uobis.] Dixerat eis,
Sermo Dei, hoc est scripturæ quæ de me testant̃, non sunt in uobis. Igitur qũo poterũt
habere sermonẽ Dei? inquit, Scrutamini scripturas: in illis eñ uos putatis habere uitã.
Vide aũt qũo nõ dixerit, habetis uitã: sed, uidemini, monstrans q̃ nullũ uerum frucium
percipiant, si à lectione sola expectent saluari, non accedente fide. Nam illæ testimo-
nium quidem perhibent de me, sed uos nõ uultis uenire ad me ut uitã habeatis. Vnde
hinc discimus q̃ ex proposito fuerunt mali. Non enim dixit, nõ potestis uenire: sed, nõ
uultis uenire. Audiant Manichæi, q̃ non natura malum, sed uoluntate constet. Post-
quam autem eos memores fecit testimonij Ioannis, & patris, & operum suorum quæ
propter salutem illorum tantũ faciebat, suspicari poterant multi quòd hæc amore glo-
riæ diceret. idcirco inquit, Gloriam ab hominibus non accipio, hoc est, non indigeo,
neq̃ talem habeo naturam quæ opus habeat humana gloria. At uos me persequimi-
ni, quasi propter amorem Dei hoc faciatis, sed non est ita. Noui enim uos quòd dile-
ctionem Dei nõ habeatis in uobis, etiamsi ualde hoc iactetis, q̃ me persequamini pro-
pter Deum. Meritò igitur Iudæi dicuntur dilectionem Dei nõ habere, quia persequę-
bantur ipsam dilectionem, filium Dei. Vnde meritò etiam dicuntur nõ habere sermo-
nem Dei manentem in semetipsis. Sermonem enim & Deum reijciebant.

Manichæi liberum arbitrium negantes confutantur.

Ego ueni in nomine patris mei, nec recipitis me: si alius uenerit nomine suo, illum

A recipietis. Quomodo uos potestis credere, qui gloriam à uobis inuicem accipitis, & gloriam quæ à solo Deo proficiscitur, non quæritis? Nolite putare q̃ ego accusaturus sim uos apud patrem, est qui accusat uos Moses in quo speratis. Si enim credidissetis Mosi, credidissetis utiq; mihi, de me enim ille scripsit. Si autem illius scriptis non creditis, quomodo uerbis meis credetis?] Ego quidem (inquit) ueni in nomine patris mei. Nam & ubiq; patrem celebrat, & ab ipso se dicit missum esse, & nihil posse facere à seipso, & prorsus humilia multa loquitur, uolens è medio tollere omnem ingratitudinis rationem. Alius autem ueniet, Antichristus scilicet, qui se monstraturus est quòd ipse solus sit Deus. Igitur me quidem, qui in nomine patris ueni, hoc est dico me missum à patre, non recipitis, illum autem recipietis. Porrò hoc ideo eueniet uobis, quia ille uobis gloriam uitæ pollicebitur, quam uos quæritis, cupientes gloriam mutuum accipere, & respuentes ueram gloriam, quæ à solo Deo est. Ego autem nihil præclarum uobis in hac uita polliceor, sed uidetis multam difficultatem in his quæ à me dicuntur, & propterea (inquit) mihi non creditis. Nihil enim quod iucundum est in hac uita, expectatis uos habituros à me. Et aliter, Non creditis mihi, qui gloriam à uobis inuicem accipitis. Nam principes quidem & magistri ipsi soli uolentes haberi apud uulgus, nõ accipient me, ne imminuatur eorum gloria. Populi autem quærentes diligi à principibus, non me accedere uolunt, ut ne excidant propter me ab honore quem à principibus habent. Quoniam autem & Mosen multum iactabant, inquit, ipse accusabit uos, nam de me ille scripsit. Vbi autem scripsit de eo? Etenim dictum hoc, Prophetã suscitabit uobis Dominus, de Christo erat, & alia multa tam in uerbis quàm in signis & symbolis, ut miraculum rubi. Nam & ignis quidem, deitas: rubus autem spinosus, peccatrix natura: quam suscepit ignis deitas, & incombustam seruauit luce fulgidam: & suos quidem radios illi cõmunicauit, imperfectiones autem illius in se non suscepit. Etiam hoc Moses dixit, quod conducebat ualde ad fidem Christi: nam inquit, Si propheta surrexerit signa faciens, & recedere faciens à Deo, ne credatis illi, qualis erit Antichri
B stus: Si autem surrexerit propheta faciens signa, & ad Deum & patrem ducens, & non recedere faciens, illi credite. Igitur Christus in nomine patris uenit, & signa quidem faciens, & non recedere iubens eos à Dei cultu, ipse erat qui à Mose prædictus. Itaq; si Mosi scriptis non creditis, quomodo meis uerbis creditis? Ille, inquit, & scripsit, & sunt libri semper ante oculos uestros, & ita ut etiam si obliuiscamini, positis iterum facile in memoriã reducere. Attamen non creditis scriptis, & quomodo credetis uerbis meis nõ scriptis? Cur igitur hæc dicis ô Domine, cum scires quòd non crediturí essent? Quamuis sciam, inquit, quòd nõ credant, dico tamen, ut ne habeant postea quod prætexant, Si dixisses, credidissemus. Et aliter, Illi quidem qui tunc erant, utpote ingrati, non credebant: ab his autem qui postea crediturí, non erat consentaneum neq; iustum auferri uerborum Christi utilitatem.

Infidelitatis origo, sed non sola.

Exod. 3.

Deut. 18.

Deut. 13.

CAPVT VI.

POst hæc abijt Iesus trans mare Galilææ, quod est Tyberiadis, & sequebatur eum turba multa, quia uidebant eius signa quæ faciebat super his qui infirmabantur. Subijt autem in montem Iesus, & ibi sedebat cum discipulis suis. Erat autem propè pascha, dies festus Iudæorum.] Postquam Dominus locutus est Iudæis durioribus uerbis, in inuidiam accendebantur & stomachabantur, demulcet nunc eos secedendo, & abijt trans mare Tyberiadis. Mare autem dicit stagnum. Congregationes enim aquarum, maria uocauit diuina scriptura. Et aliter, Transit de loco in locum, probans multitudinis studiũ. Ignauiores enim manebant in suis locis, studiosiores autem sequebantur eum. Veruntamen uide quòd etiam sequentes non propter doctrinam, sed propter corporalem miraculorum utilitatem sequuti sunt. Nam propterea, dicit, quia uidebant signa quæ faciebat super his qui infirmabantur. Meliores autem sunt & sapientiæ auidiores de quibus Matthæus. Obstupescebant enim, inquit, in doctrina eius, quia docebat illos tanquam potestatem habens. Ascendit autem in montem propter miraculum futurum. Non enim arrogans erat, & uanæ gloriæ cupidus, ut in medijs ciuitatibus miracula operaretur: sed fugiens uanam hominum gloriam, solitudinem quærebat, etiam nos erudiens. Insuper uolens mystica quædam discipulis communicare, ascendit in montem, id quod semper solebat facere, quia & opus est

Matth. 14. Marc. 6. Luc. 9.

Matth. 7.

ut ab

ut ab omni tumultu liberetur, & locum quærat ab omni strepitu purum, si quis talia lo A
qui uelit. Erat enim propè, inquit, pascha, dies festus Iudæorum, nec tamē ascendit, sed
in Galilęam discedit. nō enim ultrà præceptis legalibus erat obnoxius, ut & festos dies
legis perficeret. Et aliter, Persequente ipsum malitia Iudaica, occasionem apprehendit
ut paulatim legem abroget, ostendens animaduertentibus cessasse figuram ut aduenit
ueritas. Obserua autem quòd festum fuerit Iudæorum, non aūt fuerit dies festus Chri-
sti, cum Christus eò non ascenderit, sed soli Iudæi.

Cum sustulisset ergo oculos Iesus, & uidisset quòd multa turba ueniret ad se, dicit ad
Philippū, Vnde ememus panes ut edant isti? Hoc aūt dicebat tentans eum, ipse enim
sciebat quid esset facturus. Respondit ei Philippus, Ducentorum denariorum panes
non sufficiunt eis, ut unusquisq; pusillum quippiam accipiat. Dicit ei unus ex discipu-
lis ipsius, Andreas frater Simonis Petri, Est puer unus hic, qui habet quinq; panes or-
Christus nō solitus diuagari oculis. Ioan. 14. deaceos, & duos pisces: sed hæc quid sunt inter tam multos?] Quare dixit, cum sustu-
lisset oculos suos? Vt discamus quòd non solitus sit hinc & inde uagari oculis, sed com
posito & attentus sedere, utpote docens discipulos diuiniora quædam. Deniq; sustu-
lit oculos, & rogat de turba quomodo alenda sit. Non alium aūt interrogat, quàm Phi
lippum. Ipse enim maiori indigebat eruditione, qui postea dicebat, Ostende nobis pa-
trem, ac sufficit nobis. & propterea antea illum instruit, & per interrogationē inducit
eum, ut miraculi semper sit memor. Nam si quidem miraculum simpliciter fuisset fa-
ctum, non usqueadeò uisum fuisset illi miraculum: nunc aūt prius q̄ fieret, illum cōpel-
lit fateri paucitatē panum, ut euidentius addiscat futuri miraculi magnitudinē, & non
è memoria reijciat ea quæ cōfessus est. Idcirco dicit, Vnde ememus panes ut comedāt
hi? Dicit aūt hæc tentans Philippum, hoc est, uolens notū facere quam haberet ille fi
dem. Neq; enim ut ignorans de sententia Philippi interrogabat, sed alijs monstrare uo
lebat. Nam ipse Dominus sciebat quid facturus esset. Igitur ut tentauit Philippū nun-
quid haberet ille fidem, & inuenit ipsum adhuc affectū ut hominē: insuper & Andreæ
quoq; talem inuenit, tametsi sublimius quiddā Philippo sentientē. Illo enim dicente q̄ B
ducentorū denariorū panes nō sufficiunt, ille quinq; panes ordeaceos & duos pisces cō
4. Reg. 4. monstrauit, cogitans fortè prophetarū miracula, ut Heliszi in panibus signū, cum Sa-
maria in extremā ueniisset inopiam. Redarguitur tamen & Andreas nihil dignū Do-
mino cogitans. dicit enim, Sed hæc quid sunt inter tam multos? Existimabat enim q̄
multiplicaturus quidem panes esset Dominus, sed si essent plures, maior & multiplica
tio futura esset, periculosè omnia intelligēs. Nam Dominus etiam ex nihilo potuisset
panes facere, qui turbæ sufficerent: attamen ne uideretur creatura non esse ex ipsius sa
pientia, ipsa creatura usus est in materiā miraculorū, & acceptis quinq; panibus uti ma
Mira Manichæorū improbitas, seu potius impietas. teria quadam, præclarū istud miraculum fecit. Cōfundantur Manichæi, dicentes q̄ pa-
nis & omnes creaturę factę sint à malo Deo: & propterea si quis dederit eis panem, nō
accipiunt illum de manibus illius, sed procul quidem illum abijci iubent, stantes aūt,
& maledicentes ei qui dedit, dicūt, Qui seminauit te, dispergatur: & qui pinsuit te, pin-
satur carne, & similia. Confundantur itaq; audientes q̄ boni Dei filius Christus panes
multiplicarit. Nam si mala fuisset creatura, bonus quod malum esset utiq; nō multipli-
casset: ut taceā interim q̄ & ipse panes comedit. Cæterùm si quis interrogauerit, num
Matth. 14. idem sit hoc miraculum panum cū eo quod apud Matthæum describitur: dicimus, cer
tè idem est. Quamuis aūt illic quidam discipuli accedunt admonentes de turba ut di-
mittatur, hoc autem loco ipse Iesus interrogat unde pascatur: nō opus est admirari. Ve
risimile enim est utrunq; factum esse, & discipulos prius admonuisse Dominum de tur
bis dimittendis, & tunc Philippum interrogatum esse à Domino unde alantur.

Dixit autem Iesus, Facite ut homines discumbant. Erat autem gramen multum in
eo loco. Discubuerunt ergo uiri numero fermè quinquies mille. Accepit aūt panes
Iesus, cumq; gratias egisset, distribuit discipulis, discipuli uerò discumbentibus. Simili-
ter & ex piscibus quantum uolebant. Vt aūt impleti sunt, dicit discipulis suis, Colligite
quæ superfuerūt fragmenta ne quid pereat. Collegerūt ergo, & impleuerūt duodecim
cophinos fragmentorū ex quinq; panibus ordeaceis, quæ superfuerant his qui come-
derant.] Iussit eos facere discūbere, quasi parata mensa. Discipuli aūt quāuis prius in-
creduli, attamen alacriter recūbere faciūt homines. Erat aūt gramen, quoniā uer erat.

Erat

Erat enim, inquit, pascha, quod in primo mense ueris perficiebatur. Porrò soli uiri numerantur ab Euangelista, qui legis sequit consuetudinem. Etenim & Moses à uicesimo anno & supra numerauit populũ, nulla mentione facta mulierũ: quo docet omne quod uirile & iuuenile est, dignum censeri ut numeretur apud Deum. Et acceptis panibus gratias agit, ostendens quòd ante cibum gratiæ agendæ sint Deo. Insuper quia turba erat, ideo coram turba gratias agit, ut omnibus persuadeat q̃ secundũ uoluntatẽ Dei aduenerit, q̃ non sit aduersarius Deo, sed omnia referat in patrem. Nam quando seorsum facit miraculum, nihil tale facit, etiamsi maius quoddam faciat: quando autem coram multis miraculum operatur, tunc ad Deũ respicit. Ostendit autem q̃ nõ ex infirmitate hoc faciat, sed propter dispensationem quam diximus, ex eo q̃ maiora faciat authoritate quadam, & tanquam Dominus. Dicunt insuper quidam q̃ etia propter hoc gratias egerit, ut ignoraretur à principe mundi usq; ad tempus passionis, & ex hoc dæmon non cognosceret ipsum esse Deum, sed deciperetur, & inescaretur, atq; sic per crucem conficeretur. Cæterùm permittit Dominus ut supersint tot fragmenta, non propter ostentationem, sed ne credatur per phantasmata satiatos esse homines, appareat autem omnibus q̃ uerè satiati fuerint, quandoquidem tot residua fuerunt: atq; propter hanc causam iussit etiam fragmenta colligi, ut uidentes ea, miraculi facti magis essent memores. Oportet autem non solum mirari q̃ supersuerint, sed etiam quòd nõ plures neq; pauciores, q̃ qui numero pares essent discipulis cophini reliquiarum, ut omnes gestent, & neq; Iudas ipse expers relinquatur, sed habens etiam hoc miraculum quod monstret sibi Deum esse magistrum, inde utilitatem capiat: q̃uis etiam hoc ꝓpter malitiam eius in condemnationem ipsius cesserit. eum enim qui tantas reliquias fecerat, de quibus & ipse cophinum portauit, prodidit. Non enim sine causa imperauit apostolis ut cophinos gestarent, sed ut semper memores essent miraculi, utpote magistri orbis futuri. Nam multitudo quidem non magnam utilitatem perceptura erat. statim enim obliuiscebatur miraculi. At discipuli non uulgare lucrum inde habituri erant. Discamus item ex hoc miraculo ne pusillanimes simus in angustijs & paupertate, neq; timidi simus in hospitalitate & communione: sed credamus quòd etiam si unum tantum panem habeamus, illum multiplicaturus sit, qui ex quinq; panibus tantum superesse fecit. Per allegoriam autem Dominus quando exiuit Hierosolyma, secundum quod in prophetis dictum est, Dereliqui domum meam, reliqui hæreditatem meam: tunc sanè in Galilæã gentium uadit, Gentiles suscipiens: & turba illum magna sequitur. Ascendit autem in montem, hoc est crucem, ut ad se rapiat omnes uel in cœlum, ad honorem & gloriã Deo dignã. Vt enim ascendit in cœlos, & glorificari cœpit à nobis ut Deus, & non ut nudus homo: in montem ascendisse dicitur. Sublimis enim de illo opinio, mons est. Dat aũt nobis, qui quinq; sensibus subiecti sumus, rationales panes quinq;, quia & ipsi quinq; sunt, unicuique enim sensui conuenientem panem dat, hoc est sermonem: sicut & Paulus dicit, Volo quinq; sermones in ecclesia loqui qui quinq; sensum ædificationi conueniant. Non possumus autem quinq; sermones integros capere, sed ex eis abundant reliquiæ. Nullus enim potest integros mysteriorum sermones capere: sed quæ nos capere & comedere utpote carnales non possumus, Apostoli gestant quasi in quinq; cophinis suis iustis animabus. Cophini ex foliis palmarum sunt. Iustus autem ut palma florebit.

Illi ergo homines cum uidissent quòd Iesus fecerat signum, dicebãt: Hic est uerè propheta ille qui uenturus est in mundum. Iesus ergo cum cognouisset quòd uenturi essent, ac rapturi ipsum ut facerent ipsum regem, secessit iterum ipse in montem solus. Vide gulam uulgi. cum fecisse innumera miracula, & mirabiliora, non admirabantur, & ecce propter cibum dicunt, Hic est ille propheta. Non amplius eum de sabbati uiolatione arguunt, non ultrà legem uindicant, sed adeò illum propter panes colunt, ut & eum non solum prophetam prædicent, sed & dignum regno censeant. At ille fugit, erudiens nos mundanas contemnere dignitates. Secedit autem in montem ipse solus, nullo discipulorum assumpto, quò illorum probaret desiderium, num ferrent sui absentiam.

At ubi iam uespera esset, descenderunt discipuli eius ad mare, & conscensa naui uenerunt traiecto mari ad oppidum Capernaum. Iámque tenebræ erant, nec uenerat ad

Num. 26. 33 *Viri tantum in scriptura numerantur.*

Hier. 12.

1. Cor. 14.

Psal. 91.

eos Iesus. Mare autem uento magno flante intumescebat. Cũ remigassent ergo fermè A
stadia uigintiquinq; aut triginta, uident Iesum ambulantem super mare, & appropin-
quantem naui, ac timuerunt. Ille aũt dicit eis, Ego sum, nolite timere. Voluerunt ergo
recipere eum in nauim, & illico nauis appulerat terræ ad quam ibant.] Dominus qui-
dem ascendit in montem solus, ut (sicut diximus) probet desiderium discipulorum. At
illi expectabant usque ad uesperam uenturum ipsum: & cum non ueniret, non tolera-
bant, sed desiderio quærendi illum accensi conscendunt in nauim. Non enim temerè
& fortè Euãgelista tempus manifestauit, sed per hoc uehementẽ illorum charitatem de-
clarauit, quòd neq; uespera eos retinuerit. Permisit autem eos tempestate periclitari,
ut facta post tempestatem tranquillitate, miraculo magis lætarentur, & indelebilis me-
moria sui, illorum pectoribus insideret. Assistit autem illis cum tempestas esset: & ser-
mone timorem ejiciens, & tranquillitatem in mari faciens, duplicem serenitatem ope-
ratur, sedãdo tam animarum quàm maris turbationem. Porrò in nauem non ascendit,
miraculum maius facere uolens. Vide enim tria miracula: unum, q̃ ambularit super
mare: secundum, quòd compescuerit fluctus: tertium, quòd statim nauem fecerit esse
in terra in quã ibant, q̃uis multũ abesset à terra cũ assisteret ei Dominus. Igit̃ transierãt
Exod. 14. quidem Iudæi mare rubrum duce Mose. Verùm ille ut seruus omnia faciebat, & preca-
batur: at hic omni cum potestate. Et illic flante uento cedebat aqua, ut quasi in arida da-
ret transitum: hoc autem loco maius miraculum fit. Manens enim in sua natura mare,
Psal. 65. in superficie sua ferebat Dominum, ut impleretur propheticum, Qui ambulat super
secundum aliam translationem. mare ut super pauimentum. Multi autem & nunc sumus in spiritualibus tenebris, &
periclitamur in spirituali mari submergi: sed excipiamus Christum, & omnino à peri-
culis saluabimur. Et q̃uis sæpe tumultus excitent nobis quidã uel diaboli uel homines
tentantes nos, & per terrores molientes nos concutere, audiamus tamen Christum
clamantem, Ne timeatis, ego sum. Quod autem dicit, hunc habet sensum: Terribilia
quidem prætereunt, ideo ne timeatis ea quæ prætereunt: ego aũt sum, hoc est, semper
manens, & sum sicut Deus ille, qui est. Itaq; quia terribilia quidem temporaria sunt, & B
non uerè sunt, ego autem sum, hoc est, maneo, & nunquam prætereo, & uerè sum: ne
perdatis uestram in me fidem propter temporalia. Vide autem, obsecro, quomodo nõ
statim ab initio periculi, sed in feruore apparet Christus, & soluit metum. Sinit enim
nos in medijs esse periculis, ut cum certauerimus in tribulatione, & pressi fuerimus,
probatiores fiamus, & ut cum mouerimus omnem nostram uirtutem & sapientiam, in
uenerimusq; eam infirmam, ad illum confugiamus solum, qui ex inexpectatis saluare
poterit. Nam cum humana mens fatigata fuerit, tunc diuina salus repentè subuenit, ac
parat nos ut ad illum solum fugiamus, qui saluare potest, & non nobisipsis ascribamus
In nauem suscipere Christũ quid sit. salutem. Si uoluerimus autem & nos in nauim nostram suscipere Christum, hoc est, ha-
bitationem dare Christo in corde nostro, statim inueniemur in terra in quam abimus.
Quæ autem terra ista? omnino terra promissionis cœlum, quæ est terra mitium, & eo-
rum qui liberati à malitia, in pace uiuunt.

Postero die turba quæ stabat trans mare, uidit quòd nauicula alia non esset ibi, nisi
una illa in quam ingressi fuerant discipuli eius, & q̃ non introisset Iesus cum discipulis
suis in nauiculam, sed soli discipuli eius abissent. Aliæ uerò superuenerunt nauiculæ à
Tyberiade iuxta locum ubi comederant panem, postq; gratias egisset Dominus. Cum
ergo uidisset turba q̃ Iesus non esset ibi, neq; discipuli eius, ascenderũt & ipsę in nau-
culas, & uenerunt Capernaum, quærẽtes Iesum. Et cum inuenissent eũ trans mare, di-
xerunt ei, Rabbi, quando huc uenisti? Respondit eis Iesus, & dixit, Amen amẽ dico uo
bis, quæritis me, nõ quia uidistis signa, sed qa comedistis de panibus, & saturati estis.]
Iesus quidem pedestri itinere super mare abijt in regionem quæ trans mare. Turbę au
tem die postero cum quæsiuissent illũ, & uidissent q̃ una tantũ nauis affuisset, in quam
ingressi fuerant discipuli, & non Iesus ipse, cogitauerunt apud se hoc miraculum, & su
spicati sunt quòd mare pedes transierit. Nam si quidem & alia nauis affuisset, uerisimi-
le potuisse eos cogitare q̃ cum discipulis non nauigarit, sed in aliam ingressus transfre
tarit. Nunc autem cum una tantum fuerit, quæ discipulos solos, & non Dominum ex-
ceperit, manifestum est miraculum. Igitur turbæ hæc intellexerunt: & post inuene-
runt alias naues quæ traiecerant, & ascenderunt in illas, & in Capernaum transfreta-
runt.

A runt. Illic autem inuento Domino, non supplicant & rogant ut discant quomodo transierit, neq; quærunt de hoc signo, sed remisse dicũt, Quando huc uenisti? Nam qui quærebant illum rapere & facere regem, inuento eo nihil tale deliberant: sed abiecto miraculo inquirũt magis frui mensa alia quali & prius: propterea exprobrat eis Dominus, Quæritis enim me, inquit, eo quòd de panibus comedistis: & ideo mei tenemini desiderio: ut iterum uobis mensam parem. Obserua autem quòd quanuis redarguat eos, non tamen dura utitur reprehensione. Non enim dixit, ô mancipia uentris, & gulosi, sed cum mansuetudine: corrigere enim uolens, arguit illos: simul autem & per hoc q̃ detegit occulta cordis illorum, ad maiorem illos adducere uolens fidem. Quòd autem emendatio illorum fuerit reprehensio, manifestum ex sequentibus. Vtilissimam enim eis doctrinam facit, & dicit,

Operemini non cibum qui perit, sed qui permanet in uitam æternam, quem filius hominis dabit uobis. hunc enim pater consignauit Deus.] Vos quidem, inquit, quæritis me propter panes, quia cibum illum desideratis. Oportet autem uos non omnino deditos esse uentri, sed maximè spiritualium agere curam, & nõ omnem solicitudinem in corporalem cibum insumere. Nam illum uocauit cibum qui perit. Nam quia multi sunt cupientes ignaui uiuere, & maxime Massaliani, qui usi sunt hoc dicto ad patrocinium suæ ignauiæ, operæpreciũ fuerit declarare hoc dictum. Non enim hoc dixit Dominus noster Iesus Christus ut corporalem quidem operationem ab eis uelit amouere, & ipsos ad ocium cogere. Omnem enim malitiam docuit ociositas: & si oportet euidenter dicere, ipsum ociose uelle uiuere, cibus est qui perit: & ita eum qui Christum sequitur, oportet operari ut habeat quod & alijs communicet. hoc enim habet mercedem, & promissionem futuri regni. Et quomodo igitur (inquiũt) dicit Dominus quòd non oporteat operari cibum qui perit? contínuum circa cibos studium reijciens, & ad spiritualia non parũ inducens. Profectò dicunt, q̃ per hoc Dominus corporalem operationem excludit: id quoq; manifestum ex hoc quod ad Martham dicit, Martha soli-

B ta es & turbaris, uno autem opus est: Maria bonam partem elegit. Et iterum, Ne soliciti sitis in crastinum. Et hæc quidem afferunt hi qui per ignauiam pasci uellent. Nos autem quid dicimus? Dictum ad Martham nõ de opere est & operatione uel ocio, sed de temporis obseruatione, & ne tempus audiendi insumatur in occupationes parandorum ciborum. Persuadet igitur ei ne perdat tempus doctrinæ frustra propter occupationem in his quæ uentris sunt. Quod autem dicit, ne soliciti sitis: neq; hoc dicto operationem reiecit. Aliud enim solicitudo est, & aliud operatio. Fieri enim potest ut solicitus non sit qui operetur. Docet igitur nos Dominus ne addicti simus curis uitæ, neque habeamus curam quomodo cras refocillemur: & uult ut unoquoq; die operemur, dicens, Ne soliciti sitis de crastino: quasi in hunc modum diceret, Ne soliciti sitis quomodo hodie operando, cras quiescatis: sed quotidie cibum quotidiana operatione parantes, ne soliciti sitis de crastino. Cibum autem manentem, mysticam dicit sumptionem carnis Domini, quam nobis ipse dat filius hominis factus. Quem pater obsignauit, hoc est, ostendit & confirmauit quòd sit filius suus. & ipse quidem Christus ostendit se per miracula: sed quia cum Iudæis loquitur, ut ne turbentur, ad patrem recurrit, & dicit ab illo se signatum esse, hoc est, monstratum & testimonijs confirmatum esse. quia & imago est patris filius, & signaculum & character, intellige ab illo hunc signatum, sicut imago sigillum est: & ita se habet quod dicit, Hunc enim qui uidebatur filius hominis, signauit, pater: hoc est, signaculum suum & imaginem genuit, quæ haberet in se omne quod ipse habebat, & naturalem cum ipso identitatem.

Dixerunt ergo ad eum, Quid faciemus ut operemur opera Dei? Respondit Iesus, & dixit eis, Hoc est opus Dei, ut credatis in eum quem misit ille. Dixerũt ergo ei, Quod ergo tu facis signum ut uideamus & credamus tibi? quid operaris?] Quærunt Iudæi discere opus Dei, non ut hoc faciant, sed ut occasionem apprehendant. Dominus autẽ quanuis sciret eos nullam utilitatem percepturos, respondit tamen per doctrinam utilem omnibus, & ostendit eis, immo omnibus hominibus, q̃ hoc sit opus Dei, credere in eũ quem ille misit. Nã fides erga illũ, opus profectò est sanctũ & perfectũ, & sanctificans eos qui illam habent. Dux enim fit diligens fides ad omnem bonã operationẽ, & bona operatio cõseruat fidẽ. Nã & opera sine fide mortua sunt, & fides sine operibus.

Quis cibus qui pereat. Massaliani hæretici ocio dediti. Ecclesiast. 33.

Luc. 10.

Matth. 6.

Aliud solicitudo, aliud operatio.

Curis uitæ ne simus addicti.

Opus Dei est credere, quomodo. Iacob. 2.

Vide autem ingratitudinē insensatorū. Signum iterū quærunt, cuius tanta & talia uide A
rint, & maxime panum quibus saturati fuerant. Verè gastrimargi, qui iterum signum
tale quærūt, quod uentri prodesset: & quòd hoc sit uerū, manifestum est ex sequentib.

Psal. 77. Patres nostri manducauerunt manna in deserto: sicut scriptū est, Panem de cœlo de-
dit eis ad edendum. Dixit eis Iesus, Amen amen dico uobis, Non Moses dedit uobis il
lum panem de cœlo, sed pater meus dat uobis panem de cœlo uerum. Panis enim Dei,
est, qui de cœlo descendit, & dat uitam mundo. Dixerunt ergo ad eū, Domine, semper
da nobis panem istū.] Nō frustra diximus q uentri seruientes quærebant signum, qua-
le erat signū panum. Ecce & mannæ mentionem faciunt, & non alterius miraculi uel
in Aegypto, uel in mari rubro. Volentes enim incitare eum ut & ipse tale signū faceret
quo carnaliter pascerentur, recordantur mannæ propter immodicam gulā. Quid igit
immēsa Dei sapiētia Dominus noster Iesus Christus respondet eis: Nō Moses dedit uo
bis panem, hoc est, uerū panem non dedit uobis Moses. Omnia enim quæ tunc fiebāt,
typi erant eorū quæ nūc fiunt. Mosesenim figurā habebat Dei ueri, spiritualiū Israelita
rū ducis. Panis aūt ille figura est mei, qui de cœlo descendi, & uerè pasco, & uerè sum.
Cæterùm dicit seipsum uerum panem, non q manna falsum fuerit, sed quia illud figu-
ra fuit & umbra, non ipsamet ueritas. proprie enim manna unigenitus filius Dei fa-
ctus homo, uerbum & auditio obstupescere faciens. Nam manna interpretatur quid
Exod. 16. hoc: Iudæi enim uito illo, quod cumulatim deplutum esset ante cuiusq tabernaculum,
obstupefacti insolito & peregrino spectaculo, interrogabant se inuicem, quid hoc: Do
minus igitur factus homo filius Dei, ipse est manna, quod stupefacit omnes, ita ut di-
cant: Quid hoc? Quomodo filius Dei, & filius hominis? Quomodo ex duobus diuer-
sis una persona? quod hoc mysterium? Hic igitur panis uita secundum naturā existens,
utpote uiuentis patris filius, facit quod sibi proprium est. Viuificat enim omnia. Igitur si-
cut qui ex terra panis, infirmam naturam carnis continet non sinens illam corrumpi:
Resurrectio ex mortuis humanæ naturæ per Christū concessa. ita & Christus per spiritus operationē animā uiuificat, atq etiāipsum corpus ab incor B
ruptione conseruat. Per Christum enim humanæ naturæ resurrectio ex mortuis, & in-
corruptio corporum est concessa. Sed Iudęi adhuc dediti uentri, & toti terreni, de sensi
bili pane intelligunt dicta, & dicunt, Da nobis semper panem hunc. Sic igitur stultè lo-
quentes redarguebantur, & dicunt, Semper da nobis panem hunc, non ad unum uel
ad duos dies. Hoc autē præ auaritia dicebant. Vt enim non opus sit multa impendere
in cibos dicunt, Da semper hunc facilè parabilem panem.

Dixit autem eis Iesus, Ego sum panis uitæ. qui uenit ad me, nō esuriet: & qui credit
† creditis in me, nō sitiet unq: sed dixi uobis q etiā uidistis me, nec † credidistis. Omne quod dat
mihi pater, ad me ueniet: & qui uenerit ad me, nō eijcio foràs, quia descendi de cœlo ut
faciam non quod ego uolo, sed quod uult qui me misit.] Cum Iudæi, utpote terreni, de
sensibili pane Christum loqui putarent, & propter hoc urgerent & quærerent: redar-
guens eos Dominus, monstrat quòd quàm diu sensibilem panem expectent, accurrāt:
quando autem discunt q spiritualis sit, non ultrà accurrant. Vnde dicit, Ego sum pa-
nis uitæ. Non dixit autem, panis alimoniæ, sed uitę. Nam cū omnia mortificata essent,
uiuificauit nos per semetipsum Christus, qui est panis, eo quòd fermentū humanæ cō-
sperſionis credimus coctū esse igne deitatis. Panis autem uitæ non huius solitæ, sed im
mutatæ, & morte non deficientis. At qui credit in illum panem, non esuriet, neque fa-
† eo quòd nō habeat mem feret audiendosermonem Dei, neq sitiet spiritualem sitim, † eo q habeat aquam
baptismi, & sanctificationem spiritus. Nā qui non baptizatus est, sitim patitur, & ma-
gnam ariditatem, expers aquæ sanctæ refrigerantis. Baptizatus autem spiritum habet,
Fides, Dei donum præclarum. per quem semper refrigeratur. Ostendens autem q fides quæ in Christum, non uulga
ris quæpiam res sit, sed donum Dei dignis & rectis corde à patre datum, dicit q omne
quod dat mihi pater, ad me ueniet, hoc est, illi credent in me, quos dat mihi pater. Vos
autem Iudęi, cum indigni sitis, non damini mihi à patre: propterea neq uenitis ad me,
† quòd qui eum nō re- neq habetis rectum cor, ut uos diligens Deus & pater ducat ad meam fidem. Ego au-
cipit, Deo sit aduersa rius, patris uoluntati repugnans tem eum qui uenit ad me non eijciam foràs, hoc est, non perdam, sed saluabo, & ma-
gna cura illum refocillabo. Descendi enim de cœlo, non ut aliud quiddam faciam præ
ter uoluntatem patris. Cæterùm hæc dicit, ut discant † non esse aduersarium uoluntati
patris. Quia enim illum aduersarium Dei dicebant, ipse crimen in illos uertit, tamesi

pon

A non manifestè, & dicit, Vos estis aduersarij Dei, qui me non recipitis, qui facio uoluntatem patris. Vbi est Nestorius hoc loco, qui dicit q̃ post resurrectionem deificatus sit Christus? Non audis miser quòd descendit de cœlo? Iam qui de cœlo descendit, non utiq; nudus erat homo, sed Deus. Nudus enim homo nō descendit, sed si quidem ascendit in cœlum, hoc illi concedit propter uirtutem Deus. Solius Domini descensus præuenit ascensum. Ipse igitur & descendit de cœlo sicut Deus, quandoquidem incarnari dignatus est; & ascendit in cœlū cum carne, ut homo scilicet, ubi erat prius ut Deus. Non igitur nudus homo erat Christus postea deificatus, sicut delirabat Nestorius, sed Deus ante secula, incarnatus nouissimis temporibus. *Nestorius*

Hæc est autem uoluntas eius qui misit me patris, ut omne quod dedit mihi, nō perdam ex eo, sed resuscitem illud in nouissimo die. Hæc est autem uoluntas eius qui misit mẽ, ut omnis qui uidet filium, & credit in eum, habeat uitam æternā: & ego suscitabo eum in nouissimo die.] Subinde ponit, Dedit mihi pater, ut perstringat corda illorū ut agnoscāt se Dei munere indignos: Nam si pater dat ut magnum quiddam, dignam in Christum fidem, ipsi autem illam non habent, manifestum est quòd dono Dei exciderint. Igitur ego (inquit) non perdam quos dat mihi pater, hoc est, eos qui credunt mihi, sed resuscitabo illos, hoc est, in resurrectione claritate illos dignabor. Duplex enim est resurrectio: una quidem communis & generalis, qua omnes etiam peccatores resurgunt: altera, qua soli iusti assumuntur in occursum Domini in aera, & prius cum magna fiducia Domino occurrunt. Hanc autem resurrectionem Paulus ἐξανάστασιν, hoc est exurrectionem nominat, propter eleuationem à terra. Peccatores enim resurgent quidem ex sepulcris in terram, de terra autem non exurgent in aerem. Infrà enim manebunt sicut condemnati. At iusti resurgunt & exurgunt, qui rapiuntur in nubibus in occursum Domini in aera. Peccatores autem resurgunt tantum. Porrò Dominus interpretans quid sit, Omne quod dedit mihi pater, dicit eandem sententiam alijs uerbis, Vt omnis qui uidet filium, & credit, habeat uitam æternam. Nihil enim aliud dicit, *Duplex resurrectio.* *ἐξανάστασις iustorũ tantum est Paulo, ἀνάστασις uerò etiam peccatorum.* *1. Thes. 4.*

B quàm id quod dixit superius. Nam hoc quidem, omne quod dedit mihi pater, idem est cum illo, omnis qui uidet filium & credit. Hoc autem quod dicit, non perdam, idem est cum eo quod dicit, habet uitam æternam. Sæpe autem mentionē facit resurrectionis, ut persuadeat hominibus, ne ijs solum quę uidentur, Dei prouidentiam circumscribāt, sed sciant esse & alium statum in quo absq; dubio fruituri sint remunerationibus uirtutis: quanuis nunc non sit perspicua in hac uita retributio, & propterea non omittendum uirtutis cursum. *Resurrectionis cur Dominus sæpe mentionem fecerit.*

Murmurabant ergo Iudæi de illo quod dixisset, Ego sum panis ille qui de cœlo descendi, & dicebant, Nónne hic est Iesus filius Ioseph, cuius nos nouimus patrem & matrem? quomodo ergo dicit hic, de cœlo descendi? Respondit ergo Iesus, & dixit eis, Nolite murmurare inter uos: Nemo potest uenire ad me, nisi pater qui misit me, traxerit eum, & ego suscitabo eū in nouissimo die.] Murmurabant igitur Iudæi dicente Domino, ego sum panis, ueluti decepti. Nam hucusq; quidē existimabāt de pane sensibili eum loqui, & manuetè ipsum ferebant, sperantes q̃ daturus esset panem hunc, uentri ipsorum gratificaturus: nunc autem quia reuelauit eis q̃ nō de sensibili pane, sed spirituali sermonem haberet, cōtempto illo murmurant. Vbi enim illi intelligerent spiritualem cibum, & uitam, & resurrectionem? Scandalizabātur itaq; in eo, uidentes eius matrem, audientes autem dicentem, de cœlo descendi. Igitur non intelligentes q̃ ipse etiam esset Deus, sed in hoc respicientes quod apparebat, murmurabant † ut contumelioſi contra Dominum, & dicebant, Nónne hic est filius Ioseph? Ipse autem saluator non respondit eis, Non sum filius Ioseph. Non enim poterant intelligere partū ineffabilem qui erat ex uirgine. Et quia non capax fuit mens illorū natiuitatis secundū carnē, multo minus eius quæ ante secula ex patre. Quid autem respondet eis? Nullus potest uenire ad me, nisi pater traxerit eum. Hoc autem dicit non ut libertatem tollat arbitrij, absit, sed ut ostendat quòd multa habeat opus cooperatione à Deo is qui crediturus est. Et aliter, Illos trahit pater, qui habent uoluntatis aptitudinē. Eos aũt qui seipsos non faciunt idoneos, nō trahit ad fidem. Nã sicut magnes nō omnia ad quæ propius applicatur, sed solũ ferrũ attrahit: ita & Deus ad omnes quidē appropiat, eos autem qui magis idonei, & familiaritatem erga ipsum præ se ferunt, trahit. Igitur pater quidem trahit *† tanquam cõtumelio sus esset Dominus.* *Cautè.* *Liberum arbitrium.* *Cõparatio magnetis.*

& adducit ad filium, filius autem resuscitat & uiuificat, in bonis uitam & spirationem, A
hoc est, spiritum sanctum tribuens. Itaq; sancta trinitas benefacit ijs qui credunt, & nõ
pater solus, uel filius solus: sed sicut una natura, ita una operatio beneficentiæ patris ad
ducentis, filij uiuificantis, spiritus sancti qui fit ijs qui uiuificantur, pro spiratione. Om-
nis enim qui uiuit, etiã spirationem habet. Vide autem authoritatem filij. Ego (inquit)
suscitabo. Non dixit enim, pater meus suscitabit: sed, ego. Non enim per omnia humi
lia loquitur, sed nonnunquam sublimia suæ deitatis detegit.

Hier. 31. Est scriptum in prophetis, Et erunt omnes docti à Deo. Omnis ergo qui audit à pa
tre, & didicit, uenit ad me: non quòd patrẽ uiderit quisquã, nisi qui est à Deo, hic uidit
patrem. Amen amen dico uobis: qui confidit mihi, habet uitam æternam.] Dixit supe
rius quòd is quem pater traxerit, ad me ueniet. Volens autem hoc docere & confirma
re, in prophetas refert sermonẽ. Est enim (inquit) scriptum in prophetis, Erunt omnes
docti à Deo. Omnes autem, qui uoluerint uidelicet. Communis enim doctor pater p
reuelationem notum facit dignis filium suum. Tangens enim corda simplicium, & do
Matth. 16. lo carentium reuelat ipsis filium, sicut et Petro reuelauit ipsum. Igitur qui audit à patre,
hoc est, qui patris reuelationem accipit, & discipulus illius uerè efficitur, & reuelatio-
nem suscipit, hic uenit ad me. Vide aũt quomodo cum diligentia loquitur omnia. Nõ
enim dixit, qui audit à patre, ille uenit ad me: sed addit, & didicerit. Non enim sufficit
audire, sed oportet audisse & discere. Quid igitur? nũquid in ueteri non fuerunt docti
à Deo? Fuerunt quidem, sed non sic. Hic enim excellentia est, in nouo dico testamen-
to. Nam tunc quidem discebant per homines de Deo. Nunc autem unigenito incar-
Psal. 35. nato, ab ipso patre in sancto spiritu scientia fit, ut ita impleatur propheticum dictũ, In
lumine tuo, patris scilicet, hoc est spiritu, uidebimus lumen, quod est filius. Meritò nũc
omnes docti sumus à Deo, qui fidẽ in Christũ suscepimus. Quia autem dixit, qui audit
à patre, ille uenit ad me: ut ne quis suspicetur q̃ de carnali patre dicat, inquit, Non hoc
dico, quòd uideat quis patrem, nisi filius, qui uerè ex illo est, & natus ex substantia illi- B
us. Nã omnes quidem ex Deo sumus, sed propriè filius unus est, qui & patrem nouit.

Ego sum panis ille uitæ. Patres uestri comederunt manna in eremo, & mortui sunt.
Hic est panis qui de cœlo descendit, ut quis ex ipso edat, & non moriatur. Ego sum pa
nis uiuus, qui de cœlo descendi. si quis ederit ex hoc pane, uiuet in æternum. Et panis
quem ego dabo, caro mea est, quam ego dabo pro mundi uita.] Comparat cum manna
alimoniam quam ipse dat. Nam ego quidem, inquit, sum panis uitæ. Verùm qui come
derunt manna, mortui sunt. Non absq; causa autẽ addit, in solitudine, sed uolens mon-
strare q̃ non ualde diu datum fuit patribus manna, sed tantum in solitudine, & nõ con
tigerit eis in terra promissionis. Verum hic panis non est talis, sed perpetuò durans, &
ita Iudæi multo plura bona accepturi erant, si quidem uoluissent, quàm patres sui. Quo
modo autem non maiora, quæ dantur à Christo? Nam etsi quis gustauerit mortem, ui
uit tamen propter spem resurrectionis. Manifestè autem nobis hoc loco de mystica cõ
munione corporis sui dicit. Nam panis, inquit, quem ego dabo, caro mea est, quam e-
go dabo pro mundi uita. Porrò potestatem suam indicans, quod non ut seruus & mi-
nor patre crucifigendus sit, sed uoluntariè, inquit, ego dabo carnem meam pro mundi
uita. Nam quamuis & à patre dicatur esse traditus, attamen & seipsum tradidisse dici-
tur: & illud quidem est ut discamus eius cum patre concordiam: hoc autem, ut liberam
Panis qui in sacris editio mysterijs, nõ tantum figura est, sed caro Domini. uoluntatem filij non ignoremus. Attende autem quòd panis qui à nobis in mysterijs
manducatur, non est tantum figuratio quędam carnis Domini, sed ipsa caro Domini.
Non enim dixit, panis quem ego dabo, figura est carnis: sed, caro mea est. Transforma
tur enim arcanis uerbis panis ille per mysticam benedictionem, & accessionem sancti
spiritus, in carnem Domini. Et ne quem conturbet quòd credendus sit panis caro. Ete
nim & in carne ambulante Domino, & ex pane alimoniam admittente, panis ille qui
manducabatur, in corpus eius mutabatur, & similis fiebat sanctæ eius carni, & in au-
gmentum & sustentationem conferebat iuxta humanum morem. Igitur & nũc panis
in carnem Domini mutatur. Et quomodo (inquit) non apparet nobis caro, sed panis?
Vt nõ abhorreamus ab eius esu. Nam si quidem caro apparuisset, insuauiter affecti es-
semus erga communionem. Nunc autem cõdescendente Domino nostræ infirmitati,
talis apparet nobis mysticus cibus, qualibus alioquin assueti sumus. Pro mũdi aũt uita

carnem

A carnem suam & mortem dedit, moriens enim mortem soluit. Intellige aũt per uitam mundi etiã resurrectionem. Mors enim Domini generalem resurrectionẽ toti hominum generi operata est. Fortasis aũt & in sanctificatione & in beatitudine uitã, mundi uitam nominauit. Nam quamuis non omnes acceperint sanctificationem & uitam in spiritu, Dñs tamen seipsum pro mundo dedit, & quantũ in ipso erat, mundus seruatus, naturaq; uniuersa sanctificata est, eo q; accepit uirtutẽ uincẽdi peccatũ per unũ hominẽ Dñm nostrũ Iesum Christũ, sicut & per unũ hominẽ Adã in peccatũ ceciderat. Rom. 5.

Decertabant ergo Iudæi inter se, dicentes, Quomodo hic potest nobis dare carnem suam ad edendum? Dixit eis Iesus, Amen amen dico uobis, nisi ederitis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habetis uitam in uobis. Qui edit meam carnem, & bibit meum sanguinem, habet uitam æternam, & ego suscitabo eum in nouissimo die. Caro enim mea uerè est cibus, & sanguis meus uerè est potus.] Iudæi cum audissent de esu carnis illius, diffidunt. Ideo & uerbum incredulitatis dicunt, quomodo? Nam quando cogitationes incredulitatis ingrediuntur in animam, ingreditur simul, quomodo? Propterea ipse uolens hoc ostendere q; non sit impossibile, sed etiam ualde necessariũ, ait, Non potest aliter haberi uita, nisi meã carnem comedatis, &c. Ita & Nicodemus ex incredulitate dicebat, Quomodo potest homo intrare in uentrẽ matris? Oportet igitur nos cum audiuerimus, Nisi ederitis carnem filij, non habebitis uitam, in sumptionibus diuinorum mysteriorum indubitatã retinere fidem, & nõ quærere quo pacto. Nam animalis homo, hoc est, qui sequitur cogitationes humanas & animales, siue naturales, non est capax eorum quæ sunt super naturam, & spiritualium. Atq; ita & spiritualem esum carnis dominicæ non intelligit: cuius qui non sunt participes, non erunt participes æternæ uitæ, eo quòd non susceperunt Iesum, qui est uita æterna. Non enim nudi hominis caro est quæ manducatur, sed Dei, & quæ deificare ualet, utpote contemperata deitati. Ista etiam uerè est cibus, eo quòd non ad paruum tempus duret, neq; corrumpatur sicut corruptibilis cibus, sed æternæ uitæ sit subsidiũ. *Animalis homo.* 1. Cor. 2.

B Similiter & potus sanguinis Domini uerè est potus: quia non ad tempus sufficit siti, sed semper absq; siti conseruat, nec indigere permittit bibentem: sicut & ad Samaritanam dicebat, Qui bibit ex aqua quam ego dabo, non sitiet. Nam quisquis gratiam sancti spiritus per sumptionem diuinorum mysteriorum susceperit, neq; famem spiritualem neq; sitim patietur, qualem increduli. Ioan. 4.

Qui edit meã carnem, & bibit meum sanguinẽ, in me manet, & ego in illo. Sicut misit me uiuens pater, ita & ego uiuo propter patrẽ. Et qui ederit me, & ipse uiuet propter me. Hic est panis qui de cœlo descẽdit: nõ sicut comederũt patres uestri mãna, & mortui sunt, qui edit hunc panẽ, uiuet in æternũ.] Hoc loco discimus sacramentũ cõmunionis. Nã qui edit & bibit carnẽ & sanguinẽ Dñi, in ipso manet Domino, & Dñs in ipso. Cõtemperatio eñ fit noua, & super rationẽ, ita ut sit Deus in nobis, & nos in Deo. Non audis terribilem auditũ, non Deũ nudũ mãducamus. tangi enim nequit, & incorporeus est, & neq; oculis neq; * manibus apprehẽdi potest. Iterũ nudi hominis caro nihil prodesse potest: sed quia Deus uniuit sibi carnẽ secundũ ineffabilem cõtemperationem, uiuifica est & caro, nõ q; in Dei naturã trãsierit, absit, sed ad similitudinẽ candentis ferri, quod & ferrũ manet, & ignis ostendit operationẽ. Sic igiť & Dñi caro manẽs caro, uiuifica est, sicut Dei caro. Igiť quemadmodũ ego, inquit, uiuo propter patrẽ, hoc est, sicut natus sum ex patre, qui est uita: ita & qui mãducat me, uiuet propter me, dum quodãmodo misceť mihi, & trãselementať in me, qui uiuificare possum. Quãdo aũt audis, Ego uiuo, ne existimes eum iuxta participationẽ uitæ uiuere, alioqui animal diceretur Deus: sed nõ est. neq; eñ Deus animal nominať, neq; creatura quędã uita uocabitur. Sæpe aũt & multũ in ore uersat, patres uestri comederũt mãna in solitudine, ut persuadeat hominibus. Nã si possibile quadraginta annis sine messe & semẽte pasci homines, & cõseruari illorũ uitã: multo magis nũc cõseruabit nostrã spiritualẽ meliori pane Dñs carne sua, quę absq; semine uiri ex uirgine est cõstituta. Vbiq; aũt uitæ meminit, & crebrò hoc nomẽ addidit, quia nihil ita suaue hominib. ut res illa. Igiť & tu potes nõ solum secundũ mysticã cõmunionem comedere & bibere carnem & sanguinẽ Domini, sed & alio quodã modo. Etenim & carnẽ quidẽ manducat aliquis quãdo per practicen incedit. Caro enim operatiua est, sicut & practice laboriosa. Sanguinẽ uerò bibit * dentibus

ut unum, quo cor contemplatiui lætificatur. Labore enim caret contemplatio, immò A
& laborũ requies est, & potui similatur, quia & potus minori labore eget quàm cibus.

Hæc dixit in synagoga docens in Capernaum. Multi ergo his auditis ex discipulis eius, dixerũt, Durus est hic sermo, quis potest eum audire? Sciẽs aũt Iesus apud semetipsum q̃ murmurabant de hoc discipuli ipsius, dixit eis, Hoc uos offendit? Quid igitur si uideretis filium hominis ascendentẽ eò ubi prius erat?] Quare in synagoga docuit? Partim q̃ uolebat uenari multitudinem, partim q̃ ostendebat se nõ esse contrariũ legi quę legebatur in synagogis. Quare autem tales sermonès in mediũ proferebat, quamuis sciebat nullum inde utilitatem percepturum, sed multos etiam inde magis offendit? Nam & discipuli eius his auditis dixerunt, Durus est sermo hic, quis potest illũ audire? igitur quod lucrum ex his uerbis? Immò plurimũ & maximum. Nam quoniã memores erant subinde cibi corporalis, & manna in medium proferebant, ostendens eis q̃ omnia illa figura fuerint & umbra, quæ autem ab ipso nunc introducũtur, ueritas sint: eius gratia hæc dicit, & spiritualis cibi mentionem facit, ut faciat eos à sensibilibus aliquantum emergere, contemnereq̃ figuras & umbras, & accurrere ad ueritatem. Sed illi cum nihil possent intelligere quod supra sensum, meliores non fiunt, sed magis resiliunt, & dicũt, Durus est sermo hic, hoc est, asper, & qui suscipi nequeat. Quis enim cũ carnalis sit, posset suscipere spiritualem cibum, & panem qui de cœlo descendit, & carnem quæ comeditur? Quando aũt audis quòd discipuli eius recedunt, ne intellexeris eos qui uerè sunt discipuli, sed eos qui sequebantur in ordine discipulorũ, & uidebantur figuram quidem gerere discipulorum, cum docerentur ab eo. Etenim & inter discipulos erant quidam, qui ad reliquam turbam collati dicebantur eius discipuli (manebant enim apud eum longiore tempore quàm turbæ) ad alios autem ueros discipulos collati, nullius erant momenti, eo quòd ad tempus credebant ei, & frigido quodam (ut sic dicam) calore. Vide autem insipientiam illorum. Nam debebant interrogare & discere ea quæ ignorabant: at illi resiliebant, & nihil spiritualiter exponebant, sed omnia ut uidebantur. Nam quia carnem audierant, putabant quòd eos cogeret carnis B
& sanguinis fieri deuoratores. Quia autem nos spiritualiter intelligimus, neq̃ carniũ uoratores nos sumus, immò sanctificamur per talem cibum. Volens autem ostendere eis quòd sicut Deus nihil ignoret quod sit in cordibus ipsorũ, dicit, Hoc uos offendit? Quid igitur si uideritis ascendentẽ in cœlum me, qui uobis filius hominis esse uideor, ubi eram prius sicut Deus? Nam ipse ascendit ut homo, ubi erat prius ut Deus. Hoc autem dixit ut abducat eos ab opinione qua putabant eum filiũ esse Ioseph. Nam qui credit quòd in cœlo erat prius, omnino credet eum neq̃ Ioseph esse filium, sed Dei, & fidem habebit ijs quæ ab eo dicuntur. Cum autem audieris quòd filius hominis erat in cœlo prius, ne putes q̃ ex cœlo descenderit corpus, ut Marcellus & Apollinarius hæresiarchæ delirarunt: sed quia unus & idem erat filius hominis, & Deus uerbum: dicitur, sicut diximus, ascendere ut homo, ubi erat prius ut Deus.

Marcellus & Apollinarius hæresiarchæ.

Spiritus est qui uiuificat, caro non prodest quicquam. Verba quę ego loquor uobis, spiritus & uita sunt. Sed sunt quidam ex uobis qui non credunt. Nouerat enim ab initio Iesus qui essent non credentes, & quis proditurus esset ipsum.] Quoniam (ut sæpe diximus) carnaliter exponentes ea quæ dicebantur à Christo offendebantur: dicit q̃ spiritualiter intelligenda sunt ea quæ dicuntur à me. hoc est prodesse. Caro autem, hoc est, carnaliter illa exponere, nihil prodest, sed offendiculi occasio fit. Sic igitur illi qui carnaliter audiebant quæ à Christo dicebantur, offendebantur. Subdit igitur, Verba quæ ego loquor, spiritus sunt, hoc est, spiritualia sunt, & uita, nihil carnale habentia, & uitam afferentia æternam. Ostendens autem deitatis esse dignitatem, reuelare quæ occulta sunt, dicit ad eos, Sunt quidam ex uobis qui nõ credunt. Dicens autem, quidam, discipulos excepit. Et Euangelista uolens ostendere quòd ab initio mundi omnia cognouerit, dicit, Ab initio nouerat Iesus qui essent non credentes. Insuper & proditoris
Dan. 13. malitiam indicat, quo certè monstrabatur deitas. Nam propheta inquit de Deo, Qui sciebat omnia priusquam ipsa fierent.

Et dicebat, Propterea dixi uobis q̃ nemo potest uenire ad me, nisi fuerit ei datum à patre meo. Ex eo tempore multi discipulorum eius abiuerunt retrorsum, nec amplius cum illo ambulabant. Dixit ergo Iesus ad duodecim, Num & uos uultis abire?] Sæpe

diximus

A dicimus, quando audieris ꝙ pater dat fidem in filiũ, ne existimes ꝙ alijs benefaciat pater quos segreget, alijs autem non: hoc enim iniustè agentis esset: sed illis benefacere puta patrem, & illis dare donum fidei, quibus cooperatur electio & uoluntas. Nam qui à uoluntate nõ adiuuatur, etiamsi à Deo assumitur, nõ percipit utilitatẽ: ut exempli gratia quid dicã: Omnibus dat Deus, sed hoc quidam & sumunt bene, & utuntur eo quod datur, & custodientes illud, ostendunt Dei donum. Quidam aũt recipiunt: sed ea quæ dantur, disperdũt, ita ut nihil accepisse uideantur. Quando igitur Euãgelista dicit, nisi fuerit alicui datũ à patre, nõ poterit uenire ad filiũ: hoc dicit, ille uenit ad filiũ, cui daturus est pater, hoc est, à quo custoditũ fuerit donũ à Deo quod illi datũ est. Abierũt igit multi discipuli retrorsum, hoc est, diuiserunt se à magistro, & progressi sunt non proficientes, sed retrorsum, hoc est, in incredulitatem. Nam reuera qui seipsum à Christo diuidit, retrorsum uadit: qui aũt secundum Paulũ adhæret Domino, semper se extendit ad anteriora. Ipse aũt ostendens ꝙ nullius uel ministerij uel curæ quod sibi impendebant, indigeat, dicit eis, Num etiam uos uultis abire? Quare autem nõ magis laudauit duodecim, ꝙ nõ cum alijs amissi fuerunt? Partim quia seruabat dignitatẽ doctori conuenientem: partim quia hoc modo magis attrahi poterant. Nam si quidem laudasset, fortè humanum quiddam passi fuissent, factiq; arrogantiores existimassent se illi gratificari propter comitationem. Per hoc autem ꝙ demonstrauit eis se nullius indigere comitatu, magis potuit eos continere, eo ꝙ beneficium potius accipiant, quàm præstent: & accipiant magis, quàm dent. Et considera quàm prudenter dixerit. Nõ enim dixit, abite, hoc enim repellentis fuisset: sed interrogauit, num uultis abire? quo uerbo eis libertatem faciebat, sequerentur, nec ne: & demonstrabat quòd nollet eos reuerentia erga se, comitari se: sed ut scirent beneficium esse quòd se sequantur. *1. Cor. 6. Philip. 3. Liberum arbitrium.*

Respondit ergo ei Simon Petrus, Domine, ad quem ibimus? Verba uitæ æternę habes, & nos credimus & cognouimus ꝙ tu es Christus filius Dei uiui. Respondit eis Iesus, Nonne ego uos duodecim elegi? & ex uobis unus diabolus est. Dicebat aũt de Iuda Simonis Iscariota. Hic enim proditurus erat eum, cum esset unus ex duodecim. Petrus cum esset amator fratrum, pro toto choro respondet. Non enim dixit, Domine, ad quem ibo? &, cognoui & credidi, sed ad quem ibimus? &c. Vitæ autẽ æternæ uerba Dominum habere dicit, quia audiuerat eum dicentem, Eum qui credit in me, resuscitabo, & habebit uitam æternam. Iam enim illi resurrectionem receperãt, & omnem doctrinã: itaq; uerba ipsa offendiculo non erãt, sed attendendi negligentia & ignauia, imprudentiaq; auditorũ. Nam hi duodecim eadem audierunt, nec tamen sunt offensi, sed manserunt. Quid igitur Christus? Nunquid laudat Petrũ, sicut alio loco facit: Mini mè, ut ne uideretur blandiri illi ꝙ apud se maneret. Sed quid dixit ad Petrũ? Ego quidẽ uos elegi duodecim, ueruntamẽ neq; uos omnes estis electione digni, sed unus ex uobis diabolus est. Hoc aũt bifariam est intelligendum. uel enim, qui nunc mea omnia calumniatur, & nihil illorum recipit: uel, quia calumniaturus est me. Etenim re ipsa talis apparuit Iudas, calumnians apud Iudæos Dominũ, & mysteria eius illis efferens, sicut & Dauid de ipso dicit, Egrediebatur foràs, & loquebatur in idipsum. Dicit autem hæc ad Petrũ Dominus, emendans eum, quia enim dixerat Petrus, & cognouimus & credidimus: ne hoc putes, inquit, non enim omnes estis fideles, neq; omnes me cognouistis. Vide autem quomodo antea Dominus proditoris malitiam repellens & refrenãs hæc dicit, sciens quidem ꝙ nihil profuturus esset, nihilo minus tamen quod suum erat faciens, neq; illum manifestauit, neq; omnino occultum esse permisit. Illud quidem, ut ne impudentior & contentiosior fieret: hoc aũt, ut ne licenter facinus patraret, occultum illud putans. Ex illo autem etiam hoc discimus, quòd non coactione & ui quadam meliores facere consueuerit Deus, neq; eius electio cogat uoluntatem nostram cum sit mala, ut fiat bona: sed electio quidem fit à Deo, qui adhortatur nos ad bonum, & suam nobis impertit bonitatem. In mente autem nostra & uoluntate situm est saluari & dignè ad electionem ambulare, uel è diuerso. Admirare autem quòd diabolus in tantum infestus est, ut potuerit etiam unum ex duodecim abripere, qui suscitabant mortuos, & faciebãt miracula, & fruebantur spirituali & uiuifica doctrina Domini. Et ubi posthac salutis spes nobis, qui sponte à iuuentute nosipsos malitiæ mancipamus? Ideo & Euangelista quasi admirans dixit, Cum esset unus ex duodecim. Quamuis *Psal. 40. Electio Dei. Liberum arbitrium.*

enim,

enim, inquit, esset è sancto illo choro, attamen mala sua uoluntate indignus inuentus A
Manichæi. est. Ita homo animal est suapte natura uertibile. Valeant igitur posthac Manichæi. Nō enim à natura sumus mali, alioqui omnia operaretur in nobis malitia. Nunc autem non semper erat Iudas malus, sed fuit etiam aliquando sanctæ uoluntatis. Igitur à uoluntate mala & nascuntur & crescunt.

CAPVT VII.

VErsabatur Iesus post hæc in Galilæa. Non uolebat enim in Iudæa uersari, quia Iudæi quærebant eum interficere. Erat autem in propinquo dies festus Iudæorum Scenopegia. Dixerunt igitur ad eum fratres eius, Transi hinc, uade in Iudæam, ut & discipuli tui uideāt opera tua quæ facis. Nemo quippe in occulto facit aliquid, & quærit ipse palàm esse. Si hæc facis, declara teipsum mundo. Nam ne fratres quidem eius credebant in eum.] Noluit Iesus in Iudæa ambulare, propter homicidas Iudæos, nō ut timens mortem, poterat enim in medio illorum illæsus ambulare: sed si hoc semper fecisset, non creditus fuisset homo, sed habitus fuisset phantasma. Vnde nunc quidem secedit, cōfirmans q̄ uerè homo: & cōfutans omnes qui dicunt eum secundū apparentiā tantum incarnatum, sicut Manichæi, Marcion, & Basilides, & similes dicunt. Aliàs etiam cum esset in medio ipsorum insanientium contra ipsum, manebat illęsus, & ostendebat suam deitatem: confundens Paulum Samosatenum, & docens omnes q̄ non purus homo, sed & Deus fuerit. Secedit in Galilæam nunc. Nam quia nondum aduenerat tempus passionis, uanum & superuacuum erat in medio inimicorum suorum uersari, & maioris semper rabiei illis authorem fieri. Erat autem, inquit, Scenopegia. Operæpretium fuerit dicere de festis quæ faciunt Iudæi. Tria enim erant: unum pascha, quod fecerunt egressi ex Aegypto, quod & primum apud ipsos erat: secundum pentecoste, quod celebrabant quidem ut liberati à malis quibus in solitudine affligebantur: cum autem in terram promissionis ingressi essent, ac tunc primum frumenti fructū gustassent, manipulos in festo illo tanq̄ primitias offerebant: tertiū Scenopegia, quod celebrabant in gratiarū actionem propter cōuectas fruges mense Septembri. Tunc enim B gratias agebant Domino, cōuectis omnibus fructibus. Ideo & tabernacula fiebant, & quasi sub dio agentes lætabantur, unde psalmos quosdam Dauid qui inscripti sunt pro torcularibus, quidam cōpositos esse dicunt in hoc festum. Nam tunc torcularia sua implebant, & uuas premebant, propterea q̄ agebant gratias, & psalmis utebantur atq̄ aliis in gratiarū actionem. Talis est psalmus 8. ideo & propheta in ipso meminit bonorum homini à Deo datorū. Significant aūt hæc, Pascha transitum nostrum ex infidelitate ad fidem: Pentecoste, ingressum in ecclesiam, ut terram aliam promissionis, quando scilicet & panem manducamus sumentes diuina mysteria. Non enim simul atq̄ crediderimus, transiuerimus q̄ ab incredulitate, mox & panem comedimus, sed oportet primùm baptizari, ut digni fiamus qui stemus cum baptizatis in ecclesia, & tunc de pane participemus. Scenopegia autem resurrectionem, quando omnes quidem fructus nostrorum operum consummantur, tabernacula q̄ nostra per mortem destructa, iterum construuntur. Sunt & alij diuiniores sermones de his festis, at de his nunc non est dicendi tempus. Exponimus enim hoc quod multis utilius. Itaq̄ cum esset festum Iudæorum quod uocatur Scenopegia, quia uiderunt eum fratres eius non apparatum ad iter, inuidentes ei dicunt, Transi hinc, & uade illuc, ut & discipuli tui, hoc est turbæ quæ te sequuntur, uideant quæ facis. Non enim de duodecim dicit, sed de ijs qui illum aliàs sequebantur. Arguebant autem eum fratres eius, filij scilicet Ioseph, propter duas affectiones, timorem & uanam gloriam. ideo & dicunt, Nullus enim in occulto facit aliquid. id quod est formidinis: & quærit ipse palàm esse, id quod uanæ gloriæ. si hæc facis, manifesta teipsum mundo. Hoc autem loco insinuāt, Haud bonā opinionem habemus de his quæ à te fiunt. Nam si hæc facis ut bona, manifesta teipsum. si autem te occultaris, manifestū quòd mala faciens occulteris. Cuius autem gratia in his quinq̄ mensibus, cum nihil aliud narrasset Euangelista, quàm signum hoc de panibus & sermonem Domini ad comedentes, quem postea ingrati irridebāt, alia transilijt, dicens, Erat autem propè festum Iudæorum Scenopegia: Nam quod opera quinq̄ mensium in intermedio siluerit, manifestum hinc. Cum enim miraculum panum faceret, pascha erat, quod habebatur apud illos primo mense, quem Romani Martium uocant: nunc autem

Psalmi Dauid pro torculatoribus inscripti. Psal. 80. 83.
Significatio festorū Iudaicorum.
Christi fratres, filij Ioseph.

A autem Scenopegia mense fiũt Septembri. Quare igitur hoc fecit Euãgelista? Eo quòd non erat opus omnia enumerare. Et aliter, Euangelistæ illa studuerunt dicere, propter quæ reprehensio aliqua uel controuersia apud Iudæos subsequebatur. Dignũ autem est ueritatem illorum admirari, quomodo non erubescant dicere illa quæ uidebantur afferre ignominiam quandam magistro. Vnde Euangelista multa miracula & uerba Domini transcurrens, infidelitatem fratrum & ea quę illi opprobrant, narrat. Vnde autem illa incredulitas? Ex uoluntate & inuidia. Solent enim cognati semper inuidere. Veruntamen attende ꝙ qui tanta infidelitate affecti erant in illũ anteq̃ crucifigeretur, illi ipsi erant quę ubi glorioſum eum uiderũt, & miracula facientẽ, post crucem & ignobilitatem qui uidebatur, pro ipso testimoniũ tulerunt, apostoli & prædicatores & episcopi facti. Vnde sine contradictione illũ resurrexisse uiderunt. Non enim exposuissent se pro illo, nisi certa quædã & solida habuissent argumenta de eius resurrectione. *Non omnia scripserunt Euangelistæ.*

Dicit ergo eis Iesus, Tempus meum nondum adest, tempus autem uestrum semper est paratum. Non potest mundus odisse uos: me autem odit, quia ego testimonium fero de illo quòd opera eius mala sint. Vos ascendite ad diem festum hunc, ego nondum ascendo ad festum hoc, quia meum tempus nondum impletũ est.] Fratres quidem Domino inuidentes, arguunt eum metus & arrogantiæ. Ille autem quid dicit ad eos? num durè loquitur? minimè, sed mansuetè. Non enim dixit, Vos qui estis qui talia mihi consulitis, & ita docetis: Sed quid inquit? Tempus meum nondum adest, hoc est crucis & mortis. Tempus autem uestrum semper est paratum. Vos, inquit, etiamsi semper cum Iudæis conueneritis, non occident illi uos, qui eadem sectamini quæ illi: me autem statim occisuri sunt, si quidem uiderint ad festum uenientem. Vel & aliter hoc intelligendum. Nam qui beatos facit lugentes in hoc seculo, similia & nunc loquitur, & quæ ad omnes sanctos pertinere possunt. Non est enim, inquit, tempus festiuitatis, cum uideam in plenitudine Iudæorũ omnem uigere malitiam. Luctus enim & lamenti tempus est, cum ueritati quidem obsistitur, diuina autem uoluntas nõ seruatur. Igitur propter *Notã.*

B pter hæc mihi non est tempus festiuitatis: At uos quidem utpote qui cum Iudæis cõspiratis, & mundo addicti estis, non mirum si festum agatis cum his qui uobis similes sunt, & uos quidem mundus non potest odio habere, hoc est, hi qui mundana sapiunt, ueluti (sicut dictum est) sui similes: me autem odio habet, quia redarguo opera eius. Liberior enim reprehensio odium parit. Mittit igitur fratres ad festiuitatẽ, ostendens quòd non cogat cum eo manere, si quidem nolint. Attende autem quomodo ad duo crimina quę intendebant illi, metũ dico, & uanam gloriam, duo etiã responsa dat. Ad metũ quidem dicendo, arguo opera mundi, hoc est eorum qui mundũ sapiunt. Non autem arguissem, si quidem meticulosus essem, ut putatis. Ad uanam autem gloriam, non compellendo eos ut secum maneant. Nam si inanis gloriæ crimini fuisset obnoxius, neutiquam illos à se dimisisset: quia arrogantibus magnę pompæ cordi sunt. Itaq; quia duo hæc opprobrauerant, meritò contra duo illa restitit, ostendens uitiosam illorum suspicionem. Tempus enim meum nondum impletum est, significat quòd nondum est tempus mortis & crucis, oportet enim me adhuc in carne uiuere, ut plura signa faciam, & plures doctrinas exponam, atq; ita ut plures turbas in fide instruam, & discipulos meos confortem tam per plura signa, quàm per doctrinas. Nondum igitur, inquit, urget tempus mortis, ut obijciam me his qui contra me insaniunt: propterea neq; ad festum ascendo. *Quibus pompa cordi sunt.*

Hæc autem cum dixisset illis, mansit in Galilæa. Vt autem ascenderunt fratres eius, tunc & ipse ascendit ad festum, non manifestè, sed uelut in occulto.] Quare dicens fratribus, Non ascendo ad diem festum, ascendit? Non dixit simpliciter, nõ ascendo: sed, nunc, hoc est uobiscum. Nam principio quidem ascendere detrectabat, utpote seruentibus furore Iudæis. Post hæc autem cum festum soluendum esset, ascendit, quando & insaniã illorum ueri simile erat mitigatam esse. Et aliter quoq;, Non fecit contraria his quæ dixit. Non enim ascendit diem festum acturus, sed docturus: & non cum hilaritate qua solent celebraturi ferias, sed clàm. Delitescit autem, ut confirmet se hominem. Nam si comparuisset, insaniuissent utiq; cõtra eum, occidere illum cupientes: & si non permisissent eis hoc facere, eo ꝙ nondum instaret tempus passionis, sed è medio eorum effugisset passionem, haberi potuisset quòd non uerè, sed apparenter tantum fuisset incarna-

incarnatus: & propterea fugit & secedit ut homo, quod hominis erat faciens.

Iudæi ergo quærebant eum in die festo, & dicebant, Vbi est ille? Et murmur multũ Á
erat in turbis de eo. Quidam enim dicebant, Bonus est. Alij autem dibebant, Non, sed seducit turbam. Nemo tamen palàm loquebatur de illo propter metum Iudæorum.] Præ multo odio Iudæi etiã nomen eius non proferunt. Non enim dicũt, Vbi est Iesus? sed, ubi est ille? Ita & paruo eius nomini aduersabantur. Considera autem quàm auidi fuerint cædis, cum neq; per tempus festiuitatis illi parcerent, sed uenari illum per illud uolebant: ideo & quærebant. Tam paruam reuerentiam diei festo exhibebant, taliaq; illorum erant opera. Murmur autem multum de eo erat in turbis, quoniam uariæ de illo erant sententiæ: dicentibus quidem principibus, Seducit turbas: multis autem dicentibus, bonus est. Qui autem eum bonum dicebant, de turba erant. Et quòd hoc sit uerum, manifestũ est ex eo quod Euangelista dicit nullum fuisse ausum libere loqui propter metum Iudæorum. Manifestum enim quòd è turba erant qui de illo palàm loqui ausi non fuerint, & timentes principes Iudæorum siluerint. Sed & eos qui dicebant, Seducit turbam, coniectura est ex principibus fuisse, qui illum calumniabantur. Nam si fuissent ex turba, dixissent, Seducit nos. nunc autem cũ dicunt, seducit turbam, ostenditur q non fuerint de turba, sed ex principibus, qui talia dicebant. Vide autem ubiq; principes corruptos, subditos uerò incorruptos. Veruntamen quia utriliore animo ca rebant, adhuc imperfecti manebant, & liberè nihil audebant.

Cum autem iam dimidium festi peractum esset, ascendit Iesus in templum, ac docebat. Et mirabantur Iudæi dicentes, Quomodo hic literas scit, cum non didicerit? Respondit eis Iesus, & dixit, Mea doctrina non est mea, sed eius qui me misit.] Quare ascendit cum esset dimidium festi? Vt leniret illorum animum, & insuper ut maiori attentione audirent ea quæ ab ipso dicebantur, ne festi strepitus illorum aures occluderet, nam in principio festi ueri simile est eos in his quę festi erant, occupatos fuisse. Cum igitur repentè apparuisset eis, simpliciter audierunt omnes: partim illum bonũ, partim impostorẽ dicentes: & alij quidem ut lucri quiddam inde perciperẽt, & admirarentur: B
alij autem ut illum inuaderent & cõprehenderent ueluti seductorem. Porrò quid docuerit, non dixit Euangelista. q autem mirabilia quædam dixerit, per quæ illos cohibuerit, & mentem illorum in miraculum mutauerit, manifestauit per hoc quod dicit, Admirabantur quomodo literas sciret, qui nunquã didicisset. Veruntamen quamuis admirarentur, attamen neq; sic liberata est mens illorum à malitia. Nõ enim doctrinã admirabantur, neq; quæ dicebantur suscipiebant, sed admirabantur quõ sciret literas, hoc est obstupescebant: id quod solet inuidis accidere: ueluti si pauper quispiam uicinus repentè in splendidiore uestitu prodeat, & uideat eũ uicinus inuidus, dicit, Quõ hic tam sumptuosis uestibus indutus est, q dudũ pauperrimus erat? Vnde huic uestis illa? Hæc aũt dicit nõ q re ipsa admiretur, sed q aduratur inuidia, ad uicini calumniã usus talibus sermonibus. Omnino enim dicit, furatus est uestem. Sic igitur & Iudęi: Quomodo hic scit literas? profectò ex Beelzebul habet. Tametsi inde illos coniectare potius oportebat non esse hoc humanum: sed quia hoc ipsi fateri noluerunt, ipse respondet eis, docens q à Deo & patre sit doctrina illa. Nihil meum est, inquit, neq; à meipso tanquam aduersarius Deo loquor: sed quæcunq; illa fuerint, patris hæc & mea uerba sunt.

Comparatio inuidiæ Iudæorum.

Si quis uoluerit uoluntatem ipsius facere, sciet de doctrina utrũ ex Deo sit, an ego à meipso loquor. Qui à semetipso loquitur, gloriam propriam quærit: qui autem quærit gloriã eius qui misit ipsum, hic uerax est, & iniustitia in eo non est.] Dixerat, Mea doctrina non est mea, hoc est aduersaria Deo: sed patris mei est, inquit. Si quis uoluntatẽ Dei fecerit, hoc est, si uirtutẽ amplexatus fuerit, & inuidiæ non seruierit, neq; uano contra me odio obtenebratus fuerit, sciet meorũ sermonũ uirtutem, num ea quę patris sunt loquar, uel aliena & indigna quædã. Voluntatẽ aũt Dei facit & qui scripturas & prophetas scrutatur. Igitur qui talis est, poterit scire de doctrina Domini q ex Deo sit. Nam prophetæ non inducunt Dominũ Deo aduersarium, & à seipso loquentem, sed omnia quæ Deo congruunt, dicentẽ & facientem. Insuper & aliã rationem subdit, dicens, Qui à seipso loquitur, hoc est, qui uult propriam statuere doctrinam, propter nihil aliud hoc facit, q̃ ut gloriam quandam inanem inde percipiat. Si autem ego, inquit, gloriæ propriæ fructum nolo, sed gloriam eius qui me misit quæro, cuius gratia uelim alia do-

Quis uoluntatem Dei faciat.

A alia docere: uerax igitur sum, & non est iniustitia in me: hoc est, non rapio gloriã alteri debitã, hoc enim iniustitiæ foret. atq; ita doctrina mea & ueritatem complectitur, & iustitiam in se. Non enim ex arrogantia fit, ut mendaciũ habeat ac iniustitiam. Arrogans uerò & mentitur, eo quòd de se plus q̃ meretur dicit: & iniustè agit, quia alienam & sibi non conuenientem gloriã rapit. At Dominus quia quæ patris sunt quærebat, & nihil de se arroganter dicebat, omnino & uerax est & iustus. Sæpe autem diximus, & nũc quoq; dicimus, q̃ quando Dominus humilia quædam dicere uidetur, non existimandũ hæc illum dicere quòd natura minor sit patre, sed ne habeatur aduersarius Deo, & propter auditorum imbecillitatem, & propterea q̃ carne amictus sit, utq; nos doceat modestos esse, & nihil magnum de nobisipsis dicere. Quando autem sublimia & de sua diuina gloria loquitur, oportet credere nos quòd grandia hæc ut æqualis patri loquatur, propter magnitudinem suæ naturæ. *Arrogans quis.*

Nónne Moses dedit uobis legem? & tamen nemo ex uobis factis præstat legem: Quid me quæritis interficere? Respondit turba, & dixit, Dæmonium habes, quis te quærit interficere?] Videntur quidem hæc cum superioribus non cohærere, bene autem considerantí & ualde consequentia apparent. Nam cum criminarentur eum q̃ sabbatum solueret, & legem præuaricaretur, ad hoc urget, ostendens eis quòd ipsi magis præuaricatores sint legis. Nam lex quidem inquit, Non occidas: uos autem quæritis me occidere: & ita uos soluitis legem, non ego. Igitur quum à uestra condẽnatione desistitis, me calumniamini quasi præuaricantem legẽ, eo quòd hominẽ in sabbato curauerim. Nullus autẽ ex uobis facit legem, dixit, eo q̃ omnes cum quibus loquebatur, quærebant eum occidere. Vide autem quomodo ipse quidem mansueta uoce eis loquatur, illi autem contumeliose & audacter dicunt, Dæmonium habes: eo quòd putabant se terrere illum, & animam eius contumelijs cruciari. Cæterùm Mosen dicit dedisse legem, (quanuis ipse erat Dominus Mosi, & legis dator) propter infirmitatem Iudæorum, & quòd insensati erant. Nam quomodo sustinuissent dicentẽ, Non *Exod. 20. Deut. 5.*

B Moses dedit uobis legem, sed ego, qui Dominus Mosis & legis?

Respondit Iesus, & dixit eis: Vnũ opus feci, & omnes miramini propter hoc. Moses dedit uobis circuncisionẽ, non q̃ ex Mose sit, sed ex patribus: & tamen in sabbato circunciditis hominẽ. Si circuncisionem accipit homo in sabbato, ut nõ soluatur lex Mosi: mihi indignamini q̃ totum hominẽ sanũ fecerim in sabbato? Nolite iudicare secundum aspectũ, sed iusto iudicio iudicate.] Syllogismo quodã ostendit eos sine causa odio sui laborare, & dicit, Vnum opus feci in sabbato, paralytici uidelicet sanationem, & omnes admiramini propterea, hoc est turbamini & tumultuamini: quanuis Moses ille legislator sabbatum soluerit, eo q̃ iusserit omnem animam die octauo circuncidi. Sæpe enim accidit, octauũ diem, in quo necesse circunciditur puer, diem sabbati esse: atq; ita sabbatum solutũ est ab ipso Mose propter circuncisionẽ, & nihil prohibebat sabbati die circuncidi hominẽ: sed & si sabbatũ fuerit, uel octauus dies, soluitur lex de ocio sabbati, ut ne soluatur lex circuncisionis. Si hæc igitur ita se habent, quid mihi succensetis & iratscimini q̃ in sabbato hominem integrũ sanum feci? cuius circuncisio non Mosis fuerit, sed patrum: attamen illa etiam quæ nõ est Mosis, legem de sabbato à Mose daram soluit. Et circuncisio quidem quæ dolorem affert, non prohibetur in sabbato: ego autem qui liberum feci hominem à dolore, & sanum feci, arguor. Ne iudicate secundum faciem, sed iustè & absq; personarum acceptione iudicate. Neq; Mosen qui soluit sabbatum propter circuncisionem, extra reprehensionem ponitis, si me iudicaueritis maximè benefaciendo homini, sabbatũ non obseruantem. Manifestum enim est q̃ personã recipiatis, si me propter humilitatem condemnatis, & Mosen propter eius dignitatem non condemnatis. *Supra 5. Leuit. 12.*

Dicebant ergo quidam ex Hierosolymitanis. Nónne hic est quẽ quærũt interficere? Atqui ecce palàm loquitur, & nihil ei dicũt. Num uerè cognouerũt principes hũc esse uerè Christũ? Sed hũc nouimus unde sit: Christus aũt cum uenerit, nemo scit unde sit.] Nõ simpliciter & absq; causa adiecit, Quidã Hierosolymitanorũ, sed ut ostendat quòd cum maxima illis miracula euenissent, omnium fuerint miserrimi. Quomodo enim non miseri, qui uiso magno deitatis illius signo, adhuc corruptũ habent iudiciũ? Etenim magnũ quidẽ habuissent signũ, si uoluissent, q̃ inuitis & insanientibus

ipsis cõtra eum, liberè in medio ipsorũ ambularet, neq; pateretur ab eis. Sed nolebãt A
hoc signo uirtutem eius cognoscere. Dubitant autem dicentes, Num fortè & principes cognouerunt q̃ hic est uerè Christus? & neq; in hac sententia permanent, sed colligunt quod nullus quidem sciat unde uenturus sit Christus, illum autem scimus unde sit, non igitur hic est Christus. Cæterùm uide malitiam, quomodo & illi sibi aduer-
Matt.2 sarij sint. Principes enim ipsorũ eum interrogarentur ab Herode, dicunt in Bethlehẽ Iuda nasci Christum. Illi autem dicunt quòd nullus sciat unde sit Christus. Vides di-
Ioan.9 ctorum cõtrarietatem? Et iterum alibi quidẽ dicunt, Nos scimus quòd Mosi locutus est Deus, hunc autem nescimus unde sit. Porrò hoc loco dicũt, hunc scimus unde sit. Vidisti insanientium sermones, scimus & nescimus? Quid huic pugnantiæ uerborũ par? Ad unum enim spectabant, ne credant. Itaque quando in illorum rem erat, dicebant, Scimus: quando uerò minus, negabant. Vnde malitiæ fuerit hęc sententiarum uarietas. At si quis quæsiuerit, unde mori isti dicũt q̃ Christus quando uenerit nemo nouit unde sit? Nequaquã em̃ nisi testimoniũ aliquod habuissent à scripturis, aut solidas traditiones adeò apertè cõtraria scribis illis dixissent qui Herodis erant tẽpore, q̃ clarè dixerant, q̃ in Bethleem Iuda nascatur. Atq; rursum ijs qui dicũt q̃ ex Bethleẽ castello Christus ueniet. Quid igit̃ dicendũ? q̃ ex prophetis utriq; ista dicebant. Nam qui in Bethleem ipsum nasci, & ex ciuitate Dauid esse dicebant, manifestè propheta
Matt.2 habebant testem Micheã dicentẽ, quemadmodũ & Matthęus ait, Et tu Bethleẽ terra
Mich.5. Iuda nequaq̃ minima es in principib. Iuda: ex te em̃ egredieẽ dux qui regat populũ meũ Israel. Et cõtrà hi qui dicebãt q̃ Christũ nõ nouit qs unde ueniat, pphetas habebant testes huiusmodi sentẽtiæ: quin & ipsum Micheã dicentẽ, Egressus ipsius ab initio, à diebus seculi. id q̃d ignotũ eius egressum, hoc est natiuitatẽ declarat, Nullus em̃ hominũ scit quomodo ab initio & à diebus seculi exitum, hoc est natiuitatẽ habeat. Homines enim in tempore, ille autem à diebus seculi, & ab initio. Quod autem ęter-
Esaiæ 53 num, quomodo hi qui sub tempore, cognoscent? Sed & Esaias dicit, Generationem eius quis enarrabit? Ex his igitur persuasi dicebãt, Nemo scit unde sit Christus. Non B enim intelligebãt quod duplex esset Dominus Iesus: & secundũ natiuitatẽ carnalem quæ erat è uirgine, sciebatur unde erat, nempe quod in Bethleem natus: secundũ incorpoream uerò eius natiuitatem, qua ineffabiliter à patre ante secula natus est, supra omnem sermonem natiuitas eius est. Hierosolymitani igitur illi natiuitatem in carnẽ fatentur se scire unde sit: illam autem quæ ante secula est, secundum quam nemo scit Christum unde sit, non fatent̃. Idcirco cum non intelligerent esse eum duplicis naturæ, & una quidem sciebatur, altera uerò non: dicunt q̃ non sit Christus.

Clamauit igitur in templo docens Iesus, & dicẽs, Et me scitis, & scitis unde sim: & à meipso non ueni, sed est uerax qui misit me, quem uos non nouistis. Ego uerò noui eum, quia ab ipso sum, & ille me misit.] Quoniam non alia de causa dicebant, Hũc unde sit scimus, q̃ ut ostendere uellent q̃ de terra sit, & q̃ fabri filius, propterea reducit eos ad cœlũ, dicens, Et me scitis, & scitis unde sim, nempe quòd ex cœlo. hoc est, quãuis propter malitiam reticeatis, scitis tamen unde sim. Quoniã enim pater meus illinc est, manifestũ q̃ & ego illinc sum, & q̃ ab illo missus sim, qui est uerus. Quia autem ille uerus, ideo & ego utiq; uerax, & non mendax. Non enim uerax impostorẽ & mendacem mittere uellet. Hunc aũt qui misit me, uos quidem nescitis, & ignora-
Tit.2. tis, quandoquidem id operibus non declaratis. Nam (sicut Paulus inquit) in scientia ignorantia est. Deum, inquit, fatentur scire, opere autem inficias eunt. Et uos quidem Iudæi nescitis patrem meum, propter opera uestra mala, & pessimum animum. Ego autem illum scio. neq; enim obstant mihi uel mens mala, uel opera quæ illi displicẽt, quo minus illum cognoscam, ab ipso enim sum, hoc est, ex ipso, non ab alia substan-
Duæ naturæ in Christo. tia, uel alienus ab eo: & ille me misit. Vide autem & hoc loco duas naturas in Christo manifestari: per hoc enim quod ait, ab ipso sum, substãtia diuina declaratur. quũ uerò ait, & ille misit me, humana: secundum enim humanam naturam missus dicitur atq; etiam seruus, qui filius est Dei.

Quærebant igitur illum apprehendere, & nemo misit manus in illum, quia nondum uenerat hora eius. Multi autem ex turba crediderunt in eum, & dicebãt q̃ Christus cum uenerit, num signa plura edet ijs quæ hic edidit?] Ostendens Euangelista q̃

inuidis

A inuisibiliter cohiberentur, & ꝙ sponte pateretur, & non ex imbecillitate, dicit, Quærebant illum apprehendere, nullus autem misit in illum manus. Quod autem nondū uenerit hora eius, dixit non ꝙ temporibus esset obnoxius, sed ꝙ omnia tempore opportuno & hora conuenienti fecerit. Quando enim tempestiuum existimauit ꝙ pateretur, tunc & crucifixoribus se permisit. Omnia enim tēporibus opportunis & accommodis facit ac moderatur: & sicut & legem dari conueniebat tempore congruo, ita similiter & prophetas, & euangelium. Vnde nomen horæ ostendit euidentē prudentiam & sapientiam saluatoris. Multi autē crediderunt ei, dicentes, Nunquid Christus plura signa faciet, ꝙꝫ hic fecit? Dicunt aūt de uino in Cana Galilææ, de filio regij, de paralytico, de panibus, & in summa de alijs omnibus de quibus neꝙ Euangelistæ propter multitudinem ipsorum nominatim mentionem fecerunt. Veruntamen cum audieris ꝙ multi crediderint, scias illorum fidem exactam non fuisse, sed qualem uerisimile est esse in uulgari multitudine subinde mutante sententiam. *Qualis fuerit fides illorum qui uisis signis subitò crediderunt.*

Audierunt pharisæi turbā murmurantē de illo hæc, & miserunt pharisæi ac principes sacerdotū ministros ut apprehenderent eum. Dixit ergo eis Iesus, Adhuc pusillū temporis uobiscū sum, & abeo ad eum qui me misit. Quæretis me, nec inuenietis. Et ubi ego sum, eò uos nō potestis uenire. Dixerūt ergo Iudæi inter sese: Quò hic iturus est, quia nō inueniemus eū? Num in dispersionē gentiū iturus est, & docturus gētes? Quis est hic sermo quē dixit, Quæretis me, & nō inuenietis? &, ubi ego sum, eò uos nō potestis uenire? Quia murmurabat turba, manifestum ꝙ affectionē habuerit blādioꝛē, & fidem quandā erga Dominū diminutā. nam à principibus separari uolebat: id quod illi sentientes miserunt ad cōprehendendū Iesum, ob eam dūtaxat causam, ꝙ Christus esse credebat. Miserūt aūt, sed nō ipsi uenerunt, metuentes turbā, ne tumultuaretur: & propterea ministros mittunt, seipsos subducentes, ne quid periculi suboriretur, illos aūt furori populi exponentes. Ita undequaqꝫ quod suū erat, sectabant. At Dominus uerba humilitate plena loquit. Adhuc paruo tēpore uobiscū sum, quid an-

B helatis †ad occidendū me? quid persequimini? ad paruum expectate tempus, & neqꝫ †impediā uos si me tenere uolueritis. Cæterū cum dicit, Vobiscū sum, sensum habet hunc: Etiāsi persequuti fueritis, etiā si abegeritis, ego adhuc uobiscū sum: hoc est, pro uobis curā gero, & loquor ea quę ad salutem uestrā spectant, & uado ad eum qui me misit. Hic etiā illis metū incutit, tanqꝫ futurū ut in eum impingant qui miserat ipsum. Nam qui eum qui missus est, ignominia afficiunt, manifestū ꝙ impingunt in eum ꝙ misit. Dicendo aūt, Vado, significauit mortē suā uoluntariā. Porrò mōstrans ꝙ mors sua non sit talis qualis cōmunis, dicit, Quò ego uado, uos non potestis uenire. Nam si cōmunis & similis omnibus fuisset mors eius, & mansurus fuisset in morte: non dixisset, uos nō potestis uenire. Omnes enim ad cōmunem mortē abimus. Igitur monstrare uolens, id quod dicebā, ꝙ mors sua nō sit talis qualis est mors cōmunis, dicit, Quò ego uado, uos non potestis uenire. Et dicendo, Quęretis me, & non inuenietis: indicat se eis fore desiderabilem. Quando aūt quęsiuerunt eum? Lucas dixit ꝙ multæ mulieres lugebant super eo. Verisimile autem & alijs multis hoc euenisse: & dum caperetur ciuitas, eius atqꝫ miraculorū fuere memores, quæsieruntqꝫ pręsentiā eius. Porrò hæc omnia dicebat, uolens illos sibi conciliare, & demulcere. Nam ubi ministri eorū uenerunt uolentes cōprehendere eum, ostendit ꝙ sciat causam profectionis illorū, & quòd uellent ipsum occidere. Ideo prædicit eis mortem suam, quòd paruum tempus sit, & uadat ad patrem. Prædicere autem mortem, magnum est, & nō humanū. Idcirco & Dauid dicit, Notū fac mihi Domine finem meū. Dicebant autem Iudæi, Num in dispersionem gentiū abiturus est? Vide quomodo euenerit eis, & confracti sint ad ea quæ ab illo dicebantur: id quod manifestū ex eo quod interrogabant, Nunquid in dispersionem gentium abiturus est? Nam nisi hoc erat, dixissent utiqꝫ, Vult abire, nos hoc precabamur, hoc nobis gratū erit. Nunc aūt nihil tale dicūt, sed quasi dolentes ne illo priuarentur, quærunt, quò sit abiturus. Manifestū etiā hoc quia dicunt, abiturus est ad gentes, & docturus eas. non enim dixerunt, seducturus illas, sed docturus. Dispersionem uerò uocabant Gentiles, utpote in omnem locū dispersos. Iudæi enim olim nullis commiscebantur, sed uno loco Palęstinę coacti opprobrabant gentilibus ut quocūqꝫ dispersis, id ꝙd postea in illos uersum est. Ipsi em̄ Hebræi facti sunt dispersi.

† ut ego discedam? † admittā, etiamsi

Quid per uado significetur.

Luc. 23.

Psal. 38.

In nouissimo autem die magno festi stabat Iesus, & clamabat dicens, Si quis sitit, ue A
niat ad me, & bibat. Qui credit in me sicut dicit scriptura, flumina de uentre eius fluẽt
aquæ uiuæ. Primum diem festi, & nouissimum hunc septimum, magnum dicebant:
Exod. 35. quia & lex septimum diem festi uocatum, sanctum nominauit. Illam igit̃ sequens E-
uangelista, nouissimum diem magnũ nominat. Meritò autem in nouissimo die loqui
tur cum turbis, quasi uiatica illis dans domum redituris. Cum his enim qui in diebus
intermedijs delicijs erãt intenti, intempestiuum erat colloqui, nec enim attendissent.
Clamauit autem Iesus partim ut magis audiret̃, partim ut libertatem suam in dicen-
do manifestaret, & quòd nullum metueret. Quid autem dicit? Qui credit in me sicut
dicit scriptura. Hoc enim loco punctum oportet facere: deinde aliud faciendum est
principium: flumina fluent ex uentre eius. Quia enim multi propter signa credebant,
Fides re- ostendit non tam propter signa credendum esse, quàm propter scripturam. Fides ẽ
cta unde. recta ex scripturis est. Eius gratia, inquit, Qui credit in me sicut scriptura dicit, hoc est
quemadmodum testatur de me scriptura, quòd filius sum Dei, & creator, quòd Do-
minus uniuersi. Multi enim putant se credere, sed non ut dicit scrptura, atq; ita suas se
quuti sunt sectas, quales sunt omnes hæretici. At flumina dixit ex uentre eius qui ue-
Venter tro re fidelis est, fluere. Ventrem quidem cor nominans tropo Hebraico, sicut & Dauid
po Hebrai co cor. inquit, Et legem tuam in medio uentris mei, hoc est cordis mei. Flumina autem fluere
Psalm. 39. rè dicebat, & non flumen aquæ uiuæ, spiritus liberalem gratiam & largitatem insi-
nuans. Talis enim est spiritus, ut in quancunque animam introierit, & in qua resede-
rit, faciat illam scaturire quouis fonte uberius. Et discet quis quomodo fluant flumina
ex uentre credentis secundum scripturam, si quidem Petri linguam, & Pauli impe-
tum, & Stephani sapientiam considerauerit, quos dicentes nihil effugit, sed omnes
sequuntur tanquam à fluminibus quibusdam impetu ruentibus rapti.

Hoc autem dixit de spiritu quem accepturi erant credentes in ipsum. Nondũ ẽm B
1 erat spiri † datus erat spiritus sanctus, quia Iesus nondum erat glorificatus.] Interpretans Euan
tus sanctus geliста quæ sint flumina aquæ uiuæ, dicit, Hoc autem dixit de spiritu. Nõdum enim
erat, inquit, spiritus sanctus. Sed hoc loco quæsierit quispiam, Quomodo, inquit,
Euangelista q; spiritus sanctus nondum erat, datus, uidelicet? An nõ & prophetæ spi
ritu loquuti sunt? Et apostoli quoq; quomodo sanitates perfecerunt? Dicimus igit̃ q;
prophetæ absq; controuersia spiritu loquuti sunt, sed donum hoc contractum erat, &
à terra recesserat: atq; ideo quãuis in temporib. prophetarũ operabat̃, tunc tamen p-
pter populi indignitatem, quando inquam Christus in carne ambulabat, non familia
ris erat prophetia, nec; illorum sancta & templum respiciebat gratia. Quia igitur tũc
quidem non erat operatio spiritus, sed erat danda: propter hoc, inquit, quia nondum
datus erat spiritus sanctus, hoc est, non uersabatur in Iudæis, nec apparebat per opera
tiones. apostoli autem non in spiritu, sed in potestate Domini miracula faciebant. Au
di enim euangelium quid dicat, Quia missurus illos dedit eis potestatem, sed non spi
Matth. 10. Luc. 10. ritum sanctum: atq; ita quæcunque faciebant miracula non spiritu, sed potestate &
Ioan. 20. nomine Domini faciebant. Nam cum resurrexisset è sepulchro, tunc dixit eis, Ac-
Act. 1. cipite spiritum sanctum. Et in pentecoste uenit super eos spiritus sanctus. Et aliter,
Erat & in prophetis spiritus uirtus, & in apostolis ante crucem: sed non sic ut post
assumptionem, largus scilicet ac copiosus, ita ut fluminibus comparari debuerit. At-
que ita meritò Euangelista dixit quod nondum fuerit datus spiritus sanctus, hoc est,
nondum ita largiter effusus sicut postea: quia & ante crucem erat datus quidem, sed
non tam largus. nondum enim Iesus glorificatus erat, gloriam hoc loco crucem no-
minante Euangelista. Per crucem enim deiecit tyrannum, & regnauit. Nondum igi-
tur cruce firmata, nec; peccato abolito, nec; natura nostra in Christo uictrice mundi,
& conciliata Deo, meritò non datum fuisse largum spiritus donum dicitur. Oporte-
bat enim nos prius fieri amicos Dei, id q̃d per crucem consummatum est. Insuper sic
accipiendum donum Dei sicut & mundanum. Primùm aliquis fit amicus regis, dein
de accipit dona. Gratia Deo, qui tantum nobis largitus est beneficium, quantum ne-
que prophetis. Nam prophetæ gratiam quidem habebant spiritus, sed alijs non ex-
hibebant. Apostoli uer innòumeros impleuerunt.

Multi ergo de turba cum audissent hunc sermonem, dicebant, hic est uere prophe-
ta.

A ta. Alij dicebant, Hic est Christus. Quidam autem dicebant, Num à Galilæa uenier Christus? Nónne scriptura dicit quod ex semine Dauid, & de Bethleem castello, ubi Matt.2.
erat Dauid, uenier Christus? Dissensio itaq; orta est in turba propter eum.] Verborũ libertate placati quidam de turba, nõ ex principibus (nam principes semper propter inuidiam reluctabantur) confitentur q̃ hic sit propheta ille qui expectabatur. Alij autem qui erant ex imperita & incircunspecta turba, dicebant, Christus est, non intelligentes q̃ idem esset & non alius & alius Christus & propheta ille. Ingratiores autẽ, Num, inquiunt, ex Galilæa Christus uenier? sed ex Bethleem, & ex semine Dauid. Hoc autem dicebant maligna mente, & non sicut Nathanael, qui ut legisperitus & Ioan.1.
studiosus dicebat, Ex Nazareth potest quid boni esse? Ideo & Dominus laudat eum sicut non dolosum, sed magis ob legis studium hoc dicentem. Hi autem dolose hoc dicunt, quia non ex Galilæa Christus uenit. Videntur enim scire quidem q̃ ex Bethlehem sit Iesus. Nam licet in Galilea duntaxat enutritus fuerit, præ iniudia tamen nolebant fateri natiuitatem ex Bethlehem, sed Galilæum nominabãt. Esto autem q̃ ignorarint eum ex Bethleem esse, at ex semine Dauid esse quomodo dubitarunt? An non manifestè ex Dauid Maria traxit genus? Ex hoc igitur manifestum q̃ dolose hæc dicebant. Dissensio autem facta est in turba, nõ in principibus. Nam principes unius sententiæ fuerunt, ne susciperetur ipse ut Christus.

Quidam autem ex ipsis uolebant apprehendere eum, sed nemo cõiecit in eum manus. Venerunt ergo ministri ad pontifices & pharisæos: & dixerunt eis illi, Quare nõ adduxistis illum? Respondẽrũt ministri, Nunquã sic loquutus est homo, sicut hic homo.] Qui non tantæ malitiæ erant, solis sermonibus gloriæ Christi erant aduersarij: at qui impudentiores, etiam manus in eum inijcere uolebant: ligabantur tamen inuisibiliter, cohibente illos diuina uirtute: & neq; hoc miraculo cohibebantur. Profectò Dauid de his dixit, Discissi sunt, & non sunt cõpuncti. Ministri autem missi ut ipsum Psal.34.
adducerent, uideamus quid responderint pharisæis: quoniã ualde sapiẽter. Nam pha
B risæi qui & sapientiores uidebantur esse, & scripturas legentes, & miracula uidentes, sæuiebant contra Iesum, & interrogabant quasi de latrone, Quare non adduxistis illum? At illi etiam absq; signis à sola doctrina persuasi fuerunt. Ita ad bonũ erant idonei. Quod autem non à signis, sed à sermonibus capti fuerint, quod maius est, manifestum est inde. Non enim dixerunt, Nunquam tale miraculũ fecit homo: sed, sic loquutus est. Ita compositi & alacres erant ad suscipiendum uerbum salutare. Oportet autem non solum sapientiam illorum admirari, sed & libertatem. Neq; enim curauerunt iram pharisæorũ, neq; quia ut serui missi fuerant, quæ placita erant principibus, dixerunt, sed testabãtur ueritati. Hos omnes principũ ministros imitari oportebat, & nõ obedire in his quæ Deo sunt aduersa, sicut & Sauli nõ obtemperatum est cum ad 1.Reg.22.
stantibus imperasset ut contra legem sacerdotes Dei interimerentur.

Responderunt ergo eis pharisei, Num & uos seducti estis? Num quis ex principibus credidit in eum, aut ex pharisæis? Sed turba hæc quæ nõ nouit legem, execrabiles sunt. Dicit Nicodemus ad eos, is qui nocte uenerat ad eum, qui unus erat de numero eorum, Num lex nostra iudicat hominem, nisi prius audierit ab ipso, & cognouerit quid faciat?] Quam ob causam ministris non iracundè, sed mansuetè loquuntur pharisæi, placidè sic dicẽtes, Num & uos seducti estis? Quia timebant ne illi prorsum auellerentur, & sequerẽtur Christũ: ideo mitius & adulantius eos alloquunt, Num & uos Ioann.8.
qui alijs estis sapientiores, & nobis legisperitis semper adhæretis, seducti estis? Tentãt autem & illis persuadere stulto ualde argumento. Dicunt enim, Num quis principũ credidit in illum? Tametsi cuius hoc crimẽ? Christi, an eorum qui nõ crediderunt? Omnes enim illi maledicti, qui nõ crediderunt. Maledictã autem turbã aiunt eo q̃ credidit, ipsi innumeris maledictis digni, utpote increduli, & alijs incredulitatis authores. Cuius autẽ gratia Euangelista assignauit de Nicodemo eo q̃ nocte uenerat ad Iesum & q̃ ex ipsis erat? Vt ostendat eos mẽdaces. Quia eñ dixerãt q̃ nullus principũ credidit in illum, ostendit q̃ in hoc mentiãtur. Ecce enim Nicodemus cum princeps esset, & unus ex eis, credidit in Christum. Quomodo Nicodemus loquitur cum eis? Num lex nostra, inquit, iudicat hominem, nisi prius audiat? Ostendit igitur hinc q̃ neq; legem cognoscebant, neq; faciebant quę legis erant, tametsi de lege multum glo

riarentur. Nam lex quidem nullum iubet incondemnatũ occidi, hi autem ad cædem A
eius qui nõ auditur, ruunt: unde manifestè legis sunt præuaricatores. Dicẽdo igitur,
& cognouerit quid faciat: ostendit q̃ non perfunctoriè, sed perfectè ac diligenter au-
dire oporteat, ut cognoscatur quid faciendum, & non incognitus ita condemnetur.

CAPVT VIII.

Omissum est hic fragmentũ nõ paruulũ de muliere illa in adulterio deprehẽsa.

RESponderũt & dixerunt ei, Num & tu Galilæus es? Scrutare & uide quod à Galilæa propheta non surrexerit. Iterũ igitur eis loquutus est Iesus dicens, Ego sum lux mundi: qui sequitur me, non ambulabit in tenebris, sed habebit lumen uitę.] Nicodemo prudentissimè pharisæos redarguente, utpote iniqua perpetrantes, illi perplexi facti, agrestius, immo ferocius responderunt, dicentes: Num & tu ex Galilæa es? Qualem enim consequentiam habet hoc ad ea quæ à Nicodemo dicta? Ille dixit q̃ non oporteat absq; examine & iudicio condẽnare hominẽ, oportebat ipsos ad hoc ostẽdere q̃ respõdere, & nõ sine iudicio condẽnarẽt Iesum, sed legitimè: & ministros miserũt ad cõprehendendũ illũ, et omnia ut decebat fecerũt. Hi aũt dicũt, Nũ et tu ex Galilæa es? Vides insipientiam? Vides q̃ nulla uerborũ consequentia? Deinde ignominia eum afficientes quasi imperitũ, dicunt, Scrutare, et uide q̃ propheta ex Galilea non surrexit, hoc est, uade disce, quia usq; ad hoc tempus nõ didicisti, q̃ ppheta ex Galilæa non surrexit. Hęc autem dicunt imperitiam illi adscribentes. Quid aũt dixit Nicodemus, ô pharisæi? Num dixit q̃ propheta esset Iesus? Dixit q̃ iniudicatum occidere non liceat. quomodo igitur uos ei qui talia dixit, sic respondetis? At Christus, quia crebrò Galilæam ei obiectabant, & quasi de uno prophetarũ dubitant, ostendens eis q̃ non sit unus ex illis prophetis, dicit, Ego sum lux mundi, propriè lux, non ppheticą, quæ particularẽ & paruum splendorem habet: sed uera lux, quæ non Galilææ uel Palæstinæ terminis circunscribitur, sed mundi lux sum, & omnium hominũ Dominus, & de me Propheta dixit, Ecce posui te in lucem gentiũ. Vtaris autem & contra
Esaiæ 42.
Nestorius
Nestorium etiam præsenti dicto, non enim dixit, In me est lux mundi, sed, ego sum B
lux mundi. Ipse enim qui apparebat homo, erat & filius Dei, ac lux mundi: non sicut Nestorius delirat, q̃ in puro homine habitet filius Dei, absit. Vnus enim (sicut dictũ est) erat Mariæ & Dei filius. Qui autem sequitur, inquit, me, non ambulabit in tenebris, hoc est, nõ manebit in errore, sed liberabitur ab errore & tenebris. Interea & Nicodemũ laudat, & ministros q̃ tam liberè dixissent, nempe q̃ in luce essent. Taxãtur autem & pharisæi, quòd in errore & tenebris essent, & clàm dolos struerent.

Dixerunt ergo ei pharisæi, Tu de teipso testaris, testimonium tuum nõ est uerum. Respondit Iesus, & dixit eis, Et si ego testimonium perhibeam de meipso, uerum est testimoniũ meum, quia scio unde ueni, & quò uado: uos aũt nescitis unde uenio, & quò uado.] Quia dixerat, ego sum lux mundi, criminantur eum quasi de seipso testaretur. O insipientiam. Ipse sursum deorsumq; scripturas trahit quæ testentur, & ipsi arguũnt eum quasi de se testaretur, ideo ad malignitatem ipsorum etiam respondet illis, Esto, ipse de me tester, quãuis hoc non faciam, sed tres habeam testes, patrem meum, & opera, ac scripturas, sicut & suprà dictum est: attamẽ ponamus q̃ ipse de me tester: igitur licet etiam ego mihi ipsi testarer, testimonium meum esset uerum, quia scio me esse filium Dei, & non hominem purum, sed supernè uenientem & Deum. Quomodo igitur mendax erit testimonium meum, cum Deus sim, & propterea dignus cui credatur? Nam omnino Deus sibi ipsi testis maximè idoneus est: sed & uolens ire ad Deum uerum, quomodo mentirer ad non mendacem abiturus?

Vos secundũ carnem iudicatis, ego non iudico quenq;. Porrò & si iudicẽ ego, iudicium meũ uerum est, quia solus nõ sum, sed ego, & qui misit me pater.] Ego quidẽ, inquit, cum Deus sim, & è supernis uenerim, uera de meipso testor: uos solũ spectatis ad hoc quod apparet: & quia in carne sum, carnem cõtemptã me esse suspicamini, & non Deũ, ac à Deo uenisse: secundum carnem iudicatis, hoc est, periculosè. Nam sicut qui in carne uiuit, improbè uiuere dicitur: ita & qui secundum carnem iudicat, iniustè iudicare dictus est. Deinde quemadmodũ dixissem quispiã, si nos Iudæi iudicamus iniustè, quare non punis? quare non condẽnas? dicit, Non ad hoc ueni, ut iudicem: ego enim nullum nunc iudico. Et si iudicem, iudiciũ meum uerum est. Etenim condemnati essetis, si quidem uoluissem iudicare: sed quia nunc nõ est tempus, in ad-

uentum

A uerum secundum differam condemnationem uestram: quemadmodum & alio loco dicit, Quia nō ueni ut iudicem mundum, sed saluem. Quòd autem ipse sit omniū iudex, audi os quod mentiri nescit, Pater iudicium omne dedit filio. Atq; ita quando audis quòd ego nullum iudico: non de futuro aduentu, sed de præsenti dictum intelige. Dicendo autem, Non sum solus, sed & pater meus mecum est, ostendit quòd non ego solus condemno uos: sed & pater. Non enim aliter quidem ego iudico, aliter uerò pater: sed sicut ego, ita & ille: & sicut ille, ita & ego. Ioan. 12 Ioan. 5.

Quin & in lege uestra scriptū est, q̄ duorum hominum testimoniū uerum est. Ego sum qui testimoniū fero de meipso, & testimoniū fert de me qui me misit pater.] Dicant hoc loco Arani & Eunomiani, dicentes non esse consubstantialem patri filium: si non fuisset eiusdem substantiæ, quomodo ausus fuisset dicere, eiusdem authoritatis sum cum patre, & similiter dignus cui fides habeatur? Nam q̄emadmodū cum duo homines de eadem re testantur, & uerum est illorum testimonium, manifestum est q̄ utriusq; eadem est idoneitas in testando: ita & hoc loco nihil minus habere declarat suum testimonium patris testimonio. Audi enim q̄ consequenter magna authoritate dicitur, Ego sum qui testimonium fero de meipso, & testimonium fert de me pater. Vides æqualem authoritatem, & quomodo se æquè ad testimonium facit idoneū atq; patrem: id quod non ausus fuisset dicere, si quidem dignitate patre fuisset inferior, & non æqualis illi ac consubstantialis. Nam si uoluisset subiectionem & imminutionem quandam ostendere, non sese patri connumerasset, nec suum cum patris testimonio locasset, sed seruus cum esset (ut blasphemant hæretici) in unum conseruorum respexisset, & illum contestari fecisset, ut Ioannem dico uel prophetas: & in summa, si quidem tale uoluisset testimoniū innumera inuenisset: nunc aūt uolens se ostendere consubstantialē patri, se patri cōnumerat. Ne mireris aūt si alio loco & Ioannē & Mosen & prophetas adducit de se testantes. Hoc enim facit ad auditorū sententiā. Et quoniā illi Ioannē & Mosen Christo præponebāt, eius gratia eos qui apud illos magni & nobiles existimabantur, in testimoniū trahit: & ita quia de Deo & patre magnam habebant opinionem (quid enim aliud glorificabant ut Deum?) adducit nunc & illum ipsum in omnibus testem. Et quia seipsum ad talem testem qui nec falli nec mētiri potest, adordinat, manifestissimum q̄ authoritatem & potestatem eandem cum patre habeat. Confundantur qui seruum illum, & per omnia minorem patre dicunt. Deut. 17. & 19. 2. Cor. 13. Heb. 10. Ioann. 5.

B Dicebāt ergo ei, Vbi est pater tuus? Respōdit Iesus, Neq; me nostis, neq; patrem meū. Si me nouissetis, & patrē meū nouissetis. Hæc uerba loquutus est Iesus in gazophylacio, docēs in tēplo. Et nemo apprehēdit eū quia nōdū uenerat hora eius.] Quia ut tentātes interrogabāt eum de patre, & nō discēdi gratia, ppterea neq; responso dignatur illos, sed dicit, Neq; me nostis, neq; patrē meū, hoc est, non potestis scire patrē absq; me: atq; ita si putatis colere Deū, non creditis aūt ipsum patrē esse meū, q̄ uerus sum filius, nihil pderit uobis: neq; nouistis ut oportet agnoscere: quia si cognoscceretis & honoraretis, etiā me: nūc aūt q̄a me nescitis, nec honoratis, illū quoq; nescitis, nec honoratis, etiāsi putetis. Quod aūt me nescitis, nō alia uobis causa est, sed uos uobismetipsis. Audis q̄ filiū impiè patri subijcis? nisi cō substātialis esset patri, quō dixisset, Si me sciretis, & patrē meū sciretis utiq;: Si em̄ (ut uos dicitis) creatura est filius, quō q̄ nouit creaturā, nouit & Deū? Nō em̄ q̄ nouit substātiā angeli, nouit & substātiā Dei. Quia igitur q̄ scit filiū, & patrē scit: sequitur eiusdē substantiæ esse patrē cum filio. Etiā, inq̄t, & is q̄ creaturā nouit, nouit Deum. Minimè. Multi em̄, immo omnes creaturā quidē & uident, & sciunt, Deū aūt neq; uidit quis, neq; nouit. Hæc aūt loquebat̄ Iesus in gazophylacio in medio tēplo, & ita liberè loquebat̄. Attamen qui occidere illū quærebant, & in manibus illum habebāt, nō audebant apprehendere eum. Et neq; sic intellexerunt, quòd reuera diuinæ uirtutis erat opus, stipatū hostibus in medio illorū illæsum manere ac intactū, maximè cum illi ante pascha eum quæsiuerint, & insidiati ei fuerint. Quē igitur cum nō adesset, quærebāt, cōtra quem ferociebāt uel absentē, hūc in medijs retibus habētes, capere nequeūt, & uirtutē eius neq; sic agnouerūt: q̄a nōdū inquit, uenerat hora eius: hoc est, idoneū mortis tēpus quo se traditurus erat, nondū urgebat. Etem̄ neq; tūc potuissent aliquid aduersus eum, nisi fuisset tempus opportunum, quod ipse sibi delegerat. Non enim impotentię erat crucifigi, sed permissionis.

Permisit enim quando uoluit: quia illi iampridem desiderabant occidere illum, sed A
tenebant inuisibilibus uinculis uirtutis suę. Oportebat enim eū diutius uersari in uita
secundum carnem, ut hominibus maioris utilitatis fieret author, monstrando signa,
& sermones, & doctrinas. Quidem autem illud, Vbi est pater tuus? sic intelligunt dictum à Iudæis ad Dominum, quasi ad iniuriam & probrum. Opprobrabant enim ei
quasi ex fornicatione natus esset: & quasi non cognosceret patrem suū, hæc dicebant.
Et aliter, Patrem eius ut uilem habebant Ioseph: & dicūt, Vbi est ille pater tuus? quasi
dicerent, obscurus est & ignobilis pater tuus, quid illum tantopere iactas?

Dixit ergo iterū eis Iesus, Ego uado, & quæretis me, & in peccato uestro moriemini. Quò ego uado, uos non potestis uenire. Dicebant ergo Iudæi, Num interficiet semetipsum, quia dicit, Quò ego uado, uos non potestis uenire? Et dicebat eis, Vos ab
infernis estis, ego de supernis sum. Vos de mūdo hoc estis, ego de mūdo hoc nō sum.
Dixi ergo uobis, quòd moriemini in peccatis uestris. Si enim non crediderit is q ego
sum, moriemini in peccatis uestris.] Qua de causa crebrò illis dicit, Ego uado, & quæretis me? Vt ita concutiat & terreat animos eorum. Et uide q statim inciderint in curas, & perplexi animo dicebant, Nūquid interficiet seipsum? Quāuis cupiebāt se ab
illo liberare, & illum è medio tolli optabant, atq etiam occidere moliebantur: attamē
ita magnum quiddam de hac re imaginabantur, ut perplexo redderentur animo. Insuper sæpe dicebat, Ego uado: ut monstret q præsciat suam mortem, & quòd non illorum uirtutis opus crux sit, sed eiusdem uoluntatis suæ. Vado enim, inquit: non uos
me ducitis, ego sponte uado. Dicendo autem, Vos nō potestis uenire quò ego uado:
ostendit q resurrecturus sit ipse quidem in gloria, & confessurus ad dexteram patris:
ipsi autem in suis peccatis morituri sint. Illi igitur quid ad hæc dicunt? Nunquid occidet seipsum? Dominus autem tollens hanc illorum suspicionem, ostendit q non careat condēnatione se occidere. Vos ab infernis estis, nihilq diuinū cogitare ualentes,
ita cogitatis. Ego aūt cum non sim ex hoc mundo, hoc est, nihil mundanū & terrenū B
sapiam, nunq in tantā peruenia insaniā, ut meipsum occidā. Hoc enim diabolicū est,
Apollinarius. & nō diuinū. Hoc loco Apollinarius occasione sumpta Manichæos omnes sequens
dicit, Vides q nō erat ex mūdo hoc corpus Domini, sed de supernis, ac de cœlo: sicut
1. Cor. 15 & diuus Paulus dicit q secundus homo Dominus de cœlo? Quid igitur est dicendū?
Ioan. 15 Interrogare oportet illū quomodo intelligat quod ad apostolos à Domino dicitur,
Vos nō estis ex hoc mundo: num & illi corpus habuerunt cœleste, & non huius creationis? uel q non sapiant quæ huius mundi sunt, dixit Dominus hoc? Manifestum
q ideo, quia non sapiebant quę huius mundi. Ita & nunc intelligendum, Ego nō sum
de hoc mundo, hoc est, non sum unus ex uobis, qui mundana sapitis: sicut & Paulus
Rom. 8. ad quosdam dicens, Non estis in carne: nō incorporeos eos esse dicit, sed testatur quo
modo uirtutum studiosi sint, & à carnalibus affectionibus liberi. Quid igitur ultrà dicit eis Dominus? Si non crediderit is, inquit, mihi, in peccatis uestris moriemini. Cum
enim propter hoc uenerit, ut tollat peccata mundi, haud aliter remissionem peccato-
Infidum baptizari impossibile. rum accipere possumus, quàm per baptismum. Impossibile autem est baptizari eum
qui non credidit. Omnino igitur necessarium postea in suo peccato mori infidelem.
Non enim exuit ueterem hominem, quia non baptizatus fuit. Idcirco & alio loco di-
Ioan. 3. cit Dominus, Qui non credit, iam iudicatus est: non propter hoc tantum, quòd non
credidit, sed & quia priora peccata habens moritur.

Dicebant ergo ei, Tu quis es? Et dicit eis Iesus, In primis, quod & loquor uobis.
Multa habeo quæ de uobis loquar ac iudicem, sed qui me misit, uerax est: & ego quæ
†ipsius audiui ab eo, hæc loquor in mūdo. Et nō cognouerūt q de patre †eis loquutus esset.]
Post tantum tempus, post tantorum miraculorum ostensionem interrogāt eum, Tu
quis es? Ita fuerunt insipientes & irrisores. At Dominus inquit, In primis, quod & loquor uobis. Vos, inquit, indigni estis ut audiatis à me sermones, & discatis qui sim.
Omnia enim tentantes dicitis, & nihil ex his quæ loquor, auditis. Ego autem possem
uos etiam arguere, & nō solū arguere, sed & punire. Hæc enim duo insinuat dicens,
Quia multa possem uobis loqui, & iudicare: per loqui, reprehensionem: per iudicare, condemnationē intelligens. At qui me misit, inquit, non ad hoc misit me, ut iudicem ac arguā. Non enim misit Deus filium suum ut iudicet mundū, sed ut saluet mun-
dum,

A dum. Igitur quia pater meus ad saluandum me misit, uerax autem est, meritò nullũ iu
dico nunc, sed solũ loquor quæ audiui de patre meo, ea quæ ad salutẽ scilicet spectãt,
non ad reprehensionem. Hæc autem dicebat ut ne putent q̃ ut impotens non puniat
eos: ostendens q̃ nõ puniat eos tanq̃ impotens, sed non uolens: quia non ad punien
dum, sed saluandum uenerit. Hæc autem illo dicente, tam insipientes erant, ut nõ co-
gnoscerent, inquit, q̃ patrem suum eis diceret, quanuis tanta de patre eis dicta essent:
atqui uerè obtenebratũ erat insipiens cor eorum. Quidam autem sic intelligunt, Qui
misit me, uerax est. Possem, inquit, & nunc iudicare uos, sed reseruo in futurum secu
lum. Non creditis autem, & retributionis tempus non suspicamini. Sed quanuis uos
non credatis, saltem uel pater meus est fidelis, qui statuit diem quo retribuatur uobis,
qui & misit me ut prædicem illa, & manifestem mundo eius & iustitiam & uirtutem.

Dixit ergo Iesus, Cum exaltaueritis filiũ hominis, tunc cognoscetis q̃ ego sim, & à
me ipso faciam nihil, sed ita ut docuit me pater, hæc loquar. Et qui me misit, mecũ est.
Non reliquit me solum pater, quia ego quæ placita sunt ei, facio semper.] Posteq̃ mul-
ta signa eis fecit, & nõ attraxit illos, nũc de cruce cum eis loquitur. Vos enim, inquit,
tunc putabitis uos extra omnẽ solicitudinẽ & metum fore, & à me liberatos, cum me
crucifixeritis: ego autẽ dico q̃ tunc scietis q̃ ego sum, hoc est, Christus filius Dei, qui
omnia porto & duco, & non sum cõtrarius patri, neq̃ à memetipso facio uel loquor.
non enim habeo uoluntatem propriam separatam à uoluntate patris. Quomodo au-
tem cogniturí sunt ipsum in cruce? A signis quæ tunc fient, & à resurrectione, & ca-
ptiuitate. omnia enim hæc poterant declarare eius fortitudinem. Vtrunq̃ igitur scie-
tis, & fortitudinẽ meam quando crucifigetis me, & concordiã meã cum patre. Neq̃
em̃ pater ultus esset me data ciuitate uestra Romanis, uel † signis in cœlo factis, nisi fi
lius eius essem, & eiusdem sententiæ, & non contrarius. Tunc igitur scietis quod quę
doceo & dico, ab illo sint, diuina omnino, & uerba Dei: ac non mea, sed eius q̃ misit
me. Deinde ut ne putent q̃ missum esse, subiectionem significet, dicit, Pater meus me
B cum est. Nam quanuis miserit me ut hominem, non tamen separatus sum ab eo, sed
mecũ ille est, ut Deus cum Deo. Et iterum ad humiliora sermonem deducẽs, inquit,
Et nõ misit me solũ, quia ego placita illi facio. Propter Iudæos aũt tam humilia uerba
loquitur. Quia enim illi dicebant q̃ non sit ex Deo, quia sabbatum non seruat: dicit,
quia quæ beneplacita sunt illi, facio: & ita quanuis sabbatum soluam, placitum hoc illi
est. Ex his aũt humilibus uerbis ipse quidem nihil nocebat suæ gloriæ, auditoribus au
tem utilitatem afferebat: immo & gloriã suam per hæc constituebat. nam audientes
eum q̃ omnia in patrẽ referret, adijciebanẽ & credebãt in illũ. & ita humilia magis e-
xaltabãt illũ. Vides opera beatæ humiliationis. Et q̃ hæc sic se habeant, audi sequẽtia.

† signa in cruce fecisse

Hæc illo loquente, multi crediderunt in eum. Dicebat ergo Iesus ad eos qui credi-
derant ipsi Iudæos, Si uos manseritis in sermone meo, uerè discipuli mei estis, & co-
gnoscetis ueritatem, & ueritas liberos reddet uos.] Vt dicebam per humilia uerba plu
res aduenisse auditores, ita & Euangelista significat. Hæc enim (inquit) illo loquente,
multi crediderũt. Hæc humilia scilicet uerba, & indigna gloriæ suæ: & ita semper quã
do audis eum parũ quiddã & humile de se loqui, ne turberis. Propter auditores enim
talia loquitur, nõ ualẽtes sublimius quiddam capere, sed statim ferocientes. Quid aũt
nõ euenisset si ad profunditatem theologici sacramenti pertingere nequiuissent cum
& Christianis uirtutem eius agnoscentibus, & per ipsum saluatis, sublimitas gloriæ
eius impertingibilis sit: Audiens autem q̃ multi crediderint, sic intellige, q̃ uulgariter
crediderint, & non ut oportebat, sed sicut placati & demulsi uerborũ humilitate: q̃ au
tem tales non erant uerè fideles, manifestum est. Dicebat enim (inquit) ad eos qui cre
diderant Iudæos, Si uos manseritis in sermone meo. Significat enim eos superficia-
liter credidisse, & propterea non permansuros in fide. Hac quoq̃ reprehensione in-
dicat se nosse illorum pectora, & quòd sit Deus. Quia autem & recesserant quidam
qui prius putabantur discipuli eius esse, ideo ad eos qui nunc crediderunt, dicit quòd
illi quidem recesserunt. Si autem uos manetis in sermone & fide, agnoscetis uerita-
tem, hoc est, me. Ego enim sum ueritas. quasi dicens, Nunc quidẽ nõ agnoscitis ueri
tatẽ. Nõ enim ueritas, sed umbra & typus sunt omnia quę uos in lege tenere creditis.
At si me agnoscitis, qui sum ueritas, ueritas liberos uos reddet, hoc est, ego, à peccatis
scilicet,

Auditorum gratia, humilia sæpicule de se Christus loquitur.

scilicet. Qui enim credit in eum qui tollit peccatū mundi, omnino liberatus est à peccatis. Sicut igitur his qui nō credunt, dixit, In peccatis uestris moriemini: ita his qui manent in fide, promittit libertatē à peccatis. Nam legales quidē asperſiones & ſacrificia non liberant à peccatis, figura enim fuerunt. Spirituale autem et uerum ſacrificiū per fidem & agnitionem liberat nos, qui ultrà ſerui non ſumus, ſed filij Dei efficimur.

Reſponderūt ei, Semen Abrahę ſumus, neq; cuiq; ſeruiuimus unq;. Quomodo tu dicis, Liberi reddemini? Reſpondit eis Ieſus, Amen amē dico uobis, q; omnis qui facit peccatū, ſeruus eſt peccati. Seruus autē nō manet in domo in æternū, filius manet in æternū. Si ergo filius uos liberos reddiderit, uerè liberi eſtis. Iterum arrogantes ad ignobilem ſuam nobilitatē reſpicientes inſoleſcunt, dicentes, Semen Abrahę ſumus: quanuis de alio indignari debebant, ſi quidē eos indignari oportebat. Dixerat enim eis, Veritatē ſcietis: quapropter oportebat dicere, Quid aūt: ueritatē igitur neſcimus: mendaciūm ne ſunt omnia noſtra? ſed nihil horū eis curæ erat, ſed ſuſpicabantur opprobrari ſibi ſeruitutem & ignobilitatē in mūdanis negocijs, Semen, dicentes, Abrahæ ſumus. Nuſq; memores ſunt ſuorū operū, ſed ad patres recurrunt. Ideo & Ioannes ad eos dixit, Ne cœperitis dicere, patrem habemus Abrahā. Quanuis manifeſtè mentiti ſint dicentes, Nulli ſeruiuimus. Seruierūt enim, quoties in captiuitatē ducti ſunt, & Aegyptijs, & Babylonijs, & alijs multis. Non aūt arguit eos Dñs mendaces, quia non ſtudebat oſtendere ſeruos hominū, ſed peccati, quæ grauior ſeruitus eſt, à qua ſolus Deus liberare poteſt. Remittere enim peccata, ſolius Dei eſt. Ideo dicit, Omnis q; facit peccatū, ſeruus eſt peccati. & uos igitur ſerui eſtis: quia peccatores. Inſuper quia ueriſimile erat illos dicere, quānis tali ſeruituti obnoxij ſumus, ſed ſacrificia habemus, ſed ſacerdotes, qui purgabūt nos à peccatis: dicit q; & illi ſerui ſint, Omnes enim peccauerunt, & indigent gloria Dei. Et ſacerdotes ueſtri cum & ipſi ſerui ſint, nō habent poteſtatē alijs dimittēdi peccata: quod & ipſe Paulus manifeſtius dicit, Opus habet ſacerdos pro ſeipſo offerre, ſicut etiam pro populo, quia & ipſe infirmitati obnoxius eſt. Seruus (inquit) non manet in domo, hoc eſt, nō habet poteſtatem expendendi, eo q; non ſit paterfamiliās, hoc eſt dominus domus. Filius autē dominus domus eſt, & manet in domo. Domū autem dicit poteſtatem, ſicut alio loco principatum ita nominat, In domo (dicens) patris mei manſiones multæ ſunt. Igitur ueſtri quidem ſacerdotes cum ſerui ſint, poteſtatem non habent remittendi peccata: at filius ego maneo in domo, hoc eſt, poteſtate & principali authoritate: & cum ſim Dominus domus, libertatem uobis concedo. Omnia enim mea ſunt, & æqualis potentiæ & poteſtatis cum patre ſum: & ſi ego liberos uos reddidero, tunc uera libertate redimemini. Sic nunc quidem falſam libertatem celebratis: uerè autem & re ipſa liberi à me eritis.

Matt. 3. Luc. 3.

Cuius ſit remittere peccata.

Rom. 3.

Hebræ. 7.

Ioan. 14.

Sacerdotes Iudæorum remittendi peccata poteſtatem non habēt.

Scio q; ſemen Abrahæ ſitis, ſed quæritis me interficere, quia ſermo meus non habet locum in uobis. Ego quod uidi apud patrem meū, loquor: & uos quod uidiſtis apud patrē ueſtrū, facitis. Vos quidem, inquit, uoſipſos facitis ſemen Abrahæ: & ego uobis aſſentior q; carnalem nobilitatem quæ eſt ex illo ſancto, ſeruetis: ueruntamen ſpiritualis cognatio à uobis abeſt. Ille iuſtus, & miſericors, & hoſpitalis: uos autem (ut aliam ueſtrā uitam prætereā, hoc ipſum aūt quod manifeſtū eſt, & quod nūc operamini, examinē) homicidæ eſtis, & immiſericordes. quæritis enim me occidere, & mortis reum me eſſe dicitis. Igitur quomodo illius filij uerè eſtis, qui ita paternos characteres reliquiſtis? Si igitur de eius genere gloriamini, debetis & uirtutē illius imitari. Deinde ut non poſſint dicere, iuſtè te quærimus ad occidendū, ponit cauſam. Nō enim propter aliud inſanitis cōtra me, q; propter ſermonē meum, qui ſublimior eſt ueſtra cogitatione, & à uobis capi nequit: quānis nō propter hoc oportebat occidere, ſed magis orare ut doceam dogmatū ſublimitatē & colere, & obſeruare. Inſuper ut ne dicant, quia & meritò te odio habemus propter ſermonē tuū: nō enim dicis à Deo, ſed à teipſo, & propterea nō poſſumus capere doctrinā tuam: dicit: Nō à meipſo loquor, ſed quę apud patrem meū uidi, hęc loquor: uos autem quod uidiſtis apud patrē ueſtrum, facitis. Nam ego quidem (inquit) diuina & cœleſtia loquor, & patrem meum per hęc exprimo: uos aūt per ea quæ facitis, patris ueſtri imaginē perfectā refertis, diabolum ſcilicet. Quando autem audis, Quod uidi loquor, non intellige corporalē viſionem, ſed naturalem cognitionem & ueram. Nam ſicut oculi bene uidentes uident quod

uerum

A uerum est,& non mentiuntur:ita & ego uerè illa loquor,quæ cognoui apud patrem.

Respondérunt & dixerunt ei, Pater noster Abraham est. Dicit eis Iesus, Si filij Abrahę essetis,opera Abrahę faceretis. Nunc autem quæritis me interficere,hominem qui ueritatē uobis loquutus sum,quam audiui à Deo.hoc Abrahā non fecit. Vos facitis opera patris uestri. Dixerunt itaq; ei: Nos è stupro non sumus nati,unū patrē habemus Deū.]Ipse quidem patrem eis adscribit diabolum: cui similes eos operibus uidet.Contrà illi multū se de Abraham iactant.At Dominus sanguinariæ eorum uolūtatis meminit,& à genere iusti eos abducit,ut nimiam gloriationem eorum tollat: & persuadeat ne in hac uana carnalis nobilitatis spuma spem habeant,sed in uoluntatis similitudine. Et profectò sicut medicus animarū comprimit feruorē & hulcus quod ex opinione generis Abrahæ natum prohibebat accedere ad Christū, putantes sufficere ad salutem hāc nobilitatem. Vbi igitur estis filij Abrahæ, quum sitis homicidæ, & quæratis me occidere? Propterea ne quis dicat,iustè quærūt te occidere:inquit,hominem non aduersarium Deo,neq; suam quęrentem gloriam,sed quę audiui à patre meo,illa,nempe ueritatem, dicentem. Qualis autē erat ueritas ista? Vel q̄ æqualis sit patri,& non seruus sicut unus prophetarum,sed filius: nihil proprium uel faciens uel docēs,sed omnia quæ patris. Nam propter hæc quærebāt illū occidere. At illi rursum dicebant: Nos ex fornicatione non sumus nati,unū patrem habemus Deū. Vide stultam inflationē. Dominus & à cognatione Abrahæ eiicit eos, at illi sic arrogātes sunt, ut prę arrogantia seipsos etiam Dei filios faciant. Nam quia audiuerant, Filius primo genitus meus Israel: gloriabātur de diuina adoptione. Tametsi eos etiā audire oportebat quod Deus alio loco dicit, Filios genui & exaltaui,illi autē spreuerūt me. Quanuis autē Dominus potuisset eos arguere q̄ ex stupro multi eorum fuissent nati (nam contra legem admiscebantur Gentilibus Hebrææ mulieres, & † Iudæi Gentilibus) non tamen facit. Non enim studebat reprehendere eorum carnalem ignobilitatem, sed in hoc toto studio incumbebat, ut degeneres eos secundum spiritum ostenderet.

Exod.4.

Esaiæ 1.

†Iudæis gētiles mulieres

B Dixit eis Iesus,Si Deus pater uester esset,diligeretis utiq; me.ego eñ ex Deo processi,& ueni.neq; enim à meipso ueni,sed ille me misit. Quare loquelam meam non agnoscitis? Quia non potestis audire sermonem meum.]Postquam eiecit eos à familia Abrahæ ipsi in arrogantia proficientes, faciunt Deum patrē suum. Vbi enim opprobrauit eis q̄ homicidæ essent, ipsi pro defensione afferunt q̄ Deum uindicent,& propterea consultant contra eum,& talia dicunt. Ideo & Dominus monstrans q̄ planè non Deum uindicent,neq; filij sint Dei,meditantes cædem contra se,sicut illi arbitrabantur,sed magis aduersarij essent Deo,dicit,Si Deus pater uester esset,diligeretis me.Ego enim ex Deo exiui,in mundū uidelicet, iuxta aduentū in carne. Non enim sum aduersarius Deo,à quo ueni.& ita illius uos estis inimici,me impugnantes. Quare sermonem meum non cognoscitis, neq; intelligitis, neq; cogitatis quæ dicam? Omnino planè propter nihil aliud, q̄ quòd non potestis audire sermonem meum, hoc est,nō uultis. Non posse enim,pro nō uelle ponitur: Quandiu enim in uobis odium fuerit,& mens sanguinaria,quomodo poteritis audire quæ dico?

Non posse, pro nō uelle

Vos ex patre diabolo estis, & desideriis patris uestri uultis obsequi. Ille homicida erat ab initio,& in ueritate non stetit,quia nō est ueritas in eo. Cum loquitur mendacium,ex propriis loquitur,quia mendax est,& pater eius: Ego aūt quia ueritatē dico, non creditis mihi.] Dixerat, non potestis audire sermonē meum, hoc est,non uultis. Deinde subdit etiam causam propter quam non uolebant, eo q̄ (inquit) ex patre illo uestro estis,quo dico diabolo. Nam uos quidem asscribitis uobis patrem Deum per arrogantiam, & opera uestra testātur diabolum patrem uestrum magis germanum. Nam eius desideria uultis facere. Et non dixit opera,sed desideria, ostendens mirè affectos homicidij mendacijq; libidine, quæ maximè propria mala sunt diaboli. Ille enim homicida fuit ab initio, atque ita uos quoq; quærentes me occidere, similes facti estis illi qui Adam occidit,quia & ille in ueritate non stetit, sed mendacij pater est. Igitur & uos mentientes & dicentes q̄ non sim ex Deo,& non stantes in ueritate,neque manentes in uero sermone, illius filij estis, qui mendacium peperit. Nam ille & Deum apud homines, criminatus est, Heuę dicens, Inuidens uobis prohibuit uos à ligno. Et iterum apud Deū homines accusauit falsò, ut Iob, dicens, Nō gratis Iob colit

Homicidiū & mendacium maxime propria mala diaboli.

Iob.1.

Deum

Deum. Cum igitur loquitur mendacium, ex propriis loquitur: hoc est, homines qui- 1
dem mendacio usi, quasi re aliena utuntur eo, diabolus autem cum mendacio utitur,
re propria utitur. Nam ipsius est proles, & ipse propriè est mendax, & pater eius, hoc
Gen. 3. est, mendacij ipse est pater. Dixit enim ad Heuam, Quacunq; die comederitis, eritis
sicut dij. At hi mortem magis uindemiarũt. Ego autem (inquit) quia ueritatem dico,
non creditis mihi. Nihil enim aliud potestis in me arguere, q̃ solam ueritatẽ: & hinc
est illa uestra contra me rabies, quia filij patris mendacij estis.

Quis ex uobis arguet me de peccato? Si ueritatem dico uobis, quare uos nõ credi-
tis mihi? Qui ex Deo est, uerba Dei audit: propterea uos nõ auditis, quia ex Deo nõ
estis. Responderunt igitur Iudæi, & dixerunt ei, Nonne bene dicimus nos q̃ Samari
tanus es tu, & dæmoniũ habes? Respondit Iesus, Dæmoniũ nõ habeo, sed cohonesto
patrem meum: & uos ignominia affecistis me. Ego autem non quæro gloriã meam:
est qui quærat & iudicet.] Quia Dei filios seipsos nominabant, inquit, Si Dei estis filij,
utiq; peccantẽ debetis odio habere. Si igitur & me quem odio habetis, potestis argue
re peccantẽ, manifestũ q̃ iustè odio me prosequimini. q̃ si nemo me potest arguere,
manifestum q̃ propter ueritatem exosum habetis. Quam autem ueritatem? Omnino
quia dixerat se Dei filium, id quod uerissimũ est. Sicut autem is qui ex Deo est, uerba
Dei audit: ita etiam uos si Dei filij essetis, nõ à me audiendo declinaretis, neq; ad mor-
tem quæreretis eum qui è supernis uenit filium Dei, & ea quæ Dei erant loquentem.
Igitur Dominus quidẽ ita mansuetè cum eis locutus est: at illi ad cõuicia pergũt. Non
ne bene (inquiunt) dicebamus q̃a Samaritanus es tu, & dæmoniũ habes? Samaritanũ
ipsum dicebant, q̃ morem Iudaicum destrueret, nempe sabbatum. Samaritani enim
Lucæ 11. non egregiè iudaizabant. Dæmoniacũ autem illum uocant, fortasis quidẽ & hoc mo
do, quo eum ejicere dæmonia dicebant in principe dæmoniorũ. Omnes enim qui ca
lumniabãtur ipsum in Beelzebul dæmones ejicere, eum dicebãt dæmoniũ Beelzebul
habere in quo miracula faceret. Fortasis autem secundũ quòd reuelauit ipsorũ cogi- 2
tationes, dæmoniũ eum habere cogitabãt, putantes à dæmonibus ei reuelata cordis
Non omnia scripserunt Euangelistæ. arcana. Quando aũt dixerunt eum Samaritanũ? Nusquam enim Euangelista hoc di
xit. Manifestum igitur q̃ multa prætermiserint Euangelistæ, & nõ omnia scripserint,
sicut alio loco assignauimus. Igitur illi quidem talia per ignominiã proferunt: ipse aũt
patienter in se iniurias suscipit. Nam cum seipsos filios Dei dicerent, uehementer eos
arguit, ueritatem uindicans: quando autem ipsum iniuria afficiunt, nõ ulciscitur: do-
cens etiam nos, quæ contra Deum sunt, uindicare: quæ autem contra nos, mansuetè
ferre, sicut & ipse mansuetè dixit, Ego (inquit) dæmonium non habeo, sed honoro
patrem meum. Quomodo autem honorabat patrem? Vlciscens illum, & non sinens
eos qui homicidæ erant ac mendaces, saluatoris & ueritatis filios nominari. Vos igi-
tur (inquit) eo q̃ honoro patrem meum, quem uos iniuria afficitis, dum falsò affirma
tis ipsum esse patrem uestrum, propterea me ignominia afficitis: sed quãuis ego mei-
psum non uindico, sed cum iniuria afficior, sustineo: ne existimetis inultam fore iniu
riam hanc. Est enim pater qui me ulciscitur, quia propterea iniuria afficior, quòd ip-
sum ulciscor, & non patior uos, qui uos illius filios asseritis. Est igitur qui quærit glo-
riam meam, qui & potest iudicare, & condemnare eos qui me iniuria afficiunt. Sæpe
enim quis quærit ulcisci, & nequit ipse iudicare. Igitur pater & quærit filij gloriam, &
potest iudicare: propterea dixit, Est qui quærit, & iudicat.

Amen amen dico uobis, si quis sermonem meũ seruauerit, mortem non uidebit
in æternum. Dixerunt ergo illi Iudæi, Nunc cognouimus q̃ dæmoniũ habeas. Abra
ham mortuus est, & prophetę: & tu dicis, Si quis sermonem meum seruauerit, nõ gu
stabit mortem in æternum.] O misericordiam. Illi quidem iniuria afficiunt, ipse au-
tem quæstionem de gloria sua, & defensionem patri permittens, ad admonitionem
Quomodo ulciscendũ de inimicis. & doctrinam uertitur, benefaciens his qui iniuria prosequũtur. ita oportet etiam nos
ulcisci inimicos. Si quis sermonem meum seruabit, hoc est, credendo simul & uitam
habet puram. Tunc enim quis uerè tenet doctrinã Domini, quando & puram habet
Quãdo q̃ doctrinam Domini tenet. uitã. Talis igit nõ uidebit mortẽ, qua peccatores moriunt, & in futuro seculo immor
tali supplicio traduntur, & uera uita excidunt. Insuper etiã significat eis q̃ si quis ser-
monẽ meum seruauerit, non moritur, quanto minus ego? Quid igitur sæuitis contra
me? à

A me: à quo tam procul abest ut detinear à morte, ut & alijs magis ueram conferam uitam. Nam qui credunt, quamuis moriantur naturaliter, attamē in Deo uiuūt. Sed Iudæi quid ad hæc dicunt? Dæmonio ipsum agi putāt, quòd aliena quædam quasi mente captus diceret. Nam qui sermones Dei auribus perceperunt, mortui sunt, Abraham & prophetæ, & qui tuos auscultant, nō morientur? Profectò nunc, aiunt, cognouimus multis & copiosis argumentis quòd dæmonijs actus hæc dicas.

Nunquid tu maior es patre nostro Abrahā, qui mortuus est, & prophetæ mortui sunt? Quem tu teipsum facis? Respondit Iesus: Si ego glorifico meipsum, gloria mea nihil est. Est pater meus qui glorificat me, quē uos dicitis Deum uestrū esse, & tamen nō cognouistis eum: ego autē noui eum. Et si dixero q̄ nō nouerim eum, ero similis uobis mendax: sed noui eum, & sermonē eius seruo.] Insipientes illi cum nō intelligerent de qua morte Dominus diceret quę credentes in se læsura nō esset, loquuntur ad eum stultissima quædam & insipientissima uerba. Vide enim quomodo respondent: Num tu maior es patre nostro Abraham? Et utiq; sic oportebat dicere, num tu maior es Deo? Hi sermone Dei audito mortui sunt: & qui tuum audiunt, nō moriuntur? sed nō sic: & quid dicunt? Volentes eum ostendere & Abrahamo minorē, num tu maior es, aiunt, patre nostro Abraham? Ipse autē Dominus non reuelat eis de qua morte dixerit: q̄ autē Abrahamo melior sit, persuadet eis paulo pòst. At quod dicūt, Quem tu teipsum facis? cōtumelioſe dicūt. Tu qui nullius momēti es, qui fabri filius, qui ex Galilęa, quē teipsum facis? Neq; opera, neq; ueriras, neq; scriptura, sed tu, quē teipsum facis? rapis enim gloriā. At Dominus, Si ego glorifico meipsum, gloria mea nihil est, sicut uos putatis: nunc aut ē est alius qui glorificat me, pater meus. Glorificat eñ ipsum semper, atq; id per prophetias de illo, & per testimonia de cœlis, & per innumera & immensa miracula. Hunc autē uos patrē, inquit, dicitis q̄ sit Deus uester. Sed neq; ut meū patrē ipsum agnoscitis, neq; ut Deum uestrū. Nam si ut patrē meū illum agnosceretis, honore utiq; filium eius prosequeremini: nunc autē dum filiū nō

B colitis, manifestum q̄ nō cognoscitis illum ut patrem meū. Sed neq; ut Deum cognoscitis illum, alioquí timeretis sermones eius ut Dei: nunc autē usqueadeò cōtemnitis eum, ut cum ille præceperit, Ne occidas: uos meditemini mortē meam, idq; cum non positis me arguere de peccato. Ex his igitur manifestū q̄ eum modis omnibus ignoretis. Ego uerò scio eum naturaliter, omnē eius notitiam habens. Qualis enim sum ego, talis & pater. Igitur quia scio meipsum, & illum scio. Si autē dixero quòd nescia eum, ero similis uobis mendax. Nam uos quidem per arrogantiam dicendo q̄ eum sciatis, mentimini: atqui ego cum sciam eum, si dixero me nescire, negabo ueritatem. Quam igitur coniecturam affers quòd scias eum? Quia, inquit, sermonē eius seruo. sermonē uocando mandata. neq; enim aduersarius sum illi, neq; aduersarius Deo arroganter loquor, neq; mandata eius soluo. Vos autē quia sermonū eius transgressores estis, captiq; malis concupiscentijs constringimini, & cædes sititis, & alia multa lege interdicta concupiscendo facitis: manifestè declaratis uos ignorare illum. Nam si cognouissetis, seruaretis utiq; sermonem eius, hoc est, mandata. Quidam autē sic intelligunt, seruo sermonem eius, hoc est, propterea scio eum, quia habeo in meipso sermonem essentiæ eius in nullo diminutū, hoc est, definitionē: & eadem natura sermonem quem pater habet, hunc ego sermonē in nullo minorē & ipse habeo. Nam eadem est natura & idem sermo substantiæ patri & filio, & ita scio patrem. Nam & sermonē eius substantiæ conseruo in nullo minorem. Est autē hæc figura cōsueta in scriptura, ut cum dicitur, Da nobis auxiliū de tribulatione, & uana salus hominis. Hoc loco enim coniunctio Et, pro enim ponitur: ut quod dicitur, hūe habeat sensum: Da nobis auxilium, uana enim salus hominis Sic etiam hoc loco, Scio illum, & sermonē eius seruo: coniunctio &, pro enim ponitur. Sermonem enim eius, inquit, seruo.

Exod. 20. Deut. 5. Psal. 59. Et pro enim.

Abraham pater uester exultauit ut uideret diem meū: & uidit, atq; gauisus est. Dixerunt ergo Iudęi ad eum, Quinquaginta annos nōdum habes, & Abraham uidisti? Dixit eis Iesus, Amen amen dico uobis, anteqū Abrahā fieret, ego sum. Tollebant ergo lapides, ut iacerent in eum. Iesus autē abscōdit se, & exiuit è templo, transiens per medium ipsorum, & pręterijt sic.] Hoc loco docet q̄ maior sit Abrahamo. quia enim illi dicebant ei, Num tu es maior patre nostro Abraham? dicit hoc loco, Etiam maior

Universidad de Deusto
Biblioteca

sum. Etenim ille exultauit ut uideret diem meũ, hoc est, desideratũ & optatũ habuit illum, & gaudij autorẽ scilicet, eo q̃ in beneficiũ cederet, & nõ parui alicuius neq; uulgaris esset dies, sed magni. Diem autẽ dicit crucẽ. Nam prefigurabat illum Abraham in oblatione Isaac, & arietis sacrificio. Sicut enim illic Isaac ligna, ita Dñs crucẽ portauit: & sicut relictus quidem est Isaac, immolatus autẽ aries, ita & Deus quidẽ alienus est à passione, in humana autẽ natura & carne passus est. Hunc diem crucis cum prænuidisset Abrahã, gauisus est, eo q̃ futurus esset in salutẽ mũdi. Insuper hoc loco ostendit eos alienos esse ab Abrahã. Siquidẽ de quibus ille gaudebat, hi insaniebant. Significat autẽ q̃ nõ inuitus passionẽ aggrediatur: siquidem laudat eum qui exultauit propter crucem. Nam inde (ut dictum est) salus orbis. Alij autẽ intelligunt per diem omne tempus aduentus Christi, q̃d cum Abraham præuidisset, gauisus est, q̃ ex ipso & semine eius surrecturus esset saluator. & fortassis nõ solus Abrahã gauisus est, sed & omnes, sicut Dauid dicit, Hæc est dies quã fecit Dñs, exultemus & lætemur in ea. Et ipse quidem hæc dixit: at illi nõ poterant pertingere ad sublimitatẽ dictorũ, neq; dignabant interrogare uel discere quis esset dies ille quẽ uidisset Abraham: imò irridẽt eum ut insana quædam loquentẽ. Quinquaginta enim, inquiunt, annos nondũ habes, & Abrahã uidisti? Hoc autẽ dicebant existimantes Dominũ fermè quinquaginta annorũ esse: tametsi tunc triginta & tres tantũ annos haberet. Quare autem nõ dixerunt, quadraginta annos nõdum habes, sed, quinquaginta? Curiosior sanè hæc interrogatio. Nam simpliciter sic incidit eis, ut memores essent quinquaginta annorũ. Veruntamen dicũt quidam, quinquagesimũ eis annũ ad honorẽ anni iubilei dicũ, quo & seruos liberos dimittebãt, & possessiones emptæ reddebant, & omnia alia perficiebantur quæ ad honorẽ Dei cõstituta. At Dñs dicit, Anteq; Abraham fieret, ego sum. Vide, nõ dicit, anteq; Abrahã fieret, ego eram: sed, sum. Istud enim uerbũ sum, Deo propriè conuenit, eo q̃ perpetuus sit & sempiternus, id q̃d hoc uerbũ significat. Itaq; sicut & pater eius in ueteri lege hoc uerbo utit, Ego sum qui sum: de Abrahã uerò dixit, fieret meritò, tanq̃ de corruptibili. Nam qui factus est, & corrumpit. Verbũ autẽ sum, diuinã & ab omni corruptiõe alienã sempiternitatẽ significat. quapropter & Iudæi existimãtes hoc blasphemũ uerbũ (soli enim Deo cõuenit) tulerunt lapides contra eum. At ipse iterũ delitescit, se humilians, ne ante tempus moriat. Quomodo autẽ se occultat? Non in angulũ templi se coniecit, neq; in domunculã quandã fugit, neq; post parietẽ uel columnã se incuruauit, sed sua magna potestate inuisibilem se fecit insidiatoribus, q̃uis per mediũ illorũ exiret. Et præteriuit sic, hoc est, transiuit simpliciter sic & absq; labore. Vide autẽ quomodo ipse quidẽ omnia quę debebat, implenit. Nam ipse quidem satis eos docuit & de se, & de patre, & monstrauit eis nobilitatem & libertatẽ ueram, quæ à peccatis libera est, & q̃ sola seruitus peccati fœda: & in summa, nihil eorum quæ oportebat, reliquit: illi autẽ lapidant eum. Ideo relinquit illos, quia non ultrà correctionẽ recipiebant. Annota autem q̃ lapidantes illum, hi erant de quibus dixit Euangelista q̃ crediderint in eum. Nam sic fides illorũ non erat fides, sed temporaria quædam & frigida affectio in his quæ à Christo dicebantur.

Gen. 22. Quẽ Abraham, Isaac offerẽs, præfigurarit.

Psal. 117

Annus iubileus. Leuit. 25 Num. 36

Sum, uerbũ cui conueniat, et quid significet. Exod. 3.

A

B

CAPVT IX.

ET præteriens Iesus uidit hominẽ cæcũ à natiuitate, & interrogauerũt eum discipuli eius dicentes, Rabbi, quis peccauit, hic, an parentes eius, ut cęcus nasceret? Exiuit quidem de templo Dominus, ut furor Iudæorũ mitigaretur: ad sanandum autem cæcum cõuertitur, etiam per hoc signũ duritiam & impersuasibilitatẽ eorũ frangere conans, tametsi nihil illis prodesset. Insuper & ostendit eis quòd non sine causa neq; arroganter dixerit, Priusquã Abraham fieret, ego sum. Ecce enim miraculũ facit, quale nullus unq̃ prius. Nam etsi quis aperuerit oculos cæci, nõ tamen cæci nati. Manifestum igitur quòd Deus sit, & ante Abraham, qui fecit hoc q̃d à seculo nonfactum est. Dedita autem opera ad cæcum uenit, non ille ad ipsum. Proinde & discipuli cùm uidissent eum tam intentè spectantẽ cæcum, interrogãt, quis peccauit, hic, uel parentes eius, ut cæcus nasceretur? Nam apparet quidẽ interrogatio frigidior. Quomodo enim peccasset priusquã nasceretur? Neq; enim apostoli gentiles nugas receperunt, quod anima ante corpus in alio mũdo uersans peccet, ac deinde pœnã quandam recipiat in corpus descendens. Piscatores enim cum essent, neq; audiuerant talequid

A le quiddam, quia hæc philosophorū dogmata erant. Videtur igitur insipiēs quæstio, sed ei qui nō attendit. Disce enim q̄d apostoli dicēte Christo ad paralyticum, Ecce sanus factus es, non ultrà pecces, ut ne deterius quiddam tibi fiat: ubi cæcum uiderunt, dubitabant, & quasi talia dicūt, Esto ille propter peccata paralyticus fuerit: de hoc uerò quid dixeris? nunquid ipse peccauit? Sed hoc dicere nō potes, nam à natiuitate cæcus est. Num parentes eius? Sed neq; hoc. nō enim filius pro patre punitur. Igitur nō tam interrogant, q̄m dubitando hęc dicunt. At Dominus soluens dubium illorū, dicit, Neq; hic peccauit (nam quomodo peccasset priusq; nasceretur?) neq; parentes eius. Non dicit autē hoc quòd liberauerit eos à peccatis. Non enim simpliciter dixit q̄ nō peccauerint parentes, sed addidit, ut cæcus nasceretur, nam peccauerant quidem parentes eius, sed nō inde huic cæcitas. Neq; enim iustum est propter parentum pecca ta affligi filios qui nō iniustè agunt: & hoc Deus docet per Ezechielem, dicens, Non erit amplius hæc parabola, qua dicitur, Patres comederūt uuam acerbam, & dentes filiorum obstupescunt. Legē item ponit & per Mosen, Nō morieī pater pro filio. Sed dixerit quis, Quomodo scriptū q̄ reddat peccata patrū in filios in tertiam & quartam generationē? Dicendū igit q̄ primū quidē nō sit generalis hæc sententia, neq; cōtra omnes dicta, sed solū cōtra eos qui egressi sunt de Aegypto. Insuper attēde mentē sententiæ. Non em̄ hoc dixit, q̄ pro peccatis patrū puniant filij, sed q̄ peccata patrū, hoc est pœnæ pro peccatis, irrogandæ sint etiā filijs ipsorū, utpote his qui similia deliquerint. Nam ut ne putent hi qui ex Aegypto egressi sunt, q̄ q̄uis grauius peccauerint q̄m parentes, nō ijsdem supplicijs puniant, inquit, Non sic erit, sed peccata patrū, hoc est pœnæ, etiā ad uos perueniēt, quia nō facti estis meliores, sed eadē ac deteriora peccastis. Quod autē sæpe uides pueros mori, idq; propter parentū pœnā, scias q̄ Deus propter misericordiā præripiat illorū uitam, ut ne cū superuixerint, deteriores parentibus fiant, & in malum suarum animarū & aliorū multorū uiuāt. Veruntamen hæc, B abyssus diuinorum iudiciorum apud se continet. Nos ad sequentia pergamus.

Ioan. 5.

Ezech. 18.

Exod. 20.

Dum parētum fuerint filij peccatorum sectatores, ipsorū ferunt plerūq; pœnas

Respondit Iesus, Neq; hic peccauit, neq; parentes eius, sed ut manifestent opera Dei in illo. Oportet me operari opera eius qui misit me, donec dies est. Venit nox, quando nemo potest operari. Quandiu fuero in mundo, lux sum mundi.] Ecce iterū alia dubitatio. Quęret enim quispiā quomodo hoc dictū sit. Iniuria enim affectus est homo priuatus lumine, ut manifestent opera Dei? Non potuerūt illa aliter manifestari? Quali iniustitia affectus est? luce, inquit, priuatus est. Et quale damnū ex eo q̄ sensibili luce priuatus, oculis animæ illuminatus est? & ita cæcitas in bonū ei cessit per sanationē cognoscenti uerū iustitię solem. nō igitur iniustitia affectus est, sed beneficiū accepit cęcus natus. Insuper & hoc scias quisquis diuina scrutaris, q̄ uerbū ἵνα & ὅπως, hoc est apud nos, ut sæpe in scriptura ponunt nō ut causam, sed ut euentū designent: sicut & apud Dauid, Vt iustificeris in sermonibus tuis. Non enim peccauit Dauid ut iustificet Deus: sed quia ex opere peccantis Dauid cōtigit iustificari Deū. Nam cum Deus quidē tanta illi dedisset, quāta accipere dignus nō erat, ipse autē mandatū Dei transgressus esset, & cædem cum adulterio cōmisisset, & regno in contemptum Dei abusus esset, quid aliud ex facinore accidebat, quàm omnino ut Deus qui iudicabat & disceptabat cum Dauid, iustificaret, & uictor appareret condemnato rege? Quia à quo regnum acceperat, illius leges refecit propter illud ipsum, q̄ rex erat. Nam si priuatus fuisset, nō duo illa mala facilè simul cōmittere potuisset. Vides quomodo hic, ut iustificeris, nō causam, sed euentū dicat: & innumera talia etiā apud Apostolū inuenies. ut quod est in epistola ad Romanos. Quod enim notum est Dei, manifestum est in gentibus ad hoc, ut sint inexcusabiles: quanuis non ideo Deus gentibus dederit scientiam, ut inexcusabiles peccent. Nam ipse quidem dedit ut nō peccent: deinde quia peccauerunt, ex facinore cognitio cessit eis in hoc, ut sint inexcusabiles. Et iterum, Lex subintrauit ut abundaret condemnatio. Atqui non propter hoc data est lex, sed ut magis comprimeretur peccatū. Quia autē non uoluerunt illud reprimere hi qui legem susceperant, facta est eis lex in abundantiam peccati. amplius enim & magis imputatū est eis peccatū, q̄ & legem habentes peccauerint. Sic igitur & hoc loco, Vt appareant opera Dei in illo: non causa, sed euentus designatur. Ex hoc enim quòd sanatus est cæcus, euenit glorificari Deum. Nam sicut sæpe architectus domū

ἵνα & ὅπως, hoc est apud nos ut, quid in scriptura pōsitæ designent.

2. Reg. 11.

Rom. 1.

Rom. 5.

Cōparatio.

partim quidē elaborat, partim imperfectā relinquit: ut si quis fortè ei nō credat q̄ ipse A
sit ille qui partē extruxerit, possit per hoc quod conditū est, & imperfectum, ostendi
quòd ipse extructi opifex sit: ita & Deus noster Iesus excæcata membra sanans, & in
suam naturā cōstituens, ostendit q̄ ipse sit qui & alia mēbra condidit. Dicens autē, ut
manifestetur gloria Dei, de seipso dicit, nō de patre. Nam illius gloria manifesta erat,
suam autē oportebat manifestare, q̄ ipse erat ille qui ab initio fecerat hominē. & pla-
nè nō parua erat gloria ut manifestaret q̄ ipse qui nunc apparuit homo, sicut Deus in
principio condiderit hominē. Quod autem de seipso hoc dicat, audi sequentia. subdit enim, Oportet me operari opera eius qui misit me. Oportet me, inquit, manifesta
re meipsum, & facere opera quæ possunt me ostendere facere eadem quæ pater. Vi-
de autē quomodo nō dixerit quòd talia opera quę faciat pater, oportet & me operari,
sed illa ipsa quæ facit pater. Nam oportet me, inquit, operari opera illa. Opera illa ip-
sa, quæ is qui misit mē, facit. Hæc autē oportet me operari quandiu dies est, hoc est,
quandiu præsens uita agitur, ut homines possint in me credere: quia uētura est nox,
in qua nullus poterit operari, hoc est credere. Opus enim fidem nominat. Itaq̄ in fu
turo seculo nullus potest credere. Nam dies quidem præsens uita est, eo q̄ possumus
Ephes. 5. nunc sicut in die operari: q̄uis & Paulus hanc noctē nominet, eo q̄ in ea ignoretur
quis uirtutē uel peccatū operetur, & q̄ ad comparationē futuræ lucis minus circūfulgeat iustos. Nox aūt est futurū seculū, eo q̄ nullus illic poterit operari: q̄uis & Paulus
hoc diē uocet, eo q̄ tūc ut in luce refulgebunt iusti, & apparebunt uniuscuiusq̄ facta.
Fides in futuro seculo non erit. Itaq̄ in futuro seculo fides nō erit, sed & uoluntarij & inuoluntarij obediēt. Quādiu
igit in mūdo ero, lux sum mūdi: per doctrinā em & miraculorū ostentationē illustro
animas, atq̄ ita oportet me multorū animas illuminare, p hoc q̄ sano cęcū, & pupillas
oculorū eius illustro. Nā qa lux sum, oportet me & sensibiliter et spūaliter illuminare.

Hoc cum dixisset, expuit in terram, & fecit lutum ex sputo, & illeuit lutum super
oculos cæci, & dixit ei, Vade, laua in piscina Siloæ, quod si interpretereris, sonat mis- B
sus. Abijt ergo, & lauit, & uenit uidens.] Dicens, inquit, hæc Iesus, nō his uerbis con-
tentus est, sed & opus addidit. Expuit enim in terrā, & lutum fecit, inunxitq̄ oculos
Genes. 2. cæci: ostendens per lutum q̄ ipse sit qui & Adam de luto formauerit. Dicendo enim,
Ego sum qui Adam formaui, arrogantius uisum fuisset audientibus: quod per opus
monstratū nō ita offendit: propterea & de luto oculos illi format more opificij quo &
Adam formatus est. Non formauit autē tantū oculos, neq̄ aperuit tantū, sed & uide-
re concessit: unde signum est q̄ & Adæ animam inspirauerit. Nam cum illa non ope
ratur: etiamsi oculus sit, nō uidet. Porrò sputo inungit oculos, quia missurus erat eum
ad Siloam, ut ne aquæ fontis ascribatur miraculum: sed discamus q̄ uirtus egressa ex
ore eius, ipsa formauerit & aperuerit oculos eius: propterea expuit in terrā, & ex ore
Cur ad Siloam cæcus missus. fecit lutū. Deinde ut ne putes quòd terræ fuerit miraculū, iubet ut omne deponat lu-
tum. Quidā autē dicūt quòd & lutum nō sit depositū, sed formatū in oculum. Cæterū
iubet eum ad Siloam ire, partim ut discamus cæci fidem, & quàm obediēs fuerit. Nō
enim cogitauit, *cum lutum & sputum adhibitū oculis, quid opus mihi Siloa? quid ut
lauer? sed obtemperauit præcipienti. Insuper ut & confundat Iudæorum ingratitudi-
nem. Verisimile em erat multos illū luto super oculos unctū uidisse, & eum diligen-
ter obseruasse, & ita non potuisse postea dicere, Hic est, hic non est. Et tertiò ostendēs
se non esse iniquum legi ueteri, mittit ad Siloam. Propterea & Euangelista interpre-
tationē Siloæ ponit, ut discas q̄ & illic Christus eum sanarit, & quòd Siloa figura sit
Christi. Sicut enim spiritualis petra est Christus, ita & spiritualis est Siloa. Et sicut ter
rens ille Siloæ repentinus, & uehementior apparebat terribili quodam fluxu, ita &
aduentus Domini occultus, & angelis incognitus, omne peccatum uirtute diluit.

* si omnino lutū est & sputum quod mihi largitur oculos.

Itaq̄ uicini, & qui uiderāt eū prius q̄ mēdicus esset, dicebāt, Nonne hic est qui se-
debat & q̄ mēdicabat? Alij dicebāt, Hic est. Alij rursus, Similis est ei. Ille dicebat, Ego
sum. Dicebant ergo ei, Quomodo aperti sunt tibi oculi? Respondit ille, & dixit: Ille
homo q̄ dicit Iesus, lutū fecit, & inunxit oculos meos, & dixit mihi, Vade ad piscinā
Siloæ: & laua. Vt aūt abij & lauí, uisum recepi.) Perculsi admirabili miraculo uicini,
increduli erant: & quamuis abitio ad Siloam oculis eius luto inunctis ad hoc erat, ut
multi eum uiderent, & non postea negarent, quasi nescientes unde, attamen adhuc

increduli

A incredulí ſunt. Non temerè autẽ hoc adnotauit Euãgeliſta, q̃ mendícus fuerit, ſed ut oſtendat ineffabilem Dñí miſericordiã, quæ ſe ad infimos uſq; demittat, ita ut & mendícũ ſumma diligentia curaret, & ut inde etiã ipſi diſceremus ne cõtemnamus minimos. Cæcus autẽ neq; priorẽ erubeſcens cæcitatẽ, neq; populũ timens, confitet. Ego ſum, prædicans beneſactorẽ: & dicit, Homo quidam qui dicit Ieſus. Hominẽ Dñm uocat, eo q̃ de illo nihil unq̃ magni cognouerat, fatetur autẽ quantũ tunc cognouit. Vnde autẽ cognouit illum q̃ Ieſus eſſet? ex colloquio ad diſcipulos. Nam qa diſcipuli quidã eum interrogauerãt de illo, & ipſe multa loqueretur eis, nempe, Oportet me operarí opera eius qui miſit me, &, Lux ſum mundi: talia autẽ nullus alius docebat, niſi ſolus Ieſus, & illis uerbis crebrò uſus eſt: inde agnouit eum cæcus q̃ Ieſus eſſet. Nam facientẽ lutum, & inungentẽ oculos, ex contactu agnouit, ſpuentem nõ item. Non enim ſciebat, & propterea q̃ neſciebat, non addidit, adeò erat homo uerax.

Dixerũt ergo ei, Vbi eſt ille? Ait, Neſcio. Adducũt ad phariſæos eum qui dudum cæcus fuerat. Erat autẽ ſabbatũ cum lutũ faceret Ieſus, & aperiret oculos eius. Iterum ergo interrogabãt eum & phariſæi quomodo uiſum recepiſſet. Ille autẽ dixit eis, Lutum mihi impoſuit ſuper oculos, & laui, & uideo. Dicebant ergo ex phariſæis quidã, Non eſt hic homo à Deo, quia ſabbatũ nõ obſeruat. Alij autem dicebant, Quomodo poteſt homo peccator hæc ſigna edere? Et diſſenſio erat inter eos.] Quoniã Dominus ſanãs & miraculũ faciens, cõſueuerat, eo q̃ alienus eſſet ab oſtentatione, ſecedere: interrogatus cæcus, Vbi eſt ille? dicit, Neſcio: uerũ omnino loquẽs & in hoc. Ducunt autẽ illum ad phariſæos, ut diligentius & exactius interrogaret. Porrò Euangeliſta aſsignauit ſabbatũ eſſe, ut oſtendatur malitia illorum, q̃ contra Chriſtum apprehenderint occaſionẽ & arguerint illũ propter uiolationẽ ſabbati, & ita tentarint adumbrare miraculũ. propterea neq; interrogant illũ quomodo uiderit, ſed quomodo oculos eius aperuerit, per omnia calumniantes Dominũ, quòd in ſabbato operatus fuerit, cogentes illum cæcum cõmemorare quòd lutũ fecerit, in ſabbato ſcilicet. Ipſe
B autẽ, ſicut ad eos qui audierant iam loquẽs, neq; nominis Ieſu memor eſt, neq; quid ad ipſum Dominus dixerit, ſed ſolùm, lutum impoſuit ſuper oculos meos, & laui, & uideo. Veriſimile enim fuit q̃ audiuerint phariſæi ab ijs qui adducebant ipſum ad illos, q̃ fortè accuſauerint Ieſum, & dixerint, Ecce qualia facit in ſabbato Ieſus. Operæ precium autẽ eſt uidere cæci in dicendo libertatem, ut & phariſæos impauidè alloquitur. Nam illi quidem cogebant eum, ut metu perculſus negaret ſanationẽ. At ille clarius exclamat, Video. Dicebãt igitur quidã ex phariſæis, nõ omnes, ſed impudentiores, Hic homo nõ eſt ex Deo. Alij autẽ dicebãt, Quomodo poteſt homo peccator talia facere? Vides multos à ſignis mulceri? Ecce & hí phariſæi & principes erant, attamen à ſigno placantur, & defenſionẽ ſuſcipiũt. Et diſſenſio erat in eis. Hæc diſſenſio prius orta fuit in turba. nam alij quidem dicebãt, ſeducit turbã, alij autẽ nõ. Nunc autẽ & in principibus oritur, & multi ex phariſæis diuiſi ab alijs ſunt, & patrocinantur miraculo. Veruntamen q̃uis diuiſi fuerint, negligentius tamen inſtant pro Chriſto, & dubitando, & duplici animo magis q̃ firmiter. Audi enim quid dicant, Quomodo poteſt homo peccator talia facere? Vides q̃ leuiter urgeant? Vide autẽ et malitiam eorum qui criminant. Non enim dicunt, Hic nõ eſt ex Deo, quia in ſabbato ſanat: ſed, quia ſabbatum nõ ſeruat: ſurſum deorſumq; nõ beneficiũ, ſed diei uiolationem pronunciantes. Annota autem & hoc, quomodo príncipes ſegniores quàm turba ſint in bono. Nam turba quidem prius diuiſa erat ſentẽtijs, & non omnes dura loquebantur contra Chriſtum: Príncipes autem poſterius in hanc laudabilem diſſen- *Matth. 10.*
ſionẽ uenerũt Contingit enim etiã bene diſſentire, ſicut & Dominus dicit, Gladium ueni mittere ſuper terram, quo ſententiæ omnino ob bonũ & pietatem diuiduntur.

Dicunt cæco iterum, Tu quid dicis de illo qui aperuit tibí oculos tuos? Ille autem dixit, Prophera eſt. Non crediderunt ergo Iudæi de illo q̃ cęcus fuiſſet, & uiſum recepiſſet, donec uocauerunt parentes eius qui uiſum receperat, & interrogauerũt eos, dicentes, Hic eſt filius ueſter, quem uos dicitis cæcum natum eſſe? & quomodo ergo nunc uidet? Qui fuerũt interrogantes cæcum, Tu quid dicis de illo? Erant planè ex beneuolorũ ſorte. Nam poſtquã dixerunt, quomodo poteſt peccator talia ſigna facere? ut ne uideanť ipſi fruſtra patrocinarí, eum qui beneficiũ acceperat, in teſtẽ addu-

cunt: ut per eum qui uirtutem senserat, confutarent calumniatores. Vide enim quo- A
modo benè uolè interrogant. Non enim dixerunt, Tu quid dicis de illo, quia tutũ fecit, quia sabbatũ nõ seruauit? sed miraculi mentionẽ faciũt, quia aperuit oculos tuos: quasi exacuentes curatum ut pro Christo quæ digna erãt, diceret. In memoriã enim ei reducunt: Quia aperuit oculos tuos, beneficio te prosecutus est, dicũt: & ita debes illum prædicare. Ideo & cæcus confitetur tunc id quod potuit, q̃ nõ sit peccator, sed ex Deo. Propheta enim est, dicit. q̃uis alij dicerent quòd nõ esset ex Deo, eo q̃ sabbatum nõ seruaret: tametsi Christus uno digito, lutum inurgens sabbatum soluere uidebatur: ipsi autẽ tota manu † soluentes, in sabbato mactantes animalia in usum, uidebantur pij esse. Vocant igitur duri & impersuasibiles parentes eius, uolentes illos perplexos reddere, & ita negare cæcitatem filij. Nam quia illius gratum os obstruere non poterant, parentes eius ambiguos reddunt: quos statuunt in medio, & cum multo furore interrogant, imò cum multa malitia. Non enim dixerunt, Hic est filius uester, qui dudum cæcus, sed, quem uos dicitis: quasi dicentes, quem uos cæcum fecistis, ubiq; sermonem illum seminantes, fingentes & mentientes. Verùm ô sceleste pharisæi, quis pater talia contra filium suum mentiretur? Duobus autem illos angustis locis urgent, & cogũt negare filium, dicendo, quem uos dicebatis, &, quomodo igitur nunc uidet? Vides enim quòd signum hoc, quòd postea ille uiderit, ita nanãt, quasi prius eum cęcum fuisse mentiti illi essent. Nam mendacium est, aiunt, uel illud quod ipse nunc uidet, uel illud quod cæcus esset. sed illud ueritas, uidet enim, mendacium igitur quòd uos prædicastis cæcum illum fuisse prius.

† soluentes in sabbato animalia ut potũ dent, *Sabbatũ tota manu soluẽtes Iudæi, reprehẽdũt Christum.*

Respondertũt autẽ eis parentes eius, & dixerunt, Scimus quòd hic est filius noster, & cæcus natus est: quomodo autẽ nũc uideat, nescimus: aut quis eius oculos aperuerit, nos nescimus: ipse ætatẽ habet, ipsum interrogate, ipse de se loquetur. Hæc dixerunt parentes eius, q̃ timerẽt Iudęos. Iam enim conspirauerant Iudæi, ut si quis eum confiterẽ esse Christũ, è synagoga eiiceretur. Propterea parẽtes eius dixerũt, Aetatẽ habet, ipsum interrogate.] Tres interrogationes obtulerant pharisæi parentib. cæci, B
num filius eorũ esset, num cæcus natus esset, & quomodo uisum recepisset. Et illi quidem duo fatentur, q̃ filius eorũ, & q̃ cæcus fuerit, modum autẽ sanationis ignorent: & hoc omnino ut confessio ueritatis firmior fieret, & ita ipse qui beneficiũ sensit, & fide dignior erat, testaretur illa, sicut & parentes eius dicũt, ipse ætatẽ habet. Nunquid infans est, uel stupidus, ut nõ intellexerit quomodo sanatus sit? Hæc autem dixerunt parentes eius, timentes pharisæos. ita adhuc erant inexercitati, & ignobiliores filio. Nam ille ueritatis mansit imperculsus testis, ita & illustrati erant mentales oculi.

Vocauerunt ergo rursum hominẽ qui fuerat cæcus, & dixerũt ei, Da gloriã Deo. Nos scimus q̃ hic homo peccator est. Respondit ergo ille, & dixit, An peccator sit, nescio: unum scio, q̃ cæcus cum essem, nunc uideam. Dixerũt ergo illi iterum, Quid fecit tibi? quomodo aperuit tibi oculos? Respondit eis, Dixi uobis iam, nec audistis, cur iterũ uultis audire? Num etiã uos uultis discipuli eius fieri? Conuiciati sunt ergo ei, & dixerunt, Tu discipulus illius esto, nos autẽ Mosi discipuli sumus. Nos scimus q̃ Mosi locutus est Deus, hunc autẽ nescimus unde sit.] Postq̃ parentes incitarant ut filius suus interrogaretur, hoc faciũt importuni, & adducunt illum nõ ut interrogent, sed ut calumniandi medicũ materia suppediteť. Da enim gloriã Deo, hoc significat, confitere q̃ Iesus nihil operatus sit in te. Gloriã enim esse Dei putãt, de Iesu nihil bonum attestari. Nos enim scimus, inquiunt, q̃ sit peccator. Quomodo igitur non arguistis eum quãdo prouocauit uos, dicens, Quis ex uobis arguet me de peccato? At cæcus inquit, Si quidẽ peccator est, nescio, hoc est, nõ nunc ex animo hoc, neq; affirmo: illud quidem manifestè scio, q̃ miraculũ in me perfecit: res ipsa nũc per seipsam considerẽtur, & sententiam de se ferat. Deinde quia sæpe interrogantes illũ, quid fecit tibi, propter unctionẽ luti quę facta erat in sabbato, insidiabantur saluatori: sensit homo nõ ad discendũ, sed ad insidiandũ, interrogationem proposuisse, austerius eis respondit: Neq; enim sermone ultrà uos dignor. Nam quoties uobis dixi, & nõ attendistis? Deinde quod maximè illos cruciabat, subdit, Num & uos uultis discipuli eius fieri? Declarat autẽ quòd ipse quidem discipulus eius esse uelit. Cæterũ incessens eos placidè hæc dicit, quod sanè fuit animæ liberæ & intrepidæ, & nõ curantis insaniam illorum.

Ioan. 8.

A illorũ. Ad cuius cõuicium illi, Tu discipulus illius sis, nos autẽ Mosi discipuli sumus. uidentur autẽ & in hoc mendaces. nam si fuissent discipuli Mosis, & Christi fuissent discipuli, sicut & ipse dicebat eis, Si crederetis Mosi, crederetis utiq; mihi. Non dixe- *Ioan. 5.*
runt autem, nos audiuimus: sed, nos scimus q̃ Mosi locutus sit Deus. quãuis à paren tibus suis audissent, exactam se habere scientiam dicebant de ijs quæ per auditũ rece perant. Eum autem quem oculis uiderant miracula facientẽ, & quem audierant su- perna loquentem, impostorem uocabant. Vides insipientiam à malitia profectam.

Respondit ille homo, & dixit eis, In hoc enim mirabile quoddã est, q̃ uos nescia- tis unde sit, & tamen aperuit oculos meos. Scimus autẽ q̃ peccatorem Deus non au- dit, sed si quis Dei cultor est, & uolũtati eius obtemperat, hunc audit. A seculo nõ est auditum q̃ quis aperuerit oculos cæci nati. Nisi esset hic à Deo, non potuisset facere quicquam.] Vos, inquit, ô Iudæi, reiecistis eum qui me sanauit, quasi nescientes eum unde sit: ego autem dico q̃ propter hoc magis est mirabilis, quia homo nõ est ex no- bilibus apud uos, neq; ex honore præditis, qui talia potest. Et ita undiq; manifestũ est quòd sit maioris cuiusdam potentiæ, neque humano indigeat auxilio. Insuper quia prius dixerãt quidam ex eis, quomodo potest homo peccator signa facere talia? iam & illorum assumit iudicium, in memoriã eis ipsorum uerba reducens. Scimus enim (inquit) oẽs, quòd Deus peccatores nõ audit, sed si quis Dei cultor fuerit, & uolun tatem eius fecerit, hunc audit. Considera hoc loco quomodo nõ solum Dominũ alie- *Quos Deus exaudiat, quos non.*
num faciat à peccatis, sed & ostendat eum ualde placere Deo, & facientẽ omnia quę ad illum pertineant, dicendo: sed si quis Dei cultor fuerit, & uoluntatem eius fecerit. Insuper quia cognoscebat eos adumbrare uelle miraculũ, ipse prudentia plenus, be- neficentiam prædicat. Nisi enim hic à Deo fuisset, non fecisset tale miraculum, qua- le nullus à seculo. Nam aperti fuerunt fortasis cæcorum oculi, sed illi non fuerunt à natiuitate cæci, sed alio quodam euentu: hoc autẽ rarum, quod nunc factum est. Ma nifestum igitur quòd maior quàm homines sunt, talis est, qui miraculũ fecit. Sed quæ
B runt quidam frigidam & sophisticam quæstionẽ, quomodo dixerit quòd peccatores Deus nõ audiat, cum audiat eos precantes ut remittantur peccata? Nam misericors est. Quid igitur est (dicunt) quod hoc loco dicit, peccatores non audit? Oportebat au- *Quid significet q̃ Deus peccatores non audit. Sapien. 1.*
tem ad talia ne respondere quidem, respondendum tamen. Quòd Deus peccatores non audit, hoc significat, quòd Deus non concedit peccatoribus signorum operatio nem. Non enim habitat spiritus Dei in corpore subdito peccatis. Audit igitur peten tes remissionẽ peccatorũ uerè & ex corde, nõ ut peccatores, sed ut pœnitẽtes. Nam simulatq; petiuerint remissionẽ, transferuntur ab ordine peccatorũ in ordinem pœ- nitentium. Verisimiliter igitur dictum est quòd Deus peccatores nõ audiat. Neq; e- nim peccatorib. dat gratiã signotũ. Quomodo enim audiret quos hodie habet, etiãsi petiuerint aliquando de re quapiã istiusmodi, tanq; ea sibi quæ minimè conueniunt attribuentes. Et q̃uis audiat petentes remissionẽ, nõ tamen ut peccatores, sed ut pœ- nitentes audit. Considera autẽ quomodo dixerit, q̃ si quis Dei cultor fuerit, mox ap- posuerit, & uoluntatẽ eius fecerit, multi enim cultores quidem sunt, uoluntatẽ autem Dei nõ faciunt. Oportet autem utraq; adesse, Dei cultum, & uoluntatis diuinæ adim- *Fides & opera in Dei cultu exqui runtur. 1. Tim. 1.*
pletionem, hoc est, fidem & opera: uel (ut Paulus nominat) fidem, & bonã conscien- tiam: uel breuius dicendo, theoriam & praxin. Tunc enim reuera uiuit fides, quãdo opera habet Deo placentia, è quibus bona cõscientia nascitur, sicut à malis operibus mala conscientia, & rursus opera tunc uiuunt, quando fidem habuerint, separata au- tem abinuicem mortua sunt, sicut quando est fides sine operibus, mortua est, & ope- ra sine fide mortua sunt. Vide autẽ quomodo ueritas mendico nullius momenti con- *Opera & fides mutuatim sese uiuificant. Iacob. 2.*
ferat libertatẽ dicendi, & redarguendi eos qui apud Iudæos magni & honorati. Ita magna eius uirtus, sicut & mendaciũ libertatis carẽtia & humiliatus sermo sequitur.

Responderũt & dixerunt ei, In peccatis natus es totus, & tu doces nos? Et eiecerũt eum foràs. Audiuit Iesus quòd eiecissent eũ foràs: cumq; inuenisset eum, dixit ei, Tu credis in filiũ Dei? Respondit ille & dixit, Quis est Domine, ut credam in eum? Et di xit ei Iesus, Et uidisti eum, & qui loquitur tecum, ipse est. At ille ait, Credo Dñe, & a- dorauit eum.] Quãdiu sperabant ab homine q̃ eis grata loqueret, aduocabant eum, & interrogabant, idq; sæpe. Vbi autẽ agnouerunt eum ex responsis non sapere quæ

illorũ, sed fauere ueritati: contemnunt quidem illũ, utpote in peccatis natũ, insipien A
ter omnino cæcitatẽ ei obijcientes, & existimãtes quòd quasi maledictus, & ante na
tiuitatẽ cõdemnatus esset ut cæcus nasceretur: id quod ratione carebat. Eijciunt autẽ
illum extra templum, ut confessorẽ ueritatis, filij mendacij. Sed uide lucrũ. Electus
est ex templo, & statim inuenit eum Dominus templi. Contemptus fuit opinione il
lorum propter Christum, & honoratus est agnitione filij Dei. Inuenit enim illum, in-
quit, Iesus, quodãmodo dedita opera ad hoc ueniens, ut illum consolaretur quasi ago-
notheres athletam qui multũ laborauerat, & coronatũ suscipiens. Et quid dicit: Cre-
dis in filium Dei? Quid post tantam contradictionẽ cum Iudæis, post tanta uerbaro
gat, num credis? Non ignorans hoc facit, sed uolens cæco seipsum notũ facere. Quia
enim prorsus eum nõ uiderat, ne post sanationẽ quidem (& quomodo potuisset, qui
à pessimis canibus Iudęis huc & illuc trahebatur?) eius gratia nunc illũ interrogatur
si ille interroget quisnam sit filius Dei, cõsequenter se ostendat. Insuper & indicat ei
quòd fidem illius ualde colat, quasi in hunc modum dicens, Contumelia te afficit po
pulus talis, sed nulla mihi illorũ cura. Vnius fidei rationẽ habeo. At ille, Quis est Do
mine filius Dei? Desiderantis animæ uerbum locutus est. Cæterũ ille, & uidisti, inqt,
eum, & qui loquitur tecum, ille est. Non dixit, ego sum qui te sanaui, qui dixi tibi, ua
de, lauare: sed submissè quidẽ primũ & obscurè. Et uidisti, inquit, eum: deinde & ma-
nifestius, Et qui loquitur tecum, ille est. Videtur autẽ Dominus dedita opera dicere,
uidisti eum, ut omnino in memoriam suę sanationis illum reducat, & quòd à se uirtu
tem receperit uidendi. Et ille statim credit, opusq; feruẽtis & ueræ fidei ostendit ado-
rans, confirmans sermonẽ opere, quòd ut Deum glorificet Christum. Nam soli qui-
Deut. 6. dem Deo adorationẽ impendendam lege cautũ. Intellige autem hoc miraculum
etiam spiritualiter impletum. Nam cęcus quidem erat omnis homo à natiuitate, hoc
est, ex eo tempore quo erat sub generatione cui omnino coniuncta est corruptio, à
qua mortalitati cõdemnati sumus & adiudicati, dum crescimus à natiuitate illa pas-
sionibus obnoxia. Nam ex tunc crassa quædam nebula, & pellicea fortasis tunica B
(ut dicunt sacra eloquia) effusa est super mentis nostræ oculos. Vel etiam cæcus est
gentiliũ populus. Nam & hic à natiuitate erat cęcus, eo q; excæcati, ea quæ genita &
corruptibilia, deificabant, secundũ quod obtenebratũ est insipiens cor eorum. Tales
erant Persarũ magi, uitam suam natiuitatibus & futurorũ prædictioni insumentes.
Hunc igitur cæcũ, siue simpliciter omnẽ hominẽ, siue etiam gentilem populũ, uidit
Iesus. Quia enim nõ potuit conditorem uidere, ipse per uiscera misericordiæ uisita-
Luc. 1. uit nos oriens ex alto. Quomodo autẽ uidit? præteriẽs, hoc est, nõ in cœlo exisiẽs, sed
Psal. 13. progrediens sermonib. euacuationis, & prospiciẽs è cœlis iuxta prophetiã, uidensq;
& 52 omnes filios hominũ. Et aliter, Præteriens uidit populũ gentilem, hoc est, non primũ
Matth. 15. ad illum ueniens. Venit enim ad oues quæ perierant de domo Israel. Deinde quasi
obiter in uia fecit uisitationẽ eius populi, qui omnino sedebat in tenebris omnis igno
rantiæ. Quomodo autẽ sanat cæcitatem? Cum expuisset in terram, & lutum fecisset.
Quicunq; enim crediderit q; sicut stilla distillans in terrã, uerbũ ipsum descenderit in
sanctã uirginẽ, huius ungent spirituales oculi luto facto è sputo & terra, hoc est, uni-
co Christo. qui ex deitate, cuius symbolũ stilla & sputũ: & humanitate, cuius symbolũ
est terra, ex qua Domini corpus. Num igit finis sanationis in credendo est? Neutiq;,
sed oportet & ad Siloã abire, fontẽ baptismatis, & baptizari in misso, hoc est in Chri-
Galat. 3. sto. Quotquot enim baptizati sumus spiritualiter, in Christo baptizati sumus. Verũ
Matth. 24. ubi baptizatus quis fuerit, tunc & tentationib. subiacebit. Ducet enim ad reges pro-
pter Christũ, qui sanauit illũ. Oportet igitur firmiter se gerere, & stare in confessione
cõstanter, nec propter metũ negare, sed & si opus fuerit, excõmunicatũ fieri, iuxta il
Ioan. 16. lud, Exosi eritis omnibus propter nomen meũ, & extra synagogas facient uos, etiã eji-
cient confitentẽ, homines ueritatẽ odio habentes, & persequent propter illas quę eis
sacræ & uenerabiles, diuitias dico & gloriã. Tales enim inueniet Iesus. Et tũc magis
quando ab inimicis ignominia notatus fuerit, à Christo honorabit agnitione, & cer
tiore fide. Nam tunc magis adorabit Christũ, qui apparet ut homo, est autẽ & filius
Nestorij im pietas. Dei. Non enim alius est filius Dei, & alius Mariæ (nam hæc Nestorij impietas, sed
unus & idem est Dei filius & hominis. Vide enim quomodo Dominus dicẽte cęco,

Quis

Quis est filius Dei, ut credā in eum? Et uidisti, inquit, eum, & qui loquit tecū, ille est. Quis igitur erat loquēs? Omnino ille qui ex Maria natus quidē & filius Dei, nō alius ergo & alius, unde propriè θεοτόκος sancta Maria, utpote quæ filium Dei carnem factum genuerit, indiuisibilem existentem, & unum duplicem, qui est Iesus Christus. *Maria quæ θεοτόκος dicta.*

Et dixit Iesus, In iudicium ego in hunc mundum ueni, ut qui nō uident, uideāt: & qui uident, cæci fiant. Et audierunt quidam ex pharisæis hæc qui cum ipso erant, & dixerūt ei, Num & nos cæci sumus? Dixit eis Iesus, Si cæci essetis, nō haberetis peccatum: nunc uerò dicitis, uidemus, idcirco peccatū uestrum manet.] Postq; uidit Dñs pharisæos ex miraculo magis offendi, q; utilitatē percipere, & propterea maiori condemnatione dignos, dicit, sicut uidetur & euenit, In iudiciū ego ueni, hoc est, in maiorem condemnationē & in pœnam: ut qui nō uident, uideant: & qui uident, pharisæi scilicet, cæci oculis animæ fiant. Ecce enim ille quidem à natiuitate non uidebat, & nunc uidet anima & corpore. Qui autē uident uidere, mente excæcati sunt. Duos enim uisus, & duas cæcitates hoc loco dicit. Pharisæi autem, qui semper ad sensibilia sunt intenti, existimantes eum de sensibili cæcitate loqui, num & nos, inquiunt, cæci sumus, & hanc solam corporalem erubescunt cæcitatē. At Dñs ostendere eis uolens quòd melius esset eis esse cæcos corpore, & nō incredulos, inquit, Si cæci essetis, non haberetis peccatum. Nam si per necessitatē naturæ excæcati essetis, uenia daretur uobis incredulitate laborantibus: nunc autē quia dicitis uos uidere, & planè etiā ipsi facti spectatores huius miraculi in cæco, incredulitate laboratis adhuc, non digni estis uenia. Nam peccatū uestrum indelebile manet. Et magis puniemini, eo quòd ex miraculis quæ uidetis, ad fidem non trahimini. Fortè autem quis etiam sic intellexerit, si cæci essetis, non haberetis peccatum. Nam uos quidem, inquit, de corporali cæcitate interrogatis, ego autem de animi cæcitate dico, quòd si essetis cæci, hoc est imperiti scripturarum, non haberetis tale peccatū, quia per ignorantiam peccaretis: nunc autem dicitis quòd uideatis, & prudētes uosipsos & legisperitos facitis, & ita per uosipsos condemnati estis, & maius habetis peccatum, quia scienter peccatis.

CAPVT X.

AMen amen dico uobis: qui non intrat per ostium in stabulum ouium, sed aliunde ascendit, ille fur est & latro. Qui autem intrat per ostium, pastor est ouium. Huic ostiarius aperit, & oues uocē eius audiunt. Et proprias oues uocat nominatim, & educit eas. Et cum proprias oues emiserit, ante eas uadit, & oues illum sequuntur, quia nouerunt uocem eius. Alienum autē nō sequentur, sed fugient ab eo, quia non nouerunt uocem alienorū.] Postq; illis incredulitatē obiecit, dicens, Verè cæci estis secundum animā propter incredulitatis morbum: ut ne possint dicere, non auersamur quasi cæci, sed ut seductorem te fugimus, de hoc nunc facit prolixum sermonem: & quid facit? Indicia ponit ueri pastoris, & lupi & pernicioſi, & sic seipsum ostēdit à parte bonorum esse, testimoniū ab operibus sumēs. Et prius indicia ponit pernicioſi. Ille enim, inquit, nō ingreditur per ostium, hoc est, per scripturas. Nō enim utitur scripturis testibus, neq; prophetis. Nam profectò scripturę ostium sunt per quas adducimur ad Deum, illæ lupos non permittunt intrare. Prohibent enim hæreticos, ut nos securi simus: & de omnibus rationem dant, de quibus uoluerimus. Fur igitur est qui nō per scripturas ingreditur in stabulum ouium, * & ita per illas deprehenditur: sed ascendit aliunde, hoc est, aliam sibi uiam & insolitam parat, quemadmodum Theudas & Iudas, qui cum ante Christi tempora populum seduxissent, ipsum perdiderūt & simul ipsi perierūt. Talis erit Antichristus. Nō enim ex scripturis illius testimonia. Insuper & scribas notat. Nam hi quidē mādata legis paruifaciebāt, mandata autē hominū & traditiones docebāt diligenter. Dicit, qui ascendit, id q̄d furis est, sepē transilientis, & omnia cum periculo facientis. Vidisti indicia latronis: uide & quæ sint pastoris. Pastor enim per scripturas ingreditur, & ei ostiarius aperit. Ostiarium autē uel Mosen intelligit, cui diuina eloquia concredita fuerunt. Aperit autē Moses Dño, de ipso omnino dicens, sicut & Dñs ipse dicit, Si credideretis Mosi, crederetis utiq; mihi. Vel spiritus sanctus est ostiarius. Nam quia in spiritu sancto intelliguntur & aperiuntur scripturæ quæ ostendūt nobis Christū, meritò ostiarius dicit spiritus sanctus, in quo ut spiritu sapientiæ & scientiæ scripturæ aperiuntur, per quas ingreditur Dominus ad

Scripturæ ostium sunt intraturis ad Deum.
* ut illis prospiciat

Indicia latronis.
Indicia pastoris.
Ioan. 5.

nostri

nostri cirã, & per quas ostenditur pastor. Vocẽ autẽ eius pastoris audiũt oues. Nam quia illi sæpe eum dicebant deceptorẽ, & hoc ex incredulitate cõfirmabant, dicentes, Num quis principum credidit in illum? ostendit Christus q̃ non oporteat haberi se pro damnoso eo q̃ illi nõ crédant, sed ipsos abijciendos esse ex ouium genere. Nam si ego quidem, inquit, per ianuã ingredior, manifestũ quòd uerè sum pastor. Vos autem qui nõ secuti estis, uidemini nõ esse oues. Vnde autẽ educit oues proprias? Vel ex medio infideliũ, sicut & cæcum de medio Iudæorũ, qui & audiuit eum, & agnouit eum. Et ante oues quoq; uadit, q̃uis secus sit cum corporalib. ouibus. post illas eñ uadunt pastores. Sed isto loco ostendit q̃ omnes ducat ad ueritatem: quia & discipulos quasi oues in mediũ luporũ mittit. sic igitur rarior est pastoralis cura Christi. Alienũ autẽ nõ sequentur. nõ enim cognoscunt alienorũ uocem. Iterum hoc loco Theudan & Iudam notat, quos nõ secutæ sunt oues. Nam paucos quosdam suffurati sunt: & hi post mortẽ illorum discesserunt. Christum autẽ uiuentem & mortuũ maximè totus mundus est secutus. Notat autem & Antichristum. Hic enim cum seduxerit ad paruum tempus, nõ habebit eos qui sequantur suam perditionẽ. Nam quòd nõ sequantur, hoc manifestat: quia post mortẽ seducentiũ non erit qui attendat uel sequatur. Ianua quidem scriptura est. Educit autem ad pascua Dominus oues per ianuam hanc. Quod autẽ pabulum? Vel futuræ delicíæ, uel sedes in quã nos introducit Dominus.

infrà eod. Quanuis autẽ & alio loco seipsum ostium nominat, nõ est mirandum. Cum enim ceram suam uult demonstrare erga nos, pastorem se nominat: quando autẽ ostendere uult quòd ipse sit ille qui ducat ad patrem, tunc ianuam se dicit: quia ipse iuxta alium & alium sensum ouis est & pastor. Insuper si quidem sermones diuinarũ scripturarũ sunt ostium, & Dominus ipse esse dicitur sermo, meritò uocatur & ostium.

Hanc parœmiam dixit eis Iesus, illi autem non cognouerũt quæ essent quæ loquebatur eis. Dixit igitur iterum eis Iesus, Amen amen dico uobis, ego sum ostium ouiũ. Omnes quotquot ante me uenerũt, fures sunt & latrones: sed nõ audierũt eos oues.] Hanc, inquit, parœmiam, hoc est, parabolam, dixit eis Iesus, obscurè illis loquens, ut attentiores illos faceret. Postq̃ igitur hoc docuit, soluit nunc obscuritatem, sic dicens, Ego sum ostium. Quod autẽ dicit, Omnes qui uenerunt, nõ de prophetis dicit, sicut *Manichæi.* Manichæi delirant. Nam illi uolentes ostendere uetus testamentũ nõ esse à Deo, & prophetas nõ esse missos à Deo, utũtur hoc dicto, Omnes qui uenerũt ante me, fures sunt & latrones. Non igitur de prophetis hoc dicit, sed de Theuda & Iuda & aliis seditiosis. Quod autẽ de his dicat, manifestũ. Non audiuerunt enim, inquit, illos oues. Seditiosos enim illos nõ audiuerũt oues, prophetas autẽ audiuerũt, & per illos crediderunt. Et aliter, Non audiuerũt illos oues, laudans dixit. Nusquã autẽ uidetur laudare inobedientes prophetis, sed è diuerso uehementer accusat & persequitur. Insuper diligenter attende uerbũ ipsum, Quicunq; uenerũt, inquit, nõ quicũq; missi sunt. Nam prophetę quidem missi aduenerũt: pseudoprophetę autẽ quales & seditiosi illi dicti, *Hier. 23. & 27.* à nullo missi uenerunt, sicut & Dominus dixit, Currebant, & ego nõ mittebam eos.

Ego sum ostiũ. per me si quis intrauerit, seruabit, & ingredietur & egredietur, & pascua inueniet.] Qui ingressus, inquit, per me ostiũ, & oblatus patri, & ouis illius factus fuerit, saluabit: & nõ solũ saluabitur, sed & sicut Dñs, magnã habebit securitatẽ. Hoc enim significat per hoc q̃d dicit, & ingredietur & egredietur, sicut & apostoli ingrediebant & egrediebant, corã tyrãnis líberè loquẽtes. nam & eiecti, læti erãt, & inuicti. Et pascua, inqt, inueniet, hoc est, copiosum cibũ. Et aliter, Quia duplex est noster *Rom. 7.* homo, internus & externus, ut dicitur à Paulo: ingreditur quidem ille, dixerit quis, *2. Cor. 4.* qui curam gerit interni hominis: & egreditur iterum, qui mortificarit membra super terram, & opera corporis in Christo. Talis igitur pascua inueniet & in futuro seculo, *Psal. 22.* secundum quod dicit propheta, Dominus regit me, & nihil mihi deerit, &c.

Fur non uenit nisi ut furetur, & mactet ac perdat. Ego ueni ut uitam habeant, & abundantius habeant. Ego sum pastor ille bonus. Bonus pastor animã suã ponit pro ouibus. Mercenarius autem, & qui non est pastor, cuius nõ sunt oues propriæ, uidet lupum uenientem, ac deserit oues, fugitq̃, & lupus rapit, & dispergit oues. Mercenarius autem fugit, quia mercenarius est, & oues nõ sunt illi curæ.] Quoniam Theudas *Act. 5.* & Iudas etiam cum cæteris apostatis abducti, occisi fuerũt & perierũt: propterea subdit di-

A dit dicens, Fur non uenit nisi ut furetur & mactet, ac perdat. Illos & similes eis fures uocans, ego autem, inquit, ueni ut uitam habeant. Illi occiderunt & perdiderunt eos qui secuti sunt, ego ueni ut uitam habeant, & abundantius habeant, sancti spiritus cõmunionẽ, per quam & regnũ cœlorum intelligere oportet. Habent igitur omnes fidem in Christo. Omnes enim resurgent & uiuent, sed iusti quid amplius habent? regnum scilicet cœlorũ. Insuper & de passione disserit, ac inquit, Animã meam pono pro ouibus: declarãs q̃ nõ inuoluntarius, sed uoluntarius ad passionẽ accedat. Pono enim significat, nemo rapit ex me eam, sed ego eam depono. Notat autẽ & sæpe cõmemoratos seditiosos. Illi (inquit) nõ posuerunt animam pro ouibus, sed reliquerũt eos qui ipsos secuti sunt, mercenarij enim fuerunt. Ipse autẽ Dominus è diuerso cum comprehensus est, inquit, Si igitur me quæritis, sinite illos abire, ut impleatur sermo, quòd nullus ex ipsis perierit, idq̃ sic urgentibus Iudæis, ut nulli lupi in oues magis sæuiant. Nam cum gladijs, inquit, & lignis uenerunt cõprehendere illum. Potes & hic intelligere per lupum, spiritualem inimicũ, quem & leonẽ scriptura nominat, & scorpium, & serpentẽ: qui rapere quidem oues dicitur, quando per mala opera quasdam deuorat. Dispergere autẽ, quando per malas cogitationes cõfundit animã. qui & fur meritò dicitur, furans per malas cogitationes, mactans per consensum, perdens per opus. Confertur enim malitiæ cogitatio furto, consensus autẽ in malam cõcupiscentiam diabolicę mactationi, opus autẽ malũ perditioni. Et hoc est fortè quod fur nõ uenit nisi ut furetur, & mactet, ac perdat. Dominus enim cõtraria q̃ fur ille facit. Dat diuinam uitam, sanctificans nos & cogitationes per aduentũ bonorum desideriorũ, & corpora per bona opera. & quiddam etiam abundantius dat, ut etiam alijs prodesse possimus docendi gratia, profectò & regno cœlorũ ut abundantiori quadam remuneratione nos præmiat. Hic igitur est pastor bonus, sed nõ mercenarius, ut Iudæorũ principes, negligentes scilicet populum, & ad solam mercedem recipiendam spectantes. non enim quærebant populi utilitatem, sed ex ipso turpe lucrum.

Iohan. 18.

1. Pet. 5

Psal. 90

Gen. 3

B Ego sum pastor ille bonus, & cognosco oues meas, & cognoscor à meis. Sicut nouit me pater, ita & ego noui patrem, & animã meam pono pro ouibus. Et alias oues habeo, quæ non sunt ex hoc ouili: illas oportet me quoq̃ adducere, & uocem meam audient, & fiet unum ouile, unus pastor.] Etiam hoc loco agnosces differentiã pastoris & mercenarij. Nam mercenarius quidem nescit oues, q̃d contingit quia nõ sæpe illas inuisit. nã si sæpe inuiseret, cognosceret illas. At pastor qualis Dominus, cognoscit suas oues, quia curam illarũ agit: & rursus cognoscitur ab illis quos uisitatione dignatur, propter consuetudinẽ agnoscentiũ suum curatorẽ. Vidit autẽ quòd primus ille nos cognoscit, deinde nos illũ. Neq̃ aliter potest cognosci Deus, nisi cogniti fuerimus ab illo. Etenim primũ ipse familiaris factus est nobis, carne factus homo: deinde nos illi familiares facti sumus per deificationẽ, recepta gratia. Volens autem ostendere quòd incredduli indigni sint qui cognoscantur à Deo, quia reuera oues nõ sunt, dixit, & cognosco meas oues, & cognoscor à meis: iuxta id, Cognouit Dominus eos qui sunt eius. Porrò ne quis putet quòd sicut homo cognoscat, subdit dicẽs, Sicut cognoscit me pater, & ego cognosco patrem. quasi diceret, ita euidẽter illum scio, sicut ipse me. Sæpe autẽ ponit, Animã meam pono pro ouibus, declarans quòd nõ sit impostor. Dicere enim, Lux sum & uita, apud insipientes inflationis esse uidebat. Dicere autẽ, Mori uolo, nullam inuidiam habet, sed magnã potius curam indicat, quã exhibere uolebat pro lapidantibus. Cæterũ cum dicit, Et alias oues habeo, de gentibus dicit. Non sunt ex hoc ouili, quod est sub lege: neq̃ enim gentes lege concludũtur. Et illas quoq̃ oportet me cõgregare. Dispersæ sunt enim & hæ & illæ nõ habentes pastorem. Nam & qui inter Iudæos melius sapiebant, & ad credendũ propensiores erant, pastore carebãt: & multo magis gentiles. Oportet igitur & illas quæ ex gentibus, congregare, quemadmodũ & eas quæ ex Iudæis erant. Verbum autẽ oportet, hoc loco non est necessitatis, sed planè euentus significatiuum. Et erit unum ouile, unus pastor. In Christo enim Iesu non est Græcus, neq̃ Iudæus, neq̃ ulla differentia. Vnus enim character omnibus, unum signillum baptismatis, unus pastor, uerbũ Dei & Deus. Confundantur Manichæi, qui uetus testamentum abijciũt. Audiant, quòd unum ouile, unus pastor: idem enim Deus ueteris & noui testamenti.

1. Tim. 2

Oportet.

Coloss. 3

Manichæi.

Propterea

Propterea me pater diligit, quia ego pono animam meam, ut iterum sumam eam. A
Nemo tollit eam à me, sed ego pono eam à meipso. Potestatē habeo ponendi eam, et
potestatem habeo rursus sumendi eam. Hoc mandatum accepi à patre meo. Dissen-
sio igitur iterum facta est inter Iudæos propter sermones hos. Dicebant autem multi
ex ipsis, Dæmoniū habet, & insanit: quid eum auditis? alij dicebant, Hæc uerba non
sunt dæmoniū habentis. Num dæmoniū potest cæcorū oculos aperire? Quoniam
alienum eum à patre dicebāt, & seductorem, & pernicioſum, nō saluatorē animarū,
ostendit per ea quæ dicit, Nō sum uobis pernicioſus, sed ad sustinēda omnia pro uo-
bis paratus, cuius propter nihil aliud, cp quòd uos in tantū diligit Deus, ut & ego pro-
pter hoc ab ipso diligar, quia pro uobis moriar. quomodo igit seduco uos, quos scio
dilectos Dei? An nō magis pro uobis mori quæro, ut si propter nihil aliud, saltē pro-
pter hoc, quòd magis diligar à patre meo? Hæc autem nunc tam humilia dicit, se illis
attemperans, eo quòd si diceret de se sublimia, auditores illum nō caperent: quia si ali
ter dictum consideretur, absurdum uidebitur. Cur enim priori tempore nō diligeba-
tur, sed nunc dilectionē cœperit pater, & mors pro nobis, illi dilectionis autor fuerit?
Non ita est, sed, ut dixi, sese illis attemperans hæc dicit. Dixerit autē quis & hoc, quo
niam dilectio Dei & patris erga nos ex confesso erat. Vidit autē Deus & pater etiam
filium suum eandem erga nos declarantem bonitatē, atq; ita uoluisse pro nobis mo-
ri, & diligenter obseruare characteres bonitatis paternæ. Dilexit meritò, non quasi
mercedem quandam mortis pro nobis dilectionem dans filio, sed spectans inadulte-
ratam substantiam in filio, & quodammodo quibusdam naturæ uinculis necessarijs
& ineuitabilib. ad hoc uocatus. An nō magnæ dilectionis erga nos opus filius susce-
pit ignominioſe moriens pro nobis? & nō solùm moriens, sed & iterum accipiens a-
nimam, ut occidat mortem, & nobis immortalitatē per resurrectionē pariat? Hoc igi
tur significat quando dicit, Pater diligit me, eo q; morior pro uobis: quasi exultet &
gaudeat pater quòd filius sibi similis sit, & seruet characteres suæ erga homines chari
tatis. Porrò quod dicit, Nullus tollit animam meam à me, propter eos qui mortē eius B
meditabantur, dicit. Vos enim, inquit, sititis meū sanguinē, sed bene scitis q; me inuo
luntario nullus prævalebit. Insuper ut ne quis putet q; tanq; minister & subditus mo-
riatur ab alio iussus, & illi cedens, Potestatem, inquit, mortis meæ ipse habeo, ut Do-
minus mortis. Itaq; propterea dicit, Potestatem habeo ponendi animā meā. cuius &
unusquisq; uestrū potestatē habeat ponendi animā suā. nam unicuiq; uolenti posſi
bile est se interficere. sed nō de hoc modo dicit Dns, sed quòd me inuito nullus pote-
rit hoc facere. id in hominibus nō fit. Nam etiā præter uoluntatē nostrā ab alijs inter-
ficimur. At Dns nunq; inuoluntariè passus est, eo q; non aliter morti obnoxius erat,
nisi quantū libebat. Habet & maius, q; animā iterum accipiat. Hoc autē mandatū in-
quit acceptū esse à patre, ut morerer pro mundo. Vsqueadeò, inquit, nō sum aduersa
rius Deo, ut & istuc ipsum mori, à patre mihi demandatū sit. Porrò primū quod subli
me est, dicit, Potestatē habeo accipere animā meā. Dominū enim mortis se per hoc
ostendit, & ducem uitæ. iterū humile uerbum ponens, nempe, mandatū hoc accepi à
patre meo, ita mirabiliter utraq; cōnectit, & quòd non habeatur minor, ac seruus pa-
tris, & non sit aduersarius illi, sed eiusdem potentiæ & uoluntatis. Et ita quoq; mul-
tis ex auditorib. etiā sic profuit, eo q; talia dicebat, atq; ita, ut & dissensio fieret. Nam
dum nōnulli quibus hæc uerba obscuriora uidebantur, putabāt illum dæmonio actum
loqui quæ non intelligeret: alij qui uel mediocriter intellexerāt, Hæc, aiunt, uerba nō
sunt eius qui dæmonio agitur. Insuper quia uerbis nō poterant confutare illos: cum
enim benevoli non satis tenerent ea quæ à Domino dicebantur, neq; illis persuasis-
sent uerbis, sed Christo operibus patrocinari tentant, & dicunt quòd hæc uerba non
Ioan. 8. sint dæmoniaci. Vnde autem hoc manifestum? Ex operibus. Dæmonium enim non
potest oculos cæcorum aperire. Quia igitur opus diuinum, ergo & uerba eiusmodi
sunt. Quare autem Christus nihil respondet his qui dicebant ipsum dæmonio agi?
Quia iam satis illos confutarat, & fide digniores aduersabantur illis, & pro ipso ratio
nem reddebant. Igitur quia dissentiebant inter se, quid ultrà opus erat contradicere
his qui criminabantur, præsertim cum neq; sic fidem quidem habituri essent?

Facta sunt autē encænia Hierosolymis, & hyems erat. Et ambulabat Iesus in tem-
plo in

A plo in porticu Solomonis. Circundederunt ergo eum Iudæi, & dicebant ei, Quousq; animam nostram sustendis? Si tu es Christus, dic nobis ingenuè. Respondit eis Iesus, Dixi uobis, nec creditis. Opera quæ ego facio nomine patris mei, hæc testimonium reddunt de me. Sed uos non creditis, quia non estis ex ouibus meis, quemadmodum dicebam uobis.] Quæ encænia facta sunt in Hierosolymis? Quidam dicunt quòd quo die ædificatum fuerit templum à Solomone, eodem celebrauerint encænia. Alij autem non hoc dicunt, sed Euangelistam aiunt dicere encænia constructi templi post captiuitatem. Præclarũ autem & celebre agebant festum. Nam tandem ciuitas suum ornatum recepisset post longam illam captiuitatem, iucũdum diem encæniorum faciebant. In hoc igitur festo aderat & Iesus. Nunc autem frequentius uersatur in Iudæa, quia passio instoribus erat. Hyems enim instabat, post quam hyemem in primo mẽse ueris passus est Dominus, propterea & Euãgelista notauit tempus, ostendens q̃ propè sit tempus passionis. propterea uersatur in Hierosolymis. Circundederunt igitur ipsum Iudæi, & apparenter quidem ex desiderio quodam discendi interrogant ut eis dicat, num ipse sit Christus? Reuera autem ex corrupta & curiosa mente profecta est interrogatio. Nam cũ opera prædicarent illum esse Christum, isti ex uerbis quærebãt discere: quod ludentium magis est, & deridentium. Omnino autem quæstio magna ingratitudine plena est, & fallacium illorum malitiam ostendens. Dic enim, inquiunt, nobis liberè. Sanè ubiq; dicebat liberè, & comparebat in festis, & nihil in occulto loquebatur, filiũq; Dei se nominabat, & lucem, & uiam, & ostium, adhibito etiam teste Mose. Præterea arguens eos Dominus, utpote malo animo loquentes, Dixi uobis, inquit, sæpius, & non creditis. Et aliter, Quid ita simulatis quod nudo uerbo persuadeamini? Opera quæ facio, nõ ut aduersarius Dei, sed in nomine patris mei, non recipitis, & quomodo nudis uerbis crederetis? Omnino enim maior est uirtus operum quàm uerborum ad persuadendũ: quod & fatebantur hi qui melius inter ipsos sapiebant, dicentes: Nõ potest homo peccator signa talia facere. Propterea dicit, Non creditis mihi, quia non estis ex ouibus me

B is. Nam ego quidem ut pastor bonus quæ oportebat facere, feci: uos autem si non sequamini, non ego pastoris, sed uos ouium uocatione indigni estis. Da & tu operam, dum hyems est, præsens dico uita, quæ semper à malis spiritibus turbatur, ut celebres encænia spiritualis templi tui, semper nouus factus, & ascensiones in corde ponens. Aderit enim tunc tibi Iesus, qui simul celebret encæniorum festiuitatem in porticu Solomonis, custodia sua te muniens, & pacificum te faciens ab affectionibus. Ipse enim pacificus Solomon est. Quisquis igitur in protectione Christi pacifici moratur, habet & Dominum simul diem festum agentem encæniorum animæ, quandiu hyems uitæ huius durat. Ver enim futurum seculum est, quo omnia reuiuiscunt, quo nullus animã innouare potest. Nam præsenti seculo omnia talia concluduntur.

Oues meæ uocem meam audiunt, & ego cognosco eas, & sequuntur me, & ego uitam æternam do eis, nec peribunt in æternum, neq; rapiet eas quisq; de manu mea. Pater meus q̃ dedit mihi, maior omnibus est, & nemo potest rapere de manu patris mei. ego & pater unum sumus.] Postq; dixit eis, Non estis ex ouibus meis: nunc hortatur eos ut fiãt oues eius: ideo & subdit, dicens, Oues meæ uocem meam audiunt, & sequũtur me. Deinde demulcens eos, dicit quæ cõsecuturi sint ipsum sequentes. Vitã enim, inquit, æternã do eis, & ne pereant in æternũ, &c. Et omnino per uerba hæc excitat illos, zelumq; ac desideriũ iniicit, † qui concedit quòd & alij se sequantur sicut illæ. Propterea autem dicit, Nõ peribunt, quia nullus potest rapere eas de manu mea, eo quòd pater meus qui dedit mihi eas, maximus omniũ est, & de manu eius nullus potest eas rapere, & ita neq; de manu mea. manus enim mea & patris una est. Nam ego & pater unum sumus, secundum potestatem scilicet & uirtutem. Manum enim potestatem & uirtutem dicit. Igitur ego & pater unum sumus secundum substantiam & naturam, & potestatem ac robur. Id quod & Iudæi quoq; cum intellexissent, q̃ seipsum consubstantialem Deo faceret, lapidare uolebant eum, utpote qui se filium Dei faceret. Sed interrogauerit quispiam, Quomodo dixit Dominus, nullus ex manu patris mei rapit eas, cũ tamen multos uideamus perire? Dicendũ q̃ rapere quidem nullus potest de manu patris, decipere autem multi. Nam ui quadam & tyrannide nullus potest auellere à Deo, deceptione autem quotidie supplantamur. Quomodo autem dixit, Oues meæ

Quo tẽpore anni passus sit Christus.

Ioan. 9.

† ut & ipsi sequantur eum qui talia largitur

Obiectio.

me sequuntur, & nō pereunt? Videmus enim q̄ Iudas perierit: sed propter hoc periit, quia non secutus est, neq̄ ouis mansit usq̄ ad finem: Dñs de ijs qui secuti sunt eum, & oues sunt, inquit, quia non pereant. Quòd si quis ex ordine ouiū exciderit, & non secutus fuerit pastorē, statim perit. Vtaris autem & hoc de Iuda exemplo cōtra Manichęos. *Manichæi.* Etenim cum ille sanctus esset, & ouis Dei, & uertibilis uoluntate, sua sponte excidit. Non igitur natura sunt mala, aut bona, sed uoluntate & constituuntur, & soluuntur.

Sustulerunt ergo rursum lapides Iudæi, ut lapidarent eum. Respondit eis Iesus, Multa bona opera ostendi uobis ex patre meo: propter quod eorum operum me lapidatis? Responderūt ei Iudæi dicentes, Ob bonū opus nō lapidamus te, sed ob blasphemiā, & quia tu homo cum sis, facis teipsum Deū. Respondit eis Iesus, Nónne scriptum est in *Psal.81.* lege uestra, Ego dixi, dij estis? Si illos dixit Deos, ad quos sermo Dei factus est, & non potest solui scriptura, quem pater sanctificauit, & misit in mundum: uos dicitis me blasphemare, quia dixerim, filius Dei sum? Cum diceret, Ego & pater unum sumus per omnia secundum potestatem & uirtutem, & indicaret unam esse patris manum, & suam: putabant Iudæi blasphemū, & apprehendebant lapides, quòd faceret se æqualem Deo. Igitur Dñs admonens & ostendens q̄ nūllā iustā furoris erga se causam habeant, sed absq̄ causa insaniant, reducit eis in memoriā miracula à se facta, & Multa bona opera, inquit, ostendi uobis: ꝓpter quod eorū lapidatis me? Illi aūt dicūt, Propter blasphemias lapidamus te, quia filium Dei teipsum facis. Cæterùm ipse non negat hoc, neq̄ dicit, non facio meipsum Deum, uel non sum æqualis patri: sed magis confirmat illorum sententiam, & asserit se Deum esse, ex his quæ scripta sunt in lege. Legem autem dicit *Lex omnis scriptura.* & librum Dauid, sicut simpliciter & omnem scripturam. Quod autem dicit, hunc sensum habet. Si hi quí gratia deificationem acceperunt, dij sunt, & nemo illos criminat: quomodo ego iustè à uobis increpor, qui natura sum Deus, quem pater sanctificauit, *Sāctiſ quòd nō dicatur.* hoc est segregauit, ut occideretur pro mundo? Sanctum enim dicitur, quod Deo segregatum est. Manifestum enim quia me sanctificat, & segregauit pater in salutem mundi, & ideo non sum æqualis alijs dijs, sed Deus uerus. Verè enim opus Dei est saluare, & non hominis gratia deificati. Si igitur illi ad quos Dei sermo factus est, hoc est ego: (nā ego sum sermo Dei, & habitaui in illis, concessitq̄ eis ut adoptarentur in filios) si igitur illi dei, multo magis ego extra omnem noxā sum, Deū uocans meipsum, qui & natura sum Deus, & alijs hoc concedo. Confundātur Ariani & Nestoriani. Nam & filius *Ariani & Nestoriani confutātur.* Dei, & Deus substantia naturaq̄ est Christus, & non creatura, & alijs dat deitatem ad quos sit. nam sermo est Dei, sed non ipse gratia deificat. Nam manifestè separat se ab his qui gratia deificantur, propter ea quæ illic dicunt, & ostendit q̄ etiā illis ipse sit author deificationis. nam sermo Dei est, & inhabitat in eis: quod significat per hoc quod dicit, ad quos sermo Dei factus est, hoc est, in quibus habitauit. Quomodo igitur blasphemo dicens filium Dei meipsum? Quāuis enim & carnem feram, & ex semine sim Dauid: sed ignoratis sacramentum, & quòd nō aliter potuerit carnalis hominum natura Dei recipere familiaritatem, quàm per carnem, quasi in uelamento ei familiaris fuisset.

Si non facio opera patris mei, nolite credere mihi: sin uerò facio, & si mihi nō creditis, operibus credite, ut cognoscatis & credatis q̄ pater in me est, & ego in eo. Vultis, inquit, scire æqualitatem cum patre? A substantia non potestis scire (impossibile enim est scire substantiam Dei) sed accipite ex operū æqualitate & identitate indicium identitatis secundum uirtutem. Ex his habebitis deitatis meæ testimonium, & scietis & credetis quòd nihil ego aliud sum quàm id quod pater. Eandem enim substantiam habeo manens filius, & hypostasi differens. Similiter & pater manens pater, & differens hypostasi, nihil aliud est q̄ filius secundū substantiā scilicet ac naturā. quanuis aūt per hypostases differimus, at non separantur hypostases, sed in seipsis alter in altero sunt absq̄ confusione pater & filius. †Etenim sicut apud nos pater separatus est à filio, quanuis natura unum sint, ita & in diuinis personis: sed in seipsis alter in altero sunt absq̄ confusione. Propterea nos tres quidem homines dicimur, utpote substistentes separati, & non unum propriè existentes. In diuina aūt triade unus Deus, sed non tres dij, propter personarum inconfusam * circumincessionem, adde, & eandem uolitionem.

†Nō enim

* περιχώρησιν com prehensionem.

Quærebant ergo iterū eum apprehendere, & exiuit de manu eorū, & abijt iterū trās Iordanem in eum locū ubi fuerat Ioannes baptizans primùm, mansitq̄ illic. Et multi

uenerunt

A uenerunt ad eum, ac dicebant: Iohannes quidem signum edidit nullum: omnia autē quæcunq; dixit Iohannes de hoc, uera erant. & crediderunt multi illic in eum.] Quærunt quidem apprehendere Dominum, non ferentes eum quòd tam sublime de se testimonium perhiberet. neq; enim ferebant sublimiorem eius theologiam. Ipse autem inde transit, illorum furori cedens, & absentia sua illorum morbum mitigari faciens. Secedit autem inuitis illis: monstrans (ut sæpe diximus) q̄ neq; in cruce detentus fuisset, nisi sponte se tradidisset. Quò autem concedit? Trans Iordanem, ubi Ioannes baptizauit. Non absq; causa se illuc contulit, sed in memoriam reduxit multa quæ illic facta & dicta à Ioannne de se. Quòd autem illius quæ illic conuersatio, multos lucrifecerit, subdit Euangelista, dicens, Et multi uenerunt ad eum, & recordati loci, dicebant, inquit, Ioannes quidem signum fecit nullum. Cæterùm quod dicit, ita se habet: Si illi credidimus qui nullum unquam fecit signum, multo magis ei qui tot tantaq; operatus est signa. Quòd autem Ioannes testatus quidem sit de Christo, signū uerò nullum fecerit, & propter hoc fortassis nō tantam fidem meruerit, subdidit, dicens, Omnia autem quęcunq; Ioannes dixit de hoc, uera erant. Non ultrà hunc ab illo, sed illū ex his quæ Christus fecit fidelem affirmant. Idcirco multi, inquit, illic crediderunt. Dicendo illic, signat quòd locus ille miré profuerit: quandoquidem & hac causa Dominus populum in solitaria loca à consuetudine malorum hominum liberans eduxit, quò magis illis prodesset: sicut & in ueteri lege feciſſe apparet. Eductis enim illis ex Aegypto, in solitudine aptauit & formauit sibi populum, dando illi legem. Attende autem & secessionem Christi, quæ spiritualiter fit. Nam secedit quidem à Hierosolymis, hoc est Iudaico populo, in locum autem habentem fontes, Ecclesiam uidelicet ex gentibus, in qua fontes baptismatis. Vnde multi accesserunt ad eū, Iordanem transeuntes, hoc est, baptisma nam transmissio Iordanis, significat baptismatis transitum. Non aliter enim quis accedit ad Iesum, & uerè fit fidelis, nisi baptisma transeat, quod per Iordanem significatur.

Baptismus per transitum Iordanis significatur.

CAPVT XI.

B AEgrotabat autem quidam nomine Lazarus, Bethanienſis, à castello Mariæ, & Marthæ huius sororis. Maria autem erat ea quæ unxit Dominum unguento, & exterſit pedes eius capillis suis, cuius frater Lazarus ægrotabat. Miserunt ergo sorores eius ad eum, dicentes, Domine, ecce quem amas, ægrotat.] Solus quidem Ioannes huius de Lazaro meminit historiæ. Meminit autē, ut nos erudiat ne quis grauatim ferat, si boni & Deo amici uiri morbo teneantur, quia & Lazarus cum esset amicus Christi, ægrotauit. Neq; hoc ignorandū est, q̄ nō erat ista Maria quæ unxerat Dominum unguento meretrix quę apud Lucā, uel Matthæum: sed alia nō meretrix, honesta autem, & religiosa, & officiosa. Etenim diligenter ministrabat suscepto Christo, sicut Ioannes testatur: quin & bonam partem elegisse testimonium habet, ut ait Lucas. Ita aūt claræ & admirabiles fuerūt sorores, ut & Lazarus ipse notior factus sit per eas. Erat enim (inquit) Lazarus Bethaniēsis à castello Mariæ & Marthæ. Quare aūt mittentes accersunt Iesum, & nō ipsæ ueniunt, sicut Centurio & Regius? Quia plurimū fidebant Christo: & quia mulieres erant, non oportebat eas ita facilè è domo progredi, & quia in luctu erant, occupatæq; circa fratrem. Nā q̄ hoc non fecerint ex contemptu, manifestum est ex his quę sequuntur. Magnum enim honorem, & pietatem & precum constantiā prę se ferunt. Dicentes autem, Ecce quem diligis, ęgrotat, ad miserationem Dominum mouere uolebant, eo quòd memores erant nominis amicitiæ. Declarat aūt & fidem quandam uerbum hoc mulierum. Ita enim multam Domino ineſſe uirtutem cognouerūt, ut admirarent quomodo infirmitate laboret uir ab illo dilectus. Admirationem enim quodammodo habere uidetur, Ecce quem diligis, ægrotat.

Luc. 7.

Luc. 10.

Matth. 8. Luc. 7. Ioan. 4.

Audiens autem Iesus, dixit: Infirmitas hæc non est ad mortem, sed pro gloria Dei, ut glorificetur filius Dei per eam. Diligebat autem Iesus Martham & sororem eius, & Lazarum. Vt ergo audiuit q̄ ægrotaret, tum quidem temporis mansit in eodem loco duobus diebus.] Quoniam illic mansurus erat duobus diebus, eius gratia inquit, Infirmitas hæc non est ad mortem, q̄uis esset ad mortē. Sed, q̄d dicebā, nuncios tūc ad sublimiora trahere uolens, & ueluti consolationem quandam adferens, ne urgendo molesti essent, huius gratia inquit nō est ad mortem. Et aliter, Si bene consideraueris, neque ad mortem fuit infirmitas, qua moriuntur multi, diuturnam scilicet, sed temporalem &

quatriduanã. Nam quia surrexit quatriduanus, ad finem spectantes rei, dicimus non esse ad mortem infirmitatem, sed pro gloria Dei: ut glorificetur filius Dei. Vides unam esse gloriã patris & filij: cũ enim dixisset, pro gloria Dei, subdidit, ut glorificetur filius Dei. Itaq; gloria Dei, patris dico, in nullo maior est, q̃ filij. Deus enim est & filius, sicut & pater, propriè ac uerè. Nam cum una gloria etiã una est substantia. Quocirca confundantur & ex hoc loco Ariani. Verbum autem, ut glorificetur, ne putes causæ significatiuum, sed euentus, ut sæpe diximus. Non enim ut glorificetur Deus, propterea ægrotauit Lazarus, sed alia quædam de causa infirmitas accessit, qua tamen Dominus in gloriam Dei usus est. Mansit autem diebus duobus, donec expiraret & sepeliretur: ne quis dicere possit quòd grauatio quædam fuerit uel extasis, & non fuerit mortuus. Et propterea tanto tempore manet, ut & corrumperetur, diceretq; soror illum fœtere.

Ariani.

Vt particule significatio.

Deinde post hoc dicit discipulis, Eamus in Iudæam iterum. Dicunt ei discipuli, Rabbi, modò quærebant te Iudæi lapidare, & iterum uadis illuc? Respondit Iesus, Nonne duodecim sunt horæ diei? si quis ambulauerit in die, non offendit, quia lucem huius mundi uidet. Si quis aũt ambulauerit in nocte, offendit: quia lux non est in eo.] Nusq; alio loco prædicit quò sit profecturus: hic autem solum prædicere uidetur, quia ualde timebant discipuli in Iudæam ire. Et idcirco prædicit, ut ne repentina abitione turbentur, si abducerentur in regionem quam timebant. Igitur quia timebant & illi, & sibiipsis magis (nondum enim perfectam de Christo scientiam habebãt) dicunt, Modò quærebant te Iudæi lapidare, & iterum uadis illuc? At ipse animat illos & dicit, Sicut qui uidet lucem, non offendit: qui autem in nocte ambulat, ille offendit: ita & qui bonum facit, & in lucidis operibus ambulat, nihil graue experietur: qui autem mala facit, patietur. Et ita non oportet nos meticulosos esse. Nihil enim morte dignum fecimus. Vel etiam aliter, Si is qui uidet lumen, nõ offendit: multo magis is qui mecum est, nisi à me defecerit, non offendit. Atque ita etiam uos cum sitis mecum, qui lumen sum, frustra timetis. Alij autem diem quidem intelligunt tempus ante passionem, noctem uerò tempus passionis. Vos igitur, inquit, quãdiu dies est, hoc est, quamdiu nondum instat tempus passionis, non offendetis. Non enim persequutionem patiemini à Iudæis: neq; aliud quid graue eueniet uobis. Quum autem nox uenerit, passio inquam mea, tunc certè humiliabimini quidem, in unam domunculam uos recipientes propter metum Iudæorum. Ex eo autem tempore afflictiones & tribulationes, & multa offendicula & aduersitates habebitis. cum ego qui lux sum, non ultrà uobiscum corporaliter conuersabor, noctem afflictionum habebitis.

Hæc ait, & post hæc dicit eis, Lazarus amicus noster dormit, sed uado ut à somno excitem illum. Dixerunt ergo discipuli eius, Domine, si dormit, saluus erit. Dixerat autem Iesus de morte eius: at illi putauerunt quòd de dormitione somni diceret. Tunc ergo Iesus dixit eis manifestè, Lazarus mortuus est, & gaudeo propter uos, ut credatis, quòd non fuerim ibi, sed eamus ad eum. Dixit ergo Thomas qui dicitur Didymus, ad condiscipulos, Eamus & nos, ut moriamur cum eo.] Quoniam illi formidauerunt ire in Iudæam, dicit eis Dominus, Quamuis quærebãt me Iudæi lapidare, & hoc faciebãt quia loquens illis arguebam eos: nunc aũt non uado ut illis loquar, sed ut amicum inuisam, atq; ita non oportet trepidare. Non enim ad ea ab eo ad quæ prius, ut periculũ ex Iudæis expauescam, sed amicum ex somno excitabo. At illi uolentes eum ab itinere impedire, Satis (inquiunt) est: si dormit, saluus erit. Igitur non opus est ut nos abeamus. non enim necessarium est. Vnde ipse adiecit, Amicus noster: ut ostendat necessarium iter illuc. uerùm illi dicunt non esse necessarium, quandoquidem saluus factus sit, eo quòd dormiat. Immo non solum non necessarius est aduentus tuus, sed & amico damnosus. Nã si somnus est ei ad salutem (ut nos opinamur) tu autem profecturus es ut excites, saluti eius obfuturus es. non igitur opus est ut eas & excites illum: damnosum enim hoc ei. Itaq; ubi uidit eos adhuc tardios, tunc manifestè inquit, Mortuus est. Cuius autem gratia etiam prius non manifestè dixit, sed occultè, mortem somnum nominans? Propter multa. Vnum quidem, quia à fastu erat alienus. nolebat enim ad ostentationem facere, sed occultè resurrectionem excitationem à somno nominauit. Quomodo autem hac dictione usus fuisset, nisi mortem somnum appellasset: Quòd autem hoc uerum, propter modestiam inquã occultè loquutũ, manifestũ est ex eo quod sequitur. Nã

Mortẽ cur appellarit Christus somnum.

dicens,

A dicens, mortuus est, non addidit, uado ut resuscitem illum. Vides quomodo abhorrue
rit à fastu, quomodo noluerit celebrari ea quæ facturus erat? Interim etiam docet nos
ne tam faciles simus ad promittendū. Nā cuius Centurioni hoc fecerit, dixit enim, Ego Matt. 8.
ueniens sanabo eum: illi tamē hoc dixit, ut illius fidē ostenderet. Igitur hæc una quidē
causa est propter quā mortem appellauit somnum. Alia autem est, ut ostendat nobis q
omnis mors somnus sit & reqes. Tertia uerò, cuius alijs mors fuerit, Lazari obitus: ipsi
tamen Iesu, somnus existimabatur eo q eū statim resuscitaturus erat. Et sicut nobis faci
le est excitare dormientem, ita illi, immo innumeris modis facilius est resuscitare mor-
tuum. Gaudeo aūt, inquit, propter uos, ut credatis mihi magis nūc ut Deo, quia nō erā
illic: & cum longè absim, prædico uobis mortē in Bethania, de qua non audiui, sed si-
cut Deus uideo quę longè euenīūt. Intellexerūt aūt quidā hoc etiā sic. Gaudeo, inquit,
uestri causa. Nā q ego illic nō sum, conducit fidei uestræ: quoniā si adfuissem, ægrotā
tem sanassem: parū aūt hoc fuisset ad ostensionē potētiæ meæ. Cæterū cum absente me
mortuus est, abiens aūt ipsum suscitaturus sum, id magis uestram firmabit fidem, cum
uideritis me & hoc posse, quod antea nondum ostendi, q, mortuus iterum liberatur, &
qui sœtens fuit, apta sua membra recipit, & resuscitatur. Hęc cum dixisset Dominus, &
ostendisset suum illuc accessum necessariū, Thomas alijs meticulosior, Eamus, inquit,
ut moriamur cum eo. Non fiduciæ, sed formidinis & tristis animi uerbum est. Nam ut
alios condiscipulos moraretur, memores eos facit mortis, & dedita opera hoc apponit,
ut moriamur, quasi talia dicens: Eamus & nos stulti & insipientes, & non curantes pro
priam uitam, ut moriamur cum eo. Esto, inquit, ipse uitam suam non magni faciat: nos
autem cur ita stulti essemus? Hęc timidi uerba sunt, sed uide cum postea quomodo pro
ueritate ut Apostolus occisus sit, ita illum diuina gratia roborauit, ut hoc Pauli de eo sit 2. Cor. 6.
dictum, Sufficientia nostra ex Deo. &, Non ego, sed gratia. Origenes autem dicit de Origenis
Thoma somnium quoddam. Thomas enim cum audisset prophetias de Christo, & di- de Thoma
B cisset quòd & cum anima in infernum descensurus esset ad liberandas animas, post- somnium.
quàm audiuit Christum dicentem, Vado ut exuscitem Lazarum, putauit non aliter su
scitari eum, hoc est liberari animam eius, nisi & ipse corpore deposito in infernum de-
scendisset. Ideo ut uerus Christi discipulus, neq; in hoc uolens à magistro auelli, uult &
se & alios condiscipulos deponere sua corpora ut descendant cum Iesu, qui positurus
erat animam suam sicut suspicabatur, ut ex inferno reduceret amici animam. Hanc ri-
diculā enarrationem apposui, ut pudore suffunderem eos qui Origenica commendāt.
Tu autem uide quomodo Dominus quanuis Lazaro mortuo, dixerit, Eamus ad eum,
quasi ad uiuentem. Etenim Lazarus uiuebat Christo, ut Deo.

Venit itaq; Iesus, & inuenit eum quatuor dies iam in monumento iacentem. Erat
autem Bethania iuxta Hierosolymam ferè stadijs quindecim: multiq; ex Iudæis uene
rant ad Martham ac Mariā, ut consolarentur eas de fratre suo. Martha ergo ut audiuit
quòd Iesus ueniret, occurrit illi: Maria uerò domi residebat.] Dedita opera expecta-
uit Dominus ut Lazarus fieret quatriduanus: deinde uenit ut miraculum faceret, quod
nulla ex parte calumniari posset quispiam. Quare autem apponit Euangelista q quin-
decim stadijs abfuerit Bethania à Hierosolymis? Vt ostenderet q multi Hierosolymi
tanorum meritò affuerint. Non enim longè aberat Bethania. Consolabantur aūt mu-
lieres, non quòd diligebantur à Christo (etenim conspiraverant ut si quis confiteretur Ioan. 9.
Christum, extra synagogam fieret) sed propter calamitatis necessitatem uel quòd re
uerebantur eas ut nobiliores, uel quòd non erant pessimi qui aduenerunt: unde & mul
ti crediderunt ex eis. Cæterùm Martha sola occurrit primùm, & non simul assumit se-
cum sororem: quia seorsim illi occurrere, & factum annunciare uolebat. Vnde ubi il-
lam in spem bonam adduxit, tunc abit & uocat sororem. Prius autem non dixit sorori
Mariæ celare uolens eos q aderant. Nā si Maria audiuisset q Iesus ueniret, surrexisset
in occursū, & comites fuissent ei p̄sentes Iudęi, qs nolebat Martha scire aduētū Christi.

Dixit ergo Martha ad Iesum, Domine si fuisses hic, frater meus nō fuisset mortuus:
sed & nunc scio q quæcūq; poposceris à Deo, daturus sit tibi Deus. Dicit illi Iesus, Re-
surget frater tuus. Dicit ei Martha, Scio quòd resurget in resurrectione in nouissimo
die. Dicit ei Iesus: Ego sum resurrectio & uita: qui credit in me, etiā si mortuus fuerit,
uiuet. Et omnis qui uiuit, & credit in me, non morietur in æternum. Credis hoc? Ait

illi, Etiam Domine. Ego credo q̃ tu ſis Chriſtus ille filius Dei, qui in mũdum uenturus A
erat. Et cum hæc dixiſſet, abijt, & uocauit Mariam ſororem ſuam clanculũ, dicens: Ma
Martha hæſitantia. giſter adeſt, & uocat te.] Fidem quidem habebat Martha in Chriſtum, ſed non quantã oportebat: ideo & dicit, Domine, ſi fuiſſes hic, frater meus non fuiſſet mortuus. Quod ſanè dixit ut non credens abſentem potuiſſe, ſi quidem uoluiſſet, depellere mortem fratris ſui. nam & in ſequentibus maiorem infirmitatem declarat fidei. Quæcunq; enim petieris, inquit, Deum, dabit tibi. Vides quòd illum ſicut uirum quendam uirtute prædítum & Deo probatum habuerit. Non enim dixit, Quæcũq; uolueris, facies, ſed quæcunq; petiueris, dabit tibi. Ipſe autem hanc eius ſuſpicionem ſubuertit. Reſurget enim, inquit, frater tuus. Non enim dixit ei, Etiam, petã Deum, & dabit mihi. Non conſenſit ſermoni eius, ſed medio quodam uerbo uſus eſt: ueruntamen per ſequentia authoritatem & poteſtatem ſuam clariorem facit, Ego ſum, dicens, reſurrectio & uita. Quoniam enim mulier adhuc incredula erat, & dictum, Reſurget frater tuus, non agnoſcebat, ſed in nouiſſima reſurrectione intelligebat illum reſurrecturum: ſciebat autem & ultimam reſurrectionem futuram. & hoc quidem ex diuinis ſcripturis, & in primis ex cõtinuis Chriſti ſermonibus de reſurrectione: igit̃ quia adhuc mulier erat mulier, mentem eius excitat Dominus, & quodãmodo mortuã fidem eius ſuſcitat, dicens manifeſtius: Tu quidẽ dicis quòd quæcunq; petiero Deum, dabit mihi: ego aũt manifeſtè hoc tibi dico, q̃ ego ſum reſurrectio & uita: & ita uirtus mea loco nõ circũſcribit̃, ſed tam abſens q̃ præſens ſanare poſſum. Ego enim bonorũ ſuppeditator ſum, & non quaſi alius det, ſed ipſe ſum reſurrectio & uita, ualeoq; reſuſcitare & uiuificare. Et qui credit in me, etiã ſi mortuus fuerit naturali hac morte, uiuet. Et omnis qui uiuit, & credit in me, non morietur morte animæ: & ita ne turberis. Nam quamuis mortuus ſit frater tuus, uiuet. Et quid dicam de fratre tuo? Neq; uos, ſi quidẽ creditis in me, moriemini, ſed præualebitis grauiori animarũ morti. Et qui à graniore liberat, multo magis liberabit fratrẽ tuũ qui mortuus eſt, à minori & corporali. Interrogauit aũt & mulierem nũ credat. At illa quanuis hæc audiuiſſet, attamen nõ intellexit quid ei dixerat Dominus præ dolore, o- B
pinor, extra mentem conſtituta. Nam cum ille interrogaſſet aliud, aliud iſta reſpondit. Nam ille quidem interrogabat, nũ credat q̃ ipſe ſit reſurrectio & uita, & q̃ qui credit in ipſum, non moriatur in æternũ, ſiue de corporis ſiue de animæ morte intelligas. Nã fideles propter ſpem reſurrectionis neq; mori dicunt̃. At illa quid reſpondet? Ego credo q̃ tu es Chriſtus filius Dei, qui in mundum ueniſti. Bene quidem teſtata fuit, & uerè: ſed non interrogationi congruũ reddidit reſponſum: & tunc lucrata eſt ut uehementiam doloris mitigaret, ac luctus nimietatem prohiberet. Clàm aũt uocat ſororem, ualde prudenter hoc faciens, propter eos qui illic aderant Iudæos. Si enim cognouiſſent illi q̃ occurſura eſſet Chriſto, abiiſſent, & caruiſſet teſtibus inſigne miraculum. Quia aũt exiſtimabant Mariã ad ſepulchrũ lachrymatũ proficiſci, propterea ſimul abierũt cum ea, miraculiq; ſpectatores fuerũt ac teſtes. Quomodo autẽ Martha inquit ad Mariam, Magiſter uocat te: tametſi Euãgeliſta non aſſignarit quod uocarit eam Dominus: hoc ſcilicet latenter inſinuat mandatum Marthæ à Domino ut uocet ſororem, uel aduentum Chriſti uocis loco habebat. Dicit igitur, Vocat te magiſter. Quomodo enim Chriſto præſente non debebat ad illum etiam illa uenire? Itaq; aduentum Domini, qui neceſſariò illam petebat ut occurreret ei, uocationẽ dicit Euangeliſta. Magiſter enim, inquit, adeſt. Iſtuc ipſum adeſſe, pro uoce factum eſt ad te. Detrectare enim non potes quin illum præſentem & tu accedas.

Illa ut audiuit, ſurgit citò, & uenit ad eũ. Nondũ aũt uenerat Ieſus in caſtellũ, ſed erat in eo loco ubi occurrerat ei Martha. Iudæi ergo qui erant cũ ea in domo, & conſolabãtur eam, cũ uidiſſent Mariã q̃ citò ſurrexiſſet, & exiſſet, ſequuti ſunt eam, dicentes, Vadit ad monumentũ, ut ploret ibi. Maria ergo cum ueniſſet eò ubi erat Ieſus, uidens eũ, accidit ad pedes eius, & dicit ei, Domine, ſi fuiſſes hic, non eſſet mortuus frater meus.] Cumprimũ audiuit adeſſe Ieſum, nõ ſegnis fuit Maria, ſed ſurgit, & ad eũ uenit. Vnde manifeſtũ q̃ nõ preueniſſet illã Martha, neq; prius, ſi quidẽ cognouiſſet iſta Ieſum uenturũ. Nondũ aũt Ieſus uenerat in caſtellũ. Tardius enim ibat, ne uideret̃ ad miraculũ p perare, ſed precib. illarũ exoratus hoc facere. Et quandoqdẽ magnũ erat futurũ miraculũ, & quale rarius fecit, erantq; multi acquirendi p illud, ꝓpter hoc diſpẽſat ut multi fiãt

miraculi

A miraculi testes. Dicit enim Euangelista quòd Iudæi qui erant cum illa in domo, sequuti sint illam. Maria autem maiori feruore quàm soror sua Martha accessit ad Christum. Viso enim illo inquit, procidit ad pedes eius, nō reuerita turbam, neq; suspicata adesse nonnullos qui inimico erga Christum essent animo. Ad nullum aūt hominum respiciebat præsente magistro, idq; unum curabat, ut illi summū impenderet honorem. dicit enim: Domine, si fuisses hic, non fuisset mortuus frater meus. Martha autem nihil tale fecit. neq; enim procidit, sed magis Christo promittente ei de fratre meliora, apparuit incredula. Tametsi & ipsa Maria adhuc imperfecta uideatur, dum dicit, Si fuisses hic, non fuisset mortuus frater meus: attamen Christus ad hanc non dicit quod ad sororem eius, eo quòd multa turba aderat, & non erat tempus eiusmodi uerborum, sed se illi attemperat, & denudat humanam suam naturam, & humanæ naturę proprietatem indicat. Audi enim quid dicat Euangelista:

Iesus ergo ut uidit eam plorantem, & Iudæos qui uenerant cum ea, plorantes, infremuit spiritu, & turbauit seipsum, & dixit, Vbi posuistis eum? Dicunt ei, Domine, ueni & uide. Lachrymatus est Iesus. Dixerunt ergo Iudæi, Ecce quomodo amabat eum. Quidam autem ex ipsis dixerunt, Non poterat hic qui aperuit oculos cæci, facere ut hic nō moreretur? Ad lachrymas quidem natura mota est, & turbabatur propter Mariam flentem & ipsam, & eos qui aderant. Dominus infremit in affectionem spiritu, hoc est increpat per spiritum confusionem, & cohibet illam, & sic rogat, ut non cum ululatu esset interrogatio. Quia enim contristatus fuit (homo enim erat uerè) ut credibilis esset humana natura, permisit illi proprium operari, & asperè tractat carnem, increpatq; eam spiritus sancti uirtute. Itaq; caro non ferens increpationem, turbatur & fremit, & cum mœrore pugnat. Hæc autem omnia Dominus naturam pati permittit, ut confirmet quòd uerè & non apparenter tantum sit homo, & ut doceat nos & terminos & modum tristitiæ ponere eiusq; contrario. Nam absq; cōpassione & lachrymis esse, bestiarum est: multum aūt lachrymari, plorare & contristari, mulierum. Igitur *Absq; cum passione esse, bestiarū est.*

B cum nostræ carnis & sanguinis particeps esset, particeps quoq; fuit humanarum & naturalium affectionū. Interrogat autem, Vbi posuistis, nō ut ignorans: quomodo enim ignoraret, qui sciebat, & mortuum cum procul esset: uerùm uult omnia ab eis discere, ne seipsum miraculo temerè ingerere uideatur, sed exoratus facere, quò & omnis suspicionis signa tolleret. Quia aūt nulla adhuc cōiectura resurrectionis Lazari ostensa erat, neq; illuc putabatur uenisse ut resuscitaturus illum, sed ut deploraturus, dicunt ei, Domine ueni & uide. Maligni aūt Iudæi iterū malignitatē contexunt, tametsi tanta calamitas ante oculos ipsorū sita erat. sed quid dicunt? Non potuit hic qui aperuit oculos cęci, facere ut hic nō moreret? Vellicabāt aūt miraculū cęci illuminati, cū deberēt signū illud admirari. Et hi à morte illius etiā illud quasi nō esset factū, calumniant, eleuādoq; ac taxando præoccupāt, & nō expectarūt finē rei. Ita ipsorū mētes corruperat inuidia.

Iesus ergo rursum fremens in semetipso, uenit ad monumentū. Erat aūt spelunca, & lapis impositus erat ei. Ait Iesus, Tollite lapidem. Dicit ei Martha soror eius qui mortuus fuerat, Domine, iam olet, quatriduanus enim est. Dicit ei Iesus, Nónne dixi tibi q; si credideris, uisura esses gloriā Dei? Sustulerunt ergo lapidem à loco ubi is mortuus fuerat positus. Iesus aūt attollens sursum oculos, dixit, Pater, gratias ago tibi, quoniam audisti me. Ego autem sciebam q; semper audis me, sed propter turbam quæ circumstat, dixi, ut credant quòd tu me miseris.] Quare Euangelista sursum deorsumq; uertit quòd lachrymatus sit Iesus, & infremuerit passioni? Vt nos discamus quòd uerè natura nostra amictus fuerit. Nam cum super omnes Euangelistas sublimiora de Domino loquatur, & magna diuinitatis eius mysteria tradat, eapropter & in corporalibus humiliora loquitur: unde & in luctu dicit quòd ualde se hominem ostenderit, ex hoc monstrās carnis ueritatē: ut tu discas q; quāuis Deus fuerit, fuerit & homo. Nam sicut Lucas ab agonia & guttis sanguineis & sudore, ita & hic à luctu credibile facit q; carnem uerè gestauerit, At cuius gratia non superposito lapide resuscitauit Lazarum, sed dicit, Tollite lapidem? Etenim cum mouerit mortuū corpus uoce, & eum qui diffluxerat animauerit, multo magis lapidem mouere potuisset uoce. Tollite (dicit) lapidem, ut illi testes fiant miraculi, & ne iterum dicant sicut de cæco: Hic est, non est hic. Nam & adesse in loco, & tollere lapidem suis manibus, sufficientia erant ad obturanda

Humanitas Christi aliàs ab alijs Euāgelistis indicata. Luc. 22.

Ioan. 19.

ingratorum ora, qui testes signi facti erant. Porrò Martha malè credula dixit, Iam fœtet, quatriduanus enim est. quasi impossibile existimans propter dierum multitudinem fratrẽ suscitari. ita adhuc humi reptabat. At Christus eam recordari faciens eorũ quæ antè dixerat, & fermè ut malè memorem increpans, dicit, Nónne dixi tibi ꝙ si crederis, uisura sis gloriã Dei? Discipulis igitur dicebat, Propter hoc mortuus est Lazarus, ut glorificetur filius Dei. Marthæ uerò inquit, gloriam uidebis Dei, de patre dicẽs. Infirmitas enim audientiũ in causa est ut hæc uarie dicantur. Nam cũ Iudæi adstarent ibi, non dignum erat dicere Dominũ, Videbis gloriã filij Dei. Alioquí uisus fuisset de seipso arroganter loqui. Nunc autem de patre cœlesti dicens, sermonem facit modestiorem, minusq; repudiandũ. Quare aũt precatus est, immò precãtis figuram suscepit, ipsum Dominum dicentem audí. Inquit enim, Propter circũstantem turbam dixi, ut credant ꝙ tu me miseris. Quod aũt dicit, ita se habet, Vt ne aduersariũ Dei me putent, ut ne dícant, nõ est ex Deo, ut ostendã opus hoc fieri secundũ tuam uoluntatẽ. Quod aũt hoc sit, & non propter alium usum, sed propter circunstantes uideatur orare, uide orationẽ, Gratías ago tibí, quí audísti me. Quis aũt orauit sic unquã? Prius enim quàm dixisset aliquid, inquit, Audí me. Et ita non oratio, sed figura orationis est, & indicium solum. Quod aũt nõ opus habeat oratione, manifestũ est ex multis alijs, quæ absq; oratione faciebat. Tibi dico dæmoniũ, egredere ab illo. &, Volo, mundus esto. &, Remittantur tibi peccata tua, quod maximũ omnium. Et, Mari, sile, & quiesce. Precatur itaq; ut circunstantes credant quòd è supernis sit, & non cõtrarius Deo. Nam si hęc faciens, & omnibus modis ostendens suam erga patrem gratitudinem; nihilominus dicerent, Non est ex Deo: quid non dixissent, si nihil tale fecisset?

Oratione Christũ opus non habuisse.
Luc. 4.
Matt. 8. 9.
Lucæ 12.
Matt. 8.
Luc. 8.

Atq; cum hæc dixisset, uoce magna clamauit, Lazare, uení foràs. Et prodijt qui fuerat mortuus, manus & pedes habens reuinctos fascijs sepulchralibus. Et facies illius sudario erat obuincta. Dicit eis Iesus, Soluite eum, & sinite abire. Multi ergo ex Iudæis qui uenerant ad Mariam. & uiderant quæ fecisset Iesus, crediderũt in eum. Quidã aũt ex ipsis abierunt ad pharisæos, & dixerunt eis quæ fecisset Iesus.] Cum gratias egisset patri Dominus potius quàm orasset, ut dictũ est (non enim egebat oratione, & orationis subsidio, utpote æqualis patri potentia) clamat uoce magna, ut authoritatem & potestatem habens. Non enim dixit, In nomine patris mei Lazare uení foràs: neq; Resuscita eum pater, sed cum authoritate ut dictum est, omníno ora eorum obturans qui illum patre minorem dicunt. Quid enim par potestati huic fuit unquam, dum loquitur mortuo tanquã uiuenti, & dicit, Lazare uení foràs? Ecce nunc opere impletum est hoc quod dixit, Venit hora cũ mortui audient uocẽ filij Dei: & qui audierint, uiuẽt. Nam ne quis existimet ꝙ Iesus ab alio acceperit operationẽ, prædicit ꝙ hoc per opera monstraturus sit. Cæterùm magna uox saluatoris quæ Lazarum suscitat, symbolum est magnæ tubæ quę sonatura est in cõmuni resurrectione. Magna aũt uoce clamauit Dominus, & id propter hoc, ut obstrueret ora gentiliũ dicentiũ in sepulchris esse animas. Vocat enim illam cũ clamore ut procul absentem. Quemadmodũ aũt resurrectio ista particularis, ita etiam uniuersalis in momento & nictu oculi erit. Egressus aũt est, inquit, qui mortuus erat, obuinctus manus & pedes. Non minus enim uidebatur esse mirabile uinctum egredi, quàm suscitari. Et miraculum erat uerè uinctum moueri, coniunctum miraculo resurrectionis. Iubet uerò illum solui, ut propè facti & attingentes uideant ꝙ ille ipse sit. Abire aũt illum dicit, ad fugiendam ostentationem. Non enim ducit illum secum, neq; iubet ut secum ambulet, ut sic sese ostentet. Facto autem miraculo, spectantium alij quidem crediderunt, alij autem annunciauerunt pharisæis, calumniantes nimirum ut prophanã rem, quia ausus fuerit imperare ut effodiatur sepultus.

Ioan. 5.
Vox Christi suscitantis Lazarũ.

Cõgregauerũt ergo pontifices & pharisæi concilíũ, ac dicebant, Quid facimus, quia homo hic multa signa facit? Si dimiserimus eum sic, omnes credẽt in eũ, & uenient Romani, & tollent nostrũ tum locũ, tum gentẽ.] Obstupescendus & admirabilis erat qui tanta facit miracula. Pharisæi aũt eum magis quærebãt occidere, id quod extremæ insipientiæ fuerit, ꝙ morti se tradituros existimabãt eum qui mortẽ in aliorũ uincebat corporibus: conabantq; ita gloriã eius obscurare, atq; post tanta miracula purũ hominem esse arbitrabantur. Quid facimus, dicentes, quia hic homo multa signa facit? Et quale hoc crimẽ, ꝙ signa facit? Oportebat ergo credere & †admirari, & nõ adhuc habere pro

† & adorare.

homine

A homine puro. Vide aũt malignitatem Iudæorũ, populum cõmouere studentium, quia rationẽ afferunt quasi populi multitudo periclitatura esset, & à Romanis perdenda ob tyrãnidis suspicionẽ. Nam si permiserimus eum sic, turbam multã habebit post se, quæ signorũ exhibitione sequetur, & nos omnes de tyrannide suspectos habebunt Romani, & tollent nostras ciuitates, & euertent. Hæc aũt (ut dixi) præ malitia dicebant. Vt enim nõ uideantur insidiari Christo propter inuidiã, cõmune periculum in mediũ afferunt, cõcitantes populũ contra Christũ, quasi perditionis author ille esset futurus. Ac cipe aũt & aliter miraculũ hoc. Est enim mens nostra amica Christo: sæpe aũt ab humana uincitur natura, & incidit in peccatũ, & moritur morte animæ miserabili, digna cui misereat Christus. Amicus enim est ei quæ est mortua. Sorores igitur & cognatæ mentis mortuæ, caro ut Martha (crassior enim & corpulẽtior est Martha) anima aũt ut Maria (quæ magis pia & honesta) accedant ad Christũ, & procidant, habentes & cõfessionis cogitationes, quæ ut Iudæi illam sequantur. Iudas enim confessio dicitur. Et omnino Dominus ubi astiterit ad sepulchrũ, & cæcitatem quasi lapidem quendã iacentẽ super sepulchrum, tolli iusserit, in memoriã reducendo futura & bona & supplicia, clamueritq; magna uoce tubæ euangelicæ, Lazare ueni foràs * ex sepulchro: ne sis sepultus in tẽporalibus distractionibus & affectionibus: sicut & discipulis dicebat, Nõ estis ex mundo, sed ego uos elegi de mundo. Et iterum Paulus, Et nos exeamus ad eum extra castra, hoc est, mundum. Atq; ita excitat à peccato mortuum (corruptæ enim fuerunt malitia cicatrices) qui propter hoc fœtebat quia quatriduanus mortuus erat, quatuor diurnis & lucidis uirtutibus priuatus, & ad illas immobilis & ociosus existens. Veruntamen quamuis & immobilis fuerit, manusq; ac pedes uinctus, ac propriorum peccatorum catenis cõstrictus, & ad omne opus bonum inutilis declaratus, quamuis etiam faciem sudario obtectus, ita ut nihil diuinum uidere queat à carnali uelamento impeditus, & in summa pessimè affectus, & secundum uirtutem practicã, quæ per manus & pedes, & secundum contemplatiuam, quæ per contectam faciem significatur:

B quamuis in quã sic miserè habeat, audiat tamen, Soluite illum, boni & cooperarij salutis angeli uel sacerdotes, & remissionem ei date peccatorum, ita ut ire ac moueri possit ad operandum bonum. Quidam autem per Martham quidem intellexerunt synagogam Iudæorum: Mariam uerò, ecclesiam ex Gentibus. Et synagoga quidem Iudæorum turbatur circa plurima (multa enim sunt mandata legis, & operatu difficillima) at ecclesia ex Gentibus non multis opus habet mandatis, sed paucis, in quibus tota lex & prophetæ pendent, quę de charitate posita sunt. Per fratrem autem illarum, qui ex mortuis surrexit, animas quæ propter peccatum in infernum descendunt, iuxta illud, Conuertantur peccatores in infernum. Illas enim animas resuscitat Dominus.

Vnus autem ex ipsis * Caiphas, cum esset pontifex anni illius, dixit eis, Vos nescitis quicquam, nec perpenditis q̃ expedit nobis ut unus homo moriatur pro populo, ac nõ tota gens pereat. Hoc aũt à semetipso non dixit, sed cum esset pontifex anni illius, uaticinatus est q̃ Iesus moriturus esset pro gente, & nõ tantũ pro gẽte, sed ut filios Dei qui erãt dispersi, cõgregaret in unũ. Ab illo ergo die cõsultabant inuicẽ ut interficerent eum.]Cum alijs apud Iudæos & pontificatus dignitas erat corrupta, simulac uenalitij facti fuerunt principatus, ne ultrà per omne tempus uitę unus, sed duntaxat in annum unum sacerdotio fungeretur. Et quamuis ita corrupta foret dignitas, adhuc tamen aderat spiritus sanctus operans in his qui uncti erant. Postquam autem manus iniecerũt in Iesum, tunc omnino gratia dereliquit illos, & trãsijt ad apostolos. Igitur alij quidem in specie concilij mortem Christi meditabantur, pontifex autem ita erat sanguinarius, ut & nudo (quod aiunt) capite, contra Christum impudentissimè sententiam ferret. Immò & alios quidem reprehendit, quòd non intelligerent quod oportebat, & ignaui essent in dispiciendo quid ad rem cõducat. Nam uos, inquit, nescitis quicquã. Desides, inquit, estis ad intelligendum, & non cogitatis quòd expediat unum mori, & saluari omnem populũ. Hoc autem ipse quidem siniſtro animo dixit. Veruntamen gratia spiritus ore illius usa est ad prædicendum futura, tametsi pollutum cor eius non attigerit. Vide igitur quanta potentia spiritus. Fecit enim ut à mala mente procederent uerba mirabilem habentia prophetiam. Nam mortuo Christo, omnes qui crediderũt ex Gente à magno & æterno supplicio liberati fuerunt. Et non pro gente solum Iudaica

Spiritualis textus discussio.

Iudas.

** è mundo Ioan. 15.*

Heb. 13.

Angeli & sacerdotes cooperarij Christi.

Psal. 9.

** Caiphas*

Caiphas sanguinarius.

daica mortuus est, sed & ut alij filij Dei hoc est gentes, in unum cõgregarentur. Filios autem Dei nominat gentes, uel ab eo quod erat futurum. Quandoquidem enim futu- A
Ioan.10. ræ erãt filij Dei, sic eas nominat: quemadmodũ & alio loco inquit, Et alias oues habeo: ab eo quod futurũ erat, etiam istas uocans. uel secundum q̃ omnium pater est, creando nos generans, uel secundum q̃ decorauit nos ad imaginẽ & similitudinem propriam
Act.17. condens. Igitur sicut & in Actis Paulus ad Athenienses concionans inquit, Genus igitur cum simus Dei. Itaq; quia homo animal est principale, & secundum hoc assimilatũ Deo, filius Dei dicitur omnis. Proinde cum dispersos nos uarijs modis satanas à Deo & ab inuicẽ diuulsit, ut unusquisq; sæuiret contra proximũ propter diuitiarũ amorem,
Omnes sumus ecclesia, singuli membra, Christus uerò caput. & uanam gloriã: Christus ita in unũ nos collegit ecclesiam, & sub unum coegit iugum tam eos qui propè, q̃ eos qui longè erant, unũ corpus faciens, ut is qui Romæ habitet, eum qui in India est, suũ membrũ esse credat, & omniũ unum caput fateatur esse Christum. Et ab illo die cõsultarunt ut interficerent Iesum. Manifestum q̃ ab illo die sententiam confirmarunt: & antea quidem cædem eius meditabantur, sed remissius, & quæstio magis erat q̃ sententia, nunc aũt postremum iudiciũ, & firma sentẽtia. Prius enim,
Honorandi sacerdotes ob gratiam, etsi mali. inquit, quærebant occidere illum. Et ipse quoq; eos arguens inquit, Quid me quæritis occidere? Cõsidera igitur pontificalis dignitatis uirtutẽ, qũo plena sit gratia spiritus, tametsi indigni sint qui illam gerant. Et honora sacerdotes dignè propter gratiam in eis, non propter eorũ uoluntatem. Igitur non solus Caiphas prophetat, sed & alij multi in-
Gen.41. Dan.2. digni futura uiderũt, Pharao de fertilitate ac sterilitate, Nabuchodonosor de regnis &
Num.24. Christo, & Balaam de Christo. Non aũt continuò si quis prophetat, propheta dicitur: sed si quis propheta, ille & prophetat: sicut neq; omnis qui medicinã parat, medicus: sed qui iuxta medendi rationẽ medetur, is medicus dicatur. neq; iustus, iusium quid-
Deut.16. dam faciens, sed qui iustè facit, iuxta dictũ illud, Iustè quod iustum est persequere. Prophetat & Caiphas, sed non prophetica mente, & propterea non propheta.

Iesus ergo iam non propalam ambulabat inter Iudæos, sed abijt in regionem iuxta desertum, in ciuitatem quæ dicitur Ephræm, & ibi uersabatur cum discipulis suis. In- B
stabat autem pascha Iudæorum, & ascenderunt multi Hierusalem è regione ante pascha, ut purificarent se. Quærebant ergo Iesum, & colloquebantur inter sese in templo stantes, Quid uidetur uobis q̃ non uenit ad diem festum? Dederant autem pontifices & pharisæi præceptum, ut si quis cognouisset ubi esset, indicaret, ut comprehenderent
Periculis ne nos se temere ingerat. eum.] In condemnationẽ Iudæorum secedit Dominus: interim & nos docens, nenos temerè periculis ingeramus etiam pro pietate: sed stemus quidem fortiter deprehensi. non deprehensi autem ne in uoluntarium periculum propter incertum euentum irruamus. Vide autem stultam Iudæorum sententiam. neq; tempore festiuitatis à cæde abstinent, sed cædem cõmittere consultant. Et ascenderunt ut purificarentur. Qui peccarant uel sponte, uel inuiti, non agebant pascha, nisi prius purificati essent, iuxta consuetudinẽ, loti & ieiunantes, & rasi, & deputata quædam sacrificia offerentes. Illi igitur optimi insidiabantur Domino, & dicebant, Quid uidetur uobis q̃ non ueniat ad festum? Hoc est, Necessariò aderit: & si nihil aliud, tempus coget illum illaqueari. Omalitiam. Cum magis oportebat condemnatos propter festiuitatem absoluere, tunc insonti insidiantur. Et si quidem priuati hæc soli fecissent, uisum fuisset imperitiæ dandum: nunc autem pharisæi præcipiunt ut prodatur & comprehendatur. Rectè igitur abscedit ab illis. Nam uerbum Dei prius quidem liberè ambulabat in Iudæis, cum per prophetas annunciaretur: nunc autem non ultrà, sed secedit in solitudinem, Gentium ec-
Esai.54. clesiam, de qua dictum est, Filij desertæ plures, quàm eius quæ habet uirũ. Porrò propè Ephræm erat solitudo illa. Ephræm autem dicitur fertilitas. Frater hic posterior erat
Exod.4. Manasse, qui natu maior erat, Manasse uerò interpretatur obliuio. Itaq; Iudæorum po-
Hiere.31. pulus, erat filius Dei maior natu. Filius enim meus, inquit, primogenitus Israel. sed uenit in obliuionem coram Deo. Ephræm autem, hoc est fertilitatem ex gentibus secundum filium facit Dominus. In desertum igitur Ephræm, gentium scilicet ecclesiam per Euangelium frugiferam, uerbum exijt, Iudæa derelicta.

CAPVT XII.

Mat.26. Marc.14. IEsus ergo ante sex dies paschę uenit Bethaniam, ubi Lazarus fuerat mortuus, quem suscitauit à mortuis. Fecerunt autem ei cœnam ibi, & Martha ministrabat, Lazarus

uerò

A uero unus erat de numero discumbentiū cum eo. Maria ergo accepit libram unguen
ti nardi pistic̄ pretiosæ, & unxit pedes Iesu, & extersit pedes eius capillis suis. Domus
autem impleta est ex odore unguenti.] Decima quidem mensis accipiunt ouem im- Exod. 12.
molandam in pascha, & ex eo tempore requirere incipiunt quæ necessaria ad festum.
Deniq; & cœna quæ ante sex dies, quæ est nona mensis, lautius epulant̄, & initia festi-
uitatis illo die faciunt. Ideo & Iesus simul cœnauit in Bethaniam ueniens. Ostendere
autem uolens Euangelista ueræ resurrectionis Lazari signum, dicit: Lazarus autem
unus erat recumbentium. Non enim ut apparuit, statim mortuus est, sed mansit mul-
to tempore, solita faciens, comedens ac bibens, atq; alia agens. Dicendo autem quòd
Martha ministrarit, significauit quòd in domo eius cœna fuerit. Obserua autem fidem
mulieris, quomodo non permiserit ancillis ministerium, sed per seipsam ministret. Et
Paulus de muliere uidua dicit, si sanctorum pedes lauerit. Igitur ipsa omnibus mini- 1. Tim. 5.
strat: Maria autem soli Christo honorem impendit, quoniam eum non accedebat ut
hominem, sed ut Deum. Nam unguentum propterea effudit, & capillis capitis tersit,
quòd non haberet opinionem de illo, qualem multi, tanquam de puro homine, sed ut
Domino & Deo. Assumitur autem Maria in anagogica expositione ad deitatē pa- Expositio
tris & Domini omnium. Maria enim domina interpretatur. Igitur Domina omnium anagogica.
deitas patris unxit pedes Iesu, carnem dico uerbi quæ in nouissimis, unguento spíri-
tus, sicut & Dauid dicit, Propterea unxit te Deus tuus oleo exultationis. Et magnus il- Psal. 44.
le Petrus, Cognoscat omnis domus Israel, quia Dominum & Christum illum Deus Act. 2.
fecit, hunc Iesum quem uos crucifixistis. Nam caro à uerbo assumpta, diuino spíritu,
qui accesit ad uterum uirginis, uncta est, & facta id quod uerbum, hoc est Deus: im-
pleuitq; mundum sua fragrantia, sicut & unguentum Mariæ domum omnem bono
odore repleuit. Qui autem capilli quibus extersit pedes? Vel certè qui ornant caput
Dei, & principalem eius substantiam, sancti. Hi enim quia sunt in gloriam Dei, mun-
dus & ornatus eius utiq; dicunt: quia & participes facti sunt unctionis carnis Domini,
B quos & Dauid participes uocat, & Paulus quoq; ad Corinthios dicit, Qui confirmat 2. Cor. 1.
nos uobiscum in Christo, & unxit nos Deus. Et passim Christos scimus dici eos, qui Qui Chri-
secundum Christum uixerunt. Igitur per capillos Christiani intelliguntur, qui pedes sti dicātur.
exterserunt Iesu, & participes facti sunt diuinæ unctionis. Mortuum quiddam capilli
sunt, mortui sunt & hi qui Christi. Carnem enim suam crucifixerunt, & mortificarunt Galat. 5.
membra quæ super terram: mundoq; mortui sunt. Ornant caput capilli, & gloria sunt
illius. Gloria Dei sunt & sancti, quorum lux coram hominibus fulget, & glorificatur Matth. 5.
propter eos pater. Illi & edunt ac bibunt in gloriā Dei, & in membris glorificant eum.
Et tu quoq; quia mentem tuam tanquam alterum Lazarum resuscitauit Iesus, & susci-
pis illum in domū animæ, & cōuiuium habet cum eo mens quę resurrexit: unge pedes
Domini ante sex dies paschę, priusquā ueniat pascha futuri seculi, quamdiu in mundo
hoc uersaris, qui in sex diebus est conditus. Pedes Christi, apostolus & Euangelium:
& ut summatim dicā, ipsa mandata. per ea enim in nobis ambulat. Ad hæc igitur man
data adfer unguentum, affectum uidelicet ex uarijs uirtutibus, quarum optima est tan
quam nardus, feruida fides collectum. Nisi enim feruidam & studiosam uirtutibusq;
præditam habitudinē erga mandata ostenderis, mortuisq; tuis membris quasi capillis
exterseris, & nisi illum receperis, non poteris domū tuam benedictione replere. Sunt
etiā pedes Domini, minimi fratres, per quos uadit Christus ad uniuscuiusq; sanuā quę-
rens quæ utilia sint: quos unge eleemosynæ unguento. Atq; multi quidem miserentur
ad ostentationē: ideo nullam in se utilitatem recipiunt. Receperūt enim mercedem in Mat. 6.
hac uita. At tu exterge capillis capitis, utilitatem in anima tua accipe, in principali par-
te lucrum eleemosynæ congrega: & si quid mortuum habes, & inanimatū, sicut sunt
capilli, in hoc bono unguento intingito. Peccata enim tua, inquit, eleemosynis dele. Dan. 4.

Dicit ergo unus ex discipulis eius, Iudas Simonis Iscariotes, qui erat eum proditu-
rus: Quare hoc unguentum non uenit trecentis denarijs, & datum est egenis? Dixit
aūt hoc non quia pauperes illi curæ essent, sed quia fur erat, ac marsupiū habebat, eaq;
quæ mittebantur, portabat. Dixit ergo Iesus, Sine illam, in diem sepulturæ meæ ser-
uauit istud. Pauperes enim semper habetis uobiscum: me uerò non semper habetis.]
Iudas cum esset auarus, reprehendit honoris modum, Quare enim non obtulisti pe-

cuniam,

cuniam, inquit, ut possem scilicet furari, sed unguentum? Quomodo igitur alius Euan
Matth. 26. gelista dicit q̃ omnes discipuli hoc dixerint? Dicendum igitur q̃ omnes quidem dixerint, sed non tali mente alij, quali ille. Non reprehendit autem eum Dominus, quãuis sciret furaci animo hoc illum dixisse (nolebat enim illum confundere, docens & nos longanimes debere esse erga tales) sed occultè opprobrat ei proditionem, & quòd propter auaritiam traditurus esset eum in mortem. Ideo & sepulturæ meminit, perstringens insipientiam eius, si quo pacto corrigatur. Et quod subditur, talem quendam sensum habet, Pauperes enim, inquit, semper habetis uobiscum, me autem nõ semper habetis, eo quòd breui abiturus sum, te mihi mortem machinante. Igitur si onerosus ubi sum, & molestus ille in me honor, expecta paulisper, & eris liber à me: & tũc scies num propter pauperes opus habeas unguenti uenditione. Quare autem, si quidem auarus erat & fur, pecuniarũ dispensationem ei permisit Dominus? Propter istucipsum quòd fur erat, ut omnem ei occasionem auferret. Non enim poterat dicere quòd propter pecuniarum amorem eum prodiderit. Nam satis consolationis ex marsupio habebat, & neq; marsupium gerens fidelis erat. Portabat enim, hoc est furabatur, quæ mittebantur. sacrilegus erat, in suum usum rapiens ea quæ in diuinum dabantur. Audiant sacrilegi quarum partium sint. Et caput malitiæ est, quòd postea uendidit Dominum. Vi-
1. Tim. 6. des quò serat auaritia? Ad proditionem. Bene igitur Paulus radicem omnium malo-
Radix omnium malorum auaritia. rum hanc uocauit, utpote quæ prodiderit Dominum, & quotidie hoc faciat. Nonnulli aiunt ideo creditam Iudę pecuniarum dispensationem, ceu minorem alijs. Nam pecunijs ministrare minus est quàm doctrinæ: sicut & in Actis dicunt Apostoli, Non licet nobis relicto sermone ministrare mensis.

Act. 6. Cognouit ergo turba multa ex Iudæis quòd esset illic: & uenerunt non propter Iesum tantum, sed ut Lazarum quoq; uiderent, quem suscitauerat à mortuis. Consultabant autem principes sacerdotum ut & Lazarum interficerent, quia multi propter illum abibant ex Iudæis, & credebãt in Iesum.] Beneuoli fuerunt hi qui ad Iesum uenerunt, & non sicut alij, maleuoli & insani. Venerunt enim, inquit, nõ propter Iesum tantum, sed ut & Lazarum uiderent. Nam cum reuera maximum miraculum esset, multi cupiebant eius qui surrexerat spectatores fieri: fortasis exectantes audire à Lazaro de ijs quæ in inferno. Pharisæi autem tam inhumani erant, ut non solum Iesum, sed & Lazarum occidere cuperent, eo quòd multis author salutis fieret, & miraculo suo ad fidem simpliciores adduceret. Ita apud illos crimen erat, si cui benefieret: immò hoc malè habebat eos, quòd instante die festo omnes ad Bethaniam currerent, fierentq; auditores miraculi, & spectatores eius qui resurrexerat.

Mat. 23. Postero die turba multa quæ uenerat ad diem festum, cum audissent quòd ueniret
Mar. 14. Iesus Hierosolymam, acceperunt ramos palmarum, & processerunt obuiam ei, & da-
Luc. 19. mabant, Hosanna, benedictus qui uenit in nomine Domini rex Israel.] Cum secessisset paululum in solitudinẽ Dominus, ut restringueret furorem homicidatũ, iterum libere accedit, & iterum comparet. Instabat enim tunc tempus passionis, & non ultrà oportebat eum latêre, sed dare se pro salute mundi. Vide autem consequentiam passionis. Suscitauit Lazarum, miraculo hoc maximo omniũ ad finem reseruato: ea propter multi confluebãt, & credebant: credentibus multis maior nascebatur inuidia: inuidiam autem secutę sunt insidię & mors. dicit enim, Cum audissent turbæ quòd ueniret Iesus, occurrerunt ei cũ gloria, propter miraculum Lazari maiorem illi impendentes honorem, quàm homini puro debeatur. Non enim ultrà ut prophetam habebant illum. Quem enim prophetarũ sic uenerati sunt olim unquã? Vnde & dicebant, Hosanna, benedictus qui uenit in nomine Domini. Ex his autem uerbis colligimus primùm quidem quòd Deus sit. Nam hosanna interpretatur, salua obsecro: sicut & in centesimodecimoseptimo Psalmo à 70. in Græcum uersum est, ubi Hebraicè habet, hosanna. Græcè dicitur, O Domine, salua obsecro. Saluare autem solius Dei est: & ad ipsum dictum est, Salua nos Domine Deus noster. Et ex omnibus locis collegerit quis quòd salutem soli Deo scriptura tribuat. Igitur primùm quidem hoc ostendunt, quòd dicta Dauid de Christo, doceãt quòd Deus sit. Deinde q̃ & propriè Deus. Nam qui uenit, inquit, non qui ducitur. nam hoc seruitutis est, illud autem potestatis. Dicendo uerò, in nomine Domini, istucipsum docet, q̃ ipse uerus sit Deus, nõ enim dicit eũ uenisse nomine

A mine serui, sed Domini. Et insuper asserunt quod non sit aduersarius Deo, sed in nomine patris uenerit, sicut & ipse Dominus inquit, Ego ueni in nomine patris mei: alius autem ueniet in nomine suo. Porrò regem Israel appellauerunt eum, fortassis sensibile quoddam regnum imaginantes. expectabant enim ut surgeret rex maior supra quàm sit humana natura, qui liberaret eos à Romanorum imperio. Ioan. 5.

Nactus autem Iesus * asellam, sedit super eam: sicut scriptū est, Noli timere filia Sion, ecce rex tuus uenit sedens super pullum asinæ. Hæc autem non cognouerunt discipuli eius primùm: sed quando glorificatus est Iesus, tūc recordati sunt q̄ hæc essent scripta de eo, & quòd hæc fecissent ei. Quomodo alij quidem Euāgelistæ Dominum dicunt ad discipulos dixisse, Soluite, & adducite mihi: Ioannes autem hic nihil tale dicit, sed tantum inquit, Nactus Iesus asellā. & cur hoc? Nunquid inter se dissident? Cæterùm quod illi dixerunt fusius, hic quodam compendio dixit, nactus Iesus asellam. solutam enim à discipulis & adductā inuenit, & sedit super eam, & propterea etiā prophetiā impleuit Zachariæ, qui dixit, Ne timeas filia Sion, ecce rex tuus uenit tibi sedēs sup pullū asinę. Quia enim ut in plurimū reges Hierusalē iniusti & auari fuerūt, dicit propheta, Ne timeas Sion. nā rex de quo prædico tibi, nō talis est, sed mitis & modestus, & nullā præ se ferens arrogantiā: idq̄ ostendit ex eo q̄ insidens asino ueniat. Non enim exercitum post se trahens ingressus est, sed asino uectus. Erat & futuri symbolum quòd ipse sederit super asina. Immundū enim animal hoc in lege, symbolum erat immundi Gentilium populi, super quo insedit Dei uerbum Iesus, subijciens indomitum & ineruditū illum quasi pullum, nouum dico populum: & adduxit in Hierusalem ueram, cū factus esset subditus ei. An non & eos qui ex Gentibus, congregauit in cœlum Dominus, factos sibi in populum, & obedientes eius prædicationi? Declarabant autem & palmæ, fortasse quidē q̄ & uictor fuerit mortis, resuscitato Lazaro. Palma enim in certaminibus datur uictoribus. Fortassis autem significabāt eum qui laudabatur, cœlestem esse, & è summis uenisse. Sola enim aliarum arborum erigit se in ipsum cœlum, ut sic dicam. * ὀνάριον asellum uel asellam. sic & in sequē tibus. Asini symbolum in lege. Palma uictoribus tributa.

B In summitate autem folia habet, alba germina in folio ferens. Porrò in trunco & medijs usq̄ ad fastigium aspera est, & uix ascensilis: in ramis autem uirgas erectas promittens. Ita & qui ad cognitionem uerbi & filij Dei properat, asperam quidem illam inuenit, ambulans per labores uirtutis. Veniens autem ad summitatem scientiæ, assequetur fulgidissimum lumen cognitionis diuinæ, & reuelationem inuisibilium & ineffabilium, quasi candidissima palmarum germina. Cæterùm admirare hic Euangelistā quo modo non erubescat, sed inuulget primùm Apostolorum ignorantiam. Hæc enim, inquit, non cognouerunt discipuli eius primùm, sed quando Iesus glorificatus est. Gloriam autem dicit ascensionem post crucem & passionem. Tunc enim cognouerunt in aduentu spiritus, quòd de illo essent scripta. Nam fortassis sciuerunt quòd fuerint scripta: quòd autem de Iesu, ignorauerunt: idq̄ utiliter, alioqui scandalizati fuissent cum crucifigeretur, si quidem rex à scriptura annunciatus fuisset talia patiens.

Testabatur igitur turba quæ erat cum eo quando Lazarum uocauit de monumento, & suscitauit eum à mortuis. Propterea & obuiā uenit ei turba, q̄ audierant eum edidisse hoc signū. Pharisæi ergo dixerūt inter se, Videtis quòd nihil proficitis, ecce mundus post eum abijt. Turba, inquit, quæ uiderat miraculū de Lazaro, testis erat & annūciatrix potentiæ ipsius: ideo & occurrerūt ei cū gloria hi qui audierant hoc factū signū, scilicet credentes. Neq̄ enim nisi credidissent, ita repētè † inde abijssent. Pharisęi aūt dicentes, Videtis q̄ non proficitis quicq̄, non ex malitia hæc loquuntur, non enim fuerunt ex his qui mortem meditati erant Iesu, sed beneuoli quidē esse uidenī, sed nondū liberè loq audentes, eo q̄ nō audebant manifestè resistere his qui cōtra Dominū fæuiebant: & per occasionem tentant reprimere illos, ferè talia dicentes: Quæ uestra utilitas ex multis contra hominem hunc insidijs? Quantum enim insidiamini, tantum hic crescit, & augetur gloria eius. Nam mundus, hoc est, omnis multitudo, post eum uadit: atque ita quia nihil efficitis, cessate ab insidijs, ut ne frustra iniustitiam patretis. † fuisset cō uersi.

Erant autem quidam Græci ex his qui ascenderāt ut adorarent in festo. Hi ergo accesserunt ad Philippum, qui erat à Bethsaida Galilææ, & rogabant eum dicentes, Domine, uolumus Iesum uidere. Venit Philippus, & dicit Andreæ: Andreas rursū & Philippus dicūt Iesu. Iesus autem respondit eis dicens, Venit hora ut glorificetur filius hominis,

minis. Amen amen dico uobis, nisi granum frumenti defectum in terram mortuũ fue A
rit, ipsum solum manet: si uerò mortuum fuerit, multum fructum affert.] Propter pul-
chritudinem templi, & ea quæ de Iudæis dicebantur, multi etiam Græcorum ascende
Proselyti qui. runt adoraturi. Parum autem aberat quin hi proselyti fierent, hoc est, ad Iudaismum ac
cederent. Igitur fama communicata de Iesu, accedunt ad Philippum, & rogauerunt eũ
ut uiderent Iesum, hoc est petiuerũt. At ille (sed uide modestiam, & bonũ ordinem) An
dreæ dicit, tanq; ei qui ante se erat: & ille nõ arrogat sibi suggestionem, non enim in au
thoritate erat, sed simul accipit & Philippum, & ita fidenter Domino referunt. Tantus
ordo, amorq; mutuus inter eos erat. Quid igitur Dominus? eũ discipulis interdixisset
Matth. 10. ne in uiam gentium abirent, uideretq; gentes se iam accedere (Græci enim qui uolebãt
Luc. 10. cum uidere, omnino Gentiles erant: Iudæos autem sciebat sibi insidiari) Tempus, in-
quit, nunc est accedendi ad passionẽ. Venit enim, inquit, hora crucis, ut glorificei filius
hominis. Nã quid opus est Gentes quę nos accedunt, non suscipere, & accurrere ad Iu
deos, qui oderũt & persequuntur? Igitur quia ex Gentibus ueniũt ad nos, nunc est tẽpus
ut crucifigar. Igitur permittã Iudæis ut insidiandi finem faciant, & permittã eis ut cru
cifigant me, ut certè nullã habeãt excusationem posthac, cum iustè reliquero eos ut cru
cifixores & interfectores meos, & cõtulero me ad gentes, quæ nunc uenire inceperũt
ad doctrinam meam. Nam ualde iniustũ est nihil dari Gentibus, quę uerbũ ac salutem
sitiunt: Iudæis autem qui respuunt sibi data, & insidiantur benefactori, luxum suppedi
tare. Insuper ne scandalizentur discipuli q, quando & gentes accedere inceperũt, tunc
moriatur, dicit q, suum mori fidem gentium magis aucturum sit. Nam sicut granum
frumenti cum seminaueris, moritur, & tunc multum fructum affert: ita utique & mea
mors magnum fructum in fide gentium apportat: & ita nullus scandalizetur, quòd ad
† non pro- ductio gentium per mortem meam † prohibeatur, sed ab exemplo grani credat casum
hibeatur. in morte mea, incrementum eorum qui crediderint, allaturum. Nam si hoc in grano
fit, multo magis in me. Cum enim mortuus fuero, & resurrexero, multo magis osten-
dam uirtutem meam, cum enim resurrexero, omnes credent mihi ut Deo. B

Qui amat animam suam, perdet eam: & qui odit animam suam in hoc mundo, in ui
tam æternam custodiet eam. Si quis mihi ministrat, me sequatur: & ubi sum ego, illic
& minister meus erit. Si quis mihi ministrauerit, cohonestabit eũ pater.] Quoniã prope
erat passionem Dominus, & sciebat discipulos mœrore plenos fore: ideo dicit q usque
adeò non oportet uos in mea morte mœrere, ut etiam uos quoq; nisi moriamini, nul
lum lucrum habebitis. Et in summa, omnis homo qui præsentem uitam diligit, & ani
mam suam amat, hoc est, sua desideria absurda facit, & permittit ei quod non oportet,
nec contemnit mortem, perdit eam: qui autem odit illam, hoc est qui non concedit ei,
neq; ab illa flectitur, custodiet illam in uitam æternam. Volens aũt ostendere magnam
auersationem quæ habenda est erga concupiscentias animæ dixit, qui odit. Etenim
non sustinemus ut uideamus faciem uel audiamus uocem eorũ qui odio habentur. Igi
tur sic oportet esse affectos in absurdos animæ appetitus, ut extremo odio illos habea
mus. Quod autem dicit, qui odio habet animam suam in hoc mundo, declarat tempo-
ralem rem esse. Nã quia uidetur crudele præceptũ & graue, mitigat illud per hoc quod
adijcit, in mundo hoc. Non enim, inquit, in immensum tempus iubeo haberi odio ani
mam, sed in hoc transitorio mundo auersari eam quę tibi tam absurda imperat. Subdit
autem & lucrum, dicens, In æternam uitam custodiet eam. Odio quidem habes ad tem
pus, in secula autem seruas uiuentem diuinam uitam. Cum autem adhortatur eos ma
gis ad contemptum præsentis uitæ, & contra mortem animat, dicit, Qui mihi minis-
trat, me sequatur: ita promptus sit ad mortem, ut ego. Imitationem autem hic per ope
ra dicit. Deinde & consolatio sequitur, Vbi ego sum, & minister meus erit. Vbi autem
Christus? In cœlis: & ita qui per mortem eum sequitur, & non adhæserit huic mundo,
illic erit in cœlis. Opponuntur enim inter se sursum & deorsum. Qui diligit infrà esse,
sursum non erit: qui autem fugit quæ infra sunt & mundum, sursum & in cœlis erit.
Nam si quis mihi ministrauerit, inquit, honorabit eum pater. Non dixit, ego honora-
rabo eum, sed pater: commendans per hoc quòd uerus filius sit. Pater enim honore
prosequetur talem, ut ministrum ueri filij. Præterea per hoc docet quòd non sit contra
Exhortatio rius Deo. Deus enim & pater non cohonestaret eum qui sibi aduersatur. Igitur ne ame

mus

A amemus animam nostram, ut seruemus à periculis pro ueritate, ut nolimus affligi pro bono: sed si quidem ministri Christi sumus, exponamus eam periculis pro ueritate. Et erimus omnino ubi nunc est Christus. Non de diuinis loquor dignitatibus, nam ille natura est Deus, sed in quibus humana natura ornari potest, ut ille Deus natura sit, nos dñi gratia & adoptione.

Nunc anima mea turbata est. Et quid dicã? Pater, serua me ex hac hora, sed propterea ueni in horam hanc, Pater, illustra nomen tuum. Venit ergo uox de cœlo: Et illustraui, & rursus illustrabo.] Quid est quod dicit? Videtur enim sibiipsi contraria loqui. Nã qui superius uidetur admonere ut exerceamur & parati simus ad mortem, & odio habeamus animã, hic nunc turbat, inquit, moriturus: quod non est exhortantis ad mortem, sed auertentis. At si rectè consideraueris, inuenies q̃ turbari ipsum, adhortatio sit ad contemptum mortis. Vt enim nequis possit dicere quòd ipse extra humanas passiones constitutus, facilè de morte philosophetur, & ipse extra pericula alios admoneat: ostendit quòd & ipse ab humanis proprietatibus tentatus sit, & nostræ naturæ fuerit particeps, quamuis absq̃ peccato. Idcirco quamuis mœreat & turbetur ut homo, qui natura uitę amans est, nõ tamen mortẽ deuitat utpote quæ esset pro mundi salute. Propterea enim, inquit, ueni in hanc horã, ut pro omnibus mortem suscipiam. Docet aũt per hæc nos, ut nos etiãsi turbemur & mœreamus, non fugiamus pro ueritate mortem: q̃a & ego, inquit, cũ turber (homo enim uerè sum, & permitto naturæ ut sua ostendat) attamen non dico ad patrem ut saluet me ex hora hac. Sed qd dico? Illustra tuũ nomen, hoc est, probetur tibi ut ego suscipiã crucem & periculũ pro salute omniũ. Vide aũt q̃ gloriã Dei nominauit mori pro ueritate. ideo & pater, Et illustraui, inquit, & iterũ illustrabo. Nã & miraculis quæ ante crucem, quæ & in meo nomine perficiebas, illustraui: & iterũ factis per te miraculis in ipsa cruce illustrabo, & post sepulturã cũ resuscitauero te, & spiritũ misero, magis glorioſum & meum nomen & te constituam. Sunt aũt qui intelligunt hoc dictum, Nunc anima mea turbata est: nõ q̃ Dominus timeat mortem se-

Mori pro ueritate, gloria Dei.

B cundum humanam naturam, sed præuideat eiectionem generationis Iudæorum exasperatricis, & dolens ac parcens eis turbatur propter eos, & misericors dolorem in se accipit. Neq̃ enim dicunt quòd mortem timeat. Non enim ignorabat quam ob causam ad nos profectus esset, sicut & ipse dicit, Propter hoc ueni in horam hanc. Alioquí quo modo adhortatus fuisset alios, dicens, Ne timeatis eos qui occidunt corpus?

Matt. 10.

Turba ergo quę stabat & audierat, dicebat tonitruum esse factum: alij dicebant, Angelus ei loquutus est. Respondit Iesus, & dixit, Non propter me hæc uox uenit, sed propter uos. Nunc iudicium est mundi huius: nunc princeps mundi huius eijcietur foràs. Et ego si exaltatus fuero à terra, omnes traham ad meipsum. Hoc autem dicebat significans qua morte esset moriturus.] Plures cum crassiores essent & imperitiores, putauerunt tonitruum esse uocem, quanuis articulata uox esset, & cognoscibilis. Statim enim obliti erant uerborum uocis, & solum eius sonum tenebant. Alij autem & uerba uocis tenebãt, quæ dicebat, Illustraui, & iterum illustrabo. Non intelligentes autem quis uerborum sensus, ab angelo dicta esse putabant, & ideo intellectu difficilia, utpote ab angelo dicta. Iesus aũt, Non propter me (inquit) facta est hæc uox, sed propter uos. Equidem nõ opus habeo ut discam quòd illustrauerit pater, iterumq̃ illustraturus sit nomen suum: uos autem opus habetis, ut discatis q̃ nõ sim aduersarius Deo, sed in gloriã nominis Dei. Nam si per me nomẽ Dei illustrandũ, quomodo sum aduersarius Dei? Propter uos igitur facta est uox, ut sciatis q̃ in gloriam sim Dei. Quanuis aũt scire non possitis, saltem interrogate, & discite quod ignoratis. Dicendo autem, Nunc est iudiciũ mundi huius, uidetur quidem superioribus malè cohærere. Qualem enim consequentiam habet hoc ad illud quod dictum est, Et illustraui, & iterum illustrabo: Omnino aũt rectè sequitur. Nam quia superius dixerat pater, Illustrabo, ostendit nobis Dominus modum illustrationis. Et quis ille? Vt eijciatur quidem foràs mundi dñs, & uincatur: iudicetur autem mundus, hoc est, de eo ultio sumatur. Quod autem dicit, hunc sensum habet. Nunc iudicium & ultio mundi fit. Quia enim diabolus mundum morti subiecit, peccato omnibus hominibus obnoxijs factis: ad me, inquit, cum uenerit, & peccatũ in me non inuenerit, morti aũt ex æquo submiserit, condemnabitur à me, & sic ego ultionẽ de mundo sumã. Esto enim q̃ alijs mortem propter peccatũ attulerit: in

me quid tale uidet quod in reliquis, ut occidat? Igitur mundi iudicium, hoc est ultio, A
nunc à me fit. quia enim ego occidam eum qui omnes occidit, & me quoq; insontem
interfecit, ultor ero omnium qui ab ipso occisi sunt, & eijcietur foràs tyrannus, per mor-
tem meam condemnatus. Nam eijcietur foràs, metaphora est sumpta ab his qui in iu-
dicijs condemnantur, & à tribunali exiguntur. Vel & sic intelligas, eijcietur foràs, hoc
est, in externas tenebras: sed & priuabitur principatu quem in homines habebat, &
non ultrà regnabit sicut prius in illis, & illorũ animabus, ac mortali corpore. Sed om-
nes ego traham ad me, cum exaltatus fuero in cruce. Nam omnes, etiam qui ex gen-
tibus, ad fidem in me trahent. Etenim quia ipsi non possunt ad me uenire, eo q; à tyrãno
detenti sunt, ego uicto illo, & foràs ei ecto, & resectis neruis potentiæ eius cõtra homi-
Mar. 3. nes, trahã etiã nolente illo. Id alio loco etiã rapinã nominauit. Nullus enim, inquit, po-
test uasa fortis diripere, nisi alliget fortem. Dicebat aũt, Et si exaltatus fuero, significans
qua morte esset moriturus, hoc est, crucifigendus. Nam hoc significat altitudo crucis.

Respondit ei turba, Nos audiuimus ex lege q; Christus manet in æternũ, & quomo
do tu dicis, oportet exaltari filiũ hominis? Quis est iste filius hominis? Dixit ergo eis Ie-
sus, Adhuc breue tempus lumen uobiscũ est. Ambulate donec lucẽ habetis, ne uos te-
nebræ occupent. Et qui ambulat in tenebris, nescit quò uadat. Dũ lucẽ habetis, credite
in lucem, ut filij lucis sitis.] Existimantes reprehensuros se Dominũ, & cõfutaturos eum
quasi nõ esset uerus Christus, dicunt, Si Christus quidẽ immortalis est, tu aũt de te dicis
quòd sis exaltandus, quomodo igit credemus te esse Christũ? Hoc aũt immeritò dice-
bãt. Nã scriptura, quã legẽ appellant, nõ solũ resurrectionis, sed & passionis meminit.
Esai. 53. Etenim Esaias utrunq; ponit, passionẽ quidem & mortẽ, sic dicens, Vt ouis ad occisio-
nem ductus est. Resurrectionem autem, dicẽdo, Et Dominus uoluit eum purificare à
plaga, & ostendere ei lumen. Dauid quoq; & mortis & resurrectionis mentionẽ facit.
Psal. 15. Non derelinques, inquit, animã meã in inferno. Et patriarcha quoq; benedicens Iudã,
Gen. 49. de Christo prophetizat, requiescens dormiuit ut leo, & sicut catulus leonis: quis excita
bit eum? Atq; ita qui hic negabant passionem, & immortalitatem Christo tribuebant, B
maligna id mente faciebant. Nos didicimus ex lege, hoc est, scriptura (dicitur enim
Scriptura lex dicitur. omnis scriptura, ut sæpe diximus, lex) quòd Christus maneat in æternum. Verisi-
mile hoc didicistis. manet enim in æternum, & ut Deus manet etiam post resur-
rectionem, passionem autem eius non didicistis? Et quomodo, cum eædem scripturæ, ut
ostendimus, utraq; doceant. Quomodo igit, dicũt, tu dicis quòd oporteat exaltari filiũ
hominis? Vides q; multa & eorũ quæ à Domino obscurè dicebantur, intelligebãt, quẽ-
admodũ & exaltari intelligebant de cruce dici. Igitur multa quidem sic intelligebant,
sed uoluntaria malitia ignorantiam prætexebant. Considera insuper & quid dicant.
Quomodo tu dicis quòd oporteat exaltari filium hominis? Quis est hic filius hominis?
Malitia enim plenus est sermo illorum, quasi ita dicentium. Neq; putes quod de te dica
mus, & dicas quòd propter inimicitiam aduersarij tibi simus. Ecce enim neq; scimus de
quo dicas, & quis sit filius hominis: attamen affirmamus ueritatem, quod quisquis ille
est exaltandus, is non sit Christus: Quomodo enim, cum scripturæ dicant Christum im
mortalem esse? Quid igitur Dominus? Obturat illorum ora, & ostendit quòd passio
non prohibet quin ipse maneat in æternum. Adhuc ad breue tempus (inquit) lux uo-
biscum est. Lucem enim nominauit seipsum. Igitur sicut lux solaris non omnino aufer
tur, sed cum occiderit, iterum exoritur, ita & mea mors non est corruptio, sed occasus
& translatio, & iterum exorior per resurrectionem, atq; ita nihil prohibet passio quin
æternus sim. Scripturæ autem testantur de Christo quòd æternus sit. Ego igitur sum
Christus, etiamsi passionem sustinuero. Lux enim sum, & si occidero, iterum exoriar.
uos igitur ambulate quandiu lucem habetis, hoc est credite in me. Quale autem tem-
pus hoc loco dicit? num hoc quod ante, uel post crucem? Vtrunque. Ambulate enim,
inquit, & credite, & priusquam crucifigar, & post crucem. Hoc enim significat dicen-
do, quandiu lucem habetis, hoc est, quandiu potestis in me credere. Potestis autem &
ante crucem & postea credere in me, qui sum lux. Qui autem ambulat in incredulita-
te, nescit quò uadat. Omnia igitur quæ Iudæi nunc faciunt, nesciunt quid faciant, sed
in tenebris quidem ambulantes uidentur rectam uiam incedere. Omnino autem
secus euenit, dum sabbata seruant, & circuncisionem. Sed non ita his euenit qui

credideruni.

A crediderunt, & in luce ambulant. Omnia enim quæ salutem continent, faciunt. Vmbram enim legis & tenebrosa ænigmata effugerunt, & accesserunt ad lucem quæ occultabatur, & nunc refulsit, & facti sunt filij lucis, hoc est Christi. Nã, ut dicit, filij lucis estis, hoc est mei filij. Tametsi in exordio Euangelista quosdã ex Deo natos dicat, hoc autem loco lucis filios nominat, hoc est Christi. Itaq; confundantur Arius & Eunomius. Vna enim operatio patris & filij etiam hoc loco indicatur. *Ioan. 1. Arius. Eunomius.*

Hæc loquutus est Iesus, ac digressus abscondit se ab eis. Cum autem tam multa signa fecisset coram eis, non credebant in eum, ut sermo Esaiæ prophetæ impleretur quem dixit, Domine quis credidit † sermoni nostro? & brachium Domini cui reuelatũ est? Propterea non poterant credere, quia iterum dixit Esaias: Excæcauit oculos eorum, & indurauit cor eorũ, ne uideant oculis, & ne intelligant corde, & conuertantur, & sanem eos. Quare occultatus est ab eis? Non enim nunc lapides tulerunt contra eum, neque blasphemauerunt sicut prius. igitur quare occultatus est? Ingrediens corda eorum, uidebat indignationem cordium ferocitũ, quibus nihil loquerentur. Itaq; abscondit se, mitigans illorum inuidiã. Nam q̃ inuiderint, & uoluntaria malitia nõ crediderint, insinuat Euangelista. Cum aũt ipse tanta fecisset signa, nõ crediderũt in eum. Omnino non paruæ malitiæ opus, tantis signis non credere. Tanta enim signa, inqt, quę prætermittit Euangelista. Abscondit igitur se Iesus, inuidiã illorum mitigãs, interimq; eis tempus dat & ocium, ut per quietem de sermonibus & operibus eius considerare queãt. Ita enim, si quidem uoluissent, peruenire ad cognitionẽ deitatis illius potuissent. Quanuis enim incredulitatem illorũ prænosset: attamen omnia quę ad se attinebãt, faciebat, & secedit, ut dictũ est, dato eis tẽpore dignoscendi. Quòd aũt non crediderunt in eum, ut sermo Esaiæ impleatur, nõ est sermo causę, sed euenti significatiuus, ut sæpe diximus. Non enim Christo discrediturí erant eo q̃ prædixit hoc Esaias: sed quia illi discrediturí erant, ideo prædixit Esaias. Et illud: non potuerũt credere, quia iterum dixit Esaias de eis, eandem habet sententiam. Per omnia enim hæc uult asserere q̃ scriptura non sit mendax, & q̃ ea quæ prædixit Esaias, non aliter euenerunt q̃m dixit. Vt ne quis possit dicere & dubitare, Quare uenit Christus, si sciebat q̃ Iudæi non erant sibi crediturí? introducit & prophetas qui hoc prædixerant, & q̃ non ignorarit Christus incredulitatem illorũ, & nihilominus uenerit, ne habeant quod peccato suo prætexãt, neq; possint dicere q̃ si uenisset, credidissemus. Hoc aũt quod dicit, Nõ potuerũt credere, significat, noluerũt. Nã malus & improbus homo nõ potest credere, quãdiu talis fuerit, mala scilicet eligẽs ac uolens. Porrò cũ audieris q̃ excæcarit oculos eorũ Deus, & induruerit cor eorũ: ne putes q̃ simpliciter hos quidẽ Deus bonos fecerit, illos autem malos, absit: sed Dei relictionẽ cæcationem totã intellige: ut exempli gratia qd dicam: Est quispiam non ualde malus, cum quo uidetur adhuc esse Deus. spes enim est quòd conuertatur: quando aũt malitia repletur homo, tunc derelinquit eum Deus propter malam eius uoluntatem. Dicitur autem homo ut cęcus priuatus diuino lumine in tenebris malitię ambulare, & tũc cæcitas uidetur ei diuini luminis absentia: & cordis † cæcitas, priuatio diuini uerbi, quod corda suscipientium semulcet. Excęcatur consequenter, qui nullos suscipit radios diuini uerbi: & induratus est, qui sermonem corda mollientem suscipere non uult: & omnino absentia Dei excæcat & obtenebrat. Cum igitur audieris quòd excæcet Deus, sic intellige, quòd excæcet cum præsens non sit. Si enim affuisset Deus, non excæcatus fuisset homo. Si erat sol, non utiq; erant tenebræ. Nunc autem sol facit noctẽ, sed quo pacto? occidens. ita & Deus cæcos facit homines, cum non adest eis. Non adest autem propter illorum malitiam, & tunc ut cæci peccant, non se conuertentes, & absq; correctione prolabuntur. Videamus autem & Esaiæ dicta. Domine quis credidit auditui nostro? hoc est, nullus credidit. Quis enim sæpe in scriptura usurpari solet pro nullus: quasi ex persona Christi hoc dicat propheta, dicente Christo scilicet ad patrem, Domine quis credidit auditui nostro: pro, nullus credidit sermoni nostro, & prædicationi meæ. Prædicationem auditum nominauit. Etenim quæ audiui à patre meo, inquit, illa dico. Et, Brachium autem cui reuelatum est? hoc est, potens signorum uirtus quam brachium nominat, nulli ingratorum Iudæorum reuelatum est: sed & hæc signa quæ facio, uellicant. *Esaiæ 53. † auditui Esaiæ 8. Vt euentum non causam semper significat. Non posse pro non uelle. Dei relictio excæcatio dicitur. † πώρωσις cæcitas uel durities. πεπώρωται induratus est, siue excæcatus. Quis pro nullus. Ioan. 8.*

Hæc dixit Esaias q̃n uidit gloriã eius, & loquutus est de eo. Verũtamen etiã ex prin-

cipibus multi crediderunt in eū: sed propter pharisæos nō confitebantur, ne è synagoga eijcerentur. dilexerunt enim gloriam hominum magis q̄ gloriam Dei.] Hæc dixit Esaías quando uidit gloriam eius, Cuius? filij, quanuis patris gloriam uideatur spectare, iuxta consequentiam prophetiæ. Hoc autem loco Euangelista gloriam filij dicit ui-
Rom. 10. disse Esaiam: Paulus autem spiritus. Vna igitur gloria sanctæ trinitatis: & quæ patris, etiã filij est: & quę filij, etiam spiritus est. Gloriam autem dicit uidisse Esaiam, sumũ illum qui apparuit, Seraphim, carbones, altare, thronum. Vidit igitur Esaias hanc gloriam, & loquutus est de illo, filio uidelicet. Quid aũt loquutus est de illo? Ea quæ suprà dicta, quòd excæcarit illorum oculos, & indurarit corda illorum. Assignauit autem Euangelista quòd ex principibus multi crediderint in illum, ostendens quòd & in hoc mentiti
Ioan. 7. sint pharisæi dicentes, Nunquis principum credidit in illum? Ecce multi crediderunt etiam principum, sed propter pharisæos non confitebantur. Dilexerunt enim gloriam
Ioan. 5. hominum. Hoc autem Christus eis prædixit, Quomodo potestis credere, gloriam ab hominibus accipientes, gloriam à Deo solo non quærentes? Itaq; Euangelista ostendit hoc eis accidere quod antè prædixit eis Christus. Sic ergo non fuerunt principes, sed serui, extremam uilissimamq; seruitutem seruientes. Ex hoc discе quòd uanæ gloriæ sectator, seruus est, & ignominiosus.

Iesus autem clamauit, & dixit, Qui credit in me, non credit in me, sed in eum qui misit me. Et qui uidet me, uidet eum qui misit me.] Occultauit quidem se ad tempus Iesus, cedens paulisper obiram Iudęorum. Iterum autem comparet, ac clamat liberè & publicè. Ostendens autem semetipsum æqualem patri, & Deo non contrariũ, dixit, Quicredit in me, non credit in me, sed in eum qui misit me. Quasi hoc dicens, Quid timuistis credere in me? fides illa quæ est in me, ad patrem transit. Vide autem & sermonis euidentiam. Non dixit, Qui credit mihi? sed, qui credit in me, quod fidem in Deum signi-
Credere cui piam. Credere in quempiam. Ioan. 5. ficat. Aliud enim est credere cuipiã, & aliud credere in quempiam. Nam is qui credit alicui, potest intelligi quòd credat ei ut uera dicenti: qui autem credit in quempiã, omnino ut in Deum credit. Ideo rectè quis crediderit Apostolis, at non item in Apostolos. Eapropter Dominus non dixit, Qui credit mihi, hoc enim Paulus fortassis & Petrus poterat dicere: Qui credit mihi. Sed & Hebræis quòd nō crediderint Mosi, oppro
Ioan. 14. bratur. Maius autem est quod dicit, Qui credit in me, per quod ostendit se esse Deum: sicut & discipulis dicit, Creditis in Deum, & in me credite. Atq; ita, quoniam qui credit in illum, fidem ad patrem transmittit: & qui discredit ei, patri discredit. Qui autem uidet me, uidet eum qui misit me. Num qui uidet lineamenta corporis eius? Non. neq; enim pater habet corpus, ut qui corporaliter uidet Christum, uidere dicatur & patrem: sed intellige hic uisionem mentalem: sicut si ita diceret, Qui meam substantiam, ut possibile est homini, comprehenderit per contemplationem mentis, & patris quoq; substantiam apprehendit. Qui cognouit me ut Deum, etiam patrem omnino: quãdoquidem imago sum patris. Per omnia autem hæc manifestatur, eandem esse substantiam
Ariani. patris ac filij. Audiant qui Arianorum morbo laborant: Qui crepit in filium, non credit in eum, sed in patrem: atq; ita neq; creatura pater, neq; & filius, quemadmodum dixerit quis: Qui haurit aquam ex flumine, non quod fluuij, sed quod fontis sumit: ita & qui credit in filiũ, non in filium credit fluuium (neq; enim alterius substantiæ est filius, neq; habet aliquid præter patrem) sed in fontem boni credit, patrem inquam.

Ego lux in mundum ueni, ut omnis qui credit in me, in tenebris non maneat. Et si quis audierit uerba mea, & non crediderit, ego non iudico eũ. Non enim ueni in mundum ut iudicem mundum, sed ut seruem mundum.] Iterum & per hoc se consubstantialem patri declarat. Nã quia pater ubiq; lux dicitur, ea propter & de seipso dicit, Ego
Heb. 1. lux in mundum ueni. Vnde & Paulus deradiationem eum nominat, ostendens hoc loco q̄ nihil medi et inter patrẽ ac filium: sed ubi pater, ibi filius: sicut ubi lux, ibi deradiatio. Lux igitur est filius, & quia ab errore liberat, & quia discutit mentales tenebras. Et sicut lux quæ apparuerit, & se manifestã facit, ac cætera uisibilia: ita & filius qui uenit & apparuit nobis, seipsum notum reddidit ac patrem, & omni scientia corda suscipientium se illustrauit. Si quis audierit me (inquit) & non crediderit, ego non iudico eum. Non enim ueni ut iudicem mũdum, sed ut saluem mundũ. Huius dicti talis sensus est, ei qui discredit homini, illi ego nō sum condemnationis author, neq; eñ ad hoc primũ

ueni,

A ueni, tametsi hoc ex consequenti eueniat. Ego enim, inquit, ueni ut saluem, & propter hoc docui. Quod si quis diffidit, non ego ei condemnationis sum author, sed ipse sibi eius author est, id quod per ea quæ sequuntur, magis euidens erit, quæ audi.

Qui reiicit me, nec accipit uerba mea, habet qui iudicet ipsum. Sermo quem locutus sum, ille iudicabit eum in extremo die: quia ego ex meipso non sum locutus, sed qui misit me pater, ipse mihi mandatū dedit quid dicam, & quid loquar: & scio quòd mandatum eius est uita æterna. Quæ ergo ego loquor, sicut dixit mihi pater, sic loquor.] Ego, inquit, nullum iudico: sed qui non credit, habet iudicantem se: sicut & nos sæpe dicere consueuimus quando puerum incompositum uerberaturi sumus, q̄ non nos uerberemus eum, sed eius negligentia & dissolutio: & non nos cōdemnamus eum, sed admonitiones nostræ, quibus non paruit, illæ arguant eum ut inobedientem. Sic igitur & Dominus: Non ego iudico, sed sermo quē locutus sum, ille cōdemnat. Quare enim nō crediderunt? Num ut aduersario Dei, & propriam gloriam quærenti? Et planè ego à meipso locutus non sum, sed omnia à patre dixi. Nusquā meipsum prædicaui, aliud quiddam ab illo sentiens: sed is qui misit me pater, mandatum mihi dedit quid dicerē, & quid loqueret. Papę, quanta uerborū humilitas? Nunquid ô Domine priusquā mitteret te pater, & daret mandatū, non cognoscebas quid loqui oportebat, sed ignarus eras mandati huius, quod est uita æterna, & non cognoscebas uitā hanc, uitā æternā? & quomodo dixisti, Ego sum uita? Vides quæ absurditas prospectet, si non bona consideratione auscultemus. Cognosce igitur quare ita humiliter loquatur, nempe propter auditores, qui tam infirmi erant. Et quid uult per hæc signare? Nihil aliud, quàm nihil se uel dicere uel sentire præter ea quæ à patre. Nam sicut, inquit, qui mandatū referunt, nihil dicunt præterquam eis demandatum: ita sanè & ego ipse nihil aliud sentio uel dō cui præter ea quæ patri uisa sunt. Hoc igitur uolens ostendere, concordiam inquā sententiæ cum patre, mentionem fecit huius exempli, mandati inquam. Ideo addit, Quæ igitur loquor, sicut dixit mihi pater, sic loquor. Atq; ita quia nihil à memetipso dixi, qualē occasionem prætexent qui non crediderint? Citra controuersiā enim condemnabuntur, q̄ patri non crediderunt. Nihil igitur humile intelligit orthodoxus ex humilibus illis uerbis, mandatum accepi, & similia: sed candidè hæc exponit: sicut & hoc, Mandatum accepi quid dicerē, & quid loquerer. Sermo enim cum sit filius, & enarret omnia quæ sunt in mente, in patre dico, mandatum ab eo se accepisse ait, quid dicat & quid loquatur: sicut & noster sermo, si quando uera dicturi sumus, illa dicit quæ mens ei suggerit, & nusquā alterius substantiæ est sermo q̄ mens, sed omnino eiusdem substantiæ.

Humilitas Christi.

Ioan. 14.

B

CAPVT XIII.

ANte festum autem paschæ sciens Iesus quòd uenisset hora ipsius, ut transiret ex hoc mūdo ad patrem: cum dilexisset suos qui erant in mundo, usq; ad finem dilexit eos.] Sciebat quidem Dominus & ante omnia secula horam mortis suæ: cum autem illa instaret, rem facit magnæ misericordiæ, & condescensione plenam, miramq; erga discipulos præ se fert dilectionem. Relicturus enim illos, uehementiorem charitatem ostendit. Nam cum dilexisset eos, usq; ad finem dilexit eos: hoc uult, quòd nihil omiserit eorum quæ facere decet eum qui multum diligit. Ideo & postremò pedes discipulorum omnium lauat, ut ingerat magnum desiderium, & magnam eis consolationē afferat in malis quæ passuri erant, si cogitarent quòd sic dilexerit eos, ut & pedes eorum lauerit: quare neq; despecturus sit eos in multo grauioribus. Transitum autem nominat mortem Christi, propter assumptionem ex resurrectione. Quia igitur transiturus erat ex hoc mundo, ostendit charitatem erga suos. Suos autem discipulos nominat secundum familiaritatis rationem. Quantum enim ad rationem creationis, eius proprij sunt omnes homines, quemadmodum dictum est, In propria uenit, & sui eum non receperunt. Sui autem etiam sancti, eo quòd familiares ei sint, quemadmodum & hoc loco suos uocauit discipulos. Adiecit autem his, qui in mundo: quia & alij erant sui, ut Abraham & patriarchæ, sed non in mundo. demigrauerant enim ab eo loco. Hos igitur suos qui in hoc mundo, usq; in finem dilexit, hoc est, perfectam erga illos charitatem declarauit.

Ioan. 1.

Et cœna facta, cum diabolus iam immisisset in cor Iudæ Simonis Iscariotæ ut prodere eum, sciens Iesus q̄ omnia sibi dedisset pater in manus, & quòd à Deo exisset, & ad

Deum iret: surgit à cœna & ponit uestimenta: & cum accepisset linteum, præcinxit se deinde misit aquam in peluim, & cœpit lauare pedes discipulorũ, & extergere linteo quo erat præcinctus.] Admirans Euangelista ꝙ Christus lauerit eum qui meditabatur proditionẽ, dicit, Cum diabolus immisisset in cor Simonis. Ita ergo usq; ad finẽ proditoris curam gerebat. Neq; frustra apponit, Cœna aũt facta: sed ut ostendatur inhumanitas Iudæ, quem neq; mensæ cõmunio placuerat. Proinde Iesus sciens ꝙ pater omnia tradidisset ei in manus, hoc est ꝙ cõcredidisset ei salutem fidelium, & debeat nunc omnia quæ ad salutem eorum pertineant, monstrare eis, cœpit & lauare pedes discipulorum. Humilitatis enim lex hoc loco præcipitur. Et aliter, Cũ sciret ꝙ omnia tradidisset ei pater, & ꝙ à Deo exisset, & ad Deũ iret, non timebat minui gloriã suam lauãs pedes discipulorũ. Non enim rapuerat gloriam, ut timeret ab illa excidere. Et propterea non dignantur humile quiddam facere qui generosi non sunt, quoniã gloriam rapiunt, nolentes ullo modo humiliari, ut ne perdant quod rapuerant. At omniũ rex erat & Dei filius. hoc enim uult dum dicit, A Deo exisset, hoc est, ex patris substantia, & iterum ad Deum iret. Et ita non minuebatur gloria eius qui talis est, ex eo ꝙ discipulos lauaret.

Humiliari. Superbire. Cõsidera igitur ꝙ humiliari opus est eius qui à Deo egressus est, & ad Deum uadit. Superbire & fastuosum esse, opus est eius qui à dæmonibus exiuit, & ad dæmones uadit. Cum aũt audieris, Dedisset ei pater: ne existimes quandam filij impotentiam hic declarari, sed disce potius reuerentiã erga patrem & uoluntatis concordiã: quia si impotens tibi uidetur filius, eo ꝙ pater ei ea dedisse dicatur, impotentem intellige & patrem, eo

1. Cor. 15. ꝙ filius ei regnum tradit, ut Apostolus dicit. sed nõ ita est. Verùm traditio concordiam & cooperationem dicit, ut sic dicam, & beneplacitum patris. Vide autem & eminentiam humilitatis. Non enim ante cœnam lauat, sed postquã omnes recubuissent, surgit solus ipse, illis recumbentibus, & deponit quidem uestimenta: docens nos ut expediti & leues simus ad ministerium. Linteo autem præcingitur, ipse omnia faciens, lauans, & extergens. Mittit item aquam, & hoc ipse faciens, non alij cõmittens. Hæc autem omnia nobis indicia sunt & præcepta quomodo nos cum omni alacritate ministrare oporteat, & nosipsos omnia operari, non alijs utentes ministris. B

Venit ergo ad Simonem Petrum: & dicit ei ille, Domine, tu mihi lauas pedes? Respondit Iesus, & dixit ei, Quod ego facio, tu nescis nunc, scies aũt postea.] Non primũ

Proditorẽ uidetur primũ abluisse Christus. lauat Petrum, quamuis primatũ discipulorũ gerebat: sed fortè proditor, cũ esset impudens & inuerecundus, ante Petrũ lotus est. Vnde hoc manifestum? Cœpit, inquit, pedes discipulorum lauare & extergere, deinde uenit ad Simonem Petrum. atq; ita declarat ꝙ non primò lauerit Petrum. Non enim dixisset ꝙ uenisset ad Simonem Petrum, nisi alium quendam ante Petrũ lauisset. Ex alijs itaq; discipulis nullus sustinuisset ante Petrũ lauari. Proditorẽ autem hoc ausum fuisse possibile est. Nam si ab alijs discipulis cœpisset lauare quempiã, prohibuisset Dominũ ille quisquis fuisset, & dixisset, quæ & Petrus, Domine, tu meos lauas pedes? & non permisisset. Non igitur ullum alium lauit prius quàm proditorem, & deinde Petrum. A Petro autem eruditos cæteros uerisimile est non cõtraueniisse, sed honorem hunc à Domino suscepisse. Vide autem & Petri uerba quantam habeant emphasim, Tu lauas meos pedes manibus illis quibus oculos cæcorũ aperuisti, quibus leprosos mundasti, quibus mortuos suscitasti? tu quæ hæc & maiora fecisti: meos, serui imperiti: & non manus, neq; aliam partem honestiorem, sed pedes, qui extremæ omnium maximè sordidæ partes ac ignominiosæ habentur? Quid igitur ait Dominus? Quod ego facio nunc, tu nescis, quod summam humilitatem in se contineat, & eandem uos quoq; doceat. Posthac quando eijcies in meo nomine dæmonia, quando uidebis me in cœlum sumi, quando à spiritu disces quòd ad dexteram sedeam patris, tunc scies quòd ille qui ita sic se humiliat ut & pedes tuos lauet, tibi det tantam uirtutem contra dæmones, & assumptus sit, & glorificatus cum patre, in nullo imminutus propter suam humiliationem. Et ita nunc in pectore tuo conserues etiam ipse humilitatem, quæ te magis exaltabit, quàm humiliabit.

Dicit ei Petrus, Nõ lauabis pedes meos in æternũ. Respondit ei Iesus, Si nõ lauero

† habes te, non † habebis partem mecum. Dicit ei Simon Petrus, Domine non tantum pedes meos, sed & manus, & caput.] Magna reuerẽtia Petri erga magistrũ, unde & religiose

Matt. 16. hanc eius curam à se amandat. Quamuis autem & alio loco increpatus fuerit à Christo, &

A sio, & oportebat certè ob increpationē superiorē nunc permittere ut lauaret ipsum Dominus: † tamen quia nō considerat q̄ magnū erat quod à Christo gerebatur, recusat: & nō cogitat q̄ iterū increpaturus sit se uehementius tanq̄ inobedientem dñs, respondet, Non lauabis, &c. Quid igitur Christus? Si dixisset, Humilitatem te doceo ô Petre, & propterea lauo tuos pedes: dixisset utiq; ei Petrus, & iurasset, q̄ etiā absq; pedum lotione humilitatē docuerit. Sed quid dicit ad illū? Quod maximè sciebat cor eius uellicaturum, incutit ei tanq̄ terriculamentū quoddā. Nisi lauero te (dicens) nō habes partem mecum. Nam cum ipse præ omnibus alijs discipulis magis desideraret esse cum Christo, ideo rogabat, Quò uadis: &, Animā meam pro te ponam, promittebat ex charitate: huiusmodi minis animū concutit. Nam si non lauero te, inquit, non habes partem mecum. Vbi audiuit Petrus terribiles hasce minas, q̄ uehemens erat detrectando, tam uehemens, immò uehementior erat admittendo, ita ut & caput ad lauandum daret. Vtrunq; autē ex charitate fiebat: & detrectatio, quia plurimū obseruabat Dominum: & admissio, quia à Domino separari nolebat. Tu autem cum uideris aliquem ualde urgentem præ temeritate, ac dicentem, & cum iuramento, Nunquam faciam hoc: & deinde reuerentia iuramenti in hoc quod decreuerat pertinacē, & ex eo periclitantem uel in anima, uel in corpore, rectè utaris hoc Petri exemplo, qui cum pertinax esset, ubi uidit pertinaciam uergere in separationem à Christo, abstitit ab illa.

Matth. 18. Marc. 8.

† tamē quia usquea deo magnum erat

Infra eo.

Dicit ei Iesus, Qui lotus est, nō opus habet nisi ut pedes lauet, sed est mundus totus: & uos mundi estis, sed non omnes. Sciebat enim quisnam esset qui proderet se: propterea dixit, Non estis mundi omnes. Sumpta occasione Dominus arguit proditorem, ut eum ab immunda sententia abduceret, & indigentem lauari à malitia, & in aliā sententiam transferret. Vos igitur, inquit, cum sitis loti, non indigetis alio lauacro. Vnus aūt est immundus, qui lotione opus habet. Quærunt aūt multi quomodo dixerit Dominus Apostolis, Vos mundi estis. Nondum enim erant liberati à peccatis, nondum spiritum assecuti erant. Adhuc enim peccatum prævalebat, adhuc maledictio operaba
B tur. Nondum enim agnus qui tollit peccata mundi, immolatus erat. Nondum suspensus in ligno, à maledicto nos redemerat. Quomodo igitur mundi fuerūt Apostoli? Est igitur dicendum q̄ quamuis non fuerint omnino liberati à peccatis: attamen propter sermonē, inquit, quem locutus sum uobis, mundi estis: hoc est, secundū hoc nunc estis mundi, nunc lucem accepistis, nunc liberati estis ab errore Iudaico: quia & Esaiam audiuistis quomodo doceat nos lauari, Lauamini, mundi estote, deponite malitias ab animabus uestris. Et ita etiā illi quia cū magna innocentia & simplicitate uersabantur cū Christo merito loti & mūdi à Domino dicuntur. Intellexerūt aūt quidā per cœnā, agnitionem mysterij secundū Christum in fine seculorū, quā Christus docuit suos discipulos, lauat & pedes ipsorū, non ut maculā habentes, sed ut paratos eos faciens ad Euangelium, iuxta hoc quod dictū est ab Esaia, Quàm speciosi pedes euangelizantiū pacē. Nam uos quidē, inquit, mundi estis, sed quantū ad uos attinet. Oportet aūt & ad aliorū purificationes uos mitti: quod per lotionem pedum docetur. Lauacrū igitur non facit ut intelligamus purificationem peccatorū Apostolorum, (mundi enim esse perhibentur) sed symbolum est quòd mittendi sint in prædicationem, & transuehant etiam ad alios homines puritatem, quę fit per uerbum dominicū. Idcirco & Petrus inquit, Non solum pedes meos laues, sed & caput, hoc est, non ad prædicationem tantū mittas me, sed & caput meū per martyrium purifica. Intellige autem quòd & nunc hæc perficiantur. Etenim & nunc cœna fit in diuina sacra operatione diuini corporis & sanguinis quæ proponuntur. Quid igitur ab unoquoq; ut faciat exigatur, audi. Habemus in nobis omnes qui in Christum credimus, uerbum Dei, & Euangelij prædicationem. Omnes enim suscepimus Christum in cordibus nostris. Sed debemus in cœna illa diuina excitare uerbum ut surgat, & deponere eius uestes, quæ obtegunt illud. Vestis est auaritia: uestis, uana gloria: uestis, inuidia, & quæuis aliarum affectionum quæ aggrauant uerbum diuinum in nobis. illa oportet deponere, ut excitetur uerbum, & surgat, expeditumq; sit, ut possit per pœnitentiam nostram operari purgationem. Verbum enim cum surrexerit, & omnem sarcinam solicitudinemq; temporalem deposuerit, lauabit cogitationes discipulorum eius qui ipsum sequuntur. Lauabit autem pedes, hoc est operatiuas nostras motiones, & gressus nostros. Si autem quis opus

Quomodo mundi fuerint apostoli.

Esaiæ 1.

Esaiæ 52.

Verbi diuini aggrauationes.

habuerit

habuerit & alia purgatione, & desiderat etiam doctrina & contemplatione probari, di- 1
cat ad Dominũ, Domine non solũ pedes meos, sed & manus & caput, hoc est, nõ solũ
gressus meos purifices, sed & manus, ut ego & alios manuducere, & ad bonum simul
assumere ualeam: & caput, ut in contemplatiua parte diuinæ cogitationis purgatã &
immaculatã de diuinis cognitionem habeam. Ita igitur per confessionẽ lauari poteri-
1. Cor. 11. mus, ut non indignè cõmunicemus cœnæ & iudiciũ nobis manducemus & bibamus.

Postquã ergo lauisset pedes eorũ, receptisq; uestibus suis accubuisset, iterũ dixit eis,
Scitis quid fecerim uobis? Vos uocatis me magistrum ac Dominũ, & bene dicitis: sum
etenim. Si ergo ego laui pedes uestros Dominus & magister: uos quoq; debetis inuicẽ
alij aliorũ lauare pedes. Exemplum enim præbui uobis, ut quemadmodu ego feci uo-
bis, ita & uos faciatis. Amen amen dico uobis, nõ est seruus maior dño suo, neq; lega-
tus maior est eo qui legauit ipsum.] Non ultrà ad Petrũ solum, sed ad omnes loquitur.
causamq; tantæ erga illos humilitatis ponit, quæ est, ut illius fiamus imitatores. Et quid
si hoc quod antea dixerat Petro, scies aũt postea, ad hoc tẽpus dicat pertinere: Scies au-
post hæc, dixit. Quando? Quando receptis uestibus accubuero, & cœpero docere uos
ac dicere, Scitis quid fecerim uobis? Nam si ego quem uos testamini Dominũ & magi-
strum, & bene testamini, pedes uestros laui (& non dixit seruorum, indoctorũ, illitera-
torum: sed hoc illorum reliquit considerationi) uobis maximè necessariũ est, ut alter al-
terius lauet pedes, hoc est omni ministerio uobis inuicem seruiatis. Id enim uult per lo-
tionẽ, quę est ministeriorũ infima, ut & alia longè honestiora non detrectemus. Exem-
plum enim dedi uobis, ut quemadmodum ego feci uobis, ita & uos faciatis: hoc est, cũ
alacritate, quãuis quod ego feci, maius sit, quatenus ego Dominus seruorum pedes la-
ui: uos autem conseruorum pedes lauabitis. Attamen & doctores uidemus pueris lite-
ras elegantiores præscribere, ut ad imitationem quamuis à longè ueniant. Necessariò
autem Apostolos admonet de his, quonĩã in honore erant futuri, alij maiore, alij mino-
re, ut ne inter se dissiderent & superbirent, sed ut omnium ipsorum mentes purgaren-
tur. Nõ est enim seruus maior domino suo, quãdiu seruus est: neq; Apostolus uel lega- 3
tus eo qui legauit, quãdiu est legatus: quãdo aũt maior fit, neq; seruus est, neq; legatus.

Si hæc nouistis, beati estis si feceritis ea. Non de omnibus uobis loquor, ego scio
Psal. 40. quos elegerim, sed ut adimpleatur scriptura: Qui edit mecũ panem, sustulit aduersum
me calcaneum suum. Nunc dico uobis, priusquam fiat: ut cum factum fuerit credatis
quòd ego sim.] Vt ne dicant, cur hæc dicis nobis quasi ignoremus? scimus etiam ipsi
humilitatis bonum: propterea dicit, Si nouistis, non sufficit hoc uobis solum, sed tunc
perfectè estis beati, si & feceritis: quia & Iudæi mandata sciuerunt, sed non beati: mise-
rimi autem, utpote qui non fecerint ea. Non de omnibus uobis dico: ego scio quos ele-
gerim. Arguit & non arguit proditorem, adumbratum sermonem referens. Volebat
enim eum ad pœnitentiam reducere: & ideo relictis omnibus alijs beneficijs quæ in il-
lum collocauerat, posuit hoc quod maximè omnium faciebat ad cõfundendum eum.
Qui edit panem mecum, hoc est, qui pascitur à me, qui mea mensa fruitur, quod & ini-
micos placaret. Et non dixit, Hic tradit me: sed, leuauit super me calcaneum, hoc est do-
lum & deceptionem contra me composuit: à certantibus sumpta metaphora, qui sup-
plantantes aduersarios suos, dum illorum calcaneum calcant, deijciunt. Hoc autem di-
cens, nõ de omnibus uobis dico: ne multis terrorem incutiat, separat illum manifestè,
& ostendit unum esse hoc contra se meditantem. ideo dicit, Qui edit panem mecum.
Dicente autem Domino, Ego scio quos elegerim: quid dicemus de Iuda? num & illũ
1. Reg. 9. elegit? Elegit quidem eum cum bonus esset, sicut & Saul: sed mutatus est, ipse liberi exi-
Liberum ar- stens arbitrij. Permittit autem unicuiq; secundum quod uult operari. non enim aufert
bitrium. liberũ arbitrium. Mutatum autem Iudam repulit, quamuis prius elegisset. Cæterùm
dum dicit, ut scriptura impleatur: ita intellige sicut similia alia de quibus sæpe diximus.
Neq; enim propter hoc coactus fuit Iudas prodere, ut appareãt ueri sermones scriptu-
ræ, id quod omni blasphemia plenum: sed ut sciamus q; de hoc dixerit scriptura quem
uidemus nunc opus admisisse. Hæc autem omnia (inquit) prædico de proditore, ut cũ
factum fuerit, credatis quòd ego sim, hoc est quòd uera dicam.

Amẽ amen dico uobis, Qui recipit quẽcunq; ego misero, me recipit: qui aũt me reci-
pit, recipit eũ qui misit me.] Quæ consequentia priorũ ad ea quę nunc dicunt, quę sub-
dit ser-

A dit sermoni de proditore, Qui recipit quem cunq; ego misero, me recipit? Certè maxima consequentia. Quia enim dictum erat quòd prodendus, & derelicturus esset eos, & iam egressuri essent dispergendi, & uarijs malis affligẽdi, duobus modis solatur eos: & à se, ostendens eis quæ ipse passurus sit: & quę proditori fecerit lotis eius pedibus, ad communem mensam admisso. nam si hæc cogitauerint, omnino grauia omnia facilè ferent. Igitur nec unus quidem consolandi modus, per ea quæ fecerat inimico suo usq; ad finem, & quæ passurus erat. Insuper promittit omnium domos illis futuras apertas, & suscipiendos ab omnibus qui sermonẽ eius audiuerint. Vides nunc quomodo hæc superiori cohæreant? Relicturus erat illos, innumera mala passuri erant: consolatus est eos suo exemplo, quòd prodendus à discipulo, cuius lauerat pedes. Solatur etiam prædicendo eis quòd & ipsi multa mala passuri: sed omnes illos excepturi essent: & dicit, Qui recipit uos, me recipit, & propter me Deum & patrem. Attende consolationis genus. Sicut Deum ipsum, inquit, in honore habebunt uos homines, atq; ita propter persequutorum malitias ne mœreatis.

Cum hæc dixisset Iesus, turbatus est spiritu, & testatus est, dixitq;, Amen amen dico uobis, quòd unus ex uobis proditurus est me. Aspiciebant ergo se inuicẽ discipuli, hæsitantes de quo diceret.] Cogitans Dominus proditorem utroq; priuandum, & patientia in laboribus, & excipientiũ ministerio, turbatur spiritu, hoc est, tristitia afficitur eius anima. Et testatus est, inquit, hoc est prędixit, protestatus est, affirmauit. Igitur discipuli hæsitantes, aspiciebant se inuicẽ. nam quamuis singuli bene conscij essent, de nullo malo arguente illos conscientia, sermonem tamen Domini ueriorem suis cogitationibus existimabant, unde & tristantur ac hæsitant. Sententia enim erat eius qui mentiri nesciebat, quam omnino euenturã credebant. Intellexerunt autem quidam, unus ex uobis, sic: Qui à uestro choro excidit, & à uobis exijt, tradet: sicut & hoc, Ecce Adam factus est sicut unus ex nobis. nam & in eo loco curiosius dictum exposuerunt: Factus est, dicunt, sicut unus qui ex nobis cecidit, hoc est diabolus. Sicut enim enim ille excidit, ita certè & hic propter inobedientiam factus est ex uobis, hoc est, excidit à uobis.

Apostolorum fides in uerba Christi.

Gen. 3.

B Erat autem unus ex discipulis† Iesu recumbens in sinu ipsius. Nimirum is quem diligebat Iesus. Innuit ergo huic Simon Petrus, ut sciscitaretur quis esset de quo loqueretur. Itaq; cum recubuisset ille super pectus Iesu, dicit ei, Domine quis est? Respondit Iesus, ille est cui ego intinctũ panem porrexero.] Quare omnibus alijs & Petro ipso trementę, Ioannes quasi delicatior recumbit in sinu Domini? Et iterũ, quare de seipso dicit q; eum diligebat Iesus? Recumbebat quidẽ propter duas illas causas. Vna est, quia præ omnibus alijs diligebatur maximè. Dilectionis aũt signũ, recumbere cũ Domino. Altera, quia uolebat se ostendere alienũ à crimine per hoc q; tam libera illi cum Christo familiaritas. De se aũt testatur q; dilexerit ipsum Iesus, ut ne cũ tu audieris q; innuat ei Petrus, ut interrogaret, putes q; tanquã maiori ipsi innuerit, unde dicit Euangelista de se, q; Petrus sibi innuit nõ ut maiori, sed ut ei qui magis dilectus fuerat à Domino, & ita magis humilitatis q; ostentationis uerbũ est. Non enim dicit, Ego diligebam Iesum, quod de Petro protestatur. Sed quid? Ille enim, inquit, diligebat me, qui propter misericordiã & miserationẽ suam susceperat me. quod & Apostolus dicit, Persequor, si comprehendam in eo quo & cõprehensus sum à Deo. Et iterum, Qui cognouerũt Deum, immò cogniti sunt à Deo. Sic igitur cum dicit, Quem diligebat Iesus, non gloriatio est, sed humilitatis indicium. Quare aũt Petrus non interrogat Dominũ, sed innuit Ioanni? Quia præ nimio feruore sæpe interrogauerat Dominũ, & increpatus erat, eius gratia nunc interrogare formidat, ut non etiã nunc temerarius arguatur à Domino. Quare & Ioannes accidit ad pectus Iesu absq; reuerentia & submissione? Quia nihil adhuc magnum de Domino sentiebat, nec; erant edocti dignum reuerentiæ honorem exhibere. piscatores enim erãt, & officij imperiti. Permittit aũt ei Dominus ut recumbat super pectus, mœrorẽ eius soluens, & mitigãs turbationem mentis illius, & in summa tristitiam sopiens. Verisimile enim etiam in faciebus eorũ multum mœroris apparuisse. Et nec; sic interrogatus Dominus nomine proditorẽ manifestat, sed per buccellam tunc manifestum facit, admonens proditorem, & in memoriã ei reducens mensam & panem quorum particeps erat ut ne prodat, & contra pascentem insaniat. Accipe, inquit, panem, cuius mecũ particeps es, memor esto cõmunis mensæ, At non intellexit

† eius recũbens in sinu Iesu.

Propter quas causas Ioannes in sinu Domini recubuerit.

Philip. 3. Galat. 4.

anima

Adhortatio. anima illius præ affectione grauata. Si uis & ipse prope Iesum recumbere, & in pectus eius cadere, & mystica ab eo discere, da operam ut propter simplicem bonamq; mentem ab eo diligaris. Etenim Ioannes innocentissimus, simplicissimus, & mansuetissimus omnium erat, ideo & diligebatur. Et tu quoq; talis esto, & dignabitur te pectoris sui recubitu, id quod theologicæ dignitatis symbolum est. In corde enim intelligit scriptura eloquia Domini latentia. & ita reuelabitur tibi mysteriũ totum, & uerbi proditor. Etenim cui theologię beneficium concreditum est, & proditor uerbi qui non recta tenet fidem, manifestus fit. Hereticus enim adulterans uerbum ueritatis, qui est panis, illum nobis non purum, sed intinctum ostendit.

Et cum intinxisset panem, dedit Iudæ Simonis Iscariotæ. Et post offulam ingressus est in eum Satanas. Dicit igitur ei Iesus, Quod facis, fac citius. Hoc autẽ nemo discumbentium intelligebat ad quid dixisset ei. Quidam enim putabant, quia loculos habebat Iudas, quòd dixisset ei Iesus, Eme ea quæ nobis opus sunt ad diem festum: aut egenis ut aliquid daret. Cum ergo accepisset ille offulam, continuò exiuit. Erat autem nox cum exisset.] Vbi Dominus quidem dedit buccellam Iudæ, si fortè recogitaret amicitiam mensæ & panis, & à proditione desisteret: Iudas cum neq; sic emendaretur, tunc planè factus est Satanę, & traditus ei ut inemendabilis. Igitur quamdiu unus discipulorum uidebatur, & ex sancto illo choro, non habebat tantum accessum ad illum Satanas. ubi autem illum diuisit Dominus, & separauit ab alijs discipulis traducto eo per panem, tunc inuasit eum ut à Domino derelictum, & à diuino choro separatum. Vide enim & hoc: Ingressus est in eum Satanas, hoc est, ingressus est interiora cordis eius, & occupauit animam eius. Nam prius eum foris per auaritiæ uitium turbabat, nunc autem perfectè eum comprehendit, proditionem suggerens. Dicit igitur ei Iesus, Quod facis, fac citius. Hoc autem non est adhortantis ad proditionem, sed exprobrantis, & permittentis ei ad proditionem uenire. dicit enim, Fac. quasi diceret: Ecce reliqui tecta cere quod uis: non impedio tuam mentem, non retineo te ultrà. Antea enim ipse cohi
Ioann. 10. bebat malitiam eius, apud se tempus mortis reseruans: sicut & dicebat: Nullus tollit animam meam à me, sed ego pono eam à me. Hoc autem nullus cognouit accumbentium. Digna quæstio, quo pacto nullus agnouerit, cũ rogatus Dominus quis esset proditor, dixerit, Cui ego buccellam tradidero? Videtur igitur clàm hoc dixisse Ioanni, ut nullus alius audiret: quia & Ioannes cũ suprà pectus recumberet, rogabat quasi in aurem, & ita proditor non manifestatus est, alioquin eum discerpsisset Petrus fortè, & occidisset eum. An ergo & Ioannes non nouerat eum? neq; iste. nequaquam enim expectasset ut discipulus in tantam prorumperet impietatem. Sancta enim illa anima procul à tali impietate, neq; de alio facilè tale quippiã suspicata fuit. Nullus ergo cognouit, sed existimauerunt quòd dicens, Fac citius, diceret de aliquo ad festum emendo, uel ut quid daret pauperibus. Nam multam curam gerebant pauperum. Et quomodo quia alios admonet ne portent peràm, neq; æs, ipse marsupiũ ferebat? Ostendit quòd & possessione carentem, & crucifixum mundo, magnã oportet eius partis curã habere. Cæterùm nox erat cum exisset. neq; hoc superfluè assignauit Euangelista, sed ut doceat nos quòd neq; tempus prohibuerit illum, sed nocte dolũ struxerit. Exiuit igitur quinta (ut mihi uidetur) uespera quando & intrauit in ipsum Satanas. Nam quarta quidẽ ac-
Cap. 26. cessit ad illum, quando scilicet mulier quæ apud Matthæum, unguentum effudit. Ipse autem ut abiuit, loquutus est cum Iudæis de traditione. At quinta uespera intrauit in illum, hoc est, occupauit cor eius: sicut aliud est percutere quempiã manu foris, & aliud est cõfodere gladio uiscera. Exiuit igitur Iudas & sensibiliter & mentaliter à saluatore. Erat autem & nox: fortassis & spiritualis nox auaritiæ obtenebratio inuaserat eum.

Dicit Iesus, Nunc glorificatus est filius hominis, & Deus glorificatus est per illũ. Si Deus glorificatus est per eũ, & Deus glorificabit eũ per se. Et cõtinuò glorificabit eũ.] Quoniã cõciderant discipulorũ mentes, iterum eas erigit, dicẽs, Nunc glorificatus est filius hominis. Docet enim eos nõ mœrere, sed magis gaudere. Gloria eñ est hoc, ipsa passio scilicet, & per ignominiosa hominibus honor conciliatur. Et aliter, Per miracula in cruce glorificatus est, sole extincto, petris ruptis, uelo scisso, alijsq; mirabilibus factis. quomodo autem glorificabit Deus filium? In seipso, hoc est per seipsum, non per alium, non per angelos & archangelos, non per alias uirtutes, sed per seipsum. Omnia

enim

A enim operatus est ad gloriam filij. Continuò igit̃, inquit, glorificabit eū: hoc est, nō tardabit, sed in ipsa cruce: & iterum post tres dies, cum resuscitauerit eum: & post quadraginta dies suppeditata gratia spiritus discipulis. Videamus autem & ex superioribus mentem uerborum. Nunc glorificatus est filius hominis: hoc est, ego doceo, miracula-que facio, & non in me subsistit gloria, sed in Deum & patrem transit. Quia igitur mea gloria, gloria ūr patris, ne cōtristemini. Nam pater iterum glorificabit me, ut & ipse glorificetur. Nunquid enim ego gloriam mihi uindico, & ad illum non transit? Non, sed communis est gloria, quemadmodum & iterum glorificabit me, & non tardabit, sed mox quando ignominiosam passionem patiar, quando uidebor per mortem è medio tolli: tunc magis honorabit, tunc per resurrectionem me clarum faciet.

Filioli, adhuc paulisper uobiscum sum. Quæretis me: & sicut dixi Iudæis; quò ego uado, uos non potestis uenire: ita & uobis dico nunc. Præceptum nouum do uobis, ut diligatis inuicem, sicut dilexi uos, ut & uos diligatis inuicem. In hoc enim cognoscent omnes quòd discipuli mei estis, si dilectionem habueritis inter uos.] Quoniam paulo pòst passurus erat grauia, ea nunc prædicit eis, ut ea habeant in memoria, & præparent se ad ea. Confert autem hoc ad gloriam eius. Non parua enim gloria eius fuit, quòd discipulis prædixit quæ euentura essent eis, recordantibus postea discipulis quòd illa eis essent prædicta. Monstrans autem, se non tunc primùm cognoscere, sed multo antea, q̃ quæsituri essent ipsum in tribulationibus constituti, dicit, quod & Iudæis illuc ipsum dixi, q̃d multo antea sciuerim. Hoc aūt, Quò ego uado, indicat eius mortem, quæ transitus erat ac translatio in statum meliorem, in locū corruptibilia corpora non suscipientem. Igitur Iudæis dicebat, Quæretis me, & quò ego uado, uos non potestis uenire: timorem illis incutiens, discipulis autem desiderium accendens. Etenim consueuimus quando uidemus quosdam ab amicis secedentes, magis accendi, & maximè si eant in locum quo non est possibile illos ire. Igitur desiderium illis accendens, hæc dicit. Ideo & filij, adiecit: ut ne putēt q̃ eadem affectione qua Iudæis, hæc eis sit loquutus, sed ex
B charitate. Quæsiuerunt quidem eum Iudæi, quando ciuitas ipsorum capta est, & ira diuinitus immissa undiq; in eos uenit, sicut & Iosephus propter mortem Iesu eis hæc euenisse. Discipuli autem, quando fugerūt, & aliàs afflicti sunt. propterea & alio loco, Tolletur, inquit, sponsus, & ieiunabunt amici thalami. Itaq; futura prædicit & his & illis: illis quidem propter incredulitatem: his autem propter amorem, ne in inexpectata inciderent mala. Et quoniā uerisimile erat, audientes talia, turbari animo: ut solitarios futuros consolatur, ne doleatis, dicens. Do enim uobis custodem fortē, ipsam dilectionem, quā si habueritis, inter uos corroborati, inuicti eritis. Deinde si dubitauerit quis, quomodo mandatum nouum das ô Domine charitatem, quam & in ueteri lege datam scimus: subdit, Sicut ego dilexi uos, ita & uos mutuum diligatis. Quemadmodum enim ego, inquit, gratis dilexi uos, nullis bonis operibus uestris præcedētibus, sed & cum inimica esset humana natura, eā suscepi, sanctificauiq; : ita & uos gratis diligite inter uos: etiam si offenderit te frater, ne recorderis eius. Vides quòd hoc sit nouum mandatum, diligendum proximum cui nihil debeas: lex autem dicebat, Diliges amicum tuum: ut debitum proximo qui prius inceperat, dilectionem retribuendum iubens. Declarans autem quod non extinguendi post suam migrationem, sed clariores futuri sint, dicit, In hoc scient omnes. Vides quomodo asserat eos ab omnibus cognoscendos, per hoc illos non parum consolans. Nam reliquit indicium & characterem à miraculis, à charitate autem nunc cognoscibiles facit. Multi enim sunt qui miracula fecerunt, audituri, Nescio uos. Quod autem totus orbis miraculis ad fidem adductus sit, quid mirū? Quia enim charitas aderat, ideo & uirtus ad operandum miracula non deerat. Quod si diui si & distincti fuissent, omnia perissent, & nullus credidisset illis ita contra se furentibus. Itaq; eos maiori miraculo dignos faciebat, q̃ una esset anima, & unū cor credentium.

Dicit ei Simon Petrus, Domine, quò uadis? Respondit ei Iesus, Quò ego uado, non potes me nunc sequi: sequeris autem postea. Dicit ei Petrus, Domine, quare non possum te sequi? nunc animam meam pro te ponam. Respondit ei Iesus, Animam tuam pro me pones? Amen amen dico tibi, non canet gallus, donec ter me negaueris.] Petrus præ multo feruore magis præceps factus, quia audiuerat Dominum dicentē, Quò ego uado, uos non potestis uenire; interrogat, quò uadis? quasi dicens Christo, Quæ

Supr. 11

Ioseph. Matt. 9. Marc. 2. Luc. 5.

Matt. 7.

ista est uia, quam ego transire non possum? Non enim discendi animo interrogat, sed occultè hoc subsignificat, quòd & si difficillimā omniū uiam transiturus sit, te sequar. Ita semper cum Christo esse amabat. Ideo & ipse ad mentem eius respondit, Non potes me nunc sequi, postea autem sequeris. At ille ita temerarius fit, ut cōtradiceret Christo, & non contentus oblatam esse spem bonam quòd postea sequuturus esset, urget pertinaciter: Quare nō possum te modò sequi? animam meam pro te ponam. Vides uehementiam desiderij? Quia Dominū audiuerat dicentem, Maiorem hac charitatem nullus habet, quàm ut animam suam ponat pro amicis suis; desiderat nunc hunc gradum & fastigium charitatis: ideo & pollicetur animam suam ponere pro Domino. Igitur saluator ostendit ei, quòd hoc sui solius, & non cuiusquam hominis sit, talia cum authoritate polliceri: & dicit, priusquàm gallus canat, ter negabis me: hoc est, nunc: neq; enim erit magnum interuallum. Intempestam enim noctem dicebat, ut cum prima ac secunda custodia noctis transierit. Quia igitur magna charitas contradicentem fecit, charitatem quidem approbat, contradictionem autem resecat: ideo & denudat eum superno auxilio, & docet ut suam agnoscat imbecillitatem. Nam si diligis, debes obedire ei quē diligis. Dixi quòd non possis, contradicis: per negationem disces manifestè, impossibile non fieri quod dico. Et ita curam eius gerens permisit eum cadere, ut & postea orbis administratione suscepta, nihil tale experiatur, sed agnoscat se. Et uide quomodo ceciderit non semel, sed ter. Ita derelictio Dei nostram arguit infirmitatem: & qui attendit, hoc inuenit beneficium maximum. A

Ioan. 15.

CAPVT XIIII.

NOn turbetur cor uestrum, creditis in Deū, & in me credite.] Quoniam uerisimile erat illos turbatos esse cum audiuerunt de Petro inter ipsos primario quod negaturus esset, ideo cōsolatur eos, & sedat cordium turbelas. Nam cum princeps, & qui tam illustris, priusquàm gallus caneret, ter negaturus erat: uerisimile fuit magnum eos expectasse conflictum. Deinde quasi dicerent discipuli: & quomodo non turbabimur cum in tantas inciderimus difficultates? inquit, Credite in Deum, & in me credite & omnes uestri labores soluentur, & turbatio sedabitur propter fidem in Deum & in me. Eaq; propter dixit eis, Ne turbetur cor uestrum, ut Deum ipsum esse credant, quando quidem introspiciebat corda ipsorum, & occultam perturbationem. B

*πιστεύετε credite, uel creditis. sic & in alijs.

In domo patris mei mansiones multæ sunt. Quod si secus esset, dixissem uobis. Vado paraturus uobis locum. Et si abiero ad parandum uobis locum, iterum ueniam, & assumā uos ad meipsum, ut ubi sum ego, & uos sitis.] Dixerat quidem ad Petrum Dominus, Sequeris me postea: ut autem ne putent multi quòd soli Petro hoc datum sit, & non etiam alijs, inquit, Et uos suscipiet regio illa quæ Petrum exceptura est, atq; ita nō oportet turbari pro loco. Multæ enim mansiones sunt in domo patris mei: hoc est, sub potestate patris mei. Per domum autem potestatem & principatum intellige. Si autem defuissent domus, ego fuissem & parassem uobis. Et ita utrinq; non oportet uos turbari, siue sint paratæ, siue non sint. nam & si paratæ non essent, ego omni studio præparassem uobis. Quod si autem & propter hoc ut præparem uobis locum, fuissem, nec sic quidem reliquissem uos, sed suscepissem: ut ubi sum ego, & uos sitis. Vides consolationis & animationis uerba? Vbi sum ego, uos illic eritis. Non habet igit rationem quòd uos turbamini, siquidem mecum eritis.

Et quò ego uado, scitis, & uiam scitis. Dicit ei Thomas, Domine nescimus quò uadis, & quomodo possumus uiam scire? Dicit ei Iesus, Ego sum uia, & ueritas, & uita. Nemo uenit ad patrem, nisi per me.] Quia sciebat cogitationem eorum quærentem discere quò uadat, dat eis occasionem rogandi, & dicit, Quò uado, scitis, & uiam scitis? incitans eos ad interrogationem. ideo & Thomas, Domine, nescimus, inquit, quò uadis: & quomodo possumus uiam scire? Hoc autem dicit Thomas præ nimia formidine, non sicut Petrus desiderans sequi. Igitur Christus ostendens quòd facile & non molestum sit se sequi, declarat & quò uadat, & quæ sit uia. Nam uadit quidem ad patrem. Via aūt ipse est Christus. Quia igitur monet, ego sum uia: per me omnino ad patrem & uos ascendetis. Non solum autem uia, sed & ueritas, atque ita meritò uos confidite, quòd non decipiamini à me. Sed & uita sum: unde & si moriamini, non prohibebit uos mors quo minus ad patrē ueniatis, bene igitur fidite, Per me enim ueniunt omnes

ad

A ad patrem. Et quia ego Dominus sum adducendi ad patrem, omnino uenietis illuc. Neq; enim per aliam uiam quàm per me illuc eundū est. Tu autem & hoc loco æqualem discito filiū ei qui genauit. Nam alio quidem loco patrem dicit adducere ad se. Nullus enim (inquit) potest uenire ad me, nisi pater traxerit eum. Hoc autem loco dicit per se adduci ad patrē. Igitur æqualis est patris ac filij potestas. nam & una operatio. Nam cum practicen arripis, fit tibi Christus uia. cum uerò contemplationi uacas, fit tibi ueritas. Quia autem nonnulli practicen ita colunt, & in contemplatiua ita occupati sunt, ut uitam non assequantur, uel quòd propter uanam gloriam uirtutem amplexentur, & hic recipiunt mercedem: uel quòd in dogmatibus non rectè sentiunt, & ita à recta uia exciderunt: additum est uiæ & ueritati, hoc est practicæ contemplatiuæq;, & uita. Nam & in uirtutibus omnino, & de diuinis recta disserendo, ad uiuentem in seculum, & non ad mortuam hominum laudem spectare debemus. *Ioan. 6.*

Si cognouissetis me, & patrem meum utiq; cognouissetis. Et nunc cognoscitis eum, & uidistis eum.] Quomodo superius dixit, Quò uado scitis, & uiam scitis, hoc est, me: hoc autem loco dicit, Si cognouissetis me, & patrem meum cognouissetis utique: Non sunt hæc contraria. Nam sciuerunt quidem patrem, sed non ut oportebat. Nam ut Deum quidem sciuerunt: ut patrem autem nondum: at ubi postea uenit spiritus, omnis ei data est scientia. Quod igitur dicit, hunc sensum habet: Si cognouissetis meam substantiam & dignitatem, & patris quoq; cognouissetis. Ex hoc autem tempore cœpistis cognoscere eum per me ut medium, & uidistis eum, hoc est, mente uestra quantum possibile est, spectastis. Quia enim me Dominum habetis & magistrum, per me planè & patris scientiam, ut apprehendi potuit à uobis, modicè accepistis. nam perfectiorem nondum accepistis. Et aliter, Si cognouissetis me, & patrem meum utique cognouissetis, nō arguit quòd ipsum ignorent. Sed quod dicitur, hunc sensum habet: Dixi uobis, quòd quò ego uado, scitis, hoc est, ad patrem: & uiam scitis, hoc est, me. Dixit ei Thomas, Nescimus quò uadis, & neq; uiam scimus. Dicebat Thomæ, Ego sum uia:
B & nullus uenit ad patrem, nisi per me. Si igitur me cognouissetis, & patrem meū utiq; cognouissetis. Cæterùm me scitis, ergo & patrem scitis. Ex hoc enim ipsi cognoscitis eum, & uidistis eum me uiso.

Dicit ei Philippus, Domine, ostende nobis patrem, & sufficit nobis. Dicit ei Iesus, Tanto tempore uobiscum sum, & non cognouisti me Philippe? Qui † uidet me, uidet patrem: & quomodo tu dicis, ostende nobis patrem?] Videbatur Philippo quòd Christum quidem bene cognosceret, patrem autem ignoraret. idcirco & dixit, Ostende nobis patrem, ac sufficit nobis. Nam licet millies dicas nobis, Si me cognouissetis, & patrem meum utiq; cognouissetis, non possumus ita discere patrem. Ostende igitur nobis illum corporalibus oculis. Audiens enim Philippus quòd & prophetæ corporalibus oculis uidissent Deum, desiderabat & ipse illum uidere corporaliter, ignorans q; illa contigerint prophetis per condescensionem. Igitur Christus docens Philippum quòd non sit possibile Deum uideri corporalibus oculis, dicit, Tanto tempore uobiscū sum, & nō cognouisti me Philippe? Vide quia nō dixit, nō uidisti me, sed nō cognouisti me, abducēs Philippū ab humili sensu, quo desiderabat patrē uidere corporaliter. Scientia enim de Deo, inquit, dicitur, nō corporalis aspectus. Deinde subdit, Qui uidit me, uidit patrē. Quod aūt dicit, ita se habet: Tu quidem ô Philippe quæris uidere patrē uisu corporali, & putas q; me iam uideris. Ego aūt dico tibi, q; si me uidisses, etiam illū utiq; uidisses: nunc autem quomodo illum non uideris, neq; me uidisti ut uidere oportet. corporaliter quidem uidisti me, quia & corpus fero: diuinam autem substantiam non uidisti, atq; ita neq; patrē uidisti corporaliter, neq; igitur me neq; patrem corporaliter uidere licet. Etenim qui uidit me, & patrem uidit: hoc est, qui me cognouit, cognoscit patrem. Attamen multi putant q; me uideāt, patrem aūt nō uident. Itaq; neq; me uident iuxta naturā diuinā, sed iuxta humanā. Potes & sic manifestius intelligere. Eiusdem substantiæ sum cum patre. qui ergo me uidit, hoc est, cognouit, cognouit & patrem. Nam cū una sit substātia, scientia quoq; una est. Confundaī Arius audiens, quòd qui uidit filium, hoc est deitatē filij, cognouit patrē, hoc est, deitatem patris cognouit. Confundatur & Sabellius, qui dicit quòd una sit hypostasis & una persona patris ac filij. Ecce enim diremit hypostases Dominus, & aliam personam ostendit patris, & aliā filij. † uidit me, uidit *Arius.* *Sabellius.*

filij, dicens enim, Qui uidit me, ostendit suam personam: & postea dicens, uidit patrē, A
ecce & aliam personam. Quod si una persona esset, nihil tale dixisset: sed Philippo di-
cente, Ostende nobis patrem, respondisset, Non habeo patrem, sed ego sum pater &
filius. Omnino autem extremæ insipientiæ fuerit audire quidem filium dicentem, Ad
patrem meum uado: &, Ego in patre, & quæcunq; similia sunt: non intelligere autem
quòd alia persona sit filij, & alia patris, sed confundere illas. Propterea discipulum Do
minus increpat quòd tanto tempore sequatur se, uideritq; signa ac deitatis opera, non-
dum autem agnouerit eum ut Deum, quo per ipsum & patrem cognosceret. Nunc au
tem dicit, Quia corporaliter quæris uidere patrem, manifestum quòd non credis neq;
me neq; illum esse Deum.

Non cognoscis quòd ego in patre, & pater in me est? Verba quæ ego loquor uobis,
à meipso non loquor: pater autem qui in me manet, ipse facit opera. Credite mihi, q e-
Quomodo filius sit in patre, & rursum quo modo pater sit in filio. go in patre sum, & pater in me: alioqui propter ipsa facta credite mihi.] In patre est fi-
lius, secundum quod in substantia illius apparet: & rursus pater in filio, sicut rex in ima
gine sua apparet, & imago in rege. Vnus enim character imaginis & regis. Quòd au-
tem una substantia mea est & patris, manifestū. Verba enim quę ego loquor, à meipso
non loquor, hoc est, non aliter hæc dico, sed quemadmodum pater diceret, sic & ego
loquor. Non enim habeo quiddam proprium quod meum & separatum à patre, sed
omnia cōmunia. Vna substantia est, subsistentijs separatis. Non sola autem uerba quæ
loquor, patris sunt, sed & opera. Quia enim diuina sunt opera, Deus autem pater, & e-
go, unius ergo substantiæ sunt opera, atq; ita etiamsi ego faciam, pater facit: & si pater,
ego facio. Credite quòd ego in patre, & pater in me, hoc est, oportet quidē cum auditis
patrem & filium, nihil aliud inquirere pro constituenda substantiali cognatione. Sin
uerò non sufficit hoc uobis ad ostendendam parem substantiam & honorem, quòd
pater in mea substantia apparet, & ego in patris: uel propter opera credite mihi, Opera
enim Dei sunt.

Amen amen dico uobis, Qui credit in me, opera quæ ego facio, & ipse faciet, & ma B
iora ijs faciet: quia ego ad patrem uado. Et quicquid petieritis in nomine meo, hoc fa-
ciam, ut glorificetur pater in filio. Si quid petieritis in nomine meo, ego faciam.] Ostē-
dens Christus quòd non hæc sola possit opera, sed & alia, & his multo plura, excellen-
ter ea ponit. Non enim dixit quòd & maiora his facere possum: sed quod magis est su-
spiciendū, alijs etiam, inquit, dare possum ut etiam his maiora faciant. Vides quanta sit
uirtus unigeniti, ut etiam alijs dare possit quòd faciant maiora quàm ipse fecerit. Dicen
do enim, Ego ad patrem meum uado, hoc significat: posthac uos operabimini miracu-
la, ego autem nunc transeo. Interpretās autem nobis quomodo qui credit in illum, po
terit facere magna & mirabilia, inquit, Quæcunq; petiueritis in nomine meo. Nā hoc
loco nobis operationis miraculorū compendiū ostendit. Per petitionem enim & ora-
Act. 3. tionē & inuocationē nominis eius mira operari quis poterit. ita & Apostoli, In nomi
ne Iesu Christi surge & ambula. Iccirco non dixit, Quæcunq; petieritis, obsecrabo pa-
trem, & faciet: sed, ego faciam: suam potestatem declarās. Vt glorificetur pater in filio.
Cum enim apparet filiū magna posse, glorificatur & qui tantum filium genuit. Vide
enim cōsequentem gloriam patris. In nomine Iesu Christi facta sunt signa, à signis cre-
debant Apostolis, ad Dei notitiam peruenientes agnoscebant patrem, & ita glorifica-
Ariani. batur in filio. Dicant Ariani, num ea quæ per Apostolos ipse, & ea quæ per se nō ipse,
Eadem filio cū patre po testas. sed à patre operationem recipiens faciebat, alijs dederit faciendi potestatem, & ipse eam
dem non habuerit? Quare autem secundò hoc dixit? Cum enim dixisset, quodcunq; in
nomine meo petiueritis, hoc faciam: & subiunxisset, ut glorificetur pater in filio: iterū
secundò dicit, Quæcunq; petiueritis in nomine meo, ego faciam. Confirmans sermo-
nem suum hoc dicit, & ostendit quòd ipse faciat, & non indigeat sub introducta uirtu-
te. Hæc autē omnia dicit discipulis, consolans eos, & ostendens quòd non pereat nec
obscuretur moriendo. Ad patrem enim (inquit) uado. Non enim obscurus fio, nec es-
se cesso: sed illuc eo, ubi beatior uita: & in tantū non apparebo infirmus, etiāsi moriar,
ut alijs ad maiora opera facienda uires daturus sim. Et quęcunq; petieritis, dabo uobis.
ne ergo tristitia afficiamini propter meam mortem, quæ talis est qualem demonstraui.

Si diligitis me, præcepta mea seruate: & ego rogabo patrem, & aliū paracletum da-

bit

A bit uobis, ut maneat uobiscum in æternum, spiritum ueritatis, quem mundus non potest accipere, quia non uidet eum, nec nouit eum. Vos autem cognoscitis eum, quia apud uos manet, & in uobis erit.] Dixerat superius, Quæcunq; petieritis, faciam: ostendit nunc q̄ non simpliciter oporteat petere, sed cum dilectione erga eum, & obseruatione mandatorum. tunc enim faciam, cum sic petieritis. Et aliter, Quandoquidem ueri simile esset illos audientes quòd ipso priuādi essent, cōtristari & turbari animo, Nō hoc, inquit, est diligere me, tristari, & mœsto esse uultu, sed credere his quæ à me dicuntur. Mandatum enim dedi uobis, ne terreamini ab his qui occidunt corpus: atq; ita si diligitis me, hoc obseruate, & posthac ne sitis tristes in morte mea. Nam tristitia afficiti, nō est eius qui obseruat mandatum meum. Quomodo igitur non obseruantes mandatum meū, sed timentes mortem, dicitis q̄ diligatis me? Insuper quia uerisimile est dixisse illos ad hæc: & quomodo non afficeremur tristitia, priuandi tanto solatio, & refocillatione quam ex te habemus? inquit, Non erit hoc, non priuabimini consolatione. Rogabo enim, hoc est, obsecrabo patrem: & alium paracletum mittet uobis, alium sicut me. Confundatur hoc loco Sabellius, dicens unam personam patris & filij & spiritus sancti. Ecce enim audit, Alium paracletum dabo, & ita aliam personam spiritus. Confundatur & Macedonius, qui dicit alterius substantiæ esse spiritum, & minorem filio. Audit enim q̄ & ipse paracletus sit, sicut filius. Eiusdem enim substantiæ est cum filio, utique autem & cum patre. nam pater & filius eiusdem substantiæ. Ne mireris aūt quod dicit, Rogabo patrē. non enim ut seruus orat, sed uult q̄ sufficientibus argumentis testetur discipulis q̄ omnino ueniat super eos spiritus paracletus: eiusq; gratia cōdescendēs illis dicit, rogabo patrē. Nā si dixisset, Mittā, nō sic credidissent: nūc aūt credibiliorē faciens sermonē, inquit, rogabo patrē. Et si opus fuerit patrocinio & oratione, omnibus modis operā dabo ut ueniat sup uos spiritus. Id q̄d & nos sæpenumero dicere solemus, Animā meā ponā ut hoc fiat, quāuis paruo labore plerūq; res egeat: attamen uolentes ostendere q̄ nō detrectemus studiū, ita dicimus. Et aliter: Quia pro nobis Dominus semetipsum obtulit hostiā patri, placans illū per suā mortē ut pontifex, deinde spiritus ue
B nit in nos, utpote peccato soluto, & inimicitijs sublatis: propterea dicit, Rogabo patrē, & paracletū dabit uobis, hoc est, placabo uobis patrē, & reconciliabo illū uobis, solutis ꝓpter peccatū inimicitijs: & ita mittet uobis spiritū, per meā ꝓ uobis mortē placatus, & reconciliatus uobis. Quod aūt dicit, ut maneat uobiscū in æternum, dixit cōsolans eos. Non enim ita, inquit, temporaria erit eius consuetudo uobiscū, ut mea, sed usq; in æternū durabit: neq; deficiet cū uos mortui fueritis, sed simul ꝑmanebit, & glorioſiores reddet: cūq; omnibus sanctis semper est: & cum mortui fueritis, magis, quanto scilicet sublimiores tunc corporalibus affectionibus. Spiritū aūt ueritatis inquit, hoc est spiritū nō ueteris testamenti (nā illa figura est & umbra) sed noui, quod est ueritas. Habebant igit & illi qui in lege, spiritū, sed in figura & umbroſum, nūc ueritas ipsa substantialiter uenit cū discipulis, ut ita quis dicat. Ne aūt quis opinetur q̄ etiā spiritus sicut ipse incarnādus sit, inquit, Quē mundus nō potest capere. Non (inquit) uersabitur uobiscū sicut ego. Non enim mundus eū corporaliter capere potest, hoc est habitabit in ipsis animabus uestris. Et aliter: Nō potest accipere mundus, hoc est populus ille promiscuus, & sapiens quæ huius mundi quia non uidet eum, eo quòd incomprehensibilis sit eius substantia. Contemplationem enim & uisionem hoc loco mentis dicit. unde subdit, neq; cognoscit eum. Vides quòd, & non uidet, dicens, non cognoscit, significauit. Propterea solatur discipulos, dicens, Mundus nō potest capere illū: uobis aūt hoc donum egregiū datū est, & manet apud uos: & deinde quod maius est, & in uobis erit. Apud uos enim, externū subsidiū & uicinitatem: in uobis aūt, internam habitudinem & corroborationem significat. Posterius autem illud, quod & Deus sit spiritus, significat, q̄ dicit, Habitabo & ambulabo in eis. Igitur mundus quidem nō potest accipere spiritū, quia non cognoscit eum, uos autem cognoscitis eum. Quare? Quia non estis ex hoc mundo, propterea capaces eius estis, & manet nunc apud uos, sed & erit semper in uobis.

Quid sit diligere Deū.

Sabellius.

Macedonius.

Vetus testamentum figura, Nouū ueritas.

Mundus.

Leuit. 16.

2. Cor. 6.

Non relinquam uos orphanos, ueniam ad uos. Adhuc pusillum, & mundus iam me non uidet: uos autem uidetis me, quia ego uiuo, & uos uiuetis. In illo die uos cognoscetis quòd ego sum in patre meo, & uos in me, & ego in uobis.] Ne metuatis (inquit) quia dixi uobis me alium paracletum uobis missurum, credentes quòd me ultrà non

sitis uisuri: non enim abero à uobis usque in finem. Veniam enim & non relinquã uos A
orphanos. Quia prius filios eos dixerat, nunc consequenter inquit, Non relinquã uos orphanos. Vt autem ne existiment quòd prius sit manifestãdus & ipsis & omnibus in corpore, inquit, Mundus iam me non uidet: uos enim (inquit) soli uidebitis me, etiam post resurrectionem. Viuo enim, & quanuis mortem feram, resurgam: & uos quoque uiuetis, hoc est, cum uidebitis me, lætabimini, & quasi occisi reuiuiscetis in mea manifestatione. Vel etiam sic: Quemadmodum (inquit) mors mea facta est ad uitam, ita etiam si uos moriamini, uiuetis. Ne igitur estote tristes, uel propter me qui morior, uel propter uos. nam licet moriamini, uiuetis in æternam uitam. Illa enim die scietis quòd ego in patre, hoc est, cum resurgam, scietis quòd non sim à patre separatus, sed eandem habeo potestatem. Et uos in me estis, quos ego custodio. Et ego in uobis, hoc est, uobiscum sum, uos eripiens ex periculis, miracula per uos operans, glorificansq; uos per omnia. Et aliter, In uobis sum, ut caput in membris. Membra enim Christi, apostoli: & uos in me, sicut membra in capite. Quando ergo resurrexit, manifestam de his omnibus scientiam tradidit. Gratia enim spiritus post resurrectionem omnia illa docuit eos. Cum autem audis quòd ego in patre, & uos in me, & ego in uobis, ne similiter intelligas. nam filius quidem in patre, ut illi consubstantialis: in Apostolis autem, ut adiutor & cooperarius: & Apostoli in eo, ut qui adiuuantur, & cooperatorem habentes, & ab ipso fouentur: quia & multa alia nomina de Deo & hominibus dicuntur, sed non similiter intelligũtur. Dij enim dicimur & nos, sed nõ ex æquo. Dicitur filius imago & gloria patris, & homo quoq;, sed non similiter. Ita hæc quoq; hic intelligẽda sunt, sicut & hoc, Quemadmodũ misit me pater, & ego mitto uos. Nũ igitur sic debemus intelligere simpliciter, Igitur misit quidem filiũ suũ pater, cũ esset incorporeus, & deinde incarnatus est, & ex uirgine natus est, ut & apostoli ex cœlo sint, & incorporei, & deinde incarnati, è uirginibusq; nati sint: Sed ita exponere scripturas, manifestè delirare est.

Dij homines dicũtur Psal. 81.

Ioan. 10.

Qui habet mandata mea, & seruat ea, ille est qui me diligit. Qui autem diligit me, diligetur à patre, & ego diligam eum, & apariam ei meipsum. Dicit ei Iudas, non ille Iscariotes, Domine, quid factum est q; manifestaturus es nobis teipsum, & non mundo? B
Sicut & superius diximus, uerbis huiuscemodi tristitiam illorũ sedat, docens eos quòd ille diligat ipsum, non qui dolet in morte eius, quod & illi patiebantur, sed qui mandata eius & præcepta seruat de contemnenda uita præsente, & ponenda anima pro Christo & uirtute: quasi ita dicens eis: Vos quidẽ putatis quòd præ dilectione doleatis in morte mea: ego autem pro charitatis argumento habeo nõ dolere. Quod autem hoc dicat, manifestum est ex his quæ postea dicit, Si diligeretis me, gauderetis utiq;, quòd ad patrem eam. Qui ergo diligit me, habet mandata mea, & custodit ea, ut ne fur diabolus ueniẽs rapiat thesaurum. Opus enim est diligenti custodia, ut ne perdamus ea. Qui autem diligit me, quale præmium inueniet? Diligetur (inquit) à patre meo, & ego diligã eum, & manifestabo illi memetipsum. Quare hoc dixit, manifestabo illi memetipsum? Quia post resurrectionem se eis manifestaturus erat cũ diuiniore corpore, ut ne putẽt ipsum spiritũ & phantasma esse, propterea prædicit eis hoc, ut uidentes eũ, nõ discrediãt, sed recordentẽ q; ea prædixerit ipsis, & q; propter mandatorũ suorũ obseruationẽ manifestetur eis, studeantq; semper seruare illa, ut & illis semper manifestetur. Magnum etenim resurrectionis sacramentũ, difficilè ab eis susceptũ: idcirco præparat eos dicens q; manifestaturus sit se eis: quia & cũ resurrexisset, propterea comedit cũ eis, ut ne uideretur eis phantasma. Id quod & Iudæ nunc accidit. Opinabatur enim Iudas cuius nunc mentionem facit, quòd sicut in somnio uidemus mortuos, ita & Dominus eis manifestandus esset: ideo & dicit, Domine, quid factum est quòd nobis teipsum manifestaturus es, & nõ mũdo? Præ multa enim admiratione & stupore hoc dicebat, sicut si dixisset, Væ nobis q; moreris, & q; sicut mortuus manifestandus es nobis in somnis. Nam quod dicit, Quid factum est, obstupescente & attonita mente dicebat. Quid igitur Dominus? quomodo à mente suspicionem eius ut fallacem resellit?

Ioan. 21.

Respondit Iesus, & dixit ei, Si quis diligit me, sermonem meum seruabit, & pater meus diliget eum, & ad eum ueniemus, & mansionem apud eum faciemus. Qui non diligit me, sermones meos non seruat. Et sermo quem auditis, non est meus, sed eius qui misit me patris.] Iudas quidem præ multa formidine existimabat quòd mortuus

Dominus

A Dominus in somnis se exhibiturus esset eis, unde & interrogabat sicut dictum est. Dominus autem refellens eius suspicionem, inquit, Sicut pater manifestat seipsum, ita & ego manifestabo memetipsum. Ego enim (inquit) & pater ueniemus ad eos qui custodiunt sermones meos: atq; ita non in somnijs manifestabimur uobis, sed quia cum patre uenturus sum, ut par est patrem manifestari, ita fiet & mea manifestatio qua uobis manifestabor. Ar dicendo, Mansionē apud eum faciemus, subuertit Iudæ suspicionē. Non enim somnia manent, inquit. Ego autem cum manifestos, maneo cum patre: nō igitur quasi in somnio erit uisitatio mea. Prædicit autē eis (ut dixi) se manifestandum, ut ne phantasma ipsum putent: & interim exhortatur eos ad seruandum mandata sua, scientes quòd seruantibus illa manifestandus sit ipse & pater. Sic quoq; ab eo qui non seruat mandata, discedit & ipse & pater, tanquam à non diligente. Nam qui nō diligit me (inquit) sermones meos nō seruat. Atq; ita neq; patrem diligit, qui nō diligit filium. Nam sermo filij, & patris est. Qui igitur nō custodit sermonem filij, uel patris: sicut odit filium, ita & patrem. Vos igitur discipuli custodite sermones meos, ita enim declarabitis dilectionē tam erga me, quàm erga patrem. Quidam aūt dicunt Iudam discipulum non ex formidine, sed misericordi mente dixisse, Quare manifestaturus es te nobis, & non mundo? Volebat enim non solos discipulos, sed & totū mundum utilitatem ex manifestatione eius percipere. At saluator ostendit non omnes talia consequi, sed nos duntaxat qui mandata sua seruamus, digni uidebimur sua manifestatione patrisq; dilectione. In eo autem qui custodit mandata, est Deus & pater, & nō sicut in filio, ita & in hoc. In filio quidem natura est, in homine autem secundum habitudinē quandam.

Hæc locutus sum uobis apud uos manens: Paracletus autem ille, qui est spiritus sanctus, quem mittet pater in nomine meo, ille uos docebit omnia, & suggeret uobis omnia quæcunq; dixi uobis.] Quoniā obscura erant discipulis quæ dicebantur, & alia quidem nō intelligebant, & de alijs multum dubitabāt: ut ne iterum interrogent eum, & dicant, Quæ mandata seruare debemus? liberat eos à turbatione, dicens, Paracletus
B obscura & intellectu difficilia, cognita uobis faciet. Nam hæc quæ uobis uidentur obscura, dixi cum manerē & essem apud uos. Si autem abiero, de omnibus docebimini. Igitur de discessu non oportet uos esse tristes, qui tanta uobis bona, tantamq; sapientiā afferet. Quandiu enim ego apud uos maneo, & spiritus nō uenit, nihil magnum neq; sublime intelligere potestis. Subinde aūt paracletum nominat, propter cōtinuas ipsorum afflictiones, bono illos animo esse faciens, q; ab illo refocillandi essent. Quod aūt dicit, In nomine meo ueniet paracletus, hoc uult, q; nihil alienū à me docturus sit uos, neq; propriam † opinionē sibi uindicabit: sed in nomine meo ueniet, hoc est, in gloriā mei nominis, non sui: id quod faciunt contraria docentes, auditoribus suis propriū nomen cōmendantes. Quidam aūt intelligunt, in nomine meo, nomen Christi, paracletus. Habemus enim (inquit) paracletū Iesum Christum. Quia igitur & spiritus qui uenit ad discipulos, paracletus factus est, mœstitias illorū consolaturus, in nomine Christi uenit. paracletus enim & ipse sicut Christus. Sed & Christum Paulus nominauit spiritum, dum dicit, Vos aūt non estis in carne, sed in spiritu, si quidem spiritus Dei habitat in uobis. si aūt quis spiritū Christi non habet, hic nō est eius. Deinde subdit, Si aūt Christus in uobis. Vides quomodo suprà dicēs spiritum Dei habitare in eis, deinde subdat, Christus in uobis, Christum scilicet spiritū nominans? Quia igitur spiritus Christus nominatur, ita debes intelligere, In nomine meo mittet eū pater, hoc est, & ipse nominabitur Christus. Igitur & spiritus sanctus & docuit, & suggessit. Docuit quidem, quæcunq; non dixerat eis Christus, utpote portare non ualentes. Suggessit uerò, quæcunq; dixerat quidem Dominus, sed obscurius, uel quæ propter imbecillitatem rationis memoria comprehendere non ualuerunt Apostoli.

Paracletus, id est, consolator.

† gloriam

Ioan. 2.
Rom. 8.
Christus Paulo spiritus nominatur.

Pacem relinquo uobis, pacem meam do uobis: Non sicut mundus dat, ego do uobis. Ne turbetur cor uestrum, neq; formidet.] Iterum in mœrore erant discipuli, audientes Dominum dicentem, Ego quidem discedo, spiritus autem ueniet. Ideo uidens turbari cor eorum, & maximè propter afflictiones imminentes & certamina, dixit, Pacem relinquo uobis, quasi ita dicens, Quid nocent uobis mundi turbationes, cum mecum pacem habeatis? Non enim talis est pax mea, qualis mundi, quæ sæpe in malo fit, & planè stulta est: sed talem ego do, ut & inter uos pacem habeatis, & unum cor-

pus sitis. Hoc aũt fortissimos omnium uos faciet, etiamsi multi cõtra uos insurexerint, A nihil tamen patiemini, concordia paceq; mutua muniti. Deinde quia iterũ dixit, relinquo, id quod recedẽtis erat, & satis eos turbare poterat, subdit, Ne turbetur cor uestrũ, neq; formidet. Igitur turbationem patiebantur ex affectu amoris & dilectione erga illum, q; illo priuandi essent, timebant autem, eo q; euentura erant illis mala post mortem eius. Ipse igitur neq; turbationem ex amore, neq; timorem ex afflictionibus absq; medicamine relinquit: sed utraq; sedat, dicens, Ne turbetur cor uestrũ, neq; formidet.

Audistis quod ego dixi uobis, Vado & uenio ad uos. Si diligeretis me, gauderetis utiq; quòd dixerim, uado ad patrem, quia pater maior me est. Et nũc dixi uobis priusquam fiat, ut cum factum fuerit, credatis.] Quia uidit Dominus Apostolos non plenè resurrectionẽ suam sperare, neq; scire quid esset, & propterea ualde mœrere & turbari ut se priuandos, attemperans se illorũ infirmitati, dicit, Quia ego dixi uobis, uado, & iterũ ueniã, adhuc tamen & tristes estis, & mihi non fiditis. quãuis enim moriar etiã, in afflictionibus uestris non relinquam uos. Nunc ergo cum audiueritis quòd ad patrem meum uado, qui magnus, & me maior uobis uidetur: deberetis gaudere q; ad illum eam, qui me maior, & omnia dura poterit auferre. Vides consequentiam sententiæ? Quomodo cum dicit, Pater meus maior me est, ut consoletur discipulos dixerit? Nam quia illi tristes erant quasi nõ posset eos iuuare Christus, dicit, Quamuis ego nõ possem, saltem pater meus, quem uos me maiorem putatis, non tantus habitus est qui uos iuuet? sicut & alio loco dicit, num putatis, q; non possim orare patrem meũ & exhibebit mihi duodecim legiones angelorum? Non enim hoc loco quasi non possit, hoc dicit. Quomodo enim, qui sola interrogatione Iudæos collectos prostrauit, retroq; cedere fecit? Verùm quia de eo ut homine habebant opinionem, eapropter hæc inquit, Ita igitur pater maior me est. Dixit enim hoc iuxta illorum sententiam, credentium ipsum quidem infirmum, patrem autem posse in tempore afflictionis sufficere. Et nunc dixi uobis priusquam fiat, ut cum factum fuerit, credatis, hoc est, ita bene fido, mortemq; non timeo, neq; tristis sum, ut & prædicam, & gaudere uos iubeam, ut quando factum fuerit, credatis mihi, quòd sicut sciui afflictiones uobis ebuenturas, & prædixerim eas non mentiens, ita neq; de aduentu paracleti & cõsolationis prædicens mentiar, sed omnia uobis iucunda occurrent. Quidam autem patrem, secundũ quòd principium & causa est filij, intelligunt maiorem esse. Maior enim me est, inquit, pater, secundum quòd principium & causa mea est. Ex ipso enim natus sum. At maiorem ipso esse patrem, non facit ipsum alterius substantiæ. Nam quamuis † in his (ut ita dicam) maior sit pater filio, sed iam nõ alterius naturæ est. Deinde dicant hæretici, secundũ quid uenit ad patrem Christus? secundum quòd Deus, uel secundum quòd homo? Secundum quod homo. Quia secundũ quòd Deus semper in cœlis erat, & inseparatus à patre: secundum humanam igitur naturam maior eo dicitur esse pater.

Sermonem Christus ad auditorum attemperat imbecillitatem.

Matt. 26.

Ioan. 16.

† in hominibus (ut exẽpli causa dicamus)

Posthac non multa loquar uobiscũ. Venit enim princeps mundi huius, & in me nõ habet quicquã: sed ut cognoscat mundus q; diligo patrem, & sicut præceptũ dedit mihi pater, sic facio.] Cum consolatus esset discipulos per ea quæ suprà dicta sunt, iterum dicit de morte sua. Venit enim, inquit, princeps huius mundi, hoc est diabolus. Principem aũt hunc intellige mundi, nõ creaturæ, sed mundi confusi, & mundana sapientis. non enim cœlum gubernat ac terram, quia omnia euertisset & cõturbasset, sed eos qui sponte se illi tradunt: ideo & princeps tenebrarũ dicit. Per tenebras intellige praua opera. Et quia uerisimile erat quosdã suspicari num & Christus propter peccata esset morti traditus, propterea subdit, In me non habet quicq;, cum non obnoxius sim morti, neq; quicq; debeam diabolo: sed propter dilectionẽ erga patrẽ, uoluntarius sustineo passionem, cõtinuò aũt repetit sermones de morte, illis adiungens & quæ ad consolationem pertinebãt, ut credibiliorẽ illis faceret. Audientes enim q; moriatur, discunt & q; uoluntarius, & q; contemnat diabolum, & quòd propter charitatem erga patrem moritur. Si igitur perniciosa fuisset passio, & non salutaris, quomodo approbasset pater, qui diligebat? quomodo item filius qui diligebatur, obisset eam? Quomodo autem intelligemus q; propter amorẽ erga patrem moriatur? Pater, inquit, qui diligit mundũ, exposuit me pro illorũ morte. Ego quoq; patrem diligens, uoluntatem eius approbo, & ostendo q; diligam patrem, per hoc quòd mandatum ab eo, hoc est, quòd complacitum illi, &

De quo mũdo intelligatur cum dicitur, Princeps huius mundi.

decre-

A decretum ab eo, suscipio & perficio. Dicite Arianistæ, Si seruus fuit filius, non dixisset, Propter dilectionē erga patrem morior. Seruus enim non quia diligit Dominū suum, facit uoluntatem eius, ied quia seruus est, & timet supplicia. Dominus aūt Iesus quia ut diligens facit uoluntatem Dei, non seruus est, neq; creatura, sed reuera filius, patris implens uoluntatē. Cum igitur audieris q̄ mandauit mihi pater, nō propter hoc q̄ mandatū dedit, mancipiū facias dominū, ut subditum: sed quia pater, cognosce q̄ ipse filius sit eiusdem substantiæ patri: mandatū dedit, hoc est, uoluit, dixit, approbauit, decreuit.

CAPVT XV.

SVrgite eamus hinc, Ego sum uitis uera, & pater meus agricola est. Omnem palmitem in me non ferentem fructum, tollit: & omnem qui fert fructum, purgat, ut fructum copiosiorem afferat. Iam uos mundi estis propter sermonem quem locutus sum uobis.] Quoniam sæpius de passione locutus, illorum animos concussit, & intellexit eos formidare tanquam breui capiendos, & præ multo timore neq; dictis attendentes, fingit se illos in locū occultum abducturum, in quo non sint capiendi. Et exurgit sanè à loco in quo erat, ut perturbationibus animarum eorum sedatis, traderet eis dogmata magis mystica. Abducit autem eos, ut posthac † docebimus, in hortum quem Iudas sciebat, itaq; quod fiebat, secessus esse uidebatur, re uera autem expositio uoluntaria in talem locum secedentis quem Iudas sciebat. Quid igitur mysticum illis tradit? Ego sum, inquit, uitis, hoc est radix, uos autem palmites: at pater meus agricola est. Circa quæ autem occupatus est pater? nunquid circa radicem? non, inquit, sed circa palmites. Omnem enim palmitem, inquit, non afferentem fructum, tollit eum, hoc est omnem hominem qui per fidem factus est pars radicis, & unitus Domino, & incorporatus ei, oportet & fructum afferre, hoc est, uitam habere uirtutibus præditā. Quòd si quidem solam ac nudam confessionem fidei quis habeat, & non per obseruationem mandatorū fructum ferat, mortuus palmes fit. Fides enim absq; operibus mortua est. Omnis igitur fidelis in Christo quidem esse uidetur, quatenus credit. Omnis enim palmes, inquit, qui
B est in me, si nō attulerit fructū, tollit eum pater, hoc est, ponit extra cōmunionem cum filio. eum autem qui fructificat, purgat. Hic aūt discimus, q̄ etsi ualde uirtute quis præditus sit, indiget tamen ut à Deo curetur. Nam quod infructuosum, neq; in uite poterit esse: quod autem fructū fert, fertilius facit pater. Considera autem q̄ propter afflictiones discipulorum hæc dicantur. Quandoquidem enim afflictiones uidentur esse, quod rustici dicūt, putationes: ostendit eis Dominus quòd per afflictiones fertiliores erunt, sicut & per putationem palmites. Tentationes enim eos fortiores declarabant. Deinde dicant, de quibus hæc dicis? Vos, inquit, estis mundi propter sermonem quem locutus sum uobis. Vide, superius dicebat purgare patrem, nunc iterum se inducit curam agentem. Vna igitur operatio patris & filij. Ego, inquit, uos purgaui per meam doctrinam. debetis itaq; quod uestrum est indicare. ideo & subdit:

† discemus

Non sola fides saluat. Iacobi 2.

Manete in me, & ego in uobis. Sicut palmes de se fructum ferre nequit, nisi maneat in uite: ita neq; uos, nisi in me manseritis. Ego sum uitis, uos autem palmites. Qui manet in me, & ego in eo, hic fert fructū multum, quia sine me non potestis facere quicq̄. Nisi quis manserit in me, eijcietur foràs sicut palmes, & aruit: & congregant eos, & in ignem cōijciunt, & ardēt.] Ego quidē, inquit, uos purgaui per sermonē meū & doctrinam, & nihil quod ego facere debui, prætermissum est. Oportet aūt nunc ut incipiant & ea quæ à uobis sunt. Manete enim, inquit, in me. Nam ne præ timore separentur ab eo remissas ipsorū animas cōstringit, & sibi iungit, & meliorē nunc eis spem dat. Quęcunq; petieritis, si manseritis in me, accipietis: ab exemplo palmitis clarè nobis qualitatem & uitā exponit quā largitur his qui sibi placent. Nam sicut ille manens in uite, fructum facit, eo q̄ ab illa uiuendi operationem accipit: ita & uos si manseritis in me per obseruationem mandatorum, maiorem fructum afferetis. Qui autem non manet, aridus fit, hoc est, abijcit quod à radice habuit: si quod spirituale beneficium accipiebat, priuatur eo, & nudatur auxilio & uita quæ ab eo datur. Et quid tandem? In ignē mittitur, & ardet. Hoc aūt loco & consolationem non paruam eis dat, ostendens q̄ hi qui insidiantur sibi ut Iudas, comburantur: ipsi autem qui manserint in eo, fructū afferent. Nam absq; succo & uiuificatione, quæ inde procedit, non poterunt quicquam facere.

Si manseritis in me, & uerba mea in uobis manserint, quicquid uolueritis, petetis,

& fiet

& fiet uobis. In hoc glorificatus est pater meus, ut fructum copiosum afferatis, & efficia A
mini mei discipuli.] Hoc loco interpretat nobis Dominus quid sit quod dixit, Si man-
serit is in me, hoc est, si mandata mea custodieritis. hoc enim significat, uerba mea ma-
nere in uobis. Vult enim ut sibi per opera adhæreatur. Nam quicunq; Deo placere cu-
piens uiuit, uoluntate sua manet in uite, cum unitur illi per dilectionem, & seruationē
mandatorū, adhæretq; spiritu: sicut cōtrà qui à mandatorū obseruatione absistit, spon-
te à Domino alienatur. In hoc autem glorificatur pater meus, inquit, si uos fructū mul-
tum attuleritis. Gloria enim Dei & patris, approbatio discipulorum filij eius. Nam ful-
gente luce Apostolorum coram hominibus, glorificabatur pater cœlestis. Fructus e-
nim Apostolorum sunt gentes, quæ per doctrinam illorum ad fidem sunt adductæ, sa-
ctæq; ad gloriam Dei. Si igitur glorificatur pater dum uos fructum affertis, utiq; suam
gloriam non negliget: sed operabitur uobiscum, ut copiosiorē fructū afferatis, quo ma
gis glorificetur. In hoc enim, inquit, glorificatus est pater meus, ut fructū multū affera-
tis, & efficiamini mei discipuli. Vides quomodo ille est fructū afferens qui uerè est di-
scipulus: & pater in isto glorificatur, hoc est, gaudet, & gloriam suam hoc existimat.

Verba mea in uobis manere, quid significat.

Gloria Dei quæ.

Sicut dilexit me pater, ita & ego dilexi uos. Manete in dilectione mea, Si præcepta
mea seruaueritis, manebitis in dilectione mea, sicut & ego præcepta patris mei seruau-
ui, & maneo in eius dilectione.] Exhortatur eos ut bene confidant. dicit enim, Dilexi
uos. Sic aūt dilexi uos, sicut me pater diligit. Hoc autē humanius dixit, Manete igitur
in dilectione mea. Illius enim uos estis domini. Non enim quia audiuistis q̄ dilexe-
rim uos, cōtemnetis: sed dabitis operam, ut maneatis in dilectione mea. Deinde docet
eos quomodo poterint manere: si mandata sua mandarint. Nam (ut sæpe dictum est) il
le est qui diligit Deum, qui mandata eius seruat. Per omnia autem hęc ostendit q̄ tunc
securi erunt, cum uitam puram egerint. Sicut ego mandata patris mei seruaui, & ma-
neo in dilectione eius: & hoc temperans se audientium infirmitati dicit. Nō enim qui
omnium est legislator, mandatis obnoxius, & sine paternis mandatis uiuere non po-
test suam uitam. hoc enim cogitare fuerit absurdissimū. Dicit autem hoc, multum eos B
consolari uolens. Quia enim dicebat eis, Diligo uos, & habituri erant postea cum affli
ctionibus certamen, ut ne offendantur quasi dilectio nihil illis prodesset: Ne turbemi-
ni, inquit: quia etsi me diligat quidem pater, permittit tamen ut patiar pro mundo. Si-
cut igitur non minuitur dilectio patris propterea q̄ ego patiar: ita neq; uos minus dili-
gemini à me, etiamsi in uarias incideritis afflictiones.

Quis diligat Deum.

Hæc locutus sum uobis, ut gaudiū meum in uobis maneat, & gaudium uestrum im
pleatur. Hoc est præceptū meum, ut diligatis uos inuicē, sicut dilexi uos. Maiorē hac di
lectionem nemo habet, ut quis animam suam ponat pro amicis suis.] Hæc (inquit) lo-
cutus sum uobis, ut non imminuam gaudium uestrum. Nam gaudebant quidem cum
essent simul cum eo cum miracula faceret, & glorificaretur: & ipsi quoq; dæmonia ej-
cientes gaudebant, sicut & ipse inquit, Non gaudete quòd dæmonia ejicitis. Quoniā
autem & affectio incidebat, & mœror gaudium ipsorum mutilabat, inquit, Hæc so-
latoria uerba locutus sum uobis, ut semper & usque ad finem gaudium uestrum inte-
grum maneat, plenumq; sit ac perfectum. Nō enim mœrore digna sunt præsentia, sed
gaudio, licet crux, licet confusio, licet ignominia accedat. Quia autem suprà dixit, Si
mandata mea seruaueritis, tunc manebitis in me, nunc ostendit quæ mandata debeāt
seruare: & ipsis demonstrat charitatem. dicit enim, Vt diligatis uos inuicem, sicut dile-
xi uos. Non fortuitò, neq; simpliciter uult nos diligere inuicem, sed sicut ipse dilexit.
Obserua autem quomodo suprà quidem in plurali dixerit mandata, hic uerò dicat,
Hoc autem mandatum meum est, in singulari numero. Hoc ideo factum opinor, quia
dilectio omnia mandata complectitur, & caput est. Dicitur autem mandata & manda
tum. Porrò interim ostendit nobis uiam qua seruemus mandata, nempe per seruatio-
nem unius mandati, charitatis. Quando autem dixit, sicut ego dilexi uos, diligatis &
uos inuicem: ostendit modum & summitatem charitatis. Maiorem enim hac charita-
tem nemo habet, ut quis ponat animam suam pro amicis. Atq; ita & uos pro uobis in-
uicem animam ponatis, quia & ego pro uobis morior. Igitur ne putetis ex odio erga
uos fieri discessum hunc. fit enim ex summa charitate.

Luc. 10.

Dilectio caput omniū mandatorum.

Vos mei amici estis, si feceritis quæcunq; ego præcipio uobis. Non posthac uos di-
co ser-

A cõseruos, quia seruus nescit quid faciat dñs eius. uos aũt dixi amicos, quia omnia quæ audiui à patre meo, nota feci uobis. Non uos me elegistis, sed ego elegi uos, & cõstitui uos, ut eatis, & fructum afferatis, & fructus uester maneat, ut quicquid petieritis patrẽ sub nomine meo, dem uobis.] Sursum deorsumq; uersat charitatis doctrinã, ostenditq; nobis multis uerbis q̃ istud mandatum maioris sit momenti, & plus curandũ quàm alia. Cõmendat aũt & charitatis suæ signũ maximum. Nam in tantũ, inquit, diligo uos, ut & occulta uobis reuelauerim. Seruus enim nescit mysteria domini, uos autem cum nunc estis amici mei, mysterijs digni facti estis. Omnia enim quæcunq; audiui à patre meo, nota feci uobis. Quomodo igitur inquit alio loco, multa habeo uobis dicere, sed non potestis portare modò? Omnia nota fecit eis quæ illi poterant audire, & quorum erant capaces. Quando autem dicit, Quæcunq; audiui à patre meo, ne suspiceris quòd doctrina filius opus habeat, sed ostendit q̃ nihil alienum à patre loquatur, sed ea quæ patris sunt, & quæcunq; dixerit, illius sunt. Dicens aũt, indiciũ charitatis meæ erga uos est, ut nota sint uobis mea mysteria: subdit & aliud charitatis indicium. Ego, inquit, elegi uos, hoc est, non uos meam accessistis amicitiam, sed ego uestram, † hoc est, ita plantaui uos, ut me diligeretis. Quomodo igitur relinquerem uos in posterũ? Sed & posui uos, hoc est, plantaui uos, ut eatis, hoc est, ut crescatis, & expandamini & extendamini, fructumq; afferatis. Hoc aũt loco manifestè agricolam se esse introducit. Et superius quidem quando dicebat, Mundi estis propter sermonem quem locutus sum uobis, ostendit seipsum purgantem: nunc aũt manifestius per hoc quod dicit, Ego elegi uos, & posui uos. Nam agricola hoc facere dicitur, & ponit sub terrã palmites. Vides æqualitatem patris & filij. Et pater agricola, & filius nunc ostenditur agricola. Confusionem induere Ariane cum his qui tecũ ad impietatem prosiliunt. Vide aũt & aliud, Vt quicquid petieritis patrẽ in nomine meo, dem uobis, hoc est, ego dabo uobis. Tametsi oportebat iuxta consequentiam ita dicere, Quæcunq; petieritis patrem, dabit uobis: sed dixit, Ego dem uobis, eo q̃ omnino sit eiusdẽ potentiæ, quia & pater qui dat, per dextrã

B suam dat: dextra autem eius est filius. Considera autem hoc loco quòd quando plantati fructum afferimus, tunc quęcunq; petiuerimus, dabit nobis. Si aũt non afferimus fructum, nõ recipimus, quia fructũ nõ afferẽs, neq; animæ petit utilia, sed omnino mũdana & inutilia: ideoq; nõ accipit. Quæritis eñ, inquit, & nõ accipitis, eo q̃ malè petatis.

Hæc mando uobis, ut diligatis inuicem. Si mundus uos odit, * scitis quòd me priusquam uos odio habuit. Si de mundo fuissetis, mundus quod suum est diligeret: quia uerò de mundo nõ estis, sed ego elegi uos de mundo, propterea odit uos mundus.] Vt ne opinentur Apostoli q̃ Dominus opprobrãs proferat eis q̃ animã suam pro illis ponat, & q̃ electi sint, ideo dixit, hæc mando uobis, non ut exprobrem, neq; ut de bono quodam opere arroganter loquar, sed ut animas uestras firmiores faciã in charitate mutua, idcirco enumero meæ erga uos charitatis opera. Hæc enim mando uobis, ut diligatis inuicem. Quia aũt res ardua & ualde molesta est persecutionem pati, & odio haberi, consolatur eos dicens, Si uos odio habent, nihil nouũ est: nam & me primùm odio habuerunt, atq; ita quia cõmune hoc mecum habetis, ut odio habeamini, sit uobis magnę consolationis loco. Subdit aũt & alium consolandi modũ consolantem maximè. Contrà enim, dicit, oportebat uos mœrore affici, si mundus uos nõ haberet odio. Mundus, hoc est mali homines. Ex eo enim quòd non haberemini odio, ostenderetur quòd & ipsi illorum malitię & iniquitati cõmunicaretis: nunc autem quia odio uos habent mali, gaudete. Nam propter uirtutem uestram uos oderunt. Alioquí si non essetis uirtute præditi, mundus quod suum est amaret. Quia autem ego uos elegi de mundo iniquitatis, propterea odio uos habet mundus, uti eos qui operibus suis non communicant.

Memẽtote sermonis mei quẽ ego dixi uobis, Non est seruus maior domino suo. Si me persecuti fuerint, & uos persequentur. Si sermonẽ meũ seruauerũt, & uestrũ seruabũt. Sed hęc omnia faciẽt uobis propter nomẽ meũ, quia nõ nouerũt q̃ misit me.] Hoc quod superius dixit, id nũc dilatans, maiorẽ illis cõsolationẽ affert. Dicit enim, Memores sitis sermonis mei, q̃ nõ sit seruus maior domino suo: igitur neq; uos me maiores. Videte igitur quo pacto me usi sunt. Si persecuti fuerunt Dominũ, & uos seruos multo magis, si me non persecuti fuissent, sed meũ sermonem seruassent, & uestrum seruaturi essent: id quod nõ fiet. Neq; enim meũ neq; uestrũ seruabunt, sed omnia hæc faciẽt uobis

Obiectio.

Quomodo filius audiat à patre.

† & prior uos dilexi.

Christus agricola.

Ariani.

Dexteræ Dei Christus.

Iacobi 4.

* γινώσκετε, *id est, scitis uel scitote.*

Supra 13. Matth. 10.

uobis propter me: atq; ita si diligeretis me, sustineretis utiq; propter me quē diligitis ut dicitis. Sed & aliter consolatur, quia iniuria afficiunt & eum qui me misit. Itaq; si nihil aliud, certè hoc sit uobis in cōsolationē, q; ipsi & uestri, & mei & patris mei sint inimici. 1

Si non uenissem, & locutus fuissem eis, peccatū non haberent: nunc autem non habent quod prætexant peccato suo. Qui me odit, is & patrē meū odit. Si opera nō fecissem inter eos quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent: nunc autem & uiderunt, & oderunt non solum me, uerùm etiam & patrem meū: sed ut compleatur sermo qui in lege eorum scriptus est, Odio habuerunt me gratis.] Num autem iustè, inquit, hæc faciunt, & odio habent & me & patrem meum, & uos: num propterea quæ dixi uel feci, hanc mentem insumpserunt? Non, inquit: Peccatum enim hoc incondonabile est. Nunquid enim non ueni & docui? Si non uenissem, si non fuissem locutus, potuissent dicere, non audiuimus, nunc autem prætextu caret eorum malitia. Dein quia nihil aliud prætexebant in omnibus, quàm quod propter patrem ulciscantur: (sic enim dicunt, Homo hic nō est à Deo, & similia) idcirco subdit, Qui me odit, & patrem meum odio habet: atq; ita nihil tale relictum est eis in excusationē. Non solum autem doctrinam exhibui, sed & opera adieci, qualia nullus alius, ut est miraculum de cæco, miraculum de Lazaro, & alia similiter. Quam igitur habebūt excusationem? Doctrinā sermonum præbui, adieci & opera, sicut & Moses præcepit illi obediendum mandans, qui & signa faceret, & pietatem doceret, nunc autem uiderunt talia opera, & nihilominus me atq; patrem odio habuerūt. Deinde subdit & prophetam testem, Oderunt me gratis. Nam propter solam malitiam & nullam aliam causam natū est hoc odium. Legem autem non solos libros Mosi, sed & prophetarū (ut suprà dixi) nominauit. Igitur Dauid spiritu prædicit qualis futura esset illorum malitia, & ipsi, ut mali, dictum à propheta impleuerunt, & prophetiam ueram esse comprobauerunt.

Psal. 68. *Ioann. 9.* *Ioan. 1.* *Deut. 18.* *Lex quæ intelligi tur.*

Cum autem uenerit paracletus (quem ego mittam uobis à patre) spiritus ueritatis, qui à patre procedit, ille testimonium perhibebit de me. Et uos testes estis, quia ab initio mecum estis.] Dixerat discipulis, Persequuturi sunt uos, sermonem uestrū non seruabunt. Vt igitur dicere non possint, Et nunc ô Domine quò mittis nos? quomodo digni fide erimus? quis ad nos attendet? quis persuadebitur? Ideo subdit, Cum autem uenerit paracletus, ille testabitur de me. Fidelis, inquit, testis ille est, & ita redarguti à spiritu quòd absq; excusatione peccarint, prædicationem suscipient. Et uos quoq; testabimini, qui ab initio mecum estis, quia & operibus & sermonibus feci deesse iplis excusationem. Bono igitur animo sitis, prædicatio nō caritura est testibus, sed & spiritus cum signis & prodigijs meis testabitur, fidelisq; testis erit. Est enim spiritus ueritatis. Igitur spiritus ueritatis uera testificabitur. nam à patre procedit, & omnia clarè nouit. Est cū ex eo à quo omniū scientia. Iam quod dicit, Quem ego mittam, æqualitatem erga patrem significat. Nam alio loco de patre dixit q; mittat spiritum: hoc aūt loco q; ipse mittat, utiq; sanè æqualitatem significans. Vt aūt ne uideatur obluctari patri, quasi ab alia substantia mittat spiritū, addidit, à patre. Nam & ipse quidem mittam, sed à patre, hoc est approbante patre, & simul mittente. Nō enim ex proprio sinu ipse prius mitto, sed à patre per me suppeditatur. Cum autem audieris quòd procedit: ne intelligas per processionem missionem quali emittūtur ministratorij spiritus, sed naturalis subsistentia spiritus est processio. Nā nisi processionē sic intellexerimus, sed externā quandā missionem, incertū erit de quo spiritu dicat. innumeri enim sunt qui in ministeriū mittuntur propter eos qui hæreditabunt salutem. Cæterùm hoc loco singularis quædam & separata proprietas est procedere, uni proprio spiritui attributa. Non igitur intelligemus per processionem simplicem emissionē, sed naturalem ex patre subsistentiam. Hic igitur spiritus testis erit prædicationis, & uos quoq; testabimini, quòd non ex alijs audiueritis, sed ipsi ab initio mecum estis. Non paruum autem est hoc testimonium ab initio simul esse: quod & ipsi Apostoli postea concionati sunt dicentes, Qui simul comedimus, simulq; bibimus cum eo. Duplex igitur testimonium, à uobis & à spiritu. Nam licet uos ad gratiam testari uideamini: at non item ad gratiam testificabitur & spiritus.

Et filius mittit spiritum sanctum. *Heb. 1.* *Act. 10.*

CAPVT XVI.

HAec locutus sum uobis, ut ne quid offendamini. Alienos à synagogis faciēt uos: sed ueniet tēpus, ut quisquis interficiat uos, uideat cultū præstare Deo. Et hæc faci-

ent

A facient uobis, quia non nouerunt patrē, neq; me. Sed hæc locutus sum uobis, ut cum uenerit tempus illud, reminiscamini eorū, q; ego dixerim uobis.] Dixi, inquit, uobis hæc priusquam fierent, ut ne postea offendamini cum uideritis multos non credere, & uos multa aspera pati, sed cogitate q; etiam anteq; factum sit, dixerim uobis. Suscipite posthac à me consolationē, q; neq; in hoc decipiam uos, sicut neq; in prædictione passionū. Nam & absq; synagogis facient uos, & excludent à concilijs honestisq; cōditionibus, & in summa à sua cōmunione separabunt. Etenim iam conspirauerāt quòd si quis confiteret Christū, ejiceret à synagoga. Non solùm autē à synagoga uos alienos facient, sed & morte puniēt, morteq; ignominiosissima, utpote ceu perniciosos, & ut inimicos Dei occidēt uos. Et omnis qui occiderit uos, tanto studio occidet, ut uideatur Deo cultum præstare, hoc est, putabit se rem piam Deoq; gratam facturum. Subdit autē consolationē, quæ sufficere queat. Hæc enim, inquit, facient quia non nouerunt patrem, neq; me. Propter me enim, inquit, & patrem hæc patiemini, igitur sustinete. Beati enim estis cum exprobrauerint, & persecuti uos fuerint, & dixerint omne malum uerbū cōtra uos mentientes propter me. Hæc beatitudo, uestra consolatio, cum eius fueritis recordati. Hæc autē locutus sum uobis, ut quando uideritis molesta illa euenisse, credatis & dereliquis. Non enim poteritis dicere q; iucunda prædixerim uobis, decipere uos cupiens. Verùm sicut annuncians tristia nō decepi, ita neq; læta dicens, indignus fide fuerim. Insuper ut ne sitis minus præparati, sed instructi, recordemini q; ego uobis ea dixerim, & idcirco stetis fortiter cōtra aduersa.

Ioan. 9. Matth. 5

Hæc autē uobis ab initio nō dixi, quia uobiscum eram. Nunc autē uado ad eum qui misit me. Et nemo ex uobis interrogat me quò uadam: sed quia hæc locutus sum uobis, mœstitudo impleuit cor uestrū. Sed ego ueritatē dico uobis. Expedit uobis ut ego uadam. Si enim nō abiero, paracletus nō ueniet ad uos. si autē abiero, mittā eum ad uos.] Valde grauati sunt tristitia discipuli cum audirent talia sibi aduentura. Idcirco & Dñs, hæc, inquit, tam dura principio nō dixi uobis, nō ut ignorans, sed quia uobiscum eram, & sufficiens confugiū ad me habebatis, & omne certamen in me rejiciebatur, ipsi uerò in omni securitate eratis. Igitur nō opus erat talibus tunc sermonibus uos præparari & præmuniri: sed nunc uadens ad patrem meū, & uos relicturus, prædico ea, ut uos muniatis. Et nullus ex uobis rogat me, quò uadis? sed præ tristitia confusi estis, & excessum mentis patimini: propter expectationē grauium concussa sunt corda uestra. At ego ueritatē dico uobis. Vide quomodo solatur eos. etiāsi innumeris modis, inquit, magis tristitia afficiamini, ego quod uobis utile est, dico. Nam uos quidem uelletis semper esse mecū, atqui hoc nō est expediens. Nam si ego quidē nō abiero, paracletus nō ueniet ad uos: atq; ita etiamsi uos præsentiam meā uelletis, nō obedirem uobis, sed eligerē potius quod uobis utile, q; pernicioſam uobis uestrā uoluntatē. Ita & nos debemus facere, prospiciētes semper quod & nobis & fratribus est utile, & nō quod suaue. Nam si ego nō morior pro mundo, & eo ad patrem, dato sacrificio & propitiatione pro peccatis mundi, paracletus non ueniet. Quomodo enim aduenier si inimicitiæ nō soluantur, & occisa morte pater humanæ naturæ non concilietur? Porrò hoc loco Macedoniani quid poterūt dicere, qui gloriam spiritus extenuant, & seruum eum filij dicunt? quomodo conducet abire Dominum, & aduenire seruū? Atq; ita etsi tristes sitis propter meā absentiam ô discipuli, tamen propter aduentū spiritus gaudeatis, qui pluribus & maioribus uos beneficijs prosequet. Quomodo autē Dominus dixit, Quoniā hæc ab initio non dixi uobis? quandoquidem scriptum est q; conuocatis illis duodecim, dixerit eis, Ad præsides & reges ducemini. Dixit quidem, Ad præsides ducemini, nō autē, Occident uos ut impios & pernicioſos, & inimicos Dei. Et aliter, Illic quidem dicit quæ à gentibus eis infligenda, nunc autē quæ à Iudæis. Absq; synagogis uos facient, Iudei scilicet. Vide autē in hoc & spiritū liberum esse, & filium approbare. Etenim quod dicit, Paracletus ueniet, ad potestatē spiritus pertinet. quod autē addit, Ego mittam eum, ad probationem & uoluntatem filij spectat, cui placet ut ueniat paracletus, & annuit, si fic dicere licet.

Macedoniani confutantur.

Matth. 10.

Et cum uenerit ille, arguet mundū de peccato, & de iustitia, & de iudicio. De peccato quidem, quia nō credūt in me. de iustitia uerò, quia ad patrem uado, & posthac non uidebitis me. de iudicio, quia princeps huius mundi iam iudicatus est.] Veniet

paracletus, & quę inde utilitas? Arguet, inquit, mundum de peccato, & ostendet eos A
peccatores, quia nō credūt. Quando enim uiderint per manus discipulorū in spiritu
egregia signa & miracula fieri, & neq; sic credent, quomodo nō condemnatione di-
gni, & peccato maximo obnoxij? Nam nunc quidē possunt dicere q̄ fabri filius sim,
& humilis matris, q̄uis ego miracula faciam: tūc autē incredulitas omni carebit excu
satione, spiritu in nomine meo talia perficiente. Itaq; de peccato illos arguet, hoc est,
ostendet eos absq; uenia peccare. Et de iustitia quoq; arguet, quia ego ad patrē meū
uado, hoc est, ostendet eis q̄ ego cum iustus fuerim, & irreprehensibilē egerim uitā,
iniustè ab ipsis occisus sim, & in eius iudiciū ad patrem uadam. neq; enim si iniustus
fuissem, ad patrem ascendissem. Quia enim ut aduersariū Deo & iniquū occiderunt,
ostendet eis, inquit, spiritus, q̄ nō sim talis. neq; eñ si aduersarius Dei fuissem, apud
Deum & legislatorem hunc honorem assecutus essem, honoremq; nō temporariū,
sed æternum. Iam quod dicit, posthac nō uidetis me, æternam eius apud patrem con
uersationē manifestat. De iudicio autē arguet eos, quia princeps huius mundi iudi-
catus est, hoc est, etiam per hoc me iustum, & à peccato immunē iterum ostendet me
spiritus, eo quòd rector mundi à me iudicatus est & uictus. Quia enim dicebāt, Dæ-
Matt. 9. 12. monium habet, & in Beelzebul miracula facit, & impostor est: hæc omnia, inquit,
Luc. 7. 11. ostendent uana, cum apparuerit diabolus cōdemnatus, & ostensum fuerit omnibus
Ioan. 8. 10. quòd à me sit uictus, id quod nequiuissem, si nō illo fuissem fortior, & ab omni pecca
to alienus. Quomodo hoc demonstratū est per aduentum spiritus: Omnes enim qui
credunt in Christū, cōculcant & cōtemnunt rectorē mundi, unde satis monstratū q̄
à Christo condemnatus sit multò antea. Arguit ergo spiritus eos qui nō credunt, ut
* Fides eñ peccatores. *Fides enim baptismi, peccata soluit per remissionē, Operationes autem
peccata sol spiritus quæ apparent in his qui crediderūt, nō uisæ sunt in his qui non crediderunt.
uit per re- Vnde redarguti sunt ut uasa mala & coinquinata, indigna spiritus susceptione. Et a-
missionem liter, Arguit mundū qui nō credidit, spiritus de iustitia, hoc est quia priuatus est iusti- B
baptismi. tia, qui nō credidit in iustū Iesum, eum qui propter iustitiā assumptus est in cœlos. Ar
Operatio- guit autē & cōdemnat ut ignauū, quia uulnerato Satana neq; sic illū uoluit uincere.
nes spiritus Adhuc multa habeo quæ uobis dicam, sed nō potestis portare nunc: cum autē ue
in quib. ap nerit ille qui est spiritus ueritatis, ducet uos in omnē ueritatē. Non enim loquetur à
parent. semetipso: sed quæcunq; audierit, loquetur: & quæ futura sunt, annunciabit uobis. Ille
me glorificabit, quia de meo accipiet, & annunciabit uobis. Omnia quæcunq; ha-
bet pater, mea sunt: propterea dixi q̄ de meo accipiet, & annunciabit uobis. Cumdi
xisset suprà, Expedit uobis ut abeam, nunc hoc latius prosequitur, & dicit q̄ nūc qui-
dem nō potestis portare: si autē uenerit ille, tunc fruentes illius donis, in omnē ueri-
tatem ducemini. Quam autē ueritatē inquit? num scientiā de omnibus? nam nihil de
magnū ipse Dominus locutus est. Partim dans nobis figuram humilitatis, partim &
propter infirmitatē audientiū, & ingratitudinē Iudæorū. Et neq; legalium obserua-
tionum solutionē manifestè introduxerat, ut ne Deo contrarius uideretur omnibus.
Vbi autē uenit paracletus, & manifestata fuit dignitas filij, & uera de omnibus scien
tia in lucē producta, abolitis & sublatis è medio figuris legalibus, in ueru & spiritua-
lem cultū inducti sumus, per signa quæ in spiritu fiunt, confirmata fide. Deinde quia
magna quædam dixerat de spiritu: ut ne putent aliqui q̄ maior ipso sit spiritus, siqui-
dem ipse in ueritatem sit introducturus, & facturus capaces maiorū & plurium quæ
Christo præsente portare nō poterāt: ne igitur hoc quis existimet, subdit, Non loque
Spiritus ni- tur à semetipso, hoc est, nihil propriū loquetur præter mea. Cum enim dicit, quæcūq;
hil aliud do audierit, hoc signat, q̄ nihil docturus sit extra ea quæ Christus docuit. Sicut igitur &
cet, quàm Dominus ipse dicens de se, Quæcunq; audiui à patre meo, loquor: nō ut discentē &
quod Chri- puerū se introducit, sed q̄ nihil uel sciat uel doceat, q̄ quę pater: ita & de spiritu dicen
stus. dum. Quod autē nō opus habeat doctore spiritus, audi Paulū dicentē. Quemadmo-
Cap. 15. dum nullus nouit quæ hominis sunt, nisi spiritus qui est in eo: ita & quæ Dei, nullus
1. Cor. 2 nouit, nisi spiritus Dei. Vides q̄ sanctus spiritus sui ipsius doctor sit, sicut & noster: &
Futurorum ex his quæ sequunt, discet cordatus deitatē spiritus. Quæ enim uentura sunt, inquit,
cognitio ma annunciabit uobis. Maximè enim propria est Dei futurorū cognitio. Nam ga nihil
ximè Dei aliud desiderabile ita est humanæ naturæ ut futurorū cognitio, consolat Apostolos
propria.

& ex

A & ex hoc. In tantū enim, inquit, benefaciet uobis, ut & futurorū præscientiam uobis, quæ maxima omniū uidetur, daturus sit. Præterea quia ad tentationes erudiendi erant, ille uos præparabit, inquit, ad futura quæ uobis cōtingent, ne per ignorantiam absq; custode incidatis in illa. Glorificabit autē & me. In nomine ēm meo omnia & loquetur & faciet, & nihil diuersum dicet: atq; ita & per miracula quæ per illū fient, Deus credar, cum in uos discipulos meos opulentè effundet gratia etiam post meā mortē, cum meū nomen magis fulgebit: quod citra controuersiā magna gloria est, si quis ignominiosè occisus, magis clarescere incipiat. Deinde quia audiuerant Dominum dicentē, Vnus uester est magister Christus: ut ne existimēt, quia unus magister tu es, quomodo dicis nobis & alium fore magistrū spiritum? subdit, Quia de meo accipiet, hoc est, ex his quę noui, & ex mea scientia. Vel & aliter, de meo, hoc est de meo thesauro, qui scilicet patris est. nam quæcunq; habet pater, mea sunt, & meæ diuitiæ: paracletus autē ex patre loquetur: uerisimiliter dico quòd de meo accepturus sit, hoc est thesauro & diuitijs scientiæ. Quare autem spiritus tanta dedit nobis bona, & non filius? Igitur primū quidem dicimus q; uiam donis spiritus filius parauerit, & ipse sit aliū bonorū autor. Nisi ēm ipse peccatū soluisset, q̄modo nos spiritū obtinuissemus? Non enim habitabit spiritus in corpore subdito peccatis. Hinc est q; si magnū quid dedit spiritus, occasiones à Christo habuit. Deinde quia hæretici spiritui erant detracturi, quasi minor esset dignitate, eo q; posterius ueniret: propterea cōcedit ei maiora operari per Apostolos, ut per donorū magnitudinē cōpulli, uel inuiti dignitatem spiritus agnoscant, & non quia posterior apparuit, propterea minor iudicetur filio. *Matth. 15.* *Sapient. 1.* *Spiritus nō est minor filio.*

Pusillum & nō uidetis me, & iterū pusillum & uidebitis me, quia uado ad patrem. Dixerunt ergo quidā ex discipulis eius inter se: Quid est hoc q̄d dicit nobis, Pusillū & nō uidetis me: & rursum pusillum & uidebitis me, & quia uado ad patrē? Dicebāt ergo, quid est hoc quod dicit pusillum? nescimus quid loquatur.] Quare Christus recessum & mortē suam in memoriā eis reducit, quāuis magis occultanda uideantur? Mentē eorū exercebat, & probatiorē efficiebat: propterea semper cōmemorans tristia, assuefacit illos, & ad expectationē illorum prouehit, ne si repentè eueniant, perterreantur. simul autē & adiungit tristibus læta. Igitur sic hoc loco, Pusillū, & nō uidetis me, dicens, ad triste statim addidit lætum quiddam: & iterum pusillum, & uidebitis me, & ad Deū uado, qui uos iuuare potest: & non pereo, sed transeo: & ad paruum quidem tempus secessus erit, postea autem perpetuò conuersabor uobiscū. Illi quidem non intellexerunt: unde admiretur quispiā quomodo non agnouerint quæ dicebat. Videtur ergo uel tristitia mentē eorum adeò inuasisse, ut abijcerent dictorū memoriam, uel propter obscuritatem uerborum euenit ne intelligerent. Ideo Iesus uidetur eis contraria quædam dicere. Nam si quidem uidebimus te, quò uadis? si autem uadis, quomodo uidebimus te? Videntur enim hæc ænigmata esse. B

Cognouit autem Iesus q; uellent interrogare se, & dixit eis, De hoc quæritis inter uos, quod dixi: Pusillum, & non uidetis me: & iterū pusillum, & uidebitis me. Amen amen dico uobis, plorabitis & lamentabimini uos, mundus contrà gaudebit: uos autem mœrore afficiemini, sed mœror uester uertetur in gaudiū. Mulier cum parit, dolorem habet, quia uenit hora eius: cum autē peperit puerum, iam nō meminit anxietatis, propterea q; gaudeat hominē natum esse in mundo. Et uos igitur nūc quidem mœrorem habetis, sed iterum uidebo uos, & gaudebit cor uestrū, & gaudiū uestrum nemo tollet à uobis.] Postquam uidit discipulos nō intelligere dicta, eo quòd grauati erant mœrore, inculcat eis manifestius de morte sua, ut assueti uerbis, etiam re ipsa eam fortiter ferrent. Etenim, inquit, plorabitis & lamentabimini uos, propter mortē ac crucem: mundus autē gaudebit, hoc est, Iudæi mundana sapientes gaudebūt, eo q; interemerint me inimicū ipsorū. Sed tristitia uestra in gaudiū uertetur: quemadmodum Iudæis quoq; suum gaudium in mœrorem cedet, quando post meā resurrectionem nomen meū glorificabitur. Potes autē & mundi gaudium, nō Iudæorū gaudiū intelligere, quo gauisi sunt mortuo Domino, sed salutē mundi: ut sit sensus dictorū: Vos quidē mœrore afficiemini, sed hęc mea passio propter quā uos estis tristes, mundi totius gaudiū & salus erit. Insuper & exemplū cōmune addit mulieris & partuū. Hacautē parabola & prophetæ usi fuerunt, dolore partus ingenti excellentiam mœ- *Hier. 31.* *Partus dolores.*

roris significantes. Tale autem quiddam dicit, Apprehendent quidem uos dolores A
mœstitudinis, sed dolor ille causa efficitur partus. Interea confirmat & sermonem de resurrectione, & ostendit mori simile esse ei qui à uulua in lucē prodit. Ne enim admiremini quòd per tantam tristitiā ingressuri lætis in gaudium, quia & mater per mœrorem in partu ad hoc uenit, ut sit mater. Insinuatur autem hoc loco & mysticū quiddam, quòd ipse soluerit dolores mortis, & nouum hominē nasci fecerit, posthac non corrumpendum: neq; mortalem, qui est ipse Dominus. Vide enim quomodo nō dixerit q posthac nō recordetur anxietatis quia natus est ei puellus: sed, quia natus est homo in mundum. Hoc enim non frustra ita dixit, sed uolens cum emphasi & tacitè insinuare q ipse sit ille natus homo, nō parturienti ipsum inferno, sed mundo: nobis enim ex resurrectione natus est nouus homo, & incorruptibilis Iesus Dominus noster. Igitur exemplum mulieris parientis non per omnia quæras adaptare his quę circa Iesum acciderint: sed tantū ut ostendatur q temporalis sit dolor, & magnū lucrum doloris, & q resurrectionis partus sit ad uitā & regenerationē, alia autē omnia ad exemplum non alludunt, & meritò. Parabola enim si per omnia seruetur, non est parabola, sed illud ipsum q̄d per parabolam signatur. Et hoc loco intelligimus per dolorē parientis, tristitiam apostolorū: & per gaudium, consolationē resurrectionis: & iterū per solutionem dolorum parientis, inferni destructionem: & per natiuitatem, resurrectionem primogeniti ex mortuis. Porrò non ultrà signatur infernus per matrem, non enim gauisus est infernus, sed Apostoli gauisi sunt gaudio quod nullus abstulit ab eis. tunc enim gaudebant, quando pro nomine Domini aspergebantur cōuicijs. Insuper dicendo, Gaudium uestrum nemo tollit à uobis, ostendit quòd ultrà nō moriatur, sed perpetuò uiuens, illis incorruptibilis gaudij sit autor futurus.

Parabola non per omnia seruatur

Act. 5.

Et in illo die me nō rogabitis quicq̄. Amen amen dico uobis, quæcunq; petieritis patrē sub nomine meo, dabit uobis. Hactenus non petistis quicq̄ sub nomine meo. Petite & accipietis, ut gaudium uestrum sit perfectum.] Quādo resurgam, tūc ueniet super uos paracletus, & inducet uos in omnem ueritatem: meq; nō rogabitis quicq̄ B
tale, quale prius, Quò uadis? &, Ostende nobis patrē. Omnia enim scietis in spiritu. Vel rogabitis, hoc est, obsecrabitis, orabitis. Cum igitur ex mortuis resurrexero, mittam uobis paracletum, tunc nō me rogabitis, hoc est, petetis, ita ut sim uester mediator, sed sufficiet uobis nomen meum ut à patre accipiatis petitiones. Ostendit igitur hoc loco nominis sui uirtutē. siquidem cum neq; uideatur, neq; obsecratur, sed cum nominatur solùm, talia facit. Hucusq;, inquit, nō petijstis quicq̄ sub nomine meo. Ex hoc autem tempore petite, & omnino recipietis: & ita expedit uobis ut ego moriar: siquidem apud patrem maiorem q̄ nunc fiduciam inuenturi estis. Non enim q separor à uobis, existimate uos à me relictos, sed nomen meū maiorē uobis fiduciam dabit, & gaudium uestrum tunc erit plenissimū, cum accipietis omnes petitiones. Considera autem q ille sumit, qui sub nomine Christi petit. Nullus igitur ex his qui munda petunt, ac animabus damnosa, in nomine Christi petit: ideo neq; accipit. Nomen enim Christi diuinum est ac salutare. quando autem quis petit quæ ad perditionem animæ pertinent, quomodo dicemus illum in salutari nomine petere?

In nomine Christi petendum.

Hæc per parœmias locutus sum uobis. ueniet tempus cum iam nō per proœmia loquar uobis, sed palàm de patre meo annunciabo uobis. in illo die in nomine meo petetis. Et non dico uobis q ego rogaturus sim patrem pro uobis. ipse enim pater amat uos, quia uos me amastis, & credidistis q à Deo exiuerim. Exiui à patre, & ueni in mundum. iterum relinquo mundum, & uado ad patrē.] Parœmia est sermo obliquè & occultè ac per parabolas totum argumentū ostendens. Quia igitur Dominus multa eis occultè dixerat, & parabolam narrarat de muliere ac partu, dicit, Hæc per parœmias nunc locutus sum uobis, sed uenit hora quando non ultrà in parabolis loquar, sed liberè de patre annunciabo uobis. Post resurrectionem enim, cum se exhibuisset uiuū per quadraginta dies, loquebatur eis de patre magis mystica, & manifestiora. Prius enim sic putabant eius esse patrem Deum, sicut & noster est, gratia. Iterū autem dat eis fiduciam, q habituri sint in tentationibus supernū adiutoriū. Sub nomine meo, inquit, petetis: & in tantū uobis conseruabo amicū patrē, ut posthac neq; me opus habeatis intercessore, nam ipsemet pater uos amat. Insuper ut non resiliant

παροιμία

à Christo

A à Christo, quasi ipso non habeant opus, sed à patre absq; mediatore diligantur, dicit: Propterea amat uos pater, eo q; me dilexistis. Quando igitur excideritis à mea amicitia, tunc & à patris amicitia excidetis. Et quia multum eos consolatus fuit, quia audiebant eum à patre exiuisse, & iterum ad patrem ire, propterea cõtinuò hoc uersat: unde & illi audiendo hæc, utilitate percepta respirantes aliquantulum, quid aiunt:

Dicunt ei discipuli eius: Ecce nunc aperte loqueris, nec prouerbiũ ullũ dicis. nunc scimus q; scis oĩa, nec opus est tibi ut quis te interroget. Per hoc credimus q; à Deo existi. Respõdit eis Iesus, Nunc creditis. Ecce instat tempus, & iam uenit, ut dispergamini unusquisq; in sua, meq; solũ relinquatis: & tamen nõ sum solus, quia pater mecum est.] Cum audissent discipuli amicũ illis futurũ Deum & patrẽ, neq; indigere se illius intercessione, uti maximè familiares patri, exiisseq; illũ à Deo, dicunt, Nunc scimus q; scis omnia, hoc est, cognoscis quæ uniuscuiusq; cor offendunt, & nõ opus habes ut ab aliquo discas ea. Et in hoc credimus q; à Deo exieris. Dei enim est scire occulta cordis. Vide autẽ quomodo imperfecti fuerint dicẽtes, Nũc scimus, qui eĩ tantas audierãt doctrinas, dicũt, nũc scimus. Christus aũt ostendẽs eis q; imperfecti sint, & q; nondum quicq; magni de se intellexerint, sed deorsum & in terrenis uersent, inquit, Nunc creditis. Quodãmodo improperat eis tarditatẽ fidei illorũ. Vt autẽ ne uideantur gratificari & adulari talia de ipso sentientes, inquit, Venit hora ut dispergamini unusquisq;. Vos enim, inquit, uidemini de me magnũ quiddã sentire: ego autẽ dico uobis, q; uicq; adeò imperfecti estis, ut me derelicturi sitis, & inuasura est uos formido, & ita neq; iunctim secedetis, sed separatim dispergemini, & unusquisq; sibiipsi de salute & profugio prospiciet. Verùm ego propterea nõ habebo peius. nõ enim solus sum, sed habeo & patrẽ mecum: atq; ita neq; per impotentiã patior, sed uoluntarium me permitto crucifixoribus. Cum igitur audieris clamantẽ, Vt quid me dereliquisti: ne sic simpliciter intellige, q; derelictus sit saluator à patre: alioqui quomodo

B hoc loco testaretur, Pater mecum est: sed intellige ut ab humana natura dictum, derelicta propter peccatum & abiecta, in Christo autẽ * cõciliata, & assumpta per patrẽ.

1. Reg. 16. Psal. 43. *Cordis occulta scire solius Dei est.* *Matth. 27. Mar. 15.* * reccõciliata patri & assumpta.

Hæc autẽ locutus sum uobis, ut in me pacẽ habeatis. In mundo afflictionẽ habebitis, sed confidite, Ego uici mundũ.] Hæc, inquit, locutus sum uobis, ut ne eiciatis me ex mẽte uestra, neq; cõmoueamini & turbemini à stabili erga me charitate, sed pacẽ habete in me, hoc est, manete indefracti, recipientes fideliter quæcũq; dixi uobis. Audiat autẽ & Arius, quia hæc omnia quæ humilia & indigna uidenĩ gloria filij, propter auditores dicta sunt, nõ ut nos utamur his pro dogmatibus. Dicta enim sunt Apostolis in consolationẽ, & demonstrãt amorẽ quẽ erga illos gerebat. In mundo afflictionem habebitis. Non in uerbis erunt tentationes, inquit, sed quandiu fueritis in mundo, afflictionẽ habebitis: nõ nunc tantũ, quando trador, sed & postea: sed resistite turbationi, & confidite, quia ego uici mundum. Ego autem cum uicerim, nõ oportebit uos discipulos animũ despondere, sed cõtemnere eum ut uictum. Quomodo autem uicit mundum: quia deuicit principẽ affectionũ mundi. sed hoc & ex posterioribus manifestum. Omnia enim ei subiecta sunt & cesserunt. Sicut igitur Adam uicto, omnis natura condemnata est: ita ubi Christus uicit, in omnẽ naturã uictoria transijt, & uirtus nostra in Christo Iesu gratiã assecuta est calcandi super serpentes & scorpios, et super omnẽ potestatẽ inimici. Per hominẽ enim intrauit mors, & per hominẽ uita, & imperium contra diabolum. Nam si nudus homo uicisset, nihil spectasset ad nos.

Arius. *1. Cor. 15.*

CAPVT XVII.

HAec locutus est Iesus: & sublatis oculis in cœlum dixit, Pater, uenit hora, glorifica filium tuum, ut & filius tuus glorificet te: sicut dedisti ei potestatẽ omnis carnis, ut quotquot dedisti ei, det eis uitam æternã. Hæc est autẽ uita æterna, ut cognoscant te solum Deũ uerũ, & quẽ misisti Iesum Christũ.] Cum dixisset discipulis, Afflictionem habebitis: & ad fiduciã exhortatus esset: iterũ eos erigit per preces, erudiens nos, in tentationibus, relictis omnibus ad Deum confugere debere. Et aliter, Nõ hic oratio est, sed colloquium cum patre. Quod autem alio loco orat, & genua flectit, ne mireris. Venit enim Christus nõ solum seipsum manifestaturus, sed omnẽ uirtutem docturus. Docentẽ autem, nõ tantùm uerbis, sed & operibus docere oportet. Ostendere autẽ uolens q; non inuitus, sed sua sponte ad passionem accedat, dicit, Pater, ue-

Matth. 26.

nit hora. Ecce enim ut optabile hoc desiderat, & gloriam uocat, non suam tantũ, sed & patris: quod & factũ est. Nõ enim filius solus, sed & pater glorificatus est. Nã ante
Esa. 1. crucẽ quidem neq; Iudæi ipsum sciuerunt. Israel enim me nõ cognouit, inquit. post crucem autẽ totus orbis ad eum confluxit. Ostendit autẽ quæ sit gloria eius & patris, Credere, inquit, omnẽ carnem, & beneficia experiri, gloria Dei est. Non enim ad Iudæos solos gratia contrahitur, sed in totũ orbem extenditur. Dixit autẽ hoc, quoniã missurus erat illos in gentes. Vt igitur ne putent nouitatẽ esse, & præter uoluntatẽ patris, indicat à patre sibi datam potestatẽ omnis carnis. Nam antè dicebat eis, In uiam gentiũ ne abieritis. Quid autẽ est, omnis carnis? Nam nõ omnes crediderunt. Et sanè Christus, quantũ ad se attinebat, omnes ad fidem adducere curabat. q̃ autem illi non attenderunt, non docentis, sed nõ suscipientium crimen est. Quando autem audieris, dedisti, & acceperunt, & similia, intellige ea dicta esse ad auditorũ captum, sicut sæpe diximus. Semper enim cauet ne de seipso magna dicat, & se attemperat infirmitati auditorũ. Et quia offendebant̃ magna de eo audientes, loquitur de his quorum capaces sunt: sicut & nos sæpe cum pueris loquimur, & panẽ ita nominamus ut illi, & aquam, & in summa omnia. Nam quãdo Euangelista de Domino dicit, audi
Ioan. 1. quæ dicat, Omnia per ipsum facta sunt: &, Quotquot receperũt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri. Qui alijs dat, quomodo ipse potestatẽ nõ habet, sed accipit à patre? Insuper & hic in his uerbis quæ uident̃ humilia, asserit̃ sublime quiddã. Nam ut, dicit, Omne quod dedisti ei, hoc per condescensionem est dictum: det eis uitam æternam, hoc potestatẽ indicat unigeniti & deitatis. Dei enim est dare uitam, eamq; æternam. Solum autẽ uerũ Deum dixit patrem, opponendo eum mendacibus qui apud gentiles erant dijs. Non enim seipsum à patre separat. Absit. Nam cum & uerus filius, nõ erit mendax Deus, sed uerus: sicut hic Euãgelista de Domino in epistola sua
1. Ioan. 5. catholica inquit, Iesus Christus, hic est uerus Deus, & uita æterna. Si autem urgeant hæretici falsum esse Deũ, ipsum filium, quia pater solus dictus sit uerus Deus, discant quòd hic de filio Euangelista dicat, Erat lux uera. Igitur secundũ eos pater est lux falsa: sed absit: & ita quãdo uerum Deum dicit patrem, falsis dijs gentilium opponitur: sicut & hoc, Gloriam à solo Deo non quæritis. sic enim hæretici intelligunt. Verùm quia solus Deus pater, filius non autem Deus: Verè stulta dicta sunt hæc.

Ego te glorificaui super terram: opus cõsummaui quod dedisti mihi ut facerem: et nunc glorifica me pater apud temetipsum gloria quam habui priusquã hic mundus esset apud te. Manifestaui nomen tuum hominibus.] Disce hoc loco quomodo glorificet & pater filiũ: utiq; sicut & filius patrem. Ego te, inquit, glorificaui super terrã. Meritò addidit, super terram, in cœlis enim glorificatus erat, & ab angelis adorabat: terra autẽ ignorabat eum. Igitur quia filius annunciauit eũ omnibus, ideo dicit, Glorificaui te super terrã, omni notitia Dei disseminata, & perfecto opere q̃d dedisti mihi. Hoc enim opus est incarnationis unigeniti, sanctificare naturã nostrã, & prosternere rectorẽ mundi, qui se prius Deum faciebat, & inserere creaturæ notitiam Dei.

†Quod ad me attinet, inquit, consummaui

Quomodo autẽ consummauit hoc, cum nõdum inceperit? † Quotquot dicere uult, qui uenerunt ad me, perfeci. Vel quia fecit quod maximũ omniũ, & radicem bonorũ omniũ nobis substrauit, dæmone uicto, & se obiecto uoraciss imæ bestiæ morti: radicem hanc necessariò secuturi erant & fructus diuinæ notitiæ. propter hoc dixit, Perfeci opus. Seminaui, inquit, radicẽ plantaui, fructus autẽ sequentur. Glorifica igitur me pater & tu apud teipsum gloria quam habebam apud te priusq; mundus subsisteret. Nõdum autẽ glorificata erat carnis natura, neq; incorruptibilitate fruebat̃, neq; regium thronũ acceperat. propterea dicit, Glorifica me: hoc est, humanã meam naturam, quæ nunc in ignominia, quæq; crucifigenda: & subuehe eam in gloriam, quam habebam apud te ego uerbũ & filius tuus priusquam mundus esset. Collocauit enim humanã naturã in throno regio, & adoratur nunc ab omni creatura. Manifestaui nomen tuũ hominibus. Nunc interpretat̃ quid sit, Ego glorificaui nomen tuũ super terram, hoc est, manifestaui nomen tuum. Quomodo igitur manifestauit filius? Etenim
Esa. 19 Esaias quoq; dicit iurandum per Deum uerũ. Sed, quod sæpe diximus, q̃uis manifestum fuerit, tamen Iudæis solis, & neq; illis omnibus: nũc autẽ de omnibus gentibus inquit q̃ manifestũ eis futurũ sit nomen Dei, cum iam Christus dederit semina diui-

næ no-

A næ notitiæ, ut destrueret idolorū cultus, quē suggessit diabolus. Et aliter, Quāuis cognouerunt Deum, nō tamen ut patrem cognouerūt, sed ut opificem solū. filius autē patrem manifestauit, & sermonibus & operibus notum * illum faciens. Nam cum se * fo
filium Dei demonstrauit, manifestum q̄ simul demonstrarit & illum fuisse patrem.

Quos dedisti mihi de mundo, tui erant: mihi dedisti eos, & sermonē tuum seruauerunt. Nunc cognouerūt q̄ omnia quęcunq; dedisti mihi, à te sunt: quia uerba quę dedisti mihi, dedi eis, & ipsi acceperunt, & cognouerūt uerè q̄ à te exiui, & crediderunt q̄ tu me misisti.] Duo hæc docere uoluit, & q̄ nō sit aduersarius Deo patri, & q̄ uoluntas eius sit credere illos filio. propterea dicit, Quos dedisti mihi, tui erāt. Vtraq; enim ostenduntur per hoc quod dicit, dedisti mihi. Non enim rapui eos, sed tu cōprobasti ut illos mihi lucrarer: & ita non aduersarius es mihi, sed cōcordiam habes & charitatem erga me ô pater. Sermonem autem tuum seruauerunt, per hoc quòd credūt mihi, & nō attendunt Iudæis. Qui enim credunt Christo, sermonem Dei seruāt, hoc est, scripturā & legem. Nam Christus à scriptura annunciatur. Et aliter, Omnia quæcunq; dicebat discipulis Dominus, patris erant. Ego em̄, inquit, à meipso nō loquor. Dicit igitur cum alijs & hoc eis, Manete in me: & ecce seruauerunt & hoc mandatū. Manserunt enim, & ita sermonem patris seruauerunt. Nunc cognouerunt quòd omnia quæcunq; dedisti mihi, à te sunt. Quidam absq; v legunt ἔγνωκα cognoui, & inquiunt quòd Dominus dicat, Nunc cognoui ego. Sed absurdum est, & legendū est ἔγνωκαν. Nunc cognouerunt discipuli mei, inquit, quòd nihil habeo proprium, neq; à te alienus sum: sed quęcunq; dedisti mihi, non ut creaturæ gratificans mihi dedisti. Non enim hæc mihi acquisita sunt, sed à te sunt, hoc est, naturaliter ad me pertinent ut ad filium, qui in paternis rebus potens est. Vnde autem cognouerunt hæc discipuli mei? Quia uerba quæ dedisti mihi, dedi eis. hoc est, à uerbis meis & doctrinis. Semper enim eos docebam quòd omnia quæcunq; habeo, patris sunt: & non hoc solùm, Ioan. 14. & 15.
B sed & quòd à te exierim, & quòd tu me miseris. Nam per Euangeliū totum hoc efficere uult, quòd non sit aduersarius Dei, sed impleat patris uoluntatem.

Ego pro eis rogo, nō pro mundo rogo, sed pro his quos dedisti mihi, quia tui sunt: & mea omnia tua sunt, & tua mea sunt, & glorificatus sum in eis.] Cum ostendisset q̄ propter nihil aliud q̄; propter ipsos hæc ad patrē dixisset: ut discāt q̄ diligat eos, & curam eorū gerat, inquit, Ego pro ipsis rogo & supplico, nō pro mūdo. Ostendo enim omnino ex hoc q̄ diligam eos. Non enim solū do quæ mea sunt, sed & oro ut custodias eos. Nō oro te pro promiscuo populo, qui mundana sapit, sed pro his quos dedisti mihi, tui em̄ sunt. Et audiens cōtinuò eum dicentē, Dedisti mihi: ne existimes nuper datum principatū & potestatē talem, q̄ quādo habuit eos pater, ipse nō habuerit: & iterū nūc cum eos habet, patri ablatam potestatē: propterea dicit, Omnia mea tua sunt, & tua mea. Non enim nunc accepi potestatē, sed quando tui fuerūt, & mei fuerunt. Tua enim omnia, mea: & quando ipse habeo eos, & tu habes, & nō es priuatus. mea enim omnia tua. & glorificatus sum in eis: hoc est, potestatē illorū habeo ut Dominus, qui in eis glorificor, sicut & regis filius æqualē cum patre potestatē habens ac regnū, glorificat in eo quòd tanta habet, quanta pater. Si ergo iterū filius minor esset patre, quomodo ausus fuisset dicere, omnia tua mea sunt? Nam dominus quidē omnia habet quæ sunt serui, seruus autē nō omnia quæ sunt domini. Hoc autē loco conuersim loqui licet, ut quæ sunt patris, ea sint & filij, & contrà. Glorificatur igitur filius in his quæ sunt patris. Tantam enim omnium potestatem habet, quantam & pater.

Et iam non sum in mundo: & hi in mundo sunt, & ego ad te uenio. Pater sancte serua eos per nomen tuum, quos dedisti mihi, ut sint unum sicut & nos. Cum essem cum eis in mundo, ego seruabam eos in nomine tuo.] Quare continuò dicit, iam nō sum in mundo, &, quando eram cum eis in mundo? Videntur enim esse absurda, si quis hæc exponat non examinata. Alio item loco promisit eis, Ero uobiscum, & uidebitis me: nunc autem alia uidetur dicere. Potest igitur uerè dici quòd ad ipsorum mentem ista loqueretur. Nam quia uerisimile erat tristari eos, utpote qui relinquebantur adiutore destituti, ostendit quòd patri eos commendet, & illum custodem eis præficiat. Quia à te uocor ego, serua ipse illos in nomine tuo, hoc est per tuum adiutorium, & uirtutē quam dedisti mihi. Quid est custodias? ut sint unum. Nam si cha-

ritatem inter se habuerint, & non fuerint discordes, inuicti erunt, & nihil eis prævalebit. Nō simpliciter autem ut sint unum, sed sicut ego & tu, unum sapientes, & unū uolentes, illa eos concordia custodiet. Itaq; ut consoletur eos, patrem orat pro custodia eorum. Nam si dixisset, Ego custodiam uos, non sic credidissent: nunc autē dum patrem pro eis rogat, bona spe animantur. Ego seruabam eos in nomine tuo, dicit: non quòd ipse nō ualeat aliter nisi per nomen patris, sed, ut sæpe dixi, infirmitati cōsulit auditorum, & nōdum magnum quiddam de se sentientium. propter hoc dicit, In tuo adiutorio seruabam eos. Insuper & bene sperare facit. Quemadmodum cum essem uobiscum præsens, seruabamini in nomine & adiutorio patris, ita nunc quoq; credite uos ab eo seruandos. Solet enim uestri curam habere. A

Psal. 108 Quos dedisti mihi, ego custodiui, & nemo ex eis periit, nisi filius ille perditus, ut scriptura cōpleretur. Nunc autē ad te uenio, & hæc loquor in mundo, ut habeāt gaudium meū impletū in semetipsis.] Multa uerborū humilitas, nisi quis ea dignè exceperit. Vides enim hoc loco quid apparet. Quos dedisti mihi, custodiui. Videt enim annunciare patri ut custodiat & pater eos. Nam sicut si quis cuipiā tradidisset pecunias custodiendas, dicat: uide, ego nihil perdidi, neq; tu perdas. At hæc omnia dicit propter discipulorū quietē & consolationē, ac gaudium, ut respirent, curas deponant tanq; recipiēte te illos saluos, & custodituro eos, sicut ego custodiui eos, & nullū amisi. Quomodo ô Dñe, nullū perdidisti, cū & Iudas perierit, multiq; alij retrocesserint? Quantū ad me attinet, inquit, nullum perdidi: quantū in me fuit, nullū amisi: sed seruaui eos, hoc est, omnibus modis eos custodiui. Quòd autē à seipsis resilierint, nihil hoc ad me. Quòd autē dicit, Vt scriptura impleat, hoc est, omnis quę de filio perditionis prædicit. Etem & in psalmis uarijs de illo dictū est, & in alijs prophetarū libris. De uerbulo aūt, ut, sæpe diximus q̄ eo utat scriptura tanq; euētus nō causæ significatiuo.

Ego tradidi eis sermonē tuum, & mundus eos odio habuit, quia non sunt de mundo, sicut & ego nō sum de mundo. Non rogo ut tollas eos de mundo, sed serues eos à malo. De mundo nō sunt, sicut & ego non sum de mundo.] Orans patrem ut iuuaret Apostolos, dicit & causam propter quā digni sint ut multam à patre consequantur curam. Nam propter sermonem tuum, inquit, quem dedi eis, odio fuerunt, & ita digni erunt ut tuum sentiant auxiliū, propter te exosi his qui mundana sapiunt. Vulgo enim promiscuo exosi sunt, inquit, nō autem sunt ex mundo, hoc est, non habent mentē mundo adglutinatam, & omne studium in illum insumentē. Quomodo igitur dicit alio loco, Quos dedisti mihi ex hoc mundo, tui fuerūt? Illic quidem de natura dicens, quòd ex hominibus sint, & pars mundi: hoc autē loco mentē & uoluntatē significat, dicens q̄ de mundo nō sint. Neq; turbet te quod dicit, Sicut ego ex mūdo non sum. Non enim sic fuerunt sancti Apostoli, & non participes affectionum mundi, sicut Dominus. Ipse enim peccatum non fecit, neq; inuentus est in ore eius dolus: illi autem humanæ naturæ infirmitatē non fuerūt transgressi. Ne igitur cum dicitur, Sicut ego nō sum ex mundo, intelligas quòd in nullo minores fuerint Apostoli Domino: sed quando de patre & filio dicitur Sicut, tunc solùm æqualitatem intellige. Quod autē dicit, Non rogo ut tollas eos ex mundo, dicit uolens declarare suam erga eos charitatē, & quòd magni illorū curam faciat, intercedens tanto studio pro eis. Non enim patrem docet pro quibus oret, nam hoc absurdum, sed (ut dixi) ostendit quòd ualde diligat discipulos, & illorum agat curam. Dicit ergo patri, Non rogo ut tollas eos de mūdo, sed ut eos in mundo serues à malo. Repetit igitur, Ex mundo nō sunt, multo subsidio habent opus. Nihil enim cōmune habent cum terra, cœlorū facti ciues: & ita quia mundus omnis ut alienis usurus est eis, tu cœlestis posthac ut cœli ciues serues. Dicit autē talia audientib. discipulis, ut magis odiāt mundū, & nō erubescant de tantis suis laudibus. Illud autē, Serua eos à malo, non tantū de liberatione à periculis, uerumetiam de permanentia & firmitate in fide, dicit. Vnde & subdit, B

Esa. 53.

Sanctifica eos in ueritate tua. Sermo tuus ueritas est. Sicut me misisti in mundū, ita & ego misi eos in mundū. & pro eis ego sanctifico meipsum, ut & ipsi sint sanctificati in ueritate.] Sanctos fac, inquit, per dationē spiritus, & custodi eos in rectitudine sermonis & dogmatū, & erudi eos, & doce ueritatē. Sanctificatio enim est rectorū dogmatū seruatio. Quod autem de dogmatis dicat, manifestum. interpretatur enim,

Sermo

A Sermo tuus ueritas est, nullũ in eo mendaciũ: atq; ita si & illos feceris seruare sermonem tuum, & custodiri à malo, in ueritate sanctificabuntur. Significat autẽ & aliud quiddam. Sanctifica eos in ueritate tua, hoc est, separa eos in uerbum & prædicationem, & fac eos sacrificium, quod ueritati tuæ ministret, huic suam uitam cõsecrent. Subdit enim, Sicut me misisti in mũdum, & pro eis ego sanctifico meipsum, hoc est, offero sacrificiũ: ita & illos sanctifica, hoc est, separa in sacrificium, in prædicationẽ, & constitue eos ueritatis testes, sicut & me misisti ueritatis testem, & hostiam. Sancta enim dicunt omnia quæ Deo reposita. Ita & ipsi sicut & ego, sint sanctificati & oblati tibi Deo, nõ sicut quæ secundum legem sacrificantur in figura, sed in ueritate. Sacrificia enim uetera figuralia erant, & omnia sancta in figura fuerunt sacrata Deo, aliud spirituale quiddam adumbrantia, ut agnus, columbæ, turtures, &c. Animæ autem quæ Deo offerunt, in ueritate sunt sanctificatæ & consecratæ Deo: sicut & Paulus dicit, Exhibete mẽbra uestra sacrificiũ uiuũ sanctũ. Sanctifica igitur & cõsecra discipulorũ animos, & fac eos ueras oblationes, & corrobora ut pro ueritate se sacrificent. *Sacrificia uetera figuralia.*

Non pro eis rogo tantũ, sed pro ijs qui credituri sunt per sermonem eorum in me, ut omnes unum sint, sicut tu pater in me, & ego in te, ut & ipsi in nobis unum sint, ut credat mundus q; tu me miseris: & ego gloriam quam dedisti mihi, dedi eis, ut sint unum, sicut & nos unum sumus. Ego in eis, & tu in me: ut sint consummati in unum, & ut cognoscat mũdus q; tu me misisti.] Dixerat, Pro ipsis ego sanctifico meipsum. ut igitur ne putet quis q; pro solis Apostolis mortuus sit, subdit, Non pro his rogo iolùm, sed & pro omnibus qui credent per sermonẽ illorũ. Hoc autem loco iterum erigit Apostolorũ animos q; habituri sint multos discipulos. Quia enim dixit, Non pro his solis rogo, ut ne offendantur Apostoli quasi nihil singulare præ alijs habeant, consolatur eos, significando fore illos plurimorũ fidei & salutis autores. Et quia satis cõmendarat eos patri, quasi fide sanctificans eos, & sacrificiũ eos ueritati sacrũ consummans, dicit postea iterum de concordia, & à quo cœpit principio (charitatis dico) in

B eo nunc fermè concludit, ac inquit, Vt omnes unum sint, hoc est, ut pacẽ & concordiam habeãt, & in nobis, hoc est, ut indiuisiuam erga nos seruent fidem. Nihil enim ita offendit discipulos, ut diuelli & nõ idem sentire doctores. Quomodo eĩ persuadebunt, qui nõ idem sapiunt? Propterea dicit, Vt & ipsi unum sint in fide erga nos, sicut tu pater in me, & ego in te. rursum sicut, nõ exactæ est æqualitatis. Nõ enim possibile ut ita uniamur inter nos, sicut pater filio: atq; ita cum dicit, ut debeamus fieri misericordes, sicut pater, intellige. Vt mundus credat q; tu me miseris. Etenim à concordia discipulorũ ego doctor cõprobor q; à Deo exiuerim. Si autẽ pugnauerint inter se, nõ dicentur pacifici esse discipuli: neq; me, si pacificus nõ fuero, fatebũtur à te missum. Vides quomodo usq; ad finem cõcordiam erga patrem instruit? Et ego gloriã quam dedisti mihi, dedi eis. Qualem gloriam datam esse dicit? Eam quæ per signa et per dogmata & doctrinas, & aliam quoq; gloriam, concordiæ scilicet, ut sint unum. Ista enim gloria maior est, q; ea quæ signorũ. Nam sicut & Deũ admiramur, quia nõ est seditio, neq; pugna in natura eius, & maxima ista gloria est: ita & illi, inquit hoc ideo à concordia dico, fiant clari. Ego in eis, & tu in me. Hoc loco ostendit q; Apostoli & patrem in se receperunt. Ego enim, inquit, in ipsis sum, & te quoq; habeo in me, & ita etiã tu in eis es. Alio autẽ loco & patrẽ etiã ipsum aduenturũ dicit, & mansionẽ facturum: Sabellij os concludens, & duas substantias manifestans. Hoc autẽ loco & Arij insaniam reprimẽs, patrẽ enim inquit per ipsum fieri in discipulis. Vt sciat mundus quòd tu me miseris, continuò autem hoc dicit, ostendens pacem, quæ ualeat etiã conciliare † omnia. Nam ut lites omnia dissoluunt, ita concordia omnia copulat. *Discordia doctorũ offendit discipulos.* *Sabellius.* *Arius.* † magis quàm quoduis signum

Et dilexisti eos, sicut & me dilexisti. Pater, quos dedisti mihi, uolo ut ubi sum ego, & illi sint mecum: ut uideãt gloriam meam, quam dedisti mihi: quia dilexisti me ante cõditum mundum.] Iterum hoc loco per Sicut, intellige significari quantũ homo diligi potest. Itaq; cum dixisset futuros tutos, sanctos, multos per eos credituros, multam habituros gloriã: dicit nunc & de præmijs & coronis quæ post hanc uitã repositæ sunt. Volo enim, inquit, ut ubi sum ego, & illi sint. Et ne cũ hoc audieris, existimes quòd eandẽ dignitatẽ assecuturi sint, subdit: Vt uideant gloriã meã. Nõ enim dixit, ut fruantur gloria mea, sed ut uideant. Homini enim requies maxima, uidere filium

Dei.

2. Cor. 3. Ioan. 17. Dei. Hæc enim est omnis gloria dignorū: quod & Paulus dicit, Nos autē reuelata facie gloriā Dei cōtemplabimur. Ostendit igitur hoc loco q̄ nō sit, quemadmodū nūc uidetur eis, in uili habitu conspiciendus tunc, sed in gloria quam habuit ante conditum mundū. Habebam autē hanc gloriam, inquit, eo q̄ dilexeris me. Insertum enim est, Quia dilexisti me. Igitur sicut superius dixit, Glorifica me gloria quam habui anteqū mundus esset: ita & nunc ante conditū mundum sibi datam gloriam inquit, deitatem. Dedit enim ei reuera pater deitatē, ut pater filio naturaliter. Nam quia genuit eum, necessariò etiam gloriæ autor fuit & suppeditator, qui substantiæ autor dicitur.

Pater iuste, & mundus te non cognouit, ego autem te cognoui: & ij cognouerunt quòd tu me miseris. Et notum feci eis nomen tuum, & notū faciam, ut dilectio qua dilexisti me, in ipsis sit, & ego in ipsis.] Postq̄ credentibus hæc precatus est, & tanta eis bona pollicitus, dicit quiddam multæ misericordiæ & benignitatis plenum. Pater enim, inquit, iuste, ego quidē & omnes homines hæc bona assequi uellem, qualia precatus sum fidelibus: sed nō cognouerunt te, ideo priuabuntur præmijs & gloria. Ego autē te cognoui. Carpunt autem hoc loco & Iudæi, qui se dicebant cognoscere Deū, & ostendit eos nō cognoscere patrem. Mundum enim Iudæos dicit sæpius. Et Iudei quidem dicunt, quòd tu nō me miseris, ego autē his discipulis & nomen tuum cognitum feci, & notum faciam. Quomodo autē notum faciam? Misso eis spiritu sancto, qui inducet eos in omnem ueritatem: & si didicerint quis tu sis, tunc dilectio qua dilexisti me, in ipsis erit, & ego in eis. Scient enim q̄ non separatus ego, sed ualde dilectus & germanus filius, ac coadunatus. Cum agnouerint autē hoc, & fidem erga me & dilectionē seruabunt. Insuper in illis manebo ego qui tales fuerint, quiq̄ te agnouerint, & me ut Deum coluerint, immobilemq̄ erga me fidem custodierint.

Mundus Iudæi dicūtur

CAPVT XVIII.

Matth. 26. Mar. 14 Luc. 22. HAec cum dixisset Iesus, egressus est cum discipulis suis trans torrentē Cedron: ubi erat hortus, in quem intrauit ipse, & discipuli eius. Sciebat autem & Iudas, qui tradebat eum, locū, quòd sæpe conuenisset Iesus illuc cum discipulis suis.] Non, inquit, cum precatus esset Iesus: sed, hæc cum dixisset, non enim oratio erat, sed colloquium ad solatium discipulorum factum. Media autem nocte iter facit, & flumen transit, festinatq̄ ut ueniat in locum proditori notum, seipsum permittēs homicidis: ut ostendat quòd sponte ad passionē ueniat, & laborem minueret Iudæis se quærentibus. Nam ne fatigarentur huc & illuc obambulantes, & quærentes eum: abijt ipse ad eos, et se manibus inimicorū infert. Inuenitur enim in horto, quasi in carcere quodam. Et ne existimes quòd delitescendi gratia illuc se contulerit, subdit Euangelista quòd & Iudas nouerit locum, atq̄ ita magis manifestari quàm occultari uoluit in locum illum ueniens. Sciebat autem & Iudas locum, quia sæpe illuc conuenerat Iesus cum discipulis suis. Solitaria em̄ loca, & silentij officinas quærere solebat Dominus, & maximè si quādo mysticum aliquid tradebat. Vnde autē Iudas cognoscebat q̄ in horto hac hora esset Iesus, & nō in domo dormiens: Sciebat Dominū frequenter extra ciuitatem pernoctare, & eapropter etiam tunc exisse foràs. Et aliter, Ipso festo maximè hunc morem seruasse creditus est, docens discipulos suos sublimius quiddam. Docebat autem (ut diximus) in talibus locis mystica. Igitur quia tunc dies festus erat, coniectabat illic eum esse, differentem discipulis iuxta morem suum in festo.

Mystica tractaturus Dominus, solitaria petebat loca.

Iudas ergo cum accepisset cohortē, & à pontificibus & pharisæis ministros, uenit illuc cum laternis ac facibus & armis. Iesus itaq̄ sciens omnia quæ uentura erant super se, processit, ac dixit eis, Quē quæritis? Responderūt ei, Iesum Nazarenū. Dicit eis Iesus, Ego sum. Stabat autē & Iudas, qui prodebat eum, cū ipsis. Vt ergo dixit eis, Ego sum, abierunt retrorsum, & ceciderunt in terram.] Pecunijs impetrarunt ut cohors se iuuaret. Militaris enim ordo, auri mancipium est. Multi autem ueniūt, timentes eos qui Iesum sequebant̄, & ab eo pendebant propter doctrinam & miracula. Laternas & faces gestant, ut ne occultās se in tenebris aufugeret. At ille in tantū fugam nō quærebat, ut obuiam exiret seipsum tradens. Et rogat quidem, non q̄ ignoret, & discere opus habeat. Sciebat enim omnia, inquit, quæ uentura super eum erāt. Et ita quia sciebat q̄ ad se uenirēt, rogat nō indigēs ut doceatur, sed ostendere uolens q̄ & præsens nō uisus uel cognitus esset. Sed & rogat ut alienus, & neq̄ à uoce agnoscūt

Militaris ordo auri mācipium.

eum

eum Iudas uel alij. Quod autē nō propter tenebras ignorauerint eum, prędixit euangelista eos cum facibus aduenisse. Pone autē ꝙ propter tenebras nō agnouerint eū, oportebat certè à uoce ipsum agnouisse. Interrogat igitur, ut ostēdat (ut diximus) se neq; à specie, neq; à uoce cognitū fuisse. Ita ineffabilis erat eius uirtus. Et ita neq; cruciigere potuissent, nisi uolūtarius se obtulisset. Quòd autē nō solū excæcarit oculos eorū, sed & supini ceciderint una interrogatiōis uoce prostrati, signū fuit casuros eos qui cōtra Iesum uenerāt, uniuersali gentis istius ruina, quæ post Christi mortē super eos uenit, sicut & Hieremias prædixit, Domus Israel cecidit: nō est qui resuscitet. Cadunt igit̄ omnes qui sermoni diuino sunt aduersarij. Hortus autē à quo salus nostra sumpsit originē, paradisum referebat. Nam qui cecidimus in horto paradisi, uidimus in horto salutarē passionē sumpsisse initiū, & oīa quę prius corrupta, reparata esse.

Iterū ergo eos interrogauit, Quē queritis? At illi dixerūt, Iesum Nazarenū. Respōdit Iesus & dixit, Dixi uobis ꝙ ego sim. Si igitur me queritis, sinite hos abire. ut impleretur sermo quē dixit, Quos dedisti mihi, nō perdidi ex eis quenq̄.] Prostrauit quidē eos ut retrorsum caderēt, declarans potentiā suam, & ꝙ ad passionē sponte ueniret. Ad hæc etiā hoc prouidens, ut ne quis dicat Iudæos nō peccasse, eo ꝙ illis se credidérat & manifestarat, propter hoc ostendit eis hoc miraculū, quod sufficiebat ad repellendos eos. Vbi autē in malitia sua permanserūt etiā post miraculū istud, tunc se manibus eorū permisit. Et uide quomodo usq; ad ultimā horam dilectionē erga discipulos nō reliquit. Nam si me quæritis, inquit, sinite illos abire, ut impleret sermo quē dixerat, Quos dedisti mihi, ex eis nō perdidi quenq̄. Perditionē autem Dominus animæ dicebat, quia nullus periit qui ab eo doctus fuit. Euangelista autē & ad corporalem trahit. Miraculum autē quomodo nō comprehenderint illi Apostolos, & dissecuerint eos: & maximè cum Petrus incitasset eos. Vnde manifestū ꝙ comprehensi uirtus hoc fecerit, & sententia quā prædixerat, nullū esse ex illis perdendū: id quod B Euangelista docēs nos quòd hoc fuerit propter sententiā Domini, ne interficerent discipuli, inquit, ut impleret sermo quem dixit, ne ullum ex his quos dedit ei pater, amitteret. nā propter ipsorū infirmitatē securos eos fecit à tentationib. Ita & nos nunc regit, etiā si ignoremus. Vnde quando incidis in tentationes, crede q̄d nisi cognouisset te posse illas euadere, non permisisset te in eas incidere, sicut neq; tunc discipulos.

Suprà 17

Prostrationis Iudæorum causa.

Simon ergo Petrus cum haberet gladium, eduxit eum, & percussit pontificis seruum, & abscidit auriculam eius dexteram. erat autē nomen seruo Malchus. Dicit ergo Iesus Petro, Mitte gladium tuum in uaginam. An nō bibam poculum quod dedit mihi pater?] Cum Petrus uidisset Dominum prostrauisse illos, & impletus esset fiducia propter uocē Domini dicentis, Sinite illos abire: existimauit quòd tunc esset tempus uindictæ, extracto ꝙ gladio percussit seruum. Quod si quæras, quomodo is qui iussus est nō portare peram, neq; duas tunicas, gladiū haberet? Disce quòd portauerit illum in usum agni paschalis etiam post cœnam: uel quòd timēs insidias, olim in hoc præparauerit. Quod si dubitas, quomodo, cū prohibitus fuerit uel alapis percutere, ad cædem se parauerit? Audi quomodo non semetipsum, sed magistrū maximè ultus fuerit. Deinde ꝙ nōdum perfecti tunc erāt. Nam uide quomodo postea extrema ferre gaudet, nūc autē pro magistro indignatur, & caput illud inuadit, & cum aberraret, auriculam solam abscindit. Iesus uerò restituit, & per hoc miraculū iterum insipientes Iudæos refrenat ab impetu ad homicidium. Nam quia magnum erat miraculum in auricula, propterea & nomen serui apponit Euangelista, ut si legentes discredant, ab illo quærant num ita factum sit. Porrò Dominus Petrū quidem reprimit, & interminatur dicens, Mitte gladium tuum in uaginam. Consolatur autē dicendo, Poculum quod dedit mihi pater, an non bibam illud? Ostendit enim quòd patiat non propter illorum uirtutē, sed suam permissionē, & quòd nō sit aduersarius Deo, sed usq; ad mortem faciat uoluntatem patris. Dicendo autē, poculū, insinuat mortē dulcem, & desiderabilem in salutem hominū. Cæterùm tu hic attendas desecari auriculam dextram serui pontificis, signū fuisse inobedientiæ illorum. Cæcitas enim in Israel facta est, ut audientes nō audiant. propter impietatem erga saluatorē. quæ maximè fuit pontificum ideo & auriculæ abscisio in seruo pontificis facta est. Quod autem restituta est auricula, significat Israelitis olim restituendam † auriculā, quæ nunc est abla-

Petrus qua re percusserit gladio.

Poculum mors.

Auricula obedientiā signat.

†prudentiam

Luc.1. est ablata. Etenim Helias cũ uenerit, reuocabit eos ad Christum, & cõiunget patres
Malach.4. nobis filijs, sicut & Malachias dixit.

Cohors igitur & tribunus, & ministri Iudæorũ comprehenderũt Iesum, & ligauerunt eum, & adduxerũt eum ad Annã primũ. Erat enim socer Caiphæ, qui erat pontifex anni illius. Erat autẽ Caiphas is qui consiliũ dederat Iudæis, ꝙ expediret unum hominem mori pro populo.] Postꝙ omnia fecit quæ ad reprimendum illorum furorem pertinere uidebantur, illi autem nõ intellexerunt, tũc tandem permisit se abduci. Porrò illi alligant & abducunt ad Annam, gloriantes facto, & quasi celebrari cu-
Ioan.11. pientes perinde ac magnũ trophæum excitassent. Cæterũ prophetiæ Caiphæ meminit, ostendere uolens ꝙ pro salute mundi hæc facta sint, & ꝙ tam excellens sit ueritas, ut & inimici eam prædixerint. Vt enim non turbemur audientes uincula, meminit prophetiæ, quòd salutaria fuerint & mors & uinc̃ula, qua de causa & hæc pertulerit.

Sequebatur autẽ Iesum Simon Petrus, & alius discipulus. Discipulus autẽ ille erat notus pontifici, & introiuit cum Iesu in atrium pontificis. Petrus autẽ stabat ad ostiũ foris. Exiuit autẽ discipulus ille alter qui erat notus pontifici, & dixit ostiariæ, & introduxit Petrum.] Quis erat alius discipulus? Ille ipse qui hæc scripsit. Occultat autẽ se propter humilitatẽ, quia honestum opus narraturus erat, secutum se esse fugientibus alijs. propter hoc occultat seipsum, & præponit sibi Petrum. Sequebatur enim, inquit, Iesum Simon Petrus: deinde subdit, Et alius discipulus. Propter humilitatem
†sui igitur se occultat, & propter istucipsum †eius rei meminit, ut discamus quòd certius narret ea quæ in atrio sint facta, eo quòd intus fuerit. Vide autẽ quomodo & propriã laudem resecuerit. Nam ut ne cum audieris ꝙ ingressus sit, existimes eum fortiorem alijs, dicit, notus autẽ erat pontifici. Non enim tanꝙ alijs fortior simul ingressus sum, inquit, sed tanꝙ notus pontifici. Petrum uerò prædicat, eo quòd propter amorẽ secutus fuerit: & qa nõ erat notus, foràs steterit. Nam ꝙ & Petrus ingressus fuisset si permissum fuisset, manifestũ. Postꝙ enim Ioannes exiuit, & ostiariã iussit ut illum introduceret, statim ingressus est Petrus. Quare autẽ Ioannes nõ introduxit eum, sed mulieri hoc cõmisit? Quia ualde adhærebat Christo, & sequebaꝫ, nolens ab eo separari. B

Dixit ergo Petro ancilla ostiaria, Num & tu ex discipulis es hominis istius? Dicit ille, Non sum. Stabant autem serui & ministri, qui prunas congesserant, quia frigus erat, & calefaciebant se. Erat autem cum eis & Petrus stans, & calefaciens se.] Interrogat ancilla Petrum, nõ cõtumelioſe, nõ præfractè, sed ualde mansuetè. Non enim dixit, Num & tu ex discipulis es impostoris? sed, hominis illius? id ꝙd magis est miserantis. Dixit autẽ, nunquid & tu? quia Ioannes intus erat. Et mulier quidem ita mansuetè alloquebatur. Ille autẽ nihil horum sentiebat, neꝙ in animũ recipiebat Christi præ-
Natura humana infirma. dictionem. Ita infirma res humana natura est quãdo à Deo derelinquitur. Quidam autem stultè Petro gratificari uolentes, dicunt quòd non ob timorem negauerit Petrus, sed uoluerit quidem semper cum Christo esse, & eum sequi: cognouit autẽ quòd si confessus fuisset sè discipulum Iesu, separandus fuisset ab eo, & non ultrà habiturus erat locum quo sequeretur, & uideret desiderabilem, & propterea negauit, dicens, Non sum. Nam & ex eadem sententia fuit, quòd se calefaceret. Simulauit enim se facere ea quæ ministri, & ut unus illorum, ut ne ex tristitia faciei deprehensus excludatur à uidendo Christo, reiectus è medio ut discipulus eius.

Põtifex ergo interrogauit Iesum de discipulis suis, & de doctrina ipsius. Respõdit ei Iesus, Ego palàm locutus sum mũdo, ego semper docui in synagoga, & in templo quo omnes Iudæi cõueniunt, & in occulto locutus sum nihil. Quid me interrogas? Interroga eos qui audierũt qd locutus sim ipsis. Ecce hi sciũt quæ dixerim ego. Hæc autẽ cum dixisset, unus assistens ministrorũ dedit alapam Iesu, dicens, Siccine respõdes põtifici? Respondit ei Iesus, Si malè loquutus sum, testare de malo. sin benè, cur me cædis?] Interrogat pontifex Iesum de discipulis, fortasse in hunc modũ, Vbi sunt, aut qui sunt, aut qua mente eos collegerit, & quid uolens? Quasi enim nouatorem & seditiosum uoluit eum arguere. Et de doctrina quoꝙ interrogat qualis sit, num à lege recedens, & pugnãs cum Mose: ut inde inuẽta occasione tanꝙ aduersariũ Dei occidat. Quid igitur Dñs? Respondit illi iuxta suspicionẽ eius. Ego quidem, inquit, in occulto nihil locutus sum. Nam tu quidem suspicaris me seditiosum quendam, & in

occulto

A occulto consilio struentē. Ego autem tibi, inquit, dico, quòd nihil in occulto loquutus sum, hoc est nihil seditiosum. Et sicut tu opinaris, nihil innouo, neq; dolosa & occulta mente proprium quiddam loquutus sum. Quia nisi sic intellexerimus quòd ad suspicionem pontificis hæc dixerit, uidebitur mentiri. Nam multa dixit in occulto ea quę supra captum multitudinis erant. Quod autem dicit, Quid me interrogas? Interroga eos qui audierunt: non pertinacis est, sed fidentis in dictorum ueritate. Interroga enim, inquit, inimicos insidiatores ministros illos qui ligauerunt me. Ista enim est ueritatis indubitata demonstratio, quando quis habet inimicos testes eorum quæ dicit. Nam ministri ipsi, inquit, sunt, qui antea dixerunt, Nunquam locutus est homo sicut hic homo. Et cum ita respondisset, nō est eis admirationi, sed alapa cæditur: quo quid fieret impudentius? Et cum posset omnia concutere & abolere, nihil quidem horum facit, sed uerba loquitur quæ omnium bestiarum sæuitiem demulcere possent. dicit enim, Si quidem habes ut reprehendas ea quæ nunc à me dicta sunt, ostende quòd malè dixerim: si autem nō habes, quid ferocis? Vel & sic, Si malè locutus sum, hoc est, si malè docui quando docui in synagogis, ecce nunc testimoniū perhibe de mala doctrina, & plenè instrue pontificem, qui nunc interrogat de doctrina mea. Si autem bene docui, & me admirati estis etiam uos ministri, quid me nunc cædis, quem prius admirabaris? Percussit igitur minister Dominum, magno crimine se liberans. Nam ubi Iesus in testes uocaret assistentes, dicens, Ecce hi sciunt quæ dixerim ego: uolens minister se liberare à suspicione quod nō esset ex admiratoribus Iesu, percussit eum. Iesus autem dicendo, Ego in occulto locutus sum nihil, reducit in memoriā prophetiam dicentem, Non in occulto locutus sum, neq; in loco terræ tenebroso. *Ioan. 7.* *Esa. 42.*

Et misit eum Annas uinctū ad Caipham pontificem. Stabat autem Simon Petrus, & calefaciebat se. Dixerunt ergo ei, Num & tu ex discipulis eius es? Negauit ille, & dixit, Non sum. Dicit ei unus ex seruis pontificis, cognatus eius cuius abciderat Petrus auriculam: Nónne ego te uidi in horto cum illo? Iterum ergo negauit Petrus, &
B statim gallus cecinit.] Abducunt eum ad Caipham, eo quòd ipsi nullum crimen inuenichant in eo, fortasis suspicati illum sapientiorem inuenturum aliquid dignū morte contra Iesum, supplantantem uel in responso, uel deprehensurum in aliquo facinore. At Petrus feruidus amator † tanta grauitate detinebatur, ut etiam cum magister abduceretur non commotus sit, sed adhuc calefaciebat se ita ut iterum interrogatus neget, & non solum secundò, sed tertiò. Quare autem Euangelistæ omnes simul de Petro scripserunt? Non accusantes discipulum, sed nos erudientes quantum malum sit non totum tribuere Deo, sed in seipso confidere. Admirari autem decet Domini misericordiam, qui cum ligatus esset, & abduceretur, non neglexerit discipulum, sed conuersus uidit Petrum, sicut alius Euangelista dicit, & aspectu opprobrat ei infirmitatem, & ad pœnitentiam ac lacrymas excitat. Quod autem tunc accidit Petro, etiam nunc uidere licet euenire multis. Nam ligatur quidem sermo Dei qui in nobis est, et quasi captiuus ducitur, siue à uoluptate siue à tristitia in seruitutem reductus. Vtroq; enim modo uincimur & abducimur, uel præ prosperis, uel præ aduersis mundi Deū obliuiscentes. Et condemnatur quidem sermo, uincit autem absurditas. Et seruus alapa cędit Dominum. Ita enim habet affectionum tumultus; quando mens nostra quasi Petrus aliquis sæpe pertinax fit, quasi non negatura uerbum, & ideo & stat & calescit. Stat quidem, eo quòd non inclinetur, neq; humilietur, sed in sua pertinacia constanter maneat. Calefacere autem se dicitur, eo quòd præ feruore & fastu pertinacia laboret. Arguit autem eum ancilla, parua quędam uoluptas, & effœminans: statimq; negat sermonem. Sed & quadam aduersa tentatione arguitur, sicut tunc Petrus à seruo, & ita infirmitas eius deprehenditur. Sed precemur ut aspiciat nos Iesus uerbum Dei, & ad pœnitentiam & lachrymas prouocet: quod fiet, quando exiuerimus ex atrio pontificis qui Dominum crucifigit, & rector est mundi. Quando enim extra mundum, qui est atrium rectoris mundi, egressi fuerimus, tunc sanè ad pœnitentiam synceram exurgemus: sicut & Paulus dicit, Egrediamur ad eum extra portam, hoc est mundum, opprobrium eius ferentes. † tanto stupore *Petri negatio ciar scripta.* *Deo totum tribuēdum.*

Ducunt ergo Iesum à Caipha in prætorium. Erat aūt manè, & ipsi non introierunt in prætorium, ne cōtaminarētur, sed ut ederent pascha. Exiuit ergo Pilatus ad eos fo- *Matt. 27.* *Marc. 15.*

ràs, & dixit, Quam accusationem affertis aduersus hominem hunc? Respondérũt & à dixerunt ei, Si non esset hic nocens, haud quaquã tibi tradidissemus eum. Dicit ergo eis Pilatus, Accipite eum uos, & secundum legem uestram iudicate eum. Dixerunt ergo ei Iudæi, Nobis nõ licet interficere quenquam, ut sermo Iesu impleretur quem dixit significans qua morte esset moriturus.] Ad multos iudices ducunt Dominum, opinãtes se illum contumelia affecturos. Sed reuera per multa tribunalia clarum reddunt. Dñs enim per omnia illa exiuit non cõuictus de crimine, robur habens cui contradici non potuit. Ducunt ergo eum ad prætorium. Non enim habebant ipsi potestatem occidendi, utpote rerum potientibus Romanis. Vel quia timebant ne postea pœnas luerent, accusati quòd indemnatum interfecissent. Erat autem mane, inquit: ut discas quòd per dimidiũ noctis à Caipha interrogatus sit. Prius enim q̃ gallus cantaret, abductus est ad Caipham. Quid autem ab eo interrogarit, silentio prætẽrijt iste Euangelista. Alij autem dixerũt: Cum noctem in illis perfecissent, mane ad Pilatum duxerunt. Ipsi autem non sunt ingressi in prætoriũ, ut ne polluerentur. O dementiã. Iniustè quidem occidebant, & non putabant se pollui: & pollui se credebant, si ingrederentur in prætoriũ. Quid autem est, Vt comederent pascha? Sanè Dominus illud fecit prima azymorum. Vel igitur intelligamus per pascha, festum septem dierũ, uel quod ipsi quidẽ manducaturi erant in parasceuæ uespere. Ipse autem Dominus uno die præuenit, reseruans sui occisionem parasceuæ, quando & olim fuit pascha. Porrò Pilatus aliquanto humanior, ipse egreditur: & quia Dominum uidit uinctũ, non existimauit inde iam se causam habere cõtra Christũ, sed interrogat de causa uinculorũ. At hi cum nihil possent dicere, Nisi hic esset malefactor (aiunt) nõ tradidissemus eũ. Vides eos omni loco declinare accusationes. Annas interrogauit, & nihil inuenit. Ad Caipham misit, qui iterum cum examinasset eum, ad Pilatum misit. Deinde Pilatus interrogat, Quam accusationem habetis contra hunc? Et neq; hoc loco dicere aliquid possunt. Vnde quia nihil dicunt, Accipite, inquit, uos illum. quia enim uobisipsis iudicium uindicatis, & arroganter loquimini, quasi nihil unquam mali feceritis, à Nisi enim (dicentes) fuisset malefactor, non tibi tradidissemus eum: ipsi accipite, et iudicate. Si autem ad me detulissetis causam, & formam iuris seruasssetis, necessariũ fuisset proferre causas hominis. Iudicate igitur eum uos. Ego enim neutiquã talis iudex fuerim. Igitur si lex uestra absq; causa sæuit, iudicate ipsi. At illi dixerunt, Nobis non licet occidere quenquam. Hoc autem dixerunt scientes quòd Romani ad crucẽ condemnarent rebelles. Vt igitur crucifigeretur Dominus, & mors eius in uulgaretur,
Actuum 7. eius gratia prætexunt quòd non liceat sibi occidere: alioqui quomodo Stephanum lapidarunt? sed, ut dixi, crucifigi Dominum uolentes hoc dicunt. quasi sic dixissent, Nobis non licet occidere in cruce quenquam. desideratissimum autem esset nobis q̃ crucifigeretur. Vt sermo Iesu impleatur quem dixerat de morte sua, nempe q̃ cruci-
Ioan. 3. 12 figendus esset, uel quòd non à Iudæis, sed à Gentibus occidendus. Cum ergo dixissent Iudæi, Nobis nõ licet occidere: tunc accipiunt eum Gentiles, & pro sua cõsuetudine crucifigunt. Et ita impletur sermo Iesu, & q̃ traditus gentilibus, & q̃ crucifixus.

Introiuit ergo iterum in prætorium Pilatus, & uocauit Iesum, & dixit ei, Tu es ille rex Iudæorũ? Respondit Iesus, A temetipso tu hoc dicis, an alij dixerunt tibi de me? Respondit Pilatus, Num ego Iudæus sum? Gens tua & pontifices tradiderunt te mihi: quid feciſti? Respondit Iesus, Regnũ meum non est de hoc mundo, Si ex hoc mũdo esset regnum meum, ministri mei utiq; decertarent ne traderer Iudæis. Nunc autem regnũ meum non est hinc.] Vocauit Iesum Pilatus seorsim. Et quia magna quædam de eo erat opinio, uolebat omnia euidẽter cognoscere, liberaturus eum à tumultu Iudæorum. Interrogat igitur num rex sit, quod apud omnes de eo ferebatur, in medium afferens. Christus autem quærit num à semitipso hoc dicat, uel ab alijs: nõ ignorans, sed detegere malam Iudæorum mentem uolens, ut ita à Pilato condemnentur ipsi. Ideo & Pilatus mox à Iudæis sibi traditum dicit, sese à crimine liberans. Et aliter, Interrogat Pilatum Dominus num à seipso dicat, uel ab alijs persuasus. Arguit autem per hoc eum insipientem esse, & absq; iudicio cõdemnantem, & quasi in hunc modũ dicit Pilato, Si quidem à teipso hoc dicis, monstra signa meæ rebellionis. si autem ab alijs edoctus es, igitur diligentem inquisitionem facito. At ille quid audiuerit ab alijs,

non

A non dicit: simpliciter autem sequitur sententiam populi, & tradiderunt te, inquit, mihi. Cum autem dicit, Quid feciſti? uerbum quasi ad amaritudinem adducti & exasperati uidetur. Dicit enim, Quid feciſti? At Dominus respondendo, Regnum meũ non est de hoc mundo, duo hæc corrigit. Primùm enim docet Pilatum ut sciat se non esse purum hominem, neq; ex his terrenis, sed Deũ, & Dei filium. Deinde soluit suspicionem tyrannidis. Non est enim regnũ meum de hoc mundo, & ita ne timeas me ut tyrannum & seditiosum. Nam si esset ex hoc mundo regnum meum, ministri mei certassent utiq;, ut non traderer Iudæis. Hoc autem loco præsentis regni firmitatem significat, eo q; à ministris habeat robur. Supernũ autem per se sufficiens est, nullo indigens. Manicheĩ hinc sumpta ansa dicunt, Mundus hic non est à bono Deo. nam filius Dei (aiunt) dicit, Non est regnum meum hinc. Cæterùm ô stulti, discite quidẽ primũ ab ipsa dictione. Dixit eñ, regnũ meũ nõ est ex hoc mũdo, & rursum nõ est hinc. Non enim dixit q; non sit in mũdo, neq; q; nõ sit hic. Nam regnũ quidẽ in hoc mũdo & ab eo regitur, & sicut ipse uult, transit. Non est autem de mundo regnũ eius, sed supernum & ante secula, & non hinc, hoc est, ex terrenis constitutum, sed hic quidem imperat & regit. non autem est hinc, neq; constitutũ ex illis inferioribus: alioqui quo modo intelligeretur hoc, In propria uenit, si mundus hic non esset eius proprius? *Manichæi confutãtur.* *Ioan. 1.*

Dixit itaq; ei Pilatus, Ergo rex es tu? Respõdit Iesus, Tu dicis, q; rex sum ego. Ego in hoc natus sum, & ad hoc ueni in mundũ, ut testimoniũ ferã ueritati. Omnis qui est ex ueritate, audit uocem meam. Dicit ei Pilatus, Quid est ueritas? Et cum hoc dixisset, iterum prodijt ad Iudæos, & dicit eis, Ego nullã inuenio in eo causam. Est aũt consuetudo uobis, ut unũ dimittã uobis in pascha. Vultis ne ergo dimittam uobis illum regem Iudæorum?] Cum Pilatus interrogasset Dominũ num rex esset, Ego (inquit) in hoc natus sum, hoc est, ut rex sim. Natura enim hoc habeo, et ex eo q; natus sum de patre, nam istuc ipsum de rege natũ esse, regẽ me esse testatur. Et ita cum audis q; uitã dederit filio, et iudiciũ, & alia omnia, ita intellige illud dederit, pro genuerit ipsum, ita *Ioann. 5.*
B ut habeat uitam & iudicium: & naturaliter hæc omnia filius à patre habeat. Et propterea ueni in mundum, ut istuc ipsum dicam & doceam, persuadeamq; hominibus omnibus q; rex sim ac Dominus. Conciliare autem per hoc uolens Pilatum, & persuadere ut dicta suscipiat, inquit, Omnis qui est ex ueritate, audit uocẽ meam. Et ita & tu ô Pilate, si quidem ueritatis es filius, eamq; desideras, audies uocem meam, credesq; me regẽ esse, non talẽ quales sunt mundani, nec acquisitum habentẽ regnũ, sed naturale, & à natiuitate ipsa à Deo & rege illud suscipientem. Perstringuntur autem hoc loco etiã Iudæi, q; nõ sint ex ueritate, quia uocẽ eius audire nolũt. Et cum nõ sint ex ueritate, mendacia utiq; contra ipsum finxerunt, & non uerè mortis reus est. Sic igitur paucis illis uerbis Pilatũ rapuit, atq; ita, ut de ueritate interrogarit quid sit. Fermè enim inter homines abolita erat, & ignorabatur ab omnibus in infidelitate adhuc permanentibus. Quia autem tempore quidem indigebat proprio quæstio hæc, & urgebat ut eriperet Iesum à Iudæorũ furore, idcirco egreditur ad eos, & dicit, Ego nullã causam inuenio in eo. Et id quoq; sapienter. Nõ enim dixit, Quãuis peccauerit, & dignus sit morte, attamẽ festi priuilegio eum donate: sed primũ eum liberauit ab omni crimine, & tunc orat eos ut absoluãt, ut si quidẽ absolutus fuerit Iesus, nulla eis gratia debeatur. dimisissent enim innoxium. si autem condemnarint, ostendatur eorũ malitia, q; innoxiũ condẽnarint. Vide aũt quẽ sensum habeat quod dicit, illũ regem Iudæorum. Manifestè enim per hoc excusat Pilatus Iesum à peccato alienũ: sed frustra arguitur ab eis ut regnũ desiderans. Nõ enim si regem se faceret, & contra Romanorum potentiam extolleret, dimitteret eum Romanorũ præses: & ita dicendo, Num regẽ illũ Iudæorũ dimittã? per omnia Iesum innoxiũ declarat, & deridet Iudæos, quasi talia dicens, Quẽ uos accusatis falsõ ut regnũ inuadentẽ, & rebellantẽ ac seditiosum dicitis, illum oro ut absoluatis. & manifestum q; non ita sit. Quidã autem, in hoc natũ esse non intellexerũt de æterna illa à patre natiuitate, sed posteriore è uirgine. Propterea enim factus sum homo, & natus ex Maria, ut mendaciũ & diabolũ expellã: diuinam naturã ostendens regnare super omnia. Veritas igitur hoc est, nẽpe mea sciẽtia, & salus quæ per hãc cõtingit. ꝓpter hoc scilicet ueni, ut ueritatẽ, scientiã Dei, & salutẽ largiar. Dignũ aũt est ut quæratur, unde moti Iudæi consuetudinẽ habeant dimittendi *Quare in-*

Dei unũ iu-dicẽ dimitte-bant.

unum uinctũ. Primò eñ dicere possumus q̃ docentes doctrinas, mandata hominũ, A plurima iuxta sua capita protulerũt, nec diuinis usi fuerũt legib. unde & hoc ita se habet, inq̃ cõsuetudinẽ abijt etiã absq̃ ratione, qualia multa absq̃ legis præcepto. Deinde talis inuẽta est lex in scriptura, à qua uerissimile est profectas esse absolutiones illas cõdẽnatorũ. Scriptũ est enim de eo qui præter uolũtatẽ suã occiderit, si nõ propter inimicitias, uel dedita opera affligere uoluit uicinũ, iaciens uas uel lapidẽ, & casu percutiens prætereũtem, moriaturq̃ homo, in uoluntarius sit homicida talis: iudicabit aũt omnis synagoga, & absoluent quidẽ illũ à morte: nõ enim maligna mẽte occidit. Cõstituent aũt eum in ciuitate refugij, hoc est fuga mulctabũt. Ex hoc fortè erãt impulsi, ut conjectare possumus. ita enim morẽ firmarunt, ut absoluant̃ qui de homicidio fuerint cõdemnati. Nam lex quidẽ iubebat hoc esse officiũ synagogæ Iudæorũ. Et quia Romanis cesserat regnũ, Romanos fecerũt dominos absoluendi, sicut & nũc Pilatũ.

CAPVT XIX.

Matt. 26. Marc. 15. Luc. 23.

CLamauerunt rursum omnes, dicentes, Non hunc, sed Barabbã. Erat aũt Barabbas latro.] Tunc ergo apprehendit Pilatus Iesum, & flagellauit. Et milites plectẽtes coronã de spinis, imposuerunt capiti eius, & ueste purpurea circundederunt eum, ac dicebant, Aue rex Iudæorum. Et dabant ei alapas. Exiuit iterum Pilatus foràs, & dicit eis, Ecce adduco uobis eum foràs, ut cognoscatis q̃ nullam in eo causam inuenio. Exiuit ergo Iesus foràs gestans spineam coronã, & purpureũ pallium, & dicit eis, Ecce homo. Cum ergo uidissent eum pontifices & ministri, clamabant dicentes, Crucifige, crucifige eum. Dicit eis Pilatus, Accipite eum uos, & crucifigite. ego enim nõ inuenio in eo causam. Responderunt ei Iudæi, Nos legem habemus, & secundum legem nostram debet mori, quia filium Dei se fecit.] Vide per quàm multa monstratur Iudæorum malitia. Barabbam enim manifestariũ latronem petunt, Dominum uerò tradunt. Flagellat igitur eum Pilatus, ut consoletur & mitiget eorum furorem. Nam quia uerbis non potuit eum eripere, flagellat, studens & ipse uel per hoc insaniam eorum placare. Et permittit ut chlamys & corona ei circumponantur, quò eorum ira exB hauriatur. Milites uerò omnia ad gratiam Iudæorum faciunt. Nam quia audiuerunt Pilatum dicentem, Regem illum Iudæorum dimittam: irrident nunc eum ut regem. Neq̃ enim à Pilato instigati hoc faciebant, qui etiã & nocte inuaserant Iesum præter sententiam præsidis, pecuniarum gratia Iudæis gratificantes. Placidus enim erat Pilatus, & nõ efferis moribus, sicut Iudæi. Porrò educit Iesum, iram illorũ extinguere uolens: sed illi neq̃ sic mansuefacti sunt. Clamant aũt, Crucifige crucifige eum. Cum uidisset aũt Pilatus omnia hæc frustra fieri, dicit, Accipite eũ uos, & crucifigite. ego eñ non inuenio in eo causam. Facit aũt hoc, impellens eos in rem eis nõ concessam, si fortè sic absoluat̃ Iesus. Nã ego quidẽ, inquit, habeo potestatẽ crucifigẽdi, nullamq̃ inuenio causam: uos aũt non habentes potestatẽ crucifigendi diciti eum reũ: accipite igit̃ eum, & crucifigite, sed nõ habetis potestatẽ. dimittat̃ ergo homo ille. Itaq̃ talis quidẽ erat mens Pilati, mitior uidelicet, neq̃ tamẽ seueriter pro ueritate instans. At illi etiã in hoc cõfusi, dicunt q̃ secundũ nostrã legem debeat mori, quia filiũ Dei se fecit. Vide quomodo malitia sibi nõ cõstet. Suprà dicebat eis Pilatus, Accipite eum, & secundũ uestrã legem iudicate, & illud nõ approbarũt, nunc iterũ dicunt, Secundũ legẽ debet mori. Suprà accusabant q̃ fecisset se regem, nunc de mendacio redarguti, accusant q̃ filiũ Dei se fecerit. Tametsi quid hoc criminis fuerit? Si opera Dei facit, filiũ Dei esse quid prohibet? Vide autem diuinã dispensationem, quomodo illi quidem ad multos iudices duxerint Dominũ, ut infamarẽt & cõtaminarent eius gloriã, sed contumelia in caput ipsorũ reciderit. Hinc enim magis insons demonstratur, rem tam diligenter disquirentibus. Quoties uel Pilatus confessus est se nihil inuenire morte dignum?

Malitia sibi non constat.

Cum ergo audisset Pilatus hunc sermonẽ, magis timuit. Et ingressus est prætorium iterũ, & dicit ad Iesum, Vnde es tu? Iesus autem responsum non dedit ei. Dicit ergo ei Pilatus, Mihi non loqueris? Nescis q̃ potestatem habeã crucifigendi te, & habeã potestatem absoluendi te? Respondit Iesus, Non haberes potestatem aduersum me ullã, nisi tibi datum esset è supernis. Propterea qui me tradidit tibi, maius peccatũ habet.] Pilatus quidem audito breui sermone q̃ sit filius Dei, pauescit. Illi etiam operibus diuinis uisis eum occidunt, propter quæ adorare oportebat. Interrogat autem eum nõ ut

prius,

A prius, Quid feciſti? ſed, Quis es tu? Nam quia tunc quidē utregni inuaſorem arguebant, merito rogabat, Quid feciſti? Nunc autem quia accuſant q̄ filium Dei ſe fecerit, rogat, Vnde es tu? Ieſus autē tacet. Didicerat enim ab eo Pilatus q̄ in hoc natus ſim, &, Regnum meum non eſt hinc: attamen nihil ex his percepit utilitatis, neq; reſtitit aliis pro ueritate, ſed ceſsit turbæ tumultuāti. Idcirco Dominus interrogationes eius, utpote factas temerè, reſpuens, nihil reſpondet. Omnino autem uidetur Pilatus non eſſe feruidus & conſtans, ſed is quem uel pauca quædam terriculamenta concutiunt. Nam & Iudæos timebat, & Ieſum ut filiū Dei horrebat. Videamus autem quomodo ſeipſum cōdēnet per ea quæ dicit. Poteſtatē habeo crucifigendi te, & poteſtatē habeo dimittendi te. Si enim hoc totum habes, & in te ſitum erat, quare non dimiſiſti quem innoxiū inueniſti? At Dominus faſtū eius deprimens inquit, Non haberes poteſtatē ullam, niſi eſſet tibi ſupernè datū. Non enim ita ſimpliciter morior, ſed myſticū aliquid perficio, & prædefinitum eſt hoc ſupernè in ſalutem hominum. Ne autem cum audieris quod ſuprenè ſit datum, exiſtimes Pilatum apud Deum à culpa liberatum, ſtatim ſubinfert, Qui tradidit me tibi, maius peccatū habet. Oſtendit enim hinc & Pilatum peccato, quanuis minori, obnoxiū. Non enim quia ſupernè datum eſt, hoc eſt, cōceſſum eſt ut moriat Chriſtus, ſtatim extra noxam ſunt Pilatus & Iudæi: ſed ueſtra quidem uoluntas malum uoluit, Deus autem permiſit & cōceſsit ut in opus hoc progrediatur. Igitur mali non ſunt citra culpam, quia Deus permittit ipſorum malitiam prodire in opus: ſed eo q̄ & uolunt & faciunt, omni condemnatione ſunt digni.

Et ex eo quærebat Pilatus abſoluere eum. Iudæi autem clamabant dicentes, Si hūc abſolueris, non es amicus Cæſaris. Quiſquis ſe regem facit, contradicit Cæſari. Pilatus autem cum audiſſet hūc ſermonem, produxit foràs Ieſum, ſeditq̄ pro tribunali in loco qui dicitur Lithoſtrotus, hebraicè autem Gabbata. Erat autē paraſcaue paſchæ, hora fermè ſexta.] Poſtquam Dominus perſtrinxit Pilatum per uerba, & †accuſationem manifeſtè adhibuit, quòd niſi uoluntarius ego meipſum darem, & pater concē- B deret, nō haberes poteſtatem contra me, & q̄ peccatum habeas & tu, & Iudas tamen maius, qui me tradidit: uel etiam populus, eo quòd ſuper dolorem uulnerum meorū addidit, & non eſt recordatus ut faciat miſericordiam, ſed cum inueniſſet me patrocinio & adiutorio deſtitutū, cruci tradidit, & neq; talia iudicia in quibus innoxius declaratus ſum, eum placarunt, ſed clamabat, crucifige crucifige: cum ijs inquam dictis Dominus perſtrinxiſſet Pilatum, quærebat ex hoc ille magis dimittere eum: Iudæi autem cum ipſum accuſaſſent, q̄ Deum ſe faceret: ac legem obiecíſſent, uidentes illinc ſe magis refelli: Pilatus ēm ex hoc magis timuit, & uoluit dimittere eum, ne fortè Deū offenderet, iterum confugiunt ad externas leges, & ut meticuloſum terrent Pilatum. Nam quia uiderāt eum pietate moueri, ne filium Dei occidendo Ieſum peccet, metum Cæſaris incutiunt, & accuſantes Dominum de tyrannide, Pilatum magis terrēt quaſi offenſurum Cæſarem ſi rebellem illum dimittat. Et ubi ille in tyrannide deprehenſus: Vnde autem hoc oſtendetis? num à purpura? num à diademate? num à militaribus ſignis? nónne omnia quæ habebat, uilia? & ſtola, & cibus, & domus? Immo ei nec domus erat. Sed ô Pilatū parum uirilē. Periclitari ſibi uiſus eſt, ſi quidē hanc cauſam indiſcuſſam negligeret. Nam uadit quidē quaſi examinaturus negociū, hoc ēm ſeſsio ſignificat. Nulla aūt examinatione facta tradit illū, exiſtimans ſe ſic illos placaturum. Quomodo aūt Marco dicente tertiā horā quādo Chriſtus crucifigebatur, Ioānes ſextā dicit? Igitur hoc ſoluūt quidā, q̄ ſcripturæ error ſit. Nam litera quidē gāma tertiam horam ſignificat, & eſt claracter eius talis, Γ. litera autem quæ ſextā ſignat, habet characterem talem, ς. Veriſimile igitur literam gamma à ſcriptoribus non attentis tranſiſſe † quibuſdā mutilatis in characterē epiſemi quo ſextus numerus ſignatur, & ſic errorem hunc ortum. Quod autem hoc ueriſimile ſit factū eſſe, & tertiā horam ſcriptā eſſe etiam apud Ioānem, & nō ſextā, ſicut nunc, manifeſtū hinc eſt. Nam cum tres Euangeliſtæ, Matthæus, Marcus & Lucas conſonāter dicant q̄ à ſexta hora tenebræ factæ ſunt ſuper uniuerſam terram uſq̄ ad horā nonam, manifeſtū q̄ Dñs noſter ante ſextā horam, priuſq̄ fierēt tenebræ, crucifixus ſit, ſcilicet circiter horā tertiam ſicut Marcus prodit, & Ioannes ſimiliter, cuius ſcribentiū error mutauerit gāma in epiſemi characterē. Et nōnulli quidem ſic dicūt. Alij aūt aiunt q̄ Marcus quidē horā qua

† excuſatione ſiue defenſionem.

Marc. 15. Concordia euangeliſtarum de hora qua Chriſtus crucifigebatur.

† ea parte quæ in longitudine rectam producebat, incuruata

lata est sententia de crucifigẽdo Domino, manifestè & absq; dubitatione ponat: utiq; quia crucifigere & punire ab eo tempore iudices dicuntur, quo sententiã proferunt, eo q uis pœnæ & mortis in linguis quoq; sit. Eius gratia Marcus tertia hora crucifigi eum dicit, à qua Pilatus sententiã exposuit. Ioannes autem, cum Marcus dixisset tempus sententiæ, horam in qua Dominum crucifixerũt, dicit. Cæterùm considera quanta acta sint inter sententiã à Pilato de cruce, & horam ipsam in qua in crucem Dominus ascendit. Cum dimisisset Barabbam, flagellauit Iesum, & trãdidit eis ut crucifigeretur. Nam Barabbæ dimissio, condemnatio erat Domini. Illudunt milites, & uide quantum temporis insumi potuerit ad maiorem illusionem. Eduxit eum Pilatus, & loquutus est cum † eo. Iterũ ingressus dijudicat Iesum, iterum egressus loquitur cum Iudæis. Hæc omnia sufficiebant ad insumendum tempus ab hora tertia usq; ad sextã: quæ Ioannes exponens diligenter, †utpote is qui alios fuit sequutus, horæ sextæ meminit, quando & tradidit eum perfectè ut crucifigatur, nõ ultrà loquens cum Iudæis, uel dijudicans Iesum, sed extremam proferens sententiam. Si autem quis dicat, Quare circiter horam tertiam cum dicatur crucifigi, uult iterum absolui illum? Discat primùm quidem, q, à multitudine coactus dedit sententiam: deinde à somnio mulieris impulsus fuerit. Nunciabat autem illa ei, Nihil tibi & iusto huic. Insuper considera & Ioannem dixisse q fuerit hora fermè sexta, quasi non definiens, & in ambiguo relinquens dixit, fermè sexta. Et ita nihil interierit, q de hora non uidentur prorsus conuenire Euangelistæ, si quidem concederemus esse differentiam. Vide enim hoc, num omnes dixerint q crucifixus sit. At hoc quidem ab omnibus est confessum: de hora autem alius dicit esse tertiam, alius quasi sextam, & quid hoc obest ueritati? Verumtamen hæc dæmonstrata sint ex abundantia, quòd nulla sit diuersitas.

• Iudæis

† utpote qui omnib. indiuiduus comes adfuerit,

Et dicit Iudæis, Ecce rex uester. Illi autem clamabant, Tolle, tolle, crucifige eum. Dicit eis Pilatus, Regem uestrum crucifigam? Responderunt pontifices, Non habemus regem, nisi Cæsarem. Tunc ergo tradidit eum illis, ut crucifigeretur. Acceperunt aũt Iesum, & abduxerũt eum ut crucifigerent: atq; is baiulans crucẽ suam, exiuit in eum qui dicitur Caluaria, locũ, hebraicè aũt Golgotha: ubi crucifixerũt eum, & cum eo alios duos hinc & hinc, mediũ aũt Iesum. Sæpe diximus q Pilatus magis fuerit mollis & † ambitiosus, q̃ asperis moribus. Vide enim & nunc q forma quidem examinis & iudicij utitur, sed omnino molliter rem agit. Ecce enim, inquit, rex uester. Neq; eũ Iesum cõdemnat, neq; Iudæos manifestè confutat, sed quasi occultè exprobrat eis ut sycophantis: quasi dicat, ecce qualem hominem dicitis attentasse inuadere regnũ, ullem scilicet, & nihil tale attentare audentẽ: & ita accusatio uestra falsa est. Quid enim habet ille q tyranni? num milites, diuitias, nobilitatem? Ecce rex uester: quæ utilitas si hunc occideritis, qui hominẽ ne in minimo quidem nocere poterit? Et hæc quidẽ Pilatus nõ instãter & firmè & pro ueritate certans. At illi, Tolle, tolle, crucifige, inquiũt. Vrgent & quærunt crucem, ut malam opinionẽ & famam assuant Christo. Ignominiosissima enim erat mors crucis, & maledicta: sicut dictũ est, Maledictus omnis qui pendet in ligno. Nesciuerunt autem q sicut per lignum ruina, ita per lignum correctio. Insuper uide quomodo alium regem præter Cæsarem non agnoscunt, uoluntariè se Romanorum imperio subijcientes, & Dei regnũ repellentes. Ideo & Deus eos Romanis tradidit, quos sibi reges salutarant, destitutos diuino præsidio & cura. Tũc igitur tradidit illum eis, insipiens. Oportebat autem inquirere num uerè habuisset potentiam ad inuadendam tyrannidem. At ille cedit improuidus, effœminatèq; sententiam dat. Portans autem crucem suam egreditur. Abominabile enim putabant omnino uel lignum attingere, & propterea condemnato & maledicto maledictum lignũ imponunt. Vide autem & in ueteri typo quodam hoc factum. Isaac enim & ille ligna portans, uadit ut immoletur. Ita & hoc loco Dominus crucẽ habens uadit, quasi miles arma gerit, quibus aduersarium prosternat. Quòd autem Isaac figura sit Domini, manifestum. Isaac enim interpretatur risus uel gaudiũ. Quis aũt alius gaudiũ nostrum factus est, q̃ is qui in conceptione humanæ natura per angelũ χαῖρε, hoc est gaude, cõmunicauit? Quę eñ uirgo audiuit euãgelia, omnis naturę suscepit. Huius Isaac pater est Abrahã, pater multarum gentium, qui est Deus super omnia, & qui Iudæorum est pater & Gentium, cuius uoluntate & cõsilio crucem filius eius portat. Verũ-

Deut. 21.

Iudæi quõ Romanis traditi.

Gen. 22. Isaac typus Christi.

χαῖρε, id est aue uel gaude.

Euangelia id est bona & læta nuncia.

tamen

A tamen in ueteri, in sola uoluntate patris res stabat, figura enim erat: hoc aũt loco opere completur. ueritas enim erat. Fortasis sicut illic Isaac dimissus est, & agnus immolatus est: ita & hoc loco diuina natura impassibilis mansit: humana autem natura, quę & agnus dicitur, quia Adę erraticæ ouis filius, immolatur. Quomodo autem alius Euangelista dicit ꝙ Simonem compulerint ut ferret crucem? Vtraq; contigerunt, & in principio quidem Dominus ipse crucem gerens exiuit, quia lignum maximè abominabile erat: & nemo alius attingere uolebat. Postquam autem exiuerunt, obuiam uenerunt Simoni, uenienti ex agro, & ita imposuerunt ei lignum. Porrò Caluariæ locũ dicebant, sicut narratio prodit, ꝙ illic sepultus sit Adam: ut ubi principium mortis, illic & casus eius fieret. Traditio eñ ecclesiastica est, quia prior Iudæa, postquã eiectus fuit homo ex paradiso, domicilium ibi habuit in solatium bonorum quæ in paradiso, data ei terra illa quæ omnium aliarũ optima esset & pinguissima: propterea & prima mortuum suscepit hominem. Homines igitur qui tunc erant habuerunt pro miraculo mortui caluariam depilatam, in loco illo habitantes, inde eum nominauerunt, & post diluuiũ fama hæc à Noe in omnes diuulgata est. Vnde & Dñs ubi fons mortis, illic moritur, ut illum siccet. Crucifigunt & duos alios cum eo. Ipsi quidem per hoc infamare magis eum uolentes, quasi & ipse latro esset. Veruntamen & ipsi prophetiam in hoc inuoluntarij replerunt: nempe ꝙ cum impijs reputatus est. Vide autem & Domini sapientiam, quomodo & hoc quod faciebãt in iniuriam ipsius Domini, in gloriam eius euenit. Nam & in ipsa cruce latronẽ saluauit, quod nullo miraculo minus est, & ex hoc magis apparet Deus, ꝙ ipse solus glorificatur, quanuis & alij simul crucifixi sint. id quod nõ fuisset factum, nisi innoxius fuisset, & non (ut sic dicam) legis preuaricator, sed & supra omnem legem, & præuaricatorum iudex.

Adã in monte Caluariæ sepultus.

Esa. 53.

Scripsit autem & titulum Pilatus, & posuit super crucem. Erat autem scriptum, Iesus Nazarenus, rex Iudæorũ. Hunc ergo titulũ multi Iudæorũ legerunt, quia prope ciuitatẽ erat locus ubi crucifixus est Iesus. Et erat scriptum Hebraicè, & Græcè, & Latinè. Dicebant ergo Pilato pontifices Iudęorum, Noli scribere rex Iudæorũ, sed ꝙ ille dixerit, Rex sum Iudæorũ. Respondit Pilatus, Quod scripsi, scripsi.] Scribit & titulũ Pilatus super crucẽ, hoc est, causam & manifestationẽ & inscriptionem. Ita enim interpretamur titulum. Significabatur autem per titulum, cuius esset crux. Cæterũ scribit titulũ, partim ulciscens se de Iudæis ut sibi inobedientibus, & ostendens malitiam eorum, ꝙ insurrexerint contra propriũ regem: partim & gloriam Christi defendens. quia enim illum cum latronibus crucifixerunt coinquinare nomen uolentes, Pilatus ostendit quòd non fuerit latro, sed rex eorum: & hoc nõ una, sed tribus linguis manifestat. Verisimile enim erat multos gentiles proter festũ cõmiscuisse se Iudæis, sicut & euangelista superius docuit de quibusdã gentilibus qui uidere uolebant Iesum. Vt igitur omnes agnoscerent, omnium uocibus Iudæorũ insaniam infamauit. At illi etiã crucifixo inuidebant. Et quid dicunt? Scribe ꝙ ille dixerit. Nam nunc quidem communis sententia Iudęorũ apparet. Si autem appositum fuisset ꝙ ipse dixerit se regem, usum fuisset crimen temeritatis & arrogantiæ illius. Sed Pilatus non obtemperauit, & in priori stetit sententia. ideo dicit, Quod scripsi, scripsi. Cæterùm & aliud magnũ quiddam dispensatur: quia desossis tribus crucibus, in ista mansit, ut ne ignoraretur quæ esset crux Domini. propter hoc dispensatum est, ut sola titulũ haberet & inscriptionem, ut per signum tale cognosceretur. Latronum enim cruces titulũ non habebant. Insinuat aũt & sublimius quiddam inscriptio triplicibus literis inscripta. Manifestat enim Dominum regem esse philosophiæ practicæ, & naturalis, & theologicæ. Practica enim per Romanas scripturas figurat. Nam Romanorũ principatus maximè uirilis erit, & strenuus in rebus bellicis. per Græcas uerò, naturalis, cui uacabant Græci: ꝙ Hebraicas denicq; theologica. Nã Hebręis diuinorũ cognitio cõcredita fuit. Gloria igitur ei qui per crucẽ apparuit tale habere regnũ, & qui mundũ uicit, practicam nostrã uirtutem roborauit, scientiamq; naturæ largitus est, & ab illa nos duxit in interiora uelamenti, in suam dico scientiã & contemplationem, theologiã uidelicet.

Titulus quare scriptus.

Milites ergo cum crucifixissent Iesum, acceperũt uestimenta eius, & fecerunt quatuor partes, unicuiq; militi partẽ, & tunicam. Erat autem tunica incõsutilis, à summo contexta per totum. Dixerunt ergo inter se, Ne scindamus eam, sed sortiamur de illa

Psal. 21. cuius sit, ut scriptura impleretur dicens, Partiti sunt uestimenta sibi, & in uestem meã A
miserunt sortem.] Per illa potissimũ implentur prophetiæ, per quæ diabolus inlidi-
tur. Et uide ueritatem. Tres fuerunt crucifixi, attamen in hoc solo implentur prophe
tica dicta. Et considera prophetæ diligentiam. Non enim solum q̃ partiti fuerint, sed
etiam q̃ non partiti fuerint, dixit propheta. Igitur alia quidem distribuerunt, tunicam
autem nõ, sed sortiti sunt. Quod autem à summo fuerit contexta, nõ frustra fuit appos
tum. Et alij quidem dicunt allegoriam per hoc signari, q̃ non simpliciter homo fuerit
crucifixus, sed & deitatem supernè habuerit. Quidam uerò genus dicunt tunicæ E-
Tunica inconsutilis. uangelistam narrare. Quia enim Palæstini duos pannos cõmittendo cõtexunt uestes,
pro futura utentes contextu: manifestans Ioannes q̃ talis fuerit tunicula, dixit q̃ à sum
mo per totum fuerit contexta, hoc est, ab initio & supernè usq̃ ad infima. Manifestat
autem hinc utilitatem uestimentorum Christi. Alij autem dicunt q̃ in Palęstina conte-
xantur licia non sicut apud nos. Nam supra quidem est filum, infra autem cõtexitur
panno, & ita regressio fit, sed contrario modo. infra enim sunt fila, in summo autem
contexitur contextus. & talis quoq̃ fuit tunica Domini. Sacramentum quoq̃ & per
Luc. 1. hoc nobis insinuatur. Nam corpus Domini supernè quidem contextũ est. Spiritus
enim sanctus uenit super uirginem, & uirtus altissimi obumbrauit eam. licet enim ho
Corpus Christi indiuisibile. minis naturam susceperit, quæ infra est, & ceciderit: tamen supernè spiritus sancti gra
tia constitit & compacta est diuina caro. Igitur sanctum corpus Christi indiuisibile
est, & diuidit & cõmunicatur in quatuor partes orbis. distributus eñ singulis, & u-
niuscuiusq̃ animam sanctificans, cum corpore per suam carnem unigenitus & inte-
1. Cor. 1. ger & indiuisus in omnibus est, existens ubiq̃. Nunquã enim diuisus est, sicut & Pau
lus clamat. Quia autem ex quatuor elementis uniuersum constitutum est, intelligere
licet per uestimenta Iesu, uisibilem & propositã hanc creaturam, quam dæmones par
tiuntur quando in nobis sermonẽ Dei occidunt. Dant enim operam ut nos suam fa-
ciant partem per affectiones ad mundana: sed tunicã non possunt diuidere in his quę
sunt sermonis per quem omnia constituta sunt. Nam licet infinities decipiar à fluxis B
& transitorijs, iterum tamen agnosco ea esse transitoria, & rationem ac substantiam
prætereuntium & fallacium non ignoro.

Et milites quidem hæc fecerunt. Stabant autem iuxta crucem Iesu mater eius, & so
ror matris eius Maria uxor Cleopæ, & Maria Magdalene. Cum uidisset ergo Iesus
matrem, ac discipulum adstantem quem diligebat, dicit matri suæ, Mulier, ecce filius
tuus. Deinde dicit discipulo, Ecce mater tua. Et ex illa hora accepit eam discipulus in
sua.] Milites quidem faciebant pro sua insipientia. Ipse autem matris curam habet do
cens nos usq̃ ad extremum spiritũ omnem habere debere curam eorum qui nos ge-
Parentibus obediendũ modò nõ obsistant pietati. nuerũt. Et uide quomodo cum essent & alię mulieres, solius matris curam agat. Nam
oportet quidem parentibus ad pietatem obsistentibus non parêre, non obsistentibus
autem omni cura seruire: sicut & ipse cum migraret è uita, q̃ uerisimile erat matrẽ do-
lere, & præsidiũ requirere, concredidit discipulo præfecturam eius. Occultat autem
proprium nomen Euangelista, modestiæ gratia. Nam si uoluisset arrogans esse, cau-
sam etiam apposuisset propter quam fuisset dilectus. Etenim uerisimile erat magnam
quandam istam esse & mirabilem. Iam papæ quomodo honorat discipulũ, fratrẽ suũ
illum faciens? Vsqueadeò bonum est manere apud patientem Christũ. nam in fra-
ternitatem illius ducit. Admirare autem quomodo in cruce omnia absq̃ turbatione
facit, matris curam agens, prophetias implens, latroni paradisum aperiens, ante crucẽ
autem laborans, sudans, anxius: atq̃ hæc quidem humanæ naturæ, illa autem diuinæ
Marcion. uirtutis. Confundatur Marcion, & omnes alij qui Christum nugantur in mundo ap-
paruisse iuxta apparentiam tantum. Nam natus non fuisset, neq̃ matrem habuisset.
Quomodo aũt soror matris eius diceretẽ Maria Cleopæ, cũ Ioachim nõ habuerit aliã
prolem? Cleopas frater fuit Ioseph, & cum absq̃ liberis esset mortuus Cleopas (ut qui-
dam dicunt) Ioseph eius uxorem duxit, & proles fratri peperit, quarum una & nunc
Scriptura cognatos dicit fratres. commemoratur Maria, quæ soror dicitur Deiparæ, hoc est cognata. Solet enim scri-
ptura cognatos dicere fratres, sicut & Isaac de Rebecca dicebat. Soror mea est, q̃us
uxor esset. Ita & hoc loco soror Deiparæ dicitur, quæ Cleopæ filia habita est, propter
cognationem. Itaq̃ quatuor Mariæ celebrantur in Euangelijs, Prima deipara, quam

& Iacob

A & Iacob & Ioſe matrem nominat. Illi enim pueri fuerunt Ioſeph, ex priori uxore ei nati, fortaſſe uxore Cleopę. Dicitur autem deipara mater eorum, quia nouerca, uxor enim habebatur Ioſeph. Secunda Maria Magdalene, è qua eiecit ſeptem dæmonia Ieſus. Tertia Cleopæ, & quarta Lazari ſoror. Aſſumpſit igitur diſcipulus Mariam in ſua: nam puro pura eſt commiſſa. Vide autem quomodo muliebris ſexus permanet in aduersitatibus, & uiri omnes dereliquerunt Dominum. Ita ergo uenit corroborans quod infirmum erat, & aſſumens quod nihili habitum.

Quatuor Mariæ. Luc. 8. Ioan. 11. Muliebris conſtantia, ac fides.

Poſtea ſciens Ieſus ꝙ omnia cõſummata iam eſſent, ut conſummaretur ſcriptura, dicit, Sitio. Vas igitur erat poſitum aceto plenũ. Illi uerò impleuerunt ſpongiã aceto, & hyſſopo impoſitã, admouerunt ori eius. Cum ergo accepiſſet Ieſus acetũ, dixit, Conſummatũ eſt. Et inclinato capite tradidit ſpiritũ.] Cum uidiſſet, inquit, Ieſus ꝙ omnia conſummata eſſent, hoc eſt nihil intermiſiſſet quod ſuæ diſpenſationis erat, ita enim mors eius libera erat. Non enim prius mors corpus eius inuaſit, q̃ ipſe uoluit. Voluit autem, cum cõpleſſet omnia, propterea & dicebat, Poteſtatẽ habeo ponendi animã meam. Dicit itaq; ſitio: pphetiam hoc loco implens. At illi impietatẽ ac malitiã ſuorũ morum declarantes, aceto eum porant, id quod condẽnatis faciebant: quia hyſſopum propter hoc aderat, ut lethale. Quidam autem hyſſopum dicunt calamũ, talis eſt enim ſummitas calami. Circũponunt igitur calamo ſpongiã, eo ꝙ in ſublimi erat os Ieſu, et ita prophetia impleta eſt: Et in ſiti mea potauerunt me aceto, dicens, Potatus itaq; dixit, Conſummatũ eſt. Hæc ſcilicet prophetia cum aliis impleta eſt, nihil ſupereſt, omnia conſummata ſunt. Abſq; turbatione autem operatur, & cum poteſtate omnia, quod declarant ſequentia. Poſtquam enim conſummata fuiſſent omnia, inclinato capite (neq; enim ipſum affixum erat) emiſit ſpiritum, hoc eſt, expirauit, quamuis in nobis contrarium fiat. Primùm enim expiramus, & deinde inclinamus caput. Ille autem prius inclinauit, deinde expirauit. Ex quibus omnibus manifeſtatur quòd ipſe fuerit Dominus mortis, & omnia ſecundum poteſtatem fecerit.

Ioan. 10. Pſalm. 68.

B Iudæi ergo, quoniam paraſceue erat, ut non remanerent in cruce corpora ſabbato (erat enim magnus dies ille ſabbati) rogauerunt Pilatum ut frangerentur eorum crura, ac tollerentur. Venerunt ergo milites, & primi quidem fregerunt crura, & alterius qui crucifixus eſt cum eo. Ad Ieſum autem cum ueniſſent, ut uiderunt eum iam mortuũ, non fregerũt eius crura, ſed unus militum lancea latus eius fodit, & continuò exiuit ſanguis & aqua.] Tradidit quidẽ ſpiritũ Dominus Deo & patri, oſtendẽs ꝙ poſthac animę iuſtorum in monumentis nõ uerſanť, currunt aũt in manus patris omniũ: ſed peccatorum animæ in locum ſupplicij detractæ, hoc eſt, in infernũ depellenť. At illi camelum deglutientes, & culicẽ excolantes, tali patrato facinore de die obſeruando diligenter cogitant. Dicit enim, Vt ne maneant in cruce corpora, rogauerunt Pilatum, hoc eſt, obſecrauerunt, ut tollantur. Quare aũt cõfringi crura eorũ petunt? ut ſi etiam ſuperuiuerent, inutiles eſſent. Latrones enim fuerant. Nolebant igiť in die feſto uideri punitores & homicidæ. Et aliter, Etiam lex ita præcipiebat, ne ſol occumberet in ſupplicio hominis. Vide aũt quomodo per ea quæ ſtruunt Iudæi, pphetiæ impleantur. Sic ergo & in hoc loco duæ prophetię implenť, ut poſtea Euangeliſta dicit. Etenim oſſa Ieſu non confringunt quidem, pungunt tamen eum, gratificãtes Iudęis, & ſanguis & aqua egrediť. Et hoc quidẽ admirandũ. Nam illi quidẽ etiã mortuũ corpus cõtumelia afficere conantur: at cõtumelia illis in miraculum uertitur. Et ſanguinem quidem ex mortuo corpore prodiſſe admirabile eſt, uerũtamen poſſet quis ſycophantarũ dicere ꝙ ueriſimile ſit uitalẽ quandã uirtutẽ adhuc fuiſſe in corpore. Aqua autem egreſſa, omnem controuerſiam miraculo tollit. Non ſimpliciter autem hæc fiunt, ſed quia * eccleſia, per duo iſta & fit & conſiſtit. Nam per aquam quidem generamur, per ſanguinem autem & corpus paſcimur. Cum igitur accedis ad calicem cõmunionis ſanguinis Chriſti, ita affectus ſis quaſi ex ipſo latere bibas. Conſidera autem, quomodo per ſaucium latus, uulnus lateris, hoc eſt Heuæ ſanatur: & ſicut in paradiſo ubi Adam obdormiuit, ablata eſt ab eo coſta, ita hoc loco cum Dominus obdormiuiſſet * coſtam militi dedit. Rhomphæa autem militis, figura eſt rhomphęę uerſatilis quæ prohibet nos à paradiſo. & quia omne quod uerſatur, niſi quid obſiſtat nõ abſiſtit à ſuo curſu, Dominus oſtendens ꝙ rhomphæam illam ſiſtat, ſupponit in figura latus

Apparitiones animarum falſæ.

** eccleſiæ uita. Aqua & ſanguis de latere Chriſti manantia quid ſignent. Gen. 3. * latus*

ra latus frameæ mílitis, oſtendens nobis quod ſicut framea mílitis appulſa lateri ſtetit, A
ita & flammea ſtabit, & non ultrà interminetur, & uerſione ſua exterreat, prohibẽdo
Armenij negãtes aquã è latere Christi fluxisse cõfutãtur. ingreſſum in paradiſum. Cõfundantur Armenij, qui nõ admiſcent in myſterijs aquã uino. Non enim credunt (ut uidetur) quòd aqua ex latere egreſſa ſit, quod admirabilius, ſed ſanguis tantum. Et hoc loco deſtruunt magis miraculum. Itaq; ſanguis ſymbolum hominis crucifixi: aqua uerò, quòd is ſit ſuper hominem, hoc eſt Deus.

Et qui uidit, teſtimonium perhibuit, & uerum eſt teſtimonium eius, & ille ſcit q̃ uera dicit, ut et uos credatis. Facta ſunt enim hæc ut ſcriptura impleretur, Os nõ comminuetis ex eo. Et rurſus alia ſcriptura dicit, Videbunt in quem pupugerunt.]Non ab alijs (inquit) audiui, ſed ipſe præſens uidi, & uerum eſt teſtimonium. Meritò. Iniuriã enim enarrat factam, & non magnum uel honorificũ aliquid, ut ſuſpectus ſit ſermo, ſed propter hoc (inquit) hæc diligenter enarro, & ea quæ ignominioſa uidentur, in medium affero, ut & uos credatis, tanquam omnino ueris, & non ad gratiã fictis. Nam qui ad gratiam loquitur, glorioſa magis ponit. Quia autem & Moſes dignior fide ſe
Exod. 12. Num. 9. uidebat, adducit & hunc teſtẽ. Quod eñ ille dixit de agno qui immolabat in paſcha,
Zach. 12. q̃ os nõ confringet, hoc inquit euangeliſta in Chriſto impletũ eſſe: agnus eñ ille huius erat figura. Et multa eſt cognatio figuræ ad ueritatẽ. Implet autẽ & alia prophetia quæ dicit, Videbunt in quem pupugerunt. Quãdo eñ uenturus eſt iudicare, tunc uidebunt eum in corpore meliore & diuiniore, & cognoſcẽt hi qui pupugerunt, acclugebunt. Inſuper & his qui nõ crediturí erãt, fidei ianua & indicium fuit id q̃d ab inimicis eſt attentatũ, ut Thomæ. Nam per latus fidem reſurrectionis accepit. Os quidẽ Ieſu non conterit, latus aũt eius ſcaturit nobis fontes, eſſentiam & uitã nobis dantes. Aqua quidẽ eſſentiã dedit, quia per eam peruenimus ad hoc ut Chriſtiani ſimus: ſanguis aũt uitam: per ipſum enim paſcimur. Nam agnus quidẽ uerbũ eſt Dei, qui à capite uſq; ad pedes comedendus eſt. Caput quidẽ ſymbolũ eſt deitatis (ipſa eñ eſt caput) pedes aũt carnis. ipſa enim extrema eſt. Inſuper & inteſtina eius myſteria & occulta
B reuerenter in cibum habentes, oſſa non cõfringimus, hoc eſt, difficiliores & grauiores ſenſus. Quæ enim non poſſumus intelligere, ea non conteremus: hoc eſt, non dabimus operã ut malè & periculoſe intelligamus. Etenim quando ſanè ſentimus, tunc non conterimus. ſana enim ſeruamus diuina. Quando autem torſerimus, & hæreticum ſenſum acceperimus, cõterimus & confringimus ſolidum & difficilem ſenſum. Igitur hæc difficilia intellectui, igni tradenda ſunt, hoc eſt, ſpiritui ſancto, per quẽ efficiuntur & terminantur, eo quòd omnia ſcrutatur etiam profunda Dei.

Poſthæc aũt rogauit Pilatum Ioſeph Arimathienſis, qui erat diſcipulus Ieſu, ſed occultus propter metum Iudæorum, ut tolleret corpus Ieſu: idq; permiſit Pilatus. Venit
Ioan. 3. ergo & tulit corpus Ieſu. Venit aũt & Nicodemus, qui uenerat ad Ieſum nocte primùm ferens mixturã myrrhæ & aloes ad libras fermè centũ. Acceperũt ergo corpus Ieſu, & obuinxerunt illud línteis cum aromatibus, ſicut mos eſt Iudæis ſepelire. Erat autẽ in loco ubi crucifixus eſt, hortus, & in horto monumentũ nouũ, in quo nõdum quiſquã poſitus erat. Ibi ergo propter paraſceuẽ Iudæorũ, q̃ in propinquo eſſet monumentũ, poſuerũt Ieſum.]Quare nõ unus ex duodecim acceſsit ad Pilatum, ſed Ioſeph, qui fortè ex ſeptuaginta erat, audet hoc? Nam ſi propter metũ Iudæorũ dixerit quis delituiſſe diſcipulos, & hic eodẽ correptus fuerat timore. Dicendũ igiť q̃ hic ualde nobilis fuerit, & Pilato notus, quia nobilis erat. Vnde cum exiſtimaſſet extinctam eſſe Iudæorũ iram eo q̃ aduerſarius illis crucifixus nunc eſſet, abſq; pauore accedit, & ſumptuoſam facit ſepulturã cũ Nicodemo. Nihil diuinũ de illo uteroq; ſentiebãt, ſed affecti erant ut erga purũ hominẽ: quia talia afferebant aromata, quæ potiſsimũ poſſent corpora diuturna cõſeruare, & cohibere ne ſtatim corrũperentur: quod oſtẽdit eos adhuc nihil magnũ de eo cogitaſſe, uerũtamen amorẽ ſuum declarant. Nõ enim ſepeliunt ut condemnatũ, ſed ſumptuoſe, ut mos eſt Iudæis. Quoniam aũt tempore impediebantur, ſiquidem hora nona facta erat mors: deinde cum in medio tempore acceſsiſſent ad Pilatũ, ueriſimile erat ueſperam ingruiſſe, cum non licebat extruere mo-
Monumentum in propinquo, & nouum. numentũ, ponunt eũ in uicinũ monumentũ. Erat eñ in loco ubi crucifixus eſt, hortus, & in horto monumentũ nouũ. Singulari autẽ diſpenſatione factũ eſt ut in q̃ pinquo eſſet monumentum, ut diſcipuli poſſent adeſſe, & ſpectatores ac teſtes factorum

fieri,

A sseri, & milites mitti possent ad custodiam, & ut cessaret etiam propter locum, furti su
spicio: quæ omnia non contigissent, si procul fuisset sepultus. Nouum autem erat se-
pulcrum, in quo nullus adhuc erat positus: ut nō calumnietur quis resurrectionem, q̄
alius resurrexerit, & nō Iesus. Et aliter quoq; nouum monumentū symbolo quodam
manifestat futurā nouitatem per sepulturam Domini contra mortem & corruptionē,
& q̄ innouandi simus omnes in illo. Vide autem & diuitias paupertatis Domini pro
pter nos. Qui enim non habuit domum in uita, neq; post mortem sepulchrum habet,
sed in alieno deponitur: & cum nudus esset, à Ioseph uestitur. Est & nunc Iesus mor-
tuus, cum occiditur ab auaris & uiolētis, uel à fame hoc patitur. sed & nudus est. quę-
cunq; enim pauper patitur, Christus patitur. Imitare & tu Ioseph, adde aliquid bono. *Christus mortuus & nudus in pauperib.*
Ioseph enim interpretatur additio. & nuditatem rege Christi, hoc est pauperis. Hoc
autem fac non semel, & in monumento pone animæ, & semper memor esto talium
operum, cogitaq; & cura. Admisce autem & myrrham & aloen. Amara & mordacia
seculi illius iudicia animo reponere oportet, & uocem illam quæ maledictos auocat,
& in ignem mittit immisericordes, quo nihil amarius puto.

CAPVT XX.

VNa uerò sabbatorū Magdalene uenit mane cum adhuc tenebræ essent, ad mo- *Matt. 28. Marc. 15. Luc. 24.*
numentum, uideq; lapidem sublatum à monumento. Currit ergo & uenit ad
Simonem Petrum, & ad alterum illum discipulum quem amabat Iesus, & dicit illis:
Sustulerunt Dominum à monumento, & nescimus ubi posuerunt eum. Exijt ergo
Petrus, & ille alius discipulus, & uenerunt ad monumentū. Currebāt aūt duo simul,
& ille alius discipulus præcurrit citius Petro, uenitq; prior ad monumentū.] Vnā sab-
batorum nomiāt quam nos Dominicā uocamus. Nam sabbata, dies hebdomadæ no *Sabbata iudæi dies hebdomadæ appellant.*
minant: unam autem dierum sabbati, primam. Etenim reuera dies omnes una sunt:
sæpe autem cum accipitur una, & componitur, multas facit. Vna itaq; est prima: bis
aūt si accipiatur, fit secunda: & si tertiò, tertia: & deinceps. Futuri autem seculi typus
B est dies iste, q̄ seculum unus dies est, nunquam nocte dissectus & dimidiatus. Deus
enim sol est eius, qui nunquam óccidit. Igitur quemadmodum in hoc resurrexit Do-
minus, corruptibile suum corpus incorruptibile recipiens: ita & nos in futuro seculo
incorruptionem recipiemus. Venit igitur in hac una hoc est prima sabbatorū, hoc est
dierum sabbati & hebdomadæ, Maria Magdalene. nam sabbatum quidem præterie
rat, & non ultrà à lege prohibebatur: & abit à loco, uolens consolationem quandam
inuenire: & cum uidisset lapidem sublatum, magna festinatione uenit ad Petrum &
Ioānem. Nam Dominus quidē surrexerat lapide suprapositō, & obsignato sepulcro.
Quia aūt & testes quosdā resurrectionis esse oportebat, & in sepulchrū ingredi, tollit̄
lapis ab angelo. Maria autem nihil abhuc de resurrectione sciēs, furtum & translatio-
nem uocat quod contigerat de eo. Et discipuli assistunt monumento, & uident lintea
sola posita, id quod ueræ signū erat resurrectionis. Neq; enim si transtulissent quidā
corpus, nudassent illud: neq; si furati essent, curam habuissent deponēdi sudariū, inuol
uendi, & ponendi seorsim in unum locum, sed simpliciter sicut potuissent accepis-
sent corpus. Propter hoc etiam Euangelista prius dixit q̄ cum multa myrrha sepultū
fuerit, quæ non minus bitumine lintea corpori adhærere facit: ut cum audierimus q̄
sudaria seorsim illic fuerint posita, ne credamus dicentibus q̄ furtim sit ablatus. neq;
enim ita insipiens fuisset fur, quòd in rem superuacuam tantam insumpsisset curam et
tempus, & non fuisset suspicatus, q̄ dum in his esset occupatus, fortasse in furto depre
henderetur. Igitur qua hora quidem fuerit resurrectio, nullus scit, sicut & tempus se-
cundi aduentus incertū. Quanuis autem Matthæus dicat profundo uespere factum *Hora resurrectionis incerta.*
esse terræmotū, Ioannes autem mane cum essent adhuc tenebræ, Mariam uenisse, &
uidisse remotum lapidem: non est diuersitas. Nam primùm quidē hoc dicimus, quod
apud Matthæum quidem mulieres uenerunt uespere sabbatorum: apud Ioannem
autem non mulieres nunc memorantur. Superfluū enim fuisset, cum Matthæus hoc
prius dixisset, ut Ioannes eadē diceret. Sed Maria Magdalene uenit mane. Multi eñ
fuerūt aduentus ad sepulchrū. Venit eñ interdū cum alijs mulierib. interdū aūt sola.
Vnde Euangelistæ uarias uisitationes posuerunt, aliusq; aliam dicentes uident̄ disso-
nare. Nam primùm quidē dicimus quòd aliam uisitationē dicat Matthæus mulierū,
& aliam

& aliam Ioannes Mariæ Magdalenes. Deinde, profundo uespere, & manè cum adhuc essent tenebræ, id quod alius dicit, profundo diluculo, in idem tendunt: quia omnia illa tempora fuerunt medium noctis. Si autem rogas quomodo absidentibus custodibus Ioannes & Petrus accesserint ad sepulchrum, & mulieres? Vt simpliciter dicam, mox ut resurrexisset Dominus, & adstitisset angelus sepulchro cum terræmotu, custodes fuerunt ut nunciarent Pharisæis, & ita sepulchro à custodum præsidio relicto, libertatem accedendi habuerunt discipuli.

Et cum se inclinasset, uidit posita linteamina, non tamen intrauit. Venit ergo Simõ Petrus sequens eum, & introiuit in monumentũ. Et uidit linteamina posita, & sudarium quod fuerat super caput eius, nõ cum linteaminibus positum, sed separatim involutum in unum locum. Tũc ergo introiuit & ille alius discipulus qui uenerat prior ad monumentum: uiditq; & credidit. Nondum enim nouerant scripturam, q̃ oportuisset eum à mortuis resurgere. Abierunt ergo rursus discipuli ad semetipsos. Maria autem stabat ad monumentum foris, plorans. Dum ergo fleret, inclinauit se in monumentum, & uidet duos angelos amictos albis, sedentes unum ad caput, & alterum ad pedes illic ubi posuerant corpus Iesu. Dicunt ei illi, Mulier quid ploras? Dicit eis, Sustulerũt Dominum meum, & nescio ubi posuerunt eum. Vide hic quàm alienus à fastu sit Euangelista, quomodo testetur diligentiam Petri in scrutando. Nam cum ipse præuenisset, & uidisset iacentia lintea, non ultrà curiosè quærit, sed expectat illũ. Petrus autem feruentissimus, introgressus omnia diligenter explorauit, tunc hic post illum ingressus uidit sepulchralia separatim posita, ac credidit: non quòd surrexisset Dominus, sed quòd furto ablatus esset. Credidit enim Mariæ dicenti, Sustulerunt Dominum. Quare autem credidit Mariæ, & nõ cogitauit q̃ surrexisset? Nõdum enim sciuerunt scripturam, q̃ oportebat eum à mortuis resurgere, & propterea crediderũt Mariæ, suspicanturq; furtum & ablationem. Igitur hi quidem abierunt ad seipsos, hoc est, per se ipsos, & nihil ultrà curiosius inquirentes. At Maria (muliebre enim genus affectionibus magis obnoxium, & ad lachrymas propensum) ante sepulchrum stat, et plorat. Quia enim non habebat Iesum uel locum uidens in quo fuerat positum desiderabile corpus, ex hoc solo consolationem inuenit: unde & maiorem meretur uisionem q̃ discipuli. Quæ enim illi non uiderunt, ea hęc conspicata est, duos angelos inquam. Maximę consolationi ei erant angelorum conspectus, & fulgidus illorum habitus. Sedere autem unum ad caput, & alterum ad pedes: manifestant q̃ sciant quid amplius, & si rogentur, posse docere. Porrò dicendo, Cur ploras? magna compassione plenum est. Nam ut ne turbetur mulier interrogatione hac, perturbationẽ mulieris reprimunt, mansuetè ac placidè dicendo, Mulier quid ploras? Illa autem magna affectione & amore dicit, Sustulerunt Dominum, propterea q̃ ploro: nescio enim quò transtulerint eum, ut eò uadens inungam corpus, & uel mediocrem ex eo consolationem inueniam. Tu uerò disce hic Petrum practicum & feruidum, Ioannem autẽ cõtemplatiuum, & ad diuinorum cognitionem idoneum. Sæpius igitur contemplatiuus cognitione & ingenio præuenit, practicus autem posterior est, attamen feruore ac studio illius uincit alacritatem. Et uidet prior diuinum quoddam mysterium practicus. An nõ tale quiddã cõtingit in disciplinis? Etenim cũ duo pueri sunt, unus ingenio acutior, alter tardior, præoccupat hic suo studio uelocitatem naturæ alterius. Etenim in spiritualibus sæpe practicus, & sermone idiota, sensu quiddam sublimius percipit contemplatiuo. Sed & omnis anima quæ dominatur affectionibus, Maria dicitur. Purgata igitur per affectionum depositionem, uidet Iesum simul Deum & hominem. Nam angelorum unus qui ad caput sedet, deitatis symbolum est, alter autem ad pedes, incarnationis uerbi, quæ est extrema.

Mulierum conditio.

Petrus practicus. Ioannes cõtẽplatiuus.

Hæc cum dixisset, conuersa est retrorsum, & uidet Iesum stantem, & nesciebat q̃ Iesus esset. Dicit ei Iesus, Mulier quid ploras? Quem quæris? Illa existimans q̃ hortulanus esset, dicit ei, Domine, si tu asportasti eũ, dicito mihi ubi posueris eum, & ego tollam eũ. Dicit ei Iesus, Maria. Cõuersa illa dicit ei, Rabboni, quod dicitur magister. Dicit ei Iesus, Noli me tangere. Nondum enim ascendi ad patrem meum. Sed uade ad fratres meos, & dic eis, Ascendo ad patrem meum, & patrem uestrum: & Deum meum, & Deum uestrũ. Venit Maria Magdalene, annuncians discipulis q̃ uidisset Dominum,

minum, & ea dixisset sibi.] Quare conuersa est retrorsum Maria, quum loqueretur cum angelis: quid accidit ei quòd conuersa est retrorsum? uidetur igitur, dum illa colloqueretur cum angelis, Iesus stetisse post eam, & illos territos quia spectauerant Dominum, & habitu, & forma, & aspectu, statim declarasse quòd uiderint Dominum: quumque hoc uidisset, mulierem conuersam esse retrorsum. Nam angelis quidem in habitu quo terrebat, apparuit: Mariæ autem non item, sed in simplici & cõmuni. Ideo & illum putauit esse hortulanum, horti uidelicet illius in quo sepulchrum erat: unde & dicit, Domine, si asportasti eum: hoc est, si tu furatus es: & non dicit Iesum, sed eum quasi ad eum qui sciret, faciens sermonem. Si igitur tu portasti & abstulisti ac furatus es eum ex hoc loco, dic mihi quò posuisti eum: & ego illum tollam, & transferam in locum alium, ubi magnificè sepelietur. Fortasis enim metuebat ne fortè Iudæi & in mortuum corpus desæuirent: et propterea uolebat in alium incognitum locum eum transferre. Plena enim affectionum erat mens mulieris, non ualens sublime quiddam cogitare, ideo & Dominus, quia à seipsa sublime quiddam intelligere nequibat, sua uoce se illi notum reddit. Quum enim solo nomine uocasset eam, dicens, Maria: sui notitiam illi concesit. Nam sicut Iudæis aliquando innotescebat, aliquando etiam præsens incognitus erat: ita etiam loquens quando uoluit seipsum illis notum faciebat, sicut & nunc quando uoluit, cognoscibilem se fecit Mariæ per uocem: qui etiam si loquutus dixisset, Mulier cur ploras? non agnouisset eum mulier, non enim uolebat Iesus. At quãdo uoluit, tunc per uocẽ agnitus fuit. Cõuersa mulier, dicit ei. Quid hoc? cum ipso collocuta est & dicebat, Dic mihi quò posuisti eum? & nũc Euãgelista dicit quòd conuersa. Videtur itaq; quod postquã ipsa dixit, quò posuisti eum? conuersam esse ad angelos, interrogaturã forsitan quare expauefacti fuissent, deinde uocatam à Christo, perculsam per uocem, & conuersam ad illum ab istis, & ita agnouisse, ac dixisse, Rabboni: & uoluisse quidem accedere ad eum, & esse cum eo sicut prius, & fortasis ut desiderabilem † unguento perfundere. At ille euexit eius mentem, ut melius quiddam de se sentiret, maiorique reuerentia se obseruaret, dicens, Ne tetigeris me: hoc est, non ultrà res se habent ut olim, neq; similiter uobiscum conuersari uolo. Nam quanuis nec uerbis hoc dixerit, sic tamen intelligitur. Ascendo enim ad patrem meum, & illuc festino. Illuc enim festinanti, & non iam tale habenti corpus, quale dum conuersaretur cum hominibus, maiori iam reuerentia operæpretium fuerit attendere, & ut præstantiori quàm communis tactus & colloquium & conuersatio ferat. Vide autem quantam sententiam breuiter loquutus fuerit Euangelista. Dixit enim, ne me tangas. Deinde quasi interrogasset quispiam, Quare? inquit, eo quòd non iam tale mihi corpus est, quale quum in terra uersarer, sed quale in cœlo & sursum. Et deinde quasi iterum subinferret: Quare igitur nunc in terra ambulas, si tale habes corpus? Nondum enim, inquit, ascendi ad patrem meum, ascensurus autem sum. Hoc enim per sequentia manifestat, dicens: Vade autem ad fratres meos, & dic eis, Ascendo ad patrem meum, & patrem uestrum: quanuis non statim ascenderit, sed post quadraginta dies. Quomodo igitur hoc dicit? Mentem eius erigere uolebat, & persuadere quòd in cœlos iret, & per hoc solatium caperet. Quia autem dixerat, fratres: subdit, Et patrem uestrum. Pater enim & noster Deus, sed gratia, Domini autem pater natura. Sic Deus quoque modo diuerso, noster enim natura, Christi autem iuxta humanitatem. Deus enim eius fuit secundum quod humanam assumpsit naturam. Abit igitur Maria, quum ei Dominus ita loqui dignatus esset, & annunciat ea discipulis. Tantum bonum est perseuerantia & assiduitas. Assiduus igitur & tu sis, & disces forsan quiddam, & discipulorum uerbi futurus es doctor.

Maria quare cõuersa retrorsũ.

† amplexari

Deus pater noster, & Christi

Quum ergo esset uespera die illo, qui erat unus sabbatorum, & fores essent clausæ ubi erant discipuli congregati propter metum Iudæorum, uenit Iesus, stetitque in medio, & dicit eis, Pax uobis. Et quum hoc dixisset, ostendit eis manus ac latus suum. Gauisi sunt ergo discipuli uiso Domino. Dixit ergo eis iterum, Pax uobis. Sicut misit me pater, ita & ego mitto uos. Hæc cum dixisset, flauit in eos, & dicit, Accipite spiritum sanctum: quoruncunq; remiseritis peccata, remittuntur eis: quoruncunq; reti-

nueritis, retenta sunt.] Postquam Maria annunciauit hæc discipulis, uerisimile erat uel illos non credidisse ei: uel si crediderunt, doluisse quòd ipsi non fuerint habiti digni ut eum uiderent: idcirco illo die ei assistit sitientibus, propterea quòd à muliere audiuerant eum resurrexisse. Quia autem timebant Iudæos, ideo magis uidere desiderabant, ut inde esset eis aliquanta consolatio. Assistit igitur uesperi. Expectauit enim donec omnes congregarentur. Clausæ autem erant fores, ut ostendat quòd ita surrexit supraposito lapide super sepulchrum. Quomodo autem non putauerint illum phantasma, admirabitur quispiã. Mulier prius magna eos fide firmarat, & aliter, mansuetam eis faciem exhibuit, et uoce fluctuabundas eorum mentes placauit. Cum autem dixisset, Pax uobis, hoc est, ne turbemini: memores eos fecit uerbi quod ante crucem dixerat eis, Pacem meam do uobis. Gauisi autem sunt uiso Domino. Et hoc quoque prædixerat eis ante crucem, dicens, Videbo uos, & gaudebit cor uestrum.

Ioan. 14. 16 Quia autem cum Iudæis absque inducijs gerebant bellum, iterum dicit, Pax. Sicut enim mulieribus dixit, Gaudete, eo quòd in luctu erant: ita illis pacem dat propter bellum quod cum Iudæis habebant, & habituri erant. Congruè igitur illis gaudium, ut mœrentibus, & maledictis olim ut in tristitia pariant: uiris autem pacem dicit propter pericula prædicationis. Interim & crucis bona declarat, quę pacis sunt, Ideo quia per crucem pax facta, mitto uos ad prædicationem. Consolans autem eos & animans inquit, Sicut misit me pater, ita & ego mitto uos. Meum opus, inquit, suscipite, & confidite quòd uobiscum sim futurus. Vide autem & authoritatem. non dixit obsecrabo patrem meum, & mittet uos: sed, mitto uos. Insufflat autem, & dat eis spiritum sanctum, non perfectum donum † patris nunc eis tribuens (hoc enim in Pentecoste daturus erat) sed ad susceptionem spiritus idoneos eos reddens. Accipite, inquit, spiritus sanctum: hoc est, estote idonei ad suscipiendum spiritum. Dicendum autem quòd & potestatem quandam & donum spirituale dedit eis, non ut mortuos suscitent, & uirtutes faciant, sed ut remittant peccata. ideo & subdit, Quorum remiseritis peccata: ostendens quòd genus spiritualium donorum eis dederit, remissionem uidelicet peccatorum. Post assumptionem autem misso spiritu, & signorum & aliorum charismatum uirtutem eis largitus est. Digna autem quæstio, Quare non in Galilæa discipulis apparet, sed in Hierusalem, quum Marcus & Matthæus dicant promisisse

Matt. 26. Marc. 14. eum illis se uidendum in Galilæa? Quomodo ergo in Hierusalem apparet? Dicunt igitur quidam, Quid hoc? Non enim dixit, in Galilæa duntaxat uidebo uos, in Hierusalem autem non uidebo: & ita amplius apparet, & non mendacium. Deinde enim uidendum se in Galilæa ab omnibus discipulis, & non à duodecim tantum, sed & à septuaginta promittit. In Hierusalem autem solis duodecim uisus fuit. Nec est ulla hic diuersitas. Visus enim est ab omnibus in Galilæa, à duodecim autem in Hierusalem. nam plures uisiones fuerunt: unde alij has, alij illas scripserunt. Fortasis autem de eadem materia tradentibus duobus Euangelistis, implet quæ à priore dicta sunt, posterior. Vide insuper sacerdotum dignitatem, quòd diuina sit. Dei enim est remittere peccata. Sic igitur illi honorãdi sunt ut Deus. nam quanuis indigni sint, quid hoc? Diuinorum donorum ministri sunt, & gratia operatur per eos, sicut & per asinam Balaam loquutus est. non enim indignitas nostra gratiam prohibet: atq; ita quia per sacerdotes gratia suppeditatur, honorandi sunt.

Sacerdotũ dignitas. Num. 22

Thomas autem unus ex duodecim, qui dicitur Didymus, non erat cum eis quando uenit Iesus. Dixerunt ergo ei alij discipuli, Vidimus Dominum. Ille autem dixit eis, Nisi uidero in manibus eius uestigium clauorum, & misero digitũ meum in uestigium clauorum, & misero manum meam in latus eius, non credam. Et post dies octo iterum erant discipuli eius intus, & Thomas cum eis. uenit ergo Iesus ianuis clausis, & stetit in medio illorum, & dixit, pax uobis. Deinde dicit Thomæ, Infer digitum tuum huc, & uide manus meas, & admoue manum tuam, & immitte in latus meum, & noli esse incredulus, sed credens. Respondit Thomas, & dixit, Dominus meus, & Deus meus. Dixit ei Iesus, Quia uidisti me Thoma, credidisti: beati qui non uiderunt, & crediderunt.] Non erat Thomas cum discipulis. uerisimile enim illum ex dispersione nondum fuisse cõgregatum. Quid autem est quod dicitur Didymus? Interpretatio

* spiritus sancti

A pretatio est nominis Thomas. Quemadmodum enim Cephas interpretamur Petrum, sic & Thomas dicitur. hoc est, si interpreteris, sonat Didymus. Meritò autem meminit interpretationis eius nominis, ut ostendat nobis quòd dubitator quidam sit, & id uitij à principio habuerit, ut & nomen indicat. Dicentibus autem alijs discipulis de Domino, non credit: non illos mendaces existimans, sed resurrectionem impossibilem putans. ideo & arguitur, ut supra modum curiosus. Nam quemadmodum facile credere, leuitatis est: ita ualde obluctari, rusticitatis est crassitudo. Vide enim quomodo neque oculis dicebat se credere, sed &, nisi misero manum meam, addidit. Vnde autem sciebat latus habuisse †locas? Audierat à discipulis. Quare non statim apparet ei, sed post dies octo? ut quum edoceretur à condiscipulis, & his qui ea audierant, in maius desiderium accenderetur, & fidelior in futurum fieret. Ostendere aũt uolens Dominus ꝙ & tunc aderat quando incredulitatis uerba cum discipulis tractarit Thomas, non expectauit ut ab eo tale quiddam audiret, sed ipse prior, quæ desiderabat, implet. Etenim uerbis ijsdem usus est. Et uide quomodo loquatur primùm increpans, Affer manum tuam: & dein admonens, Ne sis, inquit, incredulus, sed credulus. Vides manifestam ex infidelitate fuisse dubitationem, & frustra quosdam gratificari Thomæ, dicentes quòd data opera & prudenter non facile crediderit? Nam Dominus incredulum uocat. Vide autem quomodo is qui prius incredulus, tactu lateris uerbum optimum indicauit. Duas enim naturas & unam hypostasin unius Christi docuit. Dicendo enim Dominum, humanam indicat naturam: nam de hominibus dicitur Dominus, sicut, Domine, si tu sustulisti eum. Dicendo autem, Deus meus, diuinam substantiam ostendit: & ita unum & eundem esse Dominum & Deum. At Dominus ostendens nobis quòd fidei sit recipere ea quæ non uidentur, dicit, Beati qui non uiderunt, & crediderunt. Hoc loco discipulos intelligens, qui neq; fixuram clauorum, neq; latus tetigerant, & crediderunt. Non illos autem solum, sed & eos qui postea crediderunt. Non priuans autem Thomam beatitudine, hoc dixit, sed consolans eos qui non uiderant. Quia enim multi dicunt, Beati oculi qui uiderunt Dominum, solatur eos quòd multo beatius sit cum non uideris, credidisse. Quomodo autem corpus incorruptibile monstratum est habere & clauorum typos, & humana manu tangibile factum est? Per attemperationem ad illorum infirmitatem facta sunt hæc omnia, quòd ingressum clausis ianuis, & ita tenue ac leue, omniq; liberum fuit crassitudine. Et ut credatur firmius resurrectio, hæc monstrantur. Et propterea surgit habens signa crucis & uulnera: quia & quòd comedit, non necessitatis erat, sed ad confirmationem resurrectionis comedit: et sicut ante crucem in fluctibus ambulans, non alterius naturæ corpus habuit, ita & nunc palpabile ipsum, & typos habens ostendit. Et quanuis palpabile & uisibile, simul tamen & incorruptibile ipsum circumfert, ut fides confirmetur: & non necessitate & lege corporis. Omne enim quod comeditur, in secessum uadit, & alteratur: id quod de Christo post resurrectionem non erat dicendum, sed ui quadam inuisibili & diuina consumebantur edulia, ad confirmationem resurrectionis tantum assumpta. Vide autem quomodo propter unum hominem Thomam non dedignatus est ita condescendere Dominus, & latus ostendere, ut saluet animam unam incredulam, ita & nos neq; minimum contemnere debemus.

Didymus id est geminus uel dubius.

Vt credere facile, leuitatis: ita uehemẽtius reluctari, rusticitatis.

† uestigia

Thomas uerè incredulus.

Ioan. 20.

Fidei est recipere inuisa.

B

Quare Christus post resurrectionẽ tãgi se permisit.

Matt. 14. Marc. 6.

Matt. 15

Multa quidem & alia signa fecit Iesus in conspectu discipulorum suorum, quæ non sunt scripta in hoc libro. Hæc autem scripta sunt, ut credatis quòd Iesus est Christus filius Dei, & ut credentes uitam habeatis per nomen eius.] De quibus signis hic dicit Euangelista? num de his quæ ante crucem? Non, sed de his quæ post resurrectionem fecit. subdit enim, in conspectu discipulorum. Quæ autem ante crucem, non coram discipulis, sed omnibus faciebat. Atq; ita hæc de quibus nunc dicit Euangelista, post resurrectionẽ sunt facta. Cum solis enim discipulis uersabat quadraginta diebus, signa ostendens resurrectionis. Sicut enim ante crucem faciebat signa, ostendens se esse filiũ Dei: ita post resurrectionẽ perficiebat signa corã discipulis ostendẽs se filiũ hominis, & habere corpus, idq; incorruptibile & diuinius, & non iam carnalibus legib. subditũ. Cum igitur multa facta sint signa resurrectionis, hęc solum scripta

sunt, & neq; hæc ostẽtationis gratia, uel ut ostendatur gloria unigeniti, sed ut uos, inquit, credatis. Et quod lucrum, & cui cedens? non Christo, quę enim eius utilitas dum nos credimus? sed in nosipsos redundans. Dicit enim, ut credentes uitam habeatis in nomine eius. Credentes eñ q̃ resurrexit & uiuit, nobisipsis uitam paramus. Propter nos enim surrexit & uiuit. Qui aũt mortuum ipsum esse putat & neq; resurrexisse, neque uiuere, ille sibi mortem & corruptionẽ adiudicat & affirmat. A

CAPVT XXI.

POstea manifestauit se iterũ Iesus ad mare Tyberiadis. manifestauit autem sic. Erant simul Simon Petrus, & Thomas qui dicitur Didymus, & Nathanael, qui erat à Cana Galilææ, & filij Zebedæi, alijq; ex discipulis eius duo. Dicit eis Simon Petrus, Vado piscatum. Dicunt ei, Venimus & nos tecum. Et exiuerunt & ascenderunt in nauim statim, & illa nocte nihil cæperunt. Mane aũt iam facto stetit Iesus in littore, non tamen cognouerunt discipuli q̃ Iesus esset. Dicit eis Iesus, Pueri num quid obsonij habetis? Respondерunt ei, Nõ. At ille dicit eis, Mittite in dextram nauigij partem rete, & inuenietis. Miserunt ergo, & iam non ualebant illud trahere præ multitudine piscium. Dicit ergo discipulus ille quem diligebat Iesus, Petro, Dominus est. Simõ ergo Petrus cum audisset q̃ Dominus esset, tunica succinxit se (erat enim nudus) & misit se in mare. Alij autem discipuli nauigiolo uenerunt: non enim longè aberant à terra, sed circiter cubitis ducentis, trahentes rete piscium.] Cum dicit, manifestauit semetipsum Dominus, significat Euangelista q̃ nisi uoluisset ipse per seipsum illis condescẽdens manifestare, non fuisset uisus in corpore incorruptibili. Quare & loci meminit maris Tyberiadis. Ostendit q̃ non iam ultrà timebant Iudæos ut antea, sed magnam partem timoris abiecissent. Ideo & non inclusi erant, sed & prospectabant è domo, ąd prius non audebant, & ubique ambulabant, ibantq; usq; ad Tyberiadem, quæ distat à Hierosolymis, & est mare Galilææ. Piscabantur autem discipuli, quia nihil aliud habebant quod facerent, neq; enim ipse semper cum eis conuersabatur, neq; spiritus datus erat, neq; doctrina perfectè concessa, ideo suam artem sectabantur. Petrus enim cum actuosissimus esset, non ferebat ocium, sed in opere feruebat, & sequebantur cæteri, eo q̃ coniuncti erant. Et cum adesset eis laborantibus & miseris, non statim se ostendit, uult enim prius loqui cum eis: unde & dicit, Pueri num quid obsonij habetis? qua si empturus ab eis quiddam. Vt autem negarunt, & cum iussisset eos mittere in dextram, consequuti sunt: dicit discipulus quem diligebat Iesus, Petro, Dominus est. Iterum hoc loco inuenimus discipulorũ proprietates ostendi. Nã perspicacissimus quidem Ioannes, Petrus autem feruentior. eapropter Ioannes quidem agnoscit Dominum. Petrus uerò prior uenit ad eum. Succingendo enim se, reuerentiã ostendit. Mittendo autem se in mare, declarauit desiderij magnitudinem. non enim expectat ut alij, sed natans aduenit, quamuis circiter ducentis cubitis abessent à terra. Est igitur ἐπενδύτης linteum quoddã quo Phœnices & Syri piscatores se amiciebãt, siue nudi essent siue uestiti. hoc superimponentes, simpliciter autem dicendum, q̃ sicut pictores pingunt Apostolos super uestibus tectos. igitur quia nudus erat Petrus, & piscando laborabat, in reuerentiã se induit ependytem (hoc est enim succingi) & prior uadit ad Dominum. Non enim parua quædam erant quæ fiebant, sed magna. Nam primũ quòd multi pisces capti sunt, deinde quòd rete non est scissum.

Discipuli post Christi resurrectionem ante spiritum missum suã artem sectabantur. B

Epẽdytes.

Vt ergo descenderunt in terram, uiderunt prunas positas, & piscem suprapositum & panem. Dicit eis Iesus: Afferte de piscibus quos prendidistis nunc. Ascendit Simõ Petrus, & traxit rete in terram, plenum magnis piscibus centum quinquaginta tribus. Et cum tot essent, non est scissum rete. Dicit ei Iesus, Venite, prandete. Et nemo discipulorum audebat interrogare eum, dicẽs, Tu quis es? cum scirẽt quòd Dominus esset. Venit itaq; Iesus, & accepit panem, & dat eis, & piscẽ similiter. Hac iam tertia uice manifestatus est Iesus discipulis suis cum resurrexisset à mortuis.] Et hoc est miraculum quod nunc uident, prunam dico & piscem atq; panem. Nõ enim iam faciebat ex materia ꝓposita, sicut prius cum satiaret de duobus piscibus ac panibus quinq;, tot millia, sed simpliciter ex nihilo. Cum dixisset aũt Dominus, Venite prandete, nullus exquirit, neq; audet interrogare. Non enim ultrà tantam habebant fiduciam, sed cum silentio ac

Ioan. 6.

A tio ac timore admirabantur, sciebant enim quòd Dominus esset. Ideo neq; interrogabant. Quum autem formam mutatam & horroris plenam uiderent, ualde stupescebant. At uoluissent quidem de eo interrogare aliquid, sed metus & manifesta aspectio, quòd non esset alius, sed ille ipse, non permittebant interrogare, sed solum comedebant ea quæ eis creauerat. Quomodo autem creauit? sua potestate. Non enim iam in cœlum suspicit, & patrem inuocat. illa enim fiebant ut se nobis attempera ret. Iubet autem de piscibus afferre, ut ostenderet non esse phantasma quod uidebatur. Sed hoc loco quidem nō dicit quòd comederit cum eis. Lucas autem dicit quòd comederit. Quomodo autem comederit, non est nostrum dicere. More enim admirabili facta sunt hæc, non quòd natura eius cibo habeat opus, sed nostri causa ad confirmationē resurrectionis fiebant. Ostendens quoq; non illum assiduè apud eos fuisse, neq; similiter ut prius, dicit: Hoc iam tertio manifestatus est. Intellige insuper hæc & per allegoriam. Nox enim erat quando tenebræ idololatriæ inualuerunt, ante solis Christi aduentum, quando prophetæ laborauerunt, & nihil ceperunt. Nam quanuis unam gentem Israeliticam conclusisse in sagena uidebantur, tamen quia & hæc subinde ad idololatriam redibat, nihil fortè apprehenderunt. Vbi autem diluculum solis iustitiæ infulsit, & apostolicum rete eiectum est, dextra certè doctrina, ad quam lex & prophetę comparati sinistra intelliguntur. Tunc igitur trahitur rete & ad Christum adducuntur non ethnici tantum, quos & centum dixeris: uerumetiam Israelitæ, qui per quinquaginta intelligi possunt. Quando enim plenitudo gentium intrauerit, tunc etiam Israel seruabitur. Tres uerò, fidem in sanctam trinitatem significant. Nam qui in reti continentur centū & quinquaginta, Ethnicos dico & Iudæos, sine trium adiectione non sunt. Absq; enim fide in trinitatem nullus in reti contineri dicitur. Illud aūt, uenite, prandete, istiusmodi aliquid significat, quòd post labores, requies, deliciæ, fruitio, sanctos excipiet. Quæcunq; enim tunc aut dicta aut gesta sunt, mysteriis plena sunt. Quemadmodū igitur & illud quòd Christū Maria hortulanum
B esse existimauerit, simpliciter quidē dictum uidetur, habet tamē occultum quiddam. Siquidem ipse reuera uerus erat paradisi cultor, in ipso monumenti horto, tanquam in paradiso, genus muliebre corrigens. atq; eam quæ Adam primum hortulanum deceperat, ab errore & ignorantia conuertens. Nam quòd Maria conuersa sit, & q̄ de resurrectione docuerit, hoc declarat quòd muliebris sexus conuersus esset, & ad sublimiorem statum reductus.

Cum ergo prandissent, dicit Simoni Petro Iesus: Simon Ioannis, dilīgis me plus q̄ hi? Dicit ei, Etiam Domine, tu scis quòd amem te. Dicit ei, Pasce agnos meos. Dicit ei rursus iterum: Simon Ioannis, dilīgis me? Ait ille, Etiam Domine, tu scis quòd amem te. Dicit ei, Pasce oues meas. Dicit ei tertiò, Simon Ioānis, amas me? Indoluit Petrus, quòd dixisset sibi tertiò, Amas me, dixitq; ei, Domine tu omnia nosti, tu scis quòd amem te. Dicit ei Iesus: Pasce oues meas. Amen amen dico tibi, quum esse iunior, cingebas te, & ambulabas quò uolebas: cum aut senueris, extendes manus tuas, & alius te cinget, & ducet quò non uis. Hoc autem dixit, significans qua morte glorificaturus esset Deum.] Quum prandendi finē ipse fecisset, totius orbis ouium prę fecturam Petro committit: nō autem alij, sed huic tradit. Primùm quidem quia omnes præcellebat, & totius cœtus os erat. Deinde ostendens ipsi, fiduciam esse sumendam negatione uelut deleta, & oblitioni tradita. & negationem quidem nō profert, neq; exprobrat: sed dicit, Si dilīgis me, fratrum curam suscipito. & feruentē illam charitatem quam erga me dicebas habere te, ita ut pro me mori paratus esses, nunc ostende. Ter autem eum interrogat: simul quidem declarans quantam credentium curam habeat, & quòd usqueadeò oues diligat, ut dilectionis erga se hoc ponat indicium, si ouium curam suscipiat: simul etiam per trinam interrogationem & confessionem, trinæ negationi medetur. & uerbis corrigit quæ per uerba commissa fuerant peccata. Hinc mos inualuit, ut tres cōfessiones à baptizandis exigant. Interrogatus igitur semel atq; iterum, ipsum qui corda nouit testem aduocat, non amplius confidenter neque temerè loquēs: sed illud, Tu scis, ubiq; adiungens. Quum etiam tertiò interrogatus esset Petrus, turbatus est, metuens ne fortè ipse quidem existimaret se diligere, nō diligeret tamē. Nam & prius cum multa se posse arbitraretur atq; asseueraret, postea

conuictus est. Illud itaq; etiam nunc metuebat, & propterea uerecundè respondet di- A
cens: Domine tu omnia nosti, tum præsentia tum futura: tu scis q̃ nunc te amem, ut mi
hi quidē uidetur. Cæterùm an etiam in posterum permansura sit amicitia, & hoc quo-
que tu nosti: ego de me non affirmo. Posiquàm uerba ipsi fecisset Dominus de sui di-
lectione, martyrium etiam quod futurum erat ut sustineret, ipsi prædicit. Dicit autem
hoc, ostendere uolens q̃ etiam istud quod de dilectione interrogabat, non diffidens i-
psi interrogaret eum, sed planè sciens q̃ diligeret: quomodo enim non diligeret qui p
ipso martyrium esset subiturus? sed ut magis ostenderet ipsius Petri dilectionē, ac nos
omnes doceat, q̃ si uelimus ipsum diligere, sic studeamus ipsum diligere, nimirum in
fratrum cura suscipienda. Audi autem quomodo ei martyrium prædicat: Quando es-
ses iunior, cingebas te, &c. Quandoquidem enim, inquit, me diligas, & te animā tuā
in periculis pro me positurum frequenter sis pollicitus: bono, inquit, esto animo. Tuū
ita explebo desiderium, ut quæ iuuenis non es passus, ea senex patiaris. commonefa-
cit autem ipsum prioris uitæ: ostendens q̃ uice uersa spiritalia carnalibus respondeāt.
In corporalibus enim iuuenis est utilis: senex uerò inutilis. In spiritalibus autem ubi se
nectus accesserit, tunc splendidior est uirtus. Ipsius itaq; desiderium excitans & inflā-
mans ad martyrium, ista dicit. Innuit autem ei, q̃ etiam ipse cruci sit affigendus. Illud
enim, extendes manus tuas, & alius te cinget, nihil aliud significat quàm extensionē
in cruce & uincula. Dicendo autem, quando eras iunior, & rursum, quando uerò se-
nueris, ostendit Petrum tunc neq; iuuenem, neq; senem fuisse, sed uirum perfectum.
Quomodo autem dixit illi Dominus, alius te cinget & ducet quò non uis? Atqui Pe-
trus martyrium uolebat: uolebat quidem & desiderabat, sed quod dicit Dominus, na-
turæ affectum & condolentiam significat, quodq; anima inuita à corpore auellitur.
Deo hoc utiliter dispensante, ne uiolentam mortem nobis ipsis conciscamus. Nullus
itaq; absque dolore aliquo corpus exuit, etiamsi sanctus fuerit. Euangelista autem pro
suo more nobis interpretans quidnam his uerbis sibi uelit Dominus, hoc autem dixit,
inquit, significans qua morte glorificaturus esset Deum. Dixit enim Iesus hæc, inquit, B
Petro, extendes manus tuas, &c. significans quòd martyrium pro ipso subiturus esset.
Petri autem mortem gloriam Dei nominat. Nam reuera gloria Dei est, constans pro
eo ad mortem usq; asseueratio. Nisi enim plenè persuasum haberet anima Deum esse
ueracem, nequaquam pro ipso moreretur. Mors itaq; sanctorum confirmatio est glo-
riæ Dei. Discrimen autem quis inueniat, inter agnos & oues: & inter βόσκειν & ποιμαί-
νειν, quasi dicas inter pascua præbere & gregem gubernare. Siquidē agni fortasse di-
cuntur simpliciores qui facile introducūtur. Oues uerò perfectiores. Qui igitur Chri-
stum diligit, & agnorum & ouium curam habebit: agnos pascens, hoc est mitiorem
præfecturam illis accommodans, & oues gubernās, quod perfectius quiddam, & ma
gis absolutum demonstrat. Quandoquidem autem perfectiores etiam sæpenumero
simpliciori & mitiori præfectura opus habent, oues etiā pascere iubentur qui his præ-
ficiuntur. Gubernare enim iam duriorem præfecturā demonstrat, pascere uerò mitio
rem. Quid igitur retribuemus Domino, qui usqueadeò nos dilexit, ut sui dilectionem
in hoc notaret, si diligens ouium cura habeatur.

Et cum hoc dixisset, dicit ei sequere me. conuersus Petrus, uidet illum discipulum
quem diligebat Iesus, sequentem: qui & recubuit in cœna super pectus eius, & dixit,
Domine quis est ille qui tradit te? hunc ergo cum uidisset Petrus, dicit Iesu, Domine,
hic autem quid? Dicit ei Iesus, Si eum uelim manere donec ueniam, quid ad te? tu me
sequere. Exijt ergo sermo iste inter fratres, q̃ discipulus ille non moreretur. Et non di-
xerat ei Iesus, nō moritur, sed, si eum uelim manere donec ueniam, quid ad te? Com
misit quidem Petro fidelium omnium præfecturam. Quamuis enim Iacobus sedem
Hierosolymis acceperit, sed Petrus totius terrarum orbis. Dixit autem ipsi post hæc,
sequere me, salutarem ostendens & familiarem quo erga ipsum afficeretur, affectum.
Christum autem sequi hic intellige, operum in omnibus & uerborum impletionem.
Qui enim per uestigia uitę ipsius incedunt, imitanturq; eius in omnibus diligentiam,
isti sequūtur ipsum. Interim autem Petrum adhortatur ut se palàm sequatur, suam de-
clarans, ut dixi, quam erga ipsum habebat familiaritatem. Qui enim nobis ualde sunt

familia-

familiares, ut hi nos sequantur agimus. Posteaquam autem Petrus ista audisset, & talibus dignus esset habitus, ut ipsi terrarum orbis committeretur, martyrioq; dignus haberetur, Ioannem uehementer diligens, de ipso etiam interrogat, dicens, hic autem quid? num eadem qua nos incedet uia? num particeps erit iste ouium præfecturæ, atq; ad illa delegabitur? Illud enim, sequere me, propemodum hoc significat, Veni assume oues, egredere in mundum. Igitur quia uidit Dominus Petrum curam agentem Ioannis, & ab eo auelli nolentem, dirimit eos propter intempestiuam affectionem & consuetudinem. Opus, inquit, quod tibi concreditum est, perfice, & sequere me, qui educo te ad prædicationem, & totum orbem in manus tuas trado. Illum autem si uelim manere in hoc loco, Galilæa scilicet, & non mittere tecum, quid ad te? Donec ueniam, quidam sic exponunt: Donec, inquit, contra Iudæos, qui me crucifixerunt, ueniam, percussurus eos in uirga Romanorum, & subuersurus eorum ciuitatem. Dicunt enim Apostolum illum fermè usq; ad Vespasiani imperium, locaq; superiora peragrasse, prædicantem, & manentem illic: quando autem capiendæ erant Hierosolymæ, transiisse. Igitur quia magnum prædicationis opus ipsis erat creditum, non erant coniungendi, sed separandi, ut unus ad hos, alius ad alios iret. Quare autem meminit Euangelista recubitus supra pectus, & quòd interrogauerit, Quis est qui te tradet? Non hoc simpliciter, neq; fortuitò euenit, sed ut ostendat libertatem Petri post negationem. Nam qui antea non audebat interrogare de traditore, sed alteri committebat interrogationem, illi omnium præfectura conceditur, & non solum sua alteri non cõmittit, sed & pro illo ipso qui maximè diligebat interrogat, & fit mediator apud Dominũ. Admirare autem quàm sit alienus à fastu Euangelista, quomodo quorundam suspicionem corrigit, quòd nõ rectè cognouerint quid de eo Dominus dixerit, sed putauerint quòd non moriatur, id quod non erat, sed manere iubet eum Dominus, non quòd non moriatur, sed quòd non sit iungendus comes Petro prædicationis pempore, manere autem debeat suo loco. Iam manere donec ueniam, hoc est, donec mihi placuerit, ut & illum educam ad prædicationem. Te enim nunc educo, ut præsis orbi, & sequaris me: ipse autem maneat hoc loco, donec redeam, & educam etiam ipsum sicut te. Quidam autem sic intelligunt, Quum audisset (inquit) Petrus, quòd moriatur pro Christo, dixit: & Ioannes quid? Num morietur et ipse? Christus autem hoc nõ reiecit: Omnis enim qui natus est, etiam morietur. Dixit autem: Si uoluero manere, hoc est, uiuere eum usq; ad consummationem seculi, ut & tunc de me testetur. Vnde & dicunt uiuere eum, & ab Antichristo occidendum cum Helia prædicantem Christum. Quanuis autem & monumentum eius ostendatur, quid hoc? Nam uiuens quidem ingressus est in illud, & deinde translatus, sicut & Enoch & Helias. Igitur Euangelista euertit falsam opinionem existimantiũ quòd non moriatur discipulus hic, sed immortalis sit. Verè enim mendacium est, immortalem esse hominem. Quanuis enim Enoch & Helias non sint mortui, attamen mortales sunt. Ita & hic quoq; quanuis non fuerit mortuus, tamen morietur. Igitur, quòd non moritur, hoc est immortalis sit, falsum est. Alij autem affirmant quòd mortuus fuerit: & quod dicit, Si eum uoluero manere, intelligũt sicut interpretati sumus. Omnes opiniones diximus: ne quam ignorent studiosi. Nobis autem placet, ut, donec ueniam, intelligatur sicut Chrysostomo diuino & aureo illi ori uidetur, non de uita, sed quòd non sit iungendus Petro.

Donec ueniam, quomodo exponitur.

Ioan. 13

Præfectura omnium Petro tributa.

Præfert Petrus orbi.

Homo, mortalis.

Chrysostomus os aureum.

Hic est discipulus ille qui testimonium perhibet de his, & scripsit hæc, & scimus q; uerum est testimonium eius. Sunt autem & alia multa quæ fecit Iesus, quæ si scribantur per singula, nec ipse opinor mundus caperet eos qui scriberentur libros.] Quare quum nullus Euangelistarum alius de seipso perhiberet testimonium, hic de seipso testatur? Dicitur postremus ad scribendũ accessisse, cum motus & excitatus et ad id per Christum. Eapropter sæpe dilectionis meminit, ostendens causam propter quam ad scribendum accesserit, quòd Christus commiserit hoc opus ei qui præ alijs magis diligebatur. Et scio, inquit, quòd uera dicit, hoc est, certis indicijs compertum habens, scripsi quæ scripsi, utpote qui interfui omnibus sermonibus, & operibus, & passionibus, & his quæ post resurrectionem acciderunt. Dilectus enim eram, & nõ

Christo ad scribendũ motus

excludebar, atq; ita fidenter & de meipso dico quòd uera dico, prouocatus ut exquirerē quæ facta sunt, & singula examinarē, ut solemus homines omnes quando bene fidimus ueritati, ne fortè testimonia nostra negētur, id q̄d & Apostoli dicebant, Nos sumus testes eorum quæ dicimus. † Et spiritum dedit obedientibus sibi. Vnde autem manifestum, inquit, quòd uera dicam, & non aduler præceptori? Ex eo quòd multa prætermitto, unde perspicuum quòd non aduler. Qui enim ignominiosa omnia in medium protuli, & non abscondi quòd eum & præuaricatorem legis, & seductorem nominauerunt, & dęmoniacum, neutiquam adulatus fuerim. Qui enim adulatur, & ad gratiam loquitur, cōtrarium facit: positisq; contemptibilibus, gloriosa in medium adducit. Ne admireris autem quòd libros, si qui de operibus Iesu scribantur, mūdum dixit non capere, sed intellecta ineffabili ui Dei uerbi, dictum fideliter accipe. Nam sicut nobis loqui, ita illi multo facilius est facere ea quæ uoluit. Quidam autem per hyperbolen more scripturæ putant dictum. Mos enim scripturæ est hyperbole uti: sicut, Vidimus ciuitates pertingentes in cœlum, & uidimus uiros, & eramus sicut locustæ cōram eis. & quæcunq; sunt similia. Ita igitur quòd non possit mundus capere libros qui scribantur, intelligere licet. Quidam autem per mūdum intelligunt eos qui mundana sapiunt: opera autem quæ facta sunt à Iesu, diuina, & mysterijs plena, tam in uisibili quàm in inuisibili creatura: & quæ futura sunt, & mysterijs sunt referta, mundanum hominem non posse intelligere: sicut & quum dicitur, Multa habeo quę nō potestis portare modò. Cæterū precemur nequando dictorum factorumq; Christi obliuiscamur, sed reuoluamus librum hunc dilecti, & scrutemur in eo positū thesaurum in miraculis ac uerbis Iesu, ut sic ualeamus purificari & uita & sermone, consequamurq; in die reuelationis ineffabilia opera & mysteria, quæ nunc quandiu in mundo sumus, capere non possumus: & perficiamur in Christo, qui dilexit nos, & per dilectum suum discipulum illustrauit nos in Theologia & agnitione sui, & patris, & spiritus sancti: cui sit gloria in seculorum secula, Amen.

† Et spiritus quem Ioan. 8. 19

Mos est scripturæ hyperboleuti.

Ioan. 16.

ENARRATIONVM THEOPHYLACTI IN EVANGELIA FINIS.

Universidad de Deusto
Biblioteca

AD LECTOREM.

Loca aliquot inuenies, pie Lector, in Theophylacto cauenda, hęc ſcilicet tria quæ ſequuntur, citra tamen catholici ipſius authoris notam.

Charta enim. 295. A. Spiritum ſanctum à filio procedere negat.

Charta 70. A. dicit, Dei eſt uocare, electos autem fieri uel nõ, noſtrũ eſt. Inq; eam ſententiam frequens loquitur.

Charta 38. B. de diua uirgine, Humanum quid uolebat oſtendere mater, quòd ut in filium poteſtatem habeat. Nihil enim magnum adhuc de eo intelligebat, &c.

Attende itaq; lector, primam illam enunciationem non eſſe catholicam, cum ſpiritum ſanctum ab utroq; procedere nulli ſit dubium. Loquutus eſt enim Theophylactus noſter Græcorum more, illis temporib. ita ſentientium: & propterea minimè reprehendendus, quia minimè tunc ab eccleſia uniuerſali ſic definitum: quemadmodum nec ſanctiſſimum martyrem Cyprianum hæreticum fuiſſe dicemus, quanquam non agnoſcentem baptiſma ab hæreticis aut ſchiſmaticis adminiſtratum: quòd tum Eccleſiæ ſanctio de ſacramentorum per miniſtros etiam extra Eccleſiam errantes exhibitorum non minore efficacia, nondum euulgata fuerit.

Deinde quoniã electum fieri, intelligi poteſt pro ipſa diuinæ electionis prædeſtinationis ue impletione, quæ nequaquam fit citra hominis cooperationem, iuxta illud diui Petri, Satagite ut per bona opera certam ueſtram uocationem & electionem faciatis: eapropter illud ab authore adſertum, electos fieri uel non, noſtrum eſt, eam poteſt ſubire ſenſum, ut noſtrum etiam requiratur ſtudium ad quem modum ſæpe etiam loquitur Chryſoſtomus. ut Homilia 37 in Matthæum. Nam quòd uocati ſumus Dei eſt, quòd autem dignè poſt uocationẽ uiuamus noſtrum pariter eſt & Dei. De hoc tamen loco certius ipſe idem author apud Ioannem cap. 6. folio 321. diſſerit, & fuſius.

At relictis de diua uirgine uerbis, haud ſecus atq; de altero quopiam Græci doctoris dicto ſentiendum, quòd in eis exceſſerit uerbis. eadem ferè Chryſoſtomus ait in eum locum notans importunitatem matris & fratrum. quos etiam ambitione & oſtentatione commotos dicit. Hieronymus uerò nunciantem & interpellantem potius notat ceu inſidias tendentem utrum ſpirituali operi carnem & ſanguinem præferat. De filijs Ioſeph ex alia uxore opinionem etiam ut apocryphan reijcit idem Hieronymus.

Paucula hæc curſim nobis pro pietate adnotare uiſum eſt. Vale amice lector, & hæc omnia boni conſule, ac noſtram in cunctis diligentiam non ingratus amplexare. Vix enim quempiam inuenies qui hoc authore in ſancta Dei euangelia uel exactius uel etiam locupletius ſcripſerit. Iterum uale.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Universidad de Deusto
Biblioteca

THEOPHYLACTI

BVLGARIAE ARCHIEPISCOPI, IN OMNES DIVI PAVLI APOSTOLI EPISTOLAS,

enarrationes, ex uetustissimo græco codice, iam recens per PHILIPPVM MONTANVM Armenterianum recognitæ, & infinitis penè locis emendatæ, ut præfixa docebit epistola.

Universidad de Deusto
Biblioteca

BLENCHVS ET ORDO EPIstolarum Pauli apoſtoli.

Ad
- Romanos
- Corinthios I.
- Corinthios II.
- Galatas
- Epheſios
- Philippenſes
- Coloſſenſes
- Theſſalonicenſes I.
- Theſſalonicenſes II.
- Timotheum I.
- Timotheum II.
- Titum
- Philemonem
- Hebræos.

REVERENDO IN CHRISTO PATRI
D. CAROLO A CROY, TORNACENSIVM EPI-
scopo uiglantiß. PHILIPPVS Montanus
S. D. P.

VVM iam ſtatim ab initio, ubi domũ iſtam tuam, ſiue collegium, ut uocant, Tornacenſe Lutetiæ ſitum, mihi quoad uiuerem adminiſtrandum & gubernandũ pro immenſa tua humanitate, ac ſingulari liberalitate, rogatu quorundam inſignium uirorum, D. Hellini, D. Sauenſij, & D. Scepperij, quos honoris cauſa nomino, & aliorum quorundam cõmiſiſſes, animo nõ parum ſollicitus diſpicerem, quanam tandem ratione tuæ illi inexhauſtæ liberalitati, ſi nõ pro dignitate, aliqua ſaltem ex parte reſponderem, ac me ab ingratitudinis nota, quam odi cane peius & angue, uindicarem: protinus in animũ induxi operæprecium eſſe, ut domũ iſtam carioſam, & pleriſq; in locis ruinã minantem inſtaurarem, ac nouis ædificijs pro loci ipſius cõmoditate augerem: quod quidẽ quàm fecerim luculenter, & cõmodè, uerbis nihil opus eſt, res ipſa declarat, tuoq; nomini nõ parum honoris apud pleroſq; conciliat, qui haud immeritò queri uidentur, prælatorũ ædes cõplures, ipſorum parſimonia & negligentia corruere. His porrò minimè contentus, aliud quoq; gratitudinis meę teſtimoniũ exhibere ſedulò expetiui, quod iam nõ ſcriniolis ligneis ære euacuandis præſtaretur, ſed quod in inſtaurandis ac reſtituendis, nõ lapideis parietibus, ſed præclaris autoribus ad publicam ſtudioſorũ utilitatem pro noſtra qualicunq; mediocritate tuis auſpicijs ex animi noſtri ſcriniolo depromeretur: cuius quidem rei teſtis eſſe poteſt, qui tuæ celſitudini à ſecretis erat M. IOANNES Schinchius, cui ad Tridentinũ concilium unà tecum ante aliquot annos proficiſcenti id negocij cõmendaram, ut Theophylacti autoris excellentiſsimi Commentarios Grecos in omnes D. Pauli epiſtolas alicunde cõpararet, eosq; huc ad me tranſmitteret, quo tuis, ut dixi, auſpicijs latinam uerſionẽ, aut nouam prorſus, aut iſtam mendis ſcatentẽ emendatiorẽ in publicam utilitatem emitterem: ſed quum ea uia nihil ſuccederet, nec ab Italia quicquam mitteret, alia atq; alia tentaui, ac per amicos exemplar uetuſtiſsimũ, quo uſus fuerat D. ERASMVS, iam tandem ſum nactus: ad quod non ſine magnis laboribus Latina noſtra infinitis penè locis σὺν θεῷ, ut potuimus, ſedulò emendauimus. Eos itaq; noſtros qualeſcũq; labores ac ſudores tuæ celſitudini dedicamus Reuerendiſsime Præſul, nõ quòd hinc tantũ tuum ſplendorem illuſtrare tentemus, alijs ue cõmendare: uerùm potius, ut ex tanto illo tuo ſplendore & uetuſtiſsima gentis tuæ nobilitate aliquid gratiæ huic Operi concilietur. Quis enim ignorat Croianæ familiæ amplitudinem, & inclytam uetuſtatẽ, ut quæ ab Vngariæ regibus ortum habere dicatur, eorumq; uti inſignijs? Sed ut uetuſta omittã: nemo dubitat ſub PHILIPPO Bono Burgundiæ duce, atq; ipſius patre & auo, ſummã rerum apud Croianos fuiſſe: inter quos emicuit Antonij cuiuſdam uirtus: ut ſatis declarat celeberrimũ ipſius in æde Bertinica ſepulcrum. Noſtris autem temporibus maximè eluxit Domini à Ceruia uirtus & prudentia

in CAROLI Cæsaris rebus prudenter dum uiueret moderandis. Optimæ item spei fuit insignis ille Cardinalis Toletanus: de cuius præclaris dotibus præstat silere quàm pauca dicere. Denicp Arschotanus Dux piæ memoriæ, germanus & charissimus frater tuus, Deus bone, quantū gratia & autoritate ualebat apud Imperatorem, eiuscp sororem Vngariæ reginam? qui certè moriens sui desiderium apud multos reliquit cpmaximum. De uobis autem superstitibus iam nihil dicam, ne adulari uidear: sed Deum optimum maximum precabor, ut quibus Tornacensis populus atque item Cameracensis commissus est, ita illi præclaræ lucis auido uita proba & doctrina sana prælucere contingat, ut uos Belgarum illustrissima & splendidissima duo lumina (te dico, Reuerendissime Præsul, & fratrem tuum Cameracensium Episcopum) tandem apud superos iuxta Danielis dictum fulgeatis tanquam stellæ in perpetuas æternitates: quæ certè summa est & summopere expetenda felicitas: cui assequendæ plurimum conducit Paulinarum epistolarum assidua lectio, præsertim si accedat doctorum uirorū qui illas piè & edoctè explicent, enarratio. Inter quos commoda & perspicua quadam breuitate excellit & emicat noster Theophylactus, ac miro quodam splendore refulget: sed huic cōuersiones aliquot parum illustres multum offuderant tenebrarū, quas nunc pro nostra uirili discutere conati sumus. Porrò quàm fuerit necesse priorem uersionē mutare, in præmissa ad Lectorem satis docuimus epistola. Tuq autem humanitatis fuerit, mi Patrone modis omnibus obseruande, hos qualescunque tui clientuli conatus boni consulere. Bene uale, Illustrissime ac Reuerendissime Præsul, & tuum Montanum Celsitudini tuæ addictissimum, ut facis, perge quæso diligere, eiuscp studia fouere.

Lutetiæ è domo tua Tornacensi, XII. Octobris, anno Domini supra millesimum, quinquagesimo secundo.

PHILIP.

QVOD in commentariorum recognitione, quos in Euangelia Theophylactus diſertè ſcripſerat, ſupra aliquot annos fecimus, idem quoque nunc facere in ijs quos in omnes diui Pauli epiſtolas edidit, operæprecium duximus, candide Lector: ut uidelicet aliqua ſaltem ex parte intelligas, dum emendata quædam proferimus, quantum commodum tuis ſtudijs adſerre conati ſimus: ne, quod plerunque fit, ſplendidis typographorum titulis tibi hic quoque fucum fieri putes, atq; ita per imprudentiam, qualiumcunque noſtrorum laborum fructu priueris: quod Germanis in recognitione Commentariorum Chryſoſt. apud Carolam Guillard ſub ſole aureo impreſſorum magno ſtudioſorum incõmodo cõtigiſſe animaduertimus: quum ne ea quidem quæ D. Eraſmus à nobis admonitus ipſe emendarat, illi ſecuti fuerint. quos quidem labores nõ paruos in tuam & ſtudioſorum omnium utilitatem haud grauatim ſuſcepimus, fore ſperantes, ut Deo in primis optimo maximo (in cuius gloriã omnes conatus noſtri potiſsimum incumbere debent, & cuius auxilio freti, iſtud quicquid eſt operis tentauimus) haudquaquam ingrati eſſent, & tibi, candide Lector, aut cuiuis ſacræ ſcripturæ ſtudioſo non infructuoſi. Sed ne diutius te remorer, ea paucis accipe quorum te præmonitum cupimus. Nos Græci codicis, quo uſus eſt aliquando D. Eraſmus, fidem quàm potuimus diligentiſsimè pro noſtra qualicũcũq; mediocritate ſequuti ſumus, niſi ſicubi ſcriba dormitaſſe uideretur: perabſurdum enim fuerit ubique ſcribam nimium bona fide amplecti, hoc eſt, unà cum ipſis erratis, quod LONICERVS ſæpius factitaſſe deprehenditur. Vſus eſt autem, ni fallor, eodem noſtro exemplari: in quo diui Pauli contextus à Theophylacti gloſſa aut capita ipſa frequenter malè diſtinguuntur, & nonnunquam dictiones aliæ pro alijs ſubſtituuntur (quæ res nobis non parum exhibuit negocij) quibus ſanè reſtituendis quaſi mus uſi cautione, dum diligenter expendimus quid ipſe autor in præcedentibus aut ſubſequentibus eundem locum attingentibus, quid ue Chryſoſtomus eum locum tractans aut Oecumenius ſcripſerit, aut etiã Porſenna uetus interpres legerit, in margine Græci codicis, quẽ typographus breui typis excudere ſtatuit, ſuis locis expoſuimus: ut 1. ad Corinth. XIIII ἀποστόλοις deprauatè ſcriptum fuerat pro ἀπίστοις, & ad Galatas quinto, ſcandalum CHRISTI, pro ſcandalo crucis: quæ quidem ſcriptoris errore contigiſſe uehementer admiror LONICERVM nõ animaduertiſſe, cum uel ex mox ſequentibus facilè à mediocriter erudito & attento error deprehendi potuerit. Item ad Epheſ. 1. deprauatè legebatur, diuitiæ datæ, cum legendum fuerit, diuitiæ gloriæ, δόξης enim, non δόσεως & ſcribendum fuerat. Quinto autem capite primæ ad Timoth. epiſtolæ, locum in Græcis & Latinis mutilum ex Porſennæ ſcriptis, quæ eo quidem loco rectius habere uidebantur, reſtituimus: hoc enim loco quid Theophylactus ſcripſiſſet nõ ſatis nobis cõſtabat, ſed quę illinc aſſumpſimus, his notis [] intercluſimus, ne quid temerè pręter Græci codicis fidem de noſtro addidiſſe uideremur. Porſennæ autem uiri eruditi, ut opinor, & eloquentis uerſione, ut multum à Græcis diſcedente, ne

dicam plerunque dissidente, ut quæ sit paraphrastica potius, atque etiam nimium libera, utpote quæ plerunque adiiciat quæ in Græcis non habentur: & contrà, plerisque in locis complures uersus prorsus omittat, quæ tamen in nostro manuscripto codice Græco, eoq; peruetusto apertè continentur, illius inquam, omissa uersione, LONICERI potius interpretationem arripuimus: eamq; passim ubi tolerabilis esset, retinuimus. Nouam quidem ex amicorū quorundam cōsilio edere statueramus, sed cum id in præfatione adorti animaduerteremus nobis ad id nec satis esse ocij, nec temporis, ea potissimùm mutauimus, quæ Theophylacti mentē aut non assequi uiderentur, aut non satis explicarent. Ad hęc margini multis in locis quædam addidimus, sine quibus Latina legens uix unquam quid sibi uelit Theophylactus intelligere queat: dum uidelicet aut Græci sermonis uariam attingit lectionem, aut græcæ dictionis compositionē, aut diuersam significationem, aliud ue quicquam huiusmodi. Pleraq; etiam deleuimus ab interprete malè addita, quòd aut parū ad rem facerent, aut cum Theophylacti sententia pugnarent. Quædam uerò perspicuitatis gratia, aut ambiguitatis uitandæ causa, à nobis sunt mutata, ut mediocriter erudito lectori cōsulatur. Ista enim ueritatis & sacræ scripturæ studiosis scribuntur, quibus nuda & perspicua autoris sententia magis placet, quàm interpretis fucata & affectata dictio, quæ istiusmodi studiosis tenebras offundens, plurimum facessit negocij. Porrò uulgarem in Paulino textu uersionem, qua passim utitur Ecclesia, ferè retinuimus, nisi sicubi Theophylacti interpretatio illam immutare coegerit: ut, ad Romanos, cap. XII. necesse fuit mutare conformari in configurari, quòd Theophylactus differentiam ponat inter figuram & formam, & figuram mundo, formam autem uirtuti attribui dicat. Item I. ad Timoth. VI. pro inutilia, necesse fuit ponere stulta, quòd Theophylactus id interpretās dicat: Quomodo enim non est stultum: & mox, Hæc stulta sunt & noxia. Noster enim uulgaris interpres legisse uidetur ἀνωνύτους, Theophylactus uerò cum Chrysostomo legit ἀνωφύτους. Item II. ad Timoth. II. pro Nequādo, ponendum fuit Siquando, aut Si fortè, uel Fortasse: eo enim loco μήποτε, non est negantis, sed dubitantis, siue addubitanter asseuerantis, quo in sensu sæpe accipit Theophylactus, ut in epistola Euangelijs prefixa satis docuimus. In ipsa autem LONICERI uersione quàm multa fuerint malè uersa, aut prorsus omissa, ex his quæ decerpsimus conijcere licebit, si totū opus conferre graueris. Et quoniam principium feruere solet, exploremus quàm fuerit initio feruens & diligens, ex multis tamen pauca decerpentes, ne à Theophylacti præclaro opere diutius retardati prestantiorum iacturam faciamus. Noster enim Theophylactus pulchrè Horatianū illud uitans, Breuis esse laboro, obscurus fio: mediocritatē scitè usqueadeò amplexus est, ut perspicuè docendo, & ex probatis autoribus optima quæq; apiculæ more seligendo prolixitate non sit molestus. Sed ut & nos molestiam istam uitemus, pauca illa accipe. In ipsa statim Operis præfatione, ubi de Epistolarum ordine Theophylactus disserit, ac declarat epistolam ad Romanos, non propterea primo loco collocari, quòd ante alias omnes scripta fuerit, ad hunc modum uerterat LONICERVS: quandoquidem ad

Corin-

Corinthios, tum ad Theſſalonicenſes una, in qua de miniſterio Hieroſolyma tranſmittendo omnes ipſos occultè quidem cõmonefacit, hanc præceſſerint: quum in Græcis hic ſit ſenſus: quandoquidem hanc præcedant duæ quæ ad Corinth. ſunt miſſæ: quin & has præcedit ea quę eſt ad Theſſalonicenſes: in qua, &c. Vides candide Lector, quod ad Epiſtolarum ordinem attinet, hic doceri eam quæ ad Theſſalonicenſes ſcripta fuerit, eas præcedere quę ad Corinthios fuerint miſſæ: qua in ſententia eſt etiã Chryſoſt. quod LONICERVS planè tacuerat. Græca autem ſic habent: καὶ γὰρ πρὸ ἐκείνης εἰσὶν αἱ πρὸς Κορινθίους δύο. καὶ πρὸ τούτων αὖ ἡ πρὸς Θεσσαλονικεῖς, ὡς φησί. Sed ad Caput primum ueniamus, & è multis pauca perſtringamus. In eum Pauli locum qui in Capitis eſt initio: De filio ſuo qui natus eſt ex ſemine Dauid.] Quum de duplici generatione CHRISTI ageret Theophylactus, diuina & humana, ita ſcriptum fuerat, Quocirca non de uili exiguóue homine Euangelium hoc eſt, nam de filio Dei eſt: nec de exiguo Deo, nam de nato ex ſanguine Dauidis ſecundum carnẽ. Hactenus LONICERI uerba. Viden' quàm ineptè colligat filium Dei, nõ eſſe exiguum Deum, propterea quòd natus ſit ex ſanguine Dauidis ſecundum carnem, quum ipſe Paulus de incarnatione ad Philippenſes ſcribẽs, longè aliter dicat: Exinaniuit ſemetipſum, &c. & paulo pòſt: Humiliauit ſemetipſum. Quod itaq; Theophylactus negat Euangelium hoc eſſe περὶ ψιλοῦ θεοῦ, & paulo antè, περὶ ψιλοῦ ἀνθρώπου, non erat uertendum, De exiguo ſiue paruo Deo, neq; De uili exiguóue homine, ſed De mero, nudo & ſimplici Deo aut homine. ut ſit ſenſus: Euangelium hoc non eſſe de eo qui tantùm ſit homo, aut tantùm Deus, ſed qui idem & Deus ſit & homo. Eodem primo cap. ibi, Cui ſeruio in ſpiritu meo in Euangelio, &c. ſic prius habebatur: Nam ſeruitutis Euangelij conatus neceſſe habet, &c. nos uerò clarius ad hunc modum: Cui enim Euangelij annunciandi ſeruitus eſt commiſſa, illi neceſſe eſt ut, &c. & in gloſſa ſequenti ubi ait, Atqui D. Paulus dum aſsiduè orat tanquam uidiſſet eos, &c. potius dicere debuit, Cæterùm quòd Paulus continenter orabat ut eos uideret, ſiue uidere contingeret ex ſeruenti hoc charitate faciebat: & paulo pòſt, ubi hortatur ut conſtantes ſimus in orationibus noſtris, ſic habebatur: Neque enim Paulo ſumus potiores, qui pro cruce etiam ſua remouenda precatus eſt. Græcè autem ſic: οὐ γὰρ τοῦ μὲν παύλου βελτίους, ὃς καὶ ὑπὲρ τοῦ σκόλοπος πρὸς τὸν κύριον παρεκάλεσε, hoc eſt, Neque enim Paulo ſumus meliores, qui pro ſtimulo ter Dominum precatus eſt, ubi dictionem Ter omiſit, quæ potiſsimum ad orationis conſtantiam & perſeuerantiam pertinebat: & crucem etiam pro ſtimulo poſuit. & mox: εἰς τὴν τῆς πίστεως ἀφιδίαν, uertit, Erga fidei communicationem, quum, Ob fidei incrementum, potius uertendum eſſet. Eodem primo capite, in illud: Quemadmodum & in reliquis gentibus.] Ita ſcripſerat: Committens autem ipſos, inquit, quemadmodum & in reliquis gentibus. συγκλείων δὲ καὶ αὐτοὺς, φησὶ, καθὼς, &c. hoc eſt, Illorum autem faſtum etiam comprimens, inquit, quemadmodum, &c. quod enim ſic intelligi debeat, ſatis declarant ſequentia. Eodem capite, ubi explicat locum Pauli: Tradidit eos in deſideria, &c. Ibi Theophylactus notat, Tradit dici, pro Deſerit eos, & permittit, LONICERVS uerò pro καὶ ἐᾷ, id eſt, & permittit, poſuerat,

fuerat, amico: idque fortasse ob scripturæ difficultatem, mirè enim scriba ε cum α calamo ueluti luxuriante coniunxerat, ideoque interpres ad ὡτὰν, pro ὃ ἐτὰν fortè respexit. Item paulo pòst cum declarat quod alijs impellentibus nõ habuerint opus, Sed ipsi, inquit, se contumelia affecerũt. Huiusmodi enim sunt impuri illi affectus: ubi longè alia prius habebatur sententia. ut etiam in mox sequentibus, ibi, Sicut non probauerunt Deum habere in notitia: ubi Theophylactus, Iniuria, inquit, qua Deum affecerunt, nõ ex ignorantia processit, sed à meditatione et studio, uti nos restituimus. Qui plura uoletin hoc eodem primo capite emendata notare, id ex utriusque collatione facilè poterit. Nec id tamen dico, ut LONICERO detraham: plurimũ enim illi debere me ingenuè fateor: nisi enim ipsius uersione fuissem adiutus, haud facilè pleriſque in locis peruetustos characteres agnouissem, ut interim de ipsorum figura mihi quidem insuetа sileam, sed ne studiosi, ut diximus, si aut pauca, aut nullius momenti loca hic emendata fuisse putent, eo fructu priuentur, quem ex hac recognitione ipsos σὺν θεῷ consecuturos speramus. Sunt fortasse nonnulla quæ typographo potius quàm interpreti ascribẽda sunt, ut quod CHRISTVM pro crucem expresserat: sed ne fastidium pariam, ea cum pleriſque alijs prætereo: ideoq; & ex alijs capitibus pauciora huc transcribam. Cap. secundo in illud Pauli: Qui igitur alium doces, teipsum non doces? ibi: Si nanq; gentes, &c. multũ ab autoris mẽte aberrare uidetur, & paulo antè negatio nõ fuerat omissa: & in glossa sequẽti, post ista uerba, Sin minus, ista desiderabantur: non dixit, non prodest, ne ipsam contumelia afficere uideat, sed Iudæũ eà nudat, dicens: Circuncisio, &c. & mox, ubi duo præputia posuisset, unum secundum carnem, alterum secundum spiritum siue uoluntatẽ, de hoc posteriore loquens, sic reddiderat LONICERVS: quæ sese habent uti cõmemoratum est, quãdo nihil carnalium quisquam affectuum habuerit, ut qui sint ablati. Græca uerò sic habent: ἅπερ δὲν, ὡς ἄρκται, ὅταν τις μηδὲν ἔχῃ τῶν σαρκικῶν παθῶν περιῃρημένων: ubi dictio ἅπερ refert ἀκροβυστίαν ἐκ περιτομῆς. quæ nos sic restituimus, quod quidem est, ut dictum est, quando quis carnalium affectuum nullum habet circunciſum aut amputatum: quæ sententia bellè huic loco conuenit, cui prior contradicebat. Et sub finem huius Capitis ab authoris mente, ni fallor, multum aberrabat. Sed longum esset singula Capita excutere, ad sextum igitur transilio. In illud Pauli: Non regnet peccatum in mortali, &c. ubi extollit CHRISTI gratiam, sic ait Theophylactus, Itaque corpus sua natura haud nocet, sed obedire peccato, illud uerò plurimum obest. Obserua hic CHRISTI gratiam, quomodo Adam peccarit, quum tamen nondum mortale corpus haberet: nos uerò in mortali corpore peccatum uincimus & superamus. Hactenus authoris uerba ad Græcum exemplar restituta, quæ prius longè diuersam aut contrariam præ se ferebant sententiam, ut conferendo patebit: quòd si tamen ad alteram editionem recurrere graueris, ibi ad istum scribebatur modum: Itaque corpus haud nocet naturæ, sed obedire peccato, illud uerò plurimũ obest. Obserua hic CHRISTI gratiam, quomodo Adam peccarit, quum tamen nondum mortale corpus haberet, nos uerò in corpore mortali peccato exuberamus, adeoq; in peccatis

catis nascimur. Vides lector, ut Haud nocet naturę, pro Sua natura haud nocet: &, Peccato exuberamus, pro Peccatum uincimus, dixerit diuerso & contrario sensu? Capite etiam sequenti in Annotatione: Et inuentum est.] Item in alia, Nunc autem iam non ego operor.] fœdos lapsus deprehendes si conferre lubet, ut & cap. IX. XI. & XIII. In hoc ubi Paulus ait: Vt in die honestè ambulemus. Ibi Theophylactus Romanis honoris & gloriæ studiosis hoc modo scribit: ἐπεὶδὴ γὰρ πολὺς αὐτοῖς τοῖς παρὰ τῶν πολλῶν δόξης ὁ λόγος & ἐφέλκεται αὐτοὺς ἀεὶ ἡ δυσχημοσύνης, hoc est, Quandoquidem ipsi uulgi gloriam siue honorem, qui à multis exhibetur magnifacerent, ab honesta te eos allicit, prius autem sic redditum fuerat: Quum enim ipsi Romani multa uerba facerent, &c. ubi πολὺς λόγος, non Multa uerba, sed Multam curam, rationem siue respectum habere gloriæ & auræ popularis potius significat. Deinde quod adiectum est, Abstrahit eos ab ea gloriæ turpitudine, multum erat à Pauli & Theophylacti proposito alienum: suspicor interpretem existimasse pro δυσχημοσύνης legendum esse ἀσχημοσύνης. sub ea enim dictione ducta erat linea, quasi suspecta esset scriptura, quę tamen bene habet, ut quæ Paulino textui respondet, ubi habetur δυσχημόνως.

Sed de hac una Pauli epistola nimium multa: pauciora igitur ex reliquis adferam: & ne longius abeamus, initio epistolæ sequentis, ubi Paulus ait, Per uoluntatem Dei.] in eum locum sic LONICERVS: Animaduerte hic deitatis uocabulũ ad patrem pertinere: egregia scilicet animaduersio, quasi uerò usquam negarint Arriani deitatis uocabulum ad patrẽ pertinere. Græca autem sic habent: σημείωσαι δὲ τὸ, διὰ, ἐπὶ πατρὸς κείμενον, hoc est, nota autem hanc dictionem Per, patri appositam, siue de patre dici. Vbi Theophylactus contra Arrianos hunc locum profert, declarans quòd hæc præpositio Per, diminutionem non importet, ut ipsi uolebant, quum etiam hic apponatur patri, ubi dicitur per uoluntatem Dei, ut fusius ait idem Theophylactus in eum locum Ioannis, Omnia per ipsum facta sunt. ubi Arriani uolebant filium facere patre minorem, quòd per ipsum sicut per instrumentum aut seruum pater alia fecisset: contra quos ibi adducit hunc ipsum locum, Per uoluntatem Dei: & item alium ex hoc eodem capite: Fidelis Deus per quem uocati sumus in societatẽ filij sui, ubi dictio Per, patri iuncta nequaquã significat patrem filio minorem. Hunc locum pluribus tractaui quòd plerisque subobscurus uideretur, & à LONICERO quidem malè uersus, ut qui ex præpositione διὰ deitatem fecerit: à Porsenna uerò planè omissus fuisset: solet enim iste si quid placeat liberius tractare, ac multa de suo infarcire: & contrà, si quid non arrideat, illud prorsus omittere: quod hic contigisse uidetur, si modò ipsius exemplar cum nostro consenserit, eo sanè peruetusto. Nec uideo cur hic de germana Theophylacti scriptura dubitare debeamus, quum huius loci mentionem ipse faciat Ioannis primo, ut diximus. Quòd autem LONICERVS glossam totam nonnunquam cum textu Pauli prætermiserit, non ipsius uoluntate factũ esse arbitror, sed ipsius aut scribæ potius negligentia aut errore contigisse. Hic finem facere fortasse expediret: nam ex huiusmodi locis pro nostra qualicunque mediocritate restitutis facilè candidus Lector de reliquis conijcere posset, nec plura, opinor, desideraret: ob

1. Cor. 1.

Ioan. 1.

Porsenna parũ fidus interpres.

morosio-

morosiores tamen, adhuc paucula adscribam, ut quod huius epistolæ capite quarto, ibi: Magnæ mihi gloriæ, contrariam posuerat sententiam. & capite quinto, in eum Pauli locum: In interitū carnis] scriptum erat, hoc est, ut à morbo eum liberet, soluat: nos sic emendauimus: hoc est, ut morbo eum maceret & tabescere faciat: de castigatione enim corporis loquitur, ut sequentia satis declarant. Capite autem septimo pleraque depraua-ta, & non pauca omissa fuisse, qui totum hoc Caput conferre uolet, facilè deprehendet: quod quidem uel unum Caput morosо etiam Lectori, si tamen ueritatis studiosus fuerit, hanc nostram operam ut minimè superuacaneam, cōmendare ualeat. Possem ex cap. IX, XI, & XV manifestè depraua-ta, & contrariam sententiam continentia proferre, sed in hac priore ad Corinthios epistola diutius quàm statuerā sum immoratus. In secundæ uerò ad Corinthios epistolæ capite primo, ibi: Et spes nostra firma est pro uobis] glossa huius textus cum textu sequenti fuerat omissa: atque ita glossa textus sequentis huic erat adiecta, quod etiam factum est ad Romanos XIIII, fœdo sanè lapsu. ut alios eiusdem capitis prętream. Secundo autem capite bis cōtrariam reddidit sententiam. Primùm in illud Pauli: Vt ne circumueniamur à Satana] dixerat: non enim à se discrepantia satanas accipit, uerùm & nostra rapit: quum dicere debuisset, Non enim ad se pertinentia satanas, &c. Græcè enim est: ὁ γὰρ διάβολος οὐχὶ τὰ αὐτῷ διαφέροντα λαμβάνει. Deinde paulo pòst in illud Pauli: Alijs quidem odor mortis in mortem] pro Deo acceptabiles esse, dixerat, esse reprobos & minimè gratos apud Deum, sed hic quodammodo excusandus uenit, quòd Græcus codex fuisset corruptus, quem secutus est fide, ut diximus, nimium bona: nam loco ἀπρόσκοπος legendū est δυπρόσκοπος, ut patet ex Chrysostomo, & ueteri interprete. Sed ad alia properās reliqua huius epistolæ capita transilio. Initio autē capitis primi ad Galatas, ibi: Sed per Iesum CHRISTVM.] Theophylactus huic loco obijcit quod est in Actis apostolorum, cap. XIII, dicens: Ἐμοὶ δὲ πράξεις ὑπὸ τοῦ πνεύματος διηλῶσιν αὐτὸν ἀφορισθῆναι. Id est, Atqui Acta apostolorum à spiritu sancto indicant eum segregatū esse, &c. LONICERVS uerò de Pauli operibus intelligens sic uerterat: Ipsæ res gestæ & opera à spiritu sancto profecta indicant, &c. quæ huic loco minimè cōueniūnt: nec quæ statim sequuntur hanc admittunt interpretationem. subnectit enim: Perspicuum est igitur quòd sit una & eadem potestas & patris & filij & spiritus sancti. Similem obiectionem fecit ad Rom. primo, ibi: Per quem accepimus gratiam.] Sed nimium his immoror: Si quis tamen ex alijs epistolis quædam desideret, cōferat primum caput ad Philippenses, ubi nō pauca fuisse multum corrupta deprehendet. Expendat item quæ Theophylactus in eum Pauli locum ad Thessalonicenses quarto: Non hominem spernit, sed Deum, pulcherrima scripserat, & plurimum fuisse deformata comperiet: & quædam sub finem eiusdem capitis omissa fuisse perspiciet. Atcp illinc transeat ad primæ ad Timoth. cap. primum: & glossam in illud Pauli, Sed misericordiā consecutus sum, quia ignorans feci] excutiat, & in una & eadem glossa nō semel lapsum interpretem notabit. In epistola uerò ad Philemonem quod cōtra etiam Porsennæ uersionem faciat reperiet, ibi, Imperandi quod ad rem pertinet: ubi

contrariam

contrariam habet sententiam. Porsenna enim accepisse uidetur τὸ ἀνῆκον, quasi α priuatiua particula esset, quum uerterit, quod ad rem nõ pertinet: quo in errore pergens, totam Theophylacti peruertit explicationem, quum potius contrarium significaret τὸ ἀνῆκον, nempe quod ad rem pertinet, siue τὸ πρέπον, ut ait Suidas, hoc est quod decet, quod conuenit, sicut τὸ καθῆκον officiũ dicitur. ἀνήκω enim est attineo, pertineo, specto, sicut καθήκω, πρόσκω, conuenio, consentaneus sum. sic Demosthenes ait, τὰ εἰς ἀρετὴν ἀνήκοντα, ad uirtutem spectantia, interprete Budæo: quæ significatio huic loco maximè conuenit. Sed de huius uersione eleganti quidem, sed parum fida satis antea dictum puto: finem itaque facio, nec uerbum addo: qui plura desiderat, totum opus si lubet conferat, &, ni fallor, labores nostros boni consulet. Bene uale, candide Lector, & tui Montani conatus tuis studijs prodesse cupientis in bonam partem quæso accipe.

Lutetiæ, è Museo nostro Tornacensi, XII
Octob. anno M. D. LII.

ANNO-

Universidad de Deusto
Biblioteca

ANNOTATA QVAEDAM PRO SINGVLIS epistolarum argumentis. Hæc in Græco non habentur.

AD Romanos ex Corintho scribit Apostolus, quos nondum uiderat, uisendi tamen percupidus, quia de his multa acceperat, quorum & suspicit & laudat fidem, ut quam sceret fama & nomine celebrem, & ubiq; uulgatam: & (ut cætera omittam) de gentili uocatione copiosius disserit. Nec secus ex Epheso ad Corinthios scribit epistolam, illos obiurgans, quòd plurimum inter se dissiderent, & primarium quendam è suis rem cum nouerca habentem satis negligerent, uellentq; sub cœlibatus prætextu nonnulli diuortia facere, & uxores relinquere: & multi idolothytis uescerentur: & alij cæteris planè contemptis, eos duntaxat demirarentur, qui essent linguarum gratiam consecuti: &, quod erat detestabilius, nequaquam crederent humana corpora post mortem resurrectura. Ad eosdem deinceps & aliam ex Macedonia scribit, quandoquidem ex prore plurimum profecissent: quippe quos pœniteret tandiu fornicantem illum tulisse, sed arrepti deinde seditiosissimorum hominum persuasu, legis duntaxat literæ inhæserunt, indifferentem existimantes gratiam quæ à Christo esset in multos collata: quinetiam & præceptores admodum iactitabant, & gloriæ ducebant, cum Apollo uellent uel Cephæ partes tutari, id est suum quisq; quem sectaretur extollere, unde multa erant inter hos orta dissidia: alioqui in sanctorum alimoniam abundè & liberaliter conferebant. Ex Roma ad Galatas literas dedit. Hos enim cum antea ad fidem quamoptimè instruxisset, & credidissent eo prædicante in Christum Iesum, post eius discessum mox lapsi, improborum hominum suggestione ut se circunciderent compulsi sunt. Quod utique Paulus ægrè ferens, quia præter suam institutionem egissent, incusat acrius quòd se celerrimè adeò immutassent. Ex urbe præterea & ad Ephesios scribit, haud dum tamen per se aditos, sed auditione solùm perceptos fideles esse, & Christum Iesum optimè credere, & mira quadam in sanctos omnes affici charitate, alioqui à se percupere in fide hac stabiliri. Quocirca & hos per literas instruit, aitq; haudquaquam cõmentitium esse, aut nuper inuentum hoc Christi mysterium, sed perstare à seculo: & alia multa quæ ad hos in fide firmandos maximè faciunt. Ad Philippenses insuper literas mittit ex urbe, quos adierat sanè, & ad fidem instruxerat. His itaque Paulo ipsi & sanctis nõnullis minibus necessaria, exorti sunt quidam, qui prauis persuasionibus, & sub legis umbra & circuncisionis obtentu, simplicium quorundam corrumperent aures, adserentes neminem posse sine lege iustificari. Quod Paulus audiens, Philippensium primò fidem probat, & eorum se memoriam habere inter precandum fatetur, cõmemoratq; quemadmodũ Romæ sese ac Christi fidem tutatus sit, & qui præterea molesti sibi in uinculis fuerint. Colossensibus etiã ex urbe literas impertitur, quippe quos cerneret per homines captiosos & subdolos falsis quibusdam argumentis circunuentum iri, qui Christi fidem apertissimè Græcis argutijs impugnarent, cum legis umbram & escas uetitas sectarentur, & circuncisionem efferrent. Ex Athenis uerò Thessalonicensibus scribit, apud quos antea fuerat diutius commoratus: & quoniam multa cum in Verria, tum Macedoniæ ciuitate Philippis, tum Corintho & Thessalonica fuerat perpessus, ueritus ne uel ex suis pressuris illi offensi, haud satis stabiles forent: uel mœrore nimio ob suorum è uita discessum conficerentur, quo patrio more certè plurimum angebantur, Timotheum cum epistola ad eos dimisit, ut in fide obfirmarentur, ne quoquam pacto ab ea desciscerent, siue ipsi afflictarentur, siue alios cernerent afflictari: hortatusq; ut ducerent uitam quemadmodum à se accepissent. Commonefacit insuper, ne grauiter ferant morientium casum, & alia pleraque. Ad eosdem idcirco ex urbe & aliam scribit epistolam, quia apud eos erant nõnulli segniores ad bonum, & nullius momenti uiri, qui alios mira arte sallebant, astruentes iamiam instare Christi aduentum, cuius & Paulum falso testabantur autorem, & sese idem cognouisse per spiritum affirmabant. Cuius rei certior factus Apostolus, per literas Thessalonicensium primò adauctã fidem collaudat, & gloriæ ducit quòd Christi ob gratiam uiriliter ferrent pressuras, solaturq;, adserens illatas his Deum uindicaturum quandoque iniurias. Scribit & ad Timotheum ex Laodicea eam ob causam, quia Ephesi erant permulti qui Iudaicos ritus seruarẽt, cum longè aliter ipse Ephesios instruxisset, docereq; & fallere integriores quosque adniterẽtur. Quocirca Timotheum hortatur ut Ephesi maneat, & corruptores illos castiget & corrigat, ut tandem à suis erroribus resanescant. Ad eundem secundò ex urbe conscribit epistolam, monetq; ut ad se redeat. Erat enim Apostolus ab omnibus tam destitutus, qui secum Romam ex Asia commigrauerant, catenis absterriti, quibus erat deuinctus. Ex Nicopoli ad Titum literas scribit. ibi nanque hyemauerat Paulus. In Creta autem Titum reliquerat, ut per urbes institueret sacerdotes. Erant enim ibidem plerique qui sub legis prætextu seducere populum conabantur. Scribit ex urbe ad Philemonem, cuius seruus Onesimus fugiens Romam se ad Apostolum contulit, apud eumq; habitauit coniectum in carcerem, & in uinculis detentum. Hunc itaque, cum ei optimè obsequeretur, & breui probus euasisset, ut ei esset acceptior, ibi lemoni commendat per literas, hortaturq; ut libertate donet, nec eo ut seruo, sed ut fratre utatur. Ad Hebræos demum ex Italia scribit: qui etsi Christi acceperant fidem, haud tamen prorsus à lege defecerant. Quod sanè iniquè ferens Apostolus, etsi ad gentes erat ut Euangelium prædicaret, iam destinatus, non hos tamen ferebat legis umbris obuolui, existimans haudquaquam credentibus his molestam hanc fore epistolam, in qua de Christi aduentu, lege ipsa umbratili disserat: quam cessasse affirmat, & nihil in posterum ualituram, quia Christus aduenerit, quem illa præfigurasset. His itaque epistolis Paulus tam ualida fundamenta iecit, ut increscentis in posterum fidei tanta posset moles imponi.

THEOPHY-

A THEOPHYLACTI BVLGARIAE ARCHIEPISCOPI, IN DIVI PAVLI AD ROMANOS epistolam, enarratio, IOANNE Lonicero interprete, huiusque recognita interpretatione.

PRAEFATIO.

ASSIDVA diuinarum scripturarū lectio, ad sui cognitionem lectores adducit: mentiri enim nequit ille, qui dixit: Quærite, & inuenietis: pulsate, & aperietur uobis. Proinde epistolarū quoq; beati Pauli mysteria cognoscemus, si assiduè & sedulò in eis uersemur. Siquidem reliquis omnibus doctrinæ institutionisq; ratione excellentior fuit: idq; meritò. postquā enim exuberantius alijs omnibus laborauit, largiorē pariter spiritus Domini gratiam sibi cōciliauit. Neq; hoc ex epistolis eius tantūmodo planū fit, uerumetiam ex Apostolorum actis. Mercurius nanq; ab infidelibus existimatus est, propter sermonis quo pollebat, præstantiam. Proponitur autē prima quę ad Romanos scribitur epistola, nō quòd primū quoq; conscripta sit: quandoquidē hanc præcedant duæ quæ ad Corinthios sunt missæ: quin & has præcedit ea quę est ad Thessalonicenses, in qua de ministerio Hierosolyma transmittendo, eos laudans, latenter attingit. Præterea Galatis inscripta, epistolam ad Romanos præcedit. Cæteris uerò epistolis, hæc sanè, quæ ad Romanos mittitur, prior est. Quī factum est igitur, ut primū locum in ordine obtinuerit? Quoniā in sacra scriptura talis ordo nō est necessarius. Siquidē & duodecim prophetæ, cum deinceps se inter se nō subsequantur, si tempora spectes, sed multū inter se distent, in Bibliorum tamen serie deinceps inter se ordine sunt positi. Scribit autē ad Romanos Apostolus, perinde quasi necessariò ipsum Christi ministerio fungi oporteat: & tanquā ad eos qui uniuerso terrarū orbi prę sideant. Nam qui capiti proficit, toti corpori profecerit,

Matth. 7 Luc. 11

Act. 14. Paulus, Mercurius infidelibus dictus.

Epistola ad Romanos ordine prima.

B

CAPVT PRIMVM.

PAulus.] Neq; Moses, neq; plerique alij qui illum sunt subsecuti, imò neq; Euangelistæ nomina sua scriptis suis præposuerunt. Diuus autē hic noster Paulus ubiq; epistolis suis nomen suum præponit: q; illi quidem ad præsentes scribebant, hic uerò è longinquo literas mittebat, & ut par erat characterīs epistolaris legem complebat. In epistola tamen ad Hebræos istud non facit, ut ne simulatq; nomen ipsius audiuissent, quandoquidem infesto in ipsum erant animo, protinus resilirent, nomen suum illic in procœmijs occultat. Cuius autem rei gratia ex Saulo Paulus dictus est: Vt neque in hoc, Apostolorum antesignano, qui Cephas appellatus est: quod ualet, si interpreteris, Petrum, minor esset: aut filijs Zebedæi, qui Boanerges, id est, filij tonitru, cognominati fuere.

Nomē suū cur penè ubiq; Paulus epistolis suis adscribat.

Ex Saulo cur dictus Paulus.

Seruus.] Multi sunt seruitutis modi: Alius quidem ab opificio & creatione, secundum quem omnia suo seruiūt creatori. Alius à fide, iuxta quem dictum est: Quoniā obedistis, in quam traditi estis formā doctrinæ. Alius est ab administratione & muneris functione: quomodo Moses dictus est famulus Dei. Proinde modis his omnibus Paulus nominatur seruus.

Seruorum multæ species. Rom. 6

Iesu Christi.] Oeconomiæ & dispensationis nomina præponit, ab inferioribus ad superiora recurrens. Etenim post incarnationem Iesus Christus, hoc est, unctus est dictus: unctus enim est haudquaquam oleo, sed spiritu sancto, qui quouis oleo est pretiosior. Porrò quòd unctio etiam citra oleum sit per spiritum sanctum, audi: Ne tangatis unctos meos. quod uerbum de ijs qui ante legem fuere, accipiendum est, quo tempore neq; unctionis per oleum nomen erat.

Vnctio absq; oleo. 1. Par. 16. Psal. 104

Vocatus.] Humilis & modesti animi hoc uerbum est. Indicat enim quòd nō ipse quærendo inuenerit, sed uocatus accesserit.

Apostolus.] Hoc posuit ad aliorum discrimen qui uocati sunt. Etenim fideles omnes, uocati: at illi ad credendū duntaxat: mihi uerò, inquit, muneris apostolici functio seu legatio cōmissa est, quæ & Christo tradita erat à patre hūc in mundū emandato.

Vocatorum differentiæ

ἀφωρισμένος. *Segregatus in Euangelium Dei.] Hoc est, selectus ad Euangelij ministeriũ. Alii autẽ & segregatus, pro eo quod est prædestinatus ad hoc, accipit. ut cum ad Hieremiã Deus ait: Priusquam exires ex matrice, sanctificaui te. Quin ipse Paulus alibi ait; Quãdo uisum est Deo qui me segregauit ex utero matris. Porrò nõ frustra dicit, Vocatus sum: &, Segregatus in Euangeliũ. Verũ postẽ ei ad arrogantes sermo erat, se fide dignũ efficit, ceu diuinitùs missum. Euangeliũ autẽ dicitur, nõ ob exacta tantummodo bona, cæterũ propter etiã uentura. Consolat insuper auditorẽ, ipso statim Euãgelij nomine. Non enim tristia quædã, ut prophetarũ uaticinia, sed innumerorũ bonorũ thesauros Euangeliũ complectitur. Deinde Euangeliũ hoc Dei est, hoc est, patris, tum quod ab ipso donatũ sit, tum quod ipsum manifestũ reddat. Etsi enim in ueteri testamẽto cognitus erat, solis tamẽ Iudæis erat cognitus, neque illis ipsis ut pater. Postea uerò per Euangeliũ reuelatus est uniuerso terrarũ orbi, unà cum filio suo.

A

Hier. 1
Galat. 1

Euangeliũ de quibus dicatur.

Deus quib. olim notus fuerit.

Quod antea promiserat per prophetas suos.] Cum tanquam nouam prædicationem illam Euangelij calumniarentur, demonstrat hoc ipsum uel Græcis siue gentilibus antiquius esse, & in prophetis iam antea perscriptũ. Præterea ipsis uerbis Euangelij uocabulum in Dauide inuenitur, dum inquit: Dominus dabit uerbum euangelizantibus uirtute multa. Et in Esaia: Speciosi pedes euangelizantium pacem.

Euãgelium etiã prophetis antiquis notum.

Psal. 68
Esa. 52

In scripturis sanctis.] Non enim uerba duntaxat prophetæ fecerunt, sed & literis mandarũt sua, quinetiam per res figurarunt. Quemadmodũ Abraham per Isaacũ: & Moses per serpentẽ, manuumq; extensionẽ, agnique mactationẽ. Etenim cum ardua quæpiam moliturus est Deus, multo eadem antè tempore uaticinatur ac prædicit. Quando ergo ait, quòd multi prophetæ cupiuerunt uidere quæ uidetis, & non uiderunt: hoc dicit, nempe quòd carnem illam suam non uiderint, adeoq; signa ipsa quæ ipsorum oculis fuerant exposita.

Futura quæ ardua sunt, Deus prædicit.

Matth. 13

De filio suo, qui natus est ex semine Dauid secundũ carnẽ.] Hic perspicuè duas generationes manifestat: per hoc enim quod ait, de filio suo, hoc est Deo, supernã generationẽ: per hoc autẽ quod apponit, ex semine Dauid, inferiorẽ hanc. Adijciens porrò, secundum carnem, indicauit quòd & secundum spiritum eiusdem sit generatio. Quocirca nõ de nudo & simplici homine Euangeliũ hoc est, nam de filio Dei est: sed neq; de nudo & simplici Deo, nam de nato ex semine Dauidis secundũ carnẽ: ita ut idem sit utrũq;, nempe & filius Dei, & filius Dauidis. Posthac ergo Nestorius sua cũ opinione rubore suffundatur. Generationis autẽ eius quæ est secundũ carnẽ meminit etiã iste, perinde ac tres Euangelistæ: ut ab hac traducat auditores ad supernã illã generationẽ. Siquidẽ & ipse Dñs primũ uisus est homo, deinde cognitus est Deus.

B

Christus nõ solum Deus aut homo, sed et Deus aut homo.

Qui definitus est filius Dei in uirtute secundũ spiritũ sanctificationis, ex resurrectione mortuorũ Iesu Christi Dñi nostri.] Cum suprà dixisset Euangeliũ esse de filio Dei, nunc igitur astruit quanã ratione cognitus sit filius Dei, inquiens: Definitus, hoc est, demõstratus, cõfirmatus, iudicatus. Definitio enim est ipsa iudicatio, suffragiũ seu calculus, & enũciatio. Nã cũcti definierũt iudicarũtq; ipsum esse filiũ Dei. Vndenã: Per uirtutẽ, hoc est, ex potẽtia & efficacia signorũ quæ faciebat. Præterea secundũ spiritũ etiã sanctificationis, hoc est, ex spiritu, per quẽ sanctificabat credẽtes. Dei eñ est donare talia. Quinetiã ex resurrectione mortuorũ. nã primus ille, & solus se ipse excitauit. Et ex resurrectione igitur definitus est ac declaratus filius Dei. Magnũ quidẽ & hoc est, pinde atq; ipse ait: Cùm exaltaueritis me ab terra, tũ cognoscetis q; ego sum.

Ioan. 8

Per quem accepimus gratiam & apostolatum ad obediendum fidei.] Intuere modestiam & animi candorem: nihil, inquit, nostrum, sed omnia à Deo accepimus. Atqui per spiritum accepit apostolatum & gratiam. Ille enim, inquit, docebit uos. Et spiritus ait, Segregate mihi Paulum & Barnabam. Ac per spiritum datur sermo sapientiæ. Ecquid hoc? Quæ spiritus sunt, filij pariter sunt, & contrà. Gratiam autẽ, inquit, accepimus & apostolatũ, hoc est, nõ ipsi uirtute nostra, ut Apostoli efficeremur, impetrauimus, cæterũ è superna nobis id gratia contigit. Imò & persuadere, gratiæ est. Circuire enim & prædicare Apostolorum munus est: persuadere uerò auditoribus, totum est Dei. Ad obediendum fidei, non ad inanem uerborũ pugnam, non ad quæstiones, aut ad artificiosam oratiõis structurã missi sumus, inquit, uerũ ad obediendũ fidei, ut qui instituti fuerint, accepta doctrina obediãt, citra contradictionẽ credẽtes.

Ioan. 16
Act. 13
2. Cor. 12

Filij & spiritus cõmunio.

Apostolorũ munus.

In om-

A In omnibus gentibus, pro nomine eius.] In omnibus porrò gentibus accepimus gratiam, nō ego solus, uerū reliqui etiam apostoli. nō enim iam Paulus omneis gentes circūierat. Nisi quispiam dicat, ꝙ nō uiuus quidem, sed mortuus, ad omnes gentes transeat per epistolas suas. Vt autem credant audientes de nomine Christi, nō de essentia ipsius. Nomen enim Christi erat, quod & signa faciebat. Atq; istuc fide opus habet, neq; enim ratione comprehendi potest. Animaduerte hic Euangelij donum, non uni uidelicet genti, ueteris testamenti in morem, sed omnibus prorsus omnium nationum populis communicatum. *Euangelij gratiam ad omnes pertinere.*

In quibus estis & uos uocati Iesu Christi.] Hic tollit illorum fastum & superciliū. Non enim, inquit, alias antecellitis genteis, tametsi imperium obtinere uideamini: ueruntamen perinde ac cæteris, sic & uobis prędicamus: ne igitur turgeatis fastu Potest & aliam ad rationem ita intelligi. Vocati enim estis & ipsi, gratia assumpti, non à uobisipsis accedentes.

Omnibus qui Romæ estis dilectis Dei uocatis sanctis.] Non omnibus simpliciter Romæ agentibus, cæterū dilectis Dei. Vnde quæso dilecti? ex sanctificatione. Sanctos autem fideles uocat omneis. Rursus autē uocatos appositi, beneficium illis ad memoriam reuocans, ac simul indicans quòd etiamsi ex Consulibus & primatibus eratis, Deus tamen eadem uos uocatione uocauit, qua & reliquos priuatos acciuit, peræquè uos diligens & sanctificans. Postquam igitur dilecti estis, & uocati estis, & sanctificati consimili ratione, ne erga inferiores attollamini.

Gratia uobis & pax.] Dominus hoc primū in ædes ingredientibus uerbum apostolis dicere iniunxit, uerbum inquam pacis. Neq; enim exiguū bellū diremit, q̄d nobis peccatū aduersus Deū pepererat, pax autē illa nō est nostris laboribus, sed ex diuina gratia pfluxit, prius itaq; gratia est, deinde pax. Hæc itaq; duo bona ppetua manere optat & immota, ut ne denuò nobis ad peccatū relabentibus, aliud bellū exuscitet. *Matth. 10.* *Gratia pacem præuenit.*

A Deo patre nostro, & Domino Iesu Christo.] Papę, in quantū accreuit gratia ex
B diuina dilectione? Nam qui hostes & inglorij eramus, patrem nacti sumus ipsum Deum. A Deo patre igitur & Domino nostro Iesu Christo, sit uobis stabilis gratia & pax: ab his inquam qui hæc ut dederunt, ita & conseruare possunt. *Deus, pater nobis factus ex gratia.*

Primū quidem gratias ago Deo meo per Iesum Christū pro omnibus uobis, quoniam fides uestra annunciatur in uniuerso mundo.] Cōueniens ac decorū est Paulinæ menti exordium, quo docemur & ipsi gratias Deo agere, nec pro nostris tantū, sed etiam proximorū bonis: hoc nanq; charitatis est. Gratias autem agit Deo nō pro terrestribus quibusdam & pereuntibus bonis, uerùm propterea quòd Romani crediderunt. Porrò quo dicit, Deo meo, affectum quem habebat declarauit: quòd commune erat sibi priuatim uendicando: quod & factitarunt prophetæ. Quinetiā Deus hoc ipse facit, Deum Abrahami & Isaaci & Iacobi sese nominans, ut suam erga ipsos charitatem demōstraret. Gratias agere autem inquit per Iesum Christum. Ille enim & gratiarū actionis ad Deum patrem nobis mediator existens, nedum dedit in mandatis ut gratias ageremus, uerùm nostram quoq; gratiarū actionem offert patri. Cuius porrò rei causa gratias agit? Quòd fides Romanorū annunciatur prædicaturq; per totum terrarum orbem. Duarum illis rerum testimonium dicit, & quòd crediderunt, & quòd tanta libertate & fiducia crediderunt, ut fides illorum in uniuerso mundo prædicetur, adeoq; per ipsos alij omnes utilitatem percipiant ad regiæ scilicet urbis emulationem & imitationem accensi. Porrò cum Petrus Romæ Euangeliū prædicasset, quæ illius erant, sua reputans, pro fide Petri discipulorum gratias agit: adeò ab inuidia quidem alienus erat. *Exod. 3* *Matth. 22*

Testis enim mihi est Deus, cui seruio in spiritu meo in euangelio filij eius, ꝙ sine intermissione mentionem uestri faciam semper in orationibus meis.] Quia nunquā eos uiderat, dicturus autem erat, semper mentionē uestri facio, testem inuocat eum qui cordis abdita nouit Deum. Intuere uerò hic apostolica uiscera, affectumq; singularem. Siquidem passim meminit hominum quos etiam non conspexerat. Vbi hoc? in precationibus, idq; incessanter. † Colo autem Deum, hoc est seruio Deo, in spiritu meo, id est, non carnali cultu, sed spirituali. Gentilis enim cultus & carnalis & erroneus est: Iudaicus autē erroris quidem expers, attamē & ipse corporalis est. Christia- † λατρεύω *Dei cultus spiritualis.*

Ioan. 4. *Seruiēdi ac colendi modi diuerſi.*

nus autē cultus, & uerus eſt, & ſpiritualis: ꝗd & Dominus Samaritanæ dicit: Veri adoratores in ſpiritu & ueritate adorabunt. Quandoquidem multi ſint cultus modi. Alius enim Deum colit, illiſq; inſeruit in ſuarum tantūmodo rerum diſpenſatione: alius hoſpitibus & peregrinis adhibendo curam, ac uiduarum præfecturam neq; non ſolicitudinē gerendo, itidem ut Stephanus: alius in uerbi miniſterio. propter hoc ipſum Paulus inquit, Ego ſeruio in Euangelio filij. Atqui ſuprà dixit, Euangeliū eſſe patris, ſed nihil mirū. Quæ enim patris ſunt, filij etiam ſunt: & quæ filij, patris. Hæc autem cōmemorans, neceſſariam ſuam ſuper illis curam demonſtrat. Cui enim Euangelij annunciandi ſeruitus eſt cōmiſſa, illi neceſſe eſt, ut omnium curam habeat, qui uerbum ipſum fuerint excepturi.

Euangeliū & filij eſſe, & patris.

Obſecrans ſi quo modo tandem aliquando proſperū iter habeam in uolūtate Dei ut ueniā ad uos.] Nunc adijcit qua de cauſa illorū meminerit, nempe, ut uenirē, inquit, ad uos. Vide autē q̄ impenſe quidē eos amabat ac uidere feſtinabat, non tamen præter Dei placitū. Nos uerò aut neminē amore cōplectimur, aut ſi quē unquā complexi fuerimus, hoc præter uoluntatē Dei agimus. Cæterū quòd Paulus continenter orabat ut uideret eos, ex uehementi hoc charitate faciebat: quod uerò Dei nutui obtemperat, religionē qua ardebat in Deum, oſtendebat. Nos itaq; ſi quando precum noſtrarū nō efficiamur compotes, ne ægreferamus. Neq; enim Paulo ſumus meliores, qui pro ſtimulo ter Dominum precatus eſt, nec tamen quod uoluit eſt aſſecutus: hoc enim illi commodabat.

Preces noſtras nō ex audiri, patienter ferāmus. 2. Cor. 12.

Vt aliquod uobis donū impartiar ſpirituale.] Alij pro alijs quidē rebus longā pſectionē ſuſcipiunt: ego uerò, inquit, ut uobis aliquid impertiar. Hoc autē dicit, modeſtiam ſpirans. Nō enim ait, ut inſtituam uos, ſed, ut quod accepi, cōmunicem. Et hoc quoq; exiguū & modeſtū. Porrò χάρισμα, id eſt, donū, ſiue gratia, oīne id eſt quod ad audientiū cōmoditatē doctores perferūt: nam etiamſi rectum officiū, & ex uirtute factum eſſe uideatur: attamen rectè ac præclarè à nobis facta, propterea quòd ſuperno opus habeant auxilio, dona ſunt & chariſmata.

Ad confirmandos uos, hoc autē eſt, ut cōmunem capiā conſolationē in uobis per mutuā fidē ueſtrā ſimul & meā.] Clanculū indicauit multa ipſis opus eſſe correctione. Poſtq; autē & hoc ualde moleſtū erat, dicere nanq; potuiſſent: Quid ais: concutimur: circūferimur: tuaq; ut cōfirmemur opera indigemus: ſubinfert, hoc eſt, ut conſolationē ſimul accipiā. Quod uerò ait, huiuſmodi eſt: Multas ſuſtinuiſtis afflictiones: deſideraui igitur uos uidere, ut quadātenus uos cōſolarer, imò potius ut & ipſe cōſolationes acciperē: cōmune eñ hoc lucrū eſt. Quēadmodū eñ in captiuitate degētes, qui tum fideles erāt, opus habebāt mutuo cōuentu, quo impenſe alter alterū conſolarent. nunquid igitur & diuus Paulus, eccleſiæ illa columna, illorū auxilio indigebat: haudquaq̄. Verū ne impetuoſum ſermonē faciat, néue illos feriat ſeu percellat, uti diximus, huius gratia & ſeſe eorū cōſolationis indigere ait. Sin aūt quiſpiā cōſolationē hic dixerit eſſe lætitiā quā ob fidei Romanorū incrementū habuerit, atq; ea indigere Paulū, rectè mea quidē ſentētia dixerit, ꝗd & perſpicuū eſt ex eo ꝗd ait, Per mutuā fidem & ueſtrā ſimul & meā. ut ſit hæc ſentētia: Et ego quidē cōſpecta fide ueſtra ſolamen capiā, atq; lętabor ex animo, ac uos per meā fidem confirmabimini cōſolatione accepta: quandoquidem forſan propter puſillanimitatem concutimini. Verùm hæc non apertè dicit, cæterùm orationem ſtrictim & breuiter enunciat, uti dictum eſt.

Pauli in ſcribendo prudentia.

Nolo autē uos ignorare fratres, q̄ ſæpe propoſui uenire ad uos, & prohibitus ſum hucuſq;.] Poſtquā ſuprà dixerat, Opto uenire ad uos, ac ueriſimile erat quoſdam cogitare ſecum: Si optas & concupiſcis conſolari, & conſolationē rurſus accipere, quid eſt quod prohibeat, quo minus ueniās: ſubintulit, Quoniam prohibitus ſum à Deo. Animaduerte uerò, quomodo non curioſe inquirat cur ſit prohibitus. Nam dominicis mandatis ſubditus planè erat, erudiens & nos, ut ne curioſe indagemus ea quæ Deus facit. Denunciat itaq; Romanis, quòd non per ſocordiam aut contemptū nō uenerit. Adeò enim ardenter uos diligo, ut neq; prohibitus deſtiterim, ſed iterū atq; iterum conatus ſum uenire, ob uehementem erga uos dilectionem.

Dei cōſilia curioſe nō indaganda.

Vt fructum aliquē habeam in uobis, quemadmodū & in reliquis gentibus.] Quia celeberrima erat urbs, & omnes ad eam confluebant propter miranda quæ in ipſa ſpectaban-

A spectabantur, & magnificentiam eius, ut ne quispiam existimet quòd Paulus ob eandem causam eos uidere desideret: propter hoc, inquit, desiderabam uenire, ut fructū aliquem haberem. Simul autem & aliam suspicionem diluit. Forsan enim aliquis dicere potuisset: Eam ob causam prohibebaris, quòd non secundum Dei uoluntatem uenire uoluerís. Dicit igitur, fructum habere uolebam. Non autem ait, ut instituam, ut doceam, uerùm moderatè loquēs, ut aliquem fructum habeam: perinde ac suprà, ut aliquod donū impertiam. Illorum autem fastum compescens, inquit, quemadmodum & in reliquis gentibus. Non enim quia imperium orbis penes uos est, arbitremini uos reliquis gentibus præstantiores esse: æquali enim ordine collocamini. *Romæ magnificentia.*

Græcis & barbaris, sapientibus & insipientibus debitor sum. ita quantum in me est, paratus sum & uobis qui Romæ estis, euangelizare.] Hoc etiam ex modestia manat. Nihil enim, inquit, ego dono, uerùm Domini mei mandatum adimpleo, Deoq; uos gratias agere cōuenit: siquidem ille benefactor est, ego uerò debitor sum, & irrecusabile debitum habeo, prædicandi ipsum scilicet munus: quod & Corinthijs dicebat: Væ enim mihi, si non euangelizauero. Proinde sanè promptus sum & uobis Euangelium annunciare, etiamsi pericula præstò cernantur posita. Tanto in Christum flagrabat studio. *Paulus debitor. Prædicandi officium. 1. Cor. 9*

Non enim pudet me Euāgelij Christi. †Virtus enim Dei est ad salutē omni credenti, Iudæo primū & Græco.] Cum Romani mirificè stupescerent ad mundi huius gloriam: ipse uerò prædicaturus erat, qui nihil nō ignominiæ pertulerat, Iesum: ac uerisimile erat ipsis pudori hoc fore, si talis existimaretē seruator: propterea, Non me pudet inquit. Illos iuxtà docens, ne pudefiant: quandoquidem & ipse nedum nō pudefiebat, quin potius pulchrum sibi putabat, & gloriabatur eo nomine. Quia uerò & ipsi sapientiæ nomine turgidi erant, Ego, inquit, cruce uenio prædicaturus, nec propter ea pudere suffundor: nam uirtus Dei est in salutem. Est etiam uirtus siue potentia ad punitionē, quemadmodū Aegyptijs suam Deus potentiā demonstrabat, ipsos pœna B afficiens. Est præterea & ad interitū, ut cum ait: Timete eum qui potest perdere in gehenna. Quæ igitur ego Paulus prædico, nō pœnā neq; interitū continent, sed salutē. Cui autē? omni credenti. Nō enim simpliciter cunctis Euangeliū cedit ad salutē, sed accipientibus illud, Iudæo primū & Græco. Primū hic est ordinis honos, non gratiæ exuberantia. Non enim plus habet Iudæus, aut præferendus est eo q̄ maiorē iustitiā acceperit: uerū q̄ primus eam acceperit, honoratus est: solius idcirco uerbi est honor. †δύναμις id est, potētia siue uirtus, sed ea quæ imbecillitati opponitur. *Virtus Dei siue potentia diuersa. Matth. 10. Euāgelium quibus salutiferum.*

Iustitia enī Dei in ipso reuelatē ex fide in fidē, sicut scriptū est: Iustus autē ex fide uiuet.] Cum dixerit q̄ ad salutem esset Euangeliū, exponit quí hoc sit: nempe q̄ iustitia Dei seruet nos, nō sanè nostra. Qualem enim iustitiā nos haberemus execrati operibus & corrupti? At uerò Deus iustificauit nos, nō ex operib. nostris, sed ex fide quæ ad fidē uberiorē & maiorē procedere debet. Nec enim satis est primū credidisse, cæterū ex introductoria fide opus est nos ascendere ad consummatiorē fidem, immobilem nempe & firmā sedem, seu stabilimentū: sicut & Apostoli dixerunt ad Dominū: Adauge nobis fidē. Cōfirmat autē quod ait, nēpe, q̄ ex fide iustificati sumus, ex prophetia Habacuc: Iustus enim, inquit, ex fide uiuet. Postq̄ enim quæ Deus nobis per gratiā suam impertijt, excedunt humanas cogitationes, meritò nobis fide opus est. Nam si cœperimus curiosi diuinarū rerum scrutatores esse, uniuersum perdidimus. *Hab. 2. Heb. 10. Gal. 3. Luc. 17. Habac. 2*

Reuelatē enim ira Dei de cœlo super omnē impietatē & iniustitiā hominū ueritatē in iniustitia detinentiū.] Cum à cōmodioribus orsus esset, dixisset q̄ iustitiā Dei per Euangelium reuelari, nunc ea profert quæ terrere queant. nouit enim q̄ plures terrore ad uirtutem trahuntur. Hac ratione Deus regni mentionē faciens, simul gehennæ meminit: prophetæ item primū bona præponunt, deinde mala subijciunt. Nam illa quidem sunt præcedentis & præcipuæ uoluntatis Dei, hæc autē nostræ ignauiæ. Considera autē hic orationis consecutionē. Venit, inquit, Dominus iustitiā tibi adferens, noxæq; dimissionē: quæ si nō receperis, tum reuelatur ira Dei de cœlo, quæ uidelicet in secundo exprimet aduentu. Ac hodie quidem experimur iram eius, uerū ad correctionē & emendationē: tum uerò ad supplicium tantūmodo. Et nunc quidem ab hominibus uidemur in multis lædi & affligi: tunc uerò manifesta erit pœna Dei super omnē impietatem. Verus sanè cultus & pietas unius est formæ, impietas uerò *Ira Dei in hoc seculo, differt ab ea quæ erit in futuro.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

multifida est: eam ob rem dixit, super omnē impietatē, ceu multæ sint eius uiæ. & iniustitiā hominū. Aliud est impietas, & aliud iniustitia. Illa enim ad Deum, iniustitia uerò ad homines pertinet. Ac illa quidem in speculatione mentis uersantis peccatū est, hæc uerò in opere consistentis. Haud paucæ huius porrò uiæ sunt. Nam iniurius est quispiā proximo, cum in pecunia & facultatibus, tum uxore & gloria. Quidā hic asseuerant iniustitiam de dogmatibus à Paulo esse positam. Quid uerò sit, ueritatem in iniustitia detinentium, audi. Veritas siue quæ de Deo est cognitio, mortalibus ab initio est insita. Hanc ueritatē atq; notitiam Græci in iniustitia detinuerunt, hoc est, quantum in ipsis erat, iniuria affecerunt, idolis attribuentes gloriam Dei. Perinde ac si quisquam pecunias accipiat, quas in regis gloriā impendat, & interim illas in prædones & scorta insumat, rectè dicetur iniurius esse aduersus regis gloriam & magnificentiam: haud dissimilem ad modum Græci in iniustitia detinuerunt, hoc est, cooperuerunt, & iniustè ueluti tenebris obfuscarunt gloriam Dei & cognitionem, cum non decenter neq; cōmodè illa uterentur.

Impietas et iniustitia differūt, & illa est contemplatiui, hæc uerò practici.

A

Quia quod de Deo cognosci potest, manifestū est in illis: Deus enim ipsis manifestauit. Inuisibilia enim ipsius à creatura mundi per ea quæ facta sunt, intellecta cōspiciunt: sempiterna quoq; eius potentia & diuinitas, ita ut sint inexcusabiles: quia cum Deū cognouissent, nō ut Deū glorificauerūt, aut gratias egerunt.] Suprà dixit q; cognitionē Dei iniuria adsecerūt Græci, ea nimirū abutentes. Vnde igitur perspicuū sit q; Dei notitiā habuerint, nūc explicat: quoniā q̄d de Deo cognosci potest, manifestū est in ipsis. Deinde hoc ipsum corroborat, inquiens, quoniā ex bona creaturarū constitutione prædicatur opifex: quemadmodū & Dauid ait: Cœli enarrant gloriā Dei. Quid autē sit, quod de Deo cognosci possit, ita discere queas. De Deo, aliud quidem cognosci nō potest, ut ipsa essentia: aliud uerò cognosci potest, ut omnia quæ sunt circa essentiam, nempe bonitas, sapientia, uirtus, potentia, diuinitas, siue maiestas, quæ & inuisibilia eius diuus Paulus nominat, intellecta quidem ex operibus. Græcis itaque monstrauit id quod de sese cognosci posset, siue quæ circa essentiam eius sunt omnia, quæ & oculis quidem sensibilibus inuisibilia sunt, mente uerò comprehensibilia propter concinnam in operibus ordinationem. Quidam per inuisibilia, angelos accipiunt, minus tamen appositè, ut opinor. Patrum quispiam sempiternam potentiam, filium dixit: diuinitatem autem, spiritum sanctum.

Psal. 18. De Deo quædam cognosci possunt, quædā minimè.

B

Vt sint ipsi inexcusabiles.] Hoc ex euentu contigit. Non eā propterea Deus hęc fecit, ut illi sint inexcusabiles, uerùm ex euentu hoc accidit. Animaduerte itaq; talem scripturæ proprietatem, & non offendes. pleraq; nanq; huiusmodi plerisq; in locis dicuntur, quæ sic diluenda sunt, ut per euentum illorum reddatur ratio: ueluti Dauid inquit: Quoniam prauū feci, ut iustificeris in sermonibus tuis, & uincas. Quod etiāsi absurdum apparet, tamen minimè est absurdum. Ait enim, Quia ubi beneficia abste accepissem Domine, super omnem spem peccaui aduersum te: atq; ex hoc contingit te iustificatum, iureq; defensum aduersus me, uincere. Ex effectu itaq; adeoq; exitu iustificatur Deus, dum nos & insipientes & ingrati sumus ipsius in nos collatis beneficijs, nec quicquam quo nos defendamus, habemus. Græcis itaq; nihil quo sese defendant, relinquitur: quandoquidem ex creaturis Deum cognoscentes, nō ut decet eum glorificauerunt, neq; egerunt gratias tanquam creatori & factori, uerùm idolis honorem qui solius ueri Dei erat, tribuerunt.

Gentes inexcusabiles

Psal. 50.

Sed euanuerunt in cogitationibus suis, & obscuratum est insipiens cor eorum, dicentes se esse sapientes, stulti facti sunt.] Causam reddit, qua ad huiusmodi amentiam exciderint. Ratiocinationibus, inquit, suis omnia permiserunt: uolentesq; in forma quapiam, forma uacantem, adeoq; in corpore, incorporeū comprehendere, uani deprehensi sunt: ut qui nō possent ad finem cogitationum siue ratiocinationū suarum peruenire. Insipiens autem, seu intellectu carens cor ipsorū dicit, quòd fide nolit omnia percipere. Vnde autem eò erroris delapsi sunt, ut ratiocinationibus suis cuncta permitterēt? ex eo quòd putarent se esse sapientes, ideoq; stulti facti sunt. Quid enim stolidius quàm lapides & ligna adorare?

Et mutauerunt gloriam incorruptibilis Dei, in similitudine imaginis corruptibilis hominis, & uolucrū, & quadrupedum, & serpentū.] Qui permutat aliquid, quod

h hoc,

habet,in aliud permutat. Habebāt ergo & ipſi notitiam,ſed eam perdiderūt, & aliud quiddā habere uoluerunt præter id quod habebant, amiſeruntq; id quod habebant. Attribuerunt autē gloriam incorruptibilis Dei,nō homini quidem,ſed imagini corruptibilis hominis. Et quod hoc longè deterius eſt, ad ſerpētes etiam delati ſunt,imò uerò & ad horum imagines: adeò luculenter inſanierunt. Nam cognitionem quam oportebat habere de eo qui omnia incomparabiliter excellit,hanc ei quod omniū eſt incomparabiliter uiliſſimū,attribuerunt. Porrò gloria Dei eſt, ipſum ceu creatorem & prouidentem rebus mortalium gubernatorem cognoſcere: idq; genus alia, quę ei conueniunt. Atenim qui ſunt, qui adeouſq; deliquerunt? Sapientiſſimi, ſubtiliumq; rerū maximè gnari Aegyptij. Nam ſerpentū etiam & reptiliū imagines illi coluerūt, Aegyptij idololatræ.

Gloria Dei quæ ſit.

Propter q̄d tradidit eos Deus in deſideria cordis eorum in immunditiā,ut cōtumelia afficiāt corpora ſua in ſemetipſis: qui cōmutauerunt ueritatē Dei in mendaciū, & coluerūt & ſeruierūt creaturæ potius q̄ creatori, qui eſt benedictus in ſecula, Amē.] Tradidit,eſt pro permiſit,dimiſit: quemadmodū medicus ſuccurrens laboranti, dein de uidens ipſum inordinatè ineptèq; gerentem, haudq; diætæ obſeruantē, & immorigerum ſibi: tradit eum ut uehemētius ægrotet,pro eo quod eſt, deſerit eum & permittit ut ſuæ uoluntati indulgens à morbo minimè releuetur. Sunt qui, Tradidit eos Deus,ſic intellexerunt, nempe pro,iniuria qua Deū affecerūt,ac temulentia, perinde ac dicimus q̄ quendam pecunia perdiderit. Atqui argentū non perdidit,ſed abuſus. Saulem itidem regnū corrupit, aut Solomonē,pro eo quod eſt,regni abuſus perdidit. Traditi ſunt ergo per propriā nequitiā ſuam,ad impuritatē,ut nō opus haberint alijs iniuriam inferentibus,ſed ipſi ſe contumelia affecerūt,huiuſmodi ſunt enim impuri illi affectus. Vnde autē ad impuritatē traditi ſunt? Ex iniuria qua in Deū impegerūt. Nam qui Deum nō uult noſſe,ſtatim in uitæ moribus etiā perditur: quēadmodū & Dauid inquit: Dixit inſipiens,nō eſt Deus. Tum ſubdit illicò, corrupti ſunt & abominabiles facti ſunt in ſtudijs ſuis. Cōmutarunt igitur quæ uerè ad Deū pertinebant, appoſueruntq; ea uanis dijs. Porrò coluerūt, poſuit pro, honorauerūt. Et Seruierūt, pro, operibus ſeruitutem exhibuerūt: id enim eſt λατρεύειν, honos qui per opus exhibet. Nec ſimpliciter dixit, ſed potius q̄ creatori, ex cōparatione delictū attollēs. Verūm ille, inquit, benedictus eſt in ſecula, hoc eſt, nihil quicquam læſus eſt ex ipſorum iniuria, ſed eſt benedictus in æuū, ſtabiliter ac certò: hoc enim Amen ſignificat.

Idololatræ.

Tradere Dei, quid ſit.

Pſal. 13

Amen

Propterea tradidit eos Deus in paſsiones ignominiæ. Fœminæ enim ipſorum immutarunt naturalē uſum in eum qui eſt cōtra naturā. Similiter & maſculi, relicto naturali uſu fœminæ, exarſerunt in deſiderijs ſuis inter ſe mutuò, maſculi in maſculos turpitudinē ſuā operantes, & mercedē quā oportuit, erroris ſui in ſeipſis recipientes.] Rurſus Dei derelictionē traditionē nominat, propterea factā, q̄ inſeruierunt creaturæ. Sicut ergo in ijs qui de Deo erāt dogmatib. corrupti erāt, relinquētes quæ à natura eſt manuductionē, ita & in uita execrabiles facti ſunt, dimittētes quæ ſecundū naturā eſt uoluptatē (quæ & facilior erat & ſuauior) & ad eam quæ præter naturā eſt, lapſi, quæ & difficilior minusq; eſt iucunda. Immutare enim hoc ſignificat, quòd quæ habebant dimiſerunt, & alia elegerunt. Magnum igitur accuſatorem utriq; ſexui, naturam, quam, tranſgreſsi ſunt, conſtituit. Cum enim de fœminis occultè turpe quiddam dixiſſet ac indecorum planè dictu, de maribus etiam ait, quòd exarſerint inter ſeſe mutuò, œſtrum & furorem indicans. Non dixit autem, cōcupiſcentiam efficientes, ſed turpitudinē, innuens quod naturam pudefecerint. Poſtquam uerò dixit, quoniam in cupiditate exarſerunt: ne quis exiſtimaret cupiditatis tantummodo eſſe morbum, ipſi, inquit, operabantur, hoc eſt, ſtudioſi ac diligentes erant circa impuritatem opus ipſam facientes, & mercedem defectionis à Deo, & ad idola erroris recipientes in tali turpitudine, & in ipſa uoluptate pœnam habentes, tanquam præter naturam ſit, & plena impuritatis. Dicit autem hoc Paulus, ut qui nondum potuerit eis perſuadere eſſe gehennam. Ipſam, inquit, immundam operationē, ſupplicium illis eſſe crede, ſi nondum credis de gehenna ſermonibus.

Dei derelictio, traditio.

Voluptas naturalis ſuauior.

Ac ſicut non probauerunt Deum habere in notitia, tradidit eos Deus in reprobum ſenſum, ut faciant ea quæ non conueniunt.] En iam tertiò eiuſdem ſententiæ meminit, eademq; dictione eſt uſus, tradidit inquiēs. Vbiq; autem derelictionis Dei

Impietas, derelictio - nis Dei cau ſa.

cauſam, mortalium impietatem eſſe dicit, ſicut & nunc quidem. Sicut non probauerunt Deum habere in cognitione, tradidit eos Deus in paſſiones: Iniuria, inquit, qua Deum affecerunt, nō ex ignorantia proceſſit, ſed à meditatione & ſtudio. Non enim dixit, Quemadmodū non nouerunt Deum, ſed, quemadmodū nō probauerūt, hoc eſt, iudicauerunt, ne Deum in notitia firma tenerent, ac ſuapte ſponte impietatē elegerunt. Neq; igitur carnis ſunt peccata, ut quidam hæreticorū putant, uerùm corrupti iudicij. Primùm igitur illi reprobauerunt noſſe Deum, ideoq; Deus permiſit illos ad reprobam mentē deferri. Auerſio nanq; Dei & derelictio, traditio nominatur in ſcriptura. Porrò uenuſto quiſpiam diuorum interpretum uſus eſt exemplo, quo explanatur hoc quod ait, Tradidit eos Deus: perinde ac, inquit, ſi quiſpiam conniueat nolens uidere ſolem, deinde cadat in ſcrobem, dicimus nō uiſus ſol quendam in foſſam deiecit: non q̄ ira percitus ſol hominem deiecerit, uerùm q̄ oculos eius non illuſtrauerit. Iam quòd nō illuxerit oculis, unde eſt: à claudente uidelicet oculos, & conniuente. Sic & Deus tradidit eos in paſſiones ignominię. Quanam ratione nō agnitus hominibus. Quòd uerò non ſit agnitus, unde: ab illis nimirum qui non probauerunt nec iudicauerunt ut agnoſcerent ipſum.

Traditio Dei quæ dicatur.

Repletos omni iniuſtitia.] Vide uniuerſa attentè ac diligenter. Repletos enim omni iniuſtitia, cum epitaſi ait, cum extremam uniuerſæ malitiæ eos menſuram antetuertiſſe dixiſſet, ceu præmiſſo genere ſpecies deinceps eius malitiæ recenſet.

Fornicatio.

Fornicatione.] Omnē ſimpliciter impuritatē, fornicationis nomine eſt cōplexus.

Verſutia.] Inſidijs erga proximum.

Auaritia.] Pecuniarum & facultatum cupiditate.

Nequitia.] Vindictæ affectu.

Homicidiū ex inuidia. Gen. 4. 37.

Plenos inuidia, homicidio.] Nunquam non homicidium eſt ex inuidia. Sic Abel inuiſus Caino redditus, occiſus eſt. Hanc ad rationem Ioſeph interimendus erat.

Cōtentione, dolo.] Ex inuidia & lis & dolus prodeūt, ad pernicię eius cui inuidē. B

Malignitate.] Profundè occultata malitia, quæ bonitate quadam ſit oblita.

Suſurrones.] Clanculum calumniantes.

Detractores.] Palàm detrahentes.

Deo odibiles.] Deum odio proſequētes, uel odio Dei obnoxios, quo illos Deus proſequitur.

Superbia uitiorum arx

Contumelioſos, ſuperbos, elatos.] Ad omnium uitiorum arcem ſuperbiam conſcendit. Etem̄ ſi boni quicq̄; aliquis faciens, hoc perdit ſuperbiens: quanto magis qui mala perpetrat: neq; enim ita affectus reſipiſcere poteſt. Veruntamen noueris, q̄ ſuperbia quidem Dei eſt contemptus, elatio uerò ſiue arrogantia eſt hominū, è qua naſcitur iniuria. Nam qui homines aſpernat̄, omneis iniuria afficit & cōculcat. Quanuis autem arrogantia natura prior eſt quàm iniuria, nobis tamen iniuria manifeſtatur prior: deinde mater eius cognita fit arrogantia.

Inuentores malorum.] Non enim contenti erant prioribus. Hoc autem nō ſubiti motus, aut uiolenti raptus, ſed meditationis eſt & ſtudij.

Parentibus immorigeros.] Aduerſus ipſam etiam naturam, inquit, pugnantes.

Inſipientes.] Non intelligentes, idq; nō immeritò. Quid enim aliud intelligerent, qui parentibus non obtemperant?

Pactorū haudquaq; tenaces.] Hoc eſt, in cōuentionibus & pactis nō permanētes.

Implacabiles, ſiue affectione, ſiue miſericordia.] Radix omnium malorum eſt ipſa charitatis refrixio. hinc enim eſt quòd alter alteri nō reconcilietur, alter alterū non diligat, non miſereatur, nulla erga alium tangatur miſeratione. Quod & Chriſtus dixit: Quādo abundabit iniquitas, refrigeſcet charitas. Porrò natura nos inter nos ipſa conglutinat, æquè ac reliqua animalia. uerùm homines parum intellexerunt.

Matth. 24.

Qui cum iuſtitiam Dei cognouiſſent, quòd qui talia faciunt, digni ſint morte: nō ſolùm ea faciunt, uerumetiam aſſentiuntur ijs qui faciūt.] Demonſtrauit quòd quia noluerunt agnoſcere Deum, repleti ſint omni malitia: nunc demonſtrat neq; uenia eos eſſe dignos. Non enim dicere poſſunt quòd bonum ignorauerint: norunt nanq; iuſtitiam Dei. Sua ſponte itaq; faciunt, ac quod deterius eſt, inſuper & approbāt eos qui faciunt, hoc eſt, patrocinantur malitiæ, qui morbus eſt immedicabilis.

CAPVT

CAPVT II.

A PRopter quod inexcusabilis es ô homo omnis qui iudicas. In quo enim iudicas alterum, teipsum condemnas. eadem enim agis, qui iudicas.] Postquam diuersarum sim⁹ sententiarum nos homines, aliàs malo patrocinantes, aliàs alienorum iudices malorũ sedentes, similes nobis cõdemnemus: prius quidem dixit de cõsentientibus praua operationi. Nunc uerò de iudicando sermonem facit: propterea, inquiens, Inexcusabilis es ô homo, hoc est, quandoquidem nosti eam esse iustitiam Dei, ꝙ digni sint pœna mali, inexcusabilis es, qui iudicas eadem tecũ facientes. Videtur autem hic sermonem dirigere ad principatus & magistratus, præcipuè uerò ad Romanos, ut qui orbi terrarum præsiderent. Magistratuũ enim est iudicare. Attamen cuiuis etiam mortalium hæc cõueniunt. quiuis enim sententiam ferre potest, etiamsi tribunal minus occupet. Adulterum igitur, inquit, condemnans, teipsum condemnas, cum ipse mœchus sis.

Scimus autẽ ꝙ iudiciũ Dei est secundũ ueritatẽ, in eos qui talia agunt.] Vt ne quis dicat: Ego hactenus mœchus cum essẽm, effugi supplicũ: nec sum punitus, etiamsi mœchum puniuerim, perterrefaciens ait, ꝙ sic sese res nõ habet apud Deum. Hic enim alius quidem pœna afficitur, alius uerò supplicium euadit, paria quanuis faciat: illic autem sic non est. iudicium enim Dei est secundum ueritatem erga malos.

Existimas autẽ hoc ô homo qui iudicas eos qui talia agunt, & facis ea, ꝙ tu effugies iudiciũ Dei? An diuitias bonitatis eius, & patiẽtiæ, & longanimitatis cõtemnis, ignorans ꝙ benignitas Dei ad pœnitentiã te adducit? Secundũ autẽ duritiã tuã, & impœnitens cor thesaurizas tibi ipsi iram in die iræ & reuelationis & iusti iudicij Dei, qui reddet unicuiq; secundum opera sua.] In superioribus asseuerauit, ꝙ merces erroris, & creaturarũ culturæ, per mala in quibus lasciuiebant, sit reddita: siquidẽ ipsa impuritas satis erat pro pœna. Nunc igitur ipsis in posterũ obuenturũ supplicium reuelat. Est enim, inquit, & alia tibi relicta pœna ô homo: nam iudiciũ Dei nõ effugies. Quo
B modo enim, qui tuum ipsius iudiciũ nõ effugisti? Etenim in quo alterũ condemnasti, contra teipsum sententiam tulisti. Sin autẽ propterea quòd supplicũ de te nondum sumptũ fuerit, diuitias bonitatis eius aspernaris, hoc ipsum ad maiorẽ tibi pœnam cedet. Nam longanimitas se ad emendationẽ utentibus salutaris est, insumentibus aũt eam ad peccati augmentũ, maioris est supplicij occasio: nõ ob suri naturã, cæterũ ob istorũ duritiẽ. Thesaurizas enim tibi ipse iram, nõ Deus, sed tu tibi ipse colligis irã. Vnde? ex impudentia, duroq; ad bonũ corde tuo. Quãdo enim neq; bonitate molliris, neq; terrore flecteris, quid quæso te durius? Porrò diem iræ dicens, adiecit simul, Reuelatiõis & iusti iudicij Dei: idq; nõ immeritò, ne quis ex iracũdia iudiciũ esse puter. Detectio nanq; fit, inquit, omniũ, ut iuxta reuelatorũ meritũ fiat retributio. hinc iustum etiam est iudicium. Hic sanè, quia opera occuluntur, non semper iustitia dominatur: illic autem reuelationem sequitur iustum iudicium. Obserua locum hunc, conferentem tibi ad hoc quod Deus inquit: Indurabo cor Pharaonis. Paulus enim illa propemodum non adeò dissimilibus uerbis exprimit.

Iis quidem qui secundũ patientiã boni operis gloriam & honorẽ & incorruptionẽ quærunt, uitam æternã.] Cum dixisset ꝙ unicuiq; Dominus reddet, à bonorũ retributione orsus est, iucundiorẽ hac ratione orationem reddens. Dicendo autẽ secundum patientiã siue ex perseuerantia operis boni, duo denunciat: alterũ, ꝙ nõ sit à bono recidendũ, neq; ignauiter agendum, uerũ in bono ad fidem usq; perseuerandum. alterum, ꝙ non soli fidei confidere oporteat: nam & opere bono opus est. Cum ait, Incorruptionem, de resurrectione fores aperit. Deinde quando cuncti quidem resurgimus, sed non cuncti ad eadem, sed alij quidem ad gloriam, alij uerò ad supplicium: ideo Gloriã inquit & honorẽ. Est igitur uniuersa sentẽtia talis: Deus, inqt, inquirentibus futuram gloriam & honorem, ac nunquam nõ illa cogitantibus, præterea autẽ & incorruptionem in resurrectione uidelicet, reddet uitam æternam. At quo pacto quæritur futura gloria, honos & incorruptibilitas? per operis boni perseuerantiam. Nam in opere perseuerans bono, ac firmiter aduersus quamlibet tentationem consistens, is cùm gloriam, tum honorem uerè quærit & incorruptionem, siue ut in incorruptibili corpore incorruptibilibus bonis fruatur. *Operis boni necessitas*

Iis autem

Iis autē qui sunt ex cōtentione & qui nō acquiescunt ueritati, credunt autē iniqui A
tati, ira & indignatio, tribulatio & angustia in omnē animā hominis operantis malū.
Iudæi primū & Græci.] ἐριθεία, id est cōtentio, amor est litiū, & irrationalis quæpiam
instantia pertinax. Iis igitur qui sunt ex cōtentione, inquit, id est, cōtentiosis. Indicat
autē hic non ex ignorantia, sed è studio rixandi prauos factos, unde haud sunt uenia
digni. Præterea obedire quidem iniustitiæ, nec obedire ueritati, propositi seu electio
nis est peccatū. Non enim dixit, ui oppressis uel tyrannide grauatis, uerùm obedien
tibus. Obserua hic quomodo uitam æternam Deum dixerit redditurum, tristia uerò
non item à Deo uentura differuerit. Indignatio nanq;, inquit, ira & afflictio, non
adijcit q; à Deo reddentē, sed ita reliquit absolutum, ut subintelligeretur, erit. Nam ui-
uificare proprium est Dei, pœna uerò à nostra secordia accedit. Cum autē omnē ani
mam hominis ait, contrahit & imminuit fastum Romanorū. Etiamsi enim impera-
tor quispiam fuerit, nō euadet iudiciū, si flagitium cōmittat, id est, si perseuerat in ma
lo, & non resipiscat. Non enim dixit, ἐργασάμενος, id est operatus, sed κατεργαζόμενος,
hoc est, perseueranter operans, siue exercitium faciens ex malo. Postquam uerò Iu-
dæi uberiore doctrina & institutione imbuti fuere, maiore iuxtà supplicio digni fue-
Sapien.6. rint. Nam potentes potenter examinabuntur, magis uerò intelligentes.

Gloria autē & honor & pax omni operanti bonum, Iudæo primū & Græco. Non
est enim acceptio personarum apud Deum.] Scopus est Apostolo, monstrare in se-
quentibus, nihil prodesse circunci sionem, nihil item obesse præputium, ac inducere
posthac fidem, quæ hominem iustificet. hoc igitur sibi præfixo scopo, præcōcutit res
Iudæorum. Intuere hic in sapientiam. Enarrat enim quæ sunt ante Christi aduentū,
& q; mundus fuerit repletus malitia, tum q; castigationi fuerint obnoxij, Iudæus pri-
mùm & Græcus. Cum uerò pro cōfesso proposuisset, q; Græcus malorū suorum cau
sa punietur, ab eodem simul astruit q; & bonorum causa honore afficietur. Quòd si
ab operibus & honos prouenit & ignominia, relinquitur legem & circuncisionē su- B
perflua esse: nec superflua tantùm, cæterùm utranq; maioris Iudæo pœnæ concilia-
tricem. Si enim Græcus eam ob causam, quòd non à creatura, adeoq; naturæ lege in
stitutus sit, condemnatur: quanto magis Iudæus, qui cum his à lege simul doctrinam
& educationem accepit? Scopum igitur cum didiceris, assectare deinceps & uerba.
Græcos autē hic dicit, nō idolorū seruitores, uerū Dei cultores, & naturæ legi mo-
gerentes, & citra legem piè uiuentes, qualis Melchisedec, qualis Iob, quales Ninui-
tæ, qualis tandem Cornelius. Pari ratione Iudæos dicit eos, qui ante Christi aduentū
uixere. Dans enim operā ut demonstret circuncisionē nihil ualere, recurrit ad supe-
riora tempora, indicans nihil fuisse discriminis inter Græcum Dei colentē, & Iudæū
bene & piè uiuentem, & bona operantem. Iam si ante Christi aduentum, quādo po-
tissimum florebant Iudaica, nihil præstabat Græco Iudæus, multo minus quando lex
est abolita. Huc autem fertur & spectat, ut Iudæorum fastum deijciat, qui nō recipie-
bant eos qui ex gentibus erant. Gloria, inquit, & honor, & pax. Mundi huius bona
semper bella & tumultus habent, inuidiæ & insidijs expositа. Ac etiam si nemo forin
secus uel exterorum insidias meditetur, dolúmue struat, ipse tamen hæc possidens,
cogitationibus perpetuò suis turbatur. Quæ uerò apud Deum sunt gloria & honor,
pacē cōtinent: quādoquidem cùm insidijs, tum cogitationū turbatione uacent. Quia
uerò incredibile uidebatur, ut Græcus siue gentilis in hunc admitteretur honorem,
quippe qui neq; legem neq; prophetas audiuerit, confirmat id ex hoc q; Deus nō sit
personarū acceptor. Non enim, inquit, personas intuetur, sed res & opera explorat.
Postq; igitur Græcus nihil differt in rebus à Iudæo, nihil prohibet quo minus peræquè
honoretur. Proinde ne glorieris Iudæe contra eum qui est ex gentibus, post legis ab-
rogationem, ubi quando tua florebant, honore tibi par erat Græcus bonum faciens.

Quicunq; enim sine lege peccauerūt, sine lege & peribunt: & quicūq; in lege pec-
cauerunt, per legem iudicabūtur. Non enim auditores legis iusti sunt apud Deū, sed
factores legis iustificabuntur.] Indicauit in superioribus, q; Græcus eodē cū Iudæo &
loco habetur, & honore afficitur: nunc ostendit q; supplicij tēpore grauior sit obuen-
tura Iudæo condemnatio. Græci enim, inquit, sine lege peccauerunt, hoc est, sine ea
quæ per legē est institutione, propterea & sine lege peribunt, id est, punientē leuius,

ut qui

A ut qui legem accusantem non habuerint. Nam sine lege, est citra illius condemnationem. Iudæus autem in lege peccauit, hoc est cum institutione quę est ex lege, ideo & legitimè seu per legem iudicabitur, id est condemnabitur, lege uehementius ipsi incumbente & accusante, maioremq; condemnationem faciente. Quomodo igitur dicis Iudæe, gratia ego non indigeo, quippe qui ex lege iustificer? Ecce enim demonstratus es ab lege nihil adiutus esse: itaq; Christi gratia perinde opus habes atq; Græcus, ceu nō iustificatus apud Deum ex sola legis auditione. Nam apud homines, auditores legis & graues & iusti uideri queunt: apud Deum autem non item, sed factores legis iustificantur.

Cum enim gentes quæ legem nō habent, naturaliter ea quæ legis sunt, faciunt, eiusmodi legem nō habentes ipsi sibi sunt lex, qui ostendunt opus legis scriptū in cordibus suis, testimoniū reddente illis conscientia ipsorū.] In quibus cōfirmat quæ sunt cōtra Iudæos, hac eos ratione moderatè scilicet aggreditur, adeoq; prudenter sermonem texit, ut nō uideatur quicq; aduersus legem dicere. Veluti enim extollens & magnificans legem, inquit, q̄ legem nō habentes, tamen quæ legis sunt faciētes, naturaliter, id est, rationibus à natura ductis, admirabiles sunt: quādoquidem legis quidem nō egerint, & legem interim compleuerint, nō literas sanè, uerùm opera cordibus suis insculpentes, & conscientia & naturalibus cogitationibus legis loco usi ad testimoniū boni & honesti. Treis autem leges hic dicit, scriptam, naturalem, & eam quæ est in operibus. Gentes, inquit, legem non habentes, qualem? scriptam, à natura quæ sunt legis, qualis? eius quæ in operibus consistit, faciunt. Illi legem nō habentes, qualem? scriptam: sibi sunt ipsi lex, quanā ratione? Naturali nempe imbuti, qui exhibent opus legis, qualis? eius quæ per actiones constat. Intuere autē hic sapientiā, quomodo nō taxauerit Iudæos perinde ac sermonis cōsequentia postulabat, omnino enim per consecutionem sic debebat dicere: Quando enim gentes sine lege, natura quæ sunt legis faciunt, longè meliores sunt ijs qui ex lege instituuntur Iudæis. A tenim sic

B nō dixit: cæterùm lætius quiddam subdidit, Sibijpsis, inquiens, sunt lex. Ostendit autem ex hisce, quòd & prioribus temporibus, adeoq; multis retrò seculis, ante legis etiam sanctionē omnis prouidentia humanæ naturæ obtigerit. Obstruit porrò & ora dicentibus: Ecquid non iam olim à principio aduenies Deus boni operationē ostendit? cum dicat, boni & mali cognitionē omnibus à principio indidisse. quia uerò nouit quòd nihil ita perfectum sit, in nouissimis temporibus ipse aduenit.

Et inter se inuicē cogitationibus accusantibus & defendentibus, in die qua iudicabit Deus occulta hominū, secundū euangeliū meū per Iesum Christum.] Ab alio adeoq; nouo principio hoc lege. Nam de eo nūc sermonē facit, nēpe qua ratione cuncti ex æquo mortales iudicādi simus. Tunc em̄ stabūt nostrę cogitationes, aliæ quidē accusantes, aliæ uerò defendētes. Nec opus habet alio accusatore uel patrono homo apud illud iudicij forū. Terrorē autē exaggerās nō dixit, peccata, cæterū occulta. Homines enim de manifestis tantūmodo iudices sedent: Deus uerò occulta, inquit, iudicabit per Iesum Christū, hoc est pater per filiū. Nā pater neminē iudicat, sed iudiciū omne dedit filio. Vel sic intelligere queas quod ait, per Iesum Christum secundum euangelium meum, per Iesum Christum mihi collatum & exhibitum. Innuit autem hic q̄ nihil absurdum aut alienū prædicatur per euangelium, uerùm quæ natura ipsa præoccupans docuit, uidelicet iudiciū & supplicium, hęc euangelion etiam testatur. *Ioan. 5.*

Si autē tu Iudæus cognominaris, & requiescis in lege, & gloriaris in Deo, & nosti uoluntatē, & probas utiliora, institutus per legē.] Cū dixisset q̄ Græco faciēti ea quę sunt legis, nihil desit ad hoc ut seruet: deinceps Iudæorū recēset magnifica, in quib. confidentes efferebant supra gētes. Et primū quidē, nomē. Etem̄ ualde honorificū erat Iudæum esse, adeo q̄ haud in minimo precio erat Iudaismus, equè ac hodie Christianismus. Nō dixit autē, Iudæus es, uerū Iudæus cognominaris. uerus em̄ Iudęus est qui confitet. Etenim Iudas, cōfessio dicitur. Et requiescis in lege, pro eo quod est, nō defatigaris circumiens & discens quid oporteat agere, sed legem habes, quæ te omnibus in rebus facilè instituit. Et gloriaris in Deo, ceu dilectus ab ipso & præ cęteris hominibus honori habitus. Est autem maximæ dementiæ symbolum, Dei dilectione ad contemptum contribulium seu congenerum uti. Et nosti uoluntatē, nempe Dei. *Iudæus quis dicatur.*

Probas

Probas autẽ meliora, id est iudicas quæ agere conueniat, & quę non conueniat agere. Per meliora, quæcunque conuenientia intelligenda sunt, uel utilia. A

Confidis teipsum esse ducẽ cæcorũ, lumen eorũ qui in tenebris sunt, eruditorẽ insipientiũ, magistrũ infantiũ, habentẽ formam scientiæ & ueritatis in lege.] Suprà quidem dicebat q̃ nihil cõmodaret legis auditio, nisi & actio accederet. Neq; enim auditores, inquit, legis iusti sunt apud Deũ, sed factores. Nunc uerò maius quippiam ait. Quòd si legis doctor es, nec tamen quæ legis sunt facis, nõ tantũ nihil tibi prodes, uerumetiã eo maiore pœna afficeris. Quandoquidẽ aũt ob doctoris dignitatẽ maximè efferebant, hinc potissimũ ostendit eos esse ridiculos. Cum enim inquit, ducem cęcorum, eruditorẽ insipientiũ, idq; genus alia, fastũ illorũ recenset. Adeò enim uocabant semetipsos duces & lumen, & præceptores: istos autẽ qui ex gentibus Iudaismo accesserant, proselytos appellabant, in tenebris agentes, & stolidos & amentes. Habes autẽ formã cognitionis & ueritatis, nõ in operibus & officijs, sed in lege, confidens ipsi ceu formanti uirtutẽ: perinde ac si quisquã imperatoriã imaginẽ habens, ipse quidem nihil ad eius exemplar effingat depingátue, alij autẽ quibus huiusmodi non est cõmissa, citra intuitũ etiam eius reuera ipsam imitent. Omnis itaq; doctor formatᵗ & effingit cognitionẽ boni, adeoq; ipsam ueritatẽ in discipulorũ animis. Quòd si opere exprimat, perfectus erit: sin minus, talis erit, quales nunc ab Apostolo culpant. Sunt qui per formationẽ illã intellexerũt effictam atq; adumbratã imaginem cognitionis. Non ueram, inquit, notitiam & pietatem habet, cæterùm fucatam & coloratam.

Qui ergo aliũ doces, teipsum nõ doces? qui prædicas nõ furandum, furaris? qui dicis non mœchandum, mœcharis? Qui abominaris idola, sacrilegium facis? qui in lege gloriaris, per præuaricationẽ legis Deum inhonoras? Nomen enim Dei per uos blasphematur inter gentes, sicuti scriptum est.] Per interrogationẽ uerba facit, pudefaciens eos, qui ob docendi munus gloriabantur. Sacrilegium uerò appellat ablationem eorum quæ idolis consecrata erant. Nam etiamsi execrarentur idola, auaritiæ tamen tyrannide uicti, idolis dicata, turpis quæstus gratia contrectabant. Deinde q̃d grauius est infert, inquiẽs: Qui in lege gloriaris, ut qui honore sis affectus à Deo propter legem, propter legis præuaricationem Deum ignominia afficis. Tria sunt enim hic peccata: primũ, quòd dehonestant: alterum, quòd Deum à quo sunt honestati dehonestant: tertium, quòd qua lege ipsi honestati fuerunt, per hanc dehonestãt, transgredientes ipsam. Deinde ne uideatur ipse ex se ipsos increpare, prophetam Esaiam ipsorum accusatorem produxit in medium, culpam illorum duplicem faciens. Non enim ipsi soli iniuriam inferunt, cæterùm & ipsi ad hoc alios præparant: non tantùm quę legis sunt docentes, uerumetiam contraria docentes, nempe blasphemiam Dei, quod contrarium est legi. Qui enim ipsos uident corruptos, hoscine oportebat, inquiunt, ab ipso Deo diligi? num qui tales diligit, uerus Deus esse possit? B

Esa. 52. Ezech. 36

Circuncisio quidem prodest, si legem obserues: si autem præuaricator legis sis, circuncisio tua præputium facta est.] Quoniam magnam circuncisionis rationem habebant, plurimi eam facientes, non statim à principio dixit quòd superflua & stolida res sit circuncisio, uerùm uerbis quidem eam recipit, reipsa uerò tollit, inquiens: Fateor equidem prodesse circuncisionem, tum scilicet, si legem obserues: sin minus, non dixit, non prodest, ne ipsam contumelia afficere uideatur: sed Iudæum ea nudat dicens, circuncisio tua præputium facta est. Incircuncisum itaque ipsum commonstrat corde. Duas enim circuncisiones, duoq; præputia dicit, alteras quidem secundum id quod uidetur, alteras secundum id quod intelligitur. Circuncisio itaq; iuxtà apparens est, quæ carnalis est: circuncisio uerò secundum spiritum, est carnalium affectuum reiectio. Rursum est præputium secundum carnem, quando aliquis incircuncisus fuerit carne: & est præputium secundum spiritum, quando quisquam gentilem habens animum, nihil affectuum prauorum abscíderit. Dicit itaq; diuus Paulus: Si quando circuncisus fueris carne, nihil autem egeris eorũ quæ sunt legis, præputium tibi adhuc est, & incircuncisus es iuxta spiritum: perinde ac qui carnis adhuc præputio uestitus est, si fecerit quæ sunt legis, circuncisus est secundum spiritũ, quippe cui carnei affectus sint adempti, quod quidem per sequentia declarat. audi enim.

Circuncisio duplex. Præputium duplex.

Quando igitur præputium iustificationes legis custodit, nónne præputiũ eius in circun-

A circunciſionem reputabitur?] Non ait quòd circunciſionem præputium uincat antecellátue, hoc enim inuiſum erat: ſed in circunciſionem reputabitur. Proinde uera circunciſio, actio eſt & uera & bona: præputium ſimiliter actio mala. Obſerua aũt q̃ non dixerit, Quando præputiũ legem ſeruarit. Veriſimile nanq̃ erat quempiam ſic occurſurum fuiſſe: Quî fieri poteſt ut lex ab eo cui præputium eſt, ſeruetur, cum hoc ipſum q̃ quiſquam præputium habeat, ſit legis tranſgreſsio? Sed quomodo dixit? iuſtificationes legis, hoc eſt, quæ uidentur iuſtificare per operationem ipſorũ. Circunciſio enim non eſt operatio, ſed paſsio patientis, nempe circunciſi. Ne iuſtificatio igitur quidem legis dici queat. Nam eſt data in ſignum, ut ne cum gentibus Iudæi miſcerentur. *Circũciſionis ſignum.*

Et iudicabit id quod ex natura eſt præputiũ legem conſummans, te qui per literã & circunciſionẽ præuaricator es legis. Nõ enim qui in manifeſto, Iudæus eſt, neq̃ quę in manifeſto eſt in carne, circunciſio eſt: ſed qui in abſcondito, Iudæus eſt: & circunciſio cordis in ſpiritu, non in litera, cuius laus non ex hominibus, ſed ex Deo eſt.] Hic apertè oſtendit q̃ duo præputia ponat, alterum quidem ex natura, alterum uerò ex electione & uoluntate: quod quidem eſt, ut dictum eſt, quando quis carnalium affectuũ, nullum habet circunciſum aut amputatum. Duas item circunciſiones dicit, alteram ſecundum carnem, alteram in ſpiritu cordis. Ait itaq̃, id quod ex natura eſt præputium, affectuum carnis circunciſionẽ habens, per hoc quod legẽ perficiat, id eſt legis (ut ſuprà dictum) iuſtificationes. Iudicabit, pro eo quod eſt, condemnabit, nõ circunſionem, hoc enim odioſum erat: uerùm te, qui, quantũ ad carnem attinet, circunciſus quidem uideris, corde uerò in circunciſus es, quatenus tranſgreſſor es iuſtificationũ legis. Quocirca haud ignominia circunciſionẽ afficit, ſed honorare potius uidetur: eum uerò increpat, qui in ipſam ceu præuaricator iniurius extiterit. Hiſce peractis manifeſtè definit quiſnam ſit uerus Iudæus, oſtendens eos cuncta ad oſtentationem facere. Non enim qui, inquit, in manifeſto Iudæus apparet, Iudæus eſt: cæterùm qui eſt in abdito, qui neq̃ ſimpliciter quod corporale eſt perficit, uerùm ſpiritualiter intelligit & ſabbata, & ſacrifi-
B cia, & purificationes. Porrò cum ait, Circunciſio cordis in ſpiritu, eccleſiaſticæ reipublicæ uiam præſtruit, ac fidem inducit: ſiquidem ipſa eſt in corde & in ſpiritu. Laudem porrò, inquit, à Deo habet, corda ſemper explorante, neq̃ quicquã ſecundum carnem iudicante. Quod uerò ex hiſce omnibus colligitur, tale eſt. Nẽpe q̃ ubiq̃ uita proba opus ſit: porrò cum præputiatũ ſiue incircunciſum aut græcum audiueris, ne idolorum cultorem intellige, uerùm Dei cultorem, & uirtute præditum, extra legis tamen obſeruationes, perinde ac ſuprà dictum eſt. *Præputium duplex.* *Circũciſio duplex.* *Cautè ad Iudæos loquitur Paulus.* *Cordis circunciſio.*

CAPVT III.

QVid ergo amplius Iudæo eſt? aut quæ utilitas circunciſionis? Multum per omnem modum. Primùm quidem quia illis credita ſunt eloquia Dei. Quid enim ſi quidam illorum non crediderunt? nunquid incredulitas eorũ fidem Dei euacuabit? Abſit.] Quoniam legem ejecerat, per hoc quod diceret, Non enim qui in manifeſto, Iudæus eſt: in poſterum obiectionem quampiam ſeſe exerere conſpicatus, illi ſe opponit. Ecquænam eſt obiectio? Si nihil proſunt, inquit, hæc, cur Iudæorum gens eſt electa? Diluit igitur hanc pro ſua ſapientia, Siquidem uerbis cõſentit, multam inquiens Iudæo inde commoditatem prouenire. Quod confirmans, non Iudæorum uirtutes resq̃ ſtrenuè geſtas adducit, uerùm Dei potius dona & gratiam. Nec enim dixit quòd multũ præſtiterint cæteris gentibus Iudæi, eo quòd hoc uel iſtuc gnauiter trãſegerint, uerùm quod commiſſa ſint illis oracula Dei: quæ certè Dei eſt beneficentia, nec ulla ratione illorum uel dignitas uel præſtantia. Quid uerò eſt, credita ſunt? pro, acceperunt, uel in manus ſumpſerunt, digniq̃ uiſi ſunt Deo ut acciperent diuina reſponſa cœlitus demiſſa. Hæc autem dicens, ipſos quidem defendere uidetur. Attamen aliam rurſus accuſationem in medium aduerſum ipſos profert, demonſtrans ipſos diuinis eloquijs fidem non adhibuiſſe, per quæ tamen plurimo ſint honore affecti. Veruntamen hanc accuſationem ueluti ab alio quopiam factam introducit, quippe qui dicat: Ecquid emolumenti confert Iudæis quòd oracula Dei acceperint, cum increduli erga eadem fuerint? Hanc obiectionem porrò diluere uidetur, non pro ipſis, ſed pro Deo potius apologiam adferens, Quòd ſi increduli fuerint, quid hoc ad Deum? Num incredulitas iſtorum fidem Dei faciet irritam? Id eſt, credita ipſis eloquia ſiue oracula ac Dei bene- *Iudæi plurimum à Deo honorati.*

P ficentiam?

ſicentiam? Vſqueadeò nanq; Deus ex illorum incredulitate haud lædítur, ut glorifice A
tur potius ut benignus & humanus: quandoquidem & illi qui eum ignominia affectu
rus eſt, beneficum ſeſe exhibeat. Viden' quomodo eos reos fecerit ex ijs ob quæ ſibi
placebant, ſiue ex hoc quòd legem acceperint?

Pſal. 115. Sit autem Deus uerax, omnis autem homo mendax, ſicuti ſcriptum eſt: Vt iuſtifice
Pſal. 50. ris in ſermonibus tuis, & uincas cum iudicaris.] Dixit ſuprà, q; quidã non crediderunt,
deinde cum nedum quidam, uerùm omnes in uniuerſum uideantur increduli eſſe, ia-
pientiſsimè orditur ſermonem, qui moleſtus & inuiſus uidebatur, atq; id quod re uera
factum eſt, ueluti per ſuppoſitionẽ profert, inquiens: Ponamus quòd omnes incredu li
fuerint: ecquid iſthuc? uel hinc quoq; iuſtificatur Deus. Hoc eſt, ſi iudicatio fiat & ex-
ploratio eorum quæ à Deo Iudæis ſint collata, ac uiciſsim eorum quæ ab ijs erga illum
ſint facta: niceteria, uictoriæq; penes Deum erunt, ſicut & Dauid etiam ait. Quod ue-
rò inquit, Sit Deus uerax, uſurpauit pro manifeſtetur, demonſtretur.

Si autem iniquitas noſtra Dei iuſtitiam commendat, quid dicemus? Num iniuſtus
eſt Deus, qui infert iram? ſecundum hominem dico. Abſit. Alioquin quomodo Deus
iudicabit mundum?] Obiectionẽ hîc huiuſmodi adducit, ceu nonnulli ſint qui dicant:
Si Deus ubi in nos beneficia contulerit, ac à nobis contemptus fuerit, iuſtus appareat,
magiſq; uincat, per exuberantem nempe humanitatem ſuam indignis etiam benefi-
cia cõferens: cur in poſterum iram infert, hoc eſt, punit nos, quippe qui facti ſimus ipſi
authores cùm iuſtificationis, tum uictoriæ illius? Atq; tale quidem eſt argumentum,
quod hanc ad rationem diluit omnino ſapienter idem in eos retorquendo. Quia, in-
quit, te punit, propterea non es ipſi uictoriæ cauſa autórue: iniuſtum enim foret ui-
Deus nõ eſt iniuſtus. ctoriæ authorem à uincente puniri. Atqui Deus non eſt iniuſtus. Alioqui, quî iudica-
bit mundum, ſi ipſe ſit iniuſtus? Proinde, cum te & punit Deus, & non eſt iniuſtus,
non es igitur ipſi uictoriæ cauſa per commiſſa flagitia tua: poterat enim & aliàs uin-
cere, etiamſi non uiſus fuiſſes ſceleratus. Quod adiecit, ſecundum hominem dico,
hunc habet ſenſum: Ego quidem, inquit, hæc pro Deo defendentis inſtar adduco, B
iuxta humanam ratiocinationem, hoc eſt, perinde ac poſsibile eſt homini ratiocina-
Dei opera inſerut abilia. ri, atq; adeò iuſtas adferre cauſas. Nam quæcunq; agit Deus, nonnullas occultas ra-
tiones habent, ſupra humanas cogitationes & argumenta exiſtentes, ut quæ non e-
geant noſtra defenſione.

Si enim ueritas Dei in meo mendacio abundauit in gloriam ipſius, quid adhuc &
ego tanquam peccator iudícor, & non, ſicut blaſphemamur, & ſicut aiunt quidam
nos dicere, faciamus mala, ut ueniant bona? quorum damnatio iuſta eſt.] Rurſus idem
reſumit, ut apertius reddat. Si enim Deus iuſtus & uerus apparuit ex eo quòd deliqui,
cur ego in poſterum condemnor, qui iſta in gloriam Dei commiſerim? Non enim di-
gnus ſum cõdemnatione, ſed coronis potius. Quòd ſi hoc uerum, igitur & quod Græ-
ci de nobis dicunt, uerũ erit. Nam Græci ſiue gentiles ſimulac audiuiſſent Paulum di-
centem, Vbi abundauit peccatũ, ſuperabundauit & gratia: ridebant hoc, aſſeuerantes
Chriſtianos dicere, Faciamus mala, ut ueniant bona: & peccemus multũ, ut exuberet
gratia. Iſthuc igitur quod aiebãt Græci & infideles uituperantes proſcindentesq; nos,
hodieq; cõtingit: nẽpe ſi ita admiſerimus, quòd Deus eluceat eſſe bonus ex mea uitio-
Græci men daces. ſitate, necnon ingratitudine. Verùm aliter ſeſe res habet. Gentium enim nunquã non
mentientium iſte ſermo eſt, quarum condemnatio iuſta eſt, id eſt qui iuſtè punientur.
Haudquaquam igitur ego meum ob peccatum Deo ſum cauſa iuſtificationis, cõdem-
nor enim tanquam peccator. Neq; enim condemnarer, ſi ad gloriam Dei peccaſſem.

Quid ergo? præcellimus eos? Nequaquam. Cauſa enim ſumus & Iudæos & Græ-
Pſal. 13. cos omneis ſub peccato eſſe, ſicut ſcriptum eſt: Quia non eſt iuſtus quiſquã, non eſt in-
telligens, non eſt requirens Deum. Omnes declinauerunt, ſimul inutiles facti ſunt, nõ
eſt qui faciat bonum, non eſt uſq; ad unum. Sepulchrum patens guttur eorum, linguis
ſuis doloſe agebant. Venenum aſpidum ſub labijs eorum, quorum os maledictione &
amaritudine plenum eſt: ueloces pedes eorum ad effundendum ſanguinem. Contri-
tio & infœlicitas in uijs eorum, & uiã pacis non cognouerunt. Non eſt timor Dei ante
oculos eorũ.] Suprà dixerat q; eſſet aliqua excellentia Iudæis, ut quibus omnino eſſet
credita traditaq; lex: nunc uerò commonſtrat nihil eos habere eximium quo excellant,

quantum

A quantum ad propria opera pertinet. Etenim cum non obseruauerunt quæ eis credita erant, magis condemnantur. Proinde præstantiã quandam habuerunt, atq; electi sunt à Deo. Simulac uerò propriis operibus contumelia affecerunt Deum, à quo honore erant affecti, atq; electi: nedũ nihil quo excellant, habent, uerumetiã plus condemnant. Velut igitur in persona Iudæorum ait: Quid igitur? excellimus? pro eo quod est, Habemus ne aliquam excellentiã? ac præstamus aliis, & beneplacemus Deo præ cæteris Iudæi nos, quippe qui legem ac circuncisionẽ acceperimus? † Nõ omnino, dixit, pro nequaquã. Iudæi enim æquè ac Græci peccarunt, ut ne plus dicam. Vnde uerò hoc perspicuũ est? Ex prophetis nimirum, Dauide ac Esaia. Dauidis nanq; sunt illa, ab eo loco cuius initium est, Non est iustus quisquã, usq; ad eum ubi inquit, maledictione & amaritudine plenum est. Esaiæ aũt, Veloces pedes eorum, aduscq; locũ ubi inquit, Viam pacis nõ cognouerunt. Postea rursum sunt Dauidis quæ sequuntur. Celeberrimos igitur prophetarũ adducit accusatores ipsorum, sibiq; ipsis consentientes inter se mutuò indicat, quãdo post Esaiæ uerba rursum Dauidica adfert. Esaias enim perspicuè de Iudæis disserit. Proinde etiam & Dauid. Porrò simulatq; quispiam à bono declinat, protinus inutilis redditur. Malitia enim nihil est aliud atq; peruersio naturalium erga bonũ motuũ. Vnde ad id quod præter naturã est, hominem auehens, inutilẽ ipsum efficit. Non enim natura deinceps ipso utitur, quemadmodũ nec ægrotante utitur ad propria opera. Preterea cõtritio & infelicitas peccatũ est: nihil enim adeò cõterit animã atq; ipsum, ob difficultatem inæqualitatemue uiæ eius. Virtus nanq; ceu naturale nostrũ bonum, leuiter & æqualiter nos ferri facit: cæterùm uitium, ceu præter naturam, aliàs quidem sursum, aliàs uerò deorsum facit ferri, in defectu & excessibus apparens, ac propterea inæqualem & incisum motum exhibens, ut ne dicam supplicia posthac secutura. Et uiam pacis. Diuinam uitam intelliges, seu diuinam institutionem: ipsa enim est uia quietis ac tranquillitatis. Hinc, Tollite, inquit, iugum meũ, & inuenietis requiem: atq; ut ad ueram Christi pacem peruenias, hæc uia est.

Iudæi à Deo primùm electi, postea ingrati, & ob id iustè damnati.

† ἀπολόγητος

Psal. 13.

Esaiæ 59.

Inutilis redditur, qui à bono diuertit.

Mat. 11.

B Scimus aũt, q; quæcunq; lex loquitur, iis qui in lege sunt loquitur, ut omne os obstruatur, & subditus fiat omnis mundus Deo, quia ex operibus legis non iustificabitur omnis caro corã illo.] Vt ne dicant Iudæi, quoniã hæc ad nos non pertinent, ait: Quæcunq; lex dicit, iis qui in lege sunt loquitur. Nam quæ ista est necessitas, ut quæ nobis tradita est lex, aliis uerba facere iudicetur? Legem autem appellat totũ uetus testamentum, nõ solum Mosaica, quemadmodũ & nunc Esaiæ Psalmorumq; uaticinia legem nominauit. Quòd uerò ait, ut omne os obstruatur, per hoc Iudæorũ fastum indicat, leuemq; & uanũ linguæ ipsorum impetũ atq; iactantiã. Obstruxit igitur hanc amnis instar decurrentẽ prophetes. Non aũt hoc dicit, q; propterea peccauerint, ut os ipsorum obstruatur: uerũ q; ea de causa increpiti sunt à prophetis, ut ne ignorantes peccata sua sese iactitent & glorientur. Atq; ut non soli Iudæi, uerùm & uniuersus mundus reddatur Deo obnoxius, id est condemnatus, fiducia & libertate uacans, ut qui non ex propriis operibus iustificetur, sed alterius ope indigeat, nimirum Christi Iesu gratia. Itaq; Iudæe, quidnam in lege gloriaris, cum æquè ac reliquus mundus reus existas, utpote ex operibus legis haud iustificatus?

Per legem enim cognitio peccati. Nunc autem sine lege iustitia Dei manifestata est, testificata à lege & prophetis.] Si gloriaris in lege tu qui Iudæus es, noueris istam tibi maioris supplicij causam esse. Nam peccatũ tibi cognitum reddidit. Iam peccãti scienter & ex cognitione, maior pœna imminebit. Veruntamẽ per secordiam ignauiamq; tuam hoc contigit. Etenim cum non declinaueris quod innotuit tibi peccatum, supplicium tibi magis conciliasti. Ecquãnam ratione à pœna istiusmodi liberaberis? Si complexus fueris iustitiã Dei, quæ sine lege est. Iustos enim nos Deus efficit, etiamsi opera nobis desint: nam Deus est qui omnia potest. Bellè aũt dixit, manifestata est, ut monstraret q; uetusta admodum existẽs iustitia illa, occultata fuerit. Quinetiã cum adiecit, comprobata à lege & prophetis, idem indicat non nouam esse iustitiã, cæterùm cũ Mosæ legem, tum prophetas de hac fecisse uerba: dignã proinde esse quæ suscipiatur. Etiamsi autem sine lege sit, legi tamen consonum esse ut per eam iustitiam nos iustificemur.

Acrius punitur, qui sciens delinquit.

Iustitia autẽ Dei per fidem Iesu Christi in omneis & super omneis qui credunt: non enim est distinctio. Omnes enim peccauerunt, & egent gloria Dei, iustificati gratis

per gratiã ipſius, per redemptionẽ quæ eſt in Chriſto Ieſu.] Iuſtitia, inquit, ipſa, hoc eſt, A
iuſtificatio qua nos iuſtificauit Deus, uenit in omnes per fidẽ. Adferentes enim fidẽ, iu
ſtificamur omnes, Iudæi & Græci: non enim eſt diſtinctio. Neq; q̃ legem acceperit Iu
dæus, propterea præfertur Græco. Siquidem & ipſe deliquit, quippe qui à lege ſolam
peccati cognitionẽ acceperit, non etiã peccati fugã. Quòd ſi non adeò ut Græcus pec
cauit, æquè tamẽ gloria Dei orbatus eſt, ut qui omnino Deũ offenderit. Iam qui offen
dit & impingit aduerſus Deum, ignominiã certè, non gloriam refert. Atenim ne de-
Iuſtitia Dei ad oẽs peruenit per fidem. ſpondeas propterea animum. Iuſtificantur enim omnes gratis gratia Dei, quæ gratia
per redemptionem fit, hoc eſt, perfectam libertatem, quam operatus eſt Chriſtus: ipſe
enim ſeſe in precium redemptionis dans, iuſtificauit nos.

Quem propoſuit Deus per fidem propitiatoriũ in ipſius ſanguine, ad oſtenſionẽ iu
ſtitiæ ſuæ propter remiſsionẽ præteritorum delictorũ, in ſuſtentatione Dei ad oſtenſio
nem iuſtitiæ eius in hoc tempore, ut ſit ipſe iuſtus, & iuſtificãs eum qui eſt ex fide Ieſu.]
Propitiatorij & ſanguinis meminit, ut perſuadeat Iudæo, q̃ per Chriſtum remiſsio &
iuſtificatio fiat. Si enim tu, inquit, ſanguine pecudũ dilui peccata credidiſti, multo ma
gis id ſanguine Chriſti fiet. Ac ſi propitiatorio legali tantum roboris fuerit, ut peccata
extinxerit, cum tamen umbra ac typus Chriſti extiterit: multo magis ueritati ipſi tan-
Propitiatorium arcæ quid. tum uirium eſt relictum. Propitiatorium autem uocabatur arcæ cooperculum, quod
ex utraq; parte Cherubin obtegebant. Indicabat aũt omnino humanã naturam, quæ
coopertorium erat diuinitatis, contegens ipſam. Glorificabatur quidẽ ab angelicis ur
tutibus miniſtrantibus ei, propter unionem quæ ei cum diuino uerbo erat. Propoſuit
uerò dixit, ut oſtenderet iam olim prædefinitã eſſe redemptionem per Chriſti Ieſu ſan
guinem, ut ſanaret remiſsionẽ ſiue languorem, hoc eſt, correctionẽ peccatorũ antehac
perpetratorũ, in patientia Dei. Nam multa licet uſi bonitate Dei, ſimiles tamen ſumus
diſſolutis ſeu paralyticis, & mortuis. Hæc ſanè cõtigerunt ad oſtenſionẽ iuſtitię Dei, ut
nõ ipſe ſolus appareat iuſtus, ſed talis qui & alios peccato mortuos, reſuſcitare & iuſtifi
care poſsit: quemadmodũ diuitiarum demonſtratio eſt, nõ q̃ per ſeſe quiſpiã diues eſt, B
ſed q̃ & alios ditare poſsit. Ne igitur pudeſias hac ratione iuſtificatus. Nã ſi Deus hoc
faciendo ſeſe ueluti oſtentat ac ſibi placet & gloriatur tanquã nos iuſtificans, in præſen
ti tẽpore, hoc eſt quando peccatũ ad faſtigiũ redactũ eſt, & quando deplorati eramus
nos, remiſsi ſiue diſſoluti & mortui: quomodo tu Iudæus ob talẽ Dei gloriã erubeſcis?

Vbi eſt ergo gloriatio tua? excluſa eſt. per quam legem? factorum? Non, ſed per le-
Fide iuſtificamur. gem fidei.] Demonſtrauit quòd per fidem iuſtificaremur, non immeritò igitur ex Iu-
dæo percontatur, Vbinam eſt gloriatio tua & arrogantia? Nõ dicit autem, ubi eſt uir-
tus? nec enim habebant uirtutem, ſed ſolam gloriationẽ. Ac ſubdit, excluſa eſt, pro eo
quod eſt, tempus amplius nõ habet opportunum. Ante Chriſtum enim opportunum
erat gloriari in lege, iam uerò minimè opportunũ eſt: ſiquidem inutilis eſſe lex demon
Lex iuſtificandi uim non habuit Leuit. 18. ſtrata eſt. Quòd ſi lex potuiſſet nos iuſtificare, nõ habuiſſemus opus Chriſto. Per qua-
lem aũt legem, inquit, excluſa eſt? nunquid per legem operũ, nempe quę dicit: Quoniã
qui fecerit hæc, uiuet in eis? id enim dixit lex Moſaica. Haudquaq̃, inquit, ſed per legẽ
fidei, quę gratia iuſtificat, & nõ ex operibus. Ecce fidem legẽ etiã uocat, ob nominis a-
pud Iudæos reuerentiã. In poſterũ itaq; Iudæe in fide gloriare, quę te iuſtificare poteſt.

Arbitramur itaq; iuſtificari hominem per fidem ſine operibus legis. An Iudęorum
Deus tantũ? nónne & gentiũ? Immò & gentiũ: quandòquidem unus eſt Deus, qui iu-
ſtificabit circunciſionem ex fide, & præputiũ per fidem.] Cum ſubieciſſet oculis, q̃ ex
ſanguine Chriſti & non ex operibus eſſet iuſtificatio, concludit ſermonem, inquiens:
Iuſtificatio non ex operibus legis. Ex commemoratis omnibus colligimus fide iuſtificari omnem hominem, & ne turbe
ris ô Iudæe, ceu abſurda res iſthæc. Num enim partium ſtudioſus eſt, uel diuiſus Deus,
ut te ſolummodo ſeruet, nõ autem omnem hominem? Hîc autem Iudæos robore ſuf-
fundit, ac perterrefacit ſupra modum, ceu eos qui aduerſus Deum pugnant, ſi non ad-
mittant gentes ſeruari per fidem: id quod fit, cum non credunt ipſum omniũ peræquè
Deum eſſe, curamq; gerere omnium ex æquo. Vnus igitur, id eſt, idem & Iudæorum
& gentiũ Deus, ſui & circunciſum iuſtificat, nõ ex lege, ſed ex fide, ac præputiatũ in-
termediante fide ſuſcipit. Cum autem circunciſionis mentionem faciat & præputij,
memoriã refricat eorum quæ paulo antè dicta ſunt, quibus indicabat quòd neq; circun

ciſio

A cisio prosit si opera desint, neq; præputium per sese quicquam obsit. Vtraq; igitur fide opus habent.

Legem ergo destruimus per fidem? Absit, sed legem statuimus.] Quia nonnihil turbabat Iudæos, legem fide dissolui, mitigat & curat istuc uulneris ingenti sua sapientia Paulus, inquiens: Quod legem stabilit fides. Quod enim uoluit lex, nempe iustificare hominem, non potuit autem præstare, hoc fides perficit. Simulatq; enim quispiam crediderit, protinus iustificatur: haud igit destruit legē fides, sed statuit potius. Per hoc statuendi uocabulū, ostendit iacêre legē. Nā qui iacet, opus habet ut irrigat & stabiliatur. *Fides legem nō destruit, sed statuit.*

CAPVT IIII.

QVid ergo dicemus Abraham patrem nostrū inuenisse secundū carnē? Si enim Abraham ex operibus iustificatus est, habet gloriationem, sed nō apud Deum. Quid enim scriptura dicit? Credidit Abraham Deo, & reputatum est ei ad iustitiam.] Abundè satisq; confirmato hoc, nimirū q; omnes planè fide indigeant, Abrahæ exemplo id fortius monstrat, ut qui apud Iudæos in magno admodum loco fuerit, summoq; precio. Dixit itaq;, q; neq; is qui talia tantaq; trāsegerat, ex operibus iustificatus sit, sed ex fide. Patrem hunc porrò appellat secundum carnem, eiściens eos à cognatione quæ est secundum spiritū: uel potius necessitatem eis imponens, ut eum in omnibus imitentur. Si enim ex operibus iustificatus est, habet quidem quod glorietur, sed enim non apud Deum, hoc est, gloriari potest quòd suis laboribus aliquid rectè egerit: quod non est apud Deum gloriari, neq; ad eum recurrit. Atenim qui ex fide iustificatur, habet quod apud Deum glorietur: nam gloriatur apud eum, ipsius sese gratia seruatum, seq; ab eo dilectum. Enimuero & aliter gloriatur is qui credit, tanquā qui Deū glorificauerit per hoc quòd crediderit ipsum ea præstare posse quæ nobis impossibilia uidentur. Proinde est quod iactet adeoq; deprædicet, nempe fiduciā ac libertatem erga Deum: ueram nanq; de eo opinionem habet ac credit ei, ceu qui omnia possit. *Gen. 15. Iacobi 2. Galat. 3. Abrahā ex fide non ex lege iustificatus. Gloriari in Deo quis dicatur.*

Ei autem qui operatur, merces non imputatur secundum gratiā sed secundum debitum. Ei uerò qui nō operatur, sed credit in eum qui iustificat impium, imputatur fides
B eius ad iustitiam. Sicut & Dauid dicit beatitudinem esse hominis cui Deus iustitiā imputat sine operibus: Beati quorū remissæ sunt iniquitates, & quorū tecta sunt peccata. *Psal. 31.*

Beatus uir cui non imputarit Dominus peccatum.] Qui operatur, inquit, mercedem accipit, ceu quæ debeatur ei pro labore: qui credit autem, etiamsi non operatur, fidem tamen adfert, rem sanè minimè exigui momenti. Certò enim persuasum habere q; possit Deus eum qui impiè uixisset, nedum pœna liberum facere, uerumetiā iustū efficere, magnū reuera est. Eam ob rem fides credenti ad iustitiā imputatur, hoc est, suscipit fidem eius Deus, non ut mercedē ipsi reddat, uerùm ut iustificet ipsum. Proinde qui credit, adfert etiam nonnihil, fidem uidelicet. Quum itaq; ab Abrahamo ostenderit quòd ex fide sit iustitia seu iustificatio, producit in testem ipsum Dauid, beatum prędicantem eum hominē cui nō imputarit Dominus peccatum. Ac maius quiddam per excessum indicat. Nam si felix est atq; beatus, qui remissionem peccatorum accepit ex gratia: multo magis qui fidē demonstrauerit, & ex ea iustificatus fuerit, beatus esse censebitur. Ne enim mihi dixeris, inquit, quòd secundum gratiam remissionem accipiat: ecce enim ille ipse est, qui beatus esse prædicatur. Non autem ipsum beatum prædicasset, nisi immensa ipsum gloriā frui conspexisset. Nam beatitudo, eximiū quiddam est, ac maius ipsa iustitia, puta omniū quæ à Deo nobis obtingūt bonorū fastigiū & culmē.

Beatitudo ergo hæc ad circumcisionem tantū pertinet, an etiam ad præputium? Dicimus enim, imputatam esse Abrahamo fidem ad iustitiam. Quomodo igitur imputata est? quum in circumcisione esset, an in præputio? Non quum in circumcisione, sed quum in præputio.] Si beatitudo ei conuenit, cui haudquaquam imputauerit Dominus peccatum, hoc est iustificatio: iustificatus est autem Abraham, & omnino beatitudinem est nactus: uideamus igitur quando iustificatus est, quum præputiatus esset, an cum circumcisus? Præputiatus certè. Beatitudo igitur in præputium cadit, hoc est, ipsi magis, quàm circumcisioni conuenit.

Et signum accepit circumcisionis, signaculum iustitiæ fidei, quæ est in præputio, ut sit pater ipse omnium credentium per præputium, ut & eis imputetur iustitia: & pater circumcisionis, non ijs tantum qui ex circumcisione sunt, sed & ijs qui sectantur uestigia

Abraham iustificatus, cur circumcisus.

gia fidei, quę est in pręputio patris nostri Abrahami.] Obiectionẽ emergentem diluit. forsan enim aliquis dixisset: Si Abraham, cum in præputio esset, iustificatus est, quam igitur ob causam circumcisus est? Ait igitur, quòd circuncisionis signum acceperit, pro sigillo obsignante ac prædicante quòd ex fide iustificatus est: quam sanè fidem iam antea cum præputiatus esset, ostendit. Cum itaq; duo cernantur circa Abrahamum, præputium & circuncisio, per præputium sanè, eorum qui præputium habent, pater commonstratur. sed qualium? talium uidelicet qui ipsius instar crediderunt, ut perinde ipsis fides imputetur ad iustitiam, hoc est, ut iusti fiant. Per circuncisionem uerò rursus ostenditur esse pater circuncisionis, hoc est, circunciſorum. Est autem pater non illis, qui solam circuncisionem habent, sed qui incedunt etiam per uestigia fidei ipsius, quæ in præputio illi obtigit. Hunc itaq; ad modum hic est legendus locus: Et patrem eum circuncisionis esse, non ijs qui ex circuncisione sola ipsi adęquantur, sed qui sectantur uestigia fidei, hoc est, qui credunt æquè atq; ipse in mortuorum corporum resurrectionem. Nam cum esset grandæuus & mortuus, credidit quòd posset uiuum Deus semen sibi excitare, ac dare gnatum. Est igitur uniuersa sententia huiusmodi: Cum in præputio esset Abrahamus, credidit & iustificatus est, ut hoc pacto credentium præputiatorum pater esset. Rursus accepit circuncisionem, sigillum & signum fidei quam in præputio habuit, ut esset pater circunciſorum, ingredientium uidelicet per uestigia fidei, quam habuit dum adhuc incircuncisus esset. Hæc itaq; si non adsit, nequicquam circuncisionem gloriæ ducunt. Quemadmodum si quis crumenam ostentet signaculum solum habentem, in qua nihil sit abditum repositúmue: sic ludæus crumena quidem est circuncisione signata, sed fidem non habens, cuius signaculum est ipsa circuncisio.

Abraham præputij et circuncisionis pater.

Resurrectionẽ Abraham credidit.

Non enim per legem promissio Abrahamo & semini eius, ut esset ipse hæres mundi, sed per iustitiam fidei. Si enim qui ex lege, hæredes sunt, exinanita est fides, & abolita est promissio.] Ostendit iam antea, quòd iustitia non ex Lege, sed ex fide sit: pergit itaq; commonstrare, quòd promissio Abrahamo non ex lege, cæterùm ex fide iustificante obtigerit. Qualis autem erat promissio? Vt esset ipse hæres mundi, hoc est, ut in ipso benedicerentur omnes totius mundi nationes. Si enim lex, inquit, dedit hæreditatem, euacuata est fides, id est, uana & uacua & inutilis esse res deprehenditur. Quis enim ulla fidei siue cura siue ratione tangetur, si lex promissam hæreditatem daret? Verùm non ita res habet: siquidem Abraham promissionis factus est hæres, non per legem. Vbi enim tum lex erat? sed per fidem, quemadmodum scriptum est, Credidit Abraham Deo.

Promissio Abrahæ facta qualis fuerit.

Gen. 15.

Lex enim iram operatur. Vbi autem nõ est lex, nec præuaricatio.] Confirmat iam quónam pacto per legem promissio aboleatur, cũ inquit, legem sequitur transgressio: legis autem transgressio, iram operatur, & maledictionem adducit & supplicium. Qui igitur supplicio est obnoxius, quomodo quæso dignus est hæreditate?

Ideo ex fide, ut secundum gratiam, firma sit promissio omni semini, nõ ei quod ex lege tantum, uerumetiam ei quod est ex Abrahami fide, qui est pater omniũ nostrûm,

Gen. 17.

sicut scriptum est: Patrem multarum gentium posui te: ad exemplum Dei cui credidit, qui uiuificat mortuos, & uocat ea quę non sunt, tanquam ea quæ sunt.] Quia lex iram operatur, propterea ex fide dicitur iustificari Abrahamus, ac hæres constitui, ut secundum gratiam omnia fiant. Gratia autem ad quid prodest? ut sit firma promissio. Non enim præuaricationem habet gratia, quemadmodum lex, ut infirma sint quæ dantur. At cum gratia est & misericordia Dei uniuersum hoc, haud iniuria, quæ donantur,

Abrahã omnium pater.

stabilia sunt cuncto semini, hoc est, omnibus credentibus, non ijs tantùm qui sunt ex lege, hoc est circuncisis, uerumetiam ijs qui sunt in præputio, qui sunt semen Abrahami, ex fide ipsi progeniti: ita ut cui non sit fides, is non sit semen Abraham, qui est pater

Gen. 17.

omnium nostrûm, hoc est fidelium, sicut scriptum est: Patrem multarum gentium posui te: ad instar eius, cui credidit, Dei. Est itaq; hæc sententia: Abraham est pater omnium ad exemplum Dei, hoc est, ad similitudinẽ Dei. Nam ut omniũ est pater Deus, consimili ratione Abrahamus, non secundum naturalem propagationem aut cognationem, uerùm secundum coniunctionẽ & affinitatem fidei. Adiecit autem, cui credidit,

A dit, ut ostenderet quòd & fidei cõpensationem acceperit, quæ est, ꝙ sit pater omnium. Quare si nõ admiseris ô Iudæe ipsum esse patrem omnium nostrũ, imminuisti eius honorem, quem accepit credendo ei qui uiuificat mortuos, & uocat ea quæ non sunt, tanquã sint. Quod suprà dixi, hoc nũc ait, quòd Abrahã credidit ꝙ Deus mortuũ corpus, quale erat ipsius, posset nõ solùm uiuificare, cæterùm fœcundũ etiam reddere: propterea nunc ait, qui uiuificat mortuos. Porrò, ꝙ uocat ea quæ non sunt tanq̃ sint, huius causa apposuit, ut ostendat nõ esse impossibile Deo, eos ꝙ nõ sint filij Abrahami, filios ipsius facere. Non dixit aũt, qui ꝓducit quę nõ sunt, uerùm, qui uocat. Vt enim nobis facile est uocare quæ sunt, sic ei haud difficile est, quæ non sunt, excitare ac statuere.

Qui præter spem in spe credidit, ut fieret pater multarũ gentiũ.] Ne arbitreris temerè honoratũ esse Abrahamũ. Quomodo enim qui præter spem humanam, in spe diuina credidit, ꝙ fieret pater multarũ gentium, non Ismaelitarum (nam illi non secundum fidem, sed secundum naturã ex eo descenderunt) sed earum quæ sunt illi secundum fidem similes. *Ismaelitæ ex Abrahã per naturã, nõ per fidẽ*

Secundum quod dictũ est: Sic erit semen tuũ. Et non infirmatus est in fide, nec consideravit suum ipsius corpus emortuum, cum iam ferè centum esset annorum, & emortuam uuluam Sarhæ. In promissione autem Dei nõ hæsitauit diffidentia, sed confortatus est fide, dans gloriam Deo, plenissimè sciens quòd quæcunq̃ promiserit Deus, potens est & facere.] Quia dixerat, præter spem in spe diuina credidit: confirmat nũc hoc ipsum, inquiẽs: Dictum quidem est ad ipsum, Sic erit semen tuum ut stellę & ut arena. Ipse uerò in fide haudquaquam labefactatus, sed fortem eam retinens, non respexit ad proprium corpus suum, ipso tempore iam emortuum, nec expendit secum Sarrhæ matricem duplici ratione enectam. Etenim & senio & sterilitate iam erat demortua. Nec hæsitauit, hoc est, non in dubiam animi sui sententiam raptus est, nec prorsus animi pependit, sedenim roboratus est fide. Intuere aũt, quinam ostendat credentem opus habere multa uirtute ac potentia. Nam plerique fidem imminuerunt, ceu rem minimè laboriosam; opera uerò magnificarunt, ut quæ sudorem ac uires postulent. Indiget igitur, B inquit, is qui credit, & magna & potenti anima, quò incredulitatis ratiocinationes abigat ac repellat. perinde igitur atq̃ Abrahamus in fide robustior est redditus. Qua ratione dans gloriam Deo: non humanis fidem adhibens cogitationibus aut argumentis, cæterùm digna Dei gloria secum animo uolutans, certior factus ac indubitatò persuasus, quòd impossibilia possit: hæc enim Dei est gloria. Quocirca qui non credit, sed in multis rebus curiosus est, non glorificat Deum. quia uerò Abraham non erat perfectè centum annorum, propterea quadam ueluti siue correctione siue cõditione dixit, Centum annos ferè. *Gen. 13. & 15.* *Sarrha senio & sterilitate affecta.*

Ideo imputatum est ei ad iustitiam. Non est autem scriptum propter ipsum tantùm, quod imputatum est ei ad iustitiam, sed & propter nos, quibus imputabitur, credentibus in eum qui suscitauit Iesum Dominũ nostrum à mortuis, qui traditus est propter delicta nostra, & resurrexit propter iustificationem nostram.] Posteaquam & multa & magna de Abrahamo dixisset, ut ne quis obijceret, Ecqd ista ad nos? subdit quòd propter nos etiam scripta sint, ut sciamus nobis etiam fidem imputandam ad iustificationem, si modò eam habuerimus, credentes in eum qui excitauit Iesum Christum à mortuis. Sin uacillas mente, ac dubitas quomodo seruari possis, ob oculos mentis tuæ statue Iesum qui obliterauit peccata tua omnia, qui mortem obijt, non sanè ob proprium delictum, uerùm propter delicta mundi. Quia uerò peccatum non habens mortuus est, meritò etiam resurrexit. Qua enim ratione ab inferis detineri potuisset, qui omni prorsus peccato uacabat? in quem nihil uitij aut sceleris cadebat? Mortuus est igitur & resurrexit, ut & nos à peccatis nostris liberaret, & iustos efficeret. Quemadmodum igitur Abraham effœtum suum corpus credidit fœcundum reddi, non dissimilem ad modum & tu crede quòd Iesus mortuus est, & resurrexit, & imputabitur tibi etiam ad iustitiam æquè ac progenitori tuo Abrahamo. *Fides quò nobis prosit* *Heb. 9.* *1. Pet. 3.* *Abrahæ fides.*

CAPVT V.

IVstificati ergo ex fide, pacem habeamus erga Deum per Dominum nostrum Iesum Christum, per quem & accessum habemus per fidem in gratiam istam in qua *Vitæ ratio.*

ſtamus,& gloriamur in ſpe gloriæ Dei.] De uitæ ratione hîc diſſerit, poſtquam enim de fide præclara adeoq; magna dixerit, operaq; imminuerit, ne iam ſocordes ſimus, de uitæ deinceps formula uerba facit. Quia, inquit, fides nos iuſtificauit, non amplius peccemus, uerùm pacem habeamus ad Deum per uitam minimè ipſi diſplicentem. Quomodo autem iſtuc continget? per Dominum noſtrũ Ieſum. Qui enim iuſtificauit nos cum peccatores eſſemus, adiuuabit etiã nos ut cuſtodiamur in iuſtitia ipſius. per ipſum enim acceſſum obtinuimus. Quòd ſi cum procul eſſemus, adduxit nos, quanto magis propinquiores ac uiciniores nos redditos retinebit? Adduxit autem nos in gratiam hanc, quo modo? in fide, hoc eſt, fidem adferentes. Quę uerò qualisúe iſthęc eſt gratia? omnium bonorum aſſecutio quæ per baptiſma nobis obtigerunt: in qua ſtamus, firmitudinem & robur mutationis omnis expertia habentes. Diuina enim bona nunquam non ſtant, neq; unquam excidunt. Nec ea ſolùm quæ accepimus, firmiter tenemus, uerùm alia pariter nos accepturos confidimus. Gloriamur namq;, inquit, in ſpe bonorũ quæ nobis ſunt obuentura: quæ cum ad gloriam Dei pertineant, neceſſariò nobis dabuntur, etiamſi non propter nos id fiat, ſed ut ipſe glorificetur Deus.

Gratia ex baptiſmo.

Non ſolùm autem, ſed & gloriamur in tribulationibus, ſcientes quòd tribulatio patientiam operatur, patientia autem probationem, probatio uerò ſpem, ſpes autem non pudefacit.] Nedũ, inquit, ob futura bona gloriamur, ſed quod maius eſt, ob præſentes etiam noſtras afflictiones. Ne enim turbemini, inquit, quòd adfligimur: ea enim Chriſtiani eſt gloriatio. Qua ratione? Quoniam adflictio efficit patientiam, patientia uerò probatum eum qui tentatur, reddit: probatus autem homo factus, & bona ſua conſcientia fretus quòd propter Deum ſit afflictus, ſperat pro huiuſmodi tandem malis conuenientes retributiones. Talis autem ſpes non excidit, nec pudefacit ſperantem. Humanæ nanq; ſpes ſi non ſuccedant, ipſos ſperantes pudore ſuffundũt. In diuinis autem rebus nihil tale contingit. Qui enim bona confert, & immortalis eſt & bonus. Ac nos qui ea bona ſumus accepturi, etiamſi moriamur, uiuemus tamen; neq; quicquam erit in poſterum, quod nos à ſpei noſtræ euentu prohibere poſſit.

Patientia, Chriſtianorum.

Quia charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per ſpiritum ſanctum, qui datus eſt nobis.] Fidem adſtruit futuris ex dilectione, quam iam antea Deus hic nobis exhibuit, atq; commonſtrauit. propemodum enim talia dicit: Ne deſpõdeas animum: nam ſpes circa diuina non excidit. Qui enim adeò nos dilexit, ut nos hic iam filios Dei faceret, idq; citra noſtrum laborem per ſpiritum ſanctum, quomodo non dabit nobis coronas poſt labores? Effuſa eſt igitur dilectio Dei in corda noſtra, id eſt larga, necnon diues apparet: quippe qui habeamus in corde noſtro ſpiritum, quem dedit nobis.

Spes bonorum cæleſtium non excidit.

Chriſtus enim cũ adhuc eſſemus infirmi, iuxta tempus pro impijs mortuus eſt. Vix enim pro iuſto quis morietur. Nam pro bono forſitan quis etiam audeat mori. Commendat autem ſuam ipſius dilectionem Deus erga nos, q; cum adhuc peccatores eſſemus, Chriſtus pro nobis mortuus eſt. Multo igitur magis iuſtificati nunc in ſanguine ipſius, ſeruabimur per ipſum ab ira.] Cum dixiſſet quòd dilectio Dei monſtratur effuſa in corda noſtra per ſpiritũ, quem habemus in ipſis datum ab eo: porrò etiã dilectionis magnitudinem ob oculos ponit, ex eo q; Chriſtus pro nobis infirmis mortuus eſt, imò quod deterius eſt, pro impijs, cum pro iuſto uix quiſpiam mori ſuſtineat. Dilectionis igitur eſt exceſſus, quòd pro peccatoribus & impijs ſit mortuus. Quòd ait, ſecundum tempus, conueniens ac prædefinitum tempus ſignificat. Quando enim opportunum erat, tum obijt. poſtquàm igitur per charitatem mortuus eſt: per mortem uerò nos iuſtificauit, multo magis deinceps nos ſeruabit ab ira, ut quos iuſtificarit iam antea. Quòd id quod maius eſt, nempe iuſtificationem, nobis donauit, ecquur ab ira etiam nos non ſeruaret? Seruatis deinde ab ira, bona etiam, ob multam ſuam dilectionem nobis impartiet.

Chriſtus per mortẽ ſuam nos iuſtificauit.

Si enim cum inimici eſſemus, reconciliati ſumus Deo per mortem filij eius, multo magis reconciliati ſalui erimus in uita ipſius.] Videĩ dicere planè eadem, ueruntamen diuerſæ ſunt ſententiæ, per comparationem expreſſæ. Suprà enim nos eſſe peccatores prius, iuſtificari uerò poſterius accipiens, per comparationem dixit: Qui cum peccatores eſſemus, nos iuſtificauit per mortem, multo magis iuſtificatos ſeruabit. Nunc uerò mortem Chriſti ac uitam adſumens, rurſus per comparationem effert ſententiam, hũc ad

A admodum inquiens: Tunc reconciliati sumus per sanguinem & mortem Christi, nũc uerò per uitam ipsius non seruabimur? Qui enim non pepercit filio suo, sed pro nobis nostraq; reconciliatione in mortem dedit, nónne multo magis per uitam filij sui seruabit nos?

Non solùm autem, sed & gloriamur in Deo per Dominum nostrum Iesum Christũ, per quem nunc reconciliationem accepimus.] Non solùm, inquit, seruati sumus, uerùm & gloriamur in Christo, ppter hoc ipsum, quòd cum impij essemus, seruati simus, idq; per sanguinem unigeniti. gloriamur autem per Dominum Iesum, nam ipse est autor gloriationis nostræ, qui & reconciliationis est author. *Nostra gloriatio.*

Propterea sicut per unum hominem peccatum in hunc mundum intrauit, & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertransijt, in quo omnes peccauerunt.] Commemorato quòd Dominus Iesus nos iustificauit, recurrit ad radicem mali, peccatum nempe & mortem: ostendens quòd duo hæc per unum hominem, nimirum Adamum, inuaserint & ingressa sint in mũdum, peccatum uidelicet & mors: ac rursus per unum hominem, dico autem Christum, ablata sunt. Quid aũt est ἐφ' ᾧ πάντες ἥμαρτον, In quo omnes peccauerunt: hoc est, in Adam omnes peccauerunt. Cum enim ille cecidisset, etiam ij qui non ederunt de ligno isto, facti sunt ex illo mortales, perinde ac si ipsi etiam impegissent, quandoquidem ille impegerit. *In Adã quomodo omnes deliquasse dicantur.*

Vsq; enim ad legem peccatum erat in mundo. peccatum autem non imputabatur, cum non esset lex. Sed regnauit mors ab Adam usq; ad Moysen, in eos etiam qui non peccarant in similitudine præuaricationis Adami, qui est typus futuri.] Scopus est Apostolo hic demonstrare quòd ij etiam qui non edissent à ligno, neq; æquè peccassent atq; Adam, propter illius tamen peccatum itidem existimabantur tanquàm & ipsi peccassent, ac moriebantur. Atque id confirmat hoc pacto. Peccatum regnabat usq; dum lex Mosę ferretur, hoc est, ante etiam legem. Quale igitur erat peccatum isthuc? nónne quod est ex transgressione legis? Eequid tale peccatum esse potuit, cum lex non esset?

B Peccatũ enim tum imputatur, quando est lex: porrò qui hanc transgrediuntur, necessariò dicũtur peccare. Atqui mors regnauit aduscq; Mosen, hoc est, priusquàm etiam lex daretur: itaq; peccatum erat, per quod mors regnauit. Non regnasset autem, nisi fuisset peccatum quoddam mortem excitans ac statuens. Quia uerò demonstratum est quòd peccatum ex transgressione legis nondum esset, relinquitur peccatum isthuc esse peccatum Adami, per quod mors regnauit etiam in eos qui non peccarant, quantum qui dem in se esset. Legem enim non accipientes, neq; transgredientes illam, neq; peccare dicuntur: attamen in similitudine transgressionis Adami peccauerunt, ac peccati participes facti sunt cum illo tanquam progenitore, qui est figura Christi. Vt enim uetus Adam omnes obnoxios fecit proprio suĩpsius delicto ac lapsui, etiam eos qui per se nõ erant lapsi: sic Christus omnes iustificauit, etiam eos qui haudquaquam iustificatione digna transegissent. Propter hoc typus est futuri, id est Christi. *Ade transgressio.* *Vetus Adã.*

Sed nõ sicut delictum, ita & donum. Si enim unius delicto multi sunt mortui, multo magis gratia Dei & donum in gratia unius hominis Iesu Christi in multos abundauit. Et non sicut per unum qui peccauerat, donum. Iudicium enim ex uno ad condemnationem, donum autem ex multis delictis ad iustificationem.] Non tantum solummodo profuit Christus, quantum nocuit Adam. Si enim peccatum tantum potuit, ut ob unius lapsum omnes eius posteri etiam illi qui per sese non peccauerant, condemnarẽtur: multo magis gratia, eaq; Dei & patris, & non solius huius, uerumetiã filij sui, in multos exuberauit largiter fluens. Nec erit donum Dei tantum, quanta est quæ per unum delinquentem uenit condemnatio: sed longè maius & præstantius. Iudicium enim, hoc est peccatum condemnationi obnoxium, ex uno Adamo profluens, ad condemnationem, hoc est ad mortem & plura peccata, nunquàm non in posteris extitit, ut & multis peccatis & morte detinerentur homines. Donum autem ex multis delictis ad iustificationem, hoc est gratia, non unum illud peccatum solùm abstulit, uerumetiã alia quæ post illud inuaserunt in hominem. Omnium enim post lapsum istum peccatorum dimissionem donans, in iustificationem nobis cessit. *Gratia maior delicto.*

Si enim unius delicto mors regnauit per unum: multo magis abundantiam gratiæ ac donum iustitiæ accipientes, in uita regnabunt per unum Iesum Christum. Igitur

sicut

ſicut per unius delictum in omneis homines ad condemnationem, ſic per unius iuſtitiã in omnes homines ad iuſtificationẽ uitæ.] Si comediſſe à ligno unũ hominem, mortem fecit regnare: multo magis nos, qui gratiæ cùm exuberantiã, tum copiam & largitatem accepimus, & iuſtificati ſumus, uiuemus & regnabimus per unũ Ieſum Chriſtũ, cuius fratres & συσσωμοι cõcorpores, ſiue in eiuſdem corporis unitatẽ aſſumpti ſumus, & ſicut corpus capiti, ſic nos ipſi uniti ſumus. Nec enim ſimplex & unius ſpeciei bonũ accepimus, ut ad futura bona dubio ſimus animo: ſed exuberantia gratiæ, noſtra bona ſunt: quemadmodum ſi quis quia multa debeat, in carcerem cum uxore & liberis conijciatur, deinde non ſolùm liberetur à carcere, & debito, cæterùm innumera ſimul talenta recipiat, ac in regiam aulam introductus, præclaro principatu donetur, dignus qúe eo iudicetur, regisq; filius conſtituatur. Concludens igitur ſententiam, ait: Proinde ſicut per unius delictum (quod ſuprà iudicium uocauit, nunc delictum nominat, hoc eſt Adami peccatum) in omnes homines mors, ſic per iuſtitiam unius Chriſti, in omneis homines gratia, dans ipſis & iuſtificationem pro peccato, & uitam pro morte.

Rom. 8. 12. 1. Cor. 10. & 12.

Sicut enim per inobedientiam unius hominis peccatores conſtituti ſunt multi: ita & per obedientiam unius, iuſti conſtituentur multi.] Non eſt ταυτολογία, id eſt, reiteratio, adeoq; ociosa eiuſdem repetitio, ut apparet: uerùm cum ſuprà dixiſſet, quemadmodum per unius delictum, ſic & per unius iuſtitiam: iam interpretatur quid ſit delictum unius, nempe inobedientia, per quam peccatores conſtituti ſunt multi, hoc eſt obnoxij ſupplicio, reiq; mortis. Ecquæ eſt iuſtitia unius, nimirum Chriſti? Obedientia, inquit, ipſius ad mortem uſq;, mortem autem crucis, per quam obedientia contrita morte, liberati ſumus nos ab ipſius condemnatione.

Inobedientia Adæ. Obedientia Chriſti

Lex autem ſubintrauit, ut abundaret delictum: ubi autem abundauit delictum, ſuperabundauit gratia.] Cum oſtendiſſet omnes ab Adamo condemnatos eſſe, à Chriſto autem conſeruatos, ac ueriſimile eſſet addubitare quempiam ac dicere, Quid igitur lex tot annos faciebat, ſi quidem Chriſtus nos iuſtificauit? Reſpondet, quia lex ſubintrauit, pro, ad tempus lata eſt, non ut excelleret, uel dominatum exerceret: cum autem ſub ingreſſa eſſet, auctius reddidit delictum. Nam multa mandata dabat, quæ omnia cum tranſgrederẽtur homines, auxerunt delictum. Particula porrò, ut, hîc nõ eſt cauſſę reddítiua, ſed euentum reſpicit. Sancita eſt enim lex ut minueret & auferret peccatum: euenit autem contrarium, per ſocordiam hominum, non per legis naturam. Poſtquam autem abundauit peccatum per legem, per Chriſtum gratia Dei exuberauit, nedum à peccatis liberans, cæterùm & iuſtificans nos, & cœleſtes faciens, adoptansq; nos in filios Dei. Propterea non dixit, abundauit, ſed ſuperabundauit, copiam ipſius indicans.

Lex peccatum quomodo auxerit. Gratiæ Chriſti ſuperexuberantia.

Vt quemadmodum peccatum regnauit in mortem, ſic & gratia regnet per iuſtitiam in uitam æternam.] Cum gratiam ſuperabundaſſe dixiſſet, monſtrat porrò rei conuenientiam, ut ne ſimus increduli, inquiens: Imperatoris loco peccatum erat, mors uerò miles erat ab ipſo peccato armatus. Si igitur peccatum dominatũ eſt noſtri, ueluti quendam militem habens mortem, multo magis gratia dominabitur in nobis, iuſtitiam adducens, quæ peccatum aufert, ac ſimul dum peccatum tollit, mortem etiam adimit, uitam adferens ſempiternam. Veluti igitur contrariæ inter ſeſe pugnantes acies conſtituuntur, peccatum quidem militem habuit mortem, gratia uerò iuſtitiam. Abſtulit igitur & interemit iuſtitia imperatorium peccatum, ac unà cum ipſo mortem, ac in poſterum introducta eſt uita ſempiterna.

Peccati tanquam imperatoris miles mors.

Gratia peccatum abſtulit.

CAPVT VI.

QVid ergo dicemus? Permanebimus in peccato, ut gratia exuberet? Abſit. Qui enim mortui ſumus peccato, quomodo adhuc uiuemus in ipſo?] Quia dixerat, Vbi abundauit peccatum, ſuperexuberauit gratia: aliquis forſan inferre potuiſſet: Deinceps ergo non deſiſtamus peccare, ut gratia eo maior demonſtretur. Iſthuc ergo diluit, inquiens per inficiationem, Abſit: quod in apertè & citra controuerſiam abſurdis facere conſueuit. deinde ratiocinationem ponit: Quoniam, inquit, mortui ſumus peccato per baptiſma, mortui erga ipſum facti, ut non porrò obtemperemus ei: quomodo igitur adhuc uiuemus in ipſo, ut affecti illi ſimus atque obediamus ei? Hinc diſcimus, quòd omnis ſanè fidelis intermoritur, quantum ad peccatum attinet, per baptiſma. Segniter autem agens, ipſe ſeipſum excitat, & denuò

Mori peccato quid ſit.

A denuò ad illud uiuificeat ut ipsi cõmisceatur: quemadmodum è diuerso uirtuti deditus sedulus & studiosus, hanc sibi mortem uel mortificationem nunquam non retinet atque conseruat, ut etiam plus millies peccatum imperet, ipse tamen ueluti mortuus non audit, non obsequitur.

An ignoratis, quòd quicunq; baptizati sumus in Christum, in mortem ipsius baptizati sumus? Consepulti igitur sumus per baptisma in mortem, ut quomodo Christus surrexit à mortuis per gloriam patris, sic & nos in nouitate uitæ ambulemus.] Quomodo peccato mortui simus, iam adstruit, per baptisma inquiens. In mortẽ enim Christi baptizati sumus, hoc est, ut & nos sicut ille moriamur. Quod enim Christo est crux & sepulchrum, id nobis est baptisma, etiamsi ad eadem utrunq; non pertineat. Ipse nanque carni mortuus est & resurrexit, nos autem peccato morientes, resurgimus uirtuti, ut sicuti Christus carne resurrexit ex mortuis per gloriam patris, hoc est, per propriam diuinitatem (nam gloria patris est filius) sic & nos alia resurrectione resurgamus, noua scilicet uiuendi ratione. Quum enim fornicator cœperit esse temperans, ecce mortem & resurrectionem, cum uitium moriatur ac uirtus resurgat, & uiuat in ipso homine. *Peccati mors. Virtutis resurrectio.*

Si enim complantati sumus similitudini mortis ipsius, simul & resurrectionis erimus: hoc scientes, q; uetus noster homo simul crucifixus est, ut destruatur corpus peccati, ut ultrà non seruiamus peccato.] Non dixit, quòd communicauerimus similitudini mortis eius, uerùm complantati sumus, plantationis nomine fructum qui ex ea prouenit, ita adumbrans. Corpus enim Domini in terra sepultum, salutis fructum protulit. Quia aũt nos in aqua, ille uerò in terra sepultus est, & nos quidem q̃d ad peccatũ, ille uerò quatenus ad corpus: idcirco non dixit morti, sed similitudini mortis. Proinde & resurrectionis consortes erimus, uitæ æternæ hæreditatẽ adituri, propterea quod eam quæ in operibus bonis consistit, resurrectionẽ prius repræsentarint. Etenim uetus noster homo, id est malitia, simul crucifixus est: hoc est, perinde ut corpus Christi, in baptismate sepultus est, ut aboleatur corpus peccati, id est, ex uarijs partibus compositum uitium ac tanquam unum corpus sit peccatum, uel corpus nostrũ ad peccandum procliue: propterea infert, ut ne porrò inseruiamus peccato. Volo enim, inquit, ipsum esse mortuum, non ut excindatur planè uel destruatur, sed ut ne peccet corpus ipsum. *Vetus homo, malitia.*

B Qui enim mortuus est, iustificatus est à peccato.] De quolibet homine hoc ait. Quẽadmodum qui uita defunctus est, iustificatus est à peccato, hoc est, absolutus est, liberatus est: hunc ad modum tu baptizatus & mortuus siue mortificatus peccato, mortuus ei perseuera.

Si autem mortui sumus cum Christo, credimus quòd & simul uiuemus cum ipso, scientes quòd Christus resurgẽs à mortuis, porrò non moritur, mors illi ultrà non dominabitur. Quod enim mortuus est, peccato mortuus est semel: quod autem uiuit, uiuit Deo. Sic & uos existimate uos mortuos quidem esse peccato, uiuentes autem Deo, in Christo Iesu Domino nostro.] Reiterare idem uideẽ, at secus res habet. Suprà enim dicebat quî oporteret nos esse mortuos peccato: nunc autem uerba facit de resurrectione nouæ uitæ, quam secundum Deum nos semper habere conuenit. Si enim mortui sumus cum Christo per baptisma credimus q; & resurrectionem, quæ in nouitate uitæ cõsistit, obtinebimus apud nos semper manentem. Nam & Christus excitatus, in sempiterna secula uiuit, non amplius moriturus. Etenim, illud quod mortuus est, peccato mortuus est, id est propter peccatum nostrũ, cum minimè morti obnoxius esset. Quod autem uiuit, uiuit Deo, id est, θείᾳ δυνάμει, hoc est diuinæ potentiæ aut diuina potentia. Viuit enim semper in uirtute & potentia Dei & patris. Quia aũt Christus secundò non moritur, neq; nos secundã mortem per alterũ baptisma habemus. Maneamus igitur in prioribus, hoc est, morte quidem peccati, in resurrectione aũt uitæ, quæ est secundum Deum. Hoc autem continget nobis in Christo Iesu, id est, auxilio illius. Qui enim mortuos excitat, multo magis uiuentes in uita conseruabit. *Christus quomodo peccato mortuus dicatur. In peccati morte manendum.*

Non ergo regnet peccatũ in mortali uestro corpore, ut obediatis ipsi in cupiditatibus ipsius.] Ostendens quòd non ui aut necessitate à uitijs detinemur, sed nostra sponte, non dixit, tyrannidem non exerceat, sed ne regnet. Regnum enim est uoluntariorum principatus. Cum autem dixit, in mortali uestro corpore, duo hæc indicauit: alterum, quòd neq; suauia corpori stabilia sint, semperq; durent, morti siquidem est obnoxium: *Regnum. Voluptaria transitoria.*

noxium: quare non est quur istiusmodi uoluptatibus tradatur corpus, tum quòd neq; A
difficilia ac laboriosa perpetuò maneant, hinc tristia haudquaquam sunt fugienda, ne-
que certamina, quæ nobis aduersus uoluptates sunt ineunda. Alterum est quod nobis
Mortalitas ex peccato est. ad memoriam reuocat ac docet, mortalitatem ipsam ex peccato esse. Non igitur in po
sterum illi inseruies, quod mortem tibi conciliat & adducit. Quo igitur modo regnat
peccatū? si obedierimus ei in cupiditatibus corporis. Itaq; corpus sua natura haud no-
Corpus naturæ nō obest, sed peccatum. cet, sed obedire peccato, illud uerò plurimùm obest. Obserua hic Christi gratiam, quo-
modo Adam peccarit, cum tamen nondum mortale corpus haberet: nos uerò in cor-
pore mortali, peccatum uincimus & superamus.

Ne exhibeatis membra uestra arma iniquitatis peccato, sed exhibete uos ipsos Deo
Manichæi. tanq; ex mortuis uiuentes, & membra uestra arma iustitiæ Deo.] Vbi sunt Manichæi,
Corpus natura malū nō est. qui corpus natura dicunt prauum? Armorum enim hic nomine censet. Arma uerò in-
differentia sunt & media inter uitium & uirtutem. Sic militi ensis est instrumentū pro
ciuibus: prædoni gladius instrumentum est & arma contra ciues. Ne exhibete igit mē
bra uestra arma iniustitiæ peccato. qui enim peccat, iniuriam sæpe proximo infert, sem
per autem semetipsum lædit. Sed exhibete uos ipsos Deo, cogitantes & expendentes
apud uos quantum sit interuallum inter Deum & peccatū, & utri melius sit subiici, &
ab utro sit commodius regi: cuius ue imperio commodius fuerit subiugari, occidēti ne
peccato, an uiuificanti Deo. Arma autem iustitiæ membra uocans, monstrat pariter
quod & suprà dictum est, nimirum quòd corpus non sit prauum, si quidem iustitiæ ar-
ma siue instrumentum fieri possit: simul aūt, quòd & prælium instet, atq; oporteat nos
sub Deo imperatore esse, necnon arma pro anima nostra sumere.

Peccatū enim uobis non dominabitur. Non enim estis sub lege, sed sub gratia.] Cor
pus, inquit, nostrum, ante Christi aduentum à peccato facilè expugnari potuit. Neq;
enim spiritus aderat qui succurreret, neq; baptisma quod mortificare posset. Propte-
rea & lex præcipiens & suggerens quid agendum esset, nihil perficiebat. Post Christi B
autem aduētum, lucta facilior est reddita. Hinc & maiora hodie sunt certamina, quip-
pe quia plus auxilij nobis datum est. Non dominabitur igitur nostri peccatum, nisi ni-
Peccatum nostri nō dominatur, nisi nos illi nimium subdiderimus. mium nos ipsi subdiderimus. Nec enim porrò lex est iubens tantum, neq; quicquam
auxilij præbens, uerùm gratia, quæ & priora peccata remittit, & ad futura uel aduersus
instantia nos munit.

Quid igitur? Peccabimus, quoniam non sumus sub lege, sed sub gratia? Absit. An
nescitis quòd cui exhibetis uos ipsos seruos ad obedientiam, serui estis cui obeditis, si-
ue peccati ad mortem, siue obedientiæ ad iustitiam?] Vbiq; obiectiones has suspectas
habet: ideo & producit & diluit, quemadmodum & hanc, ad quam respondet, dicens,
non peccare, ut legamus cū Porsenna, τὸ μὴ ἁμαρτάνειν non peccare, siue à peccatis abstinere. absit. Deinde ostendit quòd facile nobis sit *peccare. Cogitate enim apud uos utrum
sit commodius, seruos ne uos esse peccati, uestra sponte illi subiectos (hoc enim indicat
per uerbum exhibetis) & lucrari mortem, hoc est, nullis unquā seculis finiendum sup-
plicium (nam Adami peccatum mortem peperit corporalem, & quæ dissoluitur. Pec-
catum autem quod nunc est, æternæ morti, pœnæ nimirum sempiternæ tradit homi-
nem) an seruire Deo, & iustitiam, aliaq; ex hac promanantia bona lucrari.

Gratia autem Deo, quoniam eratis serui peccati, obedistis autem ex corde in eam
formam doctrinæ in quam traditi estis.] Gratia Deo, non enim erat humanarum ui-
rium liberari nos à tantis illis malis, sed planè diuini auxilij: propterea & gratos uos
esse oportet, ac Deo gratias agere. Porrò non estis coacti, sed uestra sponte ex ani-
mo obedistis. Proine ne retrocurratis ad id quod deterius est, à quo non inuiti de-
stitistis. Monstrans autem, quòd etiamsi ipsi accesserint, totum tamen isthuc diuinæ
Doctrinæ Christianæ forma. gratiæ opus esse, adiecit, Traditi estis, hoc est, à Deo in eam doctrinæ formam per-
ducti estis. Quæ uerò isthæc forma doctrinæ est? Rectè sanè uiuere, cum optima
conuersatione.

Liberati autem à peccato, serui facti estis iustitiæ. Humanum quiddam dico pro-
pter infirmitatem carnis uestræ. Sicut enim exhibuistis membra uestra serua im-
munditiæ & iniquitati ad iniquitatem, ita nunc exhibete membra uestra serua iusti-
tiæ ad sanctificationem.] Geminum à Deo beneficium accepistis, & quòd liberati estis
& uindicati in libertatem à tanta turpitudine, & quòd serui facti estis iustitiæ: un-
de

A de sanè ingens gloriæ cumulus accrescit, nec parum inde uobis laudis emergit. Cum autem discere uellet, En quantum serui fuistis peccati, intantũ nunc inseruite Deo: anteuertens hoc & præoccupans, Humanum dico, inquit, hoc est, exiguum quiddã, nec decens admodum causam hanc, conueniens tamen imbecillitati uestræ. Oportebat quidem multo maiorẽ esse seruitutis mensuram quę Deo erat exhibenda, quàm eam quæ peccato: attamen propter infirmitatem uestram, æqualitatem saltem utrinq; exhibere. Animaduerte autem, quî apertissimè, necnõ summa perspicuitate uoluntariam nostram seruitutem indicarit, inquiens: Quemadmodum membra uestra exhibuistis serua. Ipsi enim uos ipsos captiuantes, subiecistis uos impuritati, hoc est, adulterio, fornicationi, reru nefariarũ patrationi, & quid de sola impuritate uerba facio? omni potius iniquitati, ut uniuersum dicam. Quod autem adĳcit, ad iniquitatem, significat abundè adeoq; supra modũ iniquitati studere. Vt scelus sceleri addendo uestra nequitia in maius excresceret. Pari itaq; mẽsura exhibete mẽbra uestra serua sanctificationi, id est omni uirtuti, ut intẽperãtia & sanctificatiõe uitã ducatis, p priori impuritate.

Impuritas, seu immũditia.

Cum enim serui essetis peccati, liberi fuistis iustitiæ. Quem igitur fructum habebatis tum in illis in quibus nunc erubescitis? finis enim illorũ mors est.] Quando in uitijs & malitia uiuebatis, inquit, eratis planè liberi à iustitia, & ab ea soluti, nõ subiecti ei, omnino recusantes ipsi seruire, sed ab ea in libertatẽ uos uindicãtes. Quare nunc seruiẽtes iustitiæ, nõ omnino subĳciamini peccato. At uerò quid fructus & cõmodi ex impuritate habuistis? nihil, præter ignominiã & mortẽ. finis eñ illorũ mors: corporis quidẽ sępenumero, animę uerò omnino. Verùm à morte liberati estis per gratiã Christi, pudor uerò adhuc commodè sanè remanet: nunc enim pudet uos istorum scelerum.

Impuritatis fructus, ignominia.

Nunc uerò liberati à peccato, serui autem facti Deo, habetis fructum uestrũ in sanctificationem, finem uerò uitam æternam. Stipendium enim peccati mors, donum autem Dei uita æterna in Christo Iesu Domino nostro.] Operum peccati fructus est pudor ac uerecundia, iustitiæ fructus sanctificatio, & puritas & castitas. finis illorũ mors,

Pudor peccati fructus.

B finis huius uita æterna. Stipendia enim peccati mors, ὀψώνια γὰρ ἁμαρτίας θάνατος, ὀψώνιον, id est, stipendium, dicitur cibarium quod militibus ab Imperatore datur. Nobis igitur sibi seruiẽtibus peccatum elargiebatur stipendium, seruitutis nimirum mercedem & compensationem, mortem. Donum autem Dei. Non dixit merces quæ est à Deo ipso, sed χάρισμα, id est donũ uel gratia. Non enim retributionem & remunerationem laborum uestrorum accepistis, sed ex gratia hæc omnia contigerunt in Christo Iesu, ipse enim hæc est operatus.

Stipendium peccati, mors.

CAPVT VII.

AN ignoratis fratres (scientibus enim legem loquor) quod lex dominatur in hominem quanto tempore uiuit? Nam quæ sub uiro est mulier, uiuenti uiro alligata est ex lege: si autem mortuus fuerit uir, soluta est à lege uiri. Viuente itaq; uiro, adultera uocabitur, si fuerit cum alio uiro. Si autem mortuus fuerit uir, libera est, ut nõ sit adultera si fuerit cum alio uiro.] Morali prætermissa parte, ad eam quæ dogmata cõtineat institutionem transcendit, ostendens quòd non amplius debeant esse sub lege. Etenim lex inquit, quam & uos tenetis, dominatur in hominem tantisper dum uixerit: defunctis enim non amplius dominatur. Itaq; & uos mortui estis legi, quare deinceps uestri non dominatur. In principio iam antea istuc sic obscurè indicauit, deinceps autem secus hoc dicit: Quoniam defuncto uita marito mulieri copia facta est ut alteri copulari queat. Proinde & hic quidem lex uiro assimilatur, uos autem uxori. Deinde consectarium erat dicere, Itaq; fratres non dominatur uestri lex, siquidem est mortua: uerùm hunc ad modum non dixit, ne offenderet Iudæos: sed mortuam uxorem introduxit, hoc est ipsos, ut ita duplici fruantur libertate. Nam si mortuo marito mulier liberata est à potestate legis, multo magis asserta est in libertatem quando & ipsa mortua esse cernitur.

1. Cor. 7.

Itaq; fratres mei, mortificati estis & uos legi per corpus Christi, ut sitis alterius qui ex mortuis resurrexit, ut fructificemus Deo.] Si uita defuncti estis, inquit, nõ estis sub lege. Si enim mortuo marito nõ amplius eius lege teneẽ uxor, multomagis ipsa mortua liberata est à iugo legis. Obserua hic sapiẽtiam, quomodo eandem hic legem indicet, uelle ut ab ipsa deficiant. Liberati estis igit & uos à lege per corpus Christi crucifixi & occisi pro nobis. Corpus enim illud, ppterea occisum est, ut uos moriamini qui-

Iudæi quomodo à lege liberati

Q demle-

dem legi, iungamini uerò alteri, qui pro nobis mortem obijt, & postea excitatus est. A Lex enim mortua, porrò non uiuit: Christus uerò uita defunctus, uiuit. Quocirca non est data uobis potestas, ut à uiuente Christo Domino desciscatis. Ecquæ qualisue huius rei commoditas? Vt fructum feramus Deo, hoc est, ut ex hac copula qua Christo iuncti sumus, liberos progeneremus Deo, opera uidelicet bona.

Quando enim eramus in carne, affectus peccatorum qui sunt per legem operabantur in mẽbris nostris ut fructificarent morti.] Domõstrans q̃ nihil nobis lex profit ad hoc ut effugiamus carnales affectus, sed eos tantũmodo indicet: Quando eramus, inquit, in carnali uita & prauis operibus, affectus peccatorũ qui per legẽ manifestabãtur & agnoscebantur, efficaces erant per animã in membris nostris. Non dixit q̃ membra operarentur prauitatem, ut ne daret locum accusationi carnis. Anima enim est instar citharœdi, membra uerò ut cithara. Malè nanq̃ & ineptè pulsante citharœdo, malè resonat quoque cithara. Cum itaque sub lege essemus, nec possemus affectus effugere, progenerabamus praua opera morti.

Anima citharœdi instar, mẽbra uerò citharæ.

Nũc autem soluti sumus à lege, mortui ei, in qua detinebamur, ut seruiamus nos in nouitate spiritus, & nõ in uetustate literæ.] Non dixit solutam esse legem, ut ne offenderet Iudæos, sed nos soluti sumus à lege, q̃d est, absoluti sumus, liberati sumus defuncti uita & mortui, & immobiles facti ad illã rem in qua detinebamur. Ea uerò res peccatum erat: in ipso enim ueluti uinculo quodam detinebamur. Mortui autem sumus erga istud, ut seruiamus Deo in nouitate spiritus, & non in uetustate literæ. Quondã enim uirtus difficulter admodum, & maximo sanè labore, parabatur atq̃ perficiebat, ueluti Adamus multas naturæ imminutiones in mortali suo corpore recepisset. Iam nunc uerò per gratiam Christi in baptismate natura nostra confortata est per spiritũ, qui nos nouos fecit & iuuenes, ac liberauit à uetustissima literæ infirmitate. Propterea & in lege rarum quiddam erat uirginitas, nunc autem in ecclesia Christi multæ uirginum chiliades rectè agentiũ inueniuntur. Idem de mortis contemptu iudicandum.

Spiritus nouitas.
Vetustas literæ,

Quid ergo dicemus? Lex peccatũ est? Absit. Sed peccatum nõ cognoui nisi per legem. Concupiscentiam enim nesciebã, nisi lex diceret, Nõ concupisces.] Cum multa dixisset quæ uidebantur calumniã adferre legis, quale est, Peccatum uobis non dominabitur, non enim estis sub lege, sed sub gratia: &, Lex subingressa est, ut exuberaret delictum: & quod paulo antè dixit, Affectus peccatorum qui per legem, & uetustatẽ literæ medetur itaq̃ suspicioni huic, ueluti quandã obiectionẽ introducens, atq̃ per consultationẽ inquiens: Quid igitur dicemus de lege? peccatũ ne est? Atq̃ hanc oppositionem diluit primùm, inficiando & auersando ut consueuit in uehemẽter absurdis dicere, posthac rationes etiam adijciens. Peccatũ quidẽ nõ est, inquit, sed enim index est & ostensio peccati. Non enim noram cupiditatem, nisi lex diceret, Non concupisces. Atenim qua ratione quæso cataclysmus uel inundatio totius terrarum orbis contigit? Quomodo præterea Sodoma incendio cœlitus demisso perierunt, si ante legem concupiscentia malum esse ignorabatur? Cognoscebatur quidem, sed non ipsa intensa & latè patens concupiscentia, neque adeò exactè percipiebatur & cum legis testimonio. Prius enim sola naturæ lege cognoscebatur, posthac uerò & scripta lege, q̃d et maius suppliciũ infert. Id uerò nõ accidit ex institutione & doctrina legis, sed ex ignauia legis præceptis non auscultantium, perinde ac in sequentibus patefit.

Deut. 5.
Rom. 6.
Rom. 5.
Rom. 7.

B

Occasione autem accepta peccatum per mandatum, operatum est in me omnem concupiscentiã. Sine lege eñ peccatum erat mortuũ.] Non dixit q̃ lex operata sit concupiscentiã, sed peccatũ, quod est secundũ Chrysostomũ ignaua & corrupta uoluntas & impetus ad id quod deterius est: uel est ipse diabolus. hunc enim nonnulli peccatũ esse putauerunt. Peccatum itaq̃ legis institutionem in diuersum traxit, ea non rectè utens. Perinde enim ac si medicus quispiam febricitanti frigidam potionem haud in tempore expetenti non porrigens, ut ea expleatur eius cupiditas, etiamsi augeat cupiditatem, propterea tamen non est accusandus (siquidem medici est prohibere, patientis autem nõ bibere sibi nocentia) consimilem ad rationem lex quidem docebat ut hominem à concupiscentia abduceret: uoluntas autem peccati amans, auxit cõcupiscentiam, & non unum, sed omnia cupiditatum genera admisit, uehementer ac supra modum quod malum est operans. Quo enim magis inhibetur quispiam, hoc magis su-

Peccatum quid sit.

Vetita magis cupiuntur.

ri: &

A tis, & cupiditate incenditur. Tum itaq; apparet peccatum, quando legis fit transgressio. Nam citra legem peccatum est mortuum, hoc est, non reputatur esse. Porrò cum lex sit quæ quid deceat præcipiat: peccatum uiuit, id est subsistit & uidetur peccatum, quandoquidem legem transgredientes in cognitione peccent.

Ego aũt uiuebam sine lege aliquãdo. Sed cum uenisset mandatum, peccatũ reuixit, ego aũt mortuus sum.] Ante Mosen, inquit, uiuebam sine lege: quare neq; admodum condemnabar. Per propriam autem personam, humanam naturã intelligit. At cum uenisset mandatũ peccatũ, apparuit esse peccatũ. antea enim etiamsi peccassent, nõ norant tamen mortales. Legis aũt uel hoc est bonũ, q̃ homines fecerit nouisse q̃d peccarent. Quod uerò dicit, mortuus sum, dupliciter intelliges, & ꝑ peccaui, & pro maiori pœne factus sum obnoxius. id quod non legis crimen cõtinet, sed eius qui non attendit. Veluti exempli gratia, Aegrotabat quispiã, & ignorabat se ægrotare: deinde adue niens medicus ostendit ei q̃ ægrotaret, & q̃ ab hoc cibo tanquam ægritudinem augente abstinere oporteat: is uerò non est obsecutus medico, & mortuus est. *Pulchra cõparatio.*

Et inuentũ est mihi mandatũ q̃d erat ad uitã, hoc esse ad mortẽ. Peccatũ enim occasione accepta per mandatũ, seduxit me, & per illud occidit.] Non dixit q̃ mandatum factũ est mihi mors, sed inuentũ est, sic nouam & inexpectatã absurditatem exponẽs. Nam scopus ipsius ad uitã ducebat, & eo etiam fine datũ est. Quod si aũt mors hinc euenit, non ipsius certè culpa: nam peccatũ, hoc est impetus ad deteriora, corruptaq; & peccati amans uoluntas aut sentẽtia, ac ut magis propriè dicam, uoluptas seduxit me, & occidit per mandatum. Nisi enim esset mandatũ indicans peccatũ, neq; tanquã peccatum cõmittens reputarer, neq; pœnæ sanè aut supplicio essem obnoxius. Nã quod ait, occidit, ad utraq; accipiendũ est, & ad peccatũ, & ad supplicium, perinde ac suprà dictum est, mortuus sum. Conclusio itaq; totius huius apostolicæ sententiæ est huiusmodi: Lege nõ existente, peccatum nõ imputatur: lege adueniente, eaq; per transgressionem uiolata, apparuit peccatũ, & reuixit. Itaq; per mandatum præuaricatione uio- *Lege nõ existente, nõ imputari peccatum.*

B latum, peccatum, hoc est, peccati demonstratio est & subsistẽtia, quod tamen antehac non subsistebat, neque imputabatur, cum lex nondum esset. Causa itaque per se lex peccati haud quaquam erat, nec tamen ab eo nos ulla ratione liberare potuit, ob eam itaque legis debilitatem, gratia planè indiguimus.

Itaq; lex quidẽ sancta, & mandatum sanctum & iustum & bonum.] En manifestissimè hic Marcionitarum, Manichæorum, & Simonianorum, omniumq; uetus testamentum calumniantium ora obstruxit. Sanctam enim legem pronunciat palàm, & mandatum sanctum & iustum & bonum. Differt autem lex à mandato, quemadmodum uniuersale à particulari. Legis eñ alia quidẽ sunt decreta, alia uerò mãdata. Decreta itaq; legis siue dogmata sancta sunt, mandata etiam de rebus gerendis, sancta, iusta & bona sunt. Boni igitur & iusti Dei sunt legislationes, etiamsi hæretici prædicti praui Dei legem esse impiè calumnientur. *Marcionitæ. Manichæi. Lex & mãdatũ differunt.*

Quod ergo bonum est, mihi factum est mors? Absit. Sed peccatũ, ut appareat peccatum, per bonũ mihi operatũ est mortẽ.] Lex, inquit, non est facta mihi mors: peccatũ uerò me occidit, ut appareat quale quantumq; sit malum, quodq; lege ipsi medelam adferente, deterius euaderet. Peccatum autem, ut & suprà commemoratum, intelliges amantem uoluptatis sententiam atq; mentem, atq; uehementem ad peccatum ipsum motionem. iam uerò diabolum etiam, atq; ipsa opera per uoluptatem trahẽtia. Gratia igitur Christo, qui à tanto nos malo liberauit. *Peccatum quod dicatur.*

Vt fiat supra modum peccans peccatum per mandatum.] Vt fiat, pro appareat dixit, ut apertè palàm cernatur quanta sit peccati pernicies: quemadmodum & illud, Sit autem Deus uerax, pro palàm fiat & perspicuum. Istud autem per mandatum demõstratum est, usum est enim peccatum mandato ad mortem: perinde ac infirmitas uel morbus siquando per medica pharmaca redditur deterior, malam sui habitudinem per medicam artem declarare dici queat, quum ex ea nihil iuuetur. *Rom. 5.*

Scimus enim quod lex spiritualis sit, ego autem carnalis, uenundatus sub peccato.] Quia dixerat quod per mandatum peccatum apparuisset, ut ne arbitreris legem causam esse peccati, defendit eam cõmune suffragium proferens, ac dicens: Nouimus q̃ lex spiritualis est, id enim est in confesso, nec cuipiam obscurum. Tantum enim abest *Lex spiritualis.*

ut lex sit causa peccati, ut uirtutis potius sit præceptrix, uitijq; inimica & hostis. hoc enim est quod ait, Spiritualis est. Vnde igitur peccatum enatum est, si adeò lex mirifica & admiranda à discipulorũ socordia & imbecillitate. Ego enim, inquit, carnalis sum, hoc est, uniuersa humana natura cùm quæ ante sancitã legẽ, tum quæ tempore legis, uniuersam affectuum turbam sibi aggregatã habuit. Non enim tantũ mortales facti sumus ex Adami præuaricatione, uerumetiã affectus prauos natura sub peccato uendita recipit, iuri planè & dominatui peccati subdita, ita ut caput erigere nequeat. A

Quod enim operor, non intelligo.] Non omnigenam hic ignorantiam dicit. Si enim ex ignorantia peccabant, quomodo deinceps puniebantur? Sed quid ait? Tenebris obsepior, hincinde arripior, nec quomodo me peccatum arripiat, noui. Quare cum ait, Non noui, haud ignorantiam rei indicat, sed circunstantiam & insidias, ac deceptionem & arreptionem. Hæc autem omnia de mortalibus qui ante Christi in carnem aduentum fuere dicit, etiamsi propriam personam posuerit.

Non enim quod uolo, hoc ago.] Pro eo quod est, Non enim quod uoluerunt homines, qui tum uixere, egerunt. Non inducit autem necessitatem neq; uim per huiusmodi sermones. At quid ait? Quod non laudabant, quod non recipiebant, quod non amplectabantur aut diligebant, hoc faciebant. Infert enim deinceps.

Sed q̃d odi, hoc facio.] Viden' q̃ neq; uim inferat, neq; necessitatem hic faciat, quasi ista sic necessario esse oporteat? Aliàs intulisset, sed quod cogor, hoc ago: iam uerò nõ sic dixit, sed, quod odi. Quare illud quod nolo, sic accipias, ut expositum est. Quomodo igitur contingebant mala? per arreptionem, per infirmitatem qua laborabant ex præuaricatione Adami. Hanc porrò infirmitatẽ lex profectò sanare non potuit, etiãsi quid agendum esset dictaret: Christus autem accedens sanauit. Hic igitur Apostolo scopus est eorum quæ dixit, & quæ dicturus est demonstrare humanã naturã immedicabilia passam, nec ab ullo alio sanitati restitutam, præterquam à solo Christo.

Humana natura non nisi p Christũ sanari poterat.

Si autem quod nolo, istud facio, consentio legi quòd bona est.] Quòd bona sit lex, inde constat, quòd noui naturaliter quid agendum sit, & non sum mente corruptus, etiam si uitium accessero. B

Nunc autem iam non operor illud, sed quod habitat in me peccatum. Noui autem q̃ non habitet in me, hoc est in carne mea, bonum.] Non dixit quòd caro malum operetur, sed peccatum, hoc est peccati tyrannis me arripiens. Quid igitur hic nugantur & ganniunt, qui carnem criminantur, & à Dei opificio alienant? Et quomodo, inquiunt, ait, q̃ non habitet in me, hoc est in carne mea, bonum? Audi qua id ratione dicat: Ex duobus homo compositus est, ex anima & carne: horum alterum, anima uidelicet, imperium habet in omnibus: caro autem serua est. Nõ habitat igitur in carne mea bonum, id est, non est situm in eius potestate, sed in animæ arbitrio. Quidquid igitur anima elegerit, caro persequitur. Quemadmodum si quis dicat, Bona & concinna pulsatio non est in cithara, sed in citharœdo: non enim citharam calumniatur, sed artificis excellentiam instrumento præfert.

Carnẽ non esse malã.

Homo ex duobus cõ ponitur.

Velle enim adiacet mihi, perficere autem bonum non inuenio. Non enim quod uolo facio bonum, sed quod nolo malũ hoc ago. Si aũt quod nolo ego, hoc facio, iam nõ ego operor illud, sed quod habitat in me peccatum.] Cum ait, Nõ inuenio, uim & insidias peccati demonstrauit. Liberat enim cùm essentiã animæ, tum essentiam carnis à crimine & accusatione, totũq; in prauã operationẽ & uoluntatẽ transfert. Nam cum dicit, quod nolo, animã liberat à crimine: cũ uerò subdit, iam nõ ego operor illud, carnem ab accusatione immunẽ seruat. Ecquid igit̃ est quod malũ operatur? peccatũ, id est iuxta Chrysostomi sententiã, praua uoluntas & peccandi auida: Ista uerò nõ est opus Dei, sed nostra motio & affectus. Ipsa quidẽ simpliciter uoluntas, Dei opus est: talis aũt uolũtas ad nos pertinet, & mentẽ nostrã. Dictũ est aũt suprà quid sit peccatum, nempe peccati tyrannis, animum nostrum libidinibus & uoluptatibus arripiens.

Voluntas, Dei opus est.

Peccatum quid sit.

Inuenio igitur regem uolenti mihi facere bonum, q̃ mihi malum adiacet.] Obscurè hoc dictum est, quasi quicquam desit. debebat enim sic dici: Inuenio itaq; legem patrocinantẽ mihi, uolenti quidem facere bonũ, quod tamen non facio, eo q̃ malũ mihi adiacet. Porrò huius loci talis est sententia: Cognitionem boni ab initio constructã mecum ac ueluti unà conditã habui, Inuenio autem legem patrocinantẽ huic, eamq̃ commen-

A cõmendantem, ac uolo quidem bonum persequi, adeoq; peragere, attamen ui quadã
aliò corripior, malũq; mihi, pximè admotũ est, id est operatio malí nõ est ablata à me.
At uerò diuus Ioãnes Chrysostomus simulatq; hunc locũ ceu eũ (uti dictũ est) cui aliquid desit, interpretatus est, admonet & alia quadã ratione hũc posse intelligi: ut, Inuenio quidẽ legẽ, nõ alij cuipiã sancitã, sed mihi uolenti facere bonũ. Soli em̃ uolenti facere bonum lex est, ipsa lex, quę eadem uult quæ ipse, quod & in sequentib. planũ fiet.

Condelector enim legi Dei secundum interiorẽ hominẽ, uideo aũt aliã legẽ in mẽbris meis repugnantẽ legi mentis meæ, & captiuantẽ me lege peccati, quæ est in membris meis.] Noram sanè & antehac bonũ: inueniens aũt ipsum, & in literis situ, cõmendo legem, ac assentior ei secundũ interiorẽ hominẽ, siue secundum mentẽ meam. Cerno aũt aliam legẽ, hoc est, peccatũ: quod ideo legẽ appellauit, q; homines eo decepti, eidem obtemperent, eamq; dimittere metuant, ceu legẽ quandã quæ præuaricationem nõ recipiat. Hæc igit̃ repugnat legi mentis meæ, id est, naturali legi. Quẽ aũt suprà interiorem hominem nominauit, eum nũc apertè mentẽ uocat. Atq; ea lex uincit, imò captiuat me, & naturalẽ & scriptã legẽ supprimens. Qũo uerò me captiuum ducit: Lege peccati, hoc est, potentia, neq; nõ tyrannide. Non dixit aũt motu carnis, aut natura, uerùm lege peccati, quæ regnat & dominatur in membra mea. Hæc uerò non est calumnia carnis. Quemadmodum prædo quispiam si occupet regiam aliquã, in eaq; commoretur, nõ est isthæc calumnia uel criminatio domus: hunc ad modum si peccatum habitet in membris nostris, eam ob rem non est praua caro: siquidem tyrannide est oppressa. Nonnulli quatuor hic leges faciunt: Vnam diuinam, docentem nos quid deceat: Alteram impugnantem nos, quæ ex diaboli motu & operatione nos inuadit: Tertiam legem mentis, id est naturalem: Postremam quæ est in membris nostris, id est amantem peccati uoluntatem: ac abitudinem propensionemq; ad malum quæ in nobis per consuetudinem callum duxit, & obduruit.

Peccatum cur lex dicatur.

Leges quatuor.

Peccati lex in mẽbris.

Infelix ego homo, quis me liberabit ex corpore mortis huius?] Naturalis lex nõ sufB fecit, scripta non potuit, sed utramq; peccati tyrannis uicit. Vnde igitur est salutis spes? Quis me liberabit ex corpore mortis, hoc est morti obnoxio? Postquã em̃ corpus & passibile factũ, & mortui subiectũ ob præuaricationẽ esset, peccato etiam facilè obuiũ & patẽs constitutũ est. Atqui dicet hic aliquis: Postq; facilè à peccato inuadi potuit corpus, cur ergo puniti sunt qui ante Christi in carnẽ aduentũ peccarũt? Quia talia iniuncta erant, quæ peccato etiam dominante potuissent rectè peragere.

Gratias ago Deo per Iesum Christũ Dominũ nostrũ.] Quia malis oppressus fuit, ac consilij inops redditus, nec aliũ seruatorẽ inuenit, necessariò Christũ inuenit. Hinc & gratias agit Deo & patri per Iesum Christum Dominũ nostrũ, qui causa est gratiarũ actionis. Ipse enim præstitit ac trãsegit quæ lex non potuit. Nam ipse me ab imbecillitate corporis liberauit, uires illis adspirans atq; confortans, ut non porrò peccati tyrannide opprimar. Sed quẽadmodũ per præuaricationẽ Adami mortale factũ, tale est reditũ ut facile à peccato uincerẽ: sic per eius obediẽtiã qui crucifixus est & resurrexit, arabone accepto aduersus peccatũ egregiè firmaẽ statuiturq;. CAPVT VIII.

IGitur ego ipse mente seruio legi Dei, carne autẽ legi peccati. Nihil ergo nunc damnationis est ijs qui sunt in Christo Iesu, qui non secundum carnem ambulant, sed secundum spiritum.] Seruio pro seruiebam dixit, priorum namq; meminit. Dicturus enim nullã deinceps condẽnationẽ esse, &c. necnõ indicaturus ineffabilẽ gratiã Christi, ad memoriã reuocat quales nos antea gesserimus sanè, quoniã bonũ intelligebamus, carne uerò, hoc est carnis imbecillitate, legi peccati succũbebamus. Atqui nunc nulla est cõdẽnatio ijs qui sunt in Christo Iesu, hoc est qui baptismate sunt tincti. Quia uerò haud parũ multi post acceptũ regenerationis lauacrũ scelera cõmittunt, adiecit, qui non secundũ carnẽ ambulant, innuens q; nostræ sit ignauiæ isthuc, nimirũ q; post baptisma peccamus. Nunc enim & possibile est & facile non ambulare secundũ carnem, quod sanè olim difficillimũ, ante Christũ uidelicet, erat. Nõ solũ autẽ tẽperandũ est nobis ne carnis suasum & uoluptatem sectemur, uerùm oportet etiam illud accedere, ut secundum spiritum ambulemus. Non enim abstinentia à uitijs coronat, cæterùm uirtutis & spiritualium bonorum participatio.

Lex enim spiritus uitæ, liberauit me à lege peccati & mortis.] Legẽ spiritus, paracle

tum ſpiritum uocat, perinde atq; legem peccati, ipſum peccatum: uitæ autem legem A
hanc appellat, ut opponat eam legi peccati, quæ & mortem nobis ſubminiſtrauit. Etenim gratia Dei occidit peccatū & mortē. Leuē porrò hæc ipſa agonē nobis q reddidiſſet, ad cōflictus ita nos perduxit. Auſæ ſunt aūt peruerſæ linguæ legē peccati hic dicere Moſaicā legē, quā tamē apoſtolus nuſquā niſi ſanctā & ſpiritualē appellauit. At ſi ea ſpiritualis eſt, inquiunt, quid igitur diſcrepat à lege ſpiritus? Plurimū equidem. Lex enim Moſæ à ſpiritu tantum lata eſt, hæc autem & ſpiritum pariter ſuppeditabat.

Lex Moyſi ſpiritualis.

Nā quod erat impoſsibile legi, in quo infirmabatur per carnē, Deus miſſo filio ſuo in ſimilitudine carnis peccati, de peccato condemnauit peccatum in carne.] Meminit ſpiritus, nunc mentionem facit & patris & filij, trinitatem ita uniens. Ac uidetur hic ſanè contra legem dicere, uerùm id ſeſe ita non habet. Non enim dixit: Prauitas legis in qua peruerſe agebat, ſed enim impoſsibilitas in qua imbecillis erat. Quî uerò imbecillis erat, per carnem, id eſt per carnalem affectum. Senſus autem uniuerſus eorum quæ dixit Apoſtolus, hic reuelatur. Aít enim, ut & ſuprà indicauimus, q lex docebat quidem, non potuit autem uincere carnaliorem affectum. Proinde pater miſit ſuum ipſius filium in ſimilitudine carnis peccati, hoc eſt, carnem habentem ſimilem quidem ſecundum eſſentiam noſtræ peccatrici, carentem autem omni peccato. Quia enim meminit peccati, ideo ſimilitudinem appoſuit. Non enim iam aliam carnem aſſumpſit, ſed ipſam hanc aſſumens, ſanctificauit & coronauit, condemnans peccatum in aſſumpta carne, monſtrans adeò quòd non ſit natura caro peccatrix. A Chriſto ergo perinde factum eſt, ac ſi quis in foro mulierem cædi conſpicatus, dicat ſe eſſe eius filium, cum ſit natus regis, eaq; ratione liberet ipſam à uerberantibus. Porrò quòd ait, de peccato, poteſt etiam ſimplicius intelligi, hanc ad rationem: Miſit filium ſuum pater pro peccato, id eſt, eam ob rem, ut debellaret peccatum. Quod ſanè declarans magnus ille Ioannes Chryſoſtomus, Arguit (inquit) & reprehendit peccatum Chriſtus, quippe quod uehementer & ſupra modum peccaſſet. Quatenus enim peccatores occidit peccatum, iuſta quadam ratione intulit eis mortem. Quia uerò corpus Domini, quid impeccabile, adeoq; omnis peccati expers reperit, letho dedit: ſeu iniuriam faciens & peccans, condemnatum eſt. Miſit igitur filium ſuum Deus, cùm ut oſtenderet peccatum & iniuſtum eſſe & peccaſſe, tum ut iurè ipſum condemnaret, ut ne poſſit dicere ſatanas, fortis inſtar me Chriſtus uicit.

Similitudo aptiſſima.

Vt iuſtificatio legis impleatur in nobis, qui non ſecundum carnem ambulamus, ſed ſecundū ſpiritū.] Vt ne quis dicat, Ecquid ad me ſi Chriſtus in carne quā aſſumpſit uictoriā obtinuit? ppterea inquit, Imò maximē iſthuc tua intereſt. Nam iuſtificatio legis, id eſt finis & ſcopus (ſcopus enim ei erat iuſtificare hominem) impletur, inquit, in nobis. Lex enim uolebat quidē, infirmior autem erat quàm ut poſſet. Hoc itaq; Chriſtus fecit propter nos, & certamen quidem illius fuit: nos uerò uictoria potiti ſumus. Quare nequaquam etiam deinceps peccabimus, niſi ſecūdum carnem obambulauerimus, hoc eſt carnalia expetiuerimus. Imò uerò non ſatis eſt non expetere, nō ſapere carnalia, cæterùm oportet etiam adeſſe nobis, ut ſuprà cōmemoratum, ſpiritualē affectum. Hic adiecit, Sed ſecundum ſpiritū. Declina enim à malo, inquit Dauid, nec hoc ſolùm, uerùm fac etiam bonum. Non enim poſtquā audiuimus q Chriſtus nobis uictoriam peperit ac donauit, recidemus omnino: ſed operæ eſt precium obſeruare lauacri gratiam. Omnino enim nobis nunc lucta eſt facilior, quàm antehac.

Legis iuſtificatio in nobis finē nacta.

Pſalm. 36.

Qui enim ſecundum carnem ſunt, quæ carnis ſunt, ſapiunt: qui uerò ſecundum ſpiritum, quæ ſunt ſpiritus.] Qui ſeſe dedūt immoderatæ carnis ſeruituti, quæ carnis ſunt ſemper cogitant, affectant, ſapiunt, nihil diuini conſiderantes: qui uerò prorſus ſpiritui ſubiecti ſunt, omnia ſpiritualia planè & ſapiunt, ſpirant, & faciunt.

Affectus enim carnis, mors: affectus autem ſpiritus, uita & pax.] Affectum carnis, pinguiorem cogitationem nominat, à peiori ei nomen indens. Non enim iam ipſa per ſeipſam caro proprium affectum habet, ſed pinguis & craſſa cogitatio ſententiaue eſt affectus carnis, ueluti ſi quis dicat, mens carnalia ſpirans: quemadmodum & affectum ſpiritus, cogitationem expetentem & anhelantem ad ea quæ ſunt ſpiritus, accipit quæ uitam parit, ut morti opponatur, quam carnalis cogitatio gignit. Pax etiam dicitur, ut ſtatuatur in contrarium ei quod ſequitur. Infert enim:

Carnis affectus.

Spiritus affectus.

Nam af-

A Nã affectus carnis inimicitia est in Deũ: legi em̃ Dei non subijcit. Neq; em̃ potest.] Spiritualis cogitatio pacẽ generat, carnalia uerò affectans, inimicitias erga Deũ. Manus igit̃ Deo infert: Nõ, inquit, sed legi eius nõ subiecta, dicitur esse inimica Deo. Ne tuberis aũt cum audis, Non potest: uerùm intellige, quemadmodũ opus est, id q̃d dicitur. Nõ potest enim affectus carnis, quatenus huiusmodi permanserit, subdi Dño: æquè ac si dicat aliquis, fornicatio nõ potest esse tẽperantia. Non enim dixit q̃, nõ poterit unquã, uerùm non potest iam nunc dum carnalis permanet. Quomodo em̃ ipse Paulus, quomodo latro, quomodo innumeri alij (ut semel dicã) sceleroſi, ex malis boni fieri potuissent, si hęc permutatio nequiuit cõtingere? Haud dissimilẽ ad modũ Dominus in Euangelio dixit: Non potest arbor mala fructus bonos facere: nempe tantisper dum mala remanserit. Ne igitur carnalia affectemus, sed quæ sunt spiritus, ut pacem habeamus ad Deum, qui spiritum nobis suum impertijt, per quem omnia nobis facilia sunt quæ in lege uix potuerunt uel transigi uel perfici.

Peccatorũ immutationes.

Matth. 7.

Qui aũt in carne sunt, Deo placere non possunt. Vos autem non estis in carne, sed in spiritu.] Hoc est, carnis affectum amore prosequentes, Deo placere nequeunt, tantisper dum tales fuerint. Non enim substantiã carnis, sed crassiam & carnalem uitã, & quæ totum hominem carnem efficit sic nominat, itidem ut in ueteri testamento: Non inquit, permanebit spiritus meus in his, quia caro sunt. Porrò quod ait, Vos autem nõ estis in carne, id est non seruistis carnali uitæ, sed spirituali. Et quare non dixit, Vos autem non estis in peccatis? Vt discas quòd nedum peccati tyrannidem extinxerit Christus, uerũetiam carnem & leuiorem & spiritualiorem reddiderit. Quemadmodum enim ferrum in igne commorans, ignis fit: sic & caro eorum qui per baptisma spiritum acceperunt, tota spiritalis efficitur.

Carnalis uita.

Gen. 6.

Peccati tyrannis per Christũ extincta.

Siquidem spiritus Dei habitat in uobis.] Siquidem hic non ponit quia dubitet, uerùm quia ualde credat, pro eo quod est, Quandoquidem iam spiritus Dei demoratur in uobis, propterea in spiritu estis.

B Si quis aũt spiritũ Christi nõ habet, hic nõ est eius.] Nõ dixit, Si aũt spũm Christi nõ habetis, uerùm, si quis nõ habet spũm, ob sermonis asperitatẽ & molestiã. Indefinitè igitur non est Christi, idq; non immeritò. Spiritus enim ipse sigillum est. Proinde qui non gestarit sigillum, non est porrò domini illius qui per sigillum denunciatur.

Spũs, sigillum est.

Si aũt Christus in uobis est, corpus quidem mortuum est propter peccatum, spiritus uerò uita est propter iustitiam.] Rursus eos exhilarat cum inquit, si Christus est in uobis. Nõnulli hic per Christum, spiritum intellexerunt, uerùm id secus habet. Cæterùm Apostolus hoc demonstrat, q̃ cui spiritus adfuerit, ei etiam adsit Christus. Vbi em̃ est una sacrosanctæ trinitatis persona, illic etiam reliquæ sunt. Ecquid erit si Christus fuerit in nobis? Vt corpus sit mortuũ, quatenus ad peccatũ: Spiritus aũt sanctus in uobis uita sit, hoc est q̃d non solum ipse uiuat, sed etiam alijs ut uiuat pręstare ualeat. Erit aũt uita ipse spiritus propter iustitiam, siue iustificationem, hoc est quòd iustificati sumus à Deo, ac in nobis ea iustitia siue iustificatio seruatur: qua seruata, peccatum nõ erit: peccato uerò sublato, tollitur iuxtà mors, ac relinquitur prorsus uita, & in præsenti seculo quando secundum Deum uixerimus (ipsa enim propriè uita dicitur, quãdo peccato mortui sumus) & in futuro, quæ est in sempiternum durans.

Quod si spiritus eius q̃ suscitauit Iesum ex mortuis, habitat in uobis q̃ suscitauit Christum à mortuis, uiuificabit & mortalia corpora uestra propter inhabitantem spiritum eius in uobis.] De resurrectione hic rursus sermonem mouet, inquiens: Ne angaris animi, q̃ mortali corpore cinctus es: habes enim spiritum Dei qui excitauit Christum ex mortuis. Aequè autem ac illum excitauit, sic & te resuscitabit, imò uiuificabit. Resurgẽt etenim & illi quibus spiritus Dei nõ fuerit, sed ad suppliciũ: qui uerò spiritũ habuerint, in uitam nunquam ruituram. Propterea non dixit Apostolus, resuscitabit corpus, sed uiuificabit, ob inhabitantem in te spiritum. Nec dixit τὸ ἐνοικῆσαν, id est qui inhabitauit, sed τὸ ἐνοικοῦν, id est, inhabitãtẽ siue q̃ inhabitat, qui ad finẽ usq; pmanet. Nõ em̃ sustinebit Deus, ubi uiderit spũm suũ in te, nõ introducere te in thalamũ suũ: quẽadmodũ si nõ habueris spiritũ Dei, pereas necessum in sempiternũ, etiam si resurrexeris. Mortifica itaque corpus, ut habitet spiritus in te, ac propterea tibi uita impertiat.

Resurrectio bonorum & malorum.

Debitores igitur sumus fratres, nõ carni, ut secundũ carnẽ uiuamus.] Cum indicaſſet quan-

set quantū cōmoditatis præberet spiritualis uita, nimirū ꝙ Christū inhabitare faciat, A
& uiuificet mortalia corpora: deinceps & adhortationem in medium adfert, ostēdens
ꝙ non debeamus porrò quicq̄ carni, sed spiritui potius. Nā quæ Deus in nos contulit
beneficiorū, per gratiā nobis obtigerunt: quæ uerò nostra sunt, illa ex debito ineuita-
biliter postulantur. Explicans aūt hunc locum quomodo dixerit, carni, ut ne accipias
carnis naturā, intulit, ut secundū carnē uiuamus. Non em̄ solicitudinē pro carne pror
sus reiecit: siquidem haud pauca ei debemus, est enim alenda, est etiam fouenda nobis.
Secundum carnem uiuere. sed studium & conatū qui nos ad peccandum agit, damnat. Secundum carnem enim
uiuit, qui carnem dominam uitæ nostræ, reginamq̄ animæ facit.

Si em̄ secundū carnē uiuatis, moriemini: sin spiritu facta corporis mortificetis, uiue-
tis.] Mortē hic dicit nō solùm immortalē quæ est in gehēna pœnā, cæterùm ipsam etiā
hic in scelestis facinorib. uitā mortē appellat. Sicut cōtrà si p̄ spiritualē uitā opera cor-
poris praua occiderimus, uiuemus & futurā indissolubilē uitā, & præsentē quæ est in
Corpus nō occidendū, sed opera corporis. uirtute. Nā q mūdo mortuus est, is uiuit. Obserua aūt quî nō dixerit, corpus occideri-
tis, id enim homicidiū foret, sed opera corporis, eaq̄ praua. Nō enim uidere simplici
ter & audire, quæ sunt opera corporis naturalia, tollenda sunt, sed abusus illorum.

Quicunq̄ em̄ spiritu Dei aguntᷣ, hi sunt filij Dei.] Promisit pauloantè uicturos ipsos,
si praua opera, inquit, occideritis: nunc uerò precipuiorē coronā, maiorēq̄ mercedē sub
dit, q̄ antea expresserit, filiorū nēpe diuinā adoptionē. Quare nō dixit, quicunq̄ spiri
tu uixerint, sed quicunq̄ aguntᷣ, hoc est gubernantᷣ, reguntur ceu ab aurigatore quo-
piā, spūm Dominū cùm carnis tum animę facientes. Etiamsi enim baptisma acceperis,
& filius Dei fueris per baptisma, non agaris autem spiritu, donum & gratiam amisisti.
Omnes quidem spiritum accipimus per regenerationis lauacrum, agi autem per om
nem uitam eodem, id uerò à nobis tanquam nostrum exigitur. Eapropter non dixit,
Quotquot spiritum acceperunt, hi sunt filij Dei: sed quotquot spiritu aguntur.

Non em̄ accepistis spiritū seruitutis iterū ad timorē, sed accepistis spiritum adoptio
nis filiorū Dei.] Filios Dei esse qui spiritu Dei agantur, dixit: iam uerò quia & Iudæi fi B
Esaiæ 1. liorū adoptionē sibi uendicabant, scriptura dicente, Filios genui & exaltaui, &: Filius
Exod. 4. meus primogenitus Israel: quantum sit interualli inter nostrā & Iudæorū adoptionē
Spūs seruitutis, litera legis. monstrat. Illi, inquit, spiritū seruitutis acceperunt: literā legis ita nominans, ut quę à spi
ritu quidē data sit, seruis tamen interim magis cōueniat. Nam & corporales inde pœ-
Esaiæ 1. nę & supulicia præstò sunt, q̄d genus sunt lapidationes, exustiones, & minæ: Gladius,
inquit, uos deuorabit. Vnde ingēs sanè metus ob oculos uersat. Ac præmia rursus ter
rena ex lege proponuntᷣ, ,pmissionesq̄ bonorū terestriū tum mandata & uilia & serui
lia multa. Ex lege itaq̄ & filij uocabantur, sed tanquam serui: nos uerò seu ingenui, &
liberi. Nam præmia nostra sunt cœlestia, cœlorumq̄ regnum: ac pœnæ nostræ non
Præmia Christianorum cœlestia. sunt lapidationes, idq̄ genus alia quæ à sacerdotibus inferebantur, sed satis est ejici &
excludi à mystica mensa tanquā filiū. Mādata porrò nostra sunt diuina ingenuis ma
ximè quadrātia, uidelicet: Ne intuearis fœminā, ut cōcupiscas: Ne iures: Relinque ea
Matth. 5. & 19. q̄ possides. Atq̄ hæc mādata, nō pœnæ formidine, sed spūs cupiditate pficiuntᷣ. Et ga
plericq̄ haud parū multa mādata trāsgrediuntᷣ in ueteri testamēto, indicio est q̄d spiri-
tus Dei in illis non aderat: hic uerò dives adeoq̄ exuberans est eius gratia.

In quo clamamus abba pater.] Hebraicam dictionē posuit, q̄d uerbū est puerorū seu
filiorū genuinorū erga patrē. Quid igitur, num & illi uocabant patrē Deū? Deū enim,
Deut. 32. 1. Cor. 8. Malach. 16 inquit scriptura, qui genuit te dereliquisti. Et alibi: Deus unus condidit uos. Et, Pater
unus omniū uestrū Deus. Etsi aūt hęc dicta sint de illis, nemo tamē inuentus est in ora
tionibus qui uocaret patrē Deum, quemadmodum nos nunc omnes post baptisma.
Etiamsi autem maximè illi olim uocassent eum patrem, ex propria tamen cogitatione
fecerunt: fideles autem ex spirituali motione & operatione. Vt enim nouimus spiritū
prophetiæ ex eo, ꝙ qui acceperit eum, futura prædicit: sic & spiritus adoptionis filio-
rū agnoscitur ex eo ꝙ qui acceperit ipsum, patrem uocat Deum, à spiritu motus. Nā
& hoc est unum ex donis spiritus, perinde ac ipse infert, dicens:

Ipse spiritus testimonium reddit spiritui nostro, ꝙ simus filij Dei.] Paracletus ipse te
stimonium dicit dono quod datum est nobis. Non enim sonamus Abba nos citra te-
stem spiritum, & à nobis ipsis, uerùm paracleti donum est, & ipse docuit nos per spiri-
tum uel donum sic loqui in orationibus.

Si au-

A Si autem filij, & hæredes: hæredes quidem Dei, cohęredes autem Christi.] Quia nō omnes filij sunt hæredes, ostendit nos & filios esse, & hæredes. Quia uerò non omnes & filij, & hæredes, magnorū bonorū hæreditatem adeunt, ostendit q; magna etiam simus hęreditate bona cōsecuturi, ut qui Dei sumus hæredes. Rursus quandoquidem fieri potest, ut hęredes simus, nec tamen omnino simus unigenito cohæredes, ait quòd & hoc habeamus. cohæredes enim Christi sumus.

Si tamen compatimur, ut & conglorificemur.] Cum dixisset, Christi nos cohæredes fore, ostendit nos consentaneè istud assecuturos. Qui enim nihil recti bonique agentes tantis bonis honorauit, quomodo nō, si uiderit multa transegisse, maioribus præmijs dignabitur? Hoc autem agit, ut ne rubore suffundantur, né ue pudefiat ij qui donū acceperunt, tanquā citra laborē acceperint. Veruntamen considera quid hic adumbret, & occultè innuat: qūo sic operæpretiū eum qui tantis bonis ac donis auctus & exornatus sit, & passionibus & periculis seipsum obijcere & exponere.

Existimo enim q; non sit condignæ passiones huius tęporis ad futuram gloriam quę reuelabitur in nobis.] Quandoquidē dixerit, Compatimur, ne cunctetur & detrectet auditor, tanquam ad pericula eductus, ne deterrearis, inquit, aut animo concidas. Non enim dignæ & pares sunt huius tęporis afflictiones, hoc est, temporariæ transitoriæq; ad futuram in nobis reuelendam gloriam. Non dixit ad futuram quietem, sed gloriam. id enim nominis plerisq; est amabile. Porrò ubi quies, ibi nō omnino gloria: ubi uerò gloria, illic & quies. At cū ait, Quæ reuelabit̄, admonet nunc quoq; esse illā ipsam, cæterùm abdi celariq; tunc aūt reuelabit̄, id est, perfectè manifestabit̄. Quia em̄ ingēs est, & nullis uerbis explicabilis, excellit & superat prętens seculū, & uitę cursum huius. Propterea illic est recondita, nunquā finitēdis coextensa seculis. Quocirca piè auditor, quia afflictiones sunt prętentis tēporis, id est trānsitoriæ, gloria uerò futuri seculi nunquā cessaturi & indissolubilis, adspernare afflictiones, & amplectere gloriam. *Afflictiones huius seculi breues.*

Vehemens enim expectatio creaturæ reuelationē filiorum Dei expectat.] Mōstraturus quantam simus gloriam consecuturi, inquit q; ipsa creatura in melius permutabitur: q; si creatura, multo magis nos. Sententia itaq; eorum quæ dicuntur, est huiusmodi. Quod aūt prophetis in more est, ut flumina manibus plaudentia introducant, montesq; saltantes, personas cùm animatorum tum sensibilium ipsis tribuentes: idem & ipse hic Apostolus agit, quum dicit, Omnem creaturam ἀποκαραδοκίαν, id est, ingentem expectationem habere, quòd & ipsa in meliorem permutetur statum: necnō expectare reuelationem gloriæ nostri filiorū Dei. Tum enim & ipsa glorificabitur incorruptibilitate, quando & nos eadem fuerimus adepti. Quæcunq; igitur audis dici de creatura, seu animato, prosopopœiæ more dici arbitrator. *Prosopopœiæ prophetarum.*

Vanitati enim creatura subiecta est, non uolens, sed propter eum qui subiecit ipsam in spe, q; & ipsa creatura liberabitur à seruitute corruptionis in libertatem gloriæ filiorum Dei.] Vanitati, hoc est, corruptioni, subiecta est creatura, pro eo quod est, corruptibilis facta est propter te hominem. Simulatq; enim corpus accepisti mortale, & afflictioni obnoxium, eam ob rem terra etiam spinos ac tribulos protulit, cœlumq; uetustate squalidum & antiquatum, permutatione indiget. Ecquî propter alium corruptibilis facta est creatura, adeoq; uniuersi creatio? Eo quòd hominis causa prorsum subsistit. Non uolens autem, significat Dei prouidentia & cura uniuersum hoc contigisse, & nō ipsius creaturæ industria & uirtute: id enim ad cōmoditatem tuā factū est, ut in corruptionē eius intuens, eam adsperneris, & ad cœlestia animū tuum transferas. Audiens quod ait, In spe, itidem per prosopopœiā intellige dictum, omniaq; his similia. Creatura itaq; liberabitur etiam, nō tu solus, uerùm & illud quod te longè est infe us, anima & sensu uacans: illud (inquam) tantorum erit bonorum consors, nec porrò erit obnoxium corruptioni, sed creatura ea tecum habebit communia. Ac quemadmodum te corruptibili facto, & ipsa corruptioni est subiecta: sic te incorruptibili facto, & ipsa ad incorruptibilitatem alterabitur. Si igitur creatura propter te passa est, interest tua, Dei etiam causa sufferre adflictionem. Ac si illa sperat glorificari, quanto magis tu idem expectare debebis? Vt enim pater seruos pulchrè uestit in gloriam filiorum, sic Deus creaturam in gloriam nostram. *Gen. 3. Psalm. 102.* *Terræ machina incorruptibilitate donāda.*

Scimus enim quòd omnis creatura congemiscit, & simul parturit adusq; nūc. Non solùm

solùm autem,sed & ipsi primitias spiritus habẽtes, & nos ipsi in nobis ipsis gemimus, A filiorum adoptionem expectantes,redemptionem corporis nostri.] Argumẽtis hisce uel sermonibus cogit auditorem cõtemnere præsentia,perinde ac si dicat: Ne sis creatura inferior,neq; præsentibus lubẽs immoreris,eáue dilígas:quin potius ingemiscas q futura nondũ tibi gloria perfrui liceat. Nam si creatura ingemiscit, quanto magis tu ex imo pectore suspiria trahes? Infert aũt q & nos ipsi primitias spiritus habentes, hoc est,qui futura gustauimus,ingemiscimus,q ea nondũ sumus adsecuti. Ex quo em̃ accepimus spiritualia charismata (hæ enim sunt primitiæ) futura etiã obseruamus, certoq; animaduertimus. Deinde ut ne det hęreticis occcasionẽ dicẽdi, Quia mundus hic prauus est,eapropter ingemiscimus, filiorũ adoptionẽ expectantes gemimus, inquit. At quomodo cum iam sumus adoptati, aliã adoptationẽ præstolamur, Næ, inquit,adoptationẽ dico nõ eam quæ per baptisma obtingit, illã em̃ iam accepimus: sed enim perfectã gloriã, quæ est in incorruptibilitate corporis. Hoc enim est redẽptio nimirũ consummata libertas, liberatioq; à morte & affectionibus, atq; adeò huius terræ adflictionib. quãdo nõ amplius auerti poterimus ab adoptatione, ac in seruitutẽ peccati redigi.

Adoptati nos alteram adoptationẽ expectamus.

Spe nanq; seruati sumus. Spes aũt quæ uidetur, nõ est spes. Nam quod uidet quis, quid adhuc sperat? Si aũt q̃d speramus, nõ uidemus, per patientiã expectamus.] Quia futurarũ rerũ mentionẽ facit, pleriscq; earum nomine ambigentibus, ait: Ne sis incredulus, néue non adhibeas fidẽ ijs quæ protuli, tu qui fidelis es. Ex ijs enim quæ iam antea recepisti, de futuris etiam crede. Ac sicuti antea nihil planè adferens præter solam fidẽ, ingentia à Deo bona accepisti: sic & nunc fide utere erga futurorũ bonorũ spem. Nã spes tum demũ reuera est spes, cum de ijs quæ nõ cernũtur, fuerit. quod em̃ quisq; uidet, quid adhuc sperat? Ne hic igitur in terris omnia quæramus, per patientiam enim futura expectamus. Patientiam autem cum audiueris, certamina, labores, & sudores intellige denunciari. Namq; minimè iniquo animo Christianum esse par est in expectatione eorum quæ non uidentur, per fidem autem sperantur.

Spes quorũ dicatur.

Similiter & spũs adiuuat infirmitatẽ nostrã.] Patiẽtiæ mẽtionẽ fecit. Animãs itaq; auditorẽ, ait, quoniã & spũs nobis opitulat̃. Proinde ne defatigeris, sedenim & spera & expecta. Tibi enim auxiliatur, spiritus solam patientiam & expectationẽ adferenti.

Nam quid oremus sicut oportet nescimus.] Quánam ratione spiritus succurrat, ostendit infirmitatibus nostris inquiens. Adeò sumus imbecilles nos, ut etiam quid orare debeamus, ignoremus: primũ in uniuersum omnes, adeoq; ego Paulus. Nam & ipse apostolus ꝓ stimulo quo affligebat̃, orauit, atq; ut Romã proficisceretur. Moyses uerò ut Palęstinam intueri posset. Hieremias itẽ ꝓ Iudæis deprecatus est, ignorantes quid opportunũ seu necessariũ esset. Hæc uerò iam diuus Paulus cõmemorat, q̃ uerisimile erat, fideles qui Romæ persecutionibus & afflictionibus quatiebantur, cessationem ac quietẽ petere: & cum non assequerentur, despõdere animum & offendi, commonstrat igitur quòd nemo mortalium norit petere quod expediat & conferat. Debetis igitur, inquit, sustinere, siquidem spiritus compertum habet quid uobis prosit. Propterea infert:

2. Cor. 12. Rom. 1. Deu. 32 & 34. Hier. 14. & 24.

Sed ille ipse spiritus interpellat pro nobis gemitibus inenarrabilibus.] Quẽadmodũ multa dona necnõ diuersa baptismate regeneratis dabat olim Deus, quæ & ipsa spiritus appellabãtur, & alius quidẽ habebat prophetiæ donum, alius sapientiæ, alius q̃dam aliud: hunc ad modum donũ orationis impertiebat, quod & ipsum uocabat̃ spiritus. Cum enim pleraq; ignorantes quæ nobis cõmodarẽt, nõ cõmodantia ea de causa peteremus, accedebat tũ orationis charisma in unũ quempiã eorũ q tum ducebant uitã, & quod cõmuniter omnibus cõferebat stans precabat̃, aliosq; id petere docebat. Spiritum igitur hic uocat huiusmodi donum, & animã recipientem precationis donum, ac interpellantem apud Deum ingemiscentemq;. Nam magna cum cõpunctione stabat spiritualis ille homo, & multis gemitibus, cuius hodieq; symbolum est diaconus stans, & ex imo pectore ad Deum preces pro populo effundens.

Orationis donum.

Diaconi preces.

Qui autem scrutatur corda, scit quid desideret spiritus, quia secundũ Deum postulat pro sanctis.] Non ueluti ignorante Deo stans precatur homo ille. qui enim scrutatur corda, nouit quis sit sensus spiritus, id est spiritualis hominis. Nam quæ Deo grata sunt, ab eo postulat ꝓ ijs qui sunt in ecclesia fideles: illi em̃ sancti sunt. Atq; hoc fit, ut disca-

A ut discamus petere secundum Deum, siue quæ Deo placeant. Quia igitur spiritus intercedit pro nobis, ne despondeas animum, quisquis adfligeris.

Scimus autem q̃ diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, ijs qui secundum propositum uocati sunt.] Quæ iam antea cõmemorata sunt, nempe q̃ creatura subiecta est uanitati, quodq̃ incorruptibilitatem sit assumptura, & iterum, quid orare debeamus, ignoramus: admonitiones fuerunt eorum qui Romæ adfligebantur, sicuti annotauimus. Quæ uerò nunc subdit, omniũ sunt manifestissima. Nam diligentib. Deum, omnia quantumuis ardua uideantur & aspera, in bonum cooperantur. Non dixit aũt q̃ nihil triste nihilue difficile iuuadat diligentes Deum, cæterùm q̃ iuuadant quidem, uerùm istis malis adeoq̃ periculis & afflictionibus Deus in commodũ afflictorũ utitur. Deinde quia hoc incredibile uidebat, à præteritis hoc stabilit, inquiens: his qui secundum propositum uocati sunt. Etenim uocauit te cum longè abesses, sibique te proprium fecit, quanto magis uocatum te suscipiet? Vocatus est autem homo secundum propositum, hoc est secundum propriam uoluntatem. Nõ enim sufficit uocatio, alioqui omnes seruati essent: uerũ uolũtatis etiã ꝓmptitudo & assensus requiritur.

Christianorum afflictiones illis in bonum cedunt.

Propositũ ad uocatos Theoph. ut & Chrysost. referre uidetur, ut ad Dei uocationẽ prõpta hominis uolũtas requiratur, Augustin. ad Deum refert.

Nam quos præsciuit, & prædestinauit cõformes fieri imagini filij sui, ut sit ipse primogenitus in multis fratribus. quos autem prædestinauit, hos & uocauit.] Præcognoscit uel præscit Deus eos qui uocatione digni sunt, deinde sic prædestinat. Prior itaq; est præsciẽtia, postea sequitur prædestinatio. Prædestinationẽ aũt intelliges impermutabilem Dei bonã uoluntatẽ. Prænouit itaq; Paulũ uocatione Euãgelij dignũ esse, sicq̃ præfiniuit seu prædestinauit, hoc est, impermutabiliter decreuit, adeoq̃ statuit uocare ipsum. Conformes igitur efficit imagini filij, quos prænoscit dignos. Quod enim unigenitus est secundũ naturã, hoc ipsi facti sunt per gratiã, ut & ipsi filij Dei uocarentur. Primo genitus aũt est inter multos fratres secundũ dispensationẽ: secundũ namq; diuinitatẽ est unigenitus. Quia eñ assumpta caro uncta est præsentia eius qui totum eum inunxit, spiritus sancti, ac primitiæ nostræ factus est, sanctificata porrò in Christo condemnationi obnoxia natura, meritò primogenitus est, fratresq̃ ipsius appellamur.

Præsciẽtia, deinde prædestinatio.

B Quos autem uocauit, hos & iustificauit.] Per lauacrum regenerationis liberans à peccatis, iustósque efficiens.

Quos autem iustificauit, hos & glorificauit.] In filios nimirum adoptans illos, aliaq̃ illis impertiens dona.

Quid ergo dicemus ad hæc? Si Deus pro nobis, quis contra nos?] Viden' apertissimè hic indicare ipsum q̃ uerba faciat ad afflictos? Huiusmodi enim propemodũ dicit: si tantis bonis digni iudicati sumus cum hostes essemus, quãto maioribus donabimur post iustificationem & glorificationem nostram? Ac si Deus pro nobis sit, quis aduersum nos erit? Etiamsi enim uniuersus orbis insurgat aduersum nos, Dei tamen sapientia ad nostram salutem & gloriam hunc conuertet insultum.

Qui ꝓprio filio suo nõ pepercit, sed ꝓ nobis omnib. tradidit ipsum, quomodo & cũ ipso nõ omnia nobis donabit?] Omitto cætera, inquit, quæ suprà cõmemoraui, q̃ iustificauit, q̃ & glorificauit nos. Verùm hoc considera, q̃ filio suo proprio, hoc est unigenito, dilecto, qui natura ex ipso est (sunt enim & adoptatitij per baptismã) illi igitur non pepercit: sed pro nobis tradidit ipsum, adeoq̃ pro omnibus, hoc est, tum ingenuis, tũ non ingenuis, & humili & celebri loco natis. Neq̃ simpliciter, uerùm ad mactationẽ tradidit. qui ergo iam nõ omnia nobis donaret? Qui enim Dominum dedit, quomodo nõ omneis iuxta eius facultates præberet? Proinde si quicquam tibi non impertit, nõ conducit tibi, ac eapropter non impertit. Ne igitur impense desideres liberationem, qui adfligeris propter Christum. si enim conferat, accipies, eriscq̃ compos uoti.

Quis accusabit aduersus electos Dei?] Quia inter alias tentationes & illud à Iudæis obijciebat fidelibus, quod facile immutarentur & confertim siue agminatim ad Christianismum deciderent: subdit Paulus, quia Deus uos elegit, & quis est qui accuset electionem Dei? Homo artifex si quicquam elegerit, nemo est qui culpet: ecquis est qui Dei electionem reprehensurus sit?

Deus est qui iustificat, quis est qui condemnet? Christus qui mortuus est, imò qui & resurrexit.] Non dixit, qui remittit peccata: uerùm, quod multo maius erat, Deus est qui iustificat. Ne igitur metuamus neq̃ tentantes neq̃ exprobrantes. Nã Deus elegit nos

git nos, & iustos fecit. Adhæc is qui mortuus est ꝓ nobis, immo qui & resurrexit Christus est filius ille Dei. Quis igitur condemnabit tanta gloria donatos ac dignatos?

Qui est ad dexteram Dei, qui etiã interpellat pro nobis.] Interpellat pro nobis dixit, ut Christi erga nos dilectionem cõmonstret. Nam cum quæ ad corporis sui dispẽsationem & functionẽ pertinerent, cõpleuerit: non dissoluit neq; exuit erga nos clementem adfectũ. enimuero legatione ꝓ nobis fungit, id eñ uocula τυγχάνει, id est, interpellat significat. Nec eñ gloriæ unigeniti diminutionem ea dictio adfert. Cum nanq; prius dixisset, Qui est in gloria patris, quod maiestatis & magnificentiæ eius indicium est, intulit deinde, interpellat, nihil aliud per hoc denuncians, q̃, uti dictum est, illius erga nos dilectionem: quandoquidem & de patre dictum sit, tanquam Deo exhortante per nos. nunquid igit̃ gloria Dei imminuitur, quia παρακαλεῖ, exhortat siue obsecrat, minimè gentiũ, imò isthuc est ineffabilis ipsius erga nos curæ argumentum. Nõnulli interpellat pro nobis, sic intellexerũt, ꝙ quatenus corpus ferat, nec deposuerit ipsum (ut Manichæi nugantur) illud ipsum esse interpellationẽ & intercessionem ad patrẽ. Intuens enim in illud pater, recordatur dilectionem erga mortales, propter quam gestauit corpus filius suus, hacq; ratione ad miserationem & misericordiam inflectitur. Hæc aũt diuus Paulus, ut sæpenumero indicauit, ait, quò Christi nomine adflictis animum addat, monstretq; ꝙ & spiritus pro nobis intercedat, ac ꝙ pater proprio filio suo pro nobis non pepercerit, sed iustificarit & glorificarit nos, ac filius eius interpellet ꝓ nobis: unde deinceps non despondebitis animum, neq; animo concidetis.

Interpellare Christi quod sit.

Afflictorũ consolatio.

Quis nos separabit à dilectione Dei? Tribulatio, an angustia? an pscutio? an fames? an nuditas? an periculum? an gladius?] Cum demonstrasset ineffabilem dilectionem patris & filij & spiritus circa nos, ueluti iam diuino numine adflatus exclamat, Quis nos separabit à charitate Dei? Adeò enim dilectũ, tantaq; dignatũ prouidentia, nihil est quod disseparare possit. Tribulationis autem & angustiæ nomine cõplexus est omnia quæcunq; adfligere queunt, etiamsi ea non expresserit, nec dinumerauerit.

Psal. 43. Sicut scriptum est: Propter te mortificamur tota die: æstimati sumus sicut oues mactationi destinatæ.] Ne uideatur adflictio & angustia signũ esse diuinæ derelictionis, profert in medium prophetam, qui iam antea hæc uaticinatus sit, maximamq; consolationem subindicarit esse pro Dei gloria pati, adeoq; occidi totũ diem: quod sanè fit animi uoluntate & proposito. naturæ namq; hoc est impossibile. Occidi autem, est offerri & mactari Deo: id subindicat per hoc quod ait, tanquam oues mactationi destinatæ. Et perinde ac illæ non resistunt dum mactantur, sic neq; nos. B

Sed in his omnibus superamus per eum qui dilexit nos.] Quia dixerat occidimur, cõsolationem nunc adijcit, ut ne quis humana cogitans deficiat & desperet, & inquit, Nõ uincimus, sed ὑπερνικῶμεν, id est, superamus siue superuincimus, hoc est cum omni facilitate citra sudores & labores uincimus, & per ea ipsa quib. nobis insidiæ tenduntur. Hęc eñ perfectissima est uictoria, quãdo dum agimur & pellimur, persequẽtibus superiores reddimur. Neq; diffidas. Deus eñ est q̃ nos in certaminib. adiutat, imò q̃ & dilexit nos. Quare nihil mirũ si uel in medijs periculis uictoriã facile obtineamus.

Persuasum eñ habemus, quòd neq; mors, neq; uita, neq; angeli, neq; principatus, neq; uirtutes, neq; instantia, neq; futura, neq; altitudo, neq; profunditas, neq; aliqua alia creatura poterit nos separare à dilectione Dei quæ est in Christo Iesu Domino nostro.] Primùm dixit ꝙ dilexit nos Deus, deinde sic suamipsius erga Deum charitatem & amorẽ ponit, ut nihil uideatur magnum de se ipso dicere. Adeò, inquit, pendemus ex dilectione Dei, eiq; ita sumus coniuncti, ut non solum quæ huic uitæ sunt cohærentia incommoda, nos nequeant auocare ab ea: uerumetiam si quis mortem nobis interminetur futuram immortalem, quæ in supplicio sit duratura, si quis polliceat uitam nullis seculis intermorituram, allaborans hoc pacto nos abstrahere à Deo, nihil planè efficiet. Ecquid mihi reges ac tyrannos obijcis? Neq; angeli, neq; omnes supernæ potestates poterunt nos auertere, neq; præsentia, neq; futura, neq; altitudo, hoc est quæ in cœlis, neq; profunditas, hoc est quæ in terra, neq; gloria, neq; ignominia. Quidam per altitudinem, cœlorum regnum: per profunditatem, iacturã orbationemq; eius intelligunt. Insuper si aliud esset mundi opificium tantum quantum hoc quod mẽte concipimus à dilectione eius me nõ auerterit, neque deficere permouebit. Nõ

quòd

A quòd angeli homines à Deo desciscere faciant, hoc dixit, uerùm ex suppositione ser monem hunc protulit, ut ex abundantia ostendere uolens dilectionis suæ magnitudinem & excellentiam, non qualem Hebræi se habere dicunt, sed qualis est ijs qui sunt in Christo Iesu. Etenim & Iudæi dicunt sese diligere Deum, uerùm non in Christo Iesu: non enim habent fidem in Christum.

CAPVT IX.

VEritatem dico in Christo, non mentior, testimonium mihi perhibente conscientia mea in spiritu sancto, quoniam tristitia mihi magna est, & continuus dolor cordi meo.] Demonstraturus est in procursu q̃ non omnes qui ex Abraham, semen ipsius sint. Ne uerò ex affectu hæc uideatur dicere, anteuertit, ac de Hebræis commodiora blandioraq; dicit, suspicionem hanc adimens, cõfiteturq; se illos excellenter amare. Ne uerò suspectus habeatur, ac parũ fide dignus, Veritatẽ, inquit, dico in Christo, non mentior. Producitq; treis in testimonium, Christum, suam ipsius conscientiam, & spiritum sanctum, inquiens: Quoniam tristitia mihi est magna, cor meum exedens, Hebræorum nomine, quòd extra gratiam sint: hoc enim dicturus est.

Optarim enim ipse ego anathema esse à Christo pro fratribus meis, qui mihi sunt cognati secundum carnem.] Quid anathema sit, primùm disce. Separationem & abalienationem significat. Quemadmodum enim ornamentum seu munus Deo consecratum ac repositum nullus audet contingere: hanc ad rationem in excommunicationis ratione fieri solet, ueruntamen alia ratione. Sacro enim muneri nemo sese admouere audet honoris causa, quia Deo collatum consecratumq; est: ab hoc uerò, excommunicato nimirum, separantur omnes, ceu profano, abalienatoq; à Deo. Quid igitur est quod dicit Paulus? Videt enim hoc loco supradictis cõtradicere illic enim dixit, Nemo nos separabit à charitate Dei, iam nũc uerò optare se ait ut à Christo separetur. Videt ergo cõtraria dicere, sed non ita se res habet, quandoquidẽ & hoc pro charitate Dei dicat. Quum enim omnes Deum accusarent, q̃ adoptione donatos glo
B rificatosq;, adeoq; maiores Christi appellatos Hebræos eijceret, ignominiaq; afficeret, introductis in illorum locũ gentibus, quæ ipsum nunquam agnouissent, obmurmurarentq; Dei prouidentiæ, blasphemo adfirmãtes ore, q̃ ista iniquè fierent, quippe quia Deus imposuisset progenitoribus, quibus gratiam illam et donum promisisset: mœrens itaque Paulus, anxieq; motus & morsus pro Dei gloria, optauit anathema, id est, abalienatus esse à Christo, ut illi seruarentur, dissolueretur q; eorũ aduersus Deũ maledicẽtia. Viden' igitur q̃ ex amore quo in Deum inflammatus est, optat, si modò fieri possit, separari à cœtu eorum qui cum Christo æternùm uiuent? Non à charitate ipsius, sed gloria ipsius, & gloriæ fructo: perinde ac patres sæpenumero à filijs segregantur ut glorificentur filij, minimè tamen à filiorum dilectione abalienati, imò ipsi inglorij esse cupientes, ut filij celebres & clari euadant. Itaq; ipse, inquit, ego qui innumera transegi diligens Deum suprà q̃ natura ferat, opto pro gloria Dei excidere à gloria Christi. Hoc autem non est excidere, sed potius adsequi. Quòd ait, Pro fratribus meis qui mihi sunt cognati secundum carnem, uiscera indicat, & quàm uehementi charitate erga eos ardeat.

Anathema.

Qui sunt Israelitæ, quorum est adoptio, & gloria, & testamenta, & legislatio, & cultus & promissiones, quorũ sunt patres, & ex quibus Christus quo ad carnẽ, qui est super omnia Deus benedictus in secula. Amen.] Cõmendat hic Iudæos, eosq; magnifacit, ut ne uideatur, ut dixi, ex adfectu uel perturbatione animi uel odio loqui. Tacitè autem innuit q̃ Deus illos seruare uoluerit: quod inde satis colligitur, quia illos sit adoptione filiorum dignatus & gloria, & quia patribus promissiones fecerit, aliaq; omnia excellentia eis impertierit, Christumq; adeò ex ipsis nasci uoluerit, uerùm tãta ipsi beneficia repulerunt. Quocirca immensam Dei dilectionẽ demiratus, unigenito gratiarũ actionẽ refert, inquiens, Qui est super omnia Deus benedictus. Etsi em̃ alij cõuicientur unigenito, nõ cõmodè factã assumptionẽ gentiũ, nos tamẽ Christi mysteria habentes explorata, scimus q̃ ipse dignus sit gloria & præconio. Hic uerò Arrium pudefieri operæpreciũ est, Paulo nempe Christum super omnia Deum proclamãte.

Iudæorũ nobilitas.

Arrius.

Non autem quos exciderit uerbũ Dei.] Ego inquit, uror, & supra modũ affligor, cum Deo cõuitium fit, adeoq; ipse blasphematur, ac eapropter optaui omnes saluos

fieri. Etiamsi autem non omnes seruentur, eam ob rem non est mentitus Deus in ijs A quæ promisit patribus, neq; excidit uerbum eius. Quod enim promisit, hoc etiam præstitit: etiãsi maledici dicãt q; alijs promiserit, alijs uerò dederit. Audi em̃ sequẽtia.

Non enim omnes qui ex Israel, hi Israelitæ: neq; quia sunt semen Abrahami, propterea sunt omnes filij.] Quod promiserat, inquit, Deus, hoc etiã præstitit. Dixit em̃, Tibi & semini tuo dabo. Videamus igitur quale sit semen. Non enim omnes qui ex Abrahamo, illi simpliciter sunt semen: neq; qui ex Israel, sunt Israelitæ, uerũ qui secũdum Isaacũ nati sunt, quiq; Israelis uirtute conspicui, per quã Deũ cõspexit. Non em̃ dixit, qui ex Iacob, sed qui ex Israel, honoratioris nominis mentionẽ faciens. Vbi igitur didiceris qui secundũ Isaac nascantur, inuenies uacantem mendacio promissionem: illis em̃ promissa sunt exhibita. Quare Deus haudquaquã maledictis incessendus: quod em̃ dixit, id opere pariter cõpleuit, quantumuis nonnulli haud intelligant.

Gen. 13. Non omnes qui ex Abraham sunt, eius semen sunt.

Sed in Isaac uocabitur tibi semen, id est, non qui filij carnis, hi filij Dei: sed qui filij sunt promissionis æstimãtur in semine. Promissionis em̃ uerbũ hoc est, secundũ hoc tempus ueniam, & erit Sarrhæ filius.] Non ego, inquit, tibi interpretor quid sit reuera semen Abrahami, sed ueteris testamẽti scriptura quæ dicit, In Isaac uocabitur tibi semen. Quocirca quotquot secundũ Isaac nati sunt, hoc q; est expromissione, illi sunt reuera filij Abraham, imò uerò Dei. Totum enim istud diuino uerbo factum est. Neq; enim Isaac lege naturæq; potentia natus est, uerùm secundum potentiã promissionis huius, In tempore hoc ueniã, & erit Sarrhæ filius. Verbum itaq; Dei finxit Isaac, & genuit: cõsimili ratione super non filios Dei in lauacro baptismatis, ueluti in matrice, uerba Dei pronunciantur, eaq; nos refingunt & reformant. Siquidem in nomen patris & filij sanctiq; spiritus baptizati, generamur. Ac perinde ut illic Isaaci generationem promiserat, quam posthac impleuit, sic & nostram regenerationem promisit per prophetas, & postea impleuit. Quare illud, In Isaac uocabitur tibi semen, sic accipiendum est: Hi sunt semen Abrahami, qui Isaaci natiuitatis instar sunt geniti, hoc est per uerbum diuinum. Non igitur excidit sermo Dei, nec factus est irritus, cæterùm uerò semini, hoc est fidelibus ex gentibus, qui facti sunt filij Dei sicut & Isaac, quatenus & hi ex promissione, dedit quæ promisit.

Gen. 18.

Isaac uerbo Dei formatus. Baptismatis mysterium.

Non solũ aũt, sed Rebecca etiam ex uno conceperat Isaac patre nostro.] Monstrauit q; cũ multi & uarij Abrahamo essent filij, ipse Isaac uocatus sit semẽ. Itaq; & ij qui simili qua ipse nat. unt̃ ratione seminis appellationem sortiunt̃: iam uerò ait: Non in Isaac tantum hoc uidere queas, sed quod maius est, in fratribus etiam ex eodem patre & matre, ijsq; geminis propagatis, hoc est, in Esau & Iacob hoc cernere licet. Neq; enim illi eadem sunt bona consecuti, sed alter quidem electus, alter uerò odio est habitus. Quare ne quæras rationes quur gentes elegerit, easq; semen Abrahę, imò diuinũ fecerit, Hebræos autem repulerit.

Cum enim nondum nati essent aut aliquid boni egissent, aut mali (ut secundum electionem propositũ Dei maneret, non ex operibus, sed ex uocante) dictum est ipsi Rabeccæ: Maior seruiet minori: sicut scriptũ est, Iacob dilexi, Esau autem odio habui.] Necessum fuerit hic nos præmittere, atq; summatim explicare mentem eorum quæ Paulus est prolixè dicturus. Quia enim non parum multi dicebãt, ecquur Deus gentes Hebræis prætulit? Nec enim quisquam dixerit uirtutis isthuc ergò contigisse, omnes em̃ peccauerũt: cõuehit Apostolus haud pauca ambigua, nostri quidẽ ingenij captui incomprehensibilia, soli autem Deo comprehensibilia: statuitq; primum ante conspectum, q; inter illos duos fratres didymos, alter quidem qui electus est, non sit propter uirtutẽ electus: alter uerò qui odio est habitus ob uitia nõ sit odio expositus, reiectúsue (non enim egerunt quicquã boni aut malo, cum in utere dum matris suæ essent) uerùm diuino proposito, hoc est præscientia, alter quidem est electus & dilectus, alter uerò odio habitus, itidem ut propheta testatur. Alterum quidẽ dilexi, alterum uerò odi, ut totum sit Dei atq; præpositi ipsius & præscientiæ. Et quid dico de hoc, cum & Israelitę omnes uitulum conflarint, et alij quidem puniti sint, alij uerò nẽ item? Hunc ad modum Pharao reuera quidem durus erat, at non pauci alij pari duritie uixerunt: ecquid solus ille punitur? Viden' hæc hominibus esse incomprehensibilia, soli autem Deo perceptibilia? Hanc ad rationem gentium electio, Iudæorumq; reiectio,

Gen. 25. Mala. 1.

Electionis Dei incõprehensibilis ratio.

A refectio, nobis equidem præter rationem & absurda uidetur, Deo autem est iustissima. Hæc est sententia totius in quo nunc uersatur loci.

Quid igitur dicemus? nunquid iniustitia est apud Deum? absit. Itaq; neq; in nobis ethnicis & Iudæis iniustus est Deus. Moysi enim dicit, Miserebor cuiuscūq; misertus fuero: & miserabor quencunq; miseratus fuero.] Adiungit, ut & suprà dictum est, & alium locum ex ueteri testamento, ostendēs q; solus Deus norit qui sint digni uel honore, uel pœna. Nam quanuis omnes ex æquo peccassent cum uitulum finxerunt, Deus tamen aliorum quidem miseretur, alios uerò tradit Leuitis ut mactentur. Neq; Moses tātus apud Deum, rationem nouit: & tu causam postulas quur gentes Iudæis sint prælatæ, cum tamen peccatis infectæ essent? Profecto Paulus potuit rationem dicere, quam & alio in loco reddidit, quoniam Israelitæ ex operibus existimarunt se iustificari: illæ uerò ex fide & gratia: uerùm id iam nunc non dicit, abunde curiosis ora obstruens, illisq; suadens ne quicq; operum aut factorum Dei ad calculum uocent, eorúmue rationem exigant. Exod. 33. *Diuina capiu nostro maiora.*

Igitur non est uolentis neq; currentis, sed miserentis Dei.] Voluit quidem Isaacus benedicere Esau, currebat autem Esau in campum, ut uenatu capta fera, benedictionem à patre reportaret. Sed Deus iusto iudicio Iacobum ceu prorsus dignum benedictionē consequi fecit. Videtur aūt hîc liberū arbitriū tollere apostolus, at istud non agit. Nam quemadmodum de domo dicimus, Totum es artificis, cum interim opus habeat materie, & cooperatoribus ipsum adiuuantib. attamen quia rei consummatio ab illo pendet, dicimus, Totum hoc illius nimirum fabri est, uel eam domū iste faber condidit: non dissimili ratione & nostra uoluntate indiget Deus. Attamen quia ille consummat & perficit, dicimus, Totum hoc Dei est. *Liberum arbitrium. Voluntate nostra quo modo deus indigeat.*

Dicit enim scriptura Pharaoni: In hoc ipsum excitaui te, ut ostendā in te uirtutem meā, & ut annunciet nomē meum in uniuersa terra.] Quemadmodū in illis qui uitulum finxerant, alij quidem seruati, alij uerò supplicio adfecti, solo Deo cognoscente, quinam digni essent ut aut seruarentur, aut punirentur: sic & unus Pharao, cum pleriq; & impij & scelerati essent, iram Dei cum retulit, tum expertus est. Propter hoc ipsum enim, inquit, ô Pharao, te in medium protuli, ut per te appareat potentia mea: coerceanturq; multi nomine meo ceu iusto & potenti prædicato in uniuersa terra. Exod. 9.

Ergo cuius uult miseretur, & quem uult indurat.] Infert conclusionem, ac demonstrat q; nō oporteat causam ex Deo petere quur sic agat. Cuius enim uult miseretur: perinde atq; in Israelitis qui uitulū finxerant, est uidere: & quem uult indurat, ut Pharaonem. Quid autem est indurat? uidetur enim absurdum esse. Quemadmodum sol lutum indurat, sic Deus luteum Pharaonis cor dicitur induraſſe. Quanā ratione? per longanimitatem. Longanimem enim sese illi exhibēs, duriorem ipsum faciebat: perinde quasi siquis seruum prauum habeat ac sceleratum, quò se humaniorem illi ostēderit, hoc eum reddit nequiorem: non quòd ipse peruersitatem nequitiámue eum doceat, cæterùm quòd Domini longanimitate iste ad peruersitatis suæ incrementum abutatur, quippe qui eam contemnat. *Indurare Dei. Longanimitas Dei nequiores nos efficit.*

Dices igitur mihi, Quid adhuc queritur? uoluntati enim eius quis resistat?] Conatur per omnia, quod sæpenumero dixi, commonstrare, q; soli Deo sint cognitæ suæ rerum dispensationes, eaq; iudicia. Hinc undiq; haud pauca ambigua colligit, quorum nullam dilutionem adfert, ut ad angustiam redacto auditore, persuadeat ei incomprehensibilia esse, adeoq; humani ingenij captum excedere hæc. Quod igitur hic dicit, est huiusmodi. Obiectionem adducit, adeoq; dubitationem. Si quem uelit induret. quid adhuc de impingente adeoq; peccante conqueritur? uoluntati nanq; eius quis poterit resistere? Voluit etenim, & indurauit, meritoq; impegit induratus: quur ergo ipsum in iudicium uocat & punit? Hęc sanè obiectio producta est uti commonstraret hæc esse planè dubia nobis, soliq; Deo perceptibilia. Vnde nec ipse hanc diluit, uerum enim pendenti animi & dubitanti sic os obstruit.

Atqui ô homo, tu quis es qui ex aduerso respondeas Deo?] Viden' quomodo cohibeat importunam curiositatem, frenumq; imponat, erudiens nos ut discamus quid Deus sit, & quid homo. Tu quis es? Nónne imperium & principatum cum eo partiris? Nónne iudex es eorum quæ ipsum oporteat facere aut non facere? Nam explo-

rare quid ſic deceat, uel non deceat, eſt eius qui ex aduerſo reſpondeat, opponatuq; Deo. Verùm haudquaquam ita faciundum, ſed obtemperandum eſt ijs quæ Deus fecerit, quomodocunq; etiam ſe habuerint. A

Nunquid dicet figmentū ei qui ſe finxit, ecquid me ſic finxiſti? An nō habet poteſtatem figulus ex eadē maſſa facere aliud quidē uas in honorem, aliud uerò ad ignominiā?] Hoc exemplo uſus eſt Paulus, non ut è medio tolleret adimeretue nobis noſtrę libertatis ius, liberúmuę arbitrium, neq; ut nos torpore languidos ac planè immobiles oſtenderet: uerùm ut doceret quomodo nos oporteat obedire Deo, atq; intenſum ſilentium, neq; non ſummam obedientiam exhibere. Perinde, inquit, ut figulus ex eadem maſſa lutóue, quæ animus tulerit, fingit, neq; ullum ei uas contradicit: ſic cum hic ex eodem genere mortalium alios quidem puniat, alios uerò honore dignetur, ne ſis tu curioſus, ſed adora tantummodo ipſum, lutum imitando: ac ut illud manum figuli ſequitur, ſic tu conſilio & uoluntati omnia rectè gubernantis cede. Noueris autem qui hæc legis, quemadmodum, quod ad uaſa attinet, non ipſa quidem maſſa alia quidē nobilia, alia uerò ignobilia uaſa efficit (eſt enim una & eadem) ſed uſus eorum qui iſta ſibi uendicant: pari ratione in hominibus, non ipſa natura hos quidē pœnæ & ſupplicio, illos uerò gloriæ æternæq; uitæ coronis adiudicat, ſed ipſa deliberatio atq; propoſitum, cum eadem ſit natura in omnibus.

Liberum arbitrium.

Voluntas hominē bonū aut malū facit, non natura.

Quod ſi Deus uolens oſtendere iram, et notam facere potentiā ſuam, tulit in multa longanimitate uaſa iræ parata ad interitū, & ut oſtenderet diuitias gloriæ ſuæ in uaſa miſericordiæ, quæ præparauit ad gloriam: quos & uocauit nos, non ſolùm ex Iudæis, uerumetiam ex gentibus.] Cum obſtruxiſſet ora curioſe diuina conſilia rimari laborantibus, adfert iam ſolutionem. Quod autem dicit, eſt huiuſmodi: Iræ uas erat Pharao, hoc eſt, homo accendēs iram Dei per propriā ſuam duritiē: hunc tulit Deus, id eſt, expectauit ſuſtinuit. Nam multa ipſum longanimitate dignatus eſt, uerùm is lō ganimitate iſta ad indurationem ſui abuſus eſt, factuſq; eſt uas iræ Dei capax, apparatum ad interitum, id eſt, à ſe ipſo proprioq; ingenio aptatum. Neq; enim quicquam B reliquit quod ipſum perderet, uerùm omnia patrauit quæ ad perniciem ipſum ferēt. Vel tulit, pro in medium protulit accipias: ut quia non reſipuit, nec in meliorem ſtatū eſt animus eius perductus per longanimitatem, puniat eum Deus, oſtendatq; potentiam ſuam, ut alij ſeſe emendent, ſanctioribusq; moribus imbuantur. Quemadmodū igitur hunc uas iræ factum ex propria uoluntatis deliberatione, ſupplicio afficiens, monſtrauit potentiam ſuam: ſic eorum qui ex gentibus plurimum deliquerant, miſertus, quia dignos ſeſe miſericordia fecerant, manifeſtauit diuitias gloriæ ſuæ. Non dixit autem, clementiæ, ſed gloriæ ſuæ nam ſumma Dei gloria eſt, miſericordiam impertiri. Porrò quæ præparauit, eſt pro, quæ præſciuit. Nec dixit q̄ omnes gentes ſeruarit, ſed ex gentibus, quoſdam uidelicet. Quocirca ne offendaris Iudæe: nam ecce ex gentibus nonnulli miſericordiam obtinent, nonnulli uerò minimè.

Pharaonis obſtinatio.

Miſericordiam impertiri, ſumma Dei gloria.

Oſee 2. Oſee 1. Sicut & in Oſee dicit: Vocabo non populum meum, populum meum: & non dilectam, dilectam. Et erit in loco ubi dictum eſt ipſis, Non populus meus uos, ibi uocabuntur filij Dei uiuentis.] Vt ne dicāt Iudæi, Imponis nobis Paule hæc dicens, producit Oſee clamantem affirmantemq;, Vocabo nō populum meum, populum meum. Quis uerò erat non populus? ipſæ gentes. Ecquæ non dilecta? ipſa gentium eccleſia: populus tamē factæ ſunt ac dilecta, imò quod maius eſt, filij Dei uiuētis. Sin quiſquā hæc ad Iudæos pertinere contendat, ut qui à Deo exciderint ob peccata, rurſus tamē quum reſipuiſſent, ſunt aſſumpti: id nihil obeſt. Si enim hoc in Iudæis contigit, quid obſtitit quo minus idem in gentibus proueniret?

Eſa. 10. Eſaias autem clamat pro Iſrael: Si fuerit numerus filiorum Iſrael tanquam arena maris, reliquiæ ſaluæ fient.] Non fuit contentus Oſee propheta, uerùm Eſaiam etiam in teſtem adducit, clamantem, hoc eſt, magna libertate pronunciantem uel reſonantem, haudquaquam ſubmiſſa uoce, quòd non omnes Iſraelitæ ſalui erunt, ſed qui digni tantum fuerint. Id enim eſt reliquiæ, hoc eſt, electio, quos reliquit Deus & ſegregauit tanquam dignos uidelicet. Quum autem dicit tanquam arena maris, ad memoriam eis reuocat ueterum promiſsionem, qua ſe indignos conſtituerunt. Ne igitur turbemini, ceu irrita & uana ſit facta promiſsio, quandoquidem omnes

Reliquiæ Iſraelis.

prophetæ

A prophetæ uaticinentur haud omnes esse dignos salute.

Sermonē enim consummans & concidens in iustitia: Quoniā sermonē abbreuiatum Dominus faciet in terra.] Qua ratione reliquię sint seruandę, nunc indicat. Nō, inquit, laboribus & circuitionibus opus est, nō legis operū adflictione, uerùm Deus perficiens & cōcidens uel abbreuians sermonem fidei in uniuersa terra, hunc faciet in iustitia, hoc est, ut iustificet eos qui illum susceperint. Si enim confessus fueris ore tuo Dominum Iesum, crediderisq; in corde tuo q; Deus excitauit ipsum ex mortuis, saluus eris. Hic est concisus abbreuiatusq; sermo, breuia nimirum fidei uerba.

Et sicut prædixit Esaias, Nisi Dominus reliquisset nobis semē, uelut Sodoma facti essemus, & sicut Gomorra similes fuissemus.] Cū dixisset reliquias tantū fore saluas, quidnam isthuc sit, nunc interpretatur inquiens, Reliquit nobis Deus electum semē ac fermentum, pro elegit, reliquit, posuit: ut nisi Deus conseruaret illud, prorsus interijssemus, perinde ac Sodoma & Gomorra, ut pote condemnati ob peccata nostra. *Esa. 1.*

Quid igitur dicemus? Quod gentes quæ non sectabantur iustitiam, apprehenderunt iustitiam, iustitiam autem quæ est ex fide: Israel uerò sectando legem iustitiæ, in legem iustitię non peruenit.] Apertissimam hîc dilutionem adducit: ostendens unde gentes quidem sint assumptę, Israelitæ uerò repulsi: gentes, inquiens, ex fide iustitiam tenentes, re uera sunt iustificatę: Israelitę uerò legem iustitiæ, hoc est, quæ est ex operibus persequentes, & quærentes, ad iustificationem sui non peruenerūt. Neq; enim potuerunt iustificari ex operibus legis.

Quare? Quia non ex fide, sed quasi ex operibus legis.] Percontaris unde Israelitæ exciderint à iustificatione, etiamsi multa sint conati? Noueris, inquit, quòd non ex fide quærebant iustificari, sed uelut ex operibus legis. porrò ex operibus legis non iustificabitur omnis caro. Obserua autem quòd nō dixerit ex operibus, sed uelut ex operibus, ut ostendat quòd non seriò sint operum tacti cura, cæterùm simulatione quadam & hypocrisi ea fecerint. *Cur gētes electæ, Israel repulsus. Rom. 3.*

B Offenderunt enim in lapidem offensionis, sicut scriptum est: Ecce pono in Sion lapidem offensionis, & petrā scandali, & omnis qui credit in eum, non confundetur.] Qui impingit, propterea impingit, q; alijs inhiet, nō animaduertens quid pedibus sit ante sese obuium. Iudæi itaq; legi inhiantes, in Christum impegerunt, id est, increduli fuerunt. Lapis autem offensionis & petra scandali, à fine & euentu eorum qui nō crediderunt, Christus nominatus est. Ipse enim iuxta prophetam fundamentum basisq; positus est, ait enim: Quisquis in ipsum crediderit, non pudefiet, siue Græcus, siue Iudæus. Proinde fides est quæ omnia efficit, & iustificat, non opera. *Esa. 28. 1. Petri 2. Petra scandali cur dictus Christus.*

CAPVT X.

FRatres, uoluntas cordis mei, & obsecratio ad Deum fit pro Israele ad salutem.] Quia ipsos notabit atq; carpet, primùm leni exordio utitur, ut ne existimēt ipsum ex odio dicere quæ dicturus est, & ait εὐδοκία, id est uoluntas mea & uehemens desiderium, præterea precatio etiam pro uobis est, non tantum ut à pœna liberemini, uerumetiam ut salui sitis. Quomodo igitur infensus sim uobis, pro quorum salute Deum imploro?

Testimoniū enim illis perhibeo quòd æmulationē Dei habent, sed non secundum cognitionē. Ignorātes enim Dei iustitiā, ac propriā iustitiā quærētes statuere, iustitiæ Dei nō sunt subiecti.] Videtur principiò cum ipsis humaniter & amicè agere, molliē do ipsos. Dicens enim, zelum Dei habent, sed nō cognitionem, misericordia eos magis dignos, non pœna mōstrat. Aemulantur enim, inquit, pro lege sibi à Deo tradita, uerùm non secundum agnitionem uel scientiam est æmulatio illa, cum nolint nouisse legem cessasse, adeoq; abolitam esse. Subadoriens enim eos, indicat eorum contentionem, amoremq; primatus. Nam quærentes statuere iustitiā propriam, hoc est, ex lege, ex propris nimirū laboribus & operibus paratā: quæ cum excidit, tum subsistere non potest: neq; illam statuerunt, nec iustitiæ Dei subiecti sunt. Quod ostentationis signum est, ac mentis principatus auidæ, imò potius stolidæ & insipientis mentis argumentum, quærere nimirum constituere quod subsistere nequit, inq; eo nequicquam atteri. Dei autem iustitia ea est quæ ex fide est: hæc enim non indiget laboribus operibúsue nostris, uerùm tota ad gratiam Dei pertinet. *Iustitia Dei ex fide est.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

Finis enim legis Christus, ad iustitiam omni credenti.] Quia prorsus iustitiam nos A
minauerat, eam quæ est in lege, ne dicant qui ex Hebræis crediderunt, Peccauimus
ergo, & iniquè egimus, hanc iustitiã dimittẽtes: ac ne rursus increduli inferrent, dice
réue possent: Quandoquidem iustitia est in lege omnino, etiamsi eam nondum nunc
Christus, finis legis. implerimus, aliquando tamẽ implebimus: ambo hæc è medio tollens, ait: Finis legis
Christus est. Quod enim uoluit quidem lex, non autem perfecit, hoc Christus perfe-
cit, iustificare nempe hominem. Quare ne dicas qui Christo accessisti ex Hebræis, ꝙ
deliqueris aduersus legem: quin potius legis uoluntatem conspexeris in te esse perfe
ctam, per fidem in Christum. Neꝙ rursus qui nondum crestidisti Iudæe, spera quod
perficietur abs te iustitia per legem: Christus enim est consummator huius. Proinde
si iustitiam obtenturus es, Christum accipe per fidem, & habebis omnia.

Leuit. 18 Moses enim scribit iustitiã quæ ex lege est, quod qui fecerit eam homo, uiuet in eis.]
In lege impossibile est iustificari. Confirmat quod dixit, quod id quod lex non perfecit, istud Christus impleuit, & in-
quit: Moses adserit per opera iustificari hominem, opera uerò nemo inuentus est ex-
Deut. 30 plere. Itaqꝙ in lege non est possibile iustificari.

Quę autem ex fide est iustitia, sic dicit: Ne dixeris in corde tuo, quis ascendet in cœ
lum? id est Christum deducere. Aut quis descendet in abyssum? hoc est Christum ex
mortuis reuocare. Sed quid dicit? Prope te est uerbũ in corde tuo, & in ore tuo. Hoc
est uerbũ fidei ꝙd prædicamus: quoniã si cõfessus fueris in ore tuo Dominũ Iesum, &
credideris ꝙ Deus illũ suscitauit à mortuis, saluus eris.] Posteaquã audiuisti legis ope-
ra non posse iustificare hominẽ, disce iam quomodo citra sudorem & laborẽ facilè in
Christo iustificemur. fidem enim quærit ex corde, & confessionem ex ore. Necessa-
rium aũt est declarare latius quod dixit, Quis ascendet in cœlũ? &, Quis descendet in
abyssum? Ex Mose desumpsit hoc Apostolus, pro magna sua sapientia intellectum.
Moses nanqꝙ quoad literam hunc ad modum illud effatus est: Mandatum Dei ob o-
culos tuos positum est Iudæe, neqꝙ opus est te in cœlum conscendere, ut illud inue-
nias: neqꝙ ad abyssum descendere, ut istud accipias, neqꝙ ultra maria transire: sed pro- B
pe te est in ore tuo, & in mente tua. cuncta enim mõstrauit tibi Deus per legem. Mo-
ses igitur iuxta literam hæc uidetur sic dicere, apostolus autem ad Christum illa tran-
stulit: hoc est, Ne hęsites, neqꝙ dicas in corde tuo: Ecquî Christus descendit, et incarna
tus est? aut quomodo mortuus resurrexit ex abysso, hoc est, ex infimus locis? Enimue
ro credas ꝙ & descenderit incarnatus, ac tumulo conditus rędierit resurgens & exci-
tatus: Deus nanqꝙ ipsum excitauit: quare & à dignitate & authoritate excitãtis facilè
potes credere. Quid igitur hac re facilius, cum in ore tuo salutem habeas? Ne fidei res
ob facilitatem uideatur digna contemptu: ostendit fidei etiam, incredulitatis cogita-
tiones ratiocinationesqꝙ opponi. unde operæ profectò preciũ esse, ut strenuè illis resi
statur. Ne dixeris enim, inquit, in corde tuo hæc uel illa: hoc est, ne aliquam inducas
in animum tuum hæsitationem, neqꝙ pendeas animi, dubiꝙ quiddam cogitans.

Oris ac cordis eõcordia necessaria. Corde nanqꝙ creditur ad iustitiã, ore aũt fit confessio ad salutẽ.] Cor ipsum ore indi
get. Quæ enim est commoditas credere quidem in animo, non confiteri aũt corã ho-
minibus? Fides quidem mẽtis iustificat, cæterùm perfecta salus est in cõfessione sita.
Tum enim effulget fides, adeoqꝙ plures adiuuantur. Eget autem & os ipsum corde.
Esa. 28. Siquidem multi ore confitentur Christum per hypocrisin, corde longè ab eo disiti.

Dicit enim scriptura: Omnis qui credit in ipsum, non confundetur: non enim est
distinctio Iudæi & Græci: idem enim Dominus omnium, diues in omnes qui inuo-
Iohel. 2. cant illum. Omnis enim qui inuocauerit nomen Domini, saluus erit.] Corde credi, o-
re uerò confessionem fieri dixit. producit itaqꝙ à scriptura testimoniũ, tum fidei tum
confessionis siue inuocationis. Cum enim dicit, omnis qui credit, fidem denũciauit,
per quam iustificatus non pudefiet. at cum subdit, Quisquis inuocauerit: confessionẽ
innuit, quæ salutem operatur. Omnis enim siue Iudæus siue Græcus, Deo gratus ac-
ceptusqꝙ est. Idem enim Dominus omnium, diues in omnes qui inuocant eum, hoc
est, diuitias in his habens: in his, inquam, qui inuocauerint ipsum: perinde ac si quis
Credentes, diuitiæ Deo sunt. dicat, Rex iste diues est in aurum & argentum. Proinde si diuitias habet ipsos creden
tes, ne despondeas animum, quasi adeò peccaris, ut tibi condonari nequeat. Nam su-
scipiet te, ut & te partem diuitiarum suarum efficiat.

Quomodo

A Quomodo ergo inuocabunt, in quem nõ crediderunt? quomodo autem credẽt ei, quem non audierunt? quomodo uerò audient sine prędicante? quomodo autem prędicabunt, nisi mittantur? sicut scriptum est: Quàm speciosi pedes euangelizantium pacem, euangelizantium bona?] Cum suprà dixisset, omnis qui inuocauerit nomen Domini, saluus erit; deinceps porrò Iudæos arguit & reprehendit q̃ non inuocauerint. Quare autem non inuocauerunt? quia non crediderunt. Quare autem non crediderunt? num ideo, quia non audiuerunt? Atqui audiuerunt. Hinc sequitur obiectio: Quî citra promulgantem uel annunciantem uerbum audire potuerũt? Cui protinus adjicitur dilutio: Atqui prædicarũt, & missi sunt ad eos non pauci. Et unde perspicuum est eos esse illos qui sint missi? Ad huius confirmationem profert sanè prophetam, qui dicit: Quàm speciosi pedes euangelizantium pacem, euangelizantium bona? Nihil enim aliud circumeundo apostoli nunciarunt, quàm ineffabilia bona, Deiq̃ hominibus communicatam oblatamq̃ pacem. Quare quòd non crediderunt, culpa est eorum qui non susceperunt prædicantes.

Esa.52.

Apostolorũ prædicatio quæ fuerit.

Sed non omnes credunt Euangelio. Esaias enim dicit: Domine, quis credidit auditui nostro?] Quia Euangelij annunciatores ab Esaia uate testimonium habere adfirmauerat, q̃ à Deo essent: ne quis dicat, q̃ si à Deo fuerunt, omnes illis obtẽperare planè oportuit: omnes reuera illis nõ obedisse ait, neq̃ obsecutos Euangelio, ex eo tamẽ nihil prorsus labefactari ipsam ueritatem: quandoquidem & illud ipsum iam olim ante multos annos Esaias uates præcinuerit: Quis, inquiẽs, credidit auditui nostro? Hęc uerò dictio, quis, pro rarus ponitur hoc loco. quasi dicat, pauci crediderunt auditui nostro siue sermonibus nostris.

Esa.53.

Quis, quid significet.

Fides itaq̃ ex auditu est, auditus aũt per uerbũ Dei.] Cum præcedentib. hæc cohæret, ac instar cõclusionis cuiusdã prædictis adducunt. Subindicat aũt quiddã & aliud. Quia enim Iudęi nullo nõ tẽpore signũ quęrebãt, ac resurrectionis aspeciũ ipsum inquit, fides est ex auditu, atq̃ ultra hũc auditũ nõ oportet ingrere quicq̃ aliud. Nec em̃
B auditus siue sermo est uerborũ quæ simpliciter dicunt, sed uerborũ Dei. Quocirca si admirãda quæris, adeoq̃ miracula, ceu ex Deo sint, crede uerbis q̃ ex Deo pferunt.

Sed dico, nunquid non audierunt? Atqui in omnem terram exiuit sonus eorum, & in fines orbis terrarũ uerba eorum.] Veluti quispiam dicat, Et quid ad hos, si missi sint prædicantes Euangelium, cum illi eos omnino non audierint, ut ad quos non accesserint? ait: Quoniam uniuersus terrarum orbis eorum prædicationem audiuit, & illi non audijssent, apud quos tanto sunt tempore morati apostoli, & à quorum gente descenderant & sanguine? Quam quæso rationem hoc habuerit?

Psal.18.

Sed dico, nunquid Israel nõ cognouit?] Alia est obiectio: Si prædicarũt apostoli, illi aũt nõ intellexerunt, nunquid digni sunt uenia? Huius etiã dilutionem subtexit.

Primus Moses dicit: Ego ad æmulationẽ uos adducã in non gente, in gentem insipientẽ, in iram uos mittã.] Si ex nulla alia re, ex honore certè gentiũ, quo affecti sunt, intelligere debebant prædicatum Christum. Cum enim idolorum cultores cernerẽt adeò repentè tantis honoribus ornatos & affectos, oportebat eos prorsum intelligere prouocari sese, atq̃ eam esse ipsam gentem de qua Moses uerba fecerit. Nedum enim magnitudo honoris sufficiebat ut ad æmulationẽ eos incitaret, uerumetiã quòd adeò uiles honore adfecti essent, ut ne gentis quidem nomine censendi essent. In non gente enim, inquit, prouocabo uos, & in gente insipienti. Quid enim Græcis stultius & insipientius, quippe qui à lignis & lapidibus ueluti ore hianti penderent.

Deut.32

Græcorum id est ethnicorum. siue gentilitũ stultitia.

Esaias enim audet & dicit: Inuẽtus sum à non quærentibus me, palàm apparui his qui me non interrogabãt.] Præmisso q̃ primus Moses testimonium huic rei diceret, iam alterius personæ idem uaticinantis mentionẽ facit, atq̃ longè clarius & apertius illud ipsum ob oculos ponentis. Esaias enim, inquit, audet & dicit, id est, coactus est nudam dicere ueritatem, & periculo sese submittere potius quàm reticere. Inuentus sum, inquit, gentibus quæ me non inquirebant, & quæ de me nihil percontabantur. Quos Moses gentem non intelligentem uocauit, hos Esaias non quærentes neq̃ interrogantes nominat, tanquam rudes uidelicet, osores q̃ disciplinarum. Oportebat ex hisce omnibus Iudæos intelligere sese esse repulsos, alios uerò esse receptos.

Ad Israel autem dicit: Tota die expandi manus meas ad populũ non obedientem

& contradicentem.] Ne possent dicere Iudæi, à gentibus quidem es inuentus, nobis- A
cum uerò noluisti uersari aut uiuere, subdit: Totũ diem, hoc est omni tempore, ex-
pandi manus meas, ut attraherẽ uos: at uos apparuistis populus inobediens & contra-
Iudæi, populus inobediens. dicens. Vestra igitur culpa est, non mea. Ego namq; extendebam manus meas, & ad-
uocabam uos: at uos non obedijstis, neq; dicto meo audistis. Proinde audiuerunt e-
tiam Israelitæ uidelicet, & cognouerunt, cæterùm obtemperare noluerunt.

CAPVT XI.

DIco igitur, Nunquid repulit Deus populum suum, quem prænouit? Absit. Nam & ego Israelita sum ex semine Abrahami, è tribu Beniamin. Non repulit Deus populum suum, quem præsciuit.] Quia Israelitas populum inobedientem uocarat, dubitationem et quæstionem producit hunc ad modum: Num si populus incredulus & inobediens factus est, eapropter cassatæ sunt promissiones? Ad quam respondet, Minimè. Non enim repulit Deus populum suum, quem prænouerat, quem sciebat idoneum esse antequam fidem reciperet: quandoquidem & ego Israelites sum. Ac ut ne illi obijciant, Tun' solus es populus? infert posthac: Non repulit populum suum, pro
Actuum 2. eo quod est, Sunt & alij ter mille, imò myriades, quæ ex populo crediderunt, ut acta apostolorum indicant.

3.Reg.19. Aut nescitis in Helia quid dicat scriptura? quomodo interpellet ad Deũ aduersum Israel, dicens: Domine, prophetas tuos occiderũt, & altaria tua suffoderũt, & relictus sum solus, & quærunt animam meam. Sed quid dicit ei diuinum responsum? Reliqui
Actuum 2. Gen.15. & 22. mihi ipsi septem milia uirorũ qui non curuauerunt genua ante Baal.] Ne obijciãt ei, Quid ais Paule? Ter millibus ne, uel quinquies millibus, uel paucis myriadib. tantũ populum comprehendis atq; definis, qui tamẽ arenæ maris cœliq; stellis adæquatur? subijcit inquiens: Quoniam & in Helia septem millibus comprehensa sunt quæ ad salutem pertinent. Verùm ne hos quidẽ Helias norat. Iam uerò uerisimile est multos esse qui crediderunt. Ac etiam si ignoretis uos, nihil noui est, cum & Helias illos quõ- B
dam ignorauerit. Clanculũ autem de alio argumento uerba faciens, monstrat eçdem & sanguinem quo sese innocentum uatum & bonorum interemptu polluerunt, iam olim à principio de ipsis prædicatam. Ne enim dicant, tanq; impostorem Christum occidimus: Quomodo igitur, inquit, ueteres prophetas, patres & maiores uestri occiderũt? Num & illi impostores erant? Sed molesti erant ob nimiam libertatem. Quomodo autem aras ipsas suffoderunt? Num & illæ molestæ ac minaces erant? Qui uerò Heliam ipsum, qui pro ipsorum salute ardebat, qui miraculis mirificisq; signis clarebat, occidere quærebant? Quare cum tunc temporis, cum tot scelerati homines essent, septem dũtaxat millia elegerit sibi ipse Dominus, ut oracullum dicit, hoc est, Domini demonstratio, & colloquium: nihil noui est, si hodieq; dignos tantum seligat: quod & per subsequentia declarat.

Sic igit' & hoc tẽpore reliquiæ secũdũ electionẽ gratiæ factæ sunt.] Etiã nũc inquit, reliquũ est aliqd, siue reliquiæ factæ sunt. Quẽadmodũ eñ paleis repurgatis, q̃d reliquũ est, frumentũ est: hãc ad rationẽ prauos reprobãs Deus, relinquit sibijpsi dignos.
Conatus noster facit ut eligamur. Cum igitur ait, secundũ electionẽ, illorũ studiũ & conatum indicauit, à conatu enim suo digni sunt facti ut eligerentur. Cum autem dixit gratiæ, Dei donũ cõmonstrauit.

Si autem per gratiã, non iam ex operibus: alioqui gratia non erit gratia.] Ex abundanti eos qui ex Hebræis non crediderunt inexcusabiles esse declarat. Non enim est quòd dicatis opera & labores à uobis exposcere Deum, uerùm totum est gratiæ. Quur igitur non uultis seruari, cum bonum tantum sine labore uobis proponatur? Proinde qui uoluerunt, seruati sunt, qui & populus Dei sunt. Non igitur Deus repulit populum suum salute dignum.

Sin ex operibus, iam non est gratia, cum opus non sit porrò opus.] Si ex operibus placeamus Deo, gratia porrò non habebit locum. Nam si gratiæ locus relinquatur, abit statim opus, nec opus porrò dicitur. Nam ubi gratia est, ibi opus non quæritur: & ubi est opus, gratia non est.

Quid ergo? quod quærebat Israel, id non est consecutus, electio autem est consecuta.] Quid nam sit gratia ostendens, nempe quòd sine operibus Dei donum est, dicit deinceps,

A deinceps, Quod Israelitæ inquirentes iustitiam, eam non sunt adsecuti, quippe qui malè cā quærierint, adeoq; ex operibus, ex quibus fieri nō potest ut quisquā eam ad sequatur. Electio autem, hoc est, electi sunt adsecuti. Per hanc dictionem, bonorum magnitudinem ostendit, nimirum quòd totum sit diuinæ gratiæ. Nam & nos familiari & quotidiana conuersatione dicere solemus: Hoc illi feliciter euenit, hoc est, citra laborem inuentionem inuenit.

Cæteri uerò excæcati sunt, sicut scriptum est: Dedit eis Deus spiritū compunctionis, oculos ut non uideant, & aures ut nō audiant usq; in hodiernum diem.] Producit Esaiam testem obstinationis ac cæcitatis, ut ne uideatur propria uel sua dicere. Porrò illud, Dedit Deus, dixit pro, reliquit eos habere spiritū cōpunctionis, cōcessit ac permisit. Cōpunctionem aūt, stabilem atq; impermutabilē ad mala habitū animæ dicit. Cōpungi enim, quod Græci κατανύσσεσθαι dicūt, est infigi sanè & uelut clauo impacto affigi. Incurabilē itaq; & minimè alterabilē sententiā eorū, compunctionē appellauit. Cum enim oculos haberēt ut miracula uiderent, & aures ut audirent doctrinam Domini, neutro horum sunt commodè atq; ut decet usi: neq; id solùm in Christo, uerùm & in alijs apostolis admiserunt: in hodiernum enim usq; diem, inquit.

Et Dauid dicit: Fiat mensa eorum in laqueum & in captionem, & in scādalum, & retributionem ipsis. Obscurentur oculi eorum ne uideant, & dorsum illorum semper incurua.] Cum sint, inquit, impermutabiles in malitia, extremo supplicio afficientur. Mensa enim ipsorum, hoc est, omnia bona & deliciæ ipsorum, conuertantur in contrarium, & illaqueentur comprehendanturq;, omnium captioni & inuasioni expositi, scandala semper & offensiones in uita sua habentes. Indicans autem quòd pro peccatis hæc patiantur, dixit, in retributionem. Quinetiam oculi eorum sunt obscurati, mentis quidem prorsus, atq; etiam corporei, à calamitatibus. Et dorsum eorum incuruatum est: seruiunt enim Romanis seruitute nūquam cessatura. Hoc enim est quod ait, semper: nunquam nimirum ab ea liberandi. *Psal. 68.*

B Dico igitur, nūquid impegerūt, ut caderent: Absit.] Cum abundè satis eos reprehēdisset, nunc consolationē eis meditatur atq; interrogat: Nunquid impegerunt, ut caderent: hoc est, nunquid incurabiliter deliquerūt: Haudquaq;. Impegerunt eñ, hoc est, offenderunt: uerùm non ut caderent omnino, ut nunq; erigi possent. Etenim seruabuntur circa tempus consummationis, ut in progressu orationis dicet.

Sed eorū delicto salus gentibus obtigit, ut ad æmulandū prouocaret eos.] Duo hęc uult perficere per ea quæ nunc dicit: nempe consolari Iudæos, & gentium fastum reprimere, inquiens q; salus gentib. obtigit illorū offensione & incredulitate. Rerū eñ natiuus ordo hos primùm seruari postulabat, deinde gētes: posteaq; aūt isti inobedientes facti sunt, accitæ sunt illæ: quod & in Euangelijs haud paucis in locis significatur. Seruatæ sunt aūt gentes, ut prouocaret Hebræos, hoc est, ut gentiū honor mordens hos, saltē ex huiusmodi aduersum illas contentione persuadeat ad Christū accedere.

Quod si delictum illorum, diuitiæ sunt mundi, & diminutio eorum diuitiæ gentium: quanto magis plenitudo ipsorum?] Si, quando offenderunt, inquit, tam multis fuerunt conciliatores salutis, & pro hoc quòd isti fuerunt reiecti, illæ sint adsumptæ, lapsusq; eorum diuitiæ gentiū fuerint: quanto magis plenitudo ipsorum, id est, quando omnes ad Christum reuersi seruati fuerint? Hæc autem dicit ueluti gratificans ipsis, & solamen adferens. Non enim quia impegerunt Israelitæ, propterea saluæ faciæ sunt gentes, nisi fidem habuissent. *Gentes cur saluatæ.*

Vobis enim gentibus dico, quatenus ego quidē sum gentiū apostolus, ministe: iū meū glorifico, si quo modo ad æmulandū prouocē carnē meā, & saluos faciā aliquos ex illis.] Rursum Iudæos consolans, gentiū cristas deijcit, inquiens: Laudo uos gētes propter duo hæc: alterum, quia necessarium mihi est, tanq; institutionis & religionis uestræ institutori, glorificare ministeriū meum, hoc est, uos: alterū, ut prouocem, hoc est, ad æmulationem conijciam siue permoueam carnem meam, hoc est, secundum carnem cognatos mihi Iudæos. Per carnem, genuinam naturæ propagationem, & affectum amoris natiui erga suum sanguinem commonstrauit. Et seruem, non dixit omnes, sed aliquot. Clanculum autem eorum duritiam subindicat, fortasse enim contentione & æmulatione quadam accensi, imitabuntur gentes, & credent aliqui. *Caro.*

Si enim

Si enim reiectio ipsorum est reconciliatio mundi, quæ erit assumptio, nisi uita ex A
mortuis:] Si iratus ipsis Deus, alia donauit alijs, hostesq; amicos fecit: quando ipsos assumpserit ac receperit denuò, quid non donaturus est: Vita namq; ex mortuis tum erit, hoc est, infinita planè bona: hoc enim per uitam indicat. simul aũt & altius quiddam adeoq; profundius adumbrat & innuit. Quemadmodum, inquit, ex mortuis resurrectio non propter Iudæos continget, sic aliorum salus propter ipsos non aderit præstò, nisi illi fidem habuerint. Quæcunq; enim pro ipsis dicere uidetur, ea dicit frigidam gratiam illis impertiens, ut medici haud rarò laborantibus solent.

Si autem primitiæ sanctæ, & massa: & si radix sancta, & rami.] Primitias & radicẽ appellat patriarchas: massam autem siue conspersionem et ramos, eos qui ex illis crediderunt. Necesse enim est primitijs, hoc est fermento, massam, & radici ramos adsimilari. Sin uos illis non adsimilemini, ingentis malitiæ hoc est argumentum.

Quòd si aliqui ex ramis effracti sunt, tu uerò cum oleaster esses, insertus es in illis, & socius radicis & pinguedinis oliuæ factus es, noli gloriari aduersus ramos.] Infideles Hebræos appellauit effractos ramos, indigni enim sancta radice facti sunt. Pulchrè autem dixit effracti sunt. nunq; enim Deus sic ipsos reiecit, licet multifariam peccassent. Pro ipsis autẽ tu es insitus ethnice. Non dixit autem plantatus es, sed insitus, Iudæum ita mordens & offendens, gentes in ipsius arbore, hoc est patriarchis consistere statuitq;, esseq; cõsortes et participes radicis et pinguedinis, hoc est eiusdem cum illa splendoris & ingenuitatis, gloriæ quoq; apud Deum participes. Ne igitur attollere & gloriare aduersum ramos.

Gẽtiles insiti sunt.

Quòd si gloriaris, non tu radicem portas, sed radix te.] Et quodnam hoc sit ramorum qui auulsi sunt præclarũ facinus: Radicis enim est portare, non ramorũ. Viden' quàm frigidè gratificetur Iudæis, consolari ipsos tantummodo enitens: Atq; per hoc potius ad æmulationem eos incitat, damnũ ostendens quod sunt passi, & quomodo alij eorum gloria sint decorati.

Dices igitur, effracti sunt rami, ut ego insererer. Bene propter incredulitatem effracti sunt, tu autem fide stas. Noli altum sapere, sed time.] Hic ostendit q; nõ quia illi impegerint, gentes sint subrogatæ in ipsorũ locum: sed propter fidem quam demonstrauerunt. Vbi autem gentes deprimere uidetur, indicat Iudæorum lapsum uenia & excusatione carere. Vtroscq; aũt corrigit. Dices igitur tu qui ex es gentibus: Effracti sunt ut ego inserar. Effracti sunt quidem, sed ob suam incredulitatem: non q; tibi eum honorem Deus debuerit. stas enim fide, hoc est, propter fidem stas radici insitus. Metue igitur: nam non est naturæ insitio, sed fidei.

B

Insitio, naturæ nõ est, sed fidei.

Si enim Deus naturalibus ramis non pepercit, nequando nec tibi parcat.] Siquidem illi natura fuerunt filij sanctorum patriarcharum, ac propter incredulitatẽ suam sunt euulsi & effracti. Quare tu multo magis metue, qui ascititius es, ne siquando offendas, tibi etiam non parcat.

Vide igitur bonitatẽ & seueritatẽ Dei: in eos quidem qui ceciderunt, seueritatem: in te autem bonitatem, si permanseris in bonitate. Nam & tu excidêris, & illi rursus si non manserint in incredulitate, inserentur. potens est autem Deus rursum inserere eos.] Non dixit, uide igitur præclarũ opus tuum, sed bonitatem Dei: totũ enim illius est gratiæ. Et stude permanere, nõ dixit, in fide, sed bonitate, hoc est, digna Dei clemẽtia perage ad finẽ usq; uitæ. Nisi enim ita egeris, excidêris: quemadmodũ & illi si non perseuerauerint in incredulitate, inserentur. Nam neq; Deus eos primùm euulsit effregitue, cæterùm ipsi à sese per incredulitatẽ suam sunt effracti, & deciderunt. Seueritatẽ aũt Dei uel duritiem dicit, q; nõ parcat eis, cæterùm indignos eos iudicet diuorum patrũ coniũctione, & societate. Sapiẽtissimè uerò Paulus gẽtes terret per ea quę Hebræis acciderunt: Iudæosq; animat & excitat, bonoq; & confidenti animo esse facit gentium exemplo, ut per fidem inserantur: aq; Dei potentia bene sperare efficit. potens enim est Deus, inquit, inserere, qui omnia supra spem nostram transigit.

Si enim tu ex naturali oleastro excisus es, & præter naturã insitus in bonam oliuã: quanto magis hi qui secundũ naturam, inserentur suæ oliuæ:] Si tu ex gentibus, natura prauus, maiores habens oleastro similes, excisus es ab illis per fidẽ, insitusq; es præter naturam bonæ & fœcũdæ oleæ, siue patriarchis: quanto magis Iudæus natura bonum

A num posidens, ad naturam suam oleam recurret, hoc est, ad patres? Quando autem audiueris Paulum secundum naturam dicentem, decens & consequens intellige. Decens erat & par, filium sancti Abrahami sanctum esse. sicut & rursus præter naturã, pro eo quod est indecens & inconsequens dixit, ut, Nõ erat ueri simile polluti Græci gnatum sanctum fieri. *Secundũ naturã, et præter naturã.*

Nolo enim uos ignorare mysterium hoc, ut ne sitis apud uosmetipsos prudentes: quod cæcitas Israeli ex parte contigit, donec plenitudo gentiũ intraret, & sic omnis Israel saluus erit.] Mysterium hîc id quod erat ignotum arcanum dicit. Quidnam aũt hoc est? quòd nõ in uniuersum Hebræi essent increduli, uerùm ex parte cæcitas & obduratio eos corripuit & inuasit. Multi enim crediderunt, quos Deus præsciuerat, ut suprà dictum est, & posthac multi crediturí sunt. Excæcati enim sunt Israelitæ, donec ethnici omnes prædestinati salui facti sint: tũcque omnis Israel saluus erit, qui crediderit uidelicet.

Sicut scriptum est: Veniet ex Sion liberator, & auertet impietates à Iacob: hocq; ipsis à me testamentum, quando abstulero peccata ipsorum.] Esaiam rursus adducit clamantem. Quoniam ueniet ex Sion, qui possit seruare, & purgabit Israelitarum peccata. Ecquãdo hæc erunt? Quando abstulero peccata eorum, hoc est, cum per baptisma eos dimissione noxæ donauero. Quare cùm nondum hanc assecuti sint, sunt enim indurati siue excæcati, in posterum hanc consequentur. *Esa. 59.*

Secundum Euangelium quidem inimici propter uos, secundum electionem aũt dilecti propter patres. Sine pœnitentia enim sunt dona Dei & uocatio.] Quia uos obedistis, inquit, Euangelio, & assumpti estis à Deo, ipsi contentiosiores facti sunt, retro silieruntq; magis, & hostes acerbiores sunt redditi: at quatenus patres eorũ iam olim abinitio sunt electi à Deo, non sinet eos Deus interire prorsus, dilecti enim sunt: sed si crediderint, recipiet eos.

Sicut enim & uos aliquando non credidistis Deo, nunc autem misericordiam cõ-
B secuti estis propter incredulitatem illorum, ita & isti nunc in uestram misericordiam ut & ipsi misericordiã consequantur.] Confirmare pergit Israelitas tandem conseruandos. Vos enim, inquit, ethnici primùm uocati noluistis obedire, & propterea uocati sunt Iudæi, sancita illis quã acceperunt diuinitus lege. Rursus uocatis Iudæis, & Christo morem non gerentibus, uocati estis uos, & misericordiam estis consecuti. Verùm uestra misericordia, horum quoq; erit. æmulabuntur enim uos, credentq; ipsi, hãcq; ratione uestra misericordia & ipsi misericordia donabuntur.

Conclusit enim Deus omneis sub incredulitate, ut omnium misereatur.] Conclusit, hoc est, arguit, demõstrauit, indicauit inobedientes & incredulos, ut alios aliorum contentione saluaret. Prius enim cum gentes non obtemperassent, seruauit, uti commemoratũ est, Hebræos: rursus cum suo Christo increduli & inobedientes perseuerarint Iudæi, saluę factæ sunt gentes. Conseruatis autem gentibus, seruabuntur etiam Iudæi, ad imitationem concitati, & sic omnes misericordiam consequentur. *Cõcludere Dei.*

O profunditatem diuitiarum & sapientiæ & scientiæ Dei. cũ sunt imperscrutabilia iudicia eius, & imperuestigabiles uiæ eius:] Reputans secum Dei ordinationes ac dispensationes, quæ à mundi fuerunt constitutione, qui per contraria dispenset contraria, ac per alios inobedientes & incredulos, alios obedientes & credulos efficiat, obstupuit: persuasus omnino, eum qui sic res nostras dispensat, de Hebræorum etiam futura salute aliquid dispensaturum. Diuitias igitur, diuinam bonitatẽ appellat, cuius profunditatem & altitudinẽ demiratur, solam eius quantitatẽ ignorans. opum enim Dei est, gentes adeò exuberantes facere. Insuper ad bonitatem sapientia etiam Dei attonitus redditur, per quam nostra regit ac dispensat, rudesq; gentes eruditis, denicq; cognitione Dei in stuporem rapitur, qua nouit quid cuicq; commodet. Nõ dixit aũt, incomprehensibilia sunt iudicia eius, sed imperscrutabilia, hoc est, non omnino recipientia scrutationẽ uel indagationem. Et uiæ, hoc est, dispensationes, nedum nõ possunt agnosci, sed ne inquiri quidem prorsus, uel uestigium ipsarum conspici.

Quis ẽm cognouit sensum Domini? Aut quis cõsiliarius ipsi fuit? Aut quis prior dedit ei, & retribuetur ipsi?] Solus enim ipse nouit sua, & nemo alius. Sapiens porrò cum sit, à nullo alio consultore institutus est, sed ipse sibiipsi satis fuit sufficiens, & est. *Sapien. 9. Esaiæ. 40.*

Quinetiã

Beneficia Dei nō sunt ueluti debiti retributio cū ipse fons sit, & in donis præueniat.

Quinetiam omnium bonorum fons est, & quæcunq; dat, non ueluti compensationē A uel retributionem debeat, impertit, sed ob propriam tantummodo bonitatem. Quis enim primùm dedit ei, nimirum Deo, ut retribuatur ipsi? hoc est, ut quod à Deo datur beneficium imputetur, tanquam retributio erga ipsum facta.

Quoniam ex ipso, & per ipsum, & in ipsum sunt omnia.] Ipse est fons omniū: hoc enim est quod ait, ex ipso. Omnia enim ex ipso habent principium, & per ipsum facta sunt, & in ipsum ceu fundamentū quoddā uergentia euntiaq; consistunt & continentur, conuersa ad ipsum.

Paulina peroratio.

Ipsi gloria in secula. Amen.] Est in more diuo Paulo, ut quum ardui quiddā dixerit, cum gratiarū actione sermonē finiat & cōcludat, perinde ac & iam nūc facit. Postquam enim admiratione & stupore perculsus est ob bonitatē, & sapientā, et notitiam, & gubernationē Dei, glorificat deinceps ipsum: hac ratione nos itidē instituēs, ut ob ingentia bona & beneficia gratias agamus & glorificemus ipsum & uerbis & uita.

CAPVT XII.

OBsecro itaq; uos fratres p miserationes Dei, ut exhibeatis corpora uestra hostiā uiuentem, sanctā, beneplacentem Deo, rationalem cultū uestrum.] Postq; abunde satisq; de dogmatibus uerba fecisset, deinceps ad morum præcepta pergit, sesecq; conuertit. Et quia monstrauit Dei circa nos ineffabilem dispensationem & bonitatē, obsecrat nos per miserationes Dei, hoc est, ipsas miserationes intermedias proponēs, ut uel ipsas reueriti, nihil ipsis indignum præstemus, uel demostremus. Quid autem obsecrat? Vt exhibeamus corpora nostra, hoc est, ut ad bellum exponamus & tradamus. Sic enim solet uulgò dici: Imperator acies suas ad bellum exhibuit uel instruxit. Aut tanquam regi Deo debemus exhibere membra nostra probata & electa. Tales enim sunt qui imperatori siue militiæ præfecto sistuntur. Insuper uiuentem uictimā eadē exhibeamus. Quando enim ea mortificauerimus, uiuemus secundum spiritū.

Esa. 1. Iudaicū itaq; sacrificiū Deo nō est beneplacēs, neq; gratū est. Quis em̄, inquit, exqui-
Psal. 49. siuit hæc de manibus uestris? Fidelium aūt sacrificiū, rationalis cultus, uehementera- B
Cultus rationalis qs dicatur. pud Deum requiritur. Sacrifica enim Deo, inquit, sacrificiū laudis, et sacrificiū laudis glorificabit me. Rationalis cultus est, nō solùm qui uerbo fit, cæterùm etiā uita Christo digna: quādo nimirū nullus irrationalis affectus in nobis regnat, sed ratio, omnia gubernat. Sicq; tanq; pontifex quisq; suiipsius factus fuerit, interiorem malitiā iugulans, & se existimans semper Deo stisti, in omni cum opere tum uerbo ita horreat, quasi pontifex qui diuinæ aræ adstiterit.

Et ne configuremini huic seculo, sed transformemini per renouationē mentis uestræ.] Subijcit iam nobis modū quo rationalē cultū uel seruitutē perficere queamus: qui est, si non configuremur seculo huic. Nihil enim habet uel stabile uel firmum, sed omnia sunt temporaria, figuram nempe habentia tantū, non susibstentiā quandam & subsantiam firmam seu permanentem. Ne igitur adsimilemini & uos huic seculo
Innouanda mēs nostra. incōstanti: hoc est, ne cogitate neq; sapite quæ sunt mundi huius, sed transformemini innouatione mentis uestræ, hoc est, nunquā nō teipsum innoua. Peccasti, animamq; tuam delictis ueterem reddidisti? innouare rursus. Correxisti mores tuos paululum? conare magis magisq; emendare, adeoq; uirtuti incūbere, factusq; es nouus, in melius semper transformatus. Vide autem quomodo in mundo figuram esse dixit, q nihil non sit in eo temporarium, & facilè dissolubile. Virtuti porrò formam tribuit, ut quæ naturalem pulchritudinem gerat, neq; indigeat aliqua externarū figurarum & elegantiarum exornationúmue. Mundus enim figuratur, ut fucata & fictitia forma
Virtutis forma ac decor. nos in fraudem inducat: uirtus autem propriam suam formam minimè figuratam, omnisq; fuci expertem ostendit. Semper itaq; transformari debemus secundum uirtutem, innouariq; à malo ad bonum, aq; minori uirtute ad maiorem.

Voluntas Dei. Vt probetis uos quæ sit uolūtas Dei bona, & beneplacēs, & perfecta.] Quia dixerat, innouamini semper noui facti, iam exponit ad quid cōmodet isthæc mētis innouatio: nimirū ad hoc, ut probetis uos, hoc est, ut dignoscatis quæ sit uolūtas Dei. Cui enim est inueterata mens, nō nouit quæ sit uolūtas Dei, quæ est, in humili affectu, rerumq; magnarum huius mūdi contemptu uiuere, & in paupertate & luctu, alijsq; rebus quas Deus iniunxit nobis, legeq; sua sanciuit. Innouatus autem spiritu, is nouit

quæ

A quæ sit uoluntas Dei non perinde ac Iudæi norãt lege detenti. Siquidẽ & lex, Dei uoluntas erat, sed non beneplacens neq; perfecta. Non enim ob excellentiam sui, tanq; quæ primariã & præcipuam Dei uoluntatem contineret data est, cæterùm propter illorum imbecillitatem concessa est. Perfectum aũt quiddam & beneplacens est nouũ testamentũ. Potes aũt iuxta magni Basilij sententiã sic etiã accipere: Multa uult Deus, alia quidẽ ad beneficentiã nostram, quæ bona etiã dicuntur ceu bonitate referta: alia uerò peccatorum nostrorum causa uult, ueluti iratus, quæ & mala dicuntur, ut quæ nos adiligant. Atqui & horum finis bonus est. Bonas igitur Dei uoluntates nos imitari par est. Quæ aũt ad afflictionẽ spectãt, non omnino nos sequi decet. Non enim ministri malorum nos sumus, sed prauæ potestates. Primùm igitur considera uoluntatem Dei bonam: deinde ubi agnoueris, cõtemplare num sit etiam beneplacens. Nam multa bona sunt quæ non sunt grata, neq; Deo placentia, temporis uidelicet seu personæ causa: ueluti Deo incensum adolere bonum est: at istud cũ Ozias faceret, displicuit Deo. Hac ratione bonum erat discipulis in arcanis atq; adeò cœlestibus rebus institui: enimuero ante tempus non fuit beneplacens. Non enim, inquit, potestis portare modò. Cum autem bona & beneplacens fuerit, dato operam ut & perfecta sit & indeficiens, ut huiusmodi fiat qualis postulatur à Deo, integra nempe & minimè mutila: quod genus est, oportet impertiri in simplicitate, hoc est, cum liberalitate. Sin parcè ex auaritia quadã eleemosyna progreditur, non habuit perfectam ista communicatio mensuram.

Lex an uoluntas Dei fuerit.

Velle Dei uarium.

Bona multa Deo ingrata.

2. Par. 26.

Ioan. 16.

Dico enim per gratiam Dei quæ data est mihi, cuilibet qui est inter uos, non sapere ultrà q̃ oportet sapere, sed sapere ad sobrietatem.] Ceu humilia perpetuò spirans Paulus, nusquã se authoritate quadam uel dignitate, cuius causa fides sibi adhibenda sit, iactat: sed aliàs miserationes Dei, aliàs uerò gratiam mediatricem proponit. non meũ, inquit, sermonẽ dico, sed eum quem à Deo accepi, quẽ gratia ipsius inspirauit mihi. Cuilibet autem homini hîc uerba facit, & priuato & magistratũ gerenti. nõ altius sapere, q̃
B oporteat: de humilitate primùm disserẽs, sicut & Dominus ab ipsa etiam orsus est: Beati pauperes spiritu. Quod autem ait, est huiusmodi. Oportet quidem sapere, hoc est, altam cogitationem habere, sed ita, ut cœlestes res adsectemur, atq; super terrestria eleuemur, non ut contra fratres & proximos extollamur, hoc enim est sapere ultrà quàm oportet: sed sapere ad sobrietatem. Accipimus enim sapientiam, non ut ad arrogantiam abutamur ea, sed ad sobrietatem & moderationem, hoc est, ad humilitatem. Hæc ita locutus est, ut ostenderet non humiliter, sed arroganter se gerentem, & impegisse & excidisse à proprijs cogitationibus. Humilia autem spirans incolumes saluosq; sensus habet, propterea dicitur esse sobrius.

Matth. 5.

Sapientia Christianorum.

σώφρων. σώας φρένας ἔχων.

Vnicuiq; sicut Deus partitus est mensurã fidei.] Cum dixisset nos nõ oportere superbire, sed modestos esse & humiles, nũc qua ratione sobrios modestosue esse conueniat cõmemorat: nẽpe reputantes q̃ cuiq; Deus partitus est mensurã fidei. Quandoquidem enim dona illa cõplures in arrogantiã efferebant: propter hoc ipsum, inquit, modestè sentire oportet, q̃d Deus unicuiq; fidei mensurã partitus sit. Non eñ tua uirtus isthæc, neq; tuũ opus est, sed diuinũ donũ, siue magnũ siue exiguũ fuerit, Deus certè hoc impertijt. Fidẽ aũt hic donũ appellat, q̃ miracula p̃ficiebãt. Fides aũt duplex est: altera nostra, ut, Fides tua te seruauit. altera uerò donũ Dei, p̃ quã miracula fiũt, ut cũ ait Christus: Si habueritis fidẽ sicut granũ sinapis, dicetis mõti huc, Trãsfer te hinc illò, & trãsferetur.

Fides, Dei donum.

Fides duplex.

Matt. 9. & 17.

Sicut eñ in uno corpore multa membra habemus, omnia aũt membra nõ eundem habẽt actũ: ita & multi unũ corpus sumus in Christo, singuli aũt, alter alterius mẽbra.] Corporis & mẽbrorũ exẽplo, ingentẽ superbiæ & arrogãtiæ fastũ & elationẽ tollit. Vt enim corpus unũ quidẽ est, diuersa uerò mẽbra differẽtes actiones habẽt & officia: sic & fideles nos unũ sumus Christo ceu in capite corpus cõstitutũ. Atq; inter nos mutuò alter alteri9 sumus mẽbra, nõ minor tãtũmodo maioris, sed maior itidẽ minoris. Ne igi ̃ inter uos alter aduersus alterũ inflemini: egetis eñ mẽbrorũ instar mutua uestra opa.

Habentes aũt dona, secundũ gratiam quæ data est nobis, uaria, siue prophetiam secundum rationem fidei.] Nõ dixit, dona maiora aut minora habentes. sed diuersa: nec uirtutes dixit, uel honestas actiones, sed charismata uel dona, ut superbos comprimat, eorumq; arrogantiam demittat. Dei enim, inquit, donum est, non tuum uel opus uel recte factũ, quod accepisti: & gratia est quæ istud impertit. Vt igitur elatum animum

Nos etiã ad fidem accipiendam cõferre.

deíciat, à Deo dona dari adfirmat, chariſmata ea nominãs. Porrò ut ſegnes & ignauos excitet, iterum oſtendit quòd & nos aliquid contribuimus ut accipiamus dona. Siue prophetiam, inquit, ad analogiam fidei. Etſi enim gratia eſt, non tamen ſimpliciter effunditur, ſed quatenus inuenerit uas fidei ſibi oblatum, eatenus influit & affluit. Prophetiæ autem primùm meminit, citra ullũ forſan diſcrimen iſtud faciens: uel qa uulgò fortaſſe propter eam nonnulli extollebantur. Porrò ſi extollebantur, ecquur non priuauit eos Deus eo dono? propter populi commoditatem, utq; erudiat nos, ne condemnemus chariſmata habentes, etiamſi peccauerint. Si enim ego non denudo aut priuo gratia mea, inquit Deus, tu quis es qui ipſum uilipendis?

Act. 6. Functionem quiſq; ſuam ſtrenuè obeat.

Siue miniſteriũ, in miniſterio.] Eſt ſanè & ſpecialis curæ ac gubernationis donum, miniſteriũ, qualis erat ſeptem diaconorũ functio. Intelliges tamẽ generaliter, omne corpus ſpirituale per miniſterium. Ait ergo: Si quis functionem quampiam nactus eſt, in ea functione perſeueret (neceſſum eſt enim ſententiæ huic apponere μενέτω, id eſt maneat ſiue perſeueret) neq; aliquid ultrà quærat, neq; aduerſus alium extollatur, ſed maneat, contentus eo quod accepit.

Siue qui docet, in doctrina.] Si generatim miniſteriũ acceperis, accipias etiam & huius deinceps connumeratas ſpecies. Sin ſpeciale miniſterium intelligas, obſerua quo modo prius illius meminerit, licet inferius ſit, ac doctrinam, cum tamen maior ſit, ſecũdo loco poſuerit, indiſcriminatum ordinem oſtendens: eruditensq; nos ex ipſo ordine, non inflari nos debere, neq; attolli ſuper iis quæ maiora uidentur.

Doctrina. Conſolatio.

Siue qui exhortatur, in exhortatione.] Eſt & ipſa quoq; exhortatio, doctrinæ ſpecies. Doctrina quidem dicitur ſimpliciter de quauis re propoſita diſputatio: exhortatio aũt ſiue conſolatio ſpeciatim, quando quiſpiam turbatis mentibus mœrore uel iracundia, mitigationem & quietem inducit per ſermonem. Proinde qui adhortatur uel conſolatur, inquit, in exhortatione ſiue conſolatione maneat, opus ſuum exercens, nec contra alium efferatur. B

Liberalitas. Matth. 25. Præeſſe quid ſit.

Qui tribuit, in ſimplicitate: qui præeſt, in ſolicitudine.] Cum de doctrina & exhortatione, quæ ſunt animarum præfecturę, feciſſet uerba, nunc de corporis rebus loquitur. hæc enim ſecundo loco habentur. Simplicitatem aũt, ipſam liberalitatem dicit. Opus eſt igitur dare cum liberalitate & copia. Nulla enim uirtus permanere poteſt, ſi conuenienti ratione quadã non fiat. Nam & uirgines oleum habebant, ſed quia oleum iſtud non ſufficiebat, exciderunt & excluſæ ſunt. Qui præſidet igit̃, ſedulò debet hic quoq; & haudquaquam ſegniter hoc tranſigere. Præeſſe autem eſt, uerbis & corpore auxiliari ei qui auxilio eget. Quia autem de largitione loquutus erat pecuniarum, nec omnes abundant facultatibus, ait: Præeſto aliter ut potes, adiuua egentes ſedulò & ſtudioſe.

Qui miſeretur, in hilaritate.] Suprà monuit, quòd cum ſimplicitate ſiue liberalitate ſit impertiendum: deinde quia multi multa, inuiti tamen & coacti cum mœrore quopiam largiuntur, ſubdit, oportet ut liberalitas fiat ſine triſtitia, uel potius ut ei adſit hilaritas, ſiue alacritas. Gaudere enim te conuenit quòd pro exiguo præcio recipias æternum & cœleſte regnum. Intelliges autem diſcrimen impertientis & miſerentis. Nam impertiens, ab alio accipiens dationem ſuam transfert: qui uerò miſeretur, à ſe ipſo inſumit, ſiue de ſuo tribuit.

Dilectio ſine ſimulatione.] Quánam ratione prędicta omnia compleantur perficianturq;, monſtrat, inquiens: Charitas nõ ſit ſimulata. Tum enim uerè eſt charitas, & cuncta facilè perficientur. Et qui miſeretur, hilariter miſerabitur, impertiens proximo ſuo tanquã ſibi ipſi. Dein, qui præeſt, ſedulò prędicit, pro proximo ſuo perinde ac pro ſeipſo certans, & omnia pari diligentia perſequetur.

Charitas nocxia.

Odio proſequentes quod malum eſt.] De charitate uerba fecit. Quia uerò eſt etiam noxia, adeoq; noxam inferẽs charitas, quod genus eſt quæ in latronibus ſuper ſcelere ſuo cõſentientib. cernitur, inq; ſimilib. eã ob rẽ ſubiicit, odio proſequentes malũ, hoc eſt ex animo odio habẽtes. Præpoſitio em̃ ἀπὸ, in participio ἀποστυγοῦντες, intenſum & uehemens odiũ quod ex imo corde proficiſcatur, denunciat. Cum enim non pauci ſint ſceIus quidem opere non patrantes, eius tamen cupiditate mente flagrantes, odiũ, inquit, mali omniũq; uitiorum ex animo poſtulo, ut & ipſa ſit anima minimè impura. Neigl

Malum ex animo odiẽdum.

tur, cum dixi, Diligite uos mutuò, exiſtimetis excitare me uos ut ad malum adeoq; fa-

gitia

A gitia cõmittenda alter alterum adiuuetis: sed multo magis è diuerso uos à malo alieniſ-
simos esse uolo, nedũ à prauo opere, uerumetiã ab omni cordis ꝓpẽsione erga ipsum.

Agglutinati bono.] Nõ sufficit à sceleribus declinare, nisi & uirtutis actio prẽsto fue
rit. eam ob rem dixit, agglutinati bono, hoc est, affectũ charitatis erga ipsum habentes. Gen. 2.
Hunc ad modum Deus maritum uxori familiarius copulans, agglutinabitur, inquit, *Agglutina tio mariti et que uxoris*
uxori suæ.

Fraterna charitate erga uos mutuò adfecti.] Adhortatus sum uos, inquit, ut diligatis, *Fraternitas*
atq; istud meritò facere debetis. fratres enim estis, in una matrice, nempe baptismate,
generati. Iustum itaq; fuerit, ut uos mutuo amore diligatis. Fraternitas enim ex amici-
tia nobilior notiorq; euadit: & amicitia ex fraternitate profluit & continetur.

Honore uos mutuo præuenientes.] Quî fraterna charitas perseueret, dissert, ex mu
tuo nimirum honore, quo alius aliũ anteuertit. Hoc enim est præuenire, dum alius ali- *Honor mutuũ inuicem.*
um mutuo honorando anteuertit.

Studio non pigri.] Quia plerique honorare & diligere uidentur quo ad animum, ma
num autem interim non porrigunt, ait: Necesse est uos mutuò præesse, & aliorum cu-
ram gerere, atq; conari, sicuti par est, ut & per opera succurratis.

Spiritu feruentes.] Perinde quasi dixerit aliquis: Ecquî fiet ut studio pigri non si-
mus? ait: Si spiritu ferueamus, hoc est, si fuerimus excitati & calidi. Porrò illud etiam
obserua, quòd postquam multas uirtutis species recensuerit, tunc istud subiunxerit, spi
ritu feruentes. Qui enim iam commemorata peregerit, is & spiritus paracleti gratiam
attrahit, ab eoq; inflammatus feruet.

Domino seruientes.] Cum fratrum amator fueris, adeoq; dilectionem habueris, idq;
genus alia, quæ paulo antè commemorata sunt, tum seruis Domino. In seipsum enim
transfert, quæcunq; fratri tuo præstiteris.

Spe gaudentes.] Quia magna quædam peractuq; difficilia postulauit, iam nũc osten
B dit quomodo ista facilè præstari possint, nimirum si spe contineamur. Spes enim fortio *Spei uirtus.*
rem efficit animam, & ad pericula confidentiorem.

In tribulatione patientes.] Quia spes futurorum est bonorum, etiam in præsenti, in-
quit, tempore multum percipies boni, cum & hoc ut tolerans & probatus reddaris ex
afflictionum patientia.

In oratione perseuerantes.] Ingens & istud est auxilium ad prædicta omnia perfici-
enda ipsa uidelicet oratio. Nec dixit simpliciter orantes, sed perseuerantes. Etsi enim *Orationis perseueran tia.*
nihil statim accipias, perseuera, & perficies quod cupis.

Necessitatibus sanctorũ cõmunicantes.] Cum in superioribus diceret, Qui miseretur, in hilaritate, omnibus simpliciter manum aperuit: hîc uerò de eleemosyna in fide-
les cõferenda loquitur: hos enim sanctos nominat. Nec dixit, exhibete necessitatibus,
uerùm communicate, societatem habete, subindicãdo quòd ea res sit ueluti mercatus,
& commune lucrum. Tu quidem pecunias largiris, illi uerò cœlum tibi referunt. Nec *Necessitati proximi sub ueniendum*
dixit, sumptibus & luxui, sed necessitatibus, ut exoret Romanos. Quomodo enim isti
nõ immites & planè belluis similes fuerint, qui ne in afflictis quidem & necessitate ex-
trema mersis rebus sanctorum, opem non tulerint, nihilq; auxilientur?

Hospitalitatem sectantes.] Non dixit, hospitalitatem aggredientes, sed insequentes: *Hospitalitas. Gen. 18. & 19.*
erudiens nos ne expectemus tantisper dum ad nos miseri & egeni accesserint, uerùm
ut accurramus nos ad ipsos, insequamurq; eos, ut Abraham & Lot.

Benedicite persequentibus uos: benedicite & nolite male dicere.] Cum de fraterna
charitate, ac dilectione erga proximum & amicos præcepta dedisset: deinceps quali-
nã adfectu erga hostes imbuti esse debeamus, tradit. Nec dixit, Ne reuocetis ad memoriã *Hostibus be ne precandum.*
ueterem iniuriam, nec uos ulciscamini: sed quod multo maius est, benedicite siue bene
loquamini. Addidit autem, Et nolite maledicere, siue male precari, ut nõ hoc sed illud
faciamus. Qui enim benedicit ijs qui ob Christi nomen persequuntur ipsum, indicat læ
tari sese q; pro dilecto amatoq; sibi patiatur: qui uerò execratur, ostendit sese non læta
ri, & ex hoc, quòd neq; eum diligit, cuius causa persecutionem sustinet.

Gaudete cum gaudentibus, flete cum flentibus.] Magnum requirit animum, non
solùm non inuidere, sed congaudere etiam gaudenti. indicat enim hoc animam pror-
sus ab omni inuidia liberã. Et maius est eo quod subdit, Flete cũ flentibus. Siquidẽ fletũ

Compassio. natura ipsa suppeditat, ut compatiamur, trahens. Vtraq; ergo nos docet, ut & compatiamur, & minimè inuidenti affectu simus erga quoslibet, tũ etiã erga ipsos persecutores. A

Idem erga uos mutuò sentientes.] Rursus hic de humili mente seu spiritu à fastu alieno differit. Verisimile est enim, quòd Romæ, ceu imperatoriæ urbi, proprius fuerit ostentationis arrogãtiæq; morbus. Quod autem dicit, est huiusmodi: Magnum teipsum esse arbitraris, proinde & fratrem talem tantumq; reputa. Sin abiectum & exiguum ipsum existimas, de teipso idem sentias. Hac ratione omnem inæqualitatem tolles: neq; abomineris illum, ceu sis eo præstantior: sed enim ceu æqualem tibi, & perinde ac teipsum honore adficies.

Non alta sapientes, sed humilibus consentientes. Quomodo prędictũ perfici queat, disce: si non sublimia spiremus, sed cum humilibus, hoc est, uilibus & contemptis simul abducamur, hoc est, condescendamus, consentiamus, unà circumferamur.

Ne sitis prudentes apud uosmetipsos.] Hoc est, ne existimetis uos uobis sufficere, neque opus esse uobis cõsultore alio aut eo qui quid deceat, suggerat. Nam Moses etiam
Exod. 18. si cum Deo familiariter colloqueretur, opus tamen habuit consultore socero.

Nulli malum pro malo reddentes.] Si enim alium uituperes ceu qui malum fecerit, quare tu illum imitaris, ac malefacis etiam ipsi? Non dixit autem, non facientes malum fideli, sed nemini, siue Græcus, siue quisquis alius fuerit.

Prouidentes bona coram omnibus hominibus.] Non ut ad uanam gloriã uiuamus dicit, sed ut ne exhibeamus occasionem aduersum nos maleuolis. Exigit enim à nobis ut citra scandalum & offensionem ducamus uitam, quandoquidem non pauci sint qui nos nostraq; obseruent.

Si fieri potest, quantum in uobis est, cum omnibus hominibus pacem habentes.] Pulchrè dixit, si fieri potest. Nonnunquam enim fieri non potest ut pacem quispiam complectatur, cum de pietate certamen fuerit: quãdo de iniuria affectes. Ait igitur, Quod
Pietatis cautu est officij, facias, nec cupiam occasionem prębeas bellorũ uel tumultuum. Sin pieta- B
sa inimici- tem debellari impugnariq; conspexeris, fortiter consiste, pro ueritate dimicans: non
tiæ suscipi- homini quidem infensus, sed impietati, illum ipsum sanè miserãs, eiusq; curam gerens.
endæ. Hac ratione, quod antea impossibile uidebatur, fit possibile: quod enim ad te attinet, pacatus es erga illũ, soli impietati infensus, eiq; uni renitẽs, ipsamq; dũtaxat impugnãs.

Non uosmetipsos ulciscentes dilecti, sed date locum iræ. scriptum est enim: Mihi uin
Deut. 32. dicta, ego retribuã, dicit Dominus.] Datè, inquit, accessum Dei iræ aduersus eum qui uobis iniuriam adfert. Si enim uosipsos ulciscamini, non egredietur pro uobis aduer-
Vindicta sum hostes Deus, si autem uos dimiseritis, Deus ulciscetur acerbius. Adducit autem
Deo relin- testimoniũ, quo sermonem suum stabiliat. Hęc autem dicit ad consolationem pusillani
quenda. mium: nihil enim aliud desiderant, quã ut uideant pro se de hostib. sumptã esse uindictã.

Si esurit inimicus tuus, ciba illum: si sitit, da ei potum. hoc enim faciens, carbones ignis cõgeres super caput ipsius.] Plurimũ philosophiæ hic à nobis exigit. Quid enim dicam, inquit, quòd oporteat uos pacificos esse? quin etiam benefacere uos hostibus impero. Carbones autem ignis congregabis super caput eius dixit, indulgẽs pusillanimi-
Vlciscendi tati iniuriam passi. nihil enim adeò suaue est, atq; hostem uidere punitum. Ac propemo
ratio opti- dum talia dicit: Vis ulcisci te de hoste? Beneficium illi exhibe, tũ acerbiore eum supplima. cio adfeciſti. Eapropter dixit, Carbones ignis congeres super caput ipsius: graue uidelicet supplicium designans. Hunc ad modum suprà dixit, Date locum Dei iræ.

Ne uincaris à malo, sed uince in bono malũ.] Hoc loci isthuc subindicat, non oportere nos tali sententia cibare hostes, ut maius supplicium illis adsciscamus. Hoc enim est quod ait, Ne uincaris à malo, id est, ne ultionis auida mente uel deliberatione illud faciamus mala patrantem imitare: hoc enim esset te succumbere & uinci: quin potius beneficentia tua uince illum, atq; eum à sua malitia transfer. Quod igitur suprà dixit, ad pusillanimitatis consolationem dixit: nunc autem quod perfectius est, induxit.

CAPVT XIII.

OMnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit.] Postquam abũdè parauit mores auditorum, eosq; docuit ut hostibus essent benigni, hanc iam adducit adhortationem: erudiens & instituens omnem animã, siue sacerdos quispiã fuerit, uel monachus, uel apostolus, subijci principatib. Ipsa enim subiectio non inuertit pietatẽ. Admonet

A net autem hoc apostolus, ut ostendat Euangelium non docere defectionem aut inobedientiã erga magistratũ, sed moderationem potius, & tranquillitatem, & obedientiã. *Subiectio pietatẽ non inuertit.*

Non enim est potestas nisi à Deo: quæ autem sunt potestates, à Deo ordinatæ sunt.] Quid ais? Omnis ne princeps uel magistratus à deo electus est? Nõ hoc dico, inqt, neq; de omnibus & singulis principibus uel magistratibus mihi sermo nunc est, sed de re ipsa. Nã principatus esse, & alios quidem magistratu fungi, alios uerò magistratibus subdi, neq; sursum & deorsum omnia miscerí, Dei sapientiæ dico opus esse. Non dixit, non esse principem, sed non esse potestatem, nisi à Deo. Quare de ipso magistratus hîc officio disserit, quemadmodum cum sapientum aliquis dicat, A Domino uxor aptatur uiro: non hoc dicit, quòd quemlibet cum muliere conuenientem Deus copulet, uerùm quia ipse nuptias fecit & instituit. Desiste igit̃ ab obiectione tua. Potestates à Deo ordinatæ sunt, cuiusmodi & patris erga filium, & mariti erga coniugem contemplaberis, aliasq; uniuersas, ut & in animalibus, ueluti apum, gruum, & piscium. *Potestas omnis quo-do à Deo est.* *Prouerb. 19 Vxor quomodo dicatur uiro aptari.*

Itaq; qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit. Resistentes autem sibijpsis iudicium accipient.] Vt ne fideles dicere queãt, Viles planè nos reddis, qui tamen cœlorum regnum adepturi sumus, principibus & magistratibus nos subijciens: monstrat quòd Deo subijciatur, quisquis magistratui subijcitur, uel potius, quod terribilius est ponit: Qui his, inquit, non fuerit obsecutus, resistit Deo, qui potestates & magistratus ordinauit. Qui autem repugnat, & à Deo punietur, & ab hominibus. hoc enim subinnuit cũ dixit, Sibijpsis iudicium accipient resistentes.

Principes enim non sunt terror bonorum operum, sed malorum: uis autem non timere potestatem: bonum fac, & habebis laudem ab ipsa.] Quid metuis aut horres? Nũ quid enim te obiurgat bonum operantem? Num tibi horrifica est potestas uirtuti nauãti operam: imò si benefeceris, laudator potius tibi princeps sedet. Tantum enim abest, ut terrorem tibi incutiat, ut etiam te laudet.

Dei nanq; minister est, tibi in bonum.] Volũtati, inquit, Dei cooperatur. Vbi gratia, B consulit tibi Deus ut temperantiæ studeas, sisq; sobrius, per Euangelium: ita princeps per leges suas eadem iubet. Adhortatur Deus ne quenquam defraudes, ne auaritiæ in hîes, neq; rapias aliena: magistratus etiam super hîsce iudicat, adeoq; fert sententiam. Adiutor itaq; est ad bona opera nobis, si modò ipsi mentem aduertamus. *Matt. 5. Exod. 20. Deut. 5.*

Sin malũ feceris, time: non enim sine causa gladiũ portat.] Proinde princeps non facit metum in nobis, uerùm nostra nequitia, propter quam & gladius ipsius operatur, estq; efficax, hoc est, uis eius pœnam & supplicium inferens. Non enim temerè est ense circumcinctus magistratus, sed enim ut puniat sceleratos.

Dei enim minister est, uindex in iram ei qui malè agit.] Et quando uirtutem laudat, uolũtatem Dei implet: & quando gladio ferit, Dei minister est, uindicans uirtutem, & uitium abigens. Pleriq; enim non tam propter metum Dei, quàm ob principum formidinem bonum perficiunt. Quare cum uindex sit uirtutis, supplicio afficiens malum operantem, Dei minister est.

Ideo necessarium est subditos esse, non solum propter iram, sed & propter conscientiam.] Necessum est, inquit, subdi & obedire, non solùm ut non experiaris iram Dei & magistratus, tanquam immorigerus, & crucieris puniarisúe intolerabiliter, uerumetiam ut ne uidearis expers esse conscientiæ, & ingratus erga benefactorem. Plurimum enim prosunt rebuspublicis magistratus: per ipsos enim uita nostra consistit. Qui nisi essent, iam olim omnia perijssent, potentioribus imbecilliores deuorantibus. Conscientia igitur tua persuadeat tibi, ut suo honore tanta tibi bona donantes nunquam non digneris. *Magistratuum utilitas.*

Ideo enim & tributa præstatis.] Tu, inquit, testaris, quòd à magistratu beneficio afficeris, quatenus mercedem ei pendis, ut ei uidelicet qui rebus tuis prospiciat. Non enim principio tributum soluissemus, nisi agnouissemus, nostrum nobis lucrum, adeoq; commodum ex huiusmodi præfectura sanè accrescere. Siquidem ipsi nos citra curam ducentes uitam, principes habemus pro nobis excubias agentes.

Ministri enim Dei sunt, in hoc ipsum incumbentes.] Quare Deo etiam placet ut ipsius ministri tributa pendamus: uult enim Deus pacem in republica uersari, necnon uirtutem, uitium autem profligari. Atque in hoc principes ministrant uoluntati Dei,

pro communi constitutione & salute laborantes, inq; idipsum perseueranter incũben A
tes, ut nos in pace ac tranquillitate ætatem quisq; suam transigamus. Sin quisquam ma
le magistratu suo & publica functione abutatur, id nihil aduersus rei ipsius pulcherri-
mæ elegantiam facit.

Reddite ergo omnibus debita: cui tributum, tributum: cui uectigal, uectigal: cui ti-
morem, timorem: cui honorem, honorem.] Irrefragabiliter, inquit, debes impositam ti-
bi erga magistratum gratitudinem & beneuolentiam. Redde igitur quæ debes ijs qui-
bus uarij magistratus sunt commissi: cui tributum debetur, siue exactio, capitumue
census, ei tributum da: cui uectigal, uectigal: uel pro terra censum. Nec solùm pecuni-
as reddite, sed timorem etiam, hoc est reuerentiam & uerecundiam, atque eximium
Metus du-plex. honorem. Quare infert, Cui honorem, honorem. Est enim duplex metus: alter, quo
terrentur scelera patrantes, ex mali conscientia profluens, quem iam antea reiecit a-
postolus: alter uerò, quo diligentes erga dilectos rapiuntur, hoc est, excellens & exi-
Psal.33. mius honor, quemadmodum dictũ est: Non est inopia timentibus eum, &, Timor Do
Psal.18. mini permanens in seculum seculi. Pietatem enim hic siue reuerentiam subindicat.

Nemini quicquam debeatis, nisi ut uos diligatis mutuò.] Alia quidem mandata
ceu debita reddite: charitatem autem nunquam persoluere uelitis, sed semper ip-
Charitas perpetuò proximo exhibenda. sam uti debitum perpetuò habebitis. Non enim quia hodie charitatis quandam
propensionem demonstrasti erga proximum, arbitreris te complesse debitum, ac
propterea ipsum in crastinum negligas: sed perpetuò existima te charitatem debe-
re proximo.

Exo.20. *Deut.5.* Nam qui alterum diligit, legem impleuit. Nam, Non mœchaberis, non occides, non
Legis imple tio, proximi dilectio. furaberis, & si quod aliud mandatum, in hoc uerbo consummatur, nempe, Diliges pro
ximum tuum ut teipsum.] Vniuersam legem implet, qui proximum diligit. In poste-
rum ita q; quisq; proximum suum diligere debet, quandoquidem tot, tanta, tamq; ua-
ria beneficia ex ipso, adeoq; ex dilectione erga ipsum recipiat, ut legẽ uniuersam com B
pleat. Non dixit autem, impletur, sed ἀνακεφαλαιοῦται, hoc est, in summam colligitur, re
petitur, id est succinctim & breuiter mandatorũ uniuersitas conficitur. Etenim & prin
cipiũ & finis uirtutis est dilectio. Eximiam aũt & intensam charitatem lex exigit. Dili-
gis enim proximum tuum, inquit, ut teipsum. Dominus autem noster maiorem exi-
git, & quæ sit supra teipsum: nam animam pro amico ponere decet.

Charitas proximo malum non operatur, plenitudo igitur legis dilectio.] Ambas uir
tutis species charitati adesse monstrat: à malis abscessum & abstinentiam, in eo quod
ait, Malum non operatur: & bonorum operationem, cum dicit, Plenitudo igitur legis
dilectio. Totam enim uirtutem perficit lege commonstratam.

Charitatis præstantia. Et hoc scientes tempus, quia hora iam est nos è somno surgere.] Charitatem, inquit,
plurimi facere debetis, ac per ipsam alias uirtutes omnes: idq; propter temporis cũ ra
tionem, tum opportunitatem. Nam propè est resurrectio, pulsat item fores iudicium:
operæq; est precium, nos è sopore socordiæ desidiæq; excitari, esseq; paratos ad opera
resurrectione haud indigna.

Nunc enim est propior salus nostra, quàm cum credidimus.] Quia uerisimile erat,
in fidei primordijs studiosiores & feruentiores fideles extitisse, temporis autem procur
su refrixisse, adeoq; infrigidatos: nunc, inquit, magis appropinquamus futuro seculo.
Nam illud salutem nominauit, à nomine nimirum commodiore. peccatoribus enim
non est salus, sed pernicies. Proinde quia appropinquamus futuræ uitæ, uehementiore
iam animo in studio pietatis incumbamus, quod & per sequentia indicabit.

Nox processit, dies aũt appropinquauit.] Id est, nox est proxime finẽ. Exempli gra-
tia, Demus duodecim horarũ esse noctem, cum ergo decem præterierint, dicimus no-
ctem promouisse siue processisse, pro eo quod est pręterijsse, proximeq; finem esse. No
Nox, præ sens uita. ctem autem præsentem uitam ac seculum adpellat, q; plerique in tenebris agant, ac nulli-
Dies, futurũ seculum. us non uita caligine sanè contegatur. Diem uerò, futurum seculum tum propter iusto
Ioan.9. rum lumen, tum quòd omnium res occultæ tunc manifestentur. In Euangelio uerò dies
quidem huius temporis uita dicitur, quòd oporteat in ea operari: nox autem futura
uita, quòd tum nemo quicquam operetur.

Abijciamus igitur opera tenebrarum, & induamur arma lucis.] Opera, peccati ope
rationes

A rationes appellauit, ceu laboriosum quiddam & magnam difficultatem continentes, & infinita pericula, idq; in præsenti uita. Arma uerò lucis, uirtutis operationes. Eũ enim qui his exornatus armatusq; fuerit, in tutum collocant. Arma nanq; sunt, & splendidũ faciunt, ut quę sint luminis. Porrò cum ait, Abijciamus siue deponamus & induamur, amborum facilitatem indicauit: deuitationis nempe prauorũ operum, & ad uirtutem acclinationis. Perinde nanq; ut facilè est deponere pallium, & alterum induere: pari ratione haud est operosum & à uitio discedere, & uirtutem complecti. *Peccatio per laborio- sa.*

Vt in die honestè ambulemus.] Paulo antè dixit diem appropinquasse, iam nunc uerò ipsam instare ostendit, inquiẽs, Vt honestè ambulemus. Quandoquidem enim ipsi uulgi gloriam curamq; popularem magnifacerent, ab honestate eos allicit. Nec dixit, obambuletis, sed ambulemus: adhortationem istam suam haud asperam, sed lenem potius efficiens. Nihil enim adeò dehonestat aut dedecori est, ut peccatum: quemadmodum nihil æquè honestatem ac decus præbet atq; parit, ut ipsa uirtus. *Peccatum, turpidinis causa, uirtus honestatis.*

Non in comessationibus & ebrietatibus.] Bibere haudquaquam uetat, sed immoderatè bibere: neq; frui quenquam uino prohibet, sed ipsam temulentiam arcet. κῶμος enim, cum temulentia & iniuria carmina sunt, quæ & temulentia dicitur. *κῶμος.*

Non in cubilibus & impudicitijs.] Cum de ebrietate prius locutus esset, nũc de malis ex ea suborientibus disserit. Ex temulentia enim impudicitiæ profluunt. Neq; enim hîc uxoribus iungi, neq; matrimonij lectum tollit, sed ipsam fornicationem.

Non in contentione & æmulatione.] Simulac ea quæ ex cõcupiscentia nascuntur, extinxit: nunc quæ ex ira mala prodeunt, supprimit. Nihil enim adeò cupiditatem accendit, & iram inflammat, ut ebrietas ac temulentia. Ex æmulatione autem contentio. Qui enim æmulatione quadam erga quempiã imbutus est, is & ad rixas progreditur. sublata enim contentione ad æmulationem unde illa exoritur, decurrit. Quoniam uerò compertum habet bella ex fornicatione & impudicitia excitari, ædiumq; subuersiones, post impudicitias contentionis & æmulationis mentionem facit. *Ebrietas mala.*

B Sed induamini Dominum nostrum Iesum Christum.] Exuit nos prauis uestimentis Apostolus, deinceps nunc exornat nos, non porrò luminis armis nos uestiens, sed, quod longè est mirabilius, imò & terribilius, ipsum Dominum pro indumento nobis largiens. Hoc qui uestitus fuerit, omni sanè uirtute decoratus est.

Et carnis curam ne gesseritis ad cupiditatem.] Non prohibet carnis curam, sed ne iuxta cupiditates ipsius ei prospiciamus, id uerò uetat: ad sanitatem, inquit, sed non ad libidines & uoluptates carni prospicito. Neq; enim isthæc prouidentia aut cura fuerit, si flammam accendas, si caminum molestiorem reddideris. Vnum isthuc tantummodo quære, ut caro corpusq; tuum bene ualeat. supra hoc ne sis adhuc curiosus: neq; id agas ut cupiditates eius accendas, sed omnem conatum tuum & uires in spiritualia extende. *Caro si bene ualet, satis est.*

CAPVT XIIII.

INfirmum autem in fide assumite.] Plerisq; Iudæorum qui Christo accesserant, post fidem adhuc in ciborum obseruatione hærebant, à suilla carne abstinentes, nondum ausi prorsus à lege deficere. Deinde ne facilè deprehenderentur, ut qui à sola porcina abstinerent, ab omnibus carnibus simpliciter abstinebãt, solisq; oleribus uescebantur. Alij rursus perfectiores uisi sibi, nihil obseruantes, obseruantibus conuiciabantur. Veritus est igitur Paulus, ne quomodo importunè & minus tempestiuè increpantes perfectiores ipsi alios imperfectiores, à Christi fide decuterent. Propterea sapienter rem aggreditur, utriusq; partis rationem habẽs. Neq; enim obiurgantibus audebat dicere, Malè agitis, ut ne imperfectos in obseruatione stabiliret: neq; rursus dicere potuit, Bene agitis, ne uehemẽtiores accusatores faceret: sed enim moderatam & ad utroq; temperatam adhortationem facit. Videtur quidem fortes increpare: totum autem in hoc loco contra imbecilliores sermonem dirigit. Statim enim ut dixit infirmum, indicauit eum non esse ualidum: cum porrò ait, Suscipite, monstrat eum sedula indigere curandi ratione, id quod extremæ imbecillitatis argumentum est.

Non ad dijudicationes disceptationũ.] Hoc est, ne dijudicetis ob infirmitatẽ ipsius, neq; offendamini, nec multis adeò cogitationibus aut ratiocinationibus turbemini: cæterùm tanquam infirmum & ægrotum, omni curandi ratione ipsum accipite.

Delectus ciborum, infirmitatis est.

Alius quidem credit licere sibi uescí quibuslibet, qui uerò infirmus est, uescitur oleribus.] Perfectum & imperfectum comparat, inquiens: Perfectus fide sua fretus, omnia indiscriminatim edit: imperfectior uerò, tanquã infirmus, olera comedit. Dignus itaq; est ut curetur, non ut obiurgatione acri absterreatur. A

Qui uescitur, non uescentem ne contemnat: Deus enim illum adsumpsit.] Omnia edentes, ceu perfectiores, nõ edentes uilipendebant, ceu modica fide imbutos, Iudaismumq; spirantes. Contrà, non uescentes, quibuslibet uescentes iudicabant, eosq; condemnabant ut gulosos & uoraces. Quia autem ex gentibus talium plericq; erãt, Deus, inquit, ipsum adsumpsit, hoc est, ineffabilem suam gratiam erga eum commonstrauit. Quid igitur cum eo de lege disputas, postquam Christus iustificauit illum?

Tu quis es qui iudicas alienũ seruum? suo domino stat, aut cadit.] Ad perfectiorem hoc loquitur, abducens ipsum ut à contemptu sic & condemnatione. Vtraq; enim admittebant perfectiores, adspernantes nimirum & cõdemnantes imperfectiores. Clanculum autem & hîc imperfectum notat. Non enim inquit, Eam ob rem, quia ea faciat quæ non mereantur iudicationem, ipsum non esse iudicandum præcipio: uerùm quia alienus seruus est, hoc est, non tuus, sed Dei. Nam etiamsi infirmus fuerit, non tamen excidit ab eo quòd sit seruus: quare non est de eo desperandum. Animum autem rursus ei addens, non dixit, cadit, sed stat aut cadit. Siue autem hoc, siue illud contingat, ad dominum pertinet uel damnum cadentis, uel stantis lucrum.

Statuetur autem. potens est enim Dominus statuere ipsum.] Cum ait, statuetur, indicat ipsum adhuc moueri & concuti usqueadeò, ut solo Deo confirmatore opus habeat: quod de planè desperatis dicimus.

Alius quidem iudicat diem inter diem, alius uerò iudicat omnem diem.] Nonnulli inedia & ieiunio sese macerabant, aut etiam à sutilla carne abstinebãt certis quibusdam diebus: alij quibuslibet diebus edebant, qui & ieiunantes condemnabant. de his igitur loquitur. Alius aliter iudicat, cum sit res indifferens. Non sunt igitur incessendi fratres huius rei causa. In his autem acquiescit & indulget illis, q; in fide sunt adhuc neophyti. B

Vnusq;q; in suo sensu abũdet.] Quãdo sermo est de dogmatib. uel doctrina, nõ oportet nos ꝓprio sensu abũdare, sed quę accepimus, firmiter tueri, etiãsi uel angelus è cœlis aliud prædicarit. Vbi aũt de cibis & ieiunio sermo est & similib. & q impingũt, adhuc sunt neophyti, & indulgẽtia opus habẽtes hîc ab exacto iure nõnihil est remittendũ. *Galat. 1.*

Qui sapit diem, Domino sapit: qui non sapit diem, Domino non sapit.] Qui obseruat, inquit, diem, propter Dominum obseruat ex reuerentia & pietate quadam: & qui nõ obseruat propter Dominũ non obseruat, ut qui iam in Christo sit consummatus, legalibusq; obseruationibus maior.

Et qui edit, Domino edit: gratias enim agit Deo: & qui non edit, Domino nõ edit, & gratias agit Deo.] Vnum tantummodo, inquit, quærimus, an propter Christum ista fiant, gratiasq; agant Deo, cùm qui uescitur, tum qui non uescitur. nam quod ita peragitur, expers est accusationis & calumniæ. Hæc autem ut dixi, inquit, q; sint nouæ adhuc in fide plantulæ. Quandoquidem tacitè Iudaizãtes ferit per hoc quod ait, Qui nõ uescitur, gratias agit Deo. Quî enim gratias agere queat, lege adhuc detentus? Quare qui manducat, is tantum gratias agit.

Nemo enim nostrûm sibijpsi uiuit, nemo sibijpsi moritur. Siue nanq; uiuamus, Domino uiuimus: siue moriamur, Domino morimur.] Dominum habemus cui nos sumus curæ, quiq; pro lucro & diuitijs nostram uitam ducit, & mortẽ pro damno. Neq; enim nobisipsis uiuimus aut morimur solum, sed Domino. Vitam aũt hoc loco dicit, quæ fide cõstat, & mortem, lapsum à fide. Itaq; Dominus iste nequaquam mori sinet, secundum fidem, & ab ea excidere eos qui infirmi esse uidentur.

Siue igitur uiuamus siue moriamur, Domini sumus.] A morte spirituali ad naturalem transit, de hac enim nunc disserit. Siue, inquit, naturalem uiuamus uitam, Domini sumus: siue naturali morte moriamur, ad eum pertinemus.

In hoc enim mortuus est, & resurrexit, & uiuit, ut & mortuorum & uiuentium dominetur.] Hoc, inquit, persuadeat tibi, quòd curam gerat Dominus infirmorum, ut erigantur consolidenturq;. Qui enim sanguinem suum fundere, necnon mori sustinuit, ut nostri dominaretur: quomodo iam nunc nostri non tangeretur

A solicitudine, qui seruî eius facti sumus: sicut dicere consueuimus: Ecquî serui sui is non curam gerat, pro quo tanta impendit? Deinde, si mortuorum (inquit) rationem habet, & curam, quanto magis uiuentium? Hæc autem dicit, ut Iudaizantem rubore suffundat, uel in uiam reducat, atq; persuadeat recordari quomodo adhuc legi sit adfixus, ingratus nimirum ei qui pro eo mortem obijt, Christo.

Tu quid iudicas fratrem tuum? Aut etiam tu quare spernis fratrem tuum? Omnes enim stabimur ante tribunal Christi.] Tu qui non edis, quid fratrem tuum ceu gulosum iudicas quòd edat? Tu uerò qui edis, quid contemnis fratrem tuum ceu exigua fide imbutum? Frater est, proinde nō est quòd contemnas proprium membrum tuum. Num enim tu pro eo es redditurus rationem? Ipse per sese sistetur ante tribunal, ipsq; pœnam & sententiam sustinebit. Viden' quî dum ad consummatiores uerba facit, ipsum iudaizantem terret ceu eum qui sit statuendus ante tremendum tribunal, sententiam extremam auditurus? 2. Cor. 5.

Scriptum est enim: Viuo ego, dicit Dominus: quoniam mihi inflectetur omne genu, & omnis lingua cōfitebitur Deo. Itaq; unusquisq; nostrûm pro se rationē reddet.] Quòd, inquit, iudicabimur, ceu serui à Domino, propheta testatur. Vehementem enim adeoq; maximā subiectionem indicauit per hoc quod dixit, Omnes mihi genu flectent, & omnis lingua eorum qui fuerunt ante legem, & in lege, confitebitur, hoc est, rationem reddet rerum gestarū. Cui? Non legi sanè, sed Christo. Quare quid quæso adhuc à lege dependes? Esai. 45. Philip. 2.

Ne igitur nos mutuò iudicemus, sed hoc iudicate potius, ut non ponatis offendiculum fratri aut scandalum.] Vterq; uestrûm, inquit, dissoluite quæ inter uos mutuò uiget contentionem: neq; tu qui quibuslibet uescēris, offendiculum ponas fratri imperfecto, uehementer adeoq; nimiū eum increpando: neq; tu qui non uescēris omnibus, offendiculum ponas fratri per obseruationē tuam. Vtrisq; enim personis hæc conueniunt uicissim, offendiculum & scandalum.

B Noui & persuasum habeo in Domino Iesu, quòd nihil commune est per sese, nisi ei qui existimat aliquid cōmune esse, illi cōmune est.] Postquā docuit non oportere perterrefacere, uel obiurgando ferire languentem, deinceps de cibis decretū præscribit, eruditens imbecilliorem ne contremiscat aut metuat ista tanquam impura. aitq;, Noui & persuasum habeo, non humanis rationibus, sed in Domino Iesu, hoc est ab ipso discens, & ab eo certior redditus, q̄ nihil per seipsum cōmune est, hoc est, sua natura nihil est immundum, sed enim ex uoluntate ac deliberatione utentis ista immundicies dependet. Illi enim soli est commune & immundum, non omnibus. *Immundum sua natura nihil est.*

Quòd si propter cibum frater tuus contristatur, iam non secundum charitatem ambulas.] Ad perfectiorem loquitur hîc, docens q̄ etiamsi decies millies cibi per se impuri non fuerint, uel sic tamen à porcina carne tibi abstinendum erat, ut ne frater tuus offendatur, si modò charitatem conseruare uelis. Infert autem & deinceps:

Noli cibo tuo illum perdere, pro quo Christus mortuus est.] Propter cibum, inquit, perdis & subuertis fratrem, quem tanti Christus fecit, ut pro ipso mortem obire dignatus sit. Animaduertēs enim te manducare porcinam carnem, quadam tui erga ipsum contentione redditur pertinacior, adeoq; periclitatur ne à Christo deficiens, sese legi tandem totum tradat, affligatq;.

Ne blasphemetur itaq; uestrum bonum.] Id est, tu habes perfectionem in fide (hanc enim bonū nominat) ne igitur abutere hac perfectione tua, neq; in causa esto cur blasphemetur uel uituperetur. Si enim ex perfectione tua imperfectū perdis, ansam præbuisti criminationis, qua malediceretur bono quod habebas. Accipies etiam per bonum, doctrinam nostram, quam non nulli infidelium calumniæ adeoq; accusationi obnoxiam esse, dum uident scandala atq; dissidia ciborum nomine.

Non enim est regnum Dei cibus & potus.] Non enim ob hæc probamur uel grati sumus Deo. Non enim si istud uel istud edas, te in regnum cœlorum introducet. Carpens autem ipsos, ceu propterea inflatos, adiecit & potum.

Sed iustitia, & pax, & gaudium in spiritu sancto.] In regnum Dei introducit iustitia, hoc est uirtus uniuersa, inculpata uita, & pax ad fratrem, non contentio: & gaudium ex concordia, non mœror ex increpatione. Quia uerò gaudium & pax etiam *Iustitia omnis uirtus.*

praua-

prauarum est rerũ, subintulit, in spiritu sancto. De gaudio enim & pace quæ est in spiritu sancto, uerba hîc facio. Altius hunc locũ interpretatus est planè magnus ille Chrysostomus, quare uidelicet diuus Paulus meminerit iustitiæ. Vt enim monstraret, inquit, eum qui non abstineat suilla carne, esse iniurium aduersus fratrem in rebus salutis, quam ei Christus sua morte peperit. Quare è diuerso qui propter fratrem abstinet, iustitiam adit & persequitur, quæ submini strat æternum regnum.

Qui enim in his inseruit Christo, Deo bene placet, & hominibus probatur.] Adumbrat hîc, & obscurè indicat q̃ ob uanam gloriam imbecilliores ipsos, perfectiores increpabant: quoniam si uis, inquit, admirationi esse hominibus, non tantum te à perfectione, quantum à pace, & alijs uirtutibus admirabuntur. In his enim Christo inseruire tibi licet, Deoq̃ placere, sed non in hoc q̃ porcina carne indiscriminatim uescaris.

Itaq; quæ pacis sunt sectemur, & quæ ad mutuam ædificationem.] Quę pacis sunt, dixit ad imperfectiorem, is enim pacem haud habebat: quę uerò ad ædificationem, ad perfectiorem retulit, ut ne destrueret fratrem, offendens ipsum: immò communia hæc fecit, dum ait, τὰ εἰς ἀλλήλους, id est mutuam, uel quæ inter uos est mutuò. Cum ergo primùm meminerit pacis, deinde uerò ædificationis, ostendit quòd citra pacem non sit facilè ædificare.

Noli propter escam destruere opus Dei.] Opus Dei, fratris salutẽ nominat. Ne igitur eam dissoluas, quam Christus ei peperit, idq̃ propter cibum, dum non uis uidelicet abstinere à porcina, ut lucreris ipsum.

Omnia quidem mũda, sed malum est homini, qui per offendiculũ manducat.] Vbi multum increpuisset perfectiorem, metuit ne qua ratione forsan in praua sua opinione infirmus stabiliretur. Ob eam rem rursus dogmata profert, inquiens: Omnia quidẽ munda sunt, sed malum est ei qui mala conscientia, & scandalizatus manducat. Siquidem imperfectus immundam reputãs suillam carnem, dum coactus & inuitus gustat, magis lædituꝛ. Quare oportet eum primùm abs te discere quòd omnia sint munda.

Scandala ui tanda etiam in licitis.

Bonũ est non manducare carnem, & non bibere uinũ, neq; in quo frater tuus offenditur, aut impingit, aut infirmatur.] Tu, inquit, adigis fratrem edere quæ nõ audet. Ego autem te dico abstinere oportere ab omni quod offendit fratrem, non quia malum sit, omnia enim munda: sed quia offendit. Quia uerò dixit eum impingere, ostendit eum cæcutientem. huiusmodi enim impiugunt. Offenditur autem, ut leuis. Infirmus est autem, ut qui modica sit fide imbutus. Per hæc autem omnia potentiorem attrahit ad auxilium fratris, ut qui omnino sit imbecillis.

Tu fidem habes? penes teipsum habe coram Deo.] Hîc subindicat q̃ ueluti ambitiosus perfectior perfectionem suam submonstrabat. ait itaq;: Vis mihi ostendere q̃ in fide perfectus es, credens omnia esse & bona & pura? ne mihi demonstra, sed sufficit cõscientia, adeoq̃ Deus cui hæc demonstras.

Beatus qui non iudicat seipsum in hoc quod probat.] Etiamsi homo non uideat, Satis est tibi ut beatus sis, & teipsum nõ condemnes, neq; conscientia tua te cõdemnet in re quam probasti, seu elegisti. Hęc aũt de solo ciborum proposito argumento intellige.

Qui autem discernit si manducauerit, damnatus est, quia nõ ex fide.] Qui ambigit, inquit, nec confidenter edit, condemnatus est. Quamobrem? Non quia immundus erat cibus, sed quia non credidit mundum esse, atq; attigit escam ceu immundam.

Cõscientia peccatũ arguit.

Omne autem quod non est ex fide, peccatũ est.] Cum enim non fuerit cõfisus, neq; crediderit purum esse cibum, sed gustarit ipsum praua conscientia, omnino peccauit.

Hanc coronidẽ in uulgata editione reperies in calce epistolæ.

Ei autem qui potest uos stabilire secundum Euangelium meum, & prædicationem Iesu Christi, iuxta reuelationem mysterij, temporibus æternis taciti, manifestati autem nunc per scripturas & prophetas, iuxta mandatum æterni Dei, ad obedientiam fidei in omnes gentes patefacti, soli sapienti Deo per Iesum Christum, cui gloria in secula, Amen.] Post adhortationem consueuit semper uotum & precationem addere, quod & hic Apostolus facit, pro imperfectioribus deprecans, nec sermone tantùm eruditus, uerumetiam diuinum auxiliũ adducens. Constructionis aũt consecutio est huiusmodi: Ei qui potest uos fulcire per Iesum Christũ, sit gloria in secula, Amẽ. Nã ᾧ articulus, id est, cui redundat. Repetitionis eñ causa est adsumptũ, q̃ sermonis ratio requireret. Ei qui potest uos tenues & concussos stabilire. quomodo? secundũ Euangeliũ meum, hoc

A hoc est, ut contineatis ea quæ doceo. Euangelium autem meum, ut Christi prædicatio, unum sunt: non nostra enim dogmata, sed illius leges sunt. Secundum reuelationem mysterij. Maximi honoris argumentum est, nos esse mysteriorũ participes, rei quidem olim prædefinitæ, manifestatæ aũt nunc per scripturas propheticas. Itaq; quid times tu imbecillis, ne à lege deficias carnes porcinas edens? En enim uniuersa scriptura mysteriorum hoc prædicat, indifferentem ciborum usum introducens, immò & secundum mandatum æterni Dei hoc contingit. Quare te non oportet reniti, sed credere & morem gerere, fides nanq; obedientia opus habet, non curiositate. Quinetiam omnes gentes ita credunt: omnibus enim innotuit. Quomodo igitur ipse legi dum inseruis? Soli autem sapienti Deo dixit, ad angelorum nostriq; differentiam, non filij, absit. Filius enim est sapientia patris. Ipsi sit gloria, qui manifestauit mysterium hoc, non legi, cui adhuc assides & adhæresc is ciborum discrimina obseruans. Quod ait, per Iesum Christum, potest ut suprà dictum est construi: Ei qui potest uos fulcire per Iesum Christum. Ipse nanq; gentibus mysterium patefecit, dum discipulos ablegauit emandauitq; ut docerent omneis gentes.

CAPVT XV.

DEbemus autem nos qui potentes sumus, infirmitates impotentiũ sustinere.] Post uotum adeoq; orationem rursus adhortatur, perfectiores placans, blandeq; alloquens, dum eos sibi adæquat, secũmue reputat, ac potentes seu fortes appellat. Non dixit autem simpliciter infirmos, sed infirmitates infirmorum siue impotentium, duplicata dictione, ut ad maiorem misericordiam eos pertrahat.

Et non nobis ipsis placere.] Simul atq; dixisset oportere nos sustinere, quî hoc fieri possit, edocet: nimirum, si non ea tantum quæ nostra sunt, quæramus.

Vnusquisq; uestrûm proximo placeat in bonum, ad ædificationes.] Id est, quod proximo placet, illud faciat, inseruiatq; fratri, sed ad bonum. Vt uerò ne dicat qui sibi per-
B fectus uidetur, En & ego ad bonum traho: adiecit, ad ædificationẽ. Nunc enim quod facis, etiam si bonum est, attamen quatenus non fit opportunè, ad dissolutionẽ destructionemq; est. Importuna enim increpatio haud ædificat. *Increpatio importuna nihil ædificat.*

Etenim Christus non sibi placuit, sed sicut scriptum est: Impropria improperantium tibi, ceciderunt super me.] Christum in mediũ producens, exemplum eum nobis statuit. Potuisset enim ipse conuitiorum & opprobriorum expers esse, neq; pati quę tulit, si uoluisset sibijpsi placere, hoc est, quod suum erat, quærere: uerùm noluit hoc, quinetiam crucem & adflictionem suscipiens, malam apud pleroscp existimationẽ sustinuit, infirmus esse iudicatus, & ueluti impostor & maleficus. Alios, inquit, seruauit, seipsum seruare non potest. Impropria itaq; improperantium tibi patri in ueteri Testamento, ceciderunt super me filium tuum, neq; quicquam noui contigit. *Psal. 68.* *Matt. 27.*

Quæcunq; autem præscripta sunt, ad nostram doctrinam præscripta sunt, ut per patientiam & consolationem scripturarũ, spem habeamus.] Hæc, inquit, præscripta sunt ut imitemur. Hinc autem & ad tentationum tolerantiam eos adhortatur, inquiens: Vt scripturis firmati, sustineamus, & sustinentes demonstremus in nobisipsis spem omnẽ uiuentem & stabilem. Qui enim sustinet & tolerat, futurorum bonorum spem habere uidetur, perinde ac tolerantiæ expers, à spe excidit.

Deus autem patientiæ & solatij det uobis idem sapere inter uos mutuò secundum Christum Iesum.] Demonstrat q; cũ scripturis Deus simul impertiat patientiã & consolationem. Hinc & Deũ ipsum patientiæ & consolationis nominat, ut qui dator sit harũ & author. Exoptat autem ab ipso dari ut idem inter se sentiant, hoc enim germanę charitatis est symbolum, perinde quempiã de proximo suo sentire, ac de semetipso. Quia uerò charitas etiam est secundum mundum, appositum, secundum Christum Iesum: hoc est, ut illa sentiatis & cogitetis, quæ placeant Christo Iesu. *Patiẽtiæ & consolationis Deus.*

Vt unanimiter uno ore glorificetis Deum, & patrem Domini nostri Iesu Christi.] Quid lucri est ex concordia & unanimi sententia? Glorificare non solum uno ore, uerumetiam una anima (hoc enim indicat unanimiter) Deum. Hic opus est distinctione, deinde ab alio initio legendum, Et patrem Domini nostri Iesu Christi. Sin & iunctim legatur, ut ipsius Christi & Deus sit & pater, nihil absurdi est. Deus nanq; Christi est secundum humanitatem, pater autem secundum diuinitatem. *Christi Deus & pater.*

Propter

Propter quod ſuſcipite uos inuicem ſicut & Chriſtus ſuſcepit nos, ad gloriam Dei.] Priorem adhortationem repetit, exemplum autem adducit Chriſtum, ut ſuſcipiamus nos mutuò: nam id ad gloriã Dei cedit. Nos enim uniri iunctoſq; eſſe maximè gloriſicat Deum. In hoc enim cognoſcent omnes q̃ tu me miſiſti, ſi fuerint unum: quemadmodum ſi diſſenſiones oriantur, in cauſa ſunt cur ei maledicatur. Nam Græci Chriſtianos animaduertentes inter ſe diſſentire, & ſeditiones agere, fidem accuſant. A

Ioan. 17.

Dico autem Chriſtum Ieſum miniſtrum fuiſſe circunciſionis propter ueritatẽ Dei, ad confirmandas promiſsiones patrũ.] Eidem capiti ſiue primariæ ſententiæ adhæret, cõmonſtrans q̃ nõ ſibi ipſe Chriſtus placuerit, cæterùm omnia potius noſtri cauſa aſſumpſerit: & perſuadens gentibus, ne attollantur aduerſum eos qui ex Iudæis crediderunt. Iudæi enim ob promiſsionem patribus factam ſalui facti ſunt, gentes autem ſola miſericordia, adeoq; clementia. Quod uerò ait, eſt huiuſmodi. Promiſsio erat ad Abrahamum, ſemen eius mundum in hæreditatem accepturum. Atqui omnes Abrahæ poſteri obnoxij facti ſunt pœnæ & culpæ, ut qui ſint tranſgreſsi legem, ac propterea indigni facti promiſsione. Venit itaq; Chriſtus, & impleuit legem, & alia ſuſcipiens, & circunciſionẽ. Legem igitur ſimul ac impleſſet, eſſetq; circũciſus, ſemẽ Abrahami factus, Dei iram diſſoluit, nosq; idoneos reddidit ut Dei promiſsionẽ acciperemus. Eam enim ob rem accepit circunciſionẽ, ut promiſsiones Dei ueras efficeret, non ut legem ſtatueret. Quid igitur ô Iudæe legi adhæres, ab eaq; pendes, qua eò periculi adductus es, ut ex promiſsionibus excideres?

Iudæorũ ſeruatio. Gentilium ſeruatio. *Gen. 22.* *Chriſtus cur circũciſus.*

Gentes autem ſuper miſericordia glorificarent Deum.] Iudæi ſanè promiſsionem habebant, etiamſi indigni eſſent: tu uerò qui ex gentibus es, ex ſola clementia es cõſeruatus: quare par eſt ut maximè glorifices Deum. Gloria autem Deo quòd uniti eſtis mutuò, quòd tu ſuſtineas & baiules infirmos.

Sicut ſcriptum eſt: Propterea confitebor tibi in gentibus, & nomini tuo cantabo. Et iterũ dicit, Lætamini gentes cum plebe eius. Et rurſus: Laudate Dominũ omnes gentes, & magnificate eũ omnes populi. Et rurſus Eſaias dicit: Erit radix Ieſſæ, & qui exurget regere gentes, in eũ gentes ſperabunt.] Hæc omnia teſtimonia protulit, ut oſtenderet gẽtes oportere uniri Iudæis, atq; idem ſentire. Et Iudæos quidem cõprimit, ne attollantur aduerſus gentes: nam prophetæ omnes eas uocabant. Rurſum gentibus perſuadet ne criſtas erigant, cum oſtendit eas multo plura debere Deo, quippe quę maiorem gratiam acceperint, cum enim populus non eſſent, populo Dei uniti ſunt. Quod uerò ait: Confitebor tibi in gentibus, ex perſona Chriſti dictum eſt, pro eo quod eſt, prædicabo te in gentibus ô pater. At erit radix Ieſſæ, accipiendũ eſt pro, ex radice Ieſſæ germinabit, qui exurget dominari in gentes, hoc eſt Chriſtus. B

Pſal. 17. *Deut. 2.* *Pſal. 116.* *Eſaiæ 11.*

Deus autem ſpei repleat uos omni gaudio & pace in credendo ut abundetis in ſpe, in uirtute ſpiritus ſancti.] Exoptat ipſis, ut omni lætitia repleantur Iudæi: nam obiurgati contriſtabantur: ac ut pace imbuantur credentes ex gentibus. Ii nanq; uidebantur eſſe infenſi ijs qui lege adhuc tenebantur, uel potius ut utriq; utroq; repleãtur, gaudio ſcilicet & pace. Qua ratione itaq; iſtud eueniet? Credendo. Fides autem ad quid nobis cõmodat? ut exuberemus in ſpe. Qui enim fide apprehendit futura bona, nec præſentibus cõmouetur aut moleſtè afficitur, hic ſanè ſpe abundat, nimirũ quæ uentura ſunt, expectans, omniaq; temporaria mala aut aduerſa ſufferens. Ecquid porrò ſpes nobis confert? ut obtineamus uirtutem ſpiritus, quæ ſpem noſtram fortiorem potentioremq; efficiet. Ipſa enim ſpes ſpiritus potentiam & uirtutem nobis conciliat: & contrà à ſpiritu ſancto in nobis fortior redditur.

Iudæorum ac Gentilitũ odium. *Fidei utilitas.* *Spei utilitas.*

Perſuaſum autẽ habeo fratres mei & ipſe ego de uobis, q̃ & ipſi pleni eſtis bonitate, repleti omni ſcientia, ut qui poſsitis & alios admonere.] Quia ſæpe aſperiore ſermone uſus eſt, deinceps mitigat eundem. Nec dixit, audiui, ſed perſuaſum habeo, hoc eſt, certior ſum factus & ipſe ego, qui uos obiurgaui, qui accuſaui, q̃ referti eſtis bonitate, id eſt, benigna mente, fraterna charitate inflãmata. Vel uniuerſam uirtutem ἀγαθωσύνην, hoc eſt, bonitatem, appellat. Nec ait, habetis bonitatem, ſed referti eſtis bonitate. Ac enim quia nihil planè commodat habere quidem bonitatem, nec interim nouiſſe quid iſthac ſit utendum, eam obrationem adiecit omni cognitione, quippe qui poſsitis & alios admonere, non ſolum quidem ipſi diſcere, ſed potius alios etiam docere. C

ἀγαθο-σύνη.

Auden-

A Audentius aũt ſcripſi uobis fratres ex parte ueluti commonefaciens uos.] Clariſsimi maximaq; dignitate cõſpicui erant Romani, ſummaq; potentia, ac multo faſtu turgebãt. Eam ob rem eos lenit & mitigat, dum ait, Auſus ſum. omnino enim eos per hoc uerbum conſtringit. Neq; eo contentus eſt, ſed addidit, ex parte, hoc eſt placidè, & paucis: non ueluti docens, ſed tanquã in memoriã redigens, hoc eſt paululum admonens.

Propter gratiam Dei, quæ mihi data eſt à Deo, ut eſſem ego miniſter Ieſu Chriſti inter gentes, ſanctificans Euangelium Dei.] Humiliorem modeſtioremue ſermonem ſuum faciens, Non mihi ipſe, inquit, honorẽ rapui, ſed Deus hoc iniunxit mihi, ad hoc ipſum me ſegregato: nõ q; dignus eſſem, uerùm quia mei miſertus, gratiam mihi ſuam impertierit. Quo uerò mihi gratia collata eſt: Eò nimirũ, ut eſſem miniſter ac ſacerdos Euangelij. Ne igitur cõqueramini, ſi ad uos ſermonẽ dirigam. Ipſum enim ſacerdotũ & functio mea eſt, prædicare Euangelium. Cultellum habeo ſermonem, uictima eſtis uos. Quis aũt accuſauerit ſacerdotem cultellum admouentem ad uictimam deſtinatis? *Sacerdotũ munus prædicare Euãgelium.*

Vt fiat oblatio gentiũ accepta, ſanctificata in ſpiritu ſancto.] Non ut ego, inquit, glorificer, ideo uobis ego ſcripſi, ſed ut & uos cum alijs ſeruemini. Hunc ad modum enim inquit: Vt fiat oblatio gentium prorſus acceptabilis, tanquã omnibus Deo fructificantibus. Sanctificata in ſpiritu ſancto, hoc eſt, ſpirituali uita. non enim ſola fides ſanctificat, ſed & uita. Simulac enim credidimus & baptizati ſumus, accipimus ſpiritum. Enimuero niſi uita acceſſerit ſpiritu digna, gratia ſpiritus extinguitur. Deijcit autem cogitationes & elationem Romanorum, ut ne uidelicet dedignentur eum admittere doctorem: qui omnes gentes Deo adducat. *Fides non ſola ſanctificat.*

Habeo igitur gloriationẽ in Chriſto Ieſu, in ijs quæ ad Deum attinent.] Vbi uehementer ſeſe humiliaſſet, iam rurſus ſermonem attollit, ne contemptus planè uideatur, aitq; Gloriationem habeo non in meipſo, neq; in meo conatu, ſed in gratia Ieſu Chriſti. Sed quibus in rebus glorior? In ijs quæ ad Deum attinent: hoc eſt non in rebus uul
B garibus, ſiue fortuitis, ſed in ſpiritualibus.

Non enim audeo loqui aliquid eorũ quæ non effecit Chriſtus per me ad obedientiã gentium uerbo & opere, in uirtute ſignorũ & prodigiorũ, in uirtute ſpiritus Dei.] Cũ dixiſſet, miniſter ſum Euangelij, ad omnes gentes, adijcit, Non ſum arrogans. nec arroganter iacto quicquã eorum quæ non feci: immò nõ ego feci, ſed Chriſtus in me effecit, me inſtrumento uſus. Siue enim quicquã loquar de cœleſtibus diſſerens ac philoſophans, ſiue operer diuinã politiam & gubernationẽ exorſus, aut miracula etiam perficiẽs, omnia ſunt Chriſti. Differũt aũt ſignum & prodigiũ. Signũ enim dicitur de ijs quę ſecundũ naturã fiunt, nouo tamẽ modo quodã, ut Petri ſocrũ repẽtè curare febricitantem. Hîc enim febrim curari, ſecundum naturã eſt: tum uerò noua quadã ratione contigit, nempe adeò celeriter ſimulatq; attigiſſet. Prodigiũ uerò ad ea pertinet quæ non ſunt ſecundũ naturã, ueluti eum qui natura cæcus ſit, ſanitati reſtitui. Quia uerò haud raro ſigna & prodigia per dæmones etiam fiant, adiecit, In uirtute ſpiritus Dei. Monſtrat aũt etiam hîc ſpiritus Dei authoritatẽ & dignitatem, quandoquidem tantũ poſſit. *Signum & prodigium differunt. Matth. 8.* *Ioan. 9.*

Ita ut ab Hieruſalem & per circuitum uſq; ad Illyricum impleuerim Euangelium Chriſti.] Vis, inquit, demonſtrationem accipere eorum quæ dico? Ecce diſcipulorum meorũ multitudinem: ab Hieroſolymis enim uſq; ad Illyricum, quæ ſunt extremæ partes eius quæ nunc Bulgaria nominatur. Nõ dixit autem, prædicaui, ſed impleui Euangelium, ut oſtendat quòd ſermo ipſi non inefficax fuerit, ſed perfectus. Ne uerò cum audis ab Hieruſalem ad Illyricum uſq;, exiſtimes quòd rectà per publicam uiam ſit profectus: & per circuitũ, adijcit. Nam & quæ ad Aquilonem & ad Auſtrum ſunt gentes, prædicando pertranſij & acceſsi. *Illyricum, confinium Bulgariæ.*

Sic uerò annitens prædicare Euangelium, non ubi nominatus eſſet Chriſtus, ut ne ſuper alienum fundamentũ ædificarẽ.] Non ſolum tot tantisq; prædicaui Euangeliũ, illisq; perſuaſi, uerùm neq; omnino ad homines qui Chriſti nomẽ audierant, abij: tantum abeſt ut me aliorum diſcipulis uel ingeram, uel gloriæ cauſa hoc agam. Proinde neq; hæc ſcripſi uobis ceu gloriam à uobis expetens, cæterùm tanquam miniſterium implens. Alienum autem fundamentum, Apoſtolorum doctrinam uocat: non q; alieni fuerint, aut alia à Paulo prædicauerint, ſed mercedis ratione. Merces enim quæ debebatur eis qui apud illos laboraſſent, aliena erat, non ad Paulum pertinens.

Esaiæ 52. Sed quemadmodũ ſcriptũ eſt: Quibus nõ annunciatũ eſt de eo, uidebunt: & qui nõ audierunt, intelligẽt.] Prophetiã iſtam hic impletã oſtendit. Ingens aũt labor eſt & ſudor, ſiquando maximè rudes quisq; inſtituere uelit, ad quod ſanè & Paulus accurrebat. A

Rudiũ inſtitutio difficilis.

Propter quod impediebar ſæpe uenire ad uos.] In epiſtolæ huius principio, prohibitus ſum, inquit, hactenus: hîc aũt & cauſam cur ſit prohibitus, reddit: Quia, inquit quoquouerſum circuncurſabam prædicando uerbũ, ideo ſæpe impediebar: hoc eſt, quanquam ſæpenumero conarer ac tentarem, maximeq; uenire expeterem, ſemper tamen impediebar.

Nunc uerò ulterius locum non habens in his regionibus, cupiditatem aũt habens ueniendi ad uos iam inde à multis annis, ut ſi in Hiſpaniam proficiſcar ueniã ad uos, & à uobis deducar illuc, ſi uobis primùm ex parte fuero expletus.] Impediebar, inquit, quòd uellem ego promulgare uerbum. Nunc uerò poſtq; nihil porrò mihi reſtat tranſgendum in locis hiſce, ſcribo uobis, & ueniã ad uos, non propter aliud quiddã, ueluti ob gloriæ cupiditatẽ. Deinde ut ne dicant ei, Quia nihil aliud iſtic operis tibi reſtabat, nos iam ceu ſuperuacaneos, nulloq; numero dignos æſtimas: ſubinfert, Cũ deſideraſſem iam inde à multis annis ad uos proficiſci, deſideriũ cupiditatemq; hanc explere feſtino. Ne uerò rurſus inflent ac turgeſcant, quippe quia is eorũ deſiderio teneat, eóſue expetat ceu alijs gentibus maiores & præſtantiores: ſubdit, Cum proficiſcar in Hiſpaniam, ueniã ad uos. Vt uerò non iterũ dicant, Profectionis tuæ auctoriũ adeoq; ſuperuacaneam rem nos facis: Et à uobis, inquit, deducar illuc, hoc eſt, uos ipſi cõſpicati charitatem urgentem me ad Hiſpanos proficiſci, deducturi eſtis me. Quare non ex contemptu, ſed neceſſariò uos adibo. Quia uerò hos adhuc mœrore adficiebat, maiorem nunc illis conſolationis curam adhibet, inquiens: Si prius uobis ſine ueſtra conſuetudine expletus fuero ex parte. Indicat aũt amare ſe charitatẽ illorũ, idq; uehementer: eam ob rem non dixit, uidero, ſed expletus fuero, parentũ uerba imitans. Ex parte aũt dixit, hoc eſt, nullum me tempus expleri poteſt, neq; cõciliare mihi ſaturitatem colloquij & cõuerſationis ueſtræ. Boni itaq; conſulã ſi aliqua ex parte ueſtra cõſuetudine explear. B

Pauli in Romanos benevolentia.

Nunc autem proficiſcor Hieroſolyma, miniſtrãs ſanctis. Placuit enim Macedoniæ & Achaiæ communicationem quandam facere in pauperes ſanctos qui ſunt in Hieruſalem.] Promiſit ſuprà ſe ad Romanos acceſſurum. At cum cunctaturus eſſet, ne uideretur eos irridere, cauſam hîc more ſuæ ac tardationis exponit: quoniam, inquit, iter inſtituo iam in Hieruſalem, miniſtrans ſanctis. Non dixit autem, eleemoſynã mecum aſportans, ſed miniſtrans, ut diſcamus quanta ſit res, & à quo fiat, & quàm ardua. Per hoc autem Romanos etiam ad eleemoſynam hortatur. Cum enim ait, Placuit Macedoniæ & Achaiæ, & quæ ſequuntur: zelum & prouocationẽ illis parit, ut hoſce imitentur. Ηυδόκησαν, eſt pro ἐβούλησαν. Viſum eſt, id eſt uoluerunt, placuit eis, bonũ cenſuerunt mittere cõmunicationem aliquam. Vbiq; aũt cõmunicationem & eleemoſynam, uocat quæ utpote cõmune lucrũ complectatur dantium & accipientiũ. Quandam aũt dixit, pro exiguam, ut ne uideatur Romanis obijcere q & parci ſint, & contributionis adeoq; miſerationis expertes. Pauperes porrò ſanctos dixit, hoc eſt, fideles. Ita ut duplici ratione miſeratione digni ſint, primùm paupertatis, deinde uerò uirtutis nomine.

Pauperes ſancti.

Placuit enim eis, & debitores ſunt illorum. Nam ſi ſpiritualium eorum participes facti ſunt gentiles, debent & in carnalibus miniſtrare eis.] Nihil nouum, inquit, ſi uoluerunt communicare ſanctis, & nonnihil impertiri: debitores enim illorum ſunt. Equa iſthuc ratione? Ex Iudæis erat Chriſtus, propter ipſos uenerat: ab illis etiã Apoſtoli, & prophetę, adeoq; omnia bona. Horum igitur omnium particeps factus eſt uniuerſus terrarum orbis. Proinde rurſum gentes non immeritò debent illis nonnihil carnalium bonorum impertiri & cõmunicare. Cõſimili ratione & uos Romani. Non dixit aũt cõmunicare, ſed miniſtrare, in ordine enim miniſtrorũ eos collocauit. Nec dixit, in carnalibus ſuis. Spiritualia enim Iudæorũ eſſe teſtatus eſt, carnalia nõ porrò gentiũ: pecuniæ nanq; & facultates omnibus ſunt cõmunes, nec ad poſſeſſores tantũ pertinent.

Iudæis gentes debent.

Pecuniæ nõ ad poſſeſſores tantum pertinent.

Hoc igitur ubi perfecero, atq; obſignauero illis fructum hunc.] Id eſt, ſimulac ceu in regia promptuaria depoſuero ueluti in aſylo & loco tuto: huiuſmodi enim ſunt quæ obſignãtur. Fructum autem appellat, oſtendens per hoc eos qui dant potius lucrari.

Proficiſcar per uos in Hiſpaniã.] Rurſus Hiſpaniæ mentionẽ facit, innuens neceſſariam

Proficiscar per uos in Hispaniã.] Rursus Hispaniæ mentionẽ facit, innuens necessariam sibi eò fuisse profectionem, quodq; nõ ueluti ipsos despiciens Romã prætereat.

Scio aũt q; ueniens ad uos, in plenitudine benedictionis Euangelij Christi ueniã.] Hoc est, uidebo uos omnibus Euangelicis bonis probatos. Plenitudinem nanq; benedictionis, omnia bona benedictione digna, hoc est, laude quæ est ex Euangelio, appellat. Potes autem & per benedictionem intelligere eleemosynam, ut sit sententia: Inueniam uos perfectos in eleemosyna, & humanitate. Hæc uerò dicit ipsos occupãs ut ea encomia reueriti dent operam, ut tales esse conspiciantur.

Obsecro autem uos per * dilectionem Domini nostri Iesu Christi, & per dilectionem spiritus.] Nusquam fide dignum sese ipse putat, sed mediatorem adiumit, perinde ac etiamnum Christum & spiritum. Patris sanè iam non meminit, ut discas quòd neq; quando patris solius mentionem fecerit, filium & spiritum reijciat. Dilectionem porrò spiritus dixit. Quemadmodũ enim pater & filius dilexit mundũ, sic & Spiritus.

* dilectionem hoc loco Chrysost. nõ haber, nec alij, sed per Dominũ, etc. quæ lectio uerior esse uidet

Vt adiuuetis me in orationibus pro me ad Deum.] Maxima animi deiectio, & summa est humiliatio, quòd ait indigere se horum precatione.

Vt liberer ab infidelibus qui sunt in Iudæa.] Non dixit, ut cum illis collidar seu confligier, & uincam eos, sed ut liberer, diuinam legem implens, quę orare iubet ne in tentationem incidamus: simul denuncians, q; sit necessarium plane ministrare illis qui in medio tot incredulorum degant (à quibus & ipse orat eripi exoptatq;) de quibus etiã periculum sit, ne fame labefactati pereant.

Matt. 26. Marc. 14. Luc. 22.

Vtq; ministeriũ meũ acceptabile fiat, beneq; gratũ sanctis.] Hoc est, ut cũ alacritate accipiãt quæ eis dantur. Hic uerò perspicuũ est, q; non sufficiat dare eleemosynam, ut accepta sit. Quando enim necessariò quispiam exhibet, quando ex iniuria, quando ad uanam gloriam, cuncta pereunt, atq; horum omnium fructus euanescit.

Vt cum gaudio ueniã ad uos per uoluntatẽ Dei.] Eam ob rem inquit, liberari opto, ut & citò uos uideam, & cum uoluptate, neq; ullam inde tristitiam contrahens.

Et refrigerer uobiscum.] Non dixit, & uos doceam atq; instituã, sed simul uobiscũ quiescam ac recreer: uos quidẽ per me recreemini doctrinæ gratia, ego uerò per uos, per fidei uestrę incrementũ. Monstrat autem per dictionem hanc, quòd certaminibus ac laboribus defessi cùm ipse tum Romani, indigeant refocillatione ac quiete.

Deus autem pacis sit cum omnibus uobis. Amen.] Vbiq; consuetudo est Apostolo, uotum adhortationi apponere seu precationem.

CAPVT XVI.

COmmendo autem uobis Phœben sororem nostram, quæ est in ministerio ecclesiæ quæ est Cenchris.] Quia hæc matrona epistolã hanc adferebat, ideo eam commendat ipsis. Peculiari autem hanc honore adficit, quòd primo loco mentionem eius faciat, & per hoc quòd sororem eam suam appellat, quæ ingens sanè est dignitas: & per hoc quòd ministram eam ecclesiæ demonstret.

Vt ipsam accipiatis in Domino, dignè sanctis.] Hoc est, ut propter Dominũ ipsam honoretis. Qui enim propter Dominum quempiam suscipit, etiam exiguum, ingenti honore dignatur. Sin uerò & sancta fuerit, multo magis honoranda: propterea adiecit, dignè sanctis, id est, quemadmodum conuenit sanctos suscipere.

Et assistatis ei in quocunq; negotio uestri indiguerit.] Hoc est, ut uestra ei offeratis, manumq; ei porrigatis. Non enim dixit, ut dimittatis ipsam.

Etenim ipsa astitit multis, & mihi ipsi.] Primùm cõmendauit, deinde mediã posuit adhortationem, pòst rursus encomia, utrinq; cingens ac muniens promotionẽ & progressum suum, ut perducat eos ad honorem eius fœminæ. Astitit enim multis, & mihi ipsi præconi terrarum orbis, qui talia tantaq; sum perpessus.

Salutate Priscam & Aquilam adiutores meos in Christo Iesu.] Cooperati sunt, inquit, mihi in uerbo doctrinæ, laborumq; & periculorum facti sunt participes. Nonnulli cooperarios hosce, tabernaculorum seu tapetium textores aut factores etiam eos intellexerunt.

Qui pro anima mea suam ipsorum ceruicem supposuerunt.] Neronis enim tempo- Act. 18.
ribus innumera pericula imminebant.

Quibus non ego solus gratias ago, uerumetiam omnes ecclesiæ gentium.] Hospi-

talitatem eorum hic adumbrat. Vt enim per adulationem hæc dicere uideatur, produ- A
cit etiam alios multos teſtes.

Et eccleſiam quæ eſt in domo ipſorum.] Adeò fuerunt illi probati, ut domum ſuam
Fideles ecclesia. omnẽ fide illuſtrarẽt, fideles enim eccleſiam nominauit. Quinetiã propter hoſpitalita-
tem hæc dicit. Vbi enim multa pietas eſt & uirtus, domus illa Eccleſia dicitur. Proinde
Matrimonium fidem nihil impedit. matrimonio iuncti hîc audiant, quòd matrimonij nomine ad uirtutẽ neq; impediantur, neq; lædantur.

Salutate Epænetum dilectum meum, qui eſt primitiæ Achaiæ in Chriſto.] Magnũ eſt quempiã eſſe Pauli dilectum, qui cum iudicio, non ad gratiam amare nouit. Primitias aũt ipſum appellat, uel q̃ primus credidit, principiũ & ingreſſus factus ad fidẽ uniuerſæ Achæorũ genti: uel q̃ maiorẽ præ cæteris pietatem cõmonſtrauerit. Hinc etiã dixit, qui eſt primitiæ in Chriſto, hoc eſt, nõ in mũdanis rebus, ſed in ijs quæ Chriſti ſunt.

Salutate Mariam quæ multum laborauit erga uos.] A ſudoribus & laboribus quos pro ueritate pertulit, mulierem ornat. Non tantùm enim, inquit, pro ſeipſa laborauit excubias agens, ſeu uigilans, humiq; iacens: uerumetiam, quod maius eſt, erga uos, & pro uobis ſolicita fuit, Apoſtolorum hoc pacto adimplens officium. Quî ergo dicit A-
1. Tim. 2. poſtolus, Mulieri docere non permitto? A uerbo doctrinæ eam non arcet, ſedenim à
1. Cor. 14. publico loco & à præſulatu in cõuentu, adeoq; à pulpito uel cathedra in tẽplo. Priuatã
Mulieri priuatim docere permittit Paulus. enim mulieris inſtitutionẽ omnino diuus Apoſtolus recipit & permittit. Hanc enim ad rationẽ & maritũ ſuum uxor, & liberos docet, ſic Priſca ipſum & Apollo inſtituit. Non dixit autem quòd multa docuerit, ſed laborauerit: ut oſtendat quòd per pecunias
Act. 18. ſuas laboranti eccleſiæ miniſtrarit, aliasq; per rationes.

Salutate Andronicũ & Iuniã cognatos meos & cõcaptiuos meos, qui ſunt nobiles in Apoſtolis, qui & ante me fuerunt in Chriſto.] Quòd cognati ſint Paulo, non tantũ eſt encomium, quantum eſt q̃ ſint concaptiui. Etenim grauiora captiuis patiebantur, dum agerentur hincinde & uaſtarentur. Porrò magnum eſt q̃ Apoſtoli ſint, præſertim B
cum Iunia ſit mulier. Multo uerò maius eſt, q̃ ſint nobiles, ſiue inſignes Apoſtoli. Porrò ab operibus ſuis inſignes ſunt facti. Non uerecundatur autem Paulus dicere ac fateri, qui ante me crediderũt Chriſto, commendans eos, quòd adeò præſtiterint atq; præripuerint bonum.

Salutate Ampliam dilectum meum in Domino.] Si à rege uel imperatore diligi magnũ eſt, quanto præclarius eſt à Paulo, qui uirtutis nomine, ac ſecundũ Deum diligit?

Et Vrbanum adiutorem noſtrum in Chriſto.] Maior hæc laus eſt priore, qua ille dilectus appellabatur: imò hæc eſt cauſa illius, & comprehenſoria. Nam qui eſt adiutor & cooperarius, eſt etiam dilectus.

Et Stachyn dilectum meum.] Hunc ijſdem præconijs uehit & ornat.

Salutate Apellem probatum in Chriſto.] Hoc eſt candidum, irreprehenſibilem in omnibus. Quidam dicunt quòd ad differentiam alterius cuiuſdam Apellis non probati iſtud dictum ſit.

Salutate eos qui ſunt ex Ariſtobuli familia.] Forſan non fuerunt ut priores, ideo & nomina eorum conticuit.

Salutate Herodionem cognatum meum. Salutate eos qui ſunt ex Narciſſi domo, qui ſunt in Domino.] Hoc eſt, fideles.

Salutate Tryphænam & Tryphoſan, quę laborant in Domino.] De Maria quidem ſuprà dicebat q̃ multum laborauerit, de his uerò ait q̃ adhuc laborent. Ingens autem laus eſt, quòd ſemper in opere perſeuerent & labore.

Salutate Perſidem dilectã, quæ multum laborauit in Domino.] Ideo maior eſt iſta, quòd non ſolum ſit dilecta, ſed quòd etiam plurimũ laborauerit. Ita quemlibet pro dignitate nominat, cùm ipſos alacriores reddens, tum alios ad æmulationem excitans.

Salutate Rufum electum in Domino, & matrem eius, & meam.] Duplex bonũ eſt, cùm q̃ filius ſit inculpatus, tum q̃ ipſa mater irreprehenſibilis. Non enim ſimpliciter dixiſſet, matrem ipſius & meam, niſi multam matronæ iſti uirtutem tribueret.

Salutate Aſyncritum, Phlegontem & Herman, Patroban, Hermen, & fratres qui cum ipſis ſunt.] Ne hoc intuearis, quòd ſine encomijs ipſos poſuit, ſed cum inferiores eſſent omnibus, non eſt tamen ſua dedignatus compellatione & ſalutatione:

immò

A ruerò non parum illis laudis tribuit, dum fratres eos nominauit.

Salutate Philologum & Iuliam, Nirea, & sororem ipsius, & Olympan, & qui cum ipsis sunt, sanctos omnes.] Ingens sanè præconiū eis accensetur, cum sanctos appellat.

Salutate uos inuicem in osculo sancto.] Ne contentiones & rixę orirentur, cum alij quidem sic, alij uerò alia ratione salutarentur: cumq; alij maioribus, alij uerò minoribus præconijs uterentur: commiscet hic eos, & iungit rursus sancto osculo: ut neq; maior adspernetur minorem, neq; minor inuideat potiori: quippe quia sanctum osculum omnia mitiget atq; adæquet. *Osculum sanctum.*

Salutant uos ecclesiæ Dei.] Non ipse tantum eos uniuit, & ad unitatem redegit, uerumetiā ab ecclesijs salutem illis transmittit, qua uniantur coniunganturq; in unum. In commune enim omnes, non hunc uel illum iam nominauit. Tot autem in hac epistola salutauit, quod in nulla alia fecit: quia nondum uiderat ipse Romanos. Quia uerò in urbem istam haud parum multi qui ipsi cogniti fuerāt, confugerant: nō immeritò nominatim mentionem illorum faciens, commendat eos per literas.

Rogo autem uos fratres, ut obseruetis eos qui dissensiones & offendicula præter doctrinā quam uos didicistis faciunt.] Rursus admonet, non ueluti consultor, sed supplicis instar, adeoq; haud exiguo cum honore: fratres enim eos appellat. Fraudulentiam autem calumniantium demonstrās, ait, obseruate, hoc est, inquirite in eos summa diligentia. Primùm aūt dissensiones sunt, postea scandala sequūtur. Tantisper enim dum corpus unitum fuerit, non possunt irrepere scandala, quæ sunt hæreses. Præter doctrinam, inquit, quam uos didicistis. Non dixit autem, Quam docuimus, sed, quam didicistis: anteuertens ita eos, ac monstrans iam persuasos esse, atq; recepisse doctrinæ Euangelicæ uerbum. Quocirca debent iam perdurare in ijs quæ acceperunt. Dissidia igitur & scandala seu hæreses, ab ijs qui præter apostolicam institutionem tradunt & nouant quædam, introducuntur. *Scādala nō irrepunt, quādiu corpus unitum est.*

B Declinate ab ipsis: huiusmodi enim Domino nostro Iesu Christo non seruiunt, sed suo ipsorum uentri.] Resilite, inquit, ab ipsis. Nam si hæc ex ignorantia uel errore facerent, par erat emendare: cum uerò scienter hæc flagitia committant, fugite. A' Iudæis autem prodeuntes clanculum notat, quos maximè ceu gulosos carpere solet Apostolus, uniuersum enim eorum genus est huiusmodi. Omnes porrò hæreses hinc nascuntur, nimirum quòd eorum authores affectibus suis & uentri inseruiant. Non pudet autem te, uentris seruos doctores tibi adsciscere, qui Christi frater es? Obserua hîc, quòd qui uentri inseruit, Christo non inseruit. *Hæresum ortus. Ventris studium damnat.*

Et per dulces sermones & benedictiones seducunt corda innocentium.] Insidiantur, inquit, per adulationes: id enim chrestologia & eulogia, id est, suauiloquētia & bona uerba, sibi uolunt: quippe quæ uerba sint amicitiæ, sententia autem fraudis plena est. Non dixit autem, Uos decipiunt, sed corda innocentium, hoc est, simpliciorum.

Uestra enim obedientia in omni loco diuulgata est. Gaudeo igitur in uobis.] Simpliciores inquit, inescant, non autem uos. Uestra enim obedientia, hoc est, persuasio, quæ est ex multa mansuetudine, ad omnes peruenit. Nec ego solus fidei huic uestræ testimonium perhibeo, cæterùm & uniuersus orbis. Gaudeo igitur in uobis, siue de uobis, ut qui non sitis decepti.

Volo autem uos sapientes quidem esse ad bonum, simplices uerò ad malum.] Obscurè indicat, nonnullis ex ipsis fuisse impositum. Palàm autem hîc idem cum Domino præcipit, cum ait: Estote prudentes ut serpentes, & simplices uelut columbæ. Vult enim sapientes quidem seu prouidos esse ad bonum, hoc est, ad propriam salutem & commoditatem: simplices autem ad malum, hoc est, ad malefaciendum alijs. simplex enim nemini nocet. *Matt. 10.*

Deus autem pacis conteret satanam sub pedibus uestris uelociter.] Quia dissidia erant, pacis eam ob rem datorem inuocat, ut scandala compescat, cessaréue faciat. Non dicit autem, Subijciet: sed quod multo uehementius est, Conteret: non ipsos duntaxat scandalorū authores, uerumenimuero principem ac ipsorum imperatorem satanam. Consolatur porrò illos à tempore, uelociter inquiens. At conteret, & uotum est & prophetia: in futurum enim tempus acclinatum est.

Gratia Domini nostri Iesu Christi uobiscum.] Gratiam Christi ad memoriam hîc

illis reuocauit, ut ab his quæ iam accepissent, alacriores ad credendum reddantur futura. Si enim eos cum essent inimici, seruauit, multo magis nunc conteret satanam. Vide autem quòd neq; opera sine uoto, neq; orationem aut uotum citra opera ponat. Cum enim obedientiam eis adesse testatus esset, adiecit uotum: subindicans nos non solùm olim, uerùm etiam nunc etsi probati simus, indigere Dei gratia. A

Salutat uos Timotheus adiutor meus.] Cooperabatur enim ipsi in Euangelio. Ingens autem encomium est, eadem cum diuo Paulo operari.

Iason. Et Lucius, & Iason, & Sosipater, cognati mei.] Iason iste in Apostolorũ actis celebratur, ut qui fortissimè extrema etiam pericula tum subierit, tum tolerauerit. Cognatos autem nedum secundum carnem, uerùm multo magis secundum pietatem nominat. Ni enim tales fuissent, nullam eorum fecisset mentionem.

Saluto uos ego Tertius, qui scripsi epistolam hanc.] Magnum sanè est, diui Pauli amanuensem esse. Hæc autem scribit, non ut seipsum commendet, cæterùm ut maiori dilectione ab ipsis adficiatur, ut qui operã suam impenderit literis ad ipsos scribendis.

Salutat uos Gaius hospes meus, ac totius ecclesiæ.] Hoc est, qui me hospitio excepit. Plurimũ porrò laudis est, quòd totam ecclesiam hospitio exceperit: adeoq; ipsum Paulum, qui non temerè apud illum diuertisset, nisi eum dignum inuenisset.

Salutat uos Erastus œconomus urbis, & Quartus frater.] Hoc est, prospector & gu-
Dignitas à fide non abarcet. bernator urbis Corinthi: ut animaduertas, neq; opes, neq; dignitatem quempiam arcere à fide uel à recta uita.

Gratia Domini nostri Iesu Christi cum omnibus uobis. Amen.] Fundamentum siue principium Epistolæ inde orsus est, inquiens, Gratia uobis & pax: porrò iam nunc fastigium seu finem ex ipsa imponit, gratiam Dei cunctis nunquam non adesse imprecans. Hoc enim fidelis est præceptoris, non uerbo solùm, uerumetiam oratione com-
Act. 6. modare discipulis. Propterea etiam dicebant: Nos autem oratione & ministerio uerbi instantes erimus. Ipsa proinde gratia nos custodiat, qui non speramus ex operibus B
salutis locum inuenire, cæterùm prorsus in diuinam gratiam & misericordiã fiduciam collocamus, ut ita per ipsam superiores euadamus, satanæ laqueis contritis sub pedibus nostris in Christo Iesu, cui gloria in secula. Amen.

Missa est è Corintho per Phœben Cenchreensis ecclesiæ ministram.

IN PRIOREM DIVI PAVLI APOSTOLI AD Corinthios epistolam, Theophylacti ARGVMENTVM.

Corinthus opum exuberantia, & sapientia superbiens credidit quidem Christo, uerùm post fidem acceptam periclitabatur ne à Christo excideret. Siquidem opulenti proprias classes & ordines fecerant, sapientes item proprias, sibiq; ipsi doctores eligentes, diuum Paulum ceu pauperem & plebeium calumniabantur. Præterea quaspiam inter ipsos cũ nouerca sua rem habuerat. Tum idolis immolata nonnulli edebant pro gastrimargia sua. Deinde in causis ciuilibus facultatum & possessionum nomine apud Græcos, hoc est, infideles iudices, contendebant, & iudicabantur. Comam item uiri nutriebant, & in ecclesijs manducabant, nihil quicquam impertientes indigentibus. Charismatum insuper seu donorum nomine inflabantur. Insuper resurrectionis ratio & fides apud ipsos claudicabat. Hanc uerò ad modum ab externa sua sapientia nutabant. Ista enim: ijs qui tota ab ea pendent, eiq; omnia cõmittunt, omnũ malorum mater est. Scribit itaq; diuus Paulus urbi, hæc omnia corrigẽs. Quia uerò omnibus cæteris maius erat, dissensiones & sectas esse in ecclesia, hæ uerò ex fastu eorũ nascebantur, fastũ istum atq; adeò arrogantiã primùm è medio tollit. Ex ea enim, arrogantia dico, altiora sese docere arbitrabantur: eam ob rem & hanc ad rationem initium ducit.

PRIMAE AD CORINTHIOS CAPVT I.

Actuum 9 1. Cor. 15. PAVLVS uocatus Apostolus.] Hoc est, non ipse meritus sum apostolatum, neq; propria sapientia apprehendi: sed enim cum prius essem planè uastator ac expugnator, postea uocatus sum. Quomodo igitur uos per uos electi estis doctores?

Iesu Christi.] Christus est doctor ac præceptor: quomodo igitur uobis ipsis homines accensetis & adscribitis?

Per uoluntatẽ Dei.] Non quia nos fuerimus digni, sed quia uoluit Deus, ideo nos seruauit & uocauit. Itaq; etiamnum uult me Apostolum & doctorem uestrum esse, ecqua

A qua ratione uos alios uultis habere doctores? quod cum molimini, Deo resistitis. Nota autem hanc dictionem Per, patri appositam. *Præpositio per etiã patri appositã, cõtra Arrianos.*

Et Sosthenes frater.] Per insignem modestiam se ipse Sostheni cõiungit, idq; ad uerecundiam fastuosorum ac turgidorũ Corinthiorũ, qui neminem non adspernabant.

Ecclesiæ Dei quæ est Corinthi.] Non huius uel illius, sed Dei: ecquid igitur homines habetis præsides? Quòd si ecclesia estis, omnino uos unitos esse oportet. Nam ecclesiæ nomen coniunctionis & coadunationis est declaratiuum. *Ecclesia.*

Sanctificatis in Christo Iesu.] Nõ in homine quopiam, sed in Christo Iesu sanctificati estis: per baptisma uidelicet, non per sapientiam aut opes, quarũ causa cristas erigitis.

Vocatis sanctis.] Ipsum (inquit) etiam credere non est uestrum, sed à Deo uocati obedijstis, atq; credidistis. Proinde & fides principium à Deo habet, nisi enim ille uocasset, uos certè non obedijssetis. *Fides, à Deo est.*

Cum omnibus qui inuocant nomen Domini nostri Iesu Christi.] Non solis, inquit, uobis Corinthijs gratia sit & pax, sed omnibus etiam inuocantibus nomen Christi, non huius uel illius.

In omni loco, nostro & ipsorum.] Fidelium ubiuis gentium agentium meminit, uti demonstret q; una ecclesia sint omnes fideles, ubicunq; etiam fuerint. Ecquid uos unam incolentes urbem, diuisi estis? Iterum iam, nostrum, adiecit. Cum enim dixisset, Domini nostri Iesu Christi, interposito in medium, in omni loco, rursum repetijt ac dixit, nostri Domini & ipsorum, ut commonstret communem esse cunctis fidelibus Dominũ Christum. Sunt qui ut uerba iacent, intelligant, in omni loco nostro & ipsorum, hoc est, in quo & nos & illi sumus. *Fideles simul omnes, ecclesia.*

Gratia uobis & pax à Deo patre nostro, & Domino Iesu Christo.] A Deo gratia & pax est, etiam prius, cum inimici essemus Dei, per gratiam ipsius pacem adepti sumus. Perpetuò autem hæc uobis adesse opto diuinitùs, ut neq; à gratia eius excidatis, neq; à
B pace, tanquam inter uos mutuò dissidentes. Ecquid igitur hominibus uos adplicatis, cũ gratiam, tum beneuolentiam apud illos inquirentes ceu doctores uestros?

Gratias ago.] Gratos nos esse docet, idq; in omni prorsus epistola. Opportunius autem nunc gratiarum actione usus est. Gratiarum enim actio propter gratiam fit: gratia aũt nõ est debitũ, neq; cõpensatio. Atq; hoc Corinthiorũ & cristas & fastũ deprimit. *Gratiarum actio.*

Deo meo.] Ex multa & immensa dilectione, Deũ omnibus communem, proprium sibi uendicat.

Semper pro uobis super gratia Dei.] Erudit per hoc Corinthios, ut ipsi referãt quicquid boni habent, acceptum Deo, non proprijs operibus aut uiribus. Super gratia, inquit, Dei, uel prõpter, non ob uestra opera.

Quæ data est uobis in Christo Iesu.] Hoc est, per Christum Iesum, non per hunc uel alium quempiam. Quid ergo hominibus mentem adhibetis?

Quia in omnibus diuites facti estis in illo.] In illo rursum est, pro Per illum. Cum igitur opes uobis adsint, ac Dei opes, idq; omni re, ac per unigenitum Dei filium: qua quę so fronte uos ingrati, homines uobis ipsis in doctores & præceptores adscisc itis?

In omni sermone & omni cognitione.] Potest etiam sermo quispiam citra cognitionem esse seu notitiam, ut si quis uana absque cogitationibus & intellectu effutiat. Est & cognitio sine sermone, ut si quis sublimia intelligat, uerbo autem uel sermone non possit explicare. Vos autem & uerbum habetis, & notitiam diuinam, ut & intelligere & proloqui possitis. *Sermo sine cognitione, & contrà.*

Secundum quod testimoniũ Christi confirmatũ est in uobis.] Secundum quod, est pro Per quæ. Per uerbum, inquit, & notitiam in quibus ditati estis, stabilitum est in uobis testimonium, id est, prædicatio Christi. Non enim per externam adeoq; mundanam sapientiam accepistis prædicationem, sed per signa atq; dona, quibus donati estis.

Ita ut uobis nihil desit in ullo dono.] Si in donis nihil illis deerat, quomodo in procursu carnales eos uocat? proinde dicendum est q; neq; omnes fuerint spirituales, neq; omnes carnales. Quare quæ nunc dicit, ad spirituales dicit, alia uerò ad carnis affectibus deditos. Vel quòd uerisimile sit eos principio omnis generis charismata consecutos, deinceps autem ad socordiam relapsos, secundum carnis suasum uixisse.

Expectantibus reuelationem Domini nostri Iesu Christi.] In trepidationem

eos hîc conijcit, ſecundi aduentus Chriſti mentione facta. Nam ſi Chriſtus reuelãdus A
eſt, quomodo uos alios præſides & præceptores habetis? Innuit autem pariter, quòd ad accepta chariſmata ſeu dona, alijs etiam uirtutibus indigeãt. In illa enim die nihil qc quam dona quenquam iuuabunt, niſi uita Chriſtiano digna adfuerit. Reuelationem porrò dicens, indicat q hodieq; adſit quidem, abditus tamen ſit, tum autem reuelabit.

Qui & confirmabit uos uſq; in finẽ ſine crimine in die Domini noſtri Ieſu Chriſti.] Cum dicit Confirmabit, oſtendit eos nõnihil cõcuſſos: & cum ait, Sine crimine, ſignifi cat eos iam criminibus obnoxios. Ad hæc cũ ſæpius meminit Domini noſtri Ieſu Chri
Chriſtiani à ſolo Chriſto dicti. ſti, quoties ne in ulla quidem alia epiſtola, reuocat Corinthijs ad memoriam, per quem ſint æternùm conſeruati, & cuius nomine uocentur Chriſtiani: nimirum à Chriſto, non ab alio quopiam humano nomine.

Fidelis Deus, per quem uocati eſtis in ſocietatem filij ipſius Ieſu Chriſti Domini no ſtri.] Hoc eſt, uerus Deus. Quòd ſi uerus, uocauitq; nos in ſocietatem filij ſui, hoc eſt, ut ſimul nos glorificet cum filio in regno ſuo: perſpicuũ ergo eſt quòd implebit quæ pro miſit. Vocati autem eſtis, non uos ipſi per uos ipſos acceſſiſtis. Quomodo igitur ſuper bitis ceu de proprijs ueſtris operibus? Obſerua hîc apertè palàm, per quem, de patre accipiendum.

Obſecro autem uos fratres per nomen Domini noſtri Ieſu Chriſti.] Quia illis acer bius eſt uerba facturus, anteuertens, obſecrare ſe illos dicit per nomen Chriſti, hoc eſt, ego ad obſecrationem ſiuè obteſtationem non ſufficio, hinc nomen Domini ſimul ad ſumo, à quo uocamini quidem Chriſtiani. At uos iniuria iſthuc adficientes, maluiſtis ab hominibus uocari. hoc igitur iamnunc uos malè habeat, & pudore afficiat.

Sectarum mala. Vt idem dicatis omnes, & non ſint inter uos ſchiſmata.] Quid eſt quod obteſtor? ut modeſti, inquit, ſitis omnes, & non diſcindamini. Quod enim ſcinditur, uidetur pro uno multa fieri, cum tamen multa haudquaquam facta ſint. Quæ enim cõmoditas mul torum mutilorum unitatem perdentium? Significantiſſimè igitur ſchiſmata appellauit B
ea quę apud ipſos fiunt. Indicat enim palàm hac dictione, quàm miſerè Corinthiorum res habuerint.

Sitis autem compacti in eadem mente, & eadem ſententia.] Quia ſuprà dixerat, Vt i dem dicatis: ut ne exiſtiment penes uerba tantum concordiam & unanimitatem eſſe, ſubdit, Eadem mente, hoc eſt, ut eodem affectu imbuamini, idem ſentiatis. Quoniam autem plerique in opere quidẽ hoc conſentiunt, in illo uerò minimè, adiecit propterea compacti, hoc eſt, perfecti.

In omnibus rebus idem ſentiẽtes.] Multi ſanè cogitatione quidem & intellectu uni ti ſunt, ſententia uerò diſſident. Nam ſi eandem quidem fidem habeamus, non copule mur autem per charitatem, eadem quidem intelligimus, diſſentimus tamen ſententia. Ideo cum dixiſſet, Eadem mente, appoſuit, & eadem ſentẽtia: ut neq; ſecundum fidem neq; ſecundum ſententiam diſſideant.

Significatum eſt enim mihi de uobis fratres ab his qui ſunt Chloes.] Ne inficias eãt, teſtes producit: & ut ne uideatur ipſe fingere, nomine exprimit, Chloes uidelicet fami
Fraternitatem peccatum non diruit. liã. Fuit aũt Corinthi domus ſiue familia quę nominabaẽ Chloes. Fratres aũt adhuc eos appellat. Etiã ſi enim peccatũ eorũ perſpicuũ fuerit, nihil tamen prohibet eos fratres ad huc appellare. Nõ dixit autem palàm quinã fuerint qui hoc ſignificarint, ſed totam do mum omnino poſuit, ut ne hos illis infenſos reddat.

Quòd contentiones ſint inter uos.] Denunciaturus quænam ab indicantibus audi uerit, lites uel contentiones dixit, manſuetiore dictione uſus. Quando uerò ex propria perſona loquitur, ſchiſmata adpellat, quod multo peius eſt lite.

Dico autem hoc, quod quilibet ueſtrũ ait, Ego quidẽ ſum Pauli, ego uerò Apollo.] Non pars, inquit, ueſtrûm hæc loquitur, ſed quilibet ueſtrûm. Non hunc autem planè ad modum illi loquebantur, uerùm Apoſtolus ita ſermonem eorum adducit, ut oſten dat, ſi dicere ſe eſſe uel Pauli uel Cephæ, culpæ ſit obnoxium: multo magis aliorum de nominibus uel miniſterio gloriari, reprehenſionem meretur, nec uacat crimine.

Ego autem Cephæ.] Non ut ſeipſum pręferat, Petrum poſteriorem poſuit, ſed illum potius ſibi anteponens: perinde ac Chriſtum iam poſteriore loco poſuit. In rebus enim tactu indignis, primùm ſuæ ipſius perſonæ meminit.

Ego

A Ego autem Christi.] Non hoc reprehendit quòd dicant, Ego sum Christi, sed quòd non omnes hoc dicant. Imò à seipso potius hoc posuit, uolens ita accusationem grauiorem constituere, atq; ostendere Christum quoque in partem unam datum, etsi illi hoc non faciebant.

Diuisus est Christus?) Dissecuistis Christū? diuisistis eius corpus? Indignationis autem plena est oratio. Sunt qui, Diuisus est Christus, sic intellexerūt, Partitus est ne Christus apud homines ecclesiam, ut adeò partem ipse sibi acceperit, partem uerò alteram illis dederit?

Num Paulus crucifixus est pro uobis?) Tollit quod apud Corinthios absurdū accidebat, propriq; nominis meminit, ut ne uideatur ex inuidia alienorum nominū mentionem fecisse. Non dixit autem, Nūquid Paulus finxit seu creauit uos? sedenim quod multo maius est, inexplicabilem eius clementiam indicans, crucem in medium depromit. Nec dixit, Nunquid Paulus mortuus est? sed crucifixus, mortis contumeliam, ut existimabatur, demonstrans.

Aut in nomine Pauli baptizati estis?] Baptizaui, inquit, & ego non paucos, sed in Christi nomine. Id uerò ait, quandoquidem & ea schismatis erat causa, nempe quòd à baptizantibus nomenclaturam sibi usurpabant, deq; ijs gloriabantur. Atqui non hoc quæritur, quisnam fuerit qui baptismate tinxerit, cæterum in cuius nomine baptizet. Is enim peccata remittit, non qui baptizat. *Non qui baptizat, peccata remittit. sed in cuius nomē is baptizat.*

Gratias ago deo, quòd neminem uestrūm baptizauerim, nisi Crispum & Gaium.] Quid, inquit, baptizatoris nomine adeò superbitis, cum ego potius gratias agā Deo, quòd ego uos baptismate non tinxerim? Hæc autem ait, baptismatis authoritatem haudquaquam imminuens, uel tollens, sed illorum arrogantiam & ostentationem tollens, quam hac in re habebant. Siquidem baptisma res magna est: baptizare autem, respectu personæ operantis non perinde magnum.

B Vt ne quis dicat, quòd in meo nomine baptizauerim.] Nō q de illis hoc diceret: At metuo, inquit, ne usq; eò progrediatur morbus. Si enim infimis hominibus baptizantibus emerserunt hæreses, forsan me præcone & apostolo baptizāte, uerisimile esset fore, ut aliqui conspirarent, & meum baptisma celebrarent.

Baptizaui aūt & Stephanæ domū.] Magnus hic fuit Corinthi, necnō celeberrimus.

Cæterùm nescio si quem alium baptizauerim.] Adeò, inquit, non sum solicitus circa baptisma, ut ne meminerim quidem num alium baptizauerim. Cur ergo eam ob rem efferimini aut cristas erigitis?

Non enim misit me Christus baptizare, sed euangelizare.] Nam laboriosius erat, atq; animo ferreo planè egebat, Euangelium annunciare. Hominis enim sententiam mutare, atq; à patrū traditionibus, & maiorū suorum dogmatibus eum abducere, idq; in magnis periculis, magno profectò animo & strenuo opus habet. Assumere aūt persuasum & ad baptisma paratum, eumq; baptizare, cuiuslibet fuerit sacerdotium habentis. Ecqui omnino baptizare potuit Paulus, nisi ad hoc missus fuisset? Atqui non est ad hoc missus primùm & præcipuè. Atenim neq; prohibitum ei hoc fuit ne faceret: ad maiorem quidem functionem missus est, non fuit tamen ei inhibitum ne id quod minus esset, perficeret. *Euāgelij annūciationis difficultas.*

Non in sapientia uerbi, ut non euacuetur crux Christi.] Sublato supercilio eorū qui baptismatis nomine cristas erexerant, ad eos nunc transit, qui externa sapientia efferebantur: quoniā, inquiens, misit me Euangelium prædicare, non in sapientia uerbi, hoc est, in eloquentia, sermonisq; cùm elegātia, tum uenustate, ut ne noxam patiatur & imminutionem crux. Hoc enim est quod ait, euacuetur, id est, uacua, inanis, & inutilis inueniatur. Si enim in sapientia uerbi Apostoli prædicassent, potuissent quidam dicere, quòd orationis persuasibilitate & ornatu persuasissent hominibus, non uirtute prædicatarū rerū. Id uerò in inanitatē & noxā, adeoq; contumeliā crucifixi cessisset. Iam uerò in simplicitate sermonis promulgantes uerbū, crucifixi potentiā ostendūt, quæ cuncta perficit: atq; aliter item euacuat crux. Exēpli gratia, Interrogat me Græcus siue gētilis de diuinis quibusdā rebus humani ingenij captū exuperantibus. Hic si incipiā per syllogismos & externā ista sapientiā cōmonstrare, nihil efficiā, & infirmus ero: nulla enim ratio hæc exhibere potest: sicq; mea ista infirmitas, prædicationis infirmitas esse uidebitur: *Syllogismis diuina non cōprobātur*

debitur: atq; hoc deinceps modo crux euacuatur, & inanis redditur, quippe quæ unum quiddam & inane esse uideatur. A

Sermo enim crucis pereuntibus quidem stultitia est.] Quia nonnulli erant infideles Corinthi crucem subsannantes, uerisimile erat fideles pro sua sapientia illis obsistere, indignè & grauiter ferentes, quæ illi in crucem iacerent conuitia & ludibria: ait igitur, Ne admiremini, aut ueluti ob rem nouam turbemini. pereuntibus enim stultitia quædam uidentur ea, quę sunt credentibus in salutem tradita à Deo. Sermonem autem crucis, prædicationem crucis dicit, siue crucifixi Christi.

Iis autem qui salui fiunt, nobis potentia Dei est.] Nobis, inquit, qui non perimus, sed seruamur æternùm, potentia Dei est. Quinetiam sapientiam declarat crux. Potentiam sanè, quoniam morte mortem dissoluit & abstulit. Summa enim potentia est, eum qui cadit, cadendo uictoria potiri. Sapientiam uerò, quòd hoc modo eos qui perierãt, conseruauit Christus.

Esaiæ 29. Scriptum est enim: Perdam sapientiam sapientium, & prudentiam prudentium reprobabo.] Cum pereuntes dixisset ipsos infideles, scripturæ testimonio bellè confirmat quod dixerat, infideles interire. Ea enim ait: Perdam sapientiam sapientium, nimirum huius mundi, hoc est, stultam eam esse demonstrabo, ac minimè esse sapientiam: ac reiiciam prudentiam siue intelligentiam eorum qui sapere & intelligere sibi uidentur.

Esai 33. Vbi sapiens? ubi scriba? ubi disputator seculi huius? Nónne stultam fecit Deus sapientiã huius mundi?] Scripturę testimonium protulit: deinceps itaq; & à rebus ipsis demonstrationem adducit. Ac Græcos quidem redarguit, cum ait: Vbi sapiens? hoc est, philosophus. Iudæos uerò, cum inquit, ubi scriba? Disputatores autem nominauit eos, qui ratiocinationibus & inuestigationibus cuncta tribuunt. Nemo enim illorum seruauit nos, sed piscatores nos ab errore exemerunt. Quod uerò ait, Deus stultam reddidit sapientiam, pro ineficacem esse demonstrauit, accepit, ac conuicit esse stultam, ut quæ non potuerit inuenire uerum.

Disputatores.

Nam quia in Dei sapientia non cognouit mundus Deum, placuit Deo per stultitiam prædicationis seruare credentes.] Causam reddit quare sapientia mundi in stultitiam sit uersa. Posteaquam enim in sapientia, quæ per creaturas cernitur (cœlum enim & terra adeoq; omnis creatura prædicat conditorem) non nouisset mundus, hoc est, quæ mundi sunt adfectantes (Deum per sapientiam uidelicet quę in eloquentia cernebatur, linguæq; politie, impediti) uisum est Deo per prædicationis simplicitatem, quæ uidetur quidem esse stultitia, cum minimè sit, seruare credentes. Habebant igitur doctorem Græci, sapientiã Dei, quæ in creaturis uidelicet enitescebat. Non agnouerunt aũt Deũ propter sapientiã quã ex humana traditione acceperant, quæ nõ est sapientia.

Quoniã & Iudæi signa petunt, & Græci sapientiam quærunt: nos aũt prædicamus Christum crucifixum.] Vult commonstrare Paulus quomodo per contraria Deus contraria operatus sit, inquiens: Siquãdo dixero Iudæo, Crede, actutum signa inquirit ad confirmationem & commendationem prædicationis. Nos autem Christum prædicamus crucifixum: quod non solùm non est signorum demonstratio uel exhibitio, uerùm infirmitatis potius, ut in speciem apparet, indicium. Interim tamen eo, ut apparet, infirmo & contrario, quantum attinet ad hoc quod petit, perducitur ad fidem. Quæres ingentem sanè Dei potentiam ostendit. Rursus Græci sapientiam inquirunt à nobis: atqui & illis nos Christum prædicamus, quod & ipsum, ut apparet, stultitiæ esse uidetur, Deum nempe crucifixum prædicare: interim tamen ita persuadentur. Nónne igitur maximæ hæc potentię argumenta sunt, ex contrarijs, quoad ea quæ inquirunt, persuaderi eos?

Iudæis quidem scandalum, Græcis aũt stultitiã.] Iudæis, inquit, crucifixus est scandalo. Impingunt enim aduersus ipsum, dicentes, Ecquî is qui comedit & bibit cum publicanis & meretricibus, ac tandem cum prædonibus crucifixus, potest esse Deus? Græci uerò mysterium hoc irrident ceu stultitiam, eo quòd sola fide, & non ratiocinationibus ullis, ex quibus ipsi dependebant, comprehendatur Deum crucifixum esse, & quia orationis splendore non exornetur. *Luc. 7.*

Ipsis autem uocatis Iudæis atque Græcis, Christum Dei uirtutem, & Dei sapientiam.] Infidelibus quidem Iudæis Christus est offendiculũ, & infidelibus Græcis stultitia uidetur,

A uidetur, quòd non inueniant signa quæ in eo quærant, & sapientiam. Vocatis autem Iudæis, & uocatis Græcis, hoc est, à Deo uocatis tanquã dignis, utrumq; esse ipse Christus inuenitur. Quid enim quæris ô Iudæe, signa? En Christus potentia Dei est, quæ signa efficit. Ac tu Græce, quid ais? quæris sapientiam? Habes Christũ sapientiã patris.

Quia quod stultum est Dei, sapientius est hominibus: & quod infirmũ est Dei, fortius est hominibus.] Crucem hic per stultum isthuc intelligit, ut quæ sic uideatur. Sapientius tamen hominibus est. Nam philosophi frigidis & inutilibus rebus incubuerũt: crux autem, mundum seruauit. Imbecille porrò apparet, tanquam ex imbecillitate crucifixo Christo: sed fortius illud est hominibus, non solùm ideo, quòd cum innumeri conarentur extinguere hoc nomen, floreret magis: uerùm quia etiam per illum qui imbecillis uisus est, fortis Satanas ligatus est. Poteris autem hæc sic etiam intelligere, uòd in Deo quod immense sapiens est, insipiens dicatur, hoc est stultum: & quod supra modum firmum, infirmum, perinde ac eximius splendor & excellens lumen, eius tenebræ & caligo dicuntur. *Stultum Dei crux.*

Videte enim uocationem uestram fratres quod non multi sapientes secundum carnem, non multi potentes, non multi nobiles.] Considerate, inquit, & scrutamini uocatos ad fidem, & inuenietis quòd non multi sapientes sint secundum carnem, hoc est, ut apparet in speciem, in præsenti uita. Non dixit aũt quòd nemo sapiens, sed non multi. Nam nonnulli sapientum ad fidem accesserunt, quorum de numero sunt Areopagita & Proconsul, & alij de quorum nominibus nihil aperte indicatum. Quinetiam potentes quidam genere clari crediderunt. Ob hoc itaq; in omnibus dixit, non multi. Prius de animaduerte potentiam & uirtutem prædicationis, quomodo idiotas & rudes ad sapientia dogmata docuerit, & quónam modo exterior mundi sapientia inutile quippiam esse demonstretur. *Areopagita*

Sed quæ stulta sunt mundi, elegit Deus, ut pudefaciat sapientes: & infirma mundi elegit Deus, ut pudefaciat fortia.] Maximum enim Græcis inducit pudorem, si uideant: in foro manuarium quempiam artificem in uera sapientia ipsos excedere, ac imbecillem adeoq; contemptibilem opibus & potestate conspicuos humiliare. B

Et ignobilia mundi & contempta elegit Deus, & ea quæ non sunt, ut ea quæ sunt aboleat.] Qui nihil esse reputantur, eos μὴ ὄντας, id est nõ existẽtia, nominat: ea uerò quę sunt, illos qui aliquid esse uidentur. Vt igitur hos ociosos & inutiles ostendat, ob eam causam eos qui nihil sunt, elegit. Porrò cum audis elegit, non sic intelliges, quasi operæ pretium duxerit, aut contenderit contemptos eligere, ac celebres coram mũdo depellere uel reijcere: uerùm quia cum celebres & insignes uiri propria sapientia intumescerent, eamq; ob rem Euangelij uerbum non susciperent, à fastu & arrogantia alieni ad huius susceptionem magis sint uisi idonei Deo.

Vt ne glorietur omnis caro coram Deo.] Propterea, inquit, hoc Deus fecit, ut deprimeret fastum & arrogantiam eorum qui mundana sapiunt, persuadeatq́ue omnia sibi accepta referenda, neque cuipiam coram ipso gloriandum. Quomodo igitur uos ô Corinthij, ob eam rem efferimini? Obserua autem quòd haud temere nobis dictum sit, quòd propter arrogantiam indigni facti sunt prædicatione Euangelij, qui reiecti sunt.

Ex ipso autem uos estis in Christo Iesu.] Quod ait ex ipso, non accipies dici de productione ad esse, sed de productione ad bene esse. Porrò quod ait, est huiusmodi: Filij Dei facti estis, & ex ipso estis filij eius facti in Christo, pro, per Christum. Quoniam dixerat quòd ignobilia elegerit Deus, ostendit quòd omniũ sunt nobilissimi, qui patrem Deum sunt consecuti.

Qui factus est nobis sapientia à Deo, iustitia, & sanctificatio, & redẽptio.] Hoc est, sapientes nos & iustos, & sanctos, & liberos fecit. Nam ἀπολύτρωσις, id est redemptio significat reuocationem ex captiuitate. Quemadmodum ignobiles deligẽs, nobiles & claros fecit, filios Dei constituens: hunc ad modum stultos sapientes reddidit, factus nobis sapientia. Quomodo igitur non dixit, Sapientes nos fecit, sed factus est nobis sapientia? Doni ut largitatem & exuberantiam uidelicet ostenderet: perinde ac si dicat, Seipsum nobis tradidit. Cum autem magnifica de filio dixisset, apponit, à Deo, ut ne ingenitum ipsum cogites, sed ad causam recurras: nempe patrem. Animaduerte autem

autem ordinem. Primùm ſapientes fecit, liberās ab errore, deniq; cognitionem docens, deinde iuſtos, peccatorum dimiſſione data: poſt ſanctificauit, per ſpiritum paracletum. Atq; hac ratione perfectam liberationem ab omnibus malis nobis impertijt, & liberauit, ut ipſius tantùm ſimus, eiq; duntaxat conſecrati addictiq;.

Hier. 9. Vt quemadmodum ſcriptum eſt, Qui gloriatur, in Domino glorietur.] Omnia hęc inquit, facta ſunt, ut ne quiſquā ſe putet eſſe aliquid, neq; in ſeipſo glorietur, uel in alio quopiam, ſed in Deo qui tanta nobis donauit. Quî igitur uos propter uos turgetis, & propter homines doctores?

CAPVT II.

ET ego cum ueniſſem ad uos fratres, nō ueni in ſublimitate ſermonis & ſapientiæ, annuncians uobis teſtimonium Dei.] Non ſolùm, inquit, diſcipuli Euangelij inſipientes & obſcuro genere electi ſunt, uerumetiam ego ipſe Euangelij præco, non ueni oratione & ſapientia humana inſtructus, annuncians uobis teſtimonium Dei, id eſt, mortem Chriſti. Animaduerte ergo, quòd & præco inſipiens eſt, & ſimplex, & q̄ id quod prędicatur, eſt mors ipſa & crux: attamē uel ſic uictoriam obtinuit. Perſpicuum itaq; eſt, quòd ſit inexplicabilis uirtus & potentia quæ hæc ſeſe ita habere efficiat. Quid autem? nunquid ſi uoluiſſet Paulus, potuiſſet uenire in ſapientiā? Ipſe ſanè nō potuiſſet, reuera enim ſimplex, ſiue rudis erat. Potuiſſet tamē hoc efficere Chriſtus, qui maiora largitus eſt, ſed non conducebat Euangelij prædicationi. Maiore nanq; gloria Chriſtus & honore euehitur, per diui Pauli ſimplicitatem uincens, quàm ſi per ſapientiam orationis q̄ ſplendorem uictoriam retuliſſet.

Paulus in ſimplicitate, non in oratiōis ſplē dore uerbū euāgelij annunciauit.

Non enim iudicaui me quicquam ſcire inter uos, niſi Ieſum Chriſtū, & hunc crucifixum.] Chriſtus, inquit, uoluit ut eſſem imperitus & ſimplex ego. Atq; iſthuc ego bonū eſſe iudicaui, quòd nihil externæ ſapientię ſcirem, prę terquam hoc tantùm, quòd Chriſtus Ieſus crucifixus eſt, & quòd eum uobis prædicarem.

Pauli timor Et ego in infirmitate, & timore ac tremore fui apud uos.] Non ſolùm, inquit, cōtemptus quantum ad orationem attinet, ad uos ueni: ſed & in infirmitate, in timore ac tremore ſum uerſatus apud uos, hoc eſt, perſecutionem paſſus, tentatione atq; adeò innumeris formidinibus obiectus. Nam & ipſe metuebat, ut homo, pericula, imò tremebat etiam. Vnde & maiorem eſt adeptus laudem, quòd cum eiuſdem eſſet nobiſcum naturæ, uoluntate tamen & conſilio exuperauerit. Hæc autem dicit, Chriſti potentiam oſtendens. Nam cum tot tantaq; eſſent impedimenta, prævaluit tamen, ac potentior apparuit, Corinthiorum quoque ſupercilium, in ſapientia, potentia, & opibus confidentium, deijciens.

Et ſermo meus, & prædicatio mea, non in perſuaſibilib. humanæ ſapientiæ uerbis, ſed in demonſtratione ſpiritus & uirtutis.] Nō erat, inquit, prędicatio mea compta perſuaſibilitate externoq; orationis & facundiæ cùm ſplendore tum uenere, ſed in demonſtratione ſpiritus, hoc eſt, demonſtrationem habebam ipſum ſpiritum ſanctum: forſan ideo, quia inexplicabili quodam modo fidem ingerebat auditoribus per gratum uerbi miniſterii, uel quia ſigna perficiebat & ꝓdigia. Infert enim, & uirtutis, id eſt ſignorū. Maxima enim ad fidem apodixis erat, mortuos uidere reſurgētes. Quia uerò & à dæmonibus uirtutes fiunt per impoſturam, quum prius dixiſſet, ſpiritus, ſubintulit, & uirtutis: oſtendens ſpiritualia fuiſſe quæ facta ſint. Poteſt autem uirtutis uocabulum aliter etiam intelligi. Cum enim dixiſſet, Non ueni ad uos in ſapientia, ſed in infirmitate: ad ſapientiam retulit, in demonſtratione ſpiritus. Ad hoc uerò quod ait, in infirmitate, uirtutis uocem reddidit: id eſt, etiamſi perſecutionem patiar, & uerberibus adfligar, attamen adhuc potentior demonſtrabar, quod ipſum eſt maxima ſermonis demonſtratio.

Paulus ut perſuaſerit.

Virtus.

Vt fides ueſtra non ſit in ſapientia hominum, ſed in uirtute Dei.] Sapientiam hominum, eloquentiam uocat, & uim perſuadendi: potentiam autem Dei, ut ſuprà demonſtratum eſt, imbecillium & perſecutioni obnoxiorum confortationem, uires, & robur, ſignorumq; ſeu miraculorum demonſtrationem, quæ iam fidem uobis ô Corinthij conciliarunt & confirmarunt, non ſanè humanæ dicendi facultatis ſplendor & facundia, cæterùm uirtus & potentia Dei.

Sapientiam autem loquimur inter perfectos, ſapientiam autem non ſeculi huius, aut principum ſeculi huius qui abolentur.] Stultitiam quidem ſuprà nominauit prædicationem,

dicationē, perinde ac Græci appellabāt. Postquam autem demonstrauit reuera adeoq; ipsis operibus, ueram esse eam sapientiam, audet deinceps sapientiam etiam appellare prædicationem de Christo, adeoq; salutem per Christum affixum cruci partam: maximæ enim sapientiæ, mortem morte dolere. Perfectos porrò fideles nominat, ij enim perfecti sunt, qui terrenis omnibus posthabitis ad cœlestia subuolāt. Seculi autem huius sapientiam nominat externā illam ueluti temporariam ac transitoriam, & quæ cum hoc seculo dissoluatur. Principes porrò huius seculi, non dæmones appellat, ut quidam uoluerunt, sed enim sapientes, & orationū scriptores & rhetores, qui & populi ductores erant. Principes autem, tanquam & ipsi temporarij sint, seculi huius nominat, qui aboleantur, hoc est, qui cessent tandem.

Fideles perfecti.

Rhetores populi ductores.

Sed loquimur sapientiam Dei in mysterio quæ abscondita est.] Mysterium uocat, de Christo prædicationem. Nam etiam si prædicatio sit, attamen etiam mysterium est, quatenus neque angeli nouerunt ipsum priusquam fieret, & quemadmodum aliud uidentes, aliud intelligimus. Intueor enim crucem & adflictionem, & uirtutem atque potentiam intelligo: seruum audio, & Dominum adoro. Abdita est enim sapientia, infidelibus quidem omnino, fidelibus autem non omnino. Videmus enim, nunc per speculum.

Mysterium Christi prædicatio.

Quam prædestinauit Deus ante secula in gloriā nostram.] Præsiniuit siue prædestinauit, dixit, ut Dei charitatem erga nos indicet. Nam & illi maxima nos dilectione prosequi existimantur, qui iam olim ante multa tempora parati fuerunt nobis benefacere. Hāc ad rationem Deus ante secula statuit ac decreuit salutem per crucem, quæ est maxima sapientia. In gloriā uerò nostram dixit, quatenus nos gloriæ participes fecit. Gloria autem serui est, participem esse Domini in abdito mysterio.

Quam nemo principum huius seculi cognouit.] Principes huius seculi Herodem & Pilatum intelliges, qui mysterium hoc non nouerūt: insuper & principes adeoq; pontifices Iudæorum, qui & ipsi non cognouerunt.

B Si enim cognouissent, haudquaquā Dominū gloriæ crucifixissent.] Si nouissent, inquit, q; posset lucere crux, quodq; terrarū orbis salus inde penderet, quinetiam si pontifices præsciuissent urbem suam diruendam, secq; abducendos, non crucifixissent Dominum. Gloriæ autem Dominum hîc nominauit Christum, quandoquidem enim crux incelebritas quædam uideretur, ostendit quòd nihil gloriæ ei per crucem est ablatum, sed potius glorificatus est, ueluti ex hoc humanæ salutis studiosus demonstratus. Nónne igitur si ignorarūt, peccatum ipsis dimissum oportuit? Omnino, si post hac ad Christum accessissent, animi sui sententiam in melius permutantes, dimissa fuissent eis peccata, quemadmodum & Paulo, & alijs Hebræis est donata noxa.

Gloria crucis.

Sed quemadmodum scriptum est: Quæ oculus non uidit, & auris non audiuit, & in cor hominis non ascenderunt, quæ præparauit Deus diligentibus se.] Quid uerò præparauit diligentibus se? Christi cognitionem, ac salutem per incarnationem partam. Hæc enim neq; humanus oculus uidit, neq; auris humana audiuit, neq; cor hominis cogitauit. Prophetæ enim non humanis oculis uiderunt, neq; humanis auribus audiuerunt, neq; humano intellectu usi intellexerunt quæ Christi essent. Sed omnia diuina erant eis. Dominus enim, inquit, apposuit mihi aurē spiritualem uidelicet, & alia id genus. Diligentes Deum, sunt fideles. Vbi autem scriptum est hoc oraculum? Verisimile est hisce ipsum uerbis alicubi scribi, hodieq; nō inueniri librum. Fortasse autem quē admodum & sapientissimus Paulus explicat, cum eo loco hæc sententia conuenit, ubi dicitur, Quibus non annunciatū est de eo, uidebūt: & qui nō audiuerūt, intelligēt.

Esai. 64.

Prophetæ diuinitus instructi de Christo.

Prouerb. 10

Esaiæ 52.

Nobis autem reuelauit Deus per spiritum suum.] Perinde ac si quis dicat, Si in cor hominis non ascendit, quomodo uos didicistis? subdit, Deus reuelauit nobis per spiritum, non per humanam sapientiā. Ipsa enim non potuit, neq; digna fuit uidere, adeoq; agnoscere tanta mysteria.

Spiritus enim omnia scrutatur, etiam profunda Dei. Quis enim hominum scit quæ sunt hominis, nisi spiritus hominis, qui in ipso est? ita & quę Dei sunt, nemo cognouit, nisi spiritus Dei.] Tantū mysteriū adeò, inquit, fuit abditum, ut non potuerimus ab alio discere, nisi spiritus nos docuisset, qui profunditates Dei nouit. Nam quod ait, scrutatur, nō est indiciū ignorātiæ, cæterùm exactæ cōprehensionis: quemadmodū & de pa-

Psal.7. tre dictũ est scrutans corda, id est, profunda eorũ perspecta tenens: atq; item aliter, ceu A
Hier.17. oblectans sese contemplatione Dei, ea scrutari quæ Dei sint, spiritus dicitur. Ostendit
1. Para.28. porrò per sequentia, exactàm spiritus cognitionem. Vt enim humanus spiritus nouit
Rom.8. quæ sunt in homine: sic & spiritus Dei, quæ sunt Dei. Hinc discimus etiam, quod spiritus alterius nõ sit quã pater essentiæ, perinde ac neque spiritus hominis diuersę est seu alterius ab eo essentiæ.

Nos autem non accepimus spiritum huius mundi, sed spiritum qui est ex Deo.] Spiritum mundi, humanam sapientiam nominauit, non hanc quam accepimus, ut ne uana & inutilis demonstretur prædicatio nostra: sed spiritum qui ex Deo est, hoc est, coessentialem cum Deo, qui est ex ipsius essentia, hunc nacti sumus habuimusq; doctorem & præceptorem.

*ἵνα εἰδῶμεν, ut uideamus. * Vt sciamus quæ sint à Deo donata nobis.] Lumen, inquit, est spiritus, atq; eam lucem accepimus, ut iam olim abscondita uideamus, ab ea uidelicet illustrati. Quæ nam sunt illa: quæ à Deo donata sint, hoc est, quæ ad Christi dispensationem attinent, quomodo pro nobis mortem obierit, quomodo nos filios Dei fecerit, quomodo nos à dextris patris collocarit in seipso, ut qui hunc spiritũ nõ habuerint, haudquaq; ista uideant.

Quæ & loquimur, non in doctis humanæ sapientiæ uerbis, sed in doctrina spiritus sancti.] Tanto, inquit, Græcorum sapientibus sapientiores sumus, quanto illi quidem ab hominibus instituti sunt: nos uerò quæ loquimur, à spiritu sancto docti loquimur.

Spiritualibus spiritualia comparantes.] Hoc est, si prodierint spirituales quædam quæstiones, conferimus eas, hoc est, diluimus per alios spirituales intellectus uel historias: ueluti quæstio est q̃ Christus resurrexerit: quæ cum spiritualis sit, ex alia spirituali nimirum Ionæ historia comparatur, & diluitur. Sic quæstio est q̃ uirgo peperit: quæ
Ionæ 2. itidem diluitur per Sarrhæ sterilitatem, per Rebeccæ item & Elisabethæ emortuas ma
Mat.12. trices: quæ profectò non ex naturali cõsecutione, quatenus ad cuiuslibet matricis uim
Gen.11. attinet, conceperũt. Tum ex eo q̃ Heua ex Adam citra semen sit progenita, exq; alijs,
Gen.25. quæ ex prima sua productione ad suum esse, considerantur. Porrò istud: Spiritualibus B
Luc.1. spiritualia comparãtes, poteris etiam sic intelligere: Spiritualibus uidelicet hominibus
Gen.2. spiritualia comparantes & explicantes: Hi enim soli ista capere queunt. Infert igitur.

Animalis autem homo non percipit quæ sunt spiritus Dei: stultitia enim ipsi sunt.]
Animalis homo. Animalis homo est, qui omnia animæ suę cogitationibus & ratiocinationibus tribuit: neq; sese indigere censet sapientia, quæ desuper cordi nostro ex cœlis illabitur: qui neque fide quicq; accipere uult: cæterùm omnia stultitiam arbitratur, quæ demonstrationem non admittunt. Cuncta igitur naturali quadam consecutione fieri existimantem, neq; quicq; supra naturam effici iudicantem, animalem hominem uocat, hoc est naturalem. Anima enim circa naturæ gubernationem & œconomiam uersatur.

Nec scire potest quòd spiritualiter dijudicantur.] Hoc est, non intelligit quòd fide egeant quæ dicuntur, nec ratione comprehendi possint. Id enim est, spiritualiter dijudicantur, hoc est, per fidem & spiritum demonstrationem habent.

Spiritualis homo. Spiritualis uerò dijudicat quidem omnia, & ipse à nemine dijudicatur.] Spiritualis, inquit, omnia nouit, cùm quæ hic sunt, quòd sint caduca & fluxa: tum quæ illic, quòd sint stabilia: & quæ sua sunt, quòd salutem consequetur: & quæ infidelium, quòd pœna adficientur. Propterea & reprehendit eos, cum ipse interim à nemine horum dijudicetur, hoc est, arguatur: quemadmodum qui uidet, & sua uidet, & ea quę sunt eorum qui non uident. Isti uerò neq; quæ sua sunt, neq; quæ illius sunt cernunt.

Esai.40. Quis enim nouit mentẽ Domini, qui erudiat ipsam?] Spiritualẽ, mentem Domini nominat. συμβιβάσῃ aũt est, p dirigeret, corrigeret. Quia ergo suprà dixit, Spiritualis à nemine dijudicat: subdit nũc q̃ ihstuc nõ immeritò dixerit. Quis em̃ nouit mentẽ Domini, qui sit instructurus ipsam, mentẽ inquã, hoc est diriget siue corriget: Si enim nemo potest nouisse mentem Domini, hoc est eam quam habet spiritualis, multo minus docere illam poterit, & corrigere.

Nos autem mentem Domini habemus.] Ne mireris, inquit, quòd dixi mentem Domini ipsum spiritualem, & mentem ipsius. Nos enim omnes mentem Domini habemus, hoc est, omnia quæcunq; scimus, Christus nobis reuelauit. Et quam mentem seu intellectum habemus de diuinis rebus, Christi est: hoc est, notitiam quam habemus de

rebus

rebus fidei, spiritualem & Christi habemus: itaq; haud iniuria à nemine dijudicamur.

A Nonnulli mentem Christi patrem, alij spiritum nominarunt.

CAPVT III.

ET ego fratres non potui uobis loqui tanquam spiritualibus, sed tanquam carnalibus.] Ne possint, delecto ipsorum de humana adeoq; externa sapientia fastu, dicere, Nos eius sapientiæ nomine haud sanè turgemus, sed propter spiritualem: nunc ostendit eos neq; in nostra sapientia perfectos, sed imperfectos adhuc esse, inquiens: Quoniam nondum quicquam perfectiorum rerum audijstis. Pulchrè autem dixit, Non potui, ut ne uideatur ex inuidia ipsis perfectiora communicare nolle. Quia enim carnales estis, non potui uobis uerba facere ceu perfectis. Quî uerò, cum carnales essent, signa faciebant? fuerunt & tales, & tales, ut principio commemoratum. Alioqui licet & signa edere, & carnales esse, quemadmodũ qui dæmonia in Christi nomine eiecerũt. signa enim ad aliorũ commoditatem eduntur: ob eam rem & per indignos exhibent. *Signa etiã per indignos exhibentur.*

Tanquam infantibus in Christo, lacte uos potaui, & non cibo. Nondũ enim poteratis, sed neq; nũc quidẽ potestis, adhuc enim carnales estis.] In rebus Christi (inquit) infantes estis: propterea lacte, hoc est simpliciore doctrina, uos potaui, nec solidum uobis cibum obtuli, hoc est, doctrinam perfectiorẽ. Quare? Propterea quòd non poteratis. Detrahens autem illorum supercilium, ait: Neq; nunc quidem potestis. adhuc enim quæ carnis sunt affectatis. Viden' ob eam causam illos non posse capere, quòd spirituales esse nolint, sed carnales?

Cum enim inter uos sint zelus & contentio, & dissensiones, nónne carnales estis, & secundũ hominem ambulatis?] Quæ prædixit, omnia ad principes sapientia generisq; splendore tumidos dixit: nunc autem deinceps ad subditos sermonem conuertit. Non immeritò (inquit) uos carnales nomino. Siquidem cum in uobis sit æmulatio & contentio & factiones. Potuisset quidem eos & fornicationis aliorumq; uitiorum nomine accusare, cęterùm quia uehementer urgebant dissensiones siue factiones & contentiones, harum mentionem fecit. Vbiq; autem zelũ siue æmulationem liti seu disceptationi coniungit. Zelus enim pater est contentionis, hæc porrò factiones generat. Hæc cum sint inter uos, nónne secundum hominem ambulatis: hoc est, nónne carnalia & humana ac terrestria sapitis? B *Æmulatio, cõtentionis pater.*

Cum enim quis dicat: Ego quidem sum Pauli: alius autem, Ego uerò Apollo, nónne carnales estis?) Pauli & Apollo nomine, celebres apud eos & doctores subindicat.

Quis igitur est Paulus, quis Apollo, nisi ministri per quos credidistis?] Suo & Apollo nomine, quod uult perficit. Cõfirmat enim: Si nos nihil sumus, quid dixerit aliquis de uestris doctoribus? Ministri, inquit, sumus, non radix & fons bonorum. id enim solus Christus est. Proinde nos non erigere cristas, non superbire conuenit. Nam ministrauimus uobis ea quæ à Deo accepimus. illius enim bonorum præbitoris est totũ quod uobis communicauimus. Nec dixit, Euangelistæ sumus, sed ministri: illud enim uerbi solius est: ministrare autem, opera etiam continet. *Euangelista Diaconus.*

Vnicuiq; ut Dominus dedit.] Ne ipsum quidem exiguum ministerij, à nobis ipsis habemus, uerùm isthuc etiam à Domino accepimus, alius alia mensura.

Ego plãtaui, Apollo rigauit, sed Deus incrementũ dedit.] Ego, inquit, primus uerbũ Euãgelij disseminaui, Apollo aũt cõtinua sua institutione nõ permisit semen exarescere æstu satanæ tentationũ: at uerò Deus uobis dedit incrementũ, uos augmentauit.

Itaq; neq; qui plantat est aliquid, neq; qui rigat, sed qui incrementum dat.] Obserua quomodo minimè inuisam seu molestam faciat qui Corinthi sunt præfectorum sapientum & opulentorum contemptionem, seu in nihilum redactionem, seipsum & Apollo in speciem extenuans, ac docens quòd soli Deo sit attendendum, eiq; omnia quæ contingunt bona, accepta referenda.

Qui autem plantat & qui rigat unum sunt.] Quatenus citra Deum nihil possunt, unũ sunt: quomodo ergo efferimini alius erga alium, cum unum sitis?

Vnusquisq; autem propriam mercedem accipiet secundum suum laborem.] Quia ueri simile erat, eos qui in fidei rebus multum laborauerant, segniores futuros cum audirent omnes esse unum: statim isthuc corrigit, dicens: Vnum sunt, quatenus citra augmentantem Deum nihil possint. Nam quatenus ad retributionem attinet, quisq; iu-

xta proprium laborem mercedem habebit. Non dixit autem, secundum propriũ opus, sed secundum laborem. Quid enim si opus quidem nõ perfecerit, laborauerit autem: A

Dei cooperarij apostoli.

Dei enim sumus cooperatores.] Qui docemus, inquit, Dei sumus cooperatores, ad scopum & propositum Dei seruare uolentis cooperantes, nõ ipsi nos sumus salutis uel autores uel datores. Neq; igitur contemnendi, Dei enim sumus cooperatores. Neque ideo nos attolli superbè oportet, q; Dei simus cooperarij: nam Dei est uniuersum.

Dei agricultura, Dei ædificatio estis.] Cum suprà dixisset, plantaui, eodem in tropo perseuerat, agriculturam nominãs. Quòd si igitur agricultura estis & ædificatio, à Domino uocari debetis, nõ ab agricolis aut extructoribus, fabrisúe. Quatenus enim agricolatio estis, una concordiæ tepi ceu muro firmari debetis. Quatenus uerò ædificatio, uniri debetis, sed non diuelli.

Secundũ gratiam Dei quæ data est mihi, ut sapiens architectus fundamentũ posui.] Sapientem se ipse architectona appellat, non quòd seipsum extollat, sed uti commonstret eas esse partes sapientis architecti, tale fundamentum iácere, nimirum Christum. Quod uerò non ut sese attolleret, hæc dixerit, inde planum est. Dicit enim, secundum siue iuxta gratiam Dei: non enim meum est opus, sapientem fuisse, sed Dei gratia est.

Alius autem superædificat. Vnusquisq; autem uideat quomodo superędificet.] Post quam de unitate eis disseruit, in posterum de uita moribusq; disputat, superædificationem sua cuiusq; opera nominans.

Fundamentum enim aliud nemo potest ponere, præter id quod positũ est, quod est Iesus Christus.] Non potest, tantisper dum manserit sapiens architecton. Nam si fuerit insipiens architecton, potest quidem fundamentũ iácerè, sed ex quo hæreses prodeãt. At cum inter uos Corinthios fundamentum unum sit Christus, debetis & uos ipsi super hũc ædificare, nõ quę ex cõtentione & æmulatione sunt, sed uirtutis potius opera.

Operum bonorum alia maiora, alia minora.

Sin quis aũt superædificat super fundamentum hoc, aurum, argentum, lapides pretiosos, ligna, fœnum, stipulã, uniuscuiusq; opus manifestũ erit.] Vbi acceperimus fundamentum fidei, superstruimus unusquisq;, alij quidem bona opera, quæ inter sese diseparata sunt. Alia nanq; sunt maiora, alia maiora, alia minora. Nempe uirginitatem, ceu aurum: honestas nuptias, uelut argentũ: ultroneam paupertatem, ceu lapides pretiosos: eleemosynarum distributionem ex opibus, tanquam aliud quiddam ex non adeò pretiosis. Alij autem praua opera superstruimus, quæ & ipsa suis sunt gradibus interstincta, ut fœno & stipulæ adæquentur, quæ sanè facilius comburuntur, ut impuritatem, idololatriam, auaritiam. Ligna uerò uocantur, quæ non adeò facilè comburuntur, ut ebrietas, risus, idq; genus alia. Forsan nonnulli è contrario ligna præmemorata, fœnum uerò & stipulam hæc posteriora dicent. B

Malorũ operum gradus.

Dies enim declarabit, quoniã in igne reuelatur, & uniuscuiusq; opus quale sit, ignis probabit.] Diem iudicij intelligit. In igne autem opera dicuntur reuelari, hoc est manifesta fieri, qualis nam sint naturæ, num aurum, uel diuersum sint.

Si cuius opus manserit, quod superædificauit, mercedem accipiet: si cuius opus arserit, detrimentum patietur.] Si uel aurum uel argentum habueris, permanebit omnino opus tuum, accipiesq; mercedem. sin fœnum & huiusmodi, non feret ignis impetum opus tuum. hoc enim est quod ait, comburetur, hoc est, cõuincetur malum esse. Itaque non prodest fides sine operibus bonis. Ecce enim hîc fundamentum est Christus, sed enim opera quæ Christum non resipiunt, digna dicuntur quæ exurantur.

Ipse autem seruabitur, sic tamen quasi per ignem.] Non quemadmodũ opera, sic & ipse peribit, ita ut in nihilum secedat uel euanescat, sed seruabitur, hoc est, incolumis cõseruabitur, ita ut in igne comburatur. Etenim nobis consuetudo est sic dicere de ligno quod non comburitur, quodq; non possit facilè in cinerem redigi, q; in igne seruatur, ita ut diuturnior fiat ustio. Damno itaq; adficitur peccator, quandoquidem ea est operatus per quę perijt, omnes labores nequicquam impende in res nõ subsistentes, & eas quæ non sint (Omnis enim malitia & omne scelus, non est) ueluti si quis ingens precium impendens, emat quicquam mortuum tanquam uiuum. Seruatur quidem huiusmodi peccator, uidelicet saluus & integer conseruatur, æternas pœnas sustinens.

Peccatum non esse dicitur.

Nescitis quòd templum Dei estis, & spiritus Dei habitat in uobis?] Sermonem de eo qui fornicatus erat, iniecturus est. Et uide q; sit uerecundè usus oratione. A clara enim nobis

nobis gratia, hoc est, ab inhabitatione spiritus, pudefacit fornicatorem, etiamsi non pa-
A lam personam posuerit, sed in commune loquatur. Si autem templū Dei sumus, post-
quam spiritus habitat in nobis, igitur ipse spiritus est Deus.

Si quis templum Dei corrumpit, corrumpet illum Deus.] Id est, perdet. Hoc uerò non est execrantis, sed quidnam futurum sit uaticinantis.

Templum enim Dei sanctum est, quod estis uos.] Proinde fornicator nō potest esse sanctus, postq; amisit q; sit templum Dei, expulso sanctificante ipsum spiritu. Quis uerò templum est? Vos, inquit, si puri perseueretis.

Nemo seipsum seducat.] Existimans quòd aliter res habeat quàm dixi.

Si quis uidet inter uos sapiens esse in hoc seculo, stultus fiat, ut sit sapiens.] Paucis de fornicatore ueluti per umbrā adductis, rursus in eos qui externa sapientia inflant, sermonē flectit. Qui, inquit, uidet sapiens esse inter uos, stultus fiat: hoc est, externā sapientiā reprobet, ut possideat diuinā. Quemadmodū paupertas in Deo & secundū Deū, diuitiæ sunt, & incelebritas similiter gloria est: hunc ad modū stultitia secundū Deum, sapientia est. Animaduerte: hīc nō dixit, Reijciat sapientiā, sed q̄d multo maius est, stultus fiat, hoc est, nihil à seipso intelligens, nō pprijs cogitationibus uel argumentis fidē adhibens: enimuero Deū, ut iumenta pastorem, sequens, omnibusq; diuinis rebus credēs.

Sapientia enim huius mundi, est stultitia apud Deū.] Non solum enim nihil prodest aut conducit ad ueram sapientiam, uerum etiā potius impedit: quippe quæ præ sui existimatione & fastu dedidigneť discere, atq; propterea nunq; nō in ignorantia p durare esseq; faciat eum qui ipsa utatur. Vnde & fatuorum instar à Deo penitus deturbantur. *Sapientia mundi, stultitia.*

Scriptū est enim: Qui apprehēdit sapientes in astutia eorū.] Testimoniū producit q̄ modo stultitia sit apud Deū humana sapiētia, aitq;: Tanquā stultos apprehēdit sapiēres Deus. Etiāsi enim astuti & sapiētes fuerint, tanq; stulti tamē & insipiētes arguunť. Arbitrabāť illi nulla se re indigere, sed omnia p se posse intelligere se. At Deus mōstrauit illis p res ipsas, q; dicēdi uehemētia & astutia nihil illis pfuerit, sed maximē diuino auxilio habeāt opus, cū tū nihil indigere uiderēť. Itaq; ī calliditate sua, q̄ putabāt se omnia nouiſ se, nihil scire inuēti sunt, piscatorib. & coriarijs ī reb. necessarijs rudiores agrestioresq;. *Iob. 5.*

Et rursus: Dominus nouit cogitationes sapientū, q̄d uanæ sint.] Si igiť Dominus nouit q; uanę sūt cogitationes, quippe q̄ nihil necessariorū & salutariū cōtineāt: quō igiť uos Corinthij cōtraria Deo decernitis, ac tāq; ualde cōmodas cogitatiōes uestras defēditis? *Psal. 93.*

Itaq; nemo gloriet in hominibus. Omnia enim uestra sunt, siue Paulus, siue Apollo, siue Cephas.] Hæc uidetur ad subditos quidē dicere, terret aūt principes inquiens: Nō oportet uos omnino gloriari, neq; in sapientia, stultitia enim est: neq; ob spiritualia dona, Dei enim sunt, ac propter subditos hæc donantur. Atq; hoc est quod ait, Omnia enim uestra sunt, hoc est, quid doctores uestri superbiunt, uos autem inflatis eos, & erigitis, adeoq; attollitis? Neq; enim propriū aliquid habent, sed uestra sunt quæ illi habent, ob uestram commoditatem data ipsis. Rursus autem sui ipsius meminit & Petri, ut minus esset molestus, ac inuidiam subterfugeret, utq; ostendat, quòd si nos uestri causa accepimus charismata, ac uestri causa nos doctores designati sumus & producti: quanto potius qui nūc sunt doctores uestri, non debent ceu proprijs uirtutibus & operibus ob charismata extolli, quippe quæ aliena bona sint?

Siue mūdus, siue uita, siue mors, siue præsentia, siue futura.] Vita, inq;, doctorū propter uos est, ut uobis cōmodent, dū instituimini ab eis: morsq; ipsorū est propter uos. propter uos enim uestrāq; salutē pericula subeūt. Vel aliter: Adami etiā mors propter uos est, ut eruditamini, ac modestiores reddamini: Christi quoq; mors, ut seruemini: ac simpliciter uniuersus mūdus propter uos, ut qui per ipsū ad autorē & cōditorem ducamini. Vtemini porrò corruptione mundi, doctoris uice, quò incorruptibilium rerum amore accendamini. Præsentia sunt etiam propter uos, hoc est, bona quæ inde iam donat credentibus Deus: futura uestri causa pariter sunt parata. *Adami mors propter nos. Christi mors propter nos.*

Omnia uestra sunt, uos autem Christi, Christus autem Dei.] Non quemadmodum nos Christi sumus, sic & Christus Dei. Nos enim Christi sumus uelut opus eius & figmentum: Christus autem Dei, tanquam filius ante secula genitus & æternus, ac ueluti causam & autorem habens patrem. Quare etiamsi una dictio, diuersa tamen est sententia. Quandoquidem neq; omnia sic sunt nostra, ut nos Christi. Nos etenim serui sumus

mus Christi & figmentum: omnia autem nō sunt serua nostra, neq; figmentum. Quo- A
circa non rectè facitis, hominibus uos ipsos attribuentes, cum sitis Christi.

CAPVT IIII.

SIc nos existimet homo, ut ministros Christi & dispēsatores mysteriorū Dei.] Quia ministri sumus doctores, ecquur dimisso Domino à nobis ministris appellamini? Dispensatores aūt ministeriorū nominās apostolos ac doctores, monstrauit q̄ nō citra dispensationē oporteat cūctis uerbū suppeditare, sed quibus opus est, & quando cōue-
Verbū Dei non temerè spargendū, nec mysteria. nit, & ut oportet. Præsertim uerò mysteria ipsa, nō debent quibusuis reuelari: hoc enim non est prudentis œconomi.

Quod reliquum est, quęritur in dispēsatoribus, ut fidus quispiā inueniatur.] Hoc est, ut herilia bona sibi non uendicet & attribuat: ut non ueluti dominus res tractet adoriaturúe, sed ueluti aliena & herilia dispenset: non sua dicens esse quæ sunt heri, sed è diuerso, quæ sua sunt, heri esse.

Mihi aūt pro minimo est ut à uobis dijudicer, aut ab humano die.] Peculiaris Corinthū morbus inuaserat, nempe q̄ iudices nōnulli erga doctores diuisi sedebāt, dicentes: Is hoc est melior, ille hoc facundior. Cū ergo dixisset diuus Paulus in dispēsatoribus inquiri fidem, uel ut fidus quispiā inueniat, ac uideret accessum ipsis dare cuiuslibet uitā iudicādi, q̄ res maiores dissensiones excitasset: ut ne hoc patiant, refrenat eos, & auocat à iudicādo, inquiēs: Mihi uerò p minimo est: pinde ac si dicat, ueluti indignissimū aut ualde ignominiosum duco me omnino à uobis iudicari. Deinde ne illos offendat quasi contemptos, apposuit Aut ab humano die, hoc est, ab alio quopiam homine celebri & præclaro. Diem enim hominis scriptura altitudinem consueuit nominare. Hæc autem non de se ipso uerè dicit, non enim ipsum prorsus iudicabant: sed ut ne alios iu-
Dies hominis. Hier. 17. dicent, in propria persona, quod uult, corrigit.

Sed neq; meipsum dijudico. Nihil enim mihi cōscius sum, sed nō in hoc iustificatus sum. Qui aūt me dijudicat, Dominus est.] Ne existimetis, inqt, q̄ uilipendēs uos aliós B
ue cūctos, dedigner iudicari: nā neq; meipsum sufficere cēseo ad huiusmodi exactū iudiciū. Nec iā conscius sum mihi alicuius lapsus: uerūtamen in hoc nō iustificatus sum, hoc est, nō sum purus à peccato. Verisimile namq; est me peccata quæpiam admisisse, me tamen ignorare ea. Dominus aūt solus est qui infallibiliter exacteq; iudicat. Hinc
Iudicij futuri seueritas. mihi iam reputa, quàm futuri iudicij exacta erit cognitio, indagatioq;.

Itaq; ne ante tempus quicquā iudicetis, quoad usq; ueniat Dominus.] Viden' propterea hæc Paulum dixisse, ut ne alij à Corinthijs iudicentur, non propter seipsum: Imnanq; diuus Paulus perpetuò solet quæ alterius sunt, in propriam transferre personā: inq; seipso docere, quod alios est docturus.

Qui & illuminabit abscondita tenebrarum, & manifestabit consilia cordium.] Nunc quidem absconduntur praua opera, sunt enim isthæc mundi abscondita: sæpenumeroq; quispiam uirtute esse præditus apparet, cum sit prophanus & corruptus. Tum autem Deus reuelabit omnia, imò & cordium cōsilia in lucem proferet. Exempli gratia: In hac terra quisq; præconijs quenquā uehit en rem bonam, sed sententia fortasse illius aberrauit: nam non bono fortè isthuc scopo agit. Rursus, reprehendit hic quempiam aliquis, at non in eum finem, ut corrigat, & ad uirtutem reuocet, sed ut traducat & patefaciat, fratris peccatum. Atq; huiusmodi innumera tum cordiū consilia retegētur.

Tunc unicuiq; laus erit à Deo.] Consequens erat uel pœna uel laus: cęterùm ad prę stabilius sermonem transtulit.

Hæc autem fratres mei transtuli in me & Apollo propter uos, ut discatis in nobis nō supra id quod scriptum est, sapere.] Hęc sunt quę suprà dicta sunt de dissensionibus, & quę deinceps de non iudicando alios commemorata, ut, inquit, per nostram personam discatis non sapere ultrà quàm scriptum est. Dicit enim scriptura, docens ut non extol-
Matth. 20. & 23. lamur, Qui uult esse primus, sit inter uos postremus. &, Qui se ipse humiliat, exaltabitur: idq; genus alia innumera. De eo uerò ut alios nō iudicemus, Nolite iudicare, ut ne iudicemini.

Vt ne alter aduersus alterum inflemini de alio.] Isthuc ad populū dicit. Doctrinam enim uariat, & aliàs quidem ad principes ac doctores, aliàs uerò ad discipulos sermonē uertit, perinde ac iamnunc. Etenim doctorū nomine inflabant. Exēpli gratia: Qui hūc

doctorem

A doctorem habebat, aduersus alterius doctorem ualde superbiebat, eumq; floccipendebat, ob suū doctorem aduersus alterius doctorem præceptorémue inflatus. Pulchrè autem rem ipsam inflationē nominauit, ueluti tuber ac tumorem, à tralatione corporis, à malis humoribus uentísue inflati.

Quis enim te diiudicat? aut quid habes quod non accepisti? si aūt accepisti, quid gloriaris tanquā non acceperis?] Rursus ad doctores sese conuertit, inquiens: Quis te dijudicauit, aut dignum censuit ut laudarere? Homo? Atqui fallax est humanum iudiciū. Esto autem quicquam te laude dignum habere: tuum tamen ísthuc nō est, sed eius qui dedit: accepistíq; illud, non tuis operibus meritus. Quòd si accepisti, quid deinceps efferris tanquā non acceperis, sed ex proprijs laboribus per te habueris? Qui enim accepit quicquam, cum non oportet efferri ob id quod acceperit, alienum enim hoc est.

Iam saturati estis, iam diuites facti estis.] Grauiter ferētis sunt hæc uerba. Adeó ne citò, inquit, nullius indigetis? nulla planè re habetis opus? sed saturati estis, & exiguo temporis spacio ad consummationem euasistis, omnibus diuinæ cognitionis & charísmatum opibus acceptis. Atqui finis & perfectio est in futuro: uos uerò iam nunc finē nacti, ipsum ut uidetur, tenetis. Gloriatio nanq; uestra ísthuc indicat, quòd ad ipsam consummationem peruenerítis. Hæc autem dicit, monstrans eos omnium esse imperfectíssimos, si ad hunc modum sese habeant.

Sine nobis regnatis.] Istud quoq; eodem affectu dicit, ipsorum ingratudinē, & mentem conscientiæ expertem indicans. Cum enim tot tantísq; donis donati perfusíq; sítis, non uultis, inquit, nos uobis cōsortes, qui tamen laborauimus, accipere.

Atq; utinam regnetis, ut & nos uobiscum regnemus.] Vtinam, inquit, regnetis, hoc est, perfectionem essetis nacti. Ne uerò sermo ironicus esse uideatur, subinfert, Vt & nos uobíscum regnemus, hoc est, eadem bona consequamur. Vestra enim gloria, mea est: quandoquidem cuiuis præceptori discípulorum perfectio desiderabilis est. *Præceptori discipuli perfectio optabilis.*

B Puto enim q; Deus nos Apostolos extremos ostendit tanquam morti destínatos.] Contristati, uel potius pudorē inducentis uerba sunt. Vt enim uideo, inquit, & his quę uos agitis, nos Apostoli omnium postremi, à Deo demonstrati sumus morti obnoxij: hoc est, condemnati, atq; ut occidamur præparati. Quia uerò uos iam regnatís, hinc colligo coniectura, q; nos iam simus cōdemnati ut simus postremi, ac ueluti ultimo supplício addicti: nos, inquam, tot tantaq; pro Christo passi Apostoli.

Quoniam spectaculum facti sumus mundo, & angelis, & homínibus.] Hoc est, nō in uno quopiam angulo patimur, sed ubiq; terrarū: spectātq; nos, & intuentur in nos, nedum homines, non enim adeò uiles sunt res operationesq; nostrę, uerumetiam angeli. Ingentia enim nostra dona sunt, ut & angelico spectaculo, spirituúmue cœlestiū *Eph. 6.* inspectione digna sint. Nam non aduersum homines tantummodo luctor, cæterùm aduersus etiam prauorum angelorum uires, adeoq; potentiam.

Nos stulti propter Christum, uos aūt prudentes in Christo.] Rursus & hoc cum pudore quopiam, & redargutione dictum est. Cum enim cæderentur Apostoli, contemnerenturq; propter Christū, illi uerò in precio honoreq; essent, ac sapientes putarentur, atq; hæc in Christo esse iactarent: quomodo, inquit, fieri potest, ut contraria conueniant contingantq; in eadem sentientibus? Proinde necesse est aut nos non sapere secundum Christum, aut uos. Atqui indignum est Christi Apostolos non sapere secundum Christum. uos igitur erratis.

Nos infirmi, uos autem fortes: uos nobiles, nos autem ignobíles.] Hoc est, nos agimur, persecutionem patimur, uos uerò summa securitate fruímini. Infirmitatem enim, passim tentationes uocat. Vos, inquit, celebres quidem estís & ingenui, nos uerò inglorij, nulliusq; momēti. Cuncta uerò hęc exacerbatus loquitur. Est nanq; huiusmodi sententia: Quī par est nos affligi, persecutionibusq; obnoxios esse, uos uerò securitate perfrui, adeoq; lætos dies transigere? Quare perspicuū est, non esse uos in bono statu, quippe qui nunc uos planè malè & indignè Apostolis geratis. Non debetis igitur eam ob rem erigere cristas. *Infirmitas.*

In hanc usq; horam & esurímus, & sitímus, & nudi sumus.] Quid, inquit, uetera recenseo? quę in præsentia geruntur, uide: quomodo uos in medijs delicijs agitis, nos autem omnino diuersum patimur.

Et colaphis cædimur.] Hoc est, uerberamur, isthuc autem ad inflatos dicit.

Et instabiles sumus.] Hoc est, agitamur, & ad fugam compellimur, siue exulamus. A Id uerò ad opulentos pertinet.

Et laboramus, propriis manibus operantes.] Hæc dicit rubore suffundens eos qui lucri gratia quæstusq; conantur audentq; concionari.

Dum maledicimur, benedicimus: dum persecutionē patimur, sustinemus: dum blasphemamur, obsecramus.] Et quod maius est his omnibus, non ægro ferimus ista animo. Vnde uerò hoc patescit: Inde sanè, quòd eos qui nobis malè faciunt, bonis excipiamus, pro malis bona pensantes. Laudamus enim eos, & bene eis precamur, qui conuicia in nos iactant, & eos qui contumelioßius erga nos feruntur, uel maiore nos iniuria

Blasphemia. adficiunt (blasphemia enim est asperior iniuria) illos inquam obsecramus siue adhortamur, hoc est, mansuetioribus & mollioribus eis uerbis occurrimus, eosq; excipimus.

παρακαλῶμεν. Hæc enim est παράκλησις, id est obsecratio, siue adhortatio mansuetos reddēs, cicurāsq; oratio. Propterea Christiani uidentur stulti, quandoquidem hæc faciant.

παράκλησις. Tanquam purgamenta mundi facti sumus, omniū peripsema hucusq;.] Ecquid est περικάθαρμα, purgamentum? Sordes quæ spongia abstergitur. Quādo enim sordidum quid abstergitur, purgamēta dicuntur sordes illæ, quæ absterguntur. Peripsema idem

Peripsema. significat. Circumradere enim quod græcè περιψᾶν, est ueluti spongia abstergere. Ait ergo, Nos abiectione sumus digni, ac ueluti abominationi habendi non solis Corinthijs, uerumetiam mundo & cunctis mortalibus: nec uno duntaxat tempore, sed ad

Christiano perpetuò certandum. hanc usq; horam. Obserua hîc qualem esse oporteat Christianum, quippe talem, quem adusq; finem certare sit operæprecium.

Non ut uos pudefaciam, hæc scribo, sed ut filios meos charissimos moneo.] Non rubore uos suffundo, hæc scribens: neq; praua & odiosa hæc mente dico, cæterùm ut filios: nec simpliciter filios, sed dilectos, non increpo, sed moneo. Ecquis uerò non sustineat admonentem patrem?

Nam si decem milia pædagogorū habeatis in Christo, sed non multos patres.] Quid igitur? alij non diligunt nos? Non eam, inquit, ad rationem qua ego: illi nanq; pædagogi sunt, ego uerò pater. Quemadmodū igitur in pueris fieri solet, ut sit pater unus, pædagogi uerò multi fortasse: ad unius autem amorem, patris nimirū, si conferantur, multum distat eorum adfectio, sic & nobiscum fit. Animaduerte hîc quomodo in Christo apposuerit pædagogis, ut ne omnino eos feriat & offendat. Verùm quod plus laboris habet, eis adiecit: id enim est pædagogum esse, multis laboribus esse occupatum. Charitatis autem excessum sibi ipse conseruauit.

In Christo enim Iesu per Euangelium uos genui.] Confirmat quomodo pater sit. Christi, inquit, ope uos genui, per Euangeliū. Non enim mihijpsi, ut plerique inter uos, adscribo imputóue rem, sed Christo. Non dixit aūt, docui, sed genui: naturæ uidelicet nomine dilectionem ostendens, quodq; propriū ualde, maximeq; genuini isti discipuli sui sint, ut ubiq; in epistola ea docet, ac planum facit.

Adhortor itaq; uos, imitatores mei estote.] Imitamini, inquit, me in omnibus: nec sapientiæ uel diuitiarum nomine efferamini, neq; cum fratribus dissideatis: uerùm eas tantum opes, eam esse ueram sapientiam nouerītis, charitatem nimirum erga Christum & fratres. Obserua autem dilectionis adfectum. * adhortatur enim, non imperat. Magnæ autem fiduciæ argumentum est, quòd sese exemplar quod imitentur, proponat.

** παρακαλεῖ, id est, rogat uel hortatur.*

Ideo misi uobis Timotheum, qui est filius meus dilectus & fidelis.] Quandoquidē uestri curam gero, non secus ac filiorum, misi uobis Timotheum. Ipse quidem uenire uolui, ut uos componerem, & in cōcordiam redigerem: quia uerò isthuc fieri haud potuit, misi uobis istum, qui est filius meus dilectus. Hoc autem dixit, ut partim monstret quāta eos charitate prosequatur, siquidem à Timotheo segregari sustinuerit propter ipsos: partim ut & ueneratione dignus eis reddatur.

In Domino.] Hoc est, non in temporarijs rebus fidelis, sed in ijs quæ ad Dominum pertinent. Itaq; & in ijs quæ ad uos pertinent, fidelem se ministrum præstabit.

Qui uobis ad memoriam reuocabit uias meas, quæ sunt in Christo, quemadmodū ubiq; in omni ecclesia doceo.] Non dixit, docebit, ut ne ægreferant, iuuenis enim erat

Timo-

A Timotheus, sed ad memoriam reuocabit: quæ iam antea nouistis, renouabit in uobis. Vias autem dicit, prædicationis uerbi dispensationem & formulas, regulas & consuetudines, ac leges diuinas, quanam ratione uidelicet obambulem, quòd non inflatus ut uos, neq; hæreses inducens & schismata. Quę sunt in Christo dixit, hoc est, nihil humani habentes, sed omnia secundũ Christum, uel quæ perficiuntur Christi auxilio. Submonstrabit autem uobis, quomodo in omni ecclesia doceã. Nihil enim noui dixi uobis, sed istorum omnes mihi sunt conscij. Itaq; pudeat uos quòd præter cæteras ecclesias à uijs meis desciuistis aberrastisue.

Tanquam non uenturus sim ad uos, sic inflati sunt quidam.] Cum dixisset, Misi uobis Timotheum, ne segniores redderentur, subdit: Etiamsi nunc non ueniam, ac idcirco nonnullos absentia mea inflarit, ueniam tamen. Indicat autem puerilem eorũ mentem atq; sententiã. Nam pueri absente præceptore solent incompositè sese gerere. Qui nam autem erant, qui erant inflati? Fornicator ille, cùm sapiens tum diues, ac simpliciter omnes qui ob huiusmodi efferebantur, qui, tanquam Paulus non esset qui ista argueret, erigebant cristas, & superbiebant.

Veniam autem ad uos citò, si Dominus uoluerit.] Hęc deijcientis superbos, adeoq; sobrios reddentis uerba sunt. Pulchrè uerò adiecit, Si Dominus uoluerit, omnia nanq; illius uoluntate aguntur.

Et cognoscam, non sermonem eorũ qui inflati sunt, sed uirtutem. Non enim in sermone regnum cœlorum est, sed in uirtute.] Quia eloquentiæ confidentes nonnulli, aspernabantur Paulum ceu idiotam & indoctum: Videbo, inquit, non eloquentiam uestram, nam ea non est opus: sed uirtute, qua signa etiam edantur, opus est. Nõ enim per orationis elegantiam prædicatum est cœlorum regnum, & confirmatum est, cæterùm per signa quæ spiritus uirtute ac potentia eduntur.

Eloquentiã Paulus non magni fecit.

Quid uultis? in uirga ueniam ad uos, an in charitate & spiritu mansuetudinis?] Per
B uirgam intelligit punitionẽ & pœnam. In uestro, inquit, arbitratu situm est quomodo ad uos perueniam, mansuetóne uel atroci animo. Nam si desides fueritis deprehensi, ueniam ad uos, & æquè puniam atq; Elymã. Sin sobrij fueritis, mansuetudinis spiritu utar. Est enim & spiritus austeritatis & supplicij, uerùm à commodiore officio eum nominat: perinde ac Deum miseratorem & misericordem dicimus, non uindicem, sceleruúmue punitorem ac ultorem, cum tamen etiam talis re uera sit.

Spiritus mã suetudinis, & spiritus austeritatis. Neem. 9. Ionæ 4.

CAPVT V.

OMnino auditur inter uos fornicatio, ac talis fornicatio, qualis ne inter gẽtes quidem nominatur, ita ut uxorem patris sui quis habeat.] Communem omnium accusationem facit, ut ne desides sint perinde quasi à delicto alieni sint, sed studeant adeoq; conentur potius corrigere tanquam commune opprobrium. Nec dicit quòd aut dacter transigatur, sed auditur. Quòd si audiatur sit intolerabile, multo minus tolerandum ut quis perpetrare audeat. Præterea inter uos, qui cœlestibus mysterijs donati estis ac spiritualibus. Amplificans autem accusationem & culpam isthanc, qualis, inquit, ne inter gentes quidem. nec dixit admittitur, uerùm ne nominatur quidem, ut coniugem quisquam patris sui habeat. Non dixit nouercam, sed uxorem patris, ut eo acrius ipse feriat, dum patris meminit. Honestius autem dixit, habeat, fornicationis nomen uerecundè fugiens, abominansq;.

Et uos inflati estis.] Ob doctrinã quæ est ab illo, sapiens enim erat. Obserua porrò Pauli prudentiã. Nusquam illum sermone dignatur, tanquam ignominiosum & indignũ, qui in medium prodeat. Cum alijs autem ceu de communi delicto & culpa loquitur.

Nec luxistis potius, ut è medio uestri tolleretur qui hoc opus fecit.] Debebatis, inquit, lugere, quoniam in communem ecclesiam calumniam peruenit. Conueniebat etiam ut oraretis & ploraretis tanquam super morbo & peste, ut tolleretur ex uobis, hoc est, resecaretur ceu publica noxa. Neq; nominis eius hîc meminit, uerùm dixit, Qui opus hoc fecit.

Ego sanè tanquam absens corpore, præsens autem spiritu, iam iudicaui ceu præsens.] Non expectat suum ipsius aduentum, ut tum uinciat, cæterùm tanquam pestem festinat comprimere & coercere priusquã totum ecclesiæ corpus inficiat. Præsens autem spiritu dixit, ut compellat eos ad pronunciationem, atq; perterrefaciat, ut qui sciat

quæ

Universidad de Deusto
Biblioteca

quæ illic iudicaturi sint, nec ignoret per spiritum quid nam agant. Quod ait, Iam iudicaui tanquam præsens, non dimittit eos per hoc aliud quicquam cogitare. Ego, inquit, protuli eam sententiam, neq; secus hac in re quicquam statuendum. A

Eum qui sic istud operatus est, in nomine Domini Iesu cõgregatis uobis, & meo spiritu.] Vt ne uideatur arrogans, eos adsumit consortes: congregatis uobis, inquiens, in nomine Christi, hoc est, ut conuentus nõ fiat humano quopiã adfectu, sed secundum Deum, ut Christus ipse uos congreget, super quo etiam conuenitis. Adiunxit autem & exhibuit ipsis suum etiam spiritum, ut ne ipsum dignentur uenia, néue condonent ei noxam, sed rectè iudicent, æquè atq; ipse præstò esset.

Cum uirtute Domini nostri Iesu Christi, tradere talem Satanæ.] Hoc est, uel q; Christus talem uobis dare queat gratiam, qua posſitis diabolo eum tradere: uel q; & ipse uobiscũ aduersus istum ferat suffragiũ. Nec dixit, Dedere, sed tradere siue cõmittere, subaperiens ei resipiscentiæ ianuas. Neq; nominis eius rursus meminit, sed talem dicit.

In interitum carnis, ut spiritus saluus sit in die Domini Iesu.] Hoc est, ut morbo eum maceret & tabescere faciat. Cum enim ex corpore ac delicijs cupiditates prodeũt, corpus puniri uult, uti spiritus, id est anima, seruetur. ea nanq; cõseruata, & corpus conseruabitur. Vel ut spiritus, id est charisma seu donum spirituale, saluum ei seruetur, nec ab eo ceu ex impio discedat. Id porrò curã gerentis potius est, quàm punientis. Pulchrè autem dici illius meminit, ut & illi sibi metuentes, medicinam adferant, isq; hanc recipiat. Metam autem diabolo statuit, æquè atq; in diuo Iobo, ut corpus tantum, non autem animam attingat.

Anima seruata corpus etiam seruatur.

Iob 2.

Non bona est gloriatio uestra.] Obscurè & clanculum subindicat quòd ipsi non permiserint eum resipiscere, gloriantes eius nomine. Nam ex Corinthiorum sapientibus quispiam erat.

Nescitis q; modicum fermenti totam massam fermentat?] Et uestri, inquit, nõ illius tantummodo curam habeo. Nam neglectum malum facilè reliquum ecclesiæ corpus deperdere & uastare potest. Vt enim fermentum, modicum cum sit, totam massam fermentat, ac in seipsum alterat: sic & huius peccatum ad sese plerosq; alios attrahet. B

Expurgate itaq; uetus fermentum, ut sitis noua conspersio, quemadmodum estis azymi.] Hoc est, fornicatorem istum eijcite, imò & alios malos: uetus enim fermentũ, omnis generis uitia nominat. Nec dixit Purgate, sed expurgate, hoc est, summa diligentia purgate: ut sitis noua massa, siue conspersio, quæ non sit mixta uitijs & malitia, quemadmodum estis, hoc est, sicuti decet uos esse: sine fermento, id est, uetere malitia, quæ acetosa est, & mordicans per pœnitentiam.

Fermentũ uetus.

Etenim pascha nostrum pro nobis immolatus est Christus.] Quia azymorũ, hoc est fermento uacantium panum meminit, atq; hi paschatis tempore edebantur, simulatq; per allegoriam quid sint azyma explicauit, nimirum affectio uel animus uitijs nõ contaminatus: quid pascha sit allegoricè, in medium promit: Christus, inquiens, pascha nostrum est pro nobis mactatus & immolatus. debemus igitur azyma, id est, omne mab omnibus uitijs puritatem amplecti.

Azyma quæ sint Paulo.

Ferias itaq; celebremus, non in fermento ueteri, neq; in fermento malitiæ & uersutiæ.] Ostendit q; omni tempore feriarum sit occasio & opportunitas Christianis, propter excellentiam traditorum illis bonorũ. Ob eam enim causam occisus est filius Dei, ut te feriari & festos dies celebrare faceret: non in fermento ueteris Adami, neq; in uita uitijs plena, uel, quod peius est, uersutia. Malus enim est, quisquis malè agit: uersutus autem, qui & cum profunditate, ac dolosa mente malè agit.

Malus. Versutus.

Sed in azymis syncerítatis & ueritatis.] Hoc est, in uita syncera siue pura, ut opponatur malitiæ: & uera, hoc est, hypocrisi ac dolo uacante, ut uersutiæ opponatur. Vel ueritatem intelligere poteris ad discrimen ueterum figurarum, quæ non fuerunt ueritas. Vult nanq; Christianum ueteris testamenti figuris superiorem esse. Vel syncéritatem accipies, puritatem quæ per opera fit: ueritatem autem ipsam contemplationem.

Syncerítas. Veritas.

Scripsiq; uobis in epistola, ne commiscemini fornicatoribus.] In qua epistola? in hac ipsa. Cum enim suprà dixisset, Expurgate uetus fermentũ, suspicati essent fortasse sibi ab omnibus fornicatoribus ab alijs etiam qui apud Græcos essent, temperandum, seq; ab ijs segregandos. Interpretatur igitur istuc.

Et non

A Et non omnino fornicatoribus mundi huius, aut auaris, aut rapacibus, aut idolorũ cultoribus, alioqui debueratis ex hoc mundo exisse.] Omnino tanquam in reconfessa ac manifesta posuit. Hæc uerò huius orationis est constructio, Et omnino non prohibui ne cum mundi fornicatoribus conuersaremini, hoc est, Græcis: quandoquidem alium terrarũ orbem oporteret uos inquirere. Quî enim fieri potest, cũ in una eademq; urbe plures sint Græci & peccatores, ut non commisceamini talibus?

Nunc autem scripsi uobis, non commisceri, si is cum frater nominatur, sit fornicator, aut auarus, aut idolorum cultor, aut conuiciator, aut ebriosus, aut rapax. Cum huiusmodi nec cibum sumere.] Viden' non unicum solummodo scortatorem fuisse, sed plures alios adeoq; uarijs sceleribus defermatos? Et quomodo qui frater est, idolorum esse cultor potest? Quemadmodum in Samaritanis olim contigit, qui ex dimidia parte pij essent, Deiq; cultores uidebantur: sic in huiusmodi accidit. Ex his enim nonnulli idolis planè detinebantur adhuc. Præterea præstruit etiam sermoni, quem de ijs qui idolis immolata edebant, habiturus est, uiam. Probè autem dixit, Qui frater nominatur. Siquidem nomen tantummodo fratris habet, reuera autem frater non est, quisquis enumeratis uitijs obnoxius fuerit. Quod inquit, ἢ πόρνος, sit fornicator, potest etiam per disiunctiuam coniunctionem intelligi, perinde ac sequentia, ut sit, Aut fornicator. potest etiam ut uerbum accipi, pro eo quod est, Si quis frater nominatus, sit fornicator, & quæ deinceps sequuntur. Cum huiusmodi ne cibus quidem sumendus, ut agnoscens se abominationem nauseamq; esse propter scelus, ab eo sibi temperet atq; abstineat.

Samaritani dimidia parte pij.

ἢ uerbum, id est, ἤτε coniunctio, id est, aut.

Quid enim mihi de ijs qui foris sunt, iudicare?] Eos qui foris sunt, Græcos siue gentiles nominat: qui intus, Christianos. Nulla enim facio uerba de ijs qui foris sunt: tantum enim est quod ait, Extra meas isti leges sunt: superuacaneũ itaq; fuerit legem sancire ijs qui extra Christi regiam & aulam agunt. Quæcunq; enim lex loquitur, ijs qui sunt in lege loquitur. *Rom. 3.*

B Nónne de ijs qui intus sunt, uos iudicatis? eos uerò qui foris sunt, Deus iudicabit.] Nonnulli particulam ἢ, id est nõ, siue nónne, puncto interstinguunt, deinde ab alio principio sine interrogatione legunt. De ijs qui intus sunt, uos iudicatis. Cum enim iam prà dixisset, Quid eñ mihi de ijs q foris sunt, iudicare? subintulit, Nõ. quasi dicat, mea nihil refert illos iudicare. Quidam uerò iunctim cum interrogatione legunt, Nónne de ijs qui intus sunt, uos iudicatis? hoc est, Nónne Christiani uobis iudicandi sunt? Eos uerò qui foris sunt, horribilior iudex excipiet. Proinde si à uobis, qui intus sunt, iudicantur, euadent atrocius Dei iudicium.

Auferte malum ex uobis ipsis.] Meminit scripturæ loci ex ueteri Testamento, ut commonstret quòd ueteri etiam adeoq; superno legislatori placuerit ut scelerati excinderentur. Quod ait, Ex uobis ipsis, indicat maiorem in cõmoditatem ipsis cedere praui extirpationem sublationemq;. *Deut. 13. 17. & 19. Improbi è medio tollendi.*

CAPVT VI.

AVdet aliquis uestrûm, habens negocium aduersus fratrem suum iudicari apud iniustos, & non apud sanctos?] Plericq; in pecuniarijs causis dissidentes, apud Græcos iudices contendebant, tanquam legum peritos. Hoc igitur nunc corrigit, quod obiter in mediũ incidit. Postquã enim mentionem fecit auarorũ, actutum efferbuit solicitudine talia patrantium. Intuere autem quomodo statim ab initio indignationem suam ostendat, audaciam appellans rem istam ac præuaricationem. Non dixit porrò, Apud infideles: sed, Apud iniustos. Cum enim is qui apud iudicem disceptat, iustum adsequi laborat, ostendit eos iustum haud consequi. Iniusti enim sunt, inquit, sententiam proferentes Græci. quî igitur tibi iustè iudicabunt? Sanctos, fideles appellat, ex ipsis nominibus differentiam demonstrans. alij nanq; iniusti sunt, alij uerò sancti. *Sancti fideles.*

An nescitis quòd sancti mundum iudicabunt?] Quia fideles plericq; indocti non uidebantur idonei, eiúsue authoritatis, ut litem dirimerent uel causam aliquam, authoritatem illis conciliat: primùm quidem sanctos eos appellans, deinde adseuerans quòd mundum sunt iudicaturi, non ipsi quidem sedentes, ac sententiam proferentes, Dominus enim iudicabit; uerùm condemnabunt. Cum enim ipsi qui eiusdem erant

naturæ,

Rom.2. naturæ,& ſimilibus affectionibus obnoxij inuenti fuerint fideles, illi uerò infideles, A
1.Cor.6. nónne iſthæc condemnatio eſt infidelium?

Quod ſi in uobis iudicatur mundus,indigni eſtis iudicijs minimis.] Obſerua q̃ non dixerit, à uobis iudicatur, ſed in uobis: hoc eſt, à Deo quidem iudicatur, in uobis aũt condemnatur, dum uos argumento eſtis q̃ credideritis. Quod ait,indigni eſtis iudicijs minimis,talem habet ſententiã. Cum enim ueriſimile eſſet à Chriſtianis iudicatos pudefieri,è diuerſo,inquit,contumeliam retuleritis,ſi ab illis qui foris ſunt, hoc eſt ab infidelibus iudicemini.illorum enim iudicia ſunt minima,non Chriſtianorum.

* μὴτοιγε βιωτικὰ, id eſt, nedũ mũdana,ſiue uitalia, hoc eſt,non ſolũ res ad uitã aut uitæ uſum pertinentes.

Neſcitis, quòd angelos iudicabimus? * quanto magis ſecularia.] Angelos dæmones appellat, quos cõdemnabimus,quando nos carne ueſtiti,incorporeis iſtis ſubſtantijs excellentiores fuerimus reperti.

Angeli dæmones.

Iudicia igitur de rebus temporarijs ſi habeatis,qui in eccleſia cõtempti ſunt, eos conſtituite. Ad uerecundiam ueſtram dico. Sic non eſt inter uos quiſquam, qui poſsit iudicare inter fratrem ſuum?] Ab infidelium iudicijs eos reuocare uolens, ex abundanti adijcit: Forſan dixerit quiſpiam, q̃ non ſit ſapiens in eccleſia,qui dijudicare poſsit. Si enim ſecundum ueſtrum ſermonem nõn eſt ſapiens,contemptos potius iudices conſtituite, quàm infideles. Iſtuc autem dixi ad confuſionem & uerecundiam ueſtri, conſentiens uanæ opinioni ueſtræ: quandoquidem tanta eſt raritas ſapientum apud uos, ut uiles & indoctiores ſententias ferre oporteat. Fratrem ſuum adiecit, indicans quòd ſiquando aduerſus fratrem ſit contentio, non ſit opus uaria rerum cognitione & ſcientia ceuſa terna adfectione multum faciente ad diſceptationis dilutionem.

Sed frater cum fratre iudicio contendit, & hoc apud infideles.] Duplex malum, & quòd erga fratrem ſit iudicium, & quòd apud infideles.

Iam quidem omnino delictum eſt in uobis, quoniã iudicia habetis inter uos.] Antea ſuſtulit contentiones & iudicia apud infideles, nunc autem prorſus ipſam diſceptationem tollit, inquiens: Omnino eſt delictum, id eſt, condemnatio & pudor. Nam omnino habetis iudicia, hoc eſt, cauſas iudiciarias alius erga alium habetis, hoc enim eſt quod ait, inter uos. Significanter autem hoc dixit. Nam Chriſtianorum refert ſeſe inter ſe fratres reputare. B

Iniuriã pati melius eſt quàm inferre.

Quare non magis iniuriam accipitis? quare non magis fraudem patimini? ſed ipſi iniuriam infertis, ac defraudatis, idq; fratres?] Multiplex eſt accuſatio. Prima quidem, quòd non nouerunt iniuriam qua adficiuntur, ſuſtinere: altera, quòd ipſi potius iniuriam inferant: tertia, quòd fratribus faciant. Pulchrum eſt autem, inquit, neq; iniuriam facere, neq; iniuria adfici: in ſumma autem, melius eſt iniuriam pati.

An neſcitis quòd iniqui regnũ Dei non poſsidebunt?] In minas admonitionẽ terminat, uehementiorẽ ſermonẽ reddens: ac ueluti in re cõfeſſa & certa ipſos interrogat.

Ne erretis.] Hîc occultè indicat fuiſſe nonnullos apud Corinthios, qui dicerent: Clemens eſt Deus, nec puniet nos, uerùm in ſempiternum regnum introducet. Ait igitur, ne erretis. Etenim reuera erroris eſt & impoſturæ, hîc ſperare commoda, poſthac uerò illic diuerſum conſequi.

Molles.

Neq; fornicatores.] Condemnatum iam primo loco ponit.

Neq; idolorum cultores, neq; mœchi, neq; molles.] Molles, turpia patientes nominat. Infert autem iam turpia quoq; agentes.

Matt.5. Ebrietatis mala.

Neq; maſculorum concubitores, neq; auari, neq; fures, neq; ebrioſi, neq; maledici, neq; rapaces, regnum Dei poſsidebunt.] Quærunt multi, cur nam ebrioſos, & maledicos ſiue conuiciatores, cum idolorum cultoribus & maſculorum concubitoribus iunxerit. His obſeruandum, quòd & Chriſtus eum qui dixerit fratri ſuo fatue, reum faciat gehennæ: quodq; Iudæi ex ebrietate ad idololatriam peruenerunt. Deinde hîc non habetur ratio pœnæ ac ſupplicij, uerùm de eo quòd quiſquam è regno excidit. E' regno autem pariter omnes excidunt: num uerò in pœnis ſint diſcrimen habituri, nõ eſt præſentis loci indagare.

Et hæc quidam fuiſtis, ſed abluti eſtis, ſed ſanctificati eſtis, ſed iuſtificati eſtis in nomine Domini Ieſu, & in ſpiritu Dei noſtri.] Intelligite à qualibus malis nos liberarit, quantaq; nobis bona largitus ſit Deus. Habebatis enim uos hæc omnia cõmemorata, uerùm ab ijs uos mundauit Deus, imò & ſanctificauit. Quomodo? iuſtificans, inquit,

uos,

A uos. Abluit enim uos, deinde iustificans sanctificauit: nō huius uel istius doctoris præceptorisue nomine, cæterùm in Christi nomine, spiritu̇ sancto. id est, Trinitas ista nobis donauit. Cum enim dicit quòd Deus in nomine Christi & spiritu sancto nos sanctificarit, nihil aliud quàm trinitatem ponit.

Omnia mihi licent, sed non omnia expediunt.] Quia fornicatoris suprà meminit, deq; eo rursus est uerba facturus, interspergit interim sermonem de gulositate & crapula. Ex hac enim plerūq; fornicationis malum prouenire solet. Ait ergo: Licet mihi edere & bibere, sed non prodest immoderatè isthuc facere. *Fornicatio ex crapula ferè oritur.*

Omnia mihi licent, sed ego sub nullius redigar potestate.] Dominus, inquit, sum cibi potusq;, uerùm si me istis immoderatè dedā, seruus eorū pro domino inueniar. Quorū enim, inquit, Deus uenter est. Proinde à nullo horum in potestatem redigar. *Phil. 3.*

Escæ uentri, & uenter escis.] Ventrem, gulositatem & crapulam dicit, non membrum nostrum: escas autem, immoderatum escarum usum. Ait ergo, immoderatum ciborum usum & luxum, amicitiam & familiaritatem cum gulositate habere, hánc- que cum illo. Nec possunt nos hæc ad Christum perducere, sed ad sese transmittunt obtemperantes sibi: nimirum immoderatio ad gastrimargiam, siue gulositatē, gastrimargia uerò ad immoderationem. *Crapulæ mala.*

Deus autem & hunc & has destruet.] Non uentrem, sed gulositatem: neq; cibum, sed immoderatum eorum usum. Destruet siue abolebit, nonnulli pro prędictione accipiunt eius quod in futuro seculo euenturum est. nam illic neq; edemus neq; bibemus. Quòd si illic non licebit modicè cibo potuq; uti, multo magis immoderatio & gulositas condemnabitur & tolletur. Theologus autem statim uentrem aboleri dicens cum cibis destructioni obnoxijs, indicauit q; simul atq; saturatus fuerit uenter, destruitur, qui adeò multa interim inquirat. Quidam hic adseuerant, quòd adhortationem hîc oratione & uoto signauerit & concluserit, summis uotis orans & expetens uti destruatur tum immoderatio, tum gulositas.

B Corpus autem non fornicationi, sed domino, dominus autem corpori.] En q; fornicationis causa de gastrimargia seu gulositate locutus sit primùm, commonstrauit. Consequens enim erat dicere, Corpus non cibis, neq; aluo: ille uerò non sic dixit, sed fornicationi: ob oculos adeò ponens quisnā sit deliciarum & crapulę effectus, nempe scortatio. Quod autem ait, est huiusmodi: Corpus non eum in finem formatum est, ut delicietur, & in fornicationem incidat: cæterùm ut Christum ceu caput suum sequatur, ac rursus Dominus ceu caput illi insideat. *Deliciarum & crapulæ effectus, scortatio.*

Deus uerò & Dominum suscitauit, & nos suscitabit per uirtutem suam.] Ne, inquit, angaris animo si audias Dominum à Deo excitatum. Tāquam autem infantes sint, sic sese illis accommodat. Quoniam autem de patre omnes magna sentiebant, quippe de quo constaret ipsum esse causam & autorem omnium rerum, eam ob rem resurrectionem patri refert acceptam, nosq; ab eo excitandos demōstrat. Vt enim caput nostrum, Christum uidelicet, excitauit: non dissimilem ad modum, reliquum etiā corpus Christi, nos nimirum, excitabit. Autoritatem autem et fidem faciens sermoni huic suo adiecit, per uirtutē suam. perinde ac dicat: Ne dubitetis hac de re, cuius iam memini: Virtus namq; siue potentia Dei magna & præclara transigens, isthuc etiam faciet. Quòd uerò patri ceu autori Christi excitationē adscribat, planū est ex eo quod Dominus de se ipse dicit: Soluite templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud: & rursus scriptum est, Exhibuit seipsum uiuentem. Quare cum ipse seipsum excitauerit, patri suo ceu autori rem istam attribuit. *Pater resurrectionis autor. Ioan. 2. Actuum 1.*

Nescitis quòd corpora nostra sint membra Christi?] Redit denuò ad propositam admonitionem, quæ contra fornicationem erat suscepta. Horribilissimo autem argumento orationem auspicatur.

Tollens ergo membra Christi, faciā membra meretricis? Absit.] Non dixit copulabo scorto, uerùm, quod est multo horribilius, faciam membra scorti? Quis enim non exterreatur? quis non horreat, si audiat membra Christi auelli, fieriq; scorti membra?

An nescitis q; qui adhæret meretrici, unum corpus est? Erunt enim, inquit, duo in carnem unam.] Confirmat quod dixit, quomodo uidelicet scorti membra efficiātur, quæ sunt Christi. Per cōmixtionem, inquit, uir unum cum scorto efficitur: quare &

Universidad de Deusto
Biblioteca

membra eius, quæ fuerunt membra Christi, in scorti membra permutata sunt.

Qui autem adhæret Domino, unus spiritus est.] Obserua quomodo ab ipsis nudis uerbis scorti & Christi, promoueat accusationẽ, uehementiorẽ ipsam reddens. Qui Domino, inquit, agglutinat, nihil aliud quàm spiritus efficitur, dum nihil carnale trãsigit, hoc est, spiritualis efficitur. Domino eñ uniri, sanctificationẽ spiritus ipsi suppeditat. Per hæc autem cõmonstrauit quónam modo fideles membra Christi effictãtur. A

Concupiscẽtiæ carnalis ardor.

Fugite fornicationem.] Ceu persecutricem, quæ nunquam nõ corporibus nostris immineat, & fugere nos eam adhortatur, ut omnibus uiribus nostris ab ea abstineamus, consulens. Nihil enim adeò nos persequitur, ut carnea ista concupiscentia.

Fornicationis immẽditia.

Omne peccatũ quodcunq; fecerit homo, extra corpus est: qui uerò fornicatur, in propriũ corpus peccat.] Fornicatione totũ corpus, inquit, coinquinatur: unde & ad balneas accurrere solẽt qui fornicati sunt, ceu corpore iam polluto. In ipsum itaq; corpus delinquit scortator, contaminans ipsum, sordibusq; conspurcans. Ac etiãsi cædes per corpus fieri uideatur, non omnino tamen corpus coinquinat. Nam uerisimile est lapide petere, uel ligno, uel alio quopiam instrumento, & non inquinari corpus: fornicationẽ autem citra corpus perficere, impossibile est: unde necessariò etiã coinquinatur. Attollere adeoq; exaggerare uoluit rem de qua instituerat adhortationẽ. Non enim omnino omnium pessima est fornicatio. Alias etiam quasdam dilutiones ad id noui. Qui fornicatur, in proprium corpus peccat, quatenus non facit ísthuc, spe accipiendæ sobolis, neq; cum legitima coniuge miscetur, sed frustra ipsum corrumpit seminis profusione, ac debilitat. Rursus aliter: Qui fornicatur, in fœminam cui miscetur, peccat, quæ corpus ipsius est per congressum. Quatenus enim non miscetur ei legitimè, peccat in ipsam. Atqui magni Ioannis dilutio cunctis est præstantior, prima nimirum. Ambigunt autem hîc nonnulli, in quæstionem uocantes, quid igitur inuidia? Nónne & ea liquefacit corpus, adeoq; dissoluit? Verùm diluunt ad hunc rursus modum. Inuidia est affectio siue passio, non actio: de actione autem nunc sermo Apostolo. Ait enim: Omne peccatum quodcunq; fecerit homo: nõ tamen de passione loquitur. Inuidia enim non fit à nobis, sed efficitur in nobis. *Homicidiũ.* *Inuidia est passio, non actio.* B

An nescitis quòd corpora uestra sint templũ spirituſſancti, qui est in uobis, quem habetis à Deo?] Vehementius eos perterrefacit doni magnitudine, hoc est spiritus, tum dignitate donantis, hoc est Dei. Templum, inquit, factum estis nimirum sancti spiritus. Ne igitur polluatis templum istiusmodi sanctum, neq; inutile reddatis Dei eximium donum. à Deo enim habetis & donum, & spiritum.

Ueris nostri non sumus. Liberũ esse nostrum arbitrium.

Et nõ estis uestri ipsorũ, siquidem empti estis precio.] Sub Domino, inquit, estis, nihilq; proprij habetis, ne ipsum quidem corpus. empti enim estis precio, nẽpe per sanguinem Christi. Proinde artus uestri alij Domino sunt subiecti, & quò uult ille, duci oportet eos. Hæc autem dicens, non tollit propriã hominis potestatem, seu liberum arbitriũ, cæterũ par & iustum esse monstrat, nos Deo seruire, à quo & empti sumus.

Glorificate Deum in corpore uestro.] Postq; empti estis, inquit, glorificate Deum in corpore uestro, bona opera per corpus perficientes, sanctumq; ipsum seruantes & purum. Glorificatur enim Deus, quum bona opera nostra homines uident, ac deinceps Deum glorificant.

Cordis adulterium.

Et spiritu uestro.] Ostendit q; non corpore tantùm sit euitãda fornicatio, cæterùm & anima, ut mente non coinquinetur. Spiritum enim mentem & intellectum nominauit. In corde nanq; adulterium, in Euangelijs etiam interdictum est.

Matt. 5

Quæ sunt Dei.] Assiduè in memoriam reuocat q; non simus nostri ipsorũ, uerùm sub Domino Deo censemur, qui & animã & corpus nostrũ sanguine mercatus est.

CAPVT VII.

De quibus autem scripsistis mihi.] Sectas correxit, tum fornicationem & auaritiam: iãnunc uerò de nuptijs & uirginitate constituit. Scripserant enim ei, num sit abstinendum ab uxore, an secus.

Matrimonium tutius est.

Bonum est homini mulierem non tangere.] Bonum, inquit, & eximia res est cuiuis mortalium, nec soli sacerdoti, perinde ac nonnulli malè intelligunt, mulierẽ prorsus non attingere, sed uirginem permanere. Tutior autem, nostramq; plurimùm imbecillitatem adiuuans est matrimonij res. Subinfert igitur:

propter

A Propter fornicationes autē unuſquiſq; propriā uxorē habeat, & unaquæq; ſuū uirū.] De utraq; parte diſſerit. Veriſimile eſt enim uirum cōtinentiā amare, mulierē autem non item: aut è diuerſo. Propter fornicationes autem, dicens, cōpellit nos ad continentiam. Si enim propter fornicationes nuptiæ permittuntur, non debent poſthac matrimonio iuncti intemperanter, ſed pudicè ac moderatè congredi. *Coniugatorum continentia.*

Vxori maritus debitam beneuolentiam reddat, ſimiliter & uxor marito.] Debitū (inquit) habetis, mutuam erga uos beneuolentiam. Quatenus igitur debitum, neceſſarium eſt ut eam beneuolentiam inter uos mutuò præſtetis.

Vxor propriį corporis nō habet poteſtatē, ſed maritus: ſimiliter autem & maritus propriį corporis poteſtatem nō habet, ſed uxor.] Quòd debitū ſit, & ueluti neceſsitas mutua inter maritū & uxorem beneuolentia, nūc illud ipſum demonſtrat. Nō enim, inquit, poteſtatem habent corporum, ſed enim uxor & ſerua eſt & domina mariti: ſerua quidem, quatenus non habet propriį corporis poteſtatem, ut tradat ipſum quibus uelit, cæterū maritus dominatur in ipſum: domina uerò, quatenus rurſus mariti corpus ipſius eſt, nec habet is corporis ſui poteſtatem, ut tradat ipſum ſcortis. Conſimilem ad rationem maritus eſt cùm ſeruus tum dominus ſuæ coniugis. *Vxor et ſerua & domina mariti: & contrà.*

Ne defraudetis uos mutuò, niſi quid ex conſenſu ad tempus.] Hoc eſt, inuito marito ne contineat uxor, uel maritus nolente uxore ne contineat. Alterum enim altero inuito iſthuc facere, eſt defraudare, quemadmodum & de pecunijs dicitur: uolente uerò, non item, ceu quando ex conſenſu, quando utriq; ſegregauerint aliquid temporis, ut abſtineant inter ſeſe.

Vt uacetis ieiunio & orationi.] Interpretatur quomodo dixerit ad tempus, ſiue quando tempus fuerit uacare orationi, hoc eſt, intenſè orandi. Non enim dixit ſimpliciter, Vt oretis: ſed, Vt uacetis orationi. Si enim ſimpliciter ab orādo eos qui cōgreſſu utūtur, arceret, uel orare prohiberet, quomodo alibi diceret, Inceſſanter orate? Vt igitur oratio feruentior fiat, Abſtinete, inquit, alius ab alio: ueluti congreſſus non impu- B ritatem faciat, ſed negocium faceſſat. *1. Theſ. 5*

Et rurſus in idem cōueniatis, ne tentet uos ſatanas. Propter incontintentiā ueſtrā.] Illud ut rurſus cōueniatis, inquit, nō ceu legē imponēs dico, ſed ne uos tētet ſatanas, ad fornicationē uidelicet. Quia uerò diabolus per ſeſe nō eſt autor fornicationis, ſed incontinentia primùm noſtra, ſubintulit, Propter incōtinentiam ueſtram. Ipſa enim eſt in cauſa cur ſatanas nos tentet.

Hoc autem dico ſecundū indulgentiā, non ſecundū imperium.] Illud ad tempus, inquit, ne defraudetis uos mutuò, per conceſsionē dixi, acquieſcens imbecillitati ueſtræ, non legem ſanciens uobis, aut mandatum quod tranſgredi non liceat.

Volo enim omnes homines eſſe ſicut & meipſum.] Siquando ardui quippiam demandet, ſolet ſeſe in medium proferre diuus Paulus. Ait igitur, optarim ut ſemper omnes continerent.

Sed unuſquiſq; propriū donum habet ex Deo, alius quidem ſic, alius uerò ſic.] Virginem, inquit, quempiam manere, donum Dei eſt. Atqui & noſtro ſtudio ea res opus habet. Quomodo igitur donum ipſum dicit: ut cōſoletur eos quos abundè percuſſerat, cum dixit, Propter incontinentiā ueſtram. Obſerua autem q; etiam nuptias donum faciat, inquiens: Vnuſquiſq; proprium donum habet, alius quidem ſic, hoc eſt, ut uirgo permaneat: alius uerò ſic, hoc eſt, ut in matrimonio ſit. *Cœlibatus, donū Dei.* *Nuptiæ, donum Dei.*

Dico aūt innuptis & uiduis, bonū eis, ſi permāſerint, ſicut & ego. Si aūt non continent, nubant: melius eſt em̄ nubere q; uri.] Viden' ſapientiā Pauli, quomodo meliorē monſtret eſſe continentiā, nec interim tamen cogat ſi quis non poſsit, ut ne peccatis flagitium cōmittatur? Si enim multā, inquit, uim ſuſtines & uſtionē (magna enim concupiſcentiæ tyrannis eſt) diſcede à laboribus iſtis & ſudoribus, nequādo ſubuertaris.

Iis aūt qui matrimonio iuncti ſunt præcipio, non ego, ſed Dominus.] Quia Dominus legem palàm ſanciuit nō debere fieri diuortium dempta fornicationis cauſa, propterea, Non ego, inquit, ſed Dominus. Antehac enim cōmemorata, non fuerūt apertè à Domino lege lata inſtituta, etiamſi quæcūq; Paulus dicat, Domini ſunt, & nō humana. Nam in progreſſu dicit: Puto enim quòd & ego ſpiritum Dei habeam. *Mat. 5 et 19.* *Pauli dicta diuina ſunt.*

Vxorē à uiro nō diſcedere, quod ſi diſceſſerit, manere innuptā, aut uiro ſuo recon-

culiari. Et uir uxorem non dimittat.] Quoniam seruandæ pudicitiæ gratia uel intolerantia quadam, uel alia quauis de causa fiunt diuortia. Satius quidē, inquit, est, ut nulla prorsus fiat seiunctio. Quæ tamen si fieri contigerit, maneat mulier uirum habens, et si nō ad cōmixtionem, sed saltē ut nullum alium superinducat: uel uiro concilietur.

Reliquis autem ego dico, non Dominus: Si quis frater uxorem habeat infidelem, ipsaq; cōsentiat habitare cum illo, ne dimittat ipsam. Et uxor cui maritus est infidelis, cui placeat habitari cum illa, ne dimittat ipsum.] Quid ais? Si infidelis quispiam sit, maneat cum uxore: si fornicarius, non item. atqui fornicatione deterior est infidelitas. Deterior quidē, sed nostra potius uindicat Christus, q̄ sua. Nam relinque, inquit, ibi uictimam meam, & fratri tuo reconciliare. Et decem talentorum millia contempsit si-
Matt. 5. Matt. 18. bi debita, sed contumeliam in eum qui centum denarios debebat factam, uindicauit. Sic igitur & hoc loco infidelitatem, qua constat in se delinqui, dissimulat Deus, & nihili ducit: ob fornicationem uerò qua in uxorem peccat, pœnas exigit. Dicūt tamen nonnulli, quòd per ignorantiam infidelitas contingat, qua uerisimile erat ipsos laborare. Quemadmodum & ipse ait: Quid enim nosti mulier, si uirum saluum facies? Fornicationem autem ex confessa quadam fieri & indubitata malitia, haud dubium est. Fornicator præterea seipsum prius separauit, auferens enim mēbra sua ab uxore, effecit mēbra meretricis. Infidelis uerò nihil in carnalem unionē peccauit. Imò potius per ipsam fortasse unietur & coniungetur etiam secundū fidem. Vt ne interim dicā quòd uitæ fieret euersio, carpereturq; ob id Euangelium, si credens ab incredulo seiungeretur. Id tamen tum quidem futurum intelligas, si utriq; cum in infidelitate essent, iniissent coniugium, postea alter ad fidem uenisset. Nam si prius fuisset aut uir
Fidelis cum infideli matrimonium non ineat. aut uxor fidelis, haudquaquā cum infideli iungi matrimonio licuisset. Nec dixit quidem, Si quis uult infidelem accipere: sed, Si quis habet infidelem uxorem. Nec simpliciter infideli fidelem, sed uolenti cohabitare facit. Id enim significat, quod ait Consentiat, hoc est, uoluerit.

Sanctificatus est enim maritus infidelis per uxorem, & sanctificata est uxor infidelis per maritum.] Hoc est, partis fidelioris abundanti puritate uincitur infidelis ipsius immunditia, neq; eo quòd sanctitatem adipiscatur infidelis, siquidem nō sanctus est dixit, sed sanctificatus est, hoc est, ab eius quæ fidelis sit, sanctimonia superatus est. Hæc autem dicit, ne uereatur fidelis aliqua mulier aut metuat se labe & sordibus infici, si cum infideli rem habeat. Quæritur autem: Quòd si quis qui meretrici adhæserit, unum iam corpus cum ea sortitus, sit immundus: perspicuum est, etiam eam quæ cum idololatra iungitur, unum cum illo corpus sortiri: cur igitur ex ea re non immunda redditur mulier? Quoniam in fornicatione illud ipsum in quo cōmunicant, commixtionem dico, impuritatem habet, eoq; uel utrosq; coinquinari: uerùm quod ad fidelem spectat & infidelem, longè se aliter res habet. Siquidem ob suam incredulitatem immundus efficitur infidelis, iuxta quam mulier cum ipso non communicat, sed
Coniugalis copula nullā habet immunditiam. iuxta commixtionem coniugalem, quam nullam habere in se immunditiem liquet. Est enim hæc illi cōnubij uinculis nexa. Propterea nullā fidelis ex eo labē admiserit.

Alioquin filij uestri immundi essent.] Nam si infidelis credentis nitore non uincetur, forent sanè quos pârerent liberi immundi, uel ex parte dimidia mundi.

Nunc autem sancti sunt.] Hoc est, non immundi. Nam per exuperantiam dictionis huius sancti, huiusmodi suspicionis metum reijcit.

Quòd si infidelis discedit, discedat.] Hos est, si utr infidelis uxori fideli iniungat ut secum sentiat, & particeps suę fiat infidelitatis, dirimat potius matrimonium mulier, & à uiro abscedat. Satius enim est connubium ipsum dissoluere, quàm pietatem & Dei cultum dimittere.

†uos habet codex Basilienſis, ut etiā in gloſſa. *Altercatio fugienda.* Non enim seruituti subiectus est frater aut soror in huiusmodi: in pace autem uocauit † nos Deus.] Si tecū ille eò, inquit, iurgatur, q; suæ infidilitatis participare nil toleres, confestim secedito. Non enim es huiusmodi seruituti subiecta, hoc est, nil cogeris uirum in rebus huiusmodi perpeti. Melius est enim secedere, q̄ altercari. Neq; enim diuinæ illud est uoluntatis, quippe qui uos in pace uocarit. Itaq; si ille litiget, & iurgijs urgeat, præbuit ille diuortij causam.

Quid enim nosti mulier, num maritum saluum facies?] Rursum ad id quod supe-

rius

A nius dixerat, redit, uidelicet, Non dimittat mulier uirum. Si enim tibi nihil molestus sit, inquit, maneto cum eo, & cõmonefacito: aliquid fortè hoc modo peregeris. Quasi rem in ambiguo statuit, cùm ne uideatur mulieri necessitatem ullam imposuisse, ut uiro Christi fidem excipiendam persuadeat: tum ut hanc reddat ad bene sperandum intentam, & à desperatione auertat.

Aut quid nosti uir, si coniugẽ tuam saluã facies? Nisi cuicp ut diuisit Deus. unumquencp ut uocauit Dominus, ita ambulet.] Nõnulli sic cõstruũt, Quid nosti uir, si mulierem saluam facies, necne? Deinceps quasi ex alio quodam capite dicat, Vnicuicp ut diuisit Deus, perinde ac si dicat, Vnde compertũ habes, si saluam facturus hanc sis, an minimè? id quidem est prorsus incertum. Quandiu res in ambiguo fuerit, haudquaquam est dirimendum connubium. Quòd si saluam non feceris, nil tibi officiet. Saluam autem hanc si reddideris, & alijs profuisti & tibi. At non ita legit Chrysostomus: sed, Nisi ut unicuicp diuisit Deus: qui sensus est longè potior. perinde ac si dicat Apostolus: Haudquaquã propter infidelitatem fiat diuortium, nisi unicuicp. hoc est, Sed unusquisq; sic se habeat, ut Deo de illo disponere placuit. Vxorem habens infidelem uocatus es? eam retineto, nec ob infidelitatem eam ejcias.

Et sic in omnibus ecclesijs dispono.] Hoc intulit, ut Corinthios, quandoquidem & alios habeant huius disciplinæ participes, ad obsequendum reddat paratiores.

Circuncisus aliquis uocatus est? Non adducat præputium.] Fieri poterat, ut multi quos defectæ pelliculæ puduisset, medicamento adposito & hanc niterentur iteratò farcire, & obscœnum illud concisum in pristinum statum redigere.

In præputio aliquis uocatus est? non circuncidatur.] Contrà, nonnulli, quod in cir
B cunctione præclarum quid esse uideretur, post fidem circuncidebantur. Ait igitur Apostolus, quòd ipsa ad fidem nihil conferat.

Circuncisio nihil est, & preputiũ nihil est, sed obseruatio mandatorum Dei.] Vbicp unà cum fide uirtutis exigitur operatio, siue mandatorum obseruatio.

Vnusquisq; in qua uocatione uocatus est, in ea permaneat. Seruus uocatus es? nõ sit tibi cure: sed et si potes fieri liber magis utere.] In uocatione qua uocatus es, hoc est, quocũcp in uitæ genere, uel ordine, uel conditione, Christi fidem susceperit quispiã, in hoc perseueret. Vocationem autem dicit inductionẽ ad fidem. Seruus cum esses, uocatus es? nihil sis uelim ob seruitutem hanc anxius, necp ob id obturberis. Vsq; adeò enim non est obstutura seruitus, cum potius si potes liber fieri, utere magis: hoc est, acrius seruitute exercere, in usumcp aliquem & utilitatem te conferto. *Vocatio quæ dicatur.*

Qui enim in Domino uocatus est seruus, libertus est Domini: similiter qui liber uocatus est, seruus est Christi.] Libertus dicitur, qui seruitute eximitur. Inquit igitur: Tu qui cum in seruitute maneres, credidisti in Christũ, libertus effectus es Christi. liberauit enim hic te à peccato, & seruitute exteriore, tametsi seruus sis. Qui enim à uitijs liberaũ, & animi ingenuitate potitur, nequaq; ultrà est seruus, etsi seruitute adhuc uideatur obstringi. Rursus alius quispiã liber cum esset, ad fidem uocatus, Christi seruus efficitur. Itacp si seruitutis nomẽ seruũ obturbat, intelligat in Christo se libertate hac uti: quod longè est humana libertate prestantius. Porrò si libertatis hoc nomen, liberũ hominum extollit intelligat idem esse se Christi seruituti obnoxium: comprimatcp se, utpote qui tanti Domini iugũ subierit, & debeat illi quę grata sunt, facere. Vides quàm prudenter Apostolus, quæ utrancp deceant partem, commonefaciat. *Libertus.* *Ioan. 8.*

Precio empti estis, nolite fieri serui hominum. Vnusquisque in quo uocatus est, fratres, in eo permaneat apud Deum.] Non solùm ad seruos huiusmodi differit, sed etiam ad liberos homines habet hæc uerba: & uniuersos instituit Christianos, ut nihil ad humanam gratiam factitent, necp illorum iussa qui praua iniunxerint, exequãtur. Hoc eñ esset hominibus seruire, & per eos prefertim qui à Deo redempti precio sint. Necp id eò intulit, ut à dominis desciscant mancipia, absit: necp enim id iubet: quod liquidò patet ex eo q̃d addit, Vnusquisq; in quo uocatus est, maneat: hoc est, uel si fuerit in seruitute uocatus, in ea hic perstet. Apud Deum autem adiecit, ne fortè improbis dominis obsequendo, deficiamus à Deo. Vtrisque enim prouidet, uidelicet ne sub Dei prætextu discedant à dominis, quorum in potestate eorum sunt corpora: & rursum ne à Deo deficiant, cùm dominis obsequi ultrà quàm deceat, uolunt. *Hominibus seruire q̃d dicatur.*

De uirginibus autem præceptum Domini non habeo, consilium autem do, tanquam misericordiam consecutus à Domino, ut sim fidelis.] Cum de continentia abundè disseruisset, castigasset{que} satis Corinthios, ad uirginitatem transgreditur, quæ cæteris longè est prestantior: ait{que} nullam Dominum tulisse de uirginitate legem, nec{que} de hac quicquam statuisse, sed unum illud dixisse: Qui potest capere, capiat. Quocirca nec{que} ipse ausim quicquam de illa re statuere: magnum enim hoc & periculosum: cæterùm consilium do quatenus ipse per ipsius misericordiam non indignus apud Deum sum habitus ut sim fidelis, hoc est dignus cui credatur: qui mysteri{um} cognitionem ut habeam, sum dignatus.

Matth. 19.

Existimo ergo hoc bonum esse propter instantem necessitatem, quoniam bonum est homini sic esse.] Vt sentio, inquit, à nuptijs abstinere conducit homini, propter rei uxoriæ difficultates atq; molestias, non immunditiæ gratia, aut quia impura debeat res illa haberi.

Vxoriæ rei molestiæ.

Alligatus es uxori? noli quærere solutionem. Solutus es ab uxore? Noli quærere uxorem. Si autem acceperis uxorem, non peccasti.] Cum ait, ligatus es, ob oculos posuit quòd nuptiæ ueluti nexus, adflictionem adferant. Solutionem autem, non eam quæ fit ex consensu continentiam dicit, uerùm disiunctionem quæ est præter rationem: nam si ex consensu contineant, ea non est solutio. Quia uerò dixit, Ne quæras uxorem, ne uideatur cœlibatum uelle statuere, adeo{que} matrimonium dissuadere, subdit: Si autem & duxeris, non peccasti. Animaduerte autem, quinam clanculum ad uirginitatem ac cœlibatum perpellat, nuptias nexus appellans, uirginitatem autem solutionem & libertatem.

Matrimonij nexus, cœlibatus libertas.

Et si nupserit uirgo, non peccauit.] Virginem hîc dicit, non eam quæ Deo consecrata sit (ea enim si nupserit, peccauit omnino, utpote quæ mœchum superinduxerit sponso suo Christo) sed innuptam dum puellam. Ea enim si nupserit, non peccauit: nec enim res impura est matrimonium.

Tribulationem tamen carnis habebunt eiusmodi. Ego autem uobis parco.] Solicitudines in matrimonio & mœrores obuenientes, tribulationē uocat. Ego autem (inquit) uobis parco, tanquam filijs, uoloq; liberos uos esse, extraq; mœrorem: tanquam matrimonium nexus quispiam sit, quiq; eo sint colligati, non sint sui iuris, ut suprà commemoratum.

Hoc autem dico fratres, tempus breue est. Reliquum est.] Cum dixisset, Adflictionem habebunt in carne: ne quis adijceret, Atqui & uoluptatem habebunt: subsecat & aufert quæ sunt uoluptatis, per hoc quòd tempus esse contractum & breue subinferat. Ad dissolutionem enim & interitum omnia uergunt, appropinquauitq; regnū Christi, ac in posterum ad ipsum proficisci & migrare debemus. Quare etiamsi nonnulla in matrimonio uoluptas est, ea tamen breuis est, exiguoq; temporis spacio durat: atq; hoc ipsum est tribulatio & adflictio.

Matrimonij uoluptas breuis.

Vt & qui habent uxores, tanquam non habentes sint: & qui flent, tanquam non flentes: & qui gaudent, tanquam non gaudentes: & qui emunt, tanquam non possidentes: & qui utuntur hoc mundo, tanquam non utantur.] Quòd si qui uxores habent, tanquam non habeant, esse debeant, quid deinceps commodat matrimonio adstringi, sibiq; ipsi onus inijcere? Quid porrò est, tanquam non habentes? pro eo accepit quod est, non adfixi, non omne studium circa nuptias & uxorem impendentes. Consimilem ad rationem, neque circa alia, siue ea tristia sint, quæ per flentes adumbrauit: siue delectabilia, quæ per gaudium denunciauit: neque circa contractus, siue permutationes, quas per emptionem indicauit: debent nimia cura tangi. Ecquid, ait, hæc & hæc simpliciter recenseo? Qui utuntur hoc mundo, non debent ipso abuti: hoc est, non sint nimia in ipsum cura intenti, non omni in eum studio & affectione incumbant. Abusus enim, est superfluus usus, decorum & modum exuperans.

Præterit enim figura mundi huius.] *παράγει*, id est præterit & dissoluitur. Quidergo amore eius tenemur, quod dissoluitur? Figurā autem appellauit, commonefaciēs omneis huius mundi res oculos tantum attingere, oculumq; pabulum esse atq; superficiem quandam fluxam, nihil stabile aut subsistens habentem,

Volo

A Volo autem uos absq; solicitudine esse.] Ecquí uacabimus solicitudine? si cœlibes permanserimus. Infert igitur:

Qui sine uxore est, solicitus est quæ Domini sunt, quomodo placeat Domino: qui uerò cum uxore est, solicitus est quæ sunt mundi, quomodo placeat uxori.] Quomodo uolens nos absq; solicitudine esse, ô diue Paule, ac propterea nos in cœlibatu asseruans, rursum dicis, Cœlebs de ijs quæ Domini sunt solicitus est: Ecce enim iterum nobis solicitudines prodeunt. Sed non tales, inquit, quales sunt matrimonij. Domini enim curæ salutares sunt, oblectabiles q; : mundi uerò curę noxiæ sunt, afflictionis q; & angustiæ plenæ. Quomodo enim nō fuerit afflictio & interturbatio, studere quò placeas cōiugi, maximè uerò uxori mūdi amanti & ornatus? dum q; aurū & margaritas, aliam q; id genus mollitiem acquirere laboras, unde ad iniquitatem miseri mortales impelluntur. unde & animæ nocentes rerum actiones emergunt? *Vxorū curæ.*

Diuisæ sunt uxor & uirgo.] Hoc est, differunt inter se mutuò, nec habent eandē solicitudinem, sed diuisę sunt studijs suis. hęc enim in hoc incumbit, illa uerò in illud. Proinde diuersæ sunt utrarumq; curæ. Quare seligenda est & præstantior, & minus laboris habens.

Innupta cogitat quæ sunt Domini, quomodo placeat Domino, ut sit sancta & corpore & spiritu. Quæ uerò nupsit, cogitat quæ sunt mundi, quomodo placeat uiro.] Nō satis est corpore uirginem esse sanctam, uerùm spiritus etiam sanctimonia requiritur. Hęc enim est uera uirginitas, animæ puritas. Quandoquidē multæ corpore quidem castæ & impollutę, anima uerò contaminatæ sunt. Atqui ísthuc considera, q nō sit uirgo, quæ anxiè quæ sunt mundi cogitat. Cum igitur conspexeris quampiā quæ castitatē uouit adeoq; promisit, solicitè incumbentē rebus mundi, noueris eam nihil discrepare à coniugata. Diuus enim Paulus fines utrisq; posuit quibus dignoscantur, non certè matrimonium & continentiam, sed curiositatem & tranquillitatem à curis uacuā. Quare quæ uarijs sese immiscet rebus, nō est uirgo. Anxiè porrò cogitat quæ
B iuncta est matrimonio, quí placeat uiro, partim formæ minimè negligens, partim uerò dum bona materfamiliās uideri uult, immisericordem sese & parcam ostendens.

Porrò hoc ad utilitatem uestram dico, nō ut laqueum uobis inijciam.] De uirginitate sermonem moui, sciens cōferre eam uobis rem, quòd mœrore solicitudineq; careat, animæq; sit utilior: non ut cogam uos, si nolitis uestrapte sponte cœlibes & uirgines permanere. Si quidem laqueum necessitatem nominauit.

Sed ad id quod honestum est, & ut Domino assideatis, ita ut ab eo auelli nequeatis.] Vt, inquit, honestè & in puritate uiuatis. Quid enim uirginitate honestius & purius? & ut liberi à nuptiarum turbis, citra auulsionem Domino seruiatis, ipsiq; adsideatis, curam uestram in ipsum transferentes. *Virginitatis cōmendatio.*

Sin quis turpe esse putet super uirgine sua, si fuerit superadulta, & sic oportet fieri, quod uult faciat, non peccat, contrahant matrimonium.] Sin quis, inquit, qui reuera sit imbecilli intelligentia, turpe esse censeat, filiam suam uirginem retinere, præsertim qui ætatis florē prætereat, Fiat, inquit, sic. Quomodo? quod animo fecerit faciat: hoc est, si uelit eam tradere marito, tradat, non enim peccatum admittit. Veruntamen melius est uirginem seruare, quemadmodum deinceps dicit.

Qui autem stat firmus in corde suo, non habens necessitatem, potestatem autem habens propriæ uoluntatis, atq; hoc iudicauit in corde suo, seruare suam uirginem, bene facit. Igitur & qui matrimonio iungit uirginē suam, bene facit: qui uerò nō iungit, melius facit.] Obserua quomodo statim ab initio admiretur eum qui seruet suam uirginem, stabilem ipsum & pulchrè incedentem, cumq; iudicio agentem quæ agat, asseuerans. Iudicauit enim, inquit, ac decreuit in corde suo. Itaq; qui uirginem suam nuptui tradit, nō stat firmus. Quod ait, Non habens necessitatem, significat quòd potestatem habeat ut det uirgini suæ maritum, neque quisquam sit qui cogat eum ne det. Honor itaque eius est seruare filiam uirginem, eámque ob rem laudatur. Bene enim, inquit, facit. Porrò qui elocat nuptum uirginem, & ipse bene facit, non enim peccatum est elocare. Omne autem quod non est peccatum, bene fit. Melius uerò est non elocare: uirtus enim est. *Bene est qđ quid peccatū nō est.*

Mulier alligata est legi quanto tempore uiuit maritus eius: si autem dormierit ma- *Rom. 7.*

Viduitatis cõmẽdatio.

ritus eius, libera est ut cui uult nubat, modò in Domino. Beatior autem est si sic manserit, iuxta meum consilium. Puto autem quòd & ego spiritum Dei habeam.] Decundis priore marito defuncto nuptijs hęc tradit, permittens quidem eas, attamẽ beatiorem eam iudicat, quæ alterum maritum non acceperit, in uiduo statu permanens. Quemadmodum uirginitas primis nuptijs seu matrimonio est melior, sic & prius matrimonium posteriori præstat. Alligata est igitur legi mulier, hoc est, continetur lege de adulterio cauenti ne adultera fiat, si alteri uiro copuletur uiuente marito. Sin defunctus fuerit, liberata est à primo nexu & lege, adeoq; solura est. Modò in Domino: hoc est, cum temperantia & decoro, in liberorum procreatione & præsidentia,

Cõsiliũ Pauli quale accipiendum.

non in libidinis affectione. Secundum uerò meum consilium dicit, ne rem istam necessitatem arbitreris, sed cõsilium, idq; diuinum. Puto enim, inquit, me spiritum Dei habere. Magnæ id humiliationis argumentum est. nõ enim dixit, Habeo: sed, Puto. hoc est arbitror, existimo.

CAPVT VIII.

De ijs autem quæ idolis immolantur nouimus quoniam omnes scientiam habemus. Scientia inflat, charitas ædificat.] Fuerunt quidam apud Corinthios perfecti, qui scientes quòd quæ ingrediantur in hominem, ipsum non coinquinẽt, quòd que idola sint lapides & ligna, nec possint nocere: indiscriminatim introierunt ido-

Idolothyta.

lorum delubra, atq; comederunt idolis istis immolata. Hos alij imperfectiores uidentes, ingressi sunt & ipsi delubra, atq; idolothytis uescebantur, non eadem sententia, uerùm ceu idola ista preciosum quiddam forent, ac digna quibus immolationes fierent. Hoc itaq; ad zelum prouocauit diuum Paulum, quippe quod utrisq; obesset: perfectis, tanquam ijs qui dæmoniacis mensis fruerentur: imperfectis, tanquam ij ad idolo B
rum culturam impellerentur. Accelerat igitur emendare hoc, ad perfectos differens, imperfectioribus dimissis pro sua consuetudine. Ac primùm deijcit ipsorum in scientia fastum, inquiens: Non uos soli scientiam habetis, sed nos omnes ex æquo tenemus quòd nihil sit idolum in mundo. Verùm scientia adeò non solum non prodest, ut potius etiam obsit, inflans & intumescere faciens habentem, ac propterea abscindens à proximi membro, nisi charitatẽ unà secum habuerit, quæ è diuerso ædificare potest. Quæcunq; enim scientia citra charitatem destruit, hæc charitas excitat reædificatq;, omnia in proximi gratiam faciens.

Si quis autem se existimat scire aliquid, nondum quicquam nouit quemadmodũ nouisse oportet.] Maius quiddam hîc dicit: Etiamsi charitati scientia coniuncta fuerit, neq; sic est, inquit, perfecta. Nemo enim quicquam nouit quemadmodum scire oportet, etiamsi Petrus uel Paulus fuerit. Quid igitur uos efferimini, qui scientia citra dilectionem imbuti estis? quandoquidem si scientiam etiam cum dilectione haberetis, neq; sic tamen consummatum aliquid sciretis.

Sin quis autem diligit Deum, is cognitus est ab eo.] Quod ait, eiusmodi est: Si quis charitate proximum suum prosequitur, is Deum etiam prorsus diligit. Porrò non ait quòd diligens Deum, ipsum quoque nouerit, sed quòd à Deo cognitus sit: hoc est, notus ipsi & domesticus, adeóque familiaris constituitur. Notus autem Deo, scientiam ab eo accipit, neq; hanc tamen perfectam habet. Proinde etsi scientiam habeas, ne tu fastu quopiam turgeas: neq; enim perfecta tibi scientia est, neq; tuum opus tuáue uirtus eam tibi conciliat, sed Christi est donum. Vide igitur quantis argumentis eorum fastum supprimat.

De manducatione uerò eorum quæ idolis sunt oblata, scimus quòd idolum nihil est in mundo, & quòd nullus est Deus nisi unus.] Rursum communem facit cognitionẽ, illorum fastum deprimens. Omnes enim, inquit, scimus, quòd idolum nihil sit in mundo, id est, nullum robur habet: neq; dij sunt, sed lapides ac dæmones. Quia uerò apud Græcos fuere & indocti & sapientes, indocti quidem nihil plus idola esse ęq lapides norant, philosophi uerò diuinas idolis ineſſe inq; ipsis habitare uires arbitrabantur: ad idiotas dixit, idolum nihil est in mundo: ad philosophos uerò, nõ est alius Deus præterquam unus. Neque diuina itaq; uirtus simulacra ista inhabitat: unus enim Deus est, non multi.

Nam etsi sunt qui dicantur dij siue in cœlo, siue in terra, quemadmodum dij

A multi sunt, & domini multi: nobis tamen unus Deus pater est, ex quo omnia, & nos in ipsum.] Cum nullum esse alium Deum asseruisset, essentq; apud Græcos dij multi: ne uideretur rebus manifestis repugnare & contradicere: etiam si sint, inquit, qui dicantur dij, hoc est q reuera nō sint, sed nominetenus siue in cœlo, ut sol et luna, aliæq; stellæ & sidera, ex quibus deos fecerunt Græci: siue super terram, ut qui ex hominibus in deos translati sunt. At uerò nobis est unus Deus pater, ex quo omnia: quod significat eum esse cōditorem & creatorem. Quod uerò adijcit, Et nos in ipsum: fidei & uendicationis, qua nos sibi uendicat, rationem indicat, perinde quasi dicat, Et nos ad ipsum conuersi sumus, exq; eo pendemus. *Deus unus.*

Et unus Dominus Iesus Christus, per quem omnia, & nos per ipsum.] Per filium omnia ad esse perducta sunt, id est, condita & creata, & nos per ipsum ad hoc ut essemus, perducti sumus: & ut bene essemus, hoc est, ut fideles efficeremur, atq; ex errore ad ueritatē traduceremur. Cæterùm cum audis, Vnus est Deus pater, & unus Dominus Iesus: ne patri soli attributum censeas Dei uocabulum, filio uerò Domini. Indiscriminatim nanq; & filius Deus est, ut in eo loco planum fit: Ex quibus Christus secūdum carnem, qui est super omnia Deus. & rursus pater est Dominus, ut in eo Psalmi: Dixit Dominus Domino meo. Sed quoniam ad Græcos illi sermo erat, multos deos colentes, multosq; dominos. Propterea neq; filiū Deum hîc dixit, ne duos deos existimarent, ut qui multis dijs assueuissent: neq; patrem Dominum appellauit, ne multos etiam dominos apud nos esse censerent. Ob eam causam neq; spiritus hîc ullam fecit mentionem, auditorum imbecillitati parcens: quemadmodum neq; Prophetę filij apertè meminerunt, Iudæorum causa, ne ipsi affectam adeoq; carnalem natiuitatem B intelligerent, seu humanis affectibus obnoxiā. Vnde & unitatis uocem cōtinuò ponit, Non est, inquiēs Deus, nisi unus, & unus Deus & unus Dominus. Ad appositionem igitur uanorum deorum, nō filij, dixit unum Deum patrem: atq; ad differentiā falsorum dominorum, non autem patris, dixit unum Dominum ipsum filium. *Rom. 9. Psal. 109. Deut. 5. & 32.*

Sed non in omnibus est scientia.] Non omnes, inquit, nouerunt unum esse Deum, & non multos, nihilq; esse idola.

Quidam aūt cum conscientia idoli usq; nūc quasi idolothytū māducant, et cōscientia ipsorum cum sit infirma polluitur.] Quidam, inquit, indefinitè, nolens eos palàm profetre. Nam haud parum multi ex idolorum cultura ad Christum accesserant, qui usq; nunc siue huc usq;, id est, postq; etiam crediderant in Christū, idolothyta tanquā dolothyta manducant. Cum conscientia enim, inquit, idoli, hoc est, eandē sententiā habēres de idolis, & putantes illa esse aliquid, & metuentes sibi ab illis ne læderentur. Quapropter non dixit, Illa, idola nempe, polluūt, sed enim conscientia eorum polluitur, quippe quę imbecillor sit, q; ut possit intelligere idolū nihil esse, cum illa ipsa tamē per se non possint polluere quenquā. Intellige igitur tale quippiam pati eos, ueluti si quis Iudaica consuetudine contaminationē existimās attingere mortuum, deinde alios uideat tangere pura conscientia, ipse quoq; tangat illos ueritus, interea tamen eius conscientia coinquinetur, ut qui dijudicet & ambigat secum. *Idolothyta id est idolis siue simulachris immolata.*

Esca autem nos non cōmendat Deo.] Ne obijciant, Ego pura conscientia uescor, ecquid mihi curæ est si quis per imbecillitatem offenditur? offendit q ipsum edere etiam cum cōtemptu idolorum, nihil sit. Etiamsi enim frater tuus non læderetur, neq; sic tamen laudabile quicquam faceres, Deoq; gratum: cibus enim nos Deo non adsociat, non amicos & familiares siue domesticos facit. *Cibus nos Deo non commēdat.*

Neq; enim si edamus, abundamus: neq; si non edamus, deficimus.] Hoc est, neq; si edamus, idcirco meliores sumus, ac Deo gratiores: neq; si non edamus, idcirco peiores sumus, uel destituimur, uel minus quicquam habemus.

Videte autem ne quomodo hęc licentia uestra offendiculum fiat infirmis.] Perterrefacit eos per hoc. Nec dixit, Scientia uestra, sed Licentia, hoc est, petulātia & arrogātia fiat offendiculum infirmis. Atq; hæc maior eorum est accusatio, q; ne infirmis quidem uoluerint parcere, quibus opus erat uel manum porrigere etiam. *εἰδωλεῖον idoleo, id est templo idolorum, uel mēsa in qua carnes sacræ proponebātur.*

Nam si quisquam conspexerit te habentem scientiam, in † idolio accumbentem, nunquid conscientia eius qui infirmus est, ædificabitur ut uescatur idolothytis? Hoc est, si te qui perfectus haberi uis, quispiam infirmus cōspexerit idolis immolata edere gustareq;,

gustareq̃, nónne maiorẽ accipiet occasionem, ut & ipse uescatur ijsdẽ, magisq̃ stabi- A
lietur? Hoc enim est ædificabitur, ut existimet idola aliquid esse.

Ac peribit infirmus frater ob tuam scientiã propter quem Christus est mortuus.] Id est, fiet occasio interitus fratri, tua perfectio, fratri inquam infirmo, propter quem Christus etiam obijt. Et Christus quidem pro ipso non detrectauit mori: tu uerò ne à cibis quidem abstines ut ne offendatur?

Sic aũt peccantes in fratres, & percutientes conscientiã eorũ infirmã in Christum peccatis.] Non dixit offendentes, sed percutientes, ut crudelitatem indicaret, quãdoquidem & languentem conscientiã feriant. In ipsum autem transgressionis fastigium peccatũ retulit. In Christum delinquitis, inquiens. Quomodo autem peccatũ in Christum refertur? multis modis. Nam & quæ seruorũ suorũ sunt, sibi tribuit: & quoniam corpus & membra ipsius sunt, qui feriuntur: & quia, quæ ipse per sui mactationẽ aut uictimam ædificauit, nimirum ipsam salutem, ipsi destruunt.

Quapropter si esca scandalizat fratrẽ meum, non manducabo carnẽ in æternũ, ne fratrem meum scandalizem.] Ceu optimus præceptor, per seipsum commendat quæ dicit. Nec dixit, si iustè scandalizet, sed quacunq; ratione. Nec ait, non manducabo idolis oblatum, sed carnẽ simpliciter, etiamsi permissum fuerit: nec uno alteróue die, sed ne per omnem quidem ætatis meæ cursum. Isthuc enim indicat quod ait, In æternum. Nec dixit, ut ne perdam, sed simpliciter, ne scandalizem.

Infirmorũ scandala uitanda.

CAPVT IX.

NOnne sum apostolus? Nónne sum liber? Nónne Dominũ nostrũ Iesum Christum uidi?] Cum dixisset, Si esca scandalizat fratrem meum, nõ uescar carnibus in sempiternũ: ne quis existimet eum superbire, ostentatoremq; agere, cogitur deinceps ostẽdere quomodo concessis abstinuerit, ne aliquos offenderet. Ipso enim Christo præcipiente ut qui euangelium prædicet, ex euangelio, hoc est, ijs qui instituũtur, edat: ego malui potius fame perire, nihilq; à uobis accipere, uerùm manibus meis laborabam, operans, mihiq; alimoniam parans. Fuerunt enim & apud ipsos nonnulli, g ut uidetur, diuites doctores, qui gloriæ sibi ducebant, erantq; in precio, q; citra sumptum aliorum docerent, hincq; paulum pudefacere moliebantur: quod ipse intelligens, abstinuit (ut dixi) à discipulis ali. Porrò cum mihi illud permissum esset, sic me gessi: uos uerò ne ab idolis quidem oblato abstinuistis. Sentẽtia itaq; totius orationis hæc est, quam multis uersibus absoluit. Videamus autem singulas ordine dictiones: Num sum apostolus? Ne quis dicat, Non licet tibi, ac propterea nõ accipis mercedẽ: Quid, inquit, audio? an non alij apostoli accipiunt? Næ, inquit. Quid igitur? egóne sum apostolus perinde ac illi? Nónne sum liber? hoc est, non habens quenquã qui me accipere impediat. Ne uerò rursum dicerent, Alij apostoli te sunt excellentiores, quo
1. Cor. 15. niam Dominum uiderũt: ait, Nónne Dominum nostrum Iesum Christum uidi? Postremo enim omnium, tanquam abortiuo, uisus & mihi. Magnum enim erat ipsum
Matt. 13 per sese Christi fuisse spectatorem. Vestri enim, inquit, beati oculi, quoniam uidetis quæ non uiderunt prophetæ & reges.

Nónne opus meum uos estis in Domino?] Si liber es & apostolus, nihil autem interim apostolo dignum transegisti, quid hoc iuuat? nam & Iudas apostolus erat, & Dominum conspexit. Eam ob rem, Opus meum, inquit, uos estis in Domino. Apostolicum itaq; ministerium impleui. Quia uerò rem arduã dixit, adiecit, In Domino: hoc est, non mea uirtute, sed Christi potentia.

Si alijs non sum apostolus, uobis tamen sum.] Non dico me totius terrarum orbis esse doctorẽ: sed uester ne an nõ sum doctor? Quomodo igitur à uobis non accepi, quæ maximè me accepere oportuit? per concessionem autem argumentũ hoc texit.

Sigillum enim apostolatus mei uos estis in Domino.] Sigillum, hoc est demõstratio. Porrò si quis scire uelit nũ sim apostolus, uos ostendo. Vos enim estis qui cõsignatis & stabilitis apostolatũ meum: cuncta nanq; apostoli opera in uobis cõmonstraui.

Mea defensio erga eos qui me interrogant, hæc est.] Quærentibus discere unde sit perspicuũ me apostolũ esse, hãc apologiã obijcio, uos nimirũ. Ostendẽs nanq; uos in omnibus à me institutos ac doctos, repello ipsos interrogantes siue examinantes.

Nunquid non habemus potestatem edendi ac bibendi?] Videlicet à discipulis ista accipiendo,

A accipiendo. Atqui habemus potestatem, uerùm ea non utimur.

Nónne potestatem habemus sororem mulierē circunducendi, sicut & cęteri apostoli, & fratres Domini, & Cephas:] Diuites fœminę comitabantur apostolos, ut suppeditarent eis necessaria, omnem illis securitatem horum causa parantes, ut soli euangelij prædicationi uacarent. Animaduerte hîc, q̄ summum apostolorum ultimo loco posuit, ceu maiorem: hoc uidelicet clàm indicans, Ecquid, inquit, alios dico, cum ipse petrus hoc faciat? Fratres autem Domini appellat Iacobum Hierosolymorum epi- *Fratres Domini.*
scopum, & Iosen, & Simonem, & Iudam, qui fratres Domini nominati sunt, eo quòd Ioseph desponsus esset.

Aut solus ego & Barnabas non habemus potestatem hoc faciendi:] Hoc est, non habemus potestatem, ut ociosi uiuamus, alamurq̄ ab ijs qui à nobis instituūtur discipulis, nihil operantes: Non occultauit autem Barnabam, quem norat cōmunicare sibi in eadem circa Euangeliū & laborē diligentia. Nā & ille ex operibus uiuebat suis.

Quis militat stipendijs suis unquam:] Hoc est, suis alimentis: Omnes enim qui militant, ex publico aluntur. Pulchrè autem quæ militis sunt, prius posuit. id enim apo- *Christianorū militia.*
stolicæ functioni conuenit, periculorum nomine quæ in ea sunt, ac propter bellū spiritualium hostium.

Quis plantat uineam, & de fructu eius nō edit:] Hoc exemplo laborem & ingentem calamitatem atq̄ curam indicauit. Non dixit autem, totum fructum edit, sed de *Doctores populi parcis contenti sint.*
fructu. Neq̄ dixit, Quis non diteſcit ex fructu? sed, Non edit: ubiq̄ quod ad usum & necessitatem pertinet quærere admonens, non quod superfluum est.

Quis pascit gregē, & de lacte eius non edit:] Non dixit quòd uendat pecudes, cásue edat, aut uniuersum lac, sed de lacte: ostendens quòd modica consolatione ac ali-
B mento doctorem contentum esse oporteat, ac necessario uictu. Multam autem curā indicauit per pastorem, seu opilionem, quam doctori inesse par est.

Nunquid secundum hominem hæc dico? an & lex hæc non dicit:] Hoc est, nónne humanis hæc probationibus & exemplis solis constant, nec habeo scripturæ testimonium? Possum equidem demōstrare quòd Deo hæc etiam placeant: siquidem & lex, quæ non est humana, sed diuina, hæc præcipit.

Scriptum est enim in lege Moysi: Non alligabis os bouí trituranti.] Ex abundanti, *Deut. 25. 1. Tim. 5.*
quod uult, confirmat, unde & boum exemplum profert.

Nūquid de bobus cura est Deo?] Quid igitur? Nónne curæ sunt Deo boues? Certè profectò: atqui nō ea ratione, ut leges de ijs sanciat. Aliud itaq̄ quiddā per clemētiā erga bruta adumbrauit, exercens nimirum Iudæos studio, & amore quo in doctores esse decet. Hinc porrò discimus, quòd quæcunq̄ in ueteri testamento de ratione uacantibus pecoribus scripta sint, ad hominum institutionem conducant.

An propter nos hæc omnino dicit? propter nos enim scripta sunt.] Omnino, quasi de re minimè dubia posuit, ut adeò nihil auditori relinquat, quo contradicere possit.

Quoniam in spe debet, qui arat, arare.] Hoc est, præceptoris est arare & laborare spe compensationis retributionisq̄.

Et qui triturat, ut sit particeps spei suæ, in spe.] A semine ad aream transit, multos apostolorum sudores inde ob oculos ponens, nam & ipsi arant, & aream frugesq̄ terunt. Iam qui arat, sperat tantùm: qui uerò triturat, iam etiam aliqua re fruitur. Vnde dixit, Qui triturat, ea spe triturat, ut fructus quippiam ex labore suo auferat. Ne quis igitur dicat, Quid ergo? tot tantorumq̄ sudorum hanc solam pensationem das Apostolis, ut alantur? adiecit, In spe, futurorū uidelicet bonorum. Proinde oportet & illa sperare, & interim alimonia tamen non planè destitui.

Si nos uobis spiritualia seminauimus, magnum est si nos uestra carnalia metamus?] Rei iustitiam & æquitatem hîc ostendit. Non enim paria redditis pro ijs quæ accepistis. Nos enim spiritualia uobis seminauimus, uos autem carnalia nobis reddi-tis. Magnum igitur hoc est?

Quòd si alij potestatis uestrę participes sunt, nónne potius nos?] Vanos q̄sdā hîc do- *Doctores uani.*
ctores notat, q̄ impudēter & cum autoritate accipiebāt ab ipsis alimoniā. Quare neq̄ dixit, si alij accipiūt, sed si potestatis uestrę participes sūt, hoc est, dominant uestri, imperiū in uos exercēt, ceu seruis uobis abusi sunt. Nō multo magis igit nos, q̄ uerè sumus apostoli?

Sed non

Sed non usi sumus potestate hac.] Potestatē, inquit, habentes ut à uobis aleremur, A nō sumus usi ea, ut non offenderemini: & uos ne ab idolorum quidem oblationibus abstinetis, ne imbecillioribus fratribus scandalum ponatis.

Sed omnia sustinemus, ut ne quod offendiculum demus Euangelio Christi.] Ne quis dicat, Quia nō egebas, ideo nihil accipiebas, inquit: In ingenti angustia cōstituti, omnia tamen sufferimus, & sitim, & nuditatem, ut ne aliquod obstaculum Euangelio contingat, hoc est, exigua & uulgaris reiectio & retardatio Euangelij, adeoq; uerbi ministerij.

Deut. 18 Nescitis quòd qui in sacrario operant, quæ de sacrario sunt edūt:] Prioríb. locis nō cōtentus, alia ex lege in mediū depromit: cōmonstrans, quòd licuerit sibi à discipulis accipere. Cum enim de bubus per allegoriam quædam producta per eum essent, legē Leuitæ. palàm tradere ait, q; ex sacro sacra facientes edere debeant, hoc est Leuitæ, sacerdotibus gradu inferiores. Non dixit autem, ex adferentibus edunt, sed ex sacro, neq; accipientes pudefiant, ut qui ab hominibus alantur, nèq; dentes nimium attollantur.

Qui altari assident, cum altari participant.] Hoc est, pōtifices & sacerdotes. Continuam autem seruitutem & perseuerātiam, per assessionem indicat. Nec dixit q; sacra accipiant, moderationem innuens, quodq; pecunias colligere non oporteat. Nec dixit, ut à sacrificantibus accipiant, uerùm cum altari sint participes. Oblata nanq; non porrò offerentium fuerunt, sed sacri & altaris. συμμερίζονται, id est, simul participant, dixit: quoniam uictimarum sanguinis quiddam effundebatur ad aram, & adeps cremabatur: carnium uerò partem quandā accipiebat sacerdos, ueluti pectusculum, dextrū armum, & uentriculum. holocautomata quidem solius altaris erant.

Sacerdotū in sacrificijs portio.

Deut. 18. Matt. 10. Ita & Dominus ordinauit, ijs qui Euangelium anuunciant, de euangelio uiuere.] Omnium fortissimum posteriore loco posuit. Quid enim, inquit, hęc atq; talia dico: Dominus sic ordinauit, legem sanciens, quæ ueteris testamenti legibus respondeat & consentiat. Quemadmodum suprà dixit edere ex sacro, simili ratione hîc non ex discipulis, sed ex Euangelio edendum docet, ut ne efferantur alentes. Non enim dixit, alis ipsum, uerùm opus eius nempe Euangelium. Et uiuere dixit, non negociari, neq; thesauros colligere. B

Ego uerò nullo horum sum usus.] Hoc est, neq; quopiam exemplorum quæ commemorauí, ueteris testamenti: neq; Christi mandato, ut à uobis alerer, sum usus.

Non autem scripsi hæc, ut ita fiant in me.] Ne quis ipsi dicat, Quid est quòd hactenus non sis usus, cum in posterum uti in animo instituas? propterea enim hæc dicis: actutum isthuc anteuertit per correctionem, Non scripsi hæc, ut sic fiant in me, hoc est, ut accipiam deinceps.

Bonum est enim mihi potius mori, quàm ut gloriam meam quis euacuet.] Ego perire potius optarim fame, inquit, quàm quòd euacuet quispiam, hoc est, uanam & uacuam ostendat gloriationem meam. Forsan enim aliquis dicere potuisset, Reuera nihil quidem accepit, atqui mœrens ac lugens, non accipiebat. Tantum igitur, inquit, abest ut eam ob rem contrister, ut & idcirco glorier.

Si enim euāgelizem, nō est mihi gloriatio: necessitas enim mihi incumbit. Væ autem mihi est, si nō euangelizauero.] Quid ais? nō ubi gloriæ loco ducitur, prędicare Euangelium? sed citra aliorum impensas ac sumptum prædicare, tibi gloriæ est. Num quid hoc illo maius est? Minimè, inquit, sed euangeliū annunciare, est præceptū Christi, ac debitum: at si hoc perficiam, nihil est à me præclarè & eximiè factum. Væ enim mihi, si isthuc mandati non expleam, neq; transigā: cædar nanq; plagis multis, quippe qui mandato Domini non sum obsecutus. Citra aliorum uerò sumptum Euangeliū promulgare, uoluntatis ac deliberationis est propriæ honos atq; liberalitas, ac propterea gloriatio est. Porrò quod ait, Necessitas mihi incumbit, non ad liberi arbitrij sublationem libertatisue pertinet, cæterùm ad oppositionem libertatis in accipiendo dictum est, ac propter pœnæ metum, si id non efficiat.

Euangelij gratuita annunciatio laudabilis.

Si enim uolens hoc ago, mercedem habeo: si autem inuitus, dispensatio mihi credita est.] Si, inquit, prædicatio euangelij non esset mihi demandata, áque meipso isthuc facerem, haberem equidem mercedem magnam & multam. Quòd si mihi cōmissum est: perspicuum est quòd à meipso hoc non faciam, sed Domini mandatum impleam.

A impleam. Hoc enim est quod ait, inuitus. Quocirca isthæc res non est honoris ac liberalitatis: dispensationem namque mihi creditam administro. Animaduerte autem, quòd non dixerit, Si autem inuitus, mercedem non habeo: indicans quòd habeat quidem mercedem, etiam in promulgando Euangelio, si herile mandatum impleat. Absurdum enim esset, si apostoli omnes non reciperent mercedem ob prædicatum euangelium. Veruntamen non est huiusmodi merces, qualis eius est qui gratis citráque sumptum aliorum prædicauit.

Quæ igitur est merces: ut Euangelium prædicans, sine sumptu ponam. Euangelíũ Christi, ut non abutar potestate mea in euangelio.] Hoc est, maior est merces, dignâque gloriatione, ut non abutar potestate, id est, omnino utar. Simplicem enim usum ἀπραγμοσύνην adpellauit. Vbique autem causam hanc potestatem nominat, quo ostendit quòd neque accipientes peccarunt quicquam. In Euangelio autem dixit uti ob oculos ponat, eum qui Euangelij ministerio fungatur, adeóque laboret, accipere debere, non eum qui ociosus sit, torpeatq́. *Euangelij præco mercedem accipiat, nõ qui ocio torpet.*

Nam cum liber essem ex omnibus, omnium me seruum feci, ut plures lucrifacerem.] Quod maius & uehementius est, dicit. Non solùm, inquit, non accepi, etiamsi potestatem haberem: uerumetiam liber cum essem, & nemini subiectus, neque necessitatem habens, omnibus tamen meipsum in seruitutem redegi: non uni aut duobus, sed uniuerso terrarum orbi: non ut ueluti adulator placeam, cæterùm ut plures lucrifaciam. omnes enim impossibile.

Et factus sum Iudæis tanquam Iudæus, ut Iudæos lucrer.] Hæc dicit, quia circuncidit Timotheum. Non dixit autem, Iudæus, sed ueluti Iudæus, ut ostendat quòd negocium esset dispensationis. *Act. 16.*

Iis qui sunt sub lege, quasi sub lege essem, ut eos qui sunt sub lege, lucrer.] Proselytos intelligit, uel eos qui ex Iudæis Christi religioni accesserant, & adhuc tamen lege detinerentur. Facta autem sunt hæc quando rasus est, quando quæ ad sanctificationẽ
B attinent, obtulit. Hæc autem per dispensationem faciebat, & in speciem præ se ferebat, ut qui reuera ista facerent, corrigeret.

Illis qui sine lege erant, tanquã sine lege essem.] Lege carentes eos accipit, qui Mosaĩ legem non tenebant, qui ex gentibus erant, qualis erat Cornelius, quos frequentãs & accedens, infirmitati eorum acquiescebat, attemperabatq́ se. Vel Græcos ipsos intelligit, ueluti quando apud Atheniẽses disputaret, ab ara eorum argumento sumpto, cum illis colloquia miscens, nec uelut de Deo Christo quicquam differemus, sed tanq̃ de homine docens: non enim tale quiddã audire poterant: sed ueluti de quopiã qui apud eos in numerum deorum relatus esset. Huiusmodi enim esse putabant, qualis est Hercules, uel Aesculapius. Vbiq́ autem particula Tanquam, est præposita, uti discas q́ talia in speciem ostentarit & præ se tulerit, cum tamen reuera non sit. *Act. 10. Act. 17. Pauli apud Atheniẽses disputatio.*

Cum sine lege Dei non essem, sed in lege Christi, ut eos qui sine lege essent, lucrifacerem.] Vt ne existimes quòd sententiam mutarit, cum ad exleges disputaret: cum non essem, inquit, absque lege Dei, quasi dicat, quum non essem extra Dei leges, sed in lege: nec simpliciter in lege, uerùm in lege Christi: hoc est, uetere lege altiorem, & præstantiorem habens, Christi nimirum. Ecquæ inde commoditas? Vt lucrifaciam, inquit, eos qui sunt sine lege.

Factus sum infirmis tanquam infirmus, ut infirmos lucrifacerem.] Perinde ac nunc uobis factus sum infirmus ob imbecillã uestram scandalisq́ facile obnoxiam mẽtem, cum nolui à uobis mihi sumptũ suppeditari. Quinetiã ubi cõspexeris eum nõ palàm uel de filij deitate, uel de spiritus diuinitate disserentem, ob auditorum infirmitatem noueris ipsum tum fieri infirmis tanquam infirmum.

Omnibus factus sum omnia, ut omnino quosdam facerem saluos.] Ecquid multa enumero? Omnib. me attemperaui. At qui non omnes in uniuersum seruare, saluósue facere expecto, uerùm ut paucos saltem saluos facerem, quod & admirabilius est. Si quis enim magno sese fructu atq́ emolumento laborare speret, non adeò admirandũ. Atqui exiguæ rei gratia, modiciq́ fructus causa laboribus se defatigare, est arduũ. Omnino autem apposuit, consolationem prębens docentibus. Etiamsi enim non o-

mnes quíſpiam conſeruet, omnino tamen paucos quoſdam conſeruabit. Quocirca o- A
mnis torpor eſt eíjciendus, neque ſegniter in uerbo laborandum.

Euangeliũ fidele. Hoc autem facio propter euangeliũ, ut particeps eius efficiar.] Euangelium dicit fi-
deles qui per euangeliũ ſeruant, quemadmodũ & ſuprà dixit, ex euãgelio uiuere, pro,
ex credentibus. Vt igitur, inquit, conſors fieri coronæ fidelium poſsim, propterea hæc
facio: non ꝙ ipſe pro mercede hæc faceret, uerùm ut illis perſuaderet omnia pro fratri
bus facere ſpe bonorum ſupernorum. Conſidera autem hîc humilem Apoſtoli men-
tem, quomodo prima adeoq; ſumma corona dignus, ſimpliciter fidelibus ſe ipſe adæ-
quat in communicatione bonorum atq; coniungit.

Neſcitis ꝙ qui in ſtadio currunt, omnes quidem currunt, ſed unus accípit brabeũ?]
Poſtquã demonſtrauit operæprecium eſſe, ut ſeſe omnibus fratribus attemperent, de-
inceps iam horribilius cum ipſis loquitur. Quod autem ait, huiuſmodi eſt: Ne exiſti-
metis quòd ſimulatq; credidiſtis, & in eccleſiæ ſtadium ingreſsi eſtis, iſthuc uobis ad ſa
Brabeum, uictoria. lutem ſufficiat: quemadmodum neq; Olympicis curſoribus ſatis eſt currere, uerùm ne
ceſſe eſt ad ipſum uſq; brabeum feſtinare, omniaq; facere ut hoc aſſequantur: quod pe
riculum eſt ne uos non adipiſcamini dum propter ſcientiæ ſcilicet perfectionem fra-
tres contemnitis, idolothytisq; farcimini.

Sic currite, ut cõprehendatis. Omnis aũt qui certat, ab omnibus ſe abſtinet.] Debetis
inquit, currere, ut cõprehendatis. Hoc aũt citra charitatẽ non fit, quã uos nõ habetis e-
tiamſi perfectos uos putetis, quod minimè uobis contigit. nondum enim apprehendi
ſtis. Obſcurè autẽ ſignificans ꝙ multis adhuc deſtituãtur rebus, multaq; eis deſint, ceu
gaſtrimargia apud eos regnãte, fornicatione item atq; temulentia, inquit: Qui certat,
ab omnibus ſe abſtinet, non ab hoc ſibi temperans, ab illo uerò non, ſed ab omnibus.
Agnoſcite igitur quantum uobis deſit, diſciteq; modum per quem coronemini, nem
pe ſi temperantes ſitis.

Illi quidem, ut corruptíbilem coronam accipiant, nos uerò incorruptíbilem.] Argu
mentum eſt rubore ſuffundens Corinthios & auditores. Siquidem illi ob corruptibi- B
lem coronam abſtinent: nos uerò hoc non facimus ob incorruptíbilem.

Ego igitur ſic curro, non quaſi in incertum.] Quid eſt, non in incertum? Cuncta ni
mirum certa finis ſcopiq; conſideratione faciens, cùm circũcidens, tum raſus, nihil
temerè ac fruſtra admittens, quemadmodum uos. Quis enim ſcopus eſt eſus idolis ob
latorum, alijs inde pereuntibus? nullus omnino. Proinde citra rationem uos hoc fa-
cientes, currítis incertè, citraq; ſcopum, & fruſtra. Optimi uerò præceptoris inſtar ſei-
pſum in medium ſtatuit exempli uice.

Sic pugno non quaſi aerem uerberans.] Habeo enim quem feriam, nẽpe diabolũ.
Vos autem ipſum non feritis, ſed fruſtra perfectione fidei ſcientiæq; uſi eſtis.

Verùm caſtigo corpus meum, & in ſeruitutem redigo.] Indicat eos hic gaſtrimar-
gia uentriſq; ingluuie detentos, eãq; perfectionis prætextu curare ac fouere. Ego igit,
Hypopia. Corporis tyrannis. inquit, omnem ſuſtineo laborem, ut ſobriè uiuã. ὑπωπιάζω γὰρ, hoc eſt, pugno. ὑπώπια
enim dicũtur uulnera quæ ſub oculos infliguntur dum pugnis contenditur. Certamẽ
igitur magnũ & ingens, quod eſt aduerſus naturam, indicat. Tyrannis enim maxima
eſt corporis, & aduerſarius, inquit, magnus ipſum corpus. Simul atq; uerò pugno di-
xit, & uulnerum meminit ſtatim intulit, & in ſeruitutem redigo: ut diſcas ꝙ non ſit ne
ceſſe ſtrangulare ipſum uel ſuffocare: ſed ueluti effrenem ſeruum humiliare atq; ſub-
dere, quod domini eſt, non hoſtis. Nonnulli uerbum ὑπωπιάζω magis propriè dictum
putant pro eo quod eſt, fami trado corpus meum, inediaq; ipſum adfligo. Verùm ea
interprætatio nullius eſt momenti: oporteret enim eſſe ὑποπτιάζω.

Ne quo modo cum alijs prædicauerim, ipſe reprobus efficiar.] Per hoc eos magis
ſobrios reddit. Si enim mihi, inquit, non ſatis eſt ad ſalutem prædicare ac docere, ni-
ſi meipſum irreprehenſibilem in omnibus præbeam: qui uos ex ſola fide ſalui eritis,
tot tantisq; adfectionibus ſuccumbentes?

CAPVT X.

NOlo autem uos ignorare fratres, quòd patres noſtri omnes ſub nube fuerunt, &
omnes per mare tranſierunt.] Commemorat quantis donis Iudæi à Deo donati
ſint,

A sint, monstratq; post tanta dona plerosq; non placuisse Deo. Hæc autem dicit innuēs q; quemadmodum illis non profuit tantis frui donis, quandoquidem quæ suarum erāt partium ipsi non adiecerint adhibuerintq;: hanc ad rationem neq; uobis fides proderit, & quòd spiritualibus mysterijs donati estis, nisi & uos ipsos dignos exhibueritis Dei gratia. Omnes, inquit, sub nube fuerunt. Expandit enim nubem in protectionem ipsis, & per mare transierunt. *Psalm.104.*

Et omnes in Mosem baptizati fuerunt in nube & in mari.] Hoc est, cum Mose participes fuerunt umbræ quæ ex nebula prouenit, transitusq; cum ipso maris fuere consortes. Cum enim ipsum primùm transire uidissent, ausi sunt & ipsi aquis sese credere. Quemadmodū & nostris temporibus primùm Christo pro nobis mortuo & excitato baptizamur, & ipsi in mortem ipsius, per immersionem in aquam, & resurrectionem eius, dum denuo emergimus & extrahimur. In Moysen igitur baptizabantur, hoc est ipsum ducem habuerunt Christi baptismatis figuræ. Figura itaque baptismatis erat, cum quòd sub nube esset, tum q; mare rubrum transiret.

Et omnes eandem escam spiritualem manducarunt, & omnes eundē potū spiritualē biberunt.] Perinde ac nos post baptisma corpus Dominicū manducamus, sic manna ipsi post traiectum per mare manducarunt. Et quemadmodum nos sanguinem Dñi bibimus, sic illi è summè cæsa petra aquam scaturientem biberunt. Spiritualia autem hæc dicit quòd etsi sensibilia fuerint, naturali tamē cōsecutione facta non sint, sed gratia spirituali: unde & cum corpore animas aluerunt, atq; ad fidem perduxerunt. *Spiritualia quo fuerint Mosaica.*

Bibebant enim ex spirituali sequente eos petra, petra autem erat Christus.] De alimonia seu cibo nihil opus erat ut quicquam confirmaret. planum enim erat q; cœlitus paratus esset, atq; naturæ uia planè alienus esse animaduerteretur. In potu uerò, quoniā suppeditationis ratio sola nouata esset, opus erat ut nonnihil confirmaret. Non petræ igitur natura, inquit, aquam præstabat, nam & antehac scaturire isthinc aqua debuisset, si in eius hoc natura fuit: uerùm alia quæpiam petra spiritualis hoc totum efficiebat, Christus uidelicet. Sequente autem dixit, ut ostendat Christum ubiq; illis præsentem fuisse, atq; isthæc mirifica omnia transegisse. *Exod.17.* *Christus Mosi ubiq; præsens.*

Sed non in pluribus eorum beneplacitum est Deo.] Nam prostrati sunt in deserto. Etiamsi haud parum multa euidentissima dilectionis suæ argumenta illis Deus commonstrauerit, tantisque eos exornarit bonis, attamen non est oblectatus in plerisque ipsorum, id enim significat εὐδόκησεν, id est, oblectationem habuit. Non enim omnes reprobati sunt, sed bona pars. Cum in pluribus dicit, ostendit quòd nihil prorsum eos iuuerit multitudo, quandoquidem charitatem suam non exhiberent erga benefactorem. Per prostrati sunt autem, uniuersum eorum interitum, diuinitusq; superinductas pœnas significat. *Num. 26.*

Hæc autem figuræ nostri fuerunt, ut non simus concupiscentes malorum, sicut & illi concupierunt.] Perinde ac beneficia Dei, typi fuerunt, hanc ad rationem & pœnæ. Indicat autem quòd non solum pœna adficientur, uerùm quòd maiore etiam pœna adfligentur quàm illi, quatenus illa quidem typus extitere. hæc uerò res ipsa & ueritas. Ac quemadmodū in donis est excellentia, sic & in pœnis. Concupiscentes porrò malorum dicens, uniuersim ac generatim de quauis malitia loquitur: quandoquidem & omne uitium ex concupiscentia profluat. Deinde speciatim etiam malitias istas exprimit. Ecquid illi expetiuerunt? allium, carnes, proprios deos, perinde ac ipse deinceps idololatriam ipsorum patefacit.

Neque idololatræ efficiamini sicut quidam ex ipsis, quemadmodum scriptum est: Sedit populus manducare & bibere, & surrexerunt ludere.] Primùm eos notat & carpit qui in idolorum delubris epulabantur, ostendens quòd quemadmodum illi à gastrimargia ad idolorum culturam delapsi sint: choros enim statuentes circa uitulum ludebant ante ipsum: sic periculum est ne & uos ad idololatriam prouoluamini, quum ex gulæ suæ su idolis immolata editis. Vbinam igitur perfectio tua, si ad idololatriam perduceris? *Exod.32.*

Neque fornicemur, sicut quidam ex ipsis fornicati sunt, & ceciderunt uno die uigintitria millia.] Rursus scortationis meminit, ex continuitate reprehensionis perfectiorem orationem faciens. peccatum autem istud à gastrimargia proficiscitur, Quan

Num.25. do uerò uigintitria millia ceciderunt? Quando iuxta consilium Balaam, Madianitides mulieres apud exercitum copiásue Israeliticas uisæ, iuuenes ad sese pertraxerunt, atque per scortationem, ut sacrum facerent Beelphegor, prouocarunt eos, ac cecidit populus in acie. A

Num.21. Neq; tentemus Christum, quemadmodum & quidam ipsorum tentauerunt, & à serpentibus perierunt.] Innuit Corinthios signa expetiuisse.

Nu. 14.16. Neq; murmuretis, ut quidã ipsorum murmurarũt, & perierunt ab exterminatore.] Hoc est, uirtute quapiam pœnam infligente. Subindicat clanculum q; in tentationibus impatientes fuerunt, nec eas æquo animo pertulerint, sed murmurauerint, dicentes: Quando uenient bona? & quandiu duratura est adflictio?

Hæc autem omnia in figura contingebant illis. scripta sunt autem ad correptionẽ nostram, in quos fines seculorum deuenerunt.] Terret eos, cum dicit illi hæc scripta ad correptionem nostri. Vnde & nobis in posterum sunt expectanda supplicia: eoq; horribiliora, quatenus maiora in nos beneficia sunt collata. Terret prærerea, cum dicat finem ipsis imminere: ostendatq; supplicia non esse temporaria, sed immortalia quæ

Iudiciũ Dei pro sorib. post consummationem nos excipient. Iam enim iudicium in foribus, quum mundi ætates transierint.

Itaque qui se existimat stare, uideat ne cadat.] Rursum scientiæ nomine intumescentes notat. Si enim te stare existimas, metue, inquit, ne cadas. Neq; ipsum sanè confidere, quòd stes, stare est: uideris enim, sed reuera minimè stas: ac etiamsi maximè stes, facilis est per arrogantiam lapsus.

Tentatio uos non cæpit nisi humana. Fidelis aũt Deus qui nõ patiet uos tentari supra id q̃d potestis, sed faciet etiã cũ tentatione, puentũ, ut possitis sustinere.] Quia perterrefecit eos dicens, Qui se existimat stare, uideat ne cadat: essent uerò qui nõ paucas iam tentationes sustinuissent ne dicerent, quid nos perterrefacis? multas enim perpessi tentationes, non tamen succubuimus: ait, Non cæpit uos tentatio nisi modica & moderata, humanum enim ubiq; modicum uocat. Deinde rursus consolatur, persua-

Humanum, modicum. dens eis ut in Deum intueantur, qui fidelis est, hoc est, uerus, nec mentietur unquam.

Matth. 11. Promisit enim, Venite, inquiens, qui laboratis, & ego reficiam uos. Nõ sinet igit uos tentari ultra uires uestras, sed tentationẽ uiribus uestris tolerabilẽ adoriri uos faciet. Imò quæuis tentatio uires nostras exuperat, nisi ille auxilietur nobis, & felicẽ euentũ præbeat, hoc est, liberationem à tentationibus, cum tentatione, hoc est, celerem, & simulatque nos inuaserit tentatio. Ita ut propter celerem liberationem ea nobis tolerabilis efficiatur. Faciet enim exitum, inquit, ut uos sufferre queatis: hoc est, ut facilis uobis uideatur tentatio, adeoq; huiusmodi quam sustinere ualeatis.

Propterea fratres mei fugite ab idolorũ cultura.] Abũdè satis eos hactenus carpsit, ideo in posterum curam iuxtà & medicinam adhibet, fratres eos uocans. Non autem porrò ob fratrum noxã & offendiculum ab idolothytis eos arcet, sed ipsam in sese rem uituperat & reprehendit, idolorum culturam nominans, ac celerem iuxtà ab ea secessum aut declinationem postulans. Fugite enim, inquit.

Tanquam prudentibus loquor, iudicate uos quod dico.] Quia magnam illis culpã attribuit, notamq; inusit, idololatriã nominãs q̃d patrabãt, uerbi illius asperitatẽ mitigat, ipsosq; reos iudices constituit, quod cõfidentis est propriis ratiocinationibus ceu ueræ sint. Non opus habeo, inquit, aliis iudicibus, uos tanquam prudentes iudicate.

Calix benedictionis. Calix benedictionis, cui benedicimus, nõne communicatio sanguinis Christi est?] Calix benedictionis, id est eucharistię. Manibus enim eum tenentes, benedicimus ei, & gratias agimus ei qui sanguinẽ suũ pro nobis effudit, ineffabiliaq; bona in nos contulit. Non dixit aũt μέθεξιν, id est participatio, sed κοινωνίαν, id est cõmunicatio, ut aliquid excellentius indicet, summam puta unionem. Quod autem dicit, huiusmodi est: Hoc quod in calice est, illud est quod ex latere effluxit Christi. Et ex eo accipientes, communicamus, hoc est unimur Christo. Non pudet itaq; uos Corinthij ad idolorum calicem accurrere, à calice hoc, qui nos ab idolis liberauit?

Ioan.19. Exod.12. Panis quem frangimus, nónne cõmunicatio corporis Christi est?] Quod in cruce nõ est passus Christus, (os enim eius nullum est contritum) hoc iam sustinet, cum propter nos frangitur. Quem enim frangimus, inquit: communio autem corporis Christi est,

pro eo

A pro eo dixit quod est, Quemadmodum illud corpus Christo unitum est, sic & nos ipsi Christo per panem hunc unimur.

Quoniam unus panis, & unum corpus multi sumus.] Quia dixerat, communicatio corporis est, communicans autem est aliud ab eo qui communicat: iam maius quiddā demonstrat, inquiens, Quoniā illud ipsum corpus sumus. Quid enim est panis? corpus Christi. Quid autem fiunt adsumentes corpus Christi? non corpora multa, sed unum corpus. Quemadmodum panis ex multis granis unus efficitur, sic & nos, multi cum simus, unum efficimur corpus Christi.

Omnes enim ex uno pane participamus.] Itaque etiam unum sumus. Quomodo igitur charitatem non obseruamus, & unum secundum hoc efficimur? Atqui Deus (inquit) propterea corpus suum nobis tradit, ut uniat nos cùm erga seipsum, tum nos inter nos mutuo. Quia enim prior carnis nostræ natura corrupta est à peccato, uitaq; destituta est, dedit nobis suam ipse impeccabilem, & omnis peccati expertē, uiuacem & uitæ plenam, similem tamē nobis carnem, ut eam assumentes, in ipsam permisceamur, & uiuamus citra peccatum, quatenus licet. *Carnis nostræ naturā corrupta.*

Videte Israel secundum carnem. Nónne qui edunt hostias, altaris sunt participes?] Ex crassioribus exemplis, inquit, discite quòd idolorum communio sit id quod à uobis geritur. Secundum carnem autem dicit Israel, quasi ipsi sint secundum spiritum. Reputa uerò tecum q̄ nō dixerit de Iudæis q̄ Domino communicent, sed participes inquit, altaris sunt. Etenim comburebatur id quod aræ suprapositum erat. In corpore autem Christi non sic res habet, sed est communicatio corporis Christi, non enim aræ, sed ipsius Domini participes efficimur.

Quid igitur dico? Num q̄ idolum aliquid sit, aut q̄ idolis immolatum sit aliquid?] B Metuit ne existiment hæc dicerē eùm, quasi robur aliquod idolis insit. Non tanquam nocere possint uel prodesse idola, ab ijs uos abduco, neq; enim quicquam sunt omnino, uerùm q̄ non offeratur uictima Domino tuo. Infert igitur:

Sed q̄ quę gentes immolant, dæmonijs immolēt & nō Deo.] Ne igitur accurrite ad hostes Domini uestri. Nam si regia dimissa mēsa ad condemnatorum & captiuorum mensam accurreres, omnino peccares, non quòd noceret illa quicquam aut iuuaret, cæterum q̄ iniuria ist hæc uideretur mensæ regiæ.

Nolo autem uos participes dæmoniorum fieri.] Si enim mysticam mensam participantes, Christo communicant: dæmonum mensam participantes, dæmonibus haud dubiè communicant.

Non potestis calicem Domini bibere, & calicem dæmoniorū.] Quia per modum adhortationis siue admonitionis dixerat, Nolo uos participes esse dæmoniorum: ut ne admonitio ista floccipendatur, per modum sententiæ & assertionis nunc posuit, Non potestis, inquiens, calicem Domini bibere, & calicem dæmoniorum.

Non potestis mensæ Domini participes esse, & mensæ dæmoniorum.] Ex solis nominibus astruit non esse comedenda idolis immolata.

An prouocamus Dominum? Nunquid fortiores eo sumus?] Vt pudore eos suffundat, hæc dicit. Num tentamus, inquit, & lacessimus Deum? An ne punire nos possit, ad hostes eius secedentes? Deinde] ad absurdū perducens orationem, Nunquid fortiores, inquit, ipso sumus? Vehementi autem eorum notatione & obiurgatione commonefacit eos uerbi Mosaici: Prouocarunt me in non Deo, ad iracūdiam me concitauerunt in idolis suis. *Deut. 32.*

Omnia mihi licent, sed nō omnia expediūt.] Ne quis dicat ei, cū pura cōscientia edens, Potestas mihi est ista facere. Certè, inquit, Omnia tibi licent. Postquam tua tibi arbitrij libertas à Deo est, at nō omnino tibi expedit uesci. Ea enim uia progrediens, propensionem nancisceris ad idola, cum ita continuò mensæ eorum es consors. *Liberi arbitrij potestate non abutendum.*

Omnia mihi licent, at non omnia ædificant.] Neq; tibi prodest, inquit, sicut & antea dixi, neq; fratri tuo: ipsum enim non ædificat, quin potius destruit ac subruit fidē eius. Cum itaq; neq; te neq; fratrem adiuuet, quid hoc facis?

Nemo quod suum est quærat, sed quisq; quod proximi est.] Ne quæras num tu pura conscientia uescaris, sed num fratrem tuum ædificet ea res. Vbique autem adhortatur ut quæ proximi sunt quæramus. *Proximi utilitas quærenda.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

Omne quod in macello uænit manducate, nihil interrogantes propter conscientiam.] Cum hactenus multis cōuicisset ac confirmasset abstinendū planè ab idolothytis, ne plus æquo hîc curiosiores, imò superstitiosiores reddant, adeò ut abstineant etiā ab ijs quæ in foro uæneunt, cum metuunt ne & ea sint idolothyta: Omne, inquit, quod uenditur, edite, non examinantes uendentes, & interrogantes num idolothytum sit quod diuendant, tanquam conscientia uestra conseruati, quam hoc pacto purgare intendatis. Vel sic intelligere queas, Ne feriatur conscientia tua, propterea ne examines. Fortasse namque si disquiras, rescisces idolis esse immolatum quod emere cogitas, & ferietur siue offendetur conscientia tua.

Psalm. 23. Immundum natura nihil est.

Domini enim est terra, & plenitudo eius.] Non itaq; dæmoniorum. Quòd si terra & fructus ipsi & arbores, uniuersaq; eius animalia, Domini sunt: nihil igit̄ natura est immundum, uerùm ex cuiuslibet sententia immundum erit.

Si quis aūt uocat uos infidelium, & uultis ire, omne q̄d uobis apponit̄, edite, nihil interrogantes propter cōscientiā.] Bene dixit, uultis: neq; em̄ ipse adhortari ad hoc, neq; dehortari instituit aut decreuit. Nihil aūt interrogate, ne solicitiore cura, nimiáue curiositate existimemini trepidare idola, utq; illæsam uestram retineatis conscientiam.

Si uerò quis dixerit, Hoc est immolatum idolis, nolite manducare propter illū qui indicauit, & conscientiam. Domini enim est terra & plenitudo eius.] Non ueluti à rebus noxijs tibi abstinere mando, sed propter eum qui indicauit, ut is non lædatur, atque putet idolorum res haud reijci à Christianis. Nam q̄ non tanquā ab immundis, uel ab ijs quæ sint à Domino nostro aliena, hæc doceam, uel inde planum est: Dñi enim est terra, & plenitudo eius, hoc est, omnia ipsam replentia, & quæ ea cōtinentur. Vel hunc ad modum accipies: Abstine, inquit, à cibo isto. uniuersa enim terra Domini est, ac licet tibi † à supernis impleri. Nam cuncta tibi sunt aperta.

† ἄνωθεν, *fortè ἄλλοθεν id est abundè.*

Conscientiam autem dico, non tuam, sed alterius.] Hoc est, Græci. fortasse enim quod dixi, offendetur, uel tanquam gastrimargum me iudicando, uel ceu eum qui æquè ac ipse idola excipiat.

Libertas in Paulo quæ sit.

Vt quid enim libertas mea iudicatur ab alia conscientia?] Libertatem, ab obseruatione liberationē, & potestatem qua nihil nobis ciborum uetitum tenemus, appellat. Ego, inquit, liberè, citraq; obseruationem uescor, Græcus uerò & infidelis me condemnabit, Fabula est, inquiens, Christianorum religio. aiunt quidem idola sese execrari, & interim ijs quæ illis ipsis oblata sunt uescuntur etiam auidè.

Si ego cum gratia participo, quid blasphemor eius rei gratia, pro qua gratias ago?] Ego, inquit, participo creaturas Dei, siue fruor illis liberè ob gratiam Dei, quæ inxit me cùm firmum tum solidum, adeò ut nihil obseruem. At Græcus conuiciabitur mihi: tanquam qui similem me idola fugere, contrà tamen per gastrimargiam eis immolata comedā Quod adijcit, Pro quo gratias ago, huiusmodi est: Ego, inquit, gratias ago Deo, q; adeò me exelsum fecit, adeoq; Iudaica humilitate sublimiorem, ut ex nulla re lædar Græcus autem, ut dixi, & incredulus scandalizatur, & blasphemat.

Manducare in gloriam Dei.

Siue ergo manducatis, siue bibitis, siue aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite.] Omnia, inquit, facite ad gloriam Dei: quasi quæ nunc fiant à uobis, sint contumelia Dei, imò potius blasphemia. Manducat ergo quisquam uel bibit in gloriam Dei, quando neminem offendit, quando non ut gulosus aut uoluptatis sectator epulatur, sed uelut is q̄ corpus cōseruare uelit ad uirtutis operationē. Simpliciter aūt quācumq; rē in gloriā Dei quispiā agit, quādo neq; alium scandalo quopiam lædit, neq; seipsum, ut si nihil agat ut hominibus placeat, neque prauo aliquo animi affectu.

Sine offensione estote & Iudæis & Græcis, & ecclesiæ Dei.] Hoc est. nulli ullam uituperationis occasionem præstate. Continget autem hoc, si neque Iudæum, neq; Græcum offendamus, neque fratres etiam: nam illi sunt ecclesia Dei. Obserua, quod maius est, ultimo loco protulit. Etenim alios ad fidem attrahere conuenit, nec interim tamen fratres negligere aut persequi. Indicat autem omnes ex hoc offensos, quòd idolorum immolatis uescerentur.

Sicut & ego per omnia omnibus placeo, non quærens quod mihi utile est, sed q̄d multis, ut salui fiant: imitatores mei estote, sicut & ego Christi.] Postquam magni quippiā illis imposuerat, reos eos faciens & Iudæorum & Græcorum noxæ, seipsum

in me-

A in medium protulit, ut ostendat rem haud esse difficilem. Qui uerò suum cõmodum non quesierit, liquet ex multis quę etiam antehac commemorauit. Omnibus, inquit, factus sum omnia. maximè uerò ex eo quòd optauit anathema esse pro fratribus. Imitatores igitur, inquit, mei estote. Quod ait, Quemadmodũ & ego Christi, ne putes arrogantem esse sermonem, uerùm adhortantis potius ad imitationem. Si enim ego, inquit, Christum imitatus sum, quanto potius uos me imitabimini? Non enim ego tanto sum melior uobis, quanto ille me, qui omnes incomparabiliter antecellit & exuperat.

CAPVT XI.

Laudo aũt uos fratres, ꝙ per omnia mei memores estis, et sicut tradidi uobis pręcepta tenetis.] Absoluto de idolothytis sermone qui de re ardua fuit, leuius nũc ꝙdam peccatum corrigit. Solet enim grauioribus uitijs leuia etiam inserere. Ecquid ist huc erat: Fœminæ non uelato capite orabant, ac uaticinabant: nam & fœminæ tunc prophetiæ dono claræ erant. Viri autem comam nutriebant, quippe qui in philosophia uersati essent, cùm quando orarent, tum quando prophetarent. Hæc uerò gręcę consuetudinis erant. Quia igitur de hisce eos admonuerat, forsan cum præstò esset, atq; eorum quidam obtemperauerant, nonnulli uerò haud obtemperauerant: de obedientibus inquit, Laudo uos, ꝙ per omnia mei memores estis, meiq; meministis. Atqui inter cætera isthuc unum erat, de coma non nutrienda per uiros. Attamẽ per omnia, inquit, mei meministis. Semper enim sapienter mollibus uerbis adeoq; laudibus cõsueuit compellare eos de quibus spes est ꝙ possint in meliorem statum redigi. Ex eo uerò ꝙd ait, Quemadmodum tradidi uobis, traditiones continetis, perspicuum fit ꝙ haud pauca sine scriptis tradiderint & ipse & reliqui apostoli. *Paulus non omnia literis tradidit.*

B Volo autem uos scire, ꝙ cuiuslibet uiri caput Christus est.] Videtur quantũ ex consequutione colligitur, ad eos uerba facere, qui à se laudati essent, quòd præcepta siue traditiones obseruassent, reuera aũt eos qui non gesserant morẽ, corrigit. Cum porrò cuiuslibet uiri caput esse Christum audis, de fideli isthuc intelligas. Nam fideles nos sumus corpus ipsius, non autem increduli: quare nec caput illorum Christus.

Caput autem mulieris uir, caput uerò Christi Deus.] Caput uxoris maritus est, propterea quòd dominetur in eam: Christi uerò caput Deus, quòd sit eius causa, ut pater filij. Non oportet enim ea quæ de capite dicta sunt, ex æquo de Christo intelligere, uerùm nostrum quidem & nostri caput est Christus, ut qui author & conditor noster, & ut cuius corpus nos simus. Christi autem caput pater est, ceu causa siue autor ipsius. Sin iuxta humanitatem accipias, sic dictum esse patrem Christi, perinde ac Christus dictus est caput nostrum, nihil impietatis admittis: quandoquidem & Deus pater Christi dicitur, secundum humanitatem, Quia enim nobis assimilari sustinuit, & frater noster dictus sit, & caput, nihil nouum est, si humiliationis & exinanitionis etiam nomina recipiat: ac eum qui iuxta diuinitatem pater est, caput habeat secundũ humanitatem suam, tanquam principem & Deum suum.

Omnis uir orans aut ꝓphetans, in capite habens, deturpat caput suũ.] Nõ semper prohibet uirũ cõtegi caput, sed in oratione tantũ & ꝓphetia. Nec dixit, tectus caput, uerũ in capite habens, ut auferat nedũ uelationẽ quæ fit pallio, uerũetiã eã quæ fit coma. Nã q comã nutrit, etiã in capite habet, comã uidelicet. Quì uerò deturpat siue pudefacit caput suũ? Quia cum princeps sit, suiq; iuris, se ipse iugo subdit. Caput ẽm cõtegere, est potestatẽ capiti imponere. Nam capitis tegumentũ, potestatẽ habentis seu dominatoris uice est, signumq; est subiectionis. Vel hunc ad modũ, Pudefacit Christũ caput suũ, seipsum nimirũ imminuens, ac libertate priuans. Vt enim exiguũ corpus pudefacit caput, sic qui à Deo liber est factus, suoq; iuri & libertati traditus, seipsum imminuit, ac ueluti sub potestate esset, ita se contegit: ad ignominiam isthuc uergit Christi, qui est caput ipsius, tanquã corporis. Non fuerit autem abs re quærere cur ueluti culpam & peccatũ isthuc Apostolus posuerit. Symbola tradita erant uiro & fœminę: illi quidem ut dominaretur in coniugem suam, huic uerò ut esset subiecta: multa sanè & alia, inter quæ & illud erat, nempe ut hic aperto capite esset, illa uerò tecto. Quomodo igitur non est reprehensioni obnoxium, naturæ leges prætergredi, ac uirum quidem comam nutrire, mulierem uerò retecto esse capite? Hoc igitur tollit, ceu arrogantiæ & pertinaciæ signum, quæ non pauca sanè apud ecclesiasticos *Comę nutritio.*

Hæreſes un de oriãtur.

ac fideles & uaſtat & perdit. Inde namque hæreſes ſubnaſcuntur, cum quod ſibi uiſum fuerit, producit quiſque.

Omnis autem mulier orans aut prophetans nõ uelato capite deturpat caput ſuum: unum enim & idem eſt, ac ſi raſa eſſet.] Fuerunt autem & fœminæ, prophetiæ (ut diximus) donum habentes; ut Philippi filiæ, aliæque permultæ. Quomodo uerò pudefacit caput ſuum? Quia fugitiuæ cuiuſdam & transfugæ caput oſtendit, ut quæ defecerit à tradita ſibi à Deo poteſtate. Noueris autem quòd uirum in oratione & prophetia uetet eſſe tecto capite, mulierem uerò non ſolis hiſce illis temporibus, uerùm ſemper. Hoc enim uult per hoc quod ait, Vnum & idem eſt ac ſi raſa eſſet. Vt enim ei ſemper turpe eſt raſo capite uideri, conſimilis deformitas eſt aperto capite cerni. coma namque tegumenti uice eſt. Proinde quæ tegumentum abiicit, ei quæ comam abiecit ſimilis eſt.

Si enim non uelatur mulier, tondeatur etiam. Si autem turpe eſt mulieri tonderi uel radi, ueletur.] Immorat eidẽ rei, oſtendẽs retectionẽ iſtã nõ eſſe imparem raſuræ: ac quemadmodũ turpis res ſit ac deformis raſura, ſic & capitis retectio. Per hæc itaq; ut dixi, innuit nunquam non turpe eſſe, mulierem caput ſuum retegere uel nudare.

Vir quidem non debet uelare caput ſuum, quando imago & gloria Dei eſt.] Primã quidem cauſam dixit, q̃ Chriſtum caput habeat, nec oporteat ipſum tegi: iam uerò & alteram rationem reddit, q̃ gloria Dei ſit, hoc eſt, princeps Dei, & imago ipſius. Eſt igitur operæ ſanè precium, ut princeps à ſummo rege & imperatore conſtitutus, cum ſignis ad principatum eius pertinentibus coram ipſo appareat, aperto uidelicet & retecto capite. Ea enim apertura indicio eſt nulli terrenæ poteſtati hominem eſſe ſubditum, ſed ipſum dominari omnium, ceu imaginem Dei.

Capitis apertura quid indicet.

Mulier autem gloria uiri eſt.] Hoc eſt, mariti dominatui ſubdita eſt. Quare par eſt ut cum ſubiectionis ſuæ indicijs uideatur, quæ ſunt contecto eſſe capite.

Mulier uiri gloria. Gen. 2.

Non enim uir ex muliere eſt, ſed mulier ex uiro. Etenim non eſt creatus uir ꝓpter mulierẽ, ſed mulier propter uirum.] Cauſas dicit quibus uir mulierem antecellit. Nã mulier ex uiri coſta eſt, & quia uir non eſt propter illam, ſed illa uiri cauſa. Faciamus enim, inquit, adiutorium ipſi. Qui igitur uir cõtegetur, tanto honore à Deo adfectus? fœminæ enim habitum ſibi arripit, ac perinde facit, ac ſi diadema ſuum arreptum ex capite abijciat, ſeruilemq; habitum & formam recipiat.

Quapropter mulier debet poteſtatem habere in capite, propter angelos.] Propter hæc omnia, inquit, prædicta, mulier in capite ſuo ſignum habere debet ſubiectionis ſuæ tegumentum uidelicet, ſi nihil aliud, angelos tamen uerita, & honore dignãs, ne & ipſis tanquam impudens uideatur. Vt enim obuelare caput, oculos demittere facit, & uerecundari, adeoq; ſubditi formam ſeruare: ſic reuelato capite ingredi, impudentiam declarat, quam & Chriſtianos comitantes angeli execrantur. Clemens uerò Stromatenſis per angelos curioſius eccleſiæ iuſtos intellexit ac probos uiros. Obueletur enim, inquit, ne hos ad fornicationem illiciat uel ſcandalizet.

Veruntamẽ neq; uir ſine muliere, neq; mulier ſine uiro, in Domino.] Hæc adijcit, quia plurimũ excellentiæ ac dignitatis uiro dederat, cõmonſtrans q̃ mulier ex ipſo, & propter ipſum ſit primùm condita, & ſub ipſo ſit. Ne igitur maritos plus q̃ par ſit efferat, neq; illas planè abijciat: re uera, inquit, ex prima creatione ſic res habet q̃ mulier ſit ex uiro. Nunc autem neq; uir ſine muliere naſcitur, ueruntamen in Dño, hoc eſt, Deo uniuerſum faciente, & uiuificante ſemen, matricemq; confortante.

Mulier ex uiro, uir per mulierem.

Nam ſicut mulier de uiro, ita & uir per mulierem.] Mulier quidem, inquit, ex uiro eſt: adhuc enim apud uirum permanet hoc integrum, mulierem ex ipſo eſſe. Vir autem eſt per mulierem, id eſt, mulier eſt adminiſtra generationi hominis: potior autem ſeminis eſt operatio, ita ut uir non propriè dicatur ex fœmina eſſe, ſed ex patre ſuo per mulierem, ut quæ fuerit miniſtra ad generationem. De Domino autem Paulus non ſic dixit, ſed natum ex muliere ait. Metuit enim uti præpoſitione per, de Chriſto loquens, ne locum daret hæreticis calumniandi, quòd Chriſtus per uirginem ceu ſiphonem aut canalem tranſierit: uel ut indicaret apoſtolus, quòd quia nullo uiri congreſſu, fructus uentris ipſius erat.

Omnia aũt ex Deo.] Nõ uiri, inquit, opus eſt, ſed Dei. Quòd ſi omnia Dei potẽtia fiant,

A fiant, ipsęq; ordinauit uirorũ & mulierum res, & negocia, ne contradic, sed obtẽpera.

Inter uos ipsos iudicate.] Rursum eos iudices facit eorum quæ dicit, abundè & copiosè astruens quod instituit.

Decet mulierem non uelatam orare Deum?] Hic horribilius quicquam indicat, nempè quòd ad Deum iniuria recurrat.

An ne natura quidẽ ipsa docet uos, q; uir quidẽ si comã nutriat, ignominia est illi: mulier autem si comam nutriat, gloria est illi? Nam coma pro uelamine ei data est.] Ecquid est ignominia uiro, si comam curet? Quia mulieris habitum & formam assumit, cúmque sit princeps constitutus, subiectionis signum recipit. Mulieri autem coma est gloriæ, quoniam proprium ordinem & institutum seruet. Cuiuis autem in gloriam cedit sui status obseruatio. Quid uerò necessum est aliud adhuc operimentum naturali isti peplo comæ apponere, si coma est uelamentum? Vt non ex sola natura, uerumetiam ex consilio & uoluntatis electione subiectionem fateatur. *Coma uirũ dedecet.*

Si quis autem uidetur contentiosus esse, nos talem consuetudinem non habemus, neq; ecclesiæ Dei.] Contentionis, hoc est, reluctari in huiusmodi, sed non est rationis uel intellectus. Cum enim forsan Corinthij sapientes uideri uolentes, opponerent sese per suos syllogismos & argumenta, quibus rem mediam & indifferentem demonstrare nitebantur: Nos, inquit, talem consuetudinem non habemus, siue ita altercandi, siue quòd uir quidem comam nutriat: mulier uerò non obuelatum caput gerat, imò ne aliæ quidem ecclesiæ Dei. Proinde non nobis solis aduersamini, sed uniuersõ iuxtà orbi. Hæc porrò rubore Corinthios suffundunt, auditores compellentia, ne quicquam præter apostolicam consuetudinem faciant.

Hoc autem præcipiens non laudo.] Quemadmodũm qui primùm crediderant cõmunia omnia habentes, communiter & publicè epulabatur: sic per quandam eius rei imitationem, etiamsi non adeò exactam, Corinthij statis quibusdam diebus festis ex æquo publicè conuiuabantur post mysteriorum participationem. Siquidem opulenti fercula adferebant, inopesq; ad conuiuium isthuc accersebant. At per dissensiones admirandus ille ritus, quo mutua charitas, & Christiana philosophia cõtinebatur, corruptus est, nec ab omnibus seruabatur. Scribit igitur Paulus, ut hoc corrigat. Porrò in precedenti delicto, cum multos obedientes haberet, Laudo uos, inquit: hic uerò secus habente re, Hoc autem præcipiens non laudo, ait, hoc est, non laudo uos quòd omnino hac de re præcipiam uobis, uosq; adhorter. Conueniebat enim ut per uos ipsos intelligentes, neq; pecc aretis omnino, neq; præcepto indigeretis. *Christianorũ olim omnia communia.*

Quod non in melius, sed in deterius conuenitis.] Decebat uos in melius pergere & progredi, conuentusq; uestros facere liberaliores: uos autem consuetudinem quæ obtinuerat apud uos, imminuistis. Ac conuenitis quidem in una ecclesia: nec tamen ut simul cœnetis. Hoc igitur est quod deterius est & minus, in quo deficitis.

Primùm quidẽ cõuenientibus uobis in ecclesia, audio schismata inter uos esse.] Nõ statim sermonẽ de mensis infert, sed prius eos ferit quòd schismata inter eos essent. nã reuera quia dissecti erant, & diuisi inter sese, idcirco priuatim unusquisq; edebat.

Et ex parte credo.] Vt ne dicant, Quid enim si mentiuntur calumniatores nostri? Neq; credo dixit, ut ne impudentiores faciat: neque non credo, ne uideatur eos frustra obiurgare: sed parum quiddam credo, inquit. Simul tamen uerisimile est neq; omnes morem istum transgredi, sed ex parte quosdam.

Oporter enim & hæreses inter uos esse.] Non dogmatum hic hæreses dicit, sed schismatum huiusmodi ac dissidiorum quæ de mensis exoriebantur. Quid uerò est, oportet? pro, possibile est, uel necesse est uos, cum homines sitis, non omnes rectè ingredi. Ob eã igit rẽ etiã credo: perinde ac Dñs etiã dixit: Necesse est uenire scandala. hoc est: Cũ praui sint in mũdo & scelerati multi, nõ possunt nõ esse & uenire scãdala. *Oportet.*

Vt qui probati sunt, manifesti fiant in uobis.] Coniunctio ut, hîc non est ætiologica, non reddit rationem, sed ad rei euentum & exitum pertinet, ut non in paucis locis planum reddatur. Quum enim arrogantiores communem istam cœnam non acciperent, manifestabantur probati, id est pauperes, quòd patienter ferant sese negligi: antea autem non apparebat perseuerantia eorum. Vel probatos dicit eos, qui morem cœnæ adhuc custodiebant, non enim eum omnes dissoluerant. Cum igitur dissoluen- *Vt.*

dissoluentes reprobi apparerent, obseruantes manifestantur ceu probati.

Conuenientibus igitur uobis in idem, non est dominicam cœnam manducare.] Cõuentus, inquit, charitatem indicat & collectionem uel coniunctionem, atqui opere ea hodie coniunctio non fit. Dominicam cœnam autem conuiuium uocat quo multi simul uescuntur, ueluti imitationem illius horribilis & admirandæ cœnæ, qua Dñs simul cum discipulis suis manducauit. Propterea & cœnam prandium ipsum uocauit. Videte igitur, inquit, quo orbemini, nimirum imitatione mensæ dominicæ.

Cœna dominica, conuictus. Prandium, cœnæ nomen cur ac accipiat.

Vnusquisq; enim propriam cœnam præsumit ad manducandum.] Dominicã hãc cœnam priuatam fecistis. Quandiu enim communis esset, dominica cœna uocabat: domini enim res omnibus seruis sunt communes. Postquam autem unusquisq; anteuertit propriam cœnam manducare, nec expectat pauperes, sed priuatim apud sese edit, contumelia affecistis cœnam uestram, pro dominica priuatam facientes.

Et alius quidem esurit, alius uerò ebrius est.] Pauper quidem esurit: opulentus uerò ebrius redditur. Duo autem hîc sunt piacula, & q̃ prætereuntur pauperes, & q̃ uos inebriamini, soli ijs saturati quæ etiam pauperibus oportebat apparata esse. Significatione autem peculiari dixit ebrios eos esse.

Nunquid enim domos non habetis ad edendum & bibendum?] Si enim communiter & publicè non estis esuri, quur non in ædibus uestris editis?

Aut ecclesiam Dei contemnitis?] Cum enim dominicam cœnam priuatam feceris, manducans apud teipsum, in ecclesiam & locum es iniurius.

Et pudefacitis non habentes.] Non tantum curant pauperes, inquit, quòd non alitis eos, quantumquòd pudefiunt, redarguti & indicati quòd nihil habeant, uobis splendidè accumbentibus, ac uino indulgentibus.

Quid uobis dicã? laudabo uos? in hoc nõ laudo.] Post lapsus & erroris demonstrationem mitius cum illis loquitur. Cum enim posset dicere, ista innumeris esse morib. digna, ipse quid ait? Laudabo uos? non laudo. Hoc autẽ facit, ut eos mansuetiores dementioresq; pauperibus reddat. Si enim eos uehementius percussisset & pertinacius aduersus inopes exasperati, crudeliores in eos facti essent, quippe quia eorum causa ab apostolo ignominia adfecti essent.

Ego enim accepi à Domino, quod & tradidi uobis.] Cuius rei gratia mysteriorum illius ueperæ meminit? omnino necessariò, ut persuadeat quòd Dominus tuus omnes eadem mensa excipere dignatus sit, tu uerò fratrem eiusdem tecum generis & naturæ auersaris & dedignaris? At quî ait à Domino se accepisse? neq; enim tum aderat Paulus, sed Christi persecutor erat. Vti discas, quòd ipse hodieq; in mystica mensa mysteria illa tradat, æquè atque tum.

Quoniã Dñs Iesus, in nocte qua tradebat, accepit panẽ, & postq̃ gratias egisset, fregit, ac dixit, Accipite manducate. Hoc est corpus meũ, quod pro uobis frangitur.] Recordamini, inquit, q̃ hanc ultimam uobis dederit, spiritualem adeoq; arcanam sacrosanctam institutionem, quodq; ea etiam nocte qua mactandus erat, Iudã proditorem mensæ suę accumbentem habuerit. At tu fratrem tuum reijcis, contemnis, indignum iudicas? Edoctus es etiam gratias agere, quandoquidem & ille gratias egerit, exemplũ nobis relinquens: atqui tu indigna gratiarum actione committis, iniuriam inferẽs ecclesiæ, te nanq; epulante ad temulẽtiam usq;, alius esurit. At uerò ille in commune & generatim omnibus dixit, Accipite, edite, idq; corpus suum, q̃d pro omnibus exequo fregit in mortem tradens: tu uerò anteuertis & occupas edere, neq; cõmunem panem in medium ponis, neq; frangis ipsum uti detur multis, uerùm tibi ipsi contines.

Hoc facite in meam commemorationem.] Quid ais? si filij uel patris commemorationem faceres, animo & conscientia tua perculsus esses, nisi legitima quæq; & celebrandis funeribus consueta perfecisses, ac pauperes inuitasses. Commemorationẽ aũt siue memoriam Domini faciens, nec mensam quidem tuam simpliciter illis impertis.

Similiter & calicẽ postq̃ cœnasset, dicens: Hic calix nouũ testamentũ est in meo sanguine.] Fuerũt & in ueteri testamẽto calices siue pocula, quib. sanguinẽ brutorũ post uictimã oblatã líbarẽt, quẽ phiala & poculo excipiebãt. Pro sanguine itaq; brutorũ, q̃ uetus testamentũ ueluti sigillo cõsignabat, meũ ego nunc sanguinẽ pono, nouum testamentũ eo ceu sigillo muniens. Ne turberis igitur sanguinem audiens. Nã si irratio-

Leuit. 1.

nalium

A nalium pecorũ sanguinem accepisti in ueteri testamento, quanto potius nunc diuinũ.

Hoc facite, quoties biberitis, in meam commemorationem.] Per poculum isthuc, inquit, memoriam facis Dominicæ mortis. Quî igit̃ tu solus bibis & inebriaris, tremẽdo isto calice omnibus ex æquo tradito?

Quoties enim ederitis panem hunc, & calicem hunc biberitis, mortem Domini annunciabitis donec ueniat.] Eo, inquit, affectu debetis esse imbuti, perinde quasi in illa ipsa Christi essetis uespera, adeoq; cœna, eidemq; accũberetis thoro, & ab ipso Christo acciperetis sacrum isthuc. Illa ipsa enim cœna est, & illam ipsam mortẽ annunciamus, hoc est, demonstramus ad secundum usq; eius aduentum.

Itaq; quicunq; mãducauerit panẽ hunc aut biberit calicẽ Dñi indignè, reus erit corporis & sanguinis Domini.] Ipsos obliquè perstringit indignè manducantes, quãdoquidem inopes negligant. Qua uerò ratione reus fit indignè assumens? perinde nimirum ac ipse qui sanguinẽ Dñi effuderit. Vt enim qui tum pupugerunt Christum, non ut biberent pupugerunt, uerùm ut effunderent: sic indignè bibens, nihilq; inde commodi referens, frustrà ac temerè effudit sanguinẽ. Porrò Iudæi dilacerarunt regis chlamydem: at qui indignè manducat, in cœnum & lutum, in animam suam uidelicet, hanc chlamydem, injicit. Nónne igitur par & minimè dissimilis est ignominia? propterea & ipse huius chlamydis reus est.

Probet autem seipsum homo, & sic de pane illo edat, & de calice bibat.] In more est diuo Paulo, ubi per medium cuiuspiam argumenti alia necessaria inciderint, huc etiã digredi: quemadmodum etiamnum alio proposito argumẽto de mensa, simulatq; in mysteriorum sermonem incidit, hunc locum ueluti maximè necessarium perficit & absoluit, ac summam bonorũ monstrat, cum pura conscientia accedere mensam. Vnde inquit: Non alium tibi iudicem attribuo, uerùm teipsum tibiipsi commendo. Iudica igitur & explora conscientiam tuam, & sic accede, non quando fuerint feriæ, sed quando purum teipsum ac dignum inueneris. *Pauli mos in disputando.*

B Qui enim manducat & bibit indignè, iudicium sibi manducat & bibit.] Nõ ꝓpter mysteriorum naturam, hæc enim sunt uiuifica, uerùm propter accedentis iniquitatẽ, quemadmodum & sol oculis corruptis est noxius.

Non dijudicans corpus Dñi.] Hoc est, non explorans, non intellígens propositæ rei amplitudinem. Si enim discereмus unquam quisnam esset qui proponitur isthic nobis, non indigeremus altero, sed illum ipsum nos, ut sobrij essemus, pararet.

Ideo inter uos multi infirmi, & imbecilles, & dormiũt multi.] Accipite demõstratiõnẽ ex ijs quæ apud uos contingũt. Hinc eñ sunt immaturæ mortes, diuturnæq; ægritudines & morbi, eo quòd multi indignè assumant. Quid igit̃? qui nõ ægrotãt, & ad extremam usq; senectam seruantur incolumes, nónne peccant? Peccant sanè, sed nõ huius temporis pœnæ solæ indignè accedentibus destinatæ sunt: sed in futuro quoq; seculo illic difficiliora grauioraq; sunt reposita supplicia: neq; hic nos puniti essemus, nisi deliquissemus, perinde ac ipse iam infert. *Immaturæ mortes propter indignè sumptũ Christi corpus.*

Si enim nos ipsos iudicaremus, nõ iudicaremur.) Non dixit, nos ipsos puniremus, sed tantũ iudicaremus & condemnaremus nos ipsos, haud sanè ne hic quidem condemnaremur à Deo, uerùm & præsentia & futura supplicia effugeremus.

Cum autem à Domino iudicamur, corripimur, ut ne cum mũdo condẽnemur.] Quando quod adeò leue & facile est, non facimus, hoc est, q̃ nos ipsos non condemnamus: neq; Deus nobiscũ crudeliter adeò agit, uerùm hic corripit & castigat, ut illic misereatur. Castigamur autem hic, inquit, nõ punimur, cæterum à patre admonemur, ut ne cum mundo, id est infidelibus, illic condemnemur. Deo enim cum fideles uehementer curæ sint, pro delictis suis ita à Deo tractantur. *Castigat nos Deus.*

Itaq; fratres, cum conuenitis ad manducandum, alter alterum expectate.] Iterum ad propositum de pauperibus sermonem redit, postquam pœnæ mortisq; meminit ob indignam mysteriorum Dominicę mensę acceptionem inflictæ. Nec dixit, Alter alteri impertimini: sed, Expectate: ostendens communia esse quæ illuc adferantur, quodq; communis conuentus sit expectandus.

Si autem quis esurit, domi manducet.] Ruborem Corinthijs hic sermo suffundit,

ſuffundit, eosq; pudere facit. Loquitur enim eis tanq; pueris & infantibus, qui famelici ægrè inediā patiant̄, ipſorumq; gaſtrimargiā condēnat. Hinc & eos ab eccleſia adeoq; delubro educens, in ſuam quanq; domum remittit, quæ non exigua eſt ignominia. A

Vt ne ad iudicium conueniatis.] Id eſt, ad noxiam detrimentúmue ueſtrum, & ad condemnationem. Eam enim ob cauſam ſunt conſtituti conuentus, ut alter ab altero iuuetur dum in charitate congregamini. Quod ſi hoc non fiat, ſatius eſt, ut domi uos contineatis. Hæc autem non dicit ut domi ſint, cæterùm ut eos magis attrahat quò ſicut oportet conueniant.

Cætera autem cum uenero diſponam.] Vel de alijs nonnullis ipſorum peccatis quæ opus habeant emendatione, uel de hoc ipſo peccato loquitur. Veriſimile eſt, inquit, aliquot defenſionem parare aduerſus ea quæ dixi, uerùm interim quæ dixi cuſtodiant. Sin quiſquam aliud quicquam habeat quod mihi dicat, in meum id aduentum uſque ſeruetur. Terret autem eos tanquam affuturus, ut interea temporis demittant criſtas, & corrigant ſi quid non bene habeat.

CAPVT XII.

Baptiſmi mirabilis.

DE ſpiritualibus autem nolo uos ignorare fratres.] Hoc eſt, de donis ſpiritus. Argumentum autem eſt huiuſmodi. Qui crediderant in principio, & baptizati erant, omnino ſpiritum accipiebant. Quia uerò is inuiſibilis erat, ſenſibile ſignum dabatur operationis ipſius, atq; aut linguis loquebantur, aut prophetabant, aut miracula edebant. Apud Corinthios itaque chariſmatum nomine ſeditiones erant, adeò ut qui maiora dona acciperent, efferrentur: qui uerò minora, illis inuiderēt. Inſuper uates aliquot & pſeudoprophetæ fuerūt, qui difficulter à diuinis prophetis diſcernebātur. Cūcta igitur hæc in meliorem ſtatum reuocat, ac primùm quod ad uates attinet.

Phanatici & prophetæ diſcrimen.

Noſtis q; quando gentes eratis, ad idola, quemadmodum ducebamini, abducti ſimulacra.] Signum dat uatis & prophetæ: quoniam ſi, inquit, apud idola aliquis uaticinaretur, à ſpiritu immundo detentus ceu raptus & abductus, ſic rapiebat̄ à ſpiritu ligatus, nihil ſciens eorum quę diceret, ſed planè extra ſe conſtitutus & inſanus. Cum prophe B ta autem aliter ſe res habet. Nam is mente ſobria cuncta loquitur. Itaq; primum hoc ſignum & diſcrimen uatis dæmoniaci, & prophetæ diuini.

Catechumeni.

Dæmones Chriſtū cōfitentes.

Ideo notum uobis facio, quòd nemo in ſpiritu loquens dicit anathema Ieſum: & nemo poteſt dicere Dominum Ieſum, niſi in ſpiritu ſancto.] Etiam hoc tibi ſignum ſit uaticinij inſani, execrari, blaſphemare, conuicijsq; inceſſere Ieſum: prophetæ uerò ſignum eſt, haud citra præconium nominare Domini nomen. Quid igitur catechumeni faciunt? Quomodo iſti nondum habentes ſpiritum ſanctum, nominant Ieſum? uerùm de his nunc non eſt ſermo, cæterùm de fidelibus & infidelibus. Quid uerò dæmones? non nominabant nomen Domini? Nominabant quidem, ſed flagris cæſi & coacti, ſuapte uerò ſponte & per ſeſe haudquaquam.

Diuiſiones aūt donorū ſunt, idē uerò ſpiritus.] Cū diſcrimē inter uerū & uanū prophetā indicaſſet, etiam de donis ſpiritus diſſerit, ut diſſidentes in hiſce corrigat: primū eum curat ueluti adhibita medicina, qui minus donum accepit, ac propterea mœret. Quur enim doles, inquit, q; non tantum accepiſti atq; alius? Non enim debitum eſt, ſed chariſma & donum. Itaq; gratias age, quòd nihil tibi Deus cum debeat, omnino tamen aliquid dederit. Quinetiam idem eſt dator, qui tibi & illi largitus eſt. Non ēm tibi angelus dedit, illi uerò Deus: uerùm idem utriſq; ſpiritus.

Ac diuiſiones miniſtrationum ſunt, ſed idem Dominus.] Meminit & filij, tanquam datoris bonorum. Dolentem porrò maiori conſolatione reficiens, miniſteriorum dixit. Qui enim chariſmatis uocabulum audiuerat, & minus donum acceperat, fortaſſe angi queat animo, ceu circa donum imminutus. Qui uerò miniſterij uocem audiuerit, non ita dolebit: laboris enim & ſudoris hoc eſt indicium. Quid enim doles, ſi alium pluſquām te laborare iuſſit, parcens uidelicet tibi?

Diuiſiones etiā operationū ſunt, idem uerò Deus qui operat̄ omnia in omnibus.] Patris hīc mentionem facit, qui operatur omnia in omnibus fidelibus opera. En hīc tibi Trias eſt perfecta. Donum autem, & operatio, & miniſterium, eadem ſunt, etſi nominibus differunt. æqualia enim ſunt quæ à ſpiritu & filio & patre dant̄. Vide autem quomodo

quomodo spiritus meminit primùm, postremò uerò patris, eorum causa qui in Tria
A dis huius ordine nimium sunt curiosi.

Cuius autem datur manifestatio spiritus ad utilitatem.] Ne quis dicat, Ecquid quòd idem sit Dominus, & idem spiritus, & idem Deus, cum ego interim minus acceperim? Hoc tibi, inquit, utile erat & conferebat. Spiritus autem manifestatio, signa sunt. per hæc enim demonstrabatur spiritus libenter in baptizatis commorari. Quid igitur tibi dolet? Siue enim maius, siue minus habeas donum, ostendit spiritum in te esse. Ecquid tibi propterea curæ? *Spiritus demonstratio.*

Alij quidem per spiritum datur sermo sapientiæ.] Qualem habebat Ioannes tonitrui filius, qualem & ipse diuus Paulus. Obserua aũt prępositionẽ *dia* spiritui hîc applicari.

Alij autem sermo scientiæ, secundum eundem spiritum.] Qualem habebant plerique fideliũ, qui ipsi quidem scientiam habentes, alios docere non poterant. Sapientia nãque docet, perspicuitas quædam existens quę operta recludit, obscuraque clara reddit. Vbique aũt eiusdem spiritus meminit, consolans (ut sæpius dictum) eum qui minus acceperat. *Sapientia.*

Alij autem fides, in eodem spiritu.] Non fides dogmatum, sed miraculorum, quæ & montes transfert. *Matt. 17.*

Alij autem dona sanationum, in eodem spiritu.] Vt curet omnem ægritudinem & languorem.

Alij autem operationes uirtutum.] Qui punire etiam queat inobedientes. ut Paulus excæcauit Elyman magum, sic Petrus Ananiam sustulit: id quod dona sanationum accipiens non habebat. *Act. 13. & 5.*

Alij autem prophetiæ, alij uerò discretiones spirituum.] Hoc est, ut sciat quisnam spiritualis, & quis non spiritualis: tum quis propheta, & quis impostor.

Alij autem genera linguarum.] Abundabat apud Corinthios linguarum donum. Hinc magis etiam confidebãt, quasi primum id apostolis esset datum, ac propterea alijs donis excellentius sit usum. Atqui id sic non habet. Siquidem doctrinę donum maius
B est, & interpretatio linguarum maior est, quàm simpliciter linguis loqui. Valde propriè autem de linguis loquens, genera dixit.

Omnia aũt hæc operat unus & idem spiritus, diuidẽs seorsim unicuique ut uult.] Rursus eandem consolationẽ ponit, idem spiritus operat omnia. Magis aũt obstruit ora eorũ qui talẽ haud æquo animo dispensationẽ ferunt. Pro arbitratu, inquit, suo facit. Tu uerò quis es qui isthuc ęgrè feras? Obserua aũt dictum hoc, propter eos qui cum spiritu pugnant. Non enim quemadmodum iubetur, sed ut uult, itaque Dominus & Deus est. Nec efficitur, sed efficit æquè ac pater: inquit enim, Qui operatur omnia in omnibus.

Sicut enim corpus unũ est, & mẽbra habet multa: omnia aũt mẽbra corporis multa cũ sint, unũ sunt corpus: sic & Christus.] Exemplo à corpore sumpto, cõsolatur mœrentẽ ob minus charisma, ostendens q̃ nihil sit imminutus. Vt enim corpus unũ est, & multa, ppter mẽbra: sic & mẽbra & multa sunt, & unũ, eo q̃ in unũ corpus coagmententẽ. Vbi igitur differentia? ubi maius? ubi minus? omnia enim unũ sunt. Sic igitur & Christus, id est Christi ecclesia. Quandoquidem enim Christus caput est ecclesiæ, sic ecclesiã nominauit à capite. Perinde enim ut corpus & caput unus sunt homo, consimilẽ ad rationem, ecclesiã & Christũ, ueluti corpus & caput unum esse sciens, pro ecclesia Christum posuit. Dicit igitur, quòd in ecclesia unum quoddam omnes sumus, etiamsi ex diuersis ordinibus constet concinnatumq̃ sit isthuc unum. *Christus, Christi ecclesia.*

Etenim in uno spiritu omnes nos in unũ corpus baptizati sumus, siue Iudæi, siue gentiles, siue serui, siue liberi.] Indicat iamnũc quõ ecclesia adsimilẽt unius corporis exẽplo, inquiẽs: Sub eodẽ & uno spiritu nos omnes, & ego etiã ipse Paulus, inquit, baptizati sumus in unũ corpus, hoc est, ut simus unum corpus. Non enim in alio quidem tu, in alio uerò ego, baptizati sumus spiritu, uerùm in eodẽ. Proinde neq̃ ego quiddam te excellentius habeo. Nam in unum corpus baptizati sumus, pro eo quod est, ut simus unum corpus, & Iudæi & Græci, & serui & liberi. Si ergo adeò disiunctos, tantoq̃ interuallo distantes, spiritus nos coniunxit atq̃ uniuit: quanto magis postquàm unum facti sumus, non debemus contristari, ceu discrimen quoddam sit inter nos? *Ecclesia corpori persimilis.*

Et omnes uno spiritu potati sumus.] Videtur hîc loqui de mensa corporis Domini, panis nempe & uini. Cum enim dicit spiritu potari nos, utraq̃ indicauit, & sanguinẽ,

Spiritus post baptisma datur.

& carnẽ. Veruntamen uerius est q̃ hîc loquatur de accessu spiritus, qui nobis post bapti A
sma contingit, & priusq̃ hæc sacra mysteria adeoq̃ sacramenta accedamus. Potati au-
tem sumus, dixit per metaphoram eorum qui ex eodem fonte irrigantur. Vnus igitur
spiritus potauit nos, & irrigauit, & unum corpus esse fecit.

Etenim corpus non est unum membrum, sed multa.] Ne mireris, inquit, quòd tot
cum simus, unum corpus simus. Etenim & humano corpore à multis membris unum
corpus est inuenire.

Si dixerit pes, Quia non sum manus, non sum de corpore: non propterea non est de
corpore. Et si dixerit auris, Quoniam non sum oculus, non sum de corpore: non pro-
pterea non est de corpore.] Introducit membra loquentia, & murmurantia q̃ sint aliis
minutiora uel inferiora, ut per demonstrationem inutilis membrorum murmuris præ
ter rationem facti, pudore suffundat murmurantes in ecclesia, propterea q̃ nõnulli in
ea ipsis sint maiores. Ponit autem duo extrema, pedem & aurem. Nec facit pedem o-
culo loqui, sed parum sibi superiori manui. Auditum autem introducit cum oculo di-

Quibus ferè inuideamus.

sputantem. Semper enim non ualde excellentibus, uerùm parum à nobis distantibus,
atq̃ paulo altius progressis inuidere solemus. Ait igitur: Quòd si dixerit pes, Quia nõ
habeo medium locum, æquè ac manus, sed sum omnium infimus, non sum ergo pars
corporis: nunquid propterea hoc est quia non est manus, non est ideo ex corpore?

Pars corporis ut quod dicatur, nõ locus facit, sed unio.

Non enim locus est in causa quur sit pars corporis, uel nõ sit: uerùm quia corpori quic
quam unitum est, aut non unitum. Hunc ad modũ si auris dixerit, Quia non sum ocu-
lus, eam ob causam orbor omnino eo ut sim pars corporis: num propterea & ipsa non
erit ex corpore? Atqui cum locum sibi principio destinatum retineat, propriamq̃ ope
rationem operetur, ipsa quoq̃ erit & membrum & pars corporis. Proinde etiam si tu
uidearis minus charisma accepisse, ne ea de causa murmura. Membrum enim es eccle
siæ, quod est corpus Christi, etiamsi inferiorem locũ nactus es. Tum uerò non es mem B
brum, cum teipsum abscideris, atq̃ ab unitione abruptus auulsusq̃ fueris. Conserua i-
gitur coadunationem, si uis esse membrum.

Si totum corpus oculus, ubi auditus? si totum auditus, ubi olfactus?] Quia oculi me-
minerat, & pedis, & auditus, & manus, eosq̃ in cogitationem induxerat excellentiæ &
imminutionis, ac uerisimile esset rursus ipsos mœrorem inde potius quàm consolatio
nem accipere: nunc ostendit ita commodum esse, ut sint diuersa dona. Nam si totum
corpus foret unum membrum, ubinam reliqua manerent? Nõ pudet igitur te, qui tot
membra eijcis, ac tanta, teq̃ solum esse dignum iudicas?

Nunc autem posuit Deus membra, unumquodq̃ eorum in corpore sicut uoluit.]
Vehemẽter eos compescit, & cum ait quòd Deus uoluit ac segregauit unicuiuis mem
bro proprium locum: id enim significat, posuit: & q̃ neq̃ pes, quia infimum locum ob-
tineat, ægreferre debeat. Sic enim Deus uoluit: atq̃ hoc ipsi confert, in imo loco posiũ
esse. Neq̃ caput supremum locum habens, propterea debet efferri. Dei enim hoc, non
ipsius opus est. Consimilem ad modum in ecclesia Deus constituit hunc esse inferio-
rem, id quod ipsi commodat, illum uerò superiorem. Atq̃ hunc oportet sua sorte esse
contentum, illum uerò non attolli uel inflari.

Quòd si essent omnia unum membrum, ubi corpus? Nunc autem membra multa,
corpus uerò unum est.] Animaduerte sapientiam. Hoc ipso eos obturat, oraq̃ illis ob-
struit, quod uidebatur illis parere pusillanimitatem: nempe quòd sint diuersa charisma
ta, quodq̃ nõ sit idem omnium honos. Nisi enim essent diuersa membra, neq̃ corpus
unum esset. Quòd si corpus non sit unum, neq̃ par erit honos & existimatio. Iam ue-
rò eam ob rem in omnibus est idem precium, ideoq̃ æquè honorantur membra, quòd
omnia idem corpus perficiant. Itaq̃ quia diuersa membra sunt, ideo unum corpus per
ficitur. Quia uerò unum corpus, ideo cunctis idem honoris exhibetur, & precij sunt
eiusdem, ex hoc ipso q̃ omnia coeant & compaginentur ad unius corporis completio
nem. Ait enim, Multa quidem membra, corpus uerò unum.

Non potest autem oculus dicere manui, opera tua nõ indigeo: aut iterũ caput pedi-
bus, opera uestra non indigeo.] Submissioribus factis, necnon pacatis iam qui minora
charismata acceperant, ad eos nunc qui maioribus præeminentes intumescebant, uer
ba facit, qui inferiores se adspernabant. Vt, inquit, oculus non potest dicere reliquis mẽ

bris,

bris, Non habeo opus uestra opera: uno namq; deficiente, claudicat totum corpus: sic
A neq; qui maiora charismata acceperunt, attollere sese possunt aduersum eos quib. sunt
minora. Eorū enim & ipsi opera indigent: ipsi enim soli non sufficiūt ut ecclesiam Dei
ædificent. Pulchrè autem dixit, Non potest. Etiamsi namque multa uelit, non sic tamē
habet rei natura.

Membra inuicem opus habent.

Sed multo magis quę uidentur membra corporis infirmiora esse, necessaria sunt: &
quæ putamus ignobiliora esse corporis, his honorem abundantiorem circundamus:
& quæ inhonesta sunt nostra, abundantiorem honestatem habent.] Indicat iam quòd
& cōmoda & necessaria sint quæ uidentur esse minora. uidentur enim inferiora, sed
non sunt. Quænam sunt hæc? quæ imbecilliora quidem uidentur, & minus honesta,
& interim tamen necessaria sunt. Nonnulli genitales hic partes accipiunt, quæ uiden-
tur quidem minus honestæ & indecoræ, usqueadeò aūt necessariæ sunt, ut sine his ne
uita quidem hominis constare queat. Insuper maiorem illis honorem exhibemus, ac
circumponimus. Etsi enim quisquam toto corpore nudus sit, hæc tamen membra nu-
dari non patitur. Nonnulli uerò per imbecilliora, sed necessaria tamen, oculos intelli-
gunt: qui quum parui sint, ac reliquis artubus infirmiores, in primis tamen sunt neces-
sarij. Per ignobiliora uerò & inhonesta, pedes intelligunt. Oculos itaque magna cura
dignamur, ceu imbecilles. Pedes rursus contegimus & obuelamus, ac solicitè illis pro-
spiciimus, quantumuis inferiore loco positi, ac honoris uacui esse uideantur. Poterit au
tem quispiam hic treis ordines intelligere ex his quæ dicta sunt, ut alia quidem sint in-
firma & necessaria, ut oculi: alia uerò honoris uacua, ut pedes: alia deformia siue inho-
nesta, ut mortalium generationi destinata.

Genitalium necessitas atq; honos.
Oculi.
Pedes.
Membrorū inferiorum ordines tres

Honesta autem nostra nullius egent.] Ne quis dicat, Ecquęnam hæc est ratio, ut pro
spiciamus inhonestis atq; ignobilibus, honesta uerò despiciamus? non despicimus, in-
quit, sed illa nulla nostra cura & honore opus habent: à natura enim decus suum & for
B mam nanciscuntur.

Natura nihil deforme.

Sed Deus simul temperauit corpus.] Si temperauit siue commiscuit, ergo unum fe-
cit: quod enim miscetur, unum fit. Et ubi iam deinceps in uno maius & minus?

Et cui deerat, abundantiorem tribuendo honorem, ut ne schismata sint in corpore.]
Non dixit, inhonorato aut deformi, sed deficienti uel egenti. nihil enim natura inho-
nestum aut ignobile. Exuberantiorem, inquit, impertijt honorem ei cui deerat, ne igi
tur doleas, cum maiori honore adficiaris. Causa est, ne sint schismata in corpore. Si e-
nim alia quidē & à natura & à nostra prouidentia curata essent, alia uerò ne nostra qui
dem solicitudine dignata essent, dissedissent inter se mutuò, inq; se discissa fuissent, nō
ualentia ferre connexum & compagem. His uerò discissis, neq; reliqua permansissent
salua, ceu corpore iam secto ac scisso. Ne igitur uos maioribus charismatibus decorati
insurgite in uobis inferiores, ne resectis illis uos detrimentum patiamini.

Sed idem pro se mutuò solicita sint membra.] Non solùm, inquit, ut non abscindan-
tur membra ac dissideant, uerùm ut dilectio sit multa & concordia. Et qui maior est,
minoris curam gerat, cogitetq; anxiè nō simpliciter, sed idem, hoc est, ut eadem sanè
qua magnus fruitur, prouidentia fruatur & minor. Sic itaq; spina incidente, calcaneó-
que infixa, totum corpus sentit & solicitum est: caput se inclinat, deorsum inflectit, uen
ter & femora contrahuntur, oculi multa solicitudine intuentur, manus quod infixum
erat eximunt, atq; in cæteris membris par cura adhibebitur.

Et siue patitur unum membrum, compatiūtur omnia membra: siue glorificat unum
membrum, congaudent omnia membra.] Exacta enim unitio & coniunctio, commu
nes facit glorias & calamitates. Proinde, ut iam diximus, calcaneo uulnerato, totū cor-
pus condolet. Rursum si caput coronetur, reliquis inde membris & gloria & gaudium
emergit, oculi sunt pulchri, ac totum corpus formosum apparet.

Membrorū bona et mala communicabilia.

Vos estis corpus Christi, & membra ex parte.] Ne dicant, Ecquid ad nos corporis &
membrorū similitudo & exemplū? Quia, inquit, & uos estis corpus Christi & mēbra.
Quare si humanum corpus nō oporteat à se dissentire, quanto minus corpus Christi?
Quia uerò nō ipsi soli constituebāt corpus Christi, sed omnes in uniuerso terrarū orbe
fideles, apposuit, & membra. Etiamsi namq; non totum corpus essent, membra certè
erant: idq; ex parte, hoc est, non omnia membra, sed ex parte.

Et alios quidē posuit Deus in ecclesia, primùm apostolos, deinde prophetas.] Si Deus posuit, quur te ipse Deo opponis? Principe aūt loco apostolos collocat, ceu omnium bonorum duces: secundo prophetas, non ueteris quidem testamenti (illi enim ad Ioan nē usq; de Christi aduentu uaticinati sunt) sed eos qui in nouo testamento post Christi aduentum & natiuitatem prophetabant, quales fuerunt Philippi filiæ, qualis Agabus, quales alij innumeri. Larga enim & abundans erat gratia spiritus in quauis ecclesia. Primum autem & secundū posuit, ut linguarum dono relinquatur postremus locus: ut ea ratione hoc dono tumidos demittat.

Matt. 11.

Prophetæ post Christi aduentum.

Act. 21. & 11.

Tertiò doctores.] Propheta quidem omnia ex spiritu loquitur, doctor autem etiam per sese: propterea tertium locum obtinet.

Deinde uirtutes, pòst gratias curationum.] Virtutes & sanabant ægrotos, & puniebant aduersarios: dona autem curationum sanabant tantùm. Hinc illud huic præfert & anteponit. Vtriq; tamen horum, qui uerè doctor est: antelatus est, qui nimirum uita & uerbo docet.

Opitulationes, gubernationes.] Hoc est, amplecti siue fouere infirmos, & gubernare, adeoq; dispensare ea quæ fratrum sunt. Hæc enim etiamsi nostræ quoq; diligentiæ sint, Dei tamen iuxtà dona esse adfirmat: persuadens nobis ut gratiosimus, ac ut in illum defigamus oculos, nec simus superbi.

Genera linguarum.] Postremo loco posuit, ut adimat cristas illis qui hoc dono arrogantes erant.

Nunquid omnes apostoli? num omnes prophetæ? nunquid omnes doctores? nunquid omnes uirtutes? nunquid omnes dona habent curationum? nunquid omnes linguis loquuntur? nunquid omnes interpretantur?] Quia uerisimile erat eos potius dolere, ceu manifestatis maioribus & minoribus donis per enumerationem, rursus consolatur inferiores. Quid doles, inquit, quòd forsan non habeas prophetiam? Cogita rursum prophetæ deesse quod tibi adest: & quod alij est, alij non est, fracq; hoc commodius est uobis & utilius, sic habere sese res ecclesiæ, ut quilibet proximi opera indigeat. B

Aemulamini autem dona meliora.] Tacitè innuit quòd sibi sint ipsi in causa quur minora dona accipiant. Cum enim dicit, æmulamini, diligentiam & conatum ipsorum postulat, & maiorem ad spiritualia cupiditatem. Nec dixit, maiora, sed meliora, hoc est commodiora siue utiliora.

Et adhuc excellentiorem uiam uobis demonstro.] Si omnino æmulatores sitis charismatum, monstrabo uobis uiam quampiam per hyperbolen, hoc est eximiam, quę uos ad omnia charismata perducat. Charitatem autem intelligit.

CAPVT XIII.

SI linguis hominum loquar, & angelorum, charitatem autem non habeam, factus sum æs sonans, uel cymbalū tinniens.] Haud actutum submonstrauit eis uiam, sed comparat eam prius cū dono quod ipsis uidebat esse potius, linguarū uidelicet: ostendens incomparabiliter charitatem linguarū donū antecellere, imò cæteris cūctis charismatibus esse hanc præstantiorem, dignāq; quæ à cunctis experat. Linguas aūt hominū cunctorū ubiq; terrarū commorantiū intelligit. Nec hoc cōtentus, aliā ponit excellentiā, angelorū etiā linguis, inquit: non q; angeli linguas habeant, sed ut quiddā quod humanis linguis excellentius esset, indicaret, sic dixit. Angelis porrò lingua est intellectualis, uis nimirū illa qua sibi mutuò diuinarū rerū intellectū ac diuinas cogitationes impertiūt. A nostro aūt organo eā nominauit, quemadmodū & illud, Flectet omne genu cœlestiū, &c. Non enim ossa & neruos habent angeli, sed summā subiectionē indicauit. Factus sum, inquit, æs sonās, hoc est uocem quidē edens, temerè aūt loquens, ac turbulenta proferens, quibus nemini prosim, quandoquidem charitate sim destitutus.

Charitatis commēdatio.

Angelorum linguæ.

Esaiæ 45. Philip. 2.

Et si habuero prophetiam, & nouerim mysteria omnia, & omnem scientiam.] Non simpliciter qualemcunq; hic prophetiam dicit, sed maximè sublimem, & quę mysteria omnia nouerit. Attende autem quomodo in linguis quidem non dixerit ullam inesse utilitatem, sed in prophetia, mysteriorum omnium addiderit cognitionem haberi.

Et si habuero omnem fidem.] Ne figillatim dicens, molestus uideatur, ad matrem & fontem omnium fidem peruenit, eamq; omnem.

Vt montes transferam, charitatem aūt non habeam, nihil sum.] Quia uidebatur magnum

A gnum esse rudioribus, montes transferre, huius gratia eius rei meminit, non q̃ hoc solũ possit tota fides. Nã montes trãsferre, nõ magnifacit Christus, & modicæ fidei parti adscribit: Si habeatis, inquiẽs, fidem ut granũ sinapis. Obserua aũt hîc quomodo per prophetiã & fidem omnia charismata comprehendit. aut enim in uerbis uel operibus sunt miracula. Nõ dixit aũt, charitatem nõ habens, modicus sum & uilis, uerùm nihil sum. *Matth. 17. Miracula dici in uerbis aut in rebus sunt*

Et si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas.] Non dixit, si partem aliquam facultatum mearum dedero, sed omnia: nec dixit, dedero, sed ψωμίσω, in cibos distribuero, ut sumptui ministerium cum omni diligentia necnon cura adficiatur.

Et si dedero corpus meũ ut ardeam, charitatem aũt non habeã, nihil mihi prodest.] Non dixit, ut moriar, sed quod omniũ difficillimũ uidebatur, uiuũ quempiam comburi, neq̃ hoc citra charitatem prodesse dicit. At dixerit quispiã, Quomodo fieri potest ut quispiã res suas & facultates in pauperes distribuat citra charitatem? Hic responderi potest, quòd id quod non est, tanquam sit, posuerit: perinde ac cum ait: Si uel angelus uel nos prædicemus uobis euangeliũ præterquã quod accepistis. Atqui neq̃ ipse, neq̃ angeli aliud Euangeliũ annunciaturi erant. Quin alijs pleriscq̃ locis quædã dicit huiusmodi. Vel quòd quispiã sine charitate possit etiã inopibus largiri, non ex miserante adfectu quem in pauperes gerit, uerùm ut hominibus placeat. Cum dilectione aũt fit, quando ueluti compatiens & inflammatus charitate hoc faciat. *Galat. 1.*

Charitas patiens est, benigna est.] Deinceps charitatis indicia explicat, ac primo loco patientiã, siue longanimitaem ponit, radicem omnis philosophiæ. Longanimis enim est, qui longo & magno est animo. Quia uerò nonnulli nõ ad philosophiã longanimitate usi sunt, sed sæpenumero sibi indignantes, iraq̃ aduersum ipsos percitos riderent & subsannarent ceu iam longanimes, ac interim efficiebant ut maiori isti iracũdia concitarentur: propterea, benigna est, inquit, charitas, hoc est, mansueta est, candidos & innocentes mores indicat. nam illi prædicti subdoli sunt & morosi. Hoc autem dixit, mo
B rosos & contentiosos apud Corinthios carpens. *Longanimis.*

Non æmulatur.] Hoc est, non inuidet. Potest aliquis & longanimis esse, & interim inuidiæ affectu laborare. Verùm charitas ipsa etiam hoc effugit. Hoc autem dixit propter inuidos quosdam apud Corinthios.

Non agit perperàm.] Id est, non præcipitanter agit, sed prudentem efficit & firmũ eum cui inest. περπερος enim est, qui in sublime tollitur, leuis, stolidus. Hoc aũt ad eos pertinet, qui leues erant apud eos, nouorumq̃ studiosi.

Non inflatur.] Fieri enim potest ut quispiã omnia iam cõmemorata bona habeat, ac propterea infletur: uerùm charitas istiuc non agit: cæterũ cũ iam cõmemoratis bonis humili est mente spiritucq̃ prædita. Hoc uerò ad arrogantes & ostentatores pertinet.

Non pudefit.] Hoc est, non solum non inflatur, sed etiamsi turpissima patiatur propter adamatum, non arbitratur rem istam esse turpitudinem ac ignominiam, adeoq̃ in celebritatem: quemadmodum & Christus ob dilectionem quã erga nos habet, ignominiosam crucem non solùm recepit, uerumetiam gloriam esse propriam & peculiarem putauit. Poteris autem & ἀκαχημονεῖ, non pudefit, siue nõ turpiter agit, intelligere pro non iniuria adficit. nihil enim turpius est iniurio, & uim inferente. Hoc autem ad fastuosos & fastidiosos pertinet.

Non quærit quæ sua sunt, non irritatur.] Modum explicat quomodo non pudefiat charitas. Proprium, inquit, commodum charitas non quærit, sed proximi. Deformitatem autem tum maximè putat esse, cum à turpitudine proximum nõ arcuerit. Hoc uerò concernit eos qui reliquos cõtemnebant. At neq̃ irritatur, postquam non pudefit. Vir enim iracundus non est boni habitus, non est uenustus, non decorus. Proinde nõ pudefit, aut turpiter agit charitas: quandoquidem non exacerbetur, hoc est, non prosiliat in iram. Hoc iniuriam perpessos concernit. *Iracundi fœdi.*

Non cogitat malum.] Omnia, inquit, mala patiens non exacerbatur ad iracundiam, & non solum non contra mali quippiam molitur, ut sese ulciscatur, sed ne cogitat quidem. Obserua autem undiq̃ quomodo non dicat quòd charitas æmuletur quidem, sed superior euadit: aut irritatur quidem, sed obtinet uictoriam: imò neq̃ ab initio, inquit, prorsus nasci sinit aliquam malitiam: quemadmodum & hîc, Non cogitat, inquit, malum. Hoc ipsis Corinthijs dictum est, ne iniurijs iniuriam retalient.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Non gaudet ſuper iniquitate.] Hoc eſt, non exhilaratur ſi quiſquam iniuria adficiatur, lędatur, patiaturq́ malè. A

Congaudet autem ueritati.] At quod multo maius, inquit, congaudet probatis: & ſi quando ueritas proſperum curſum nãciſcatur, hoc quoq́ gloriam ſuam arbitratur. Ad inuidos hoc dirigitur.

Omnia ſuffert.] Et iniurias, & plagas, & mortem. Iſthuc enim ei longanimitas donat, quam adeſſe ei dixit. Ad inſidias tendentes hoc dicit.

Omnia credit.] Quæcunq́ dixerit dilectus: nihilq́ maleficum aut ſubdolum neque ipſe loquitur, neq́ alium loqui arbitratur.

Omnia ſperat, omnia ſuſtinet.] Non deſperat de dilecto, ſed ſperat eum ſemper ad melius promouere. Hoc uerò ad deſperantes dixit. Quod ſi uerò à ſua ſpe exciderit illo in malitia perſeuerãte, ſtrenuè fert illius deliquia. omnia enim, inquit, ſuſtinet. Ad facilè diſſidentes hæc loquitur.

Charitas perpetuò durat.

Charitas nunquam excidit.] Id eſt, nunquam aberrat, ſed omnia perficit, & ad intentum finem perducit. Vel, quod eſt melius, ſignificat non diſſoluitur, non diſcindit̃, neq́ unquam deſiſtit, ſed in futuro quoq́ ſeculo perdurat alijs omnibus abolitis, perinde ac deinceps liquet.

Siue uerò prophetiæ, abolebuntur: ſiue linguæ, ceſſabunt.] Commemoratis dilectionis germinibus, rurſus alia quadam ratione eam exaltat, cum ait prophetiam & linguas finem habituras, charitatem uerò permanſuram ſtabilem, fineq́ caritur̃. Si enim prophetiæ & linguæ in eum ſunt finem datæ, ut fidei inſeruiant, eaq́ recipiatur: fide uidiq́ expanſa & explicata, meritò ceu ſuperuacaneæ ceſſabunt etiam nunc: quanto magis in futuro?

Siue ſcientia, deſtruetur. Ex parte enim cognoſcimus, & ex parte prophetamus. Cũ aũt uenerit quod perfectũ eſt, euacuabit̃ quod ex parte eſt.] Si ſcientia abolenda eſt, nũ quid igitur in ignorãtia uiuemus? Minimè: uerùm de ſcientia ex parte, ſeu imperfecta B
loquit̃, perinde ac ipſe interpretat̃ hoc, Sciẽtia ex parte abolebit̃, aduenięte cognitione pfecta. Nõ enim adhuc tãtundẽ ſciemus, ſed lõgé plura & maiora: quemadmodũ q, ubiq́ ſit Deus, nouimus qdẽ nũc: ſed q̃ modo, planè ignoramus. Et q́ uirgo peperit, ſcimus: qua uerò ratiõe, nõ tenemus. Tũ excellẽtius qcquã & cõmodius de illis ſciemus.

Cum eſſem paruulus.] Cum dixiſſet, ueniente eo quod perfectum eſt, deſtruetur quod eſt partis: nunc etiam exemplum profert quo indicat quantum ſit diſcriminis inter cognitionem temporis huius, & futuram. Hîc enim infantibus & paruulis adſimilamur, tum uerò uiri erimus.

Loquebar ut paruulus.] Tanquam ad linguas referat, dicit Loquebar.

Sapiebam ut paruulus.] Hoc ad prophetias referre uidetur.

Cogitabam ut paruulus.] Ad ſcientiam iſthuc pertinet.

Quando factus ſum uir, euacuaui quæ erant paruuli.] Hoc eſt, quando in futuro ſeculo uiriliorem adeoq́ perfectiorem cognitionem nactus fuero, tum deſtruetur exigua, infantibusq́ adæquata ſcientia, quam hîc habemus. Infert igitur:

Videmus enim nunc per ſpeculũ in ænigmate.] Declarat q̃d de paruulo ſiue infante dixit, ac demonſtrat q́ obſcura quędiã nobis ſit hîc cognitio, tum uerò apertior erit. Videmus enim, inquit, nũc per ſpeculum. Deinde quia ſpeculum expreſſius demonſtrat rei repræſentatæ inuitationem, adiecit, In ænigmate: oſtendens hac ratione cognitionem quæ hic nobis obuenit, prorſus exiguam eſſe.

Facie ad faciem cognoſcere.

Tunc autem facie ad faciem.] Non q́ Deus faciem habeat, cæterùm ut per hoc oſtendat apertiorem & planiorem cognitionem, & omnino reuelatam.

Iam cognoſco ex parte, tunc uerò agnoſcam quemadmodum & agnitus ſum.] Duplici ratione tollit inflationem ipſorum, oſtendens particularem ſiue imperfectam eſſe cognitionẽ præſentẽ, quodq́ illam à nobis ipſis non habeamus. Nõ enim ego, inquit, noui ipſum, ſed ipſe me agnouit. Perinde igit̃ ut nũc ipſe me nouit, & ipſe mihi accurrit, hunc ad modũ ipſi tũc accurrã maiore cognitione q̃ nũc: quemadmodũ qui in tenebris ſedet, tantiſper dum nõ intuetur ſolem, ipſe non acurrit neq́ accedit ad pulchritudinem radij ſolaris, ſed luce emiſſa ſeipſum radius demonſtrat: quando uerò ipſe radij fulgorem acceperit, tum & ipſe perſequitur lumẽ. Hoc igitur eſt quod ait, Quemad

modum

modum cognitus sum, non ꝙ eodem prorsus modo ipsum agnoscemus, uerùm ꝙ sicut
A ipse ad nos nunc accesserit, sic & nos tunc adiungemur ipsi, ueluti si quis inueniens ingenuum infantē expositū, forma blandum & conspicuū, ipse quidem infantem agnoscens tollat, educationeq; dignetur, ingenuū istum alat, ac tandem opibus splendidum reddat, & ad regiam introducat: ac puer quamdiu infans manserit, nihil horū sentiat, neq; tollentis agnoscat humanitatē: simulac uerò adoleuerit, benefactorem agnoscat, dignis eum beneficijs prosequatur. En hoc iam exemplo illustratū est quod adumbratum fuit, & nonnihil obscurè dictum.

Nunc autem manet fides, spes, charitas, tria hæc, sed maxima in his charitas.] Sunt quidem etiamnum linguæ & prophetiæ & scientiæ, uerùm obscurę. Atqui fide in omnes diffusa, ut suprà dictum, omnino cessabunt: ipsa tamen fides, spes, & charitas, istis diuturniores sunt. Id enim significat per hoc quod ait, Nunc autem manet, trium istorum durationem ac stabilitatem denuncians. Atq; inter hæc tria charitas maxima est, quandoquidem & in futurum seculum extendatur. *Fide promulgata, prophetia euacuantur.*

CAPVT XIIII.

SEctamini charitatem.] Quia rem esse arduam charitatem demonstrauit, adhortatur deinceps ad eam. Nec dixit, Sequimini eam, sed διώκετε, id est, sectamini siue persequimini, uehementem conatum atq; diligentiam expetens. effugit enim à nobis, quare multo cursu opus est, ut eam assequamur.

Aemulamini spiritualia, magis autem ut prophetetis.] Vt ne arbitrentur ꝙ propterea tot tantisq; præconijs euexerit charitatem, ut extinguat charismata: infert, Aemulamini spiritualia, hoc est charismata, præ cæteris autem prophetiā. Hoc autem dixit linguarum causa, quarum nomine arrogantes erant.

Qui enim lingua loquitur, hominibus nō loquitur, sed Deo: nemo enim audit: spiritu aūt loquitur mysteria. Qui uerò prophetat, hominibus loquitur ædificationem &
B adhortationem & consolationem.] Linguas cum prophetia confert, neq; omnino eas inutiles ostendit, neq; omnino cōmodas, per seipsas uidelicet. Non enim hominibus loquuntur, sed Deo: hoc est, non intellectu facilia & aperta hominibus dicunt, cæterùm in spiritu sancto loquuntur mysteria. Quatenus itaq; ex spiritu loquūtur, res profectò est ardua: quatenus autem non commodat mortalibus, inferior est prophetia. Nam illa & ex spiritu est, & commodior, eos qui non sunt stabiliti ædificans, segniores adhortans & excitans, pusillanimes animans & consolans. Vbiq; ergo Paulus illud ponit maius, quod est utilius. *Linguarum & prophetiæ discrimen.*

Qui loquitur lingua, seipsum ædificat: qui autem prophetat, ecclesiam ædificat.] Multi linguis loquentes, non poterant alijs interpretari quæ dicerent. Isti igitur sibiipsis solis utiles erant. Qui autem prophetat, omnes audientes iuuat. Quanto igitur præstantius est ecclesiam iuuare potius quàm unum, tanto etiam linguis excellentior est prophetia.

Volo autem uos omnes linguis loqui, magis autem ut prophetetis.] Quia non pauci apud eos loquebātur linguis, ne uideatur ex inuidia linguas eleuare & imminuere, Volo, inquit, omnes linguis loqui, nō unum aut duos, potius tamen uolo ut prophetetis, quandoquidem isthuc sit longè commodius.

Maior enim est qui prophetat, quàm qui linguis loquitur, nisi etiam interpretetur, ut ecclesia ædificationem accipiat.] Maior, inquit, est propheta, uerùm eo qui tantum linguis loquitur, nec interpretatur etiam. Nam si nouit interpretari, æqualis est prophetæ is qui linguis loquitur. Aedificat enim ecclesiam, dum interpretatur quæ obscurè in lingua dicuntur. Donum enim erat etiam interpretatio, & alijs quidem dabatur, qui simul linguis loquebantur, alijs uerò non dabatur.

Nunc autem fratres, si uenero ad uos linguis loquēs, quid uobis prodero, nisi uobis loquar in reuelatione, aut scientia, aut prophetia, aut doctrina?] Vultis scire incommodum linguarū quæ non exponuntur? Esto quòd ego Paulus doctor uester loquor linguis, sed inde ad auditores nihil emolumenti proueniet, nisi quid dixero in reuelatione, hoc est, quemadmodum consueuerunt dicere, reuelationem ex Deo nacti, quæ & ipsa est species prophetiæ, quando multis astantibus uel collectis, cuiusq; sensa patefiunt. Vel in scientia, hoc est, quemadmodum possunt dicere scientiam habentes, *Reuelatio, prophetiæ species.*

bentes,adeoq; mysteria dissoluentes auditoribus. Vel in prophetia, quando quispiam de præteritis,præsentibus,& futuris loquitur. * Latius enim patent prophetia & reuelatio. Vel in doctrina, hoc est, in sermonis forma qui instituit, cũ de ueritate uel dogmatibus disseritur. Doctrina enim & institutio ad auditorum sit commodum. Nonnulli uerò quod ait in reuelatione, sic intellexerunt, quòd dicant quę facilè intelligantur, manifestaq; & perspicua sint. Quòd uerò ait, in cognitione uel scientia, intelligendum putant quod dicant quæ sciri cognosciq; possunt.

* καθολικώτερον γὰρ ἡ προφητεία ἡ ἀποκάλυψις.

Porsenna per καὶ legisse uidetur ᾱ, id est, Latius patet quàm reuelatio.

Tamen inanimata uocẽ dantia, siue tibia, siue cithara, si distinctionem nõ dederint sono, quomodo cognoscetur quòd uel tibia uel cithara canitur?] Ecquid dicã, inquit, q; in nobis inutile est quod obscurum est, perspicuum uerò, est utile? Nam & in inanimatis instrumentis musicis si distinctionem, hoc est discretionem & perspicuitatem soni non habuerint, sed omnia fuerint confusa, non agnoscetur quod tibia concinitur, neq; animus recreabitur, neq; lætitia hinc consequetur.

Tubæ in bellis usus.

Etenim si tuba uocem incertam dederit, quis apparabitur ad bellum?] A superuacaneis ad magis necessaria uenit, tubæq; meminit, inquiens: Sunt in ea quidam moduli siue numeri ad bellum concitantes, nonnulli à bello reuocantes. Quòd si obscuram & incertam uocem dederit, imparati erunt milites. Ecquæ est incerti obscuriq; soni commoditas?

Ita & uos per linguã nisi manifestum sermonẽ dederitis, quomodo scietur id quod dicitur? Eritis enim in aëra loquentes.] Ne dicãt, quid ad nos tibię tubæq; exemplum? Quia uos, inquit, nisi per donum ipsum atq; linguam perspicua uerba feceritis, temerè ac frustra loquimini, nemine audiẽte. Summa enim Dei in hoc uersatur, ut sit utile charisma. Porrò si inutile fuit linguarum donum, cur dabatur? Vt ille solus iuuaretur qui accepisset. Sin alijs quoq; profuturus erat, debuit uel rogare Deum, quò siue interpretationem per uitam purgatã à uitijs daret: uel alium quempiam orare, qui interpretationis dono fulgeret, par erat. Diuus enim Paulus ideo hæc dicit, ut eos conuocet & coagmentet inter se mutuò, ne existiment ipsi sibijpsis sufficere, sed adsumant eos qui interpretari possint: illorum enim donum tunc plus commodi habebit.

Linguarũ multiplicitas.

Tam multa, si res ferat, genera uocum sunt in mundo, & nihil ipsorũ sine uoce est.] Hoc est, tot esse uoces in mundo contingit, nimirum Scytharum, Indorum, Thracum, aliarumq; gentium, omnesq; uoces dicunt & significãt quicquam, neq; enim sunt mutæ, uel sine uoce gentes.

Si ergo nesciero uirtutem uocis, ero loquenti barbarus: & qui loquitur, mihi barbarus.] Si ignorem, inquit, uim uocis, barbarus mihi uidebitur qui loquitur, hoc est, stulta & non intelligibilia sonans: & ego illi rursus barbarus censebor: non uocum sermonis ue uitio, sed nostræ ignorantiæ causa.

Sic & uos, quia æmulatores estis spirituum, ad ædificationẽ ecclesiæ quærite ut exuberetis.] Nõnulli hæc uerba, Sic & uos, punctulo, ne sequentibus cohæreant, interstinguunt, inq; hunc modum interpretantur: Sic & uos linguis loquentes incertè & obscurè, barbari uidemini auditoribus. deinde ab alio principio legunt, Quia æmulatores estis. Diuus uerò Ioannes cõiunctim legit. Et uos igitur, inquit, quandoquidem æmulamini spiritualia charismata: uolo & ego, adeoq; recipio hoc, perinde ac prius dixi. Veruntamen quærite ut exuberetis ad ædificationem siue commoditatem ecclesiæ. Tantum enim abest ut uos prohibeam linguis loqui, ut & abundare uos uelim, modò ad publicam eas utilitatem transferatis.

Propterea qui lingua loquitur, oret ut interpretetur.] Modum explicat quo futurum est ut charisma isthuc in publicam utilitatem cedat. Oret, inquit, qui lingua loquitur, ut & interpretationem accipiat. Proinde ipsi sibi in causa sunt cur non recipiant interpretationem, ut qui hoc à Deo non postulent.

Nam si orem lingua, spiritus meus orat, mens uerò mea sine fructu est.] Nonnulli apud ueteres, donum orationis in lingua accipientes, sonabant quidem Persarum aut Romanorum uoce, mens uerò eorum ignorabat quid diceretur. Ait itaq; Paulus: Spiritus meus orat, hoc est, donum quod mouet linguã: mens autem mea sine fructu est, nihil intelligens eorũ quæ dicuntur. Animaduerte hîc qũo orationis procursu demonstrauerit, sola lingua loquentem, sibi etiam inutilem esse. Hac ratione sanè diuus Ioannes

A nes Chrysostomus interpretatur. Quidam uerò sic intelligunt: Si loquar lingua, non autem interpreter, spiritus meus, siue anima mea ipsa per seipsam iuuatur: mens autem mea citra fructum est, cum & alijs non commodet. Qui uerò sic accipiunt quod dictum est, metuerunt, mea quidem sententia, Montani deliramentum. Huiusmodi nanq; is hæresim introduxit, quòd prophetæ non intelligerent quæ dicerent, uerùm spiritu detenti dicerent quædam, nec intelligerent tamen quæ dicerent. At hoc non habet hic locum. Non enim de prophetis dixit Apostolus quòd non intelligerent quæ à se dicerentur, cæterùm de ijs qui linguis loquuntur: neq; de ijs omnibus, sed de quibusdam. *Montani hæresis.*

Quid igiᵭ est: orabo spiritu, orabo & mente: psallam spiritu, psallã & mente.] Quid igiᵭ, inquit, est cõmodius? quid necessum est à Deo petere: ut oremus spiritu, id est, dono: ueruntamen etiam mente, hoc est, ut mente intelligamus quæ oramus. Idem & de psalmis intelligendum.

Quoniam si benedixeris spiritu, qui supplet locum idiotæ, quomodo dicet Amen ad tuam gratiarũ actionem, quandoquidẽ quid dicas nescit?] Quando psallis, inquit, si benedixeris spiritu, hoc est spirituali dono linguæ: replens idiotæ locum, id est indoctus & laicus, quomodo dicet Amen ad tuam orationem? Te enim dicente, in secula seculorum, obscurè & per linguam, non audiuit. Itaq; non iuuatur, eiq; non cõmodat. *Intelligibiter sacerdos Deo sacra canat.*

Nam tu quidem bene gratias agis, sed alter nõ ædificatur.] Vt ne uideatur omnino donum illud uilipendere, Tu quidem, inquit, bellè gratias agis, sed proximi tui commodo non accedente, inutilis est gratiarum actio.

Gratias ago Deo meo, quòd plus uobis omnibus linguis loquar.] Ne suspicentur q̃ ceu carens eo charismate, illud ipsum eleuet ac uilipendat, eam ob rem, plus quàm omnes uos, inquit, linguis loquor.

Sed in ecclesia uolo quinq; uerba mente mea loqui, ut & alios instruã, quàm decem
B milia uerborum in lingua.] Mente mea, hoc est, intelligens & sciens quæ dico, ut qui possim interpretari hæc, ut & alios adiuuem. Quàm decem milia in lingua uerba, quando nimirum non possim ea interpretari: tum enim ad me solum commoditas redit. Quinq; autem uerba dicit quisquis alios instituit, medicinam cõuenientem cuiuis quinq; sensuum nostrorum adhibens.

Fratres, ne sitis pueri sensibus, sed malitia infantes estote, sensibus uerò perfecti estote.] Postquam commonstrauit quale sit linguarum donum, deinceps asperiore sermone utitur, obijciens eis quòd puerilia spirẽt & affectent. Infantium enim reuera est atq; puerorum res exiguas admirari, propterea quòd forsan admirationẽ & stuporem excitent, quales sunt linguæ: magna uerò contemnere & aspernari, ut quæ nihil noui ac decori contineant indicẽt ue, quales sunt prophetiæ. Adhortatur hic itaq; eos, ut erga malitiam sic sint adfecti, ut pueri, hoc est, ut non efferantur, non inflentur, neq; simpliciter sciant quid sit malitia, infantiũ instar: mente autem siue sensibus perfecti sint, hoc est, ut dijudicent quæ sint maiora & commodiora charismatum. Aliàs etiam infans est malitia, nemini inferens, uerùm infantis in morem innocẽs. Mente uerò siue sensibus perfectus est, qui præterquam quòd nemini damnum det, iuuet etiam alios, nedum uitium fugiens, uerùm uirtutum etiam insequens, sibiq; cauens ne à rebus temporalibus & lætalibus lædatur. Haud est dissimile istud illi: Estote prudentes sicut serpentes, & simplices sicut columbæ. *Malitia infans. Mente perfectus. Mat. 10.*

In lege enim scriptum est: Quoniam alijs linguis, & labijs alijs loquar populo huic, & nec sic exaudient me, dicit Dominus.] Rursus prophetiam cum linguis comparat, monstrans ipsam esse excellentiorẽ: & quomodo hoc fiat, per sequentia planũ fiet. Legem autem, uniuersum uetus Testamentũ appellare consueuit. Propterea & nunc quę in Esaia leguntur, in lege dicit esse scripta. Cum uerò ait, Neq; sic exaudiẽt me, indicat q̃ attonitos reddere atq; externare potuit miraculum: at q̃ non persuasi sint, neq; crediderint, eorũ esse culpam. Deus enim quæ sua sunt, semper facit. Prouidentiam porrò suam ostendit, etiam si sciat eos non obtemperaturos, ut iam inexcusabiles sint. *Esai. 28. Lex.*

Itaq; linguæ in signum sunt, non fidelibus, sed infidelibus.] Signũ autem terret quidem, non docet uerò prorsus, neq; iuuat, quandoquidem & sæpe noceat, quemadmodum & citra interpretationẽ lingua perinde ac posthac ait: Dicent quia insanitis. Sed

infideli-

Signis fideles opus nõ habent.

infidelibus data sunt signa: fideles enim non habent opus hisce, ut qui iam fideles sint. A Prophetia autẽ non infidelibus, sed credentibus.] Prophetia, inquit, prodest fidelibus, eos instituens: infidelibus igitur an non est signũ prophetia, neq; eis cõmodat? Ecquî deinceps dicit, Si omnes prophetauerint, ingrediatur aũt quispiã infidelis? En isthic infidelibus prophetia inseruit. Poteris igitur dicere, non dixisse Apostolum inutilem esse infidelibus prophetiam, sed non esse in signum illis inutile, ut linguas. Quocirca ut summatim dicam, lingua est in signũ infidelibus, hoc est, ut terreat solùm, & admirari faciat. Prophetia uerò & fidelibus est utilis & infidelibus, ipsos arguens, etiamsi non dicatur in signum eis esse.

Si igitur conuenerit ecclesia uniuersa in unum, & omnes linguis loquantur, intrent autem idiotæ & infideles, nónne dicent quòd insaniatis?] Tacitè indicat quòd occasio sit noxæ etiam lingua, ni interpretatio accesserit. Hoc autem dicit, factum eorum tollens. Cum enim arbitrarentur se linguarum nomine esse admirationi, contrarium potius diuus Paulus ostendit. Nam ad ignominiam potius ipsis sunt, dum sint in causa cur insanire uideantur. Ne existimes porrò quòd charismatis hoc opus sit, nempe q ignominia afficiat habentem, ait, insipientes dicent, Nónne insanitis? Idiotæ enim dicit, aut infideles, quales erant qui Apostolorum temporibus dicebant musto eos esse plenos. Nam & sapientiores à linguis etiam nonnihil ædificationis recipiunt, ut qui Apostolorum temporibus eos demirabantur, ceu magnificentiam & maiestatem Dei enarrantes.

Act. 2.

Si autem omnes prophetent, intret autem aliquis infidelis uel idiota, conuincitur ab omnibus, dijudicatur ab omnibus, sicq; occulta cordis eius manifesta fiunt, & ita cadens in faciem adorabit Deum, pronuncians quòd Deus uerè sit in uobis.] Videtn' prophetiam, quomodo sit commodior, quomodo cordis abdita reuelans, faciat infidelem agnoscere Deum, ut in faciem procumbat, adoretq;, & confiteatur quòd Deus uerè sit in nobis. Quod in Nabuchodonosor etiam contigit. Per Danielem enim som B nio illi patefacto, Reuera, inquit, Deus uester ipse est qui reuelat mysteria. Hinc igitur cognosce quid sit quod suprà dictum est, in reuelatione. Ecce enim reuelatio est quædam prophetię species. Obserua autem quòd spiritus sit Deus: dicit enim, Deus uerè in uobis est. In prophetantibus autem omnino est spiritus. Sic enim & suprà dixit, Quoniam prophetiæ in spiritu dantur.

Dan. 2. Nabuchodonosor.

Quid ergo est fratres? Cum conuenitis, unusquisq; uestrũm psalmum habet, doctrinam habet, reuelationem habet, linguã habet, interpretationem habet, omnia ad ædificationem fiant.] Psalmos etiam olim faciebant ex dono, doctrinæ pariter donum dabatur. Reuelationem autem ipsam prophetiam nominat, à specie genus uocans. Meminit autem linguæ, ne omnino res esse contemptibilis uideatur, neq; charismatis loco digna. Cuncta, inquit, hæc ad ædificationem fiant. Christiani nanq; hoc est officium, ut ędificet, ut prosit. Quomodo aũt qui linguam tantùm habet, ædificare potest? Si coeant cum interpretationem habente, & coniuncta dona esse indicentur.

Christiani officium.

Siue lingua quis loquitur, per duos id fiat, aut ad plurimũ treis, & per partem, & unus interpretetur.] Nõ prohibeo lingua loqui, sed citra interpretem prohibeo. Ne igitur multi linguis loquantur, ne confusio & inordinatio quædã fiat. Et per partem, inquit, id est per successionem. Omnino uerò interpretem adesse necessum fuerit.

Si autem non fuerit interpres, taceat in ecclesia, sibijpsi autem loquatur & Deo.] Si non habuerit interpretem, in ecclesia non loquatur, ut ne uideatur barbarus, haud intelligibilia & stulta plerisq; sonans. Si autem adeò fuerit ambitiosus, ut non possit silere, sibi loquatur, & Deo, hoc est, citra strepitum, ac tacitè apud sese, ut soli Deo audiantur quæ dicuntur, & non hominibus. Animaduerte autem, quomodo uisus adhortari, dehortetur.

Prophetæ autem duo aut tres dicãt, & cæteri dijudicent.] Latitabant inter prophetas, uani etiam uates, siue harioli: eam ob rem dicit, ut eos dijudicent alij, ne aliquis uates uanus occultetur. Vt enim in superioribus cõmemoratum fuit etiam donum dijudicationis, ut dignoscerent, qui adulterini, quiue uani prophetæ essent. Idcirco duos aut treis prophetare iubet, ut eo melior ordo consistat, neq; in multitudine falsi uates clanculum delitescant.

Dijudicationis donum.

Quòd

A Quòd si alij reuelatum fuerit sedenti, prior taceat. potestis enim singulatim omnes prophetare, ut omnes discant, & omnes consolationem recipiant.] Bonum hîc ordinem & mentis humilitatem docet. Cum enim alij inspirarit spiritus, tu qui prior es, tace. Si enim spiritus te uoluisset loqui, non illum excitasset. Deinde consolationem eis præbẽs, Potestis, inquit, singulatim omnes prophetare. hoc est, ne mœreas, potes enim & tu & alius & omnes per partem, hoc est per successionem prophetare. nõ enim uno solo concluditur donum, sed omnibus datur: ut uniuersa ecclesia discat, & consolationem ad uirtutem recipiat.

Et spiritus prophetarum prophetis subiecti sunt.] Hoc ad consolationem quoq; eius qui conticescere iussus est, pertinet. Quod uerò dicit, est huiusmodi: Ne contendas, neq; seditionem cieas. Ipse nanq; spiritus, hoc est, donum quod in te est, & operatio spiritus qui in te est, subijcitur dono alterius, qui ad prophetandum concitatus est. Quòd si spiritus subijcitur, quanto potius tu debes, qui spiritum possides, non esse contentiosus? Nonnulli hunc locũ hanc ad rationem intellexerunt: Vates sanè apud Græcos omnes, quando semel arrepti essent à dæmone, etiamsi uoluissent, non potuerunt tamen reticere. Apud nos uerò sancti prophetæ haud sic agebant, uerùm in ipsorũ est arbitratu uel loqui, uel tacere. Atq; hoc est quod ait, Spiritus prophetarum, id est, donа, subduntur ipsis: atq; in manu prophetarum est silere, uel non silere. Ne enim dicat qui donum habet, Quî tacere possum, perinde ac tu mandas, cum à spiritu agitatus loquar? Atqui spiritus, inquit, qui te agitat, tibi subditur, inq; tua deinceps potestate situ est tacere. Ne igitur nequicquam prætexe spiritum.

Prophetæ si uelint tacẽt, non item uates phantasi.

Non enim est dissensionis Deus, sed pacis: quemadmodum in omnibus ecclesijs sanctorum.] Indicat quòd Deo etiam placeat priorem tacere. Non enim est Deus seditionis & confusionis, quæ ex eo quòd non sileant, sed omnes prophetare uelint, nascitur: uerùm pacis est Deus. Ipsa uerò pax in omnibus ecclesijs sanctorum, hoc est fi-
B delium, uersatur. Sunt enim & Græcorum & Iudæorum ecclesiæ. Pudeat igitur uos præter & contra omnes ecclesias uiuere.

Mulieres uestræ in ecclesijs taceant. non enim permissum est eis loqui: sed subditas esse, sicut & lex dicit.] Cũ omnia pulchrè ordinasset, & quæ de linguis, & quæ prophetis in quæstionẽ ueniebãt, ut ne multi prophetent, & ita cõfusio & seditio ex eo subnascatur: absurdam nunc & indecorã mulierum in ecclesia turbationem tollit, ut in ecclesia taceant præcipiens. Deinde quod maius est, conuenientius ait esse ut subijciantur. Subiectio enim cum timore silentium indicat, perinde ac in famulabus fit. Legem autem Geneſis librum appellat, in quo scriptum est: Ad uirum tuum cõuersio tua, & ipse tui dominabitur. Si igitur decretum est ut uiro subdatur, quanto magis spiritualibus in ecclesia doctoribus?

Lex, Genesis liber. Gen. 3.

Si quid autem discere uolunt, domi uiros suos interrogẽt.] Perinde ac si quis dicat, Nisi loquantur, quomodo discent quæ ignorant? Domi, inquit, à suis maritis discant. Hoc autem & illas ornatas reddit, & uiros attentiores facit, ut qui debeant, quæ in ecclesia audiuerunt, uxoribus eos interrogantibus recitare, ac ueluti apud eas deponere. Obserua autem quòd ne de necessarijs quidem rebus & animæ commodis, mulieribus loqui permissum est in ecclesia.

Turpe est enim mulieribus in ecclesia loqui.] Quandoquidem illę forsan putabant sibi decori esse in ecclesia colloquia spiritualia miscere, ipse diuersum ait, id esse dedecori atq; pudori illis adseuerans.

An à uobis uerbũ Dei processit? aut ad uos solos peruenit?] Veluti aduersus quosdam sibi contradicentes hic sermo formatus est. Quid enim, inquit, mihi aduersamini? nec putatis esse pulchrũ, tacere in ecclesia fœminas? Numquid uos estis doctores? aut à uobis exijt prædicatio uerbi ad reliquos? uel apud uos solos stabilita est fides, nec oportet uos ab alijs recepta recipere? Neq; igitur uos primi estis fideles, neq; soli. Est igitur operæprecium quæ uniuerso placent orbi, uos etiam amare.

Si quis uidetur propheta esse aut spiritualis, agnoscat quæ scribo uobis, quòd Domini sunt mandata.] Quod omnium est fortissimũ, postremo loco posuit. Deus, inquiẽs, hæc imperat per me. Atq; hoc omnino cognoscet, qui usus fuerit apud uos esse propheta, uel aliud quoddam spirituale donum habeat, hoc est, scientiæ.

Si autem

Universidad de Deusto
Biblioteca

Sí autem quis ignorat, ignoret.] Hoc est, ego dixi, qui uult obtemperet. Sic uerò loqui, hominis est sua non commendantis, cæterùm rem tantummodo publicam spectantis. Consueuit autem Paulus hoc facere, ubi non admodum necessarium est opponere se cuiquã. Quid enim Paulo necessarium fuit reniti alijs, atq; persuadere uelle, quòd Dei sint mandata quæ dicat, idq; quum ad discipulos loquatur & dicat spiritualem hominem agniturum quòd hæc diuina sint? perspicuum enim est omnes assensuros eum diuina ac cœlestia loqui, ut spirituales esse uideantur. A

Itaq; fratres mei, æmulamini prophetare, & linguis loqui ne prohibeatis.] Vbi de charismatibus disputasset, in medium simul de mulieribus sermonem intulit ac inseruit. Nũc rursus de charismatibus differit, primas prophetiæ tribuens, æmulamini inquiẽs: secundas uerò linguis. Atqui nõ dixit, permittite loqui, sed ne prohibete: quod dicere solemus in rebus non necessarijs, neq; adhortantes, neq; dehortantes.

Omnia decorè ac secundum ordinẽ fiant.] Veluti in summa hîc omnia corrigit, & quæ linguis loquentes respiciunt, & quæ mulieres in ecclesijs loquentes contingunt, ac simpliciter omnia quæ apud illos haud iusto ordine fiunt. Decorè autem & ordine fieri queant, si linguis loquentes cum interpretatione loquantur, non ueluti insanientes: si prophetæ sibi mutuò cedant, si fœminæ conticescant.

CAPVT XV.

Resurrectio, caput nostræ fidei.

NOtum autem facio uobis fratres Euangeliũ, quod prædicaui uobis.] Sermonem de resurrectione aggreditur, quæ caput est nostræ fidei. Si enim non est resurrectio, neq; Christus excitatus est. Quòd si non est excitatus, neq; incarnatus est: efficiturq; hac ratione, ut uniuersa fides nostra labefactata euanescat. Quoniã igitur resurrectionis sermo apud Corinthios languebat & claudicabat (sapiẽtes nãq; Græci externa sapientia clari, omnia suscepissent potius quàm resurrectionem) de hoc cõtendit Paulus. Sapientissimè uerò ipsis in memoriam reuocat ea quæ iam antea crediderãt, & in quibus persuasi erant. Nihil nouum aut peregrinum dico, sed quod iam antea uobis cognitum, obliuioni uerò propemodum traditum, notum facio, hoc est, ad memoriam uobis reuoco. Fratres porrò eos nominans, partim placauit, partim memoriæ suggesit unde fratres facti simus, nimirum ab incarnati Christi aduentu, cuius fides in periculum adducebatur: tum à baptismate, quod sepulturæ & resurrectionis Domini typus est. Euangelium autem dicens, innumerorũ bonorum meminit, quibus per incarnati Christi aduentum & resurrectionem potiti sumus. B

Rom. 6.

Quod & accepistis.] Non dixit, quod audiuistis, sed quod accepistis: nõ enim sermone tantùm, sed per opera & miracula Euangelium acceperant. Et simul ut eis persuadeat ut hoc ceu depositum asseruent & retineant.

In quo & statis, per quod & saluamini.] Etiamsi cõcussi nonnihil essent, stare tamen eos adiecit in hoc, libenter simulans se ignorare, atq; anteuertens eos, ut etiamsi maximè uelint, negare tamen haud possint. Ecquæ commoditas est, in Euangelio stare? Saluum fieri.

Qua ratione prædicauerim uobis.] Quod ait, huiusmodi quiddam est. De hoc quòd resurrectio sit, nihil uobis indico: quandoquidem hac in re non situs concussi neq; labefactati. Huius autem fortasse rei cognitione opus habetis, quanam ratione futuram resurrectionem uobis prædicauerim, hoc uobis sanè etiam notum facio, quomodo uidelicet futura sit resurrectio.

Si tenetis, nisi frustra credidistis.] Quia dixerat, statis, ne segniores eos faciat, adiecit, si tenetis. Tenetis autem & nouistis omnino, nisi temerè credidistis, pro eo quod est, nisi frustra nominamini Christiani. Christianismi nanq; uniuersum negocium in resurrectionis dogmate situm est.

Christianismi negociũ totum in resurrectione consistit.

Tradidi enim uobis in primis, quod & accepi.] Tanquam ingens sit de resurrectione dogma, Tradidi, inquit, uobis in primis. uelut enim fundamentum est uniuersæ fidei. Accepi aũt & ego ipsum, à Christo nimirũ. Quemadmodum igitur ego retineo, debetis & uos illud ipsum retinere. Et quia in primis accepistis, non est æquum iam de resurrectione ambigere, quam tanto tempore credidistis.

Isaiæ 53.

Quòd Christus mortuus sit pro peccatis nostris secundum scripturas.] Christi perspicuè in Paulo loquentis hæc uerba sunt. Quia enim Manichæi dicturi erant quòd Paulus

A Paulus mortẽ peccata uocet, & ab his liberationem, resurrectionem, per hęc uerba eos redarguere placuit. Mortuus est enim Christus, qua morte? omnino corporea, haud quaq; peccati: peccatũ enim nõ fecit. At uerò si adeò impudẽtes sint, ut audeãt affirmare Christũ etiã morte quæ in peccatis est, obijsse: quomodo, inquit, pro peccatis nostris mortuus est? Si enim & ipse peccator est, quomodo pro peccatis nostris mortuus est? Præterea cum ait, Secundum scripturas, apertè palam eos pudefacit. Vniuersæ namq; scripturæ de corporea hac Christi morte testimonium dicunt, ut: Foderunt enim, inquit, manus meas, & pedes meos. &: Videbunt in quem pupugerunt. &: Vulneratus est propter iniquitates nostras. &: Pro peccatis populi mei uenit in mortem. *Psal. 21. Zacha. 12. Ioan. 19. Esaiæ 53. Ose. 6.*

Et quòd sepultus sit.] Igitur corpus etiam habuit. quod enim sepelitur, corpus est. Nõ apposuit autem secundum scripturas, uel quia omnibus sepultura Christi cõstaret, uel quòd secundum scripturas, ex alijs supplendum sit.

Et quòd resurrexerit tertio die, secundum scripturas.] At ubi scripturæ loquuntur quòd tertio a die resurgat? Per Ionæ prophetæ figuram: & ante hunc, ex eo quòd Isaac tertio die matri uiuus sit conseruatus, & non mactatus: & alijs innumeris in locis. Tum à uerbis Esaiæ uatis: Dominus uult purgare eum à plaga, ut monstret ei lumen. Postea Dauidis: Non derelinques animam meam in inferno. *Ionæ 2. Gen. 22. Esai. 53. Psal. 15.*

Et quòd uisus sit Cephæ.] In primis, qui cæteris omnibus authoritate prę eminebat, ponit. Atqui Euangelica historia testatur ipsum primũ Mariæ Magdalenę apparuisse. Rectè quidẽ: cæterũ quod ad uiros attinet, primùm à resurrectione exhibuit se conspiciendum Petro, ceu inter discipulos primũ obtinẽti locũ. Par enim erat, ut qui primùm confessus esset Christum, resurrectionem etiam primùm uideret. Et quia eum abnegauerat, apparet ei primùm, ut ostenderet ei eum propterea non esse reiectum. *Luc. 24. Marc. 16. Matth. 16. & 26.*

Deinde duodecim.] Atqui Matthias primùm post assumptionẽ Domini in cœlos, in Iudę locum subrogatus est: quomodo igitur duodecim apparuit? Dicimus igitur uerisimile esse, quòd Matthiæ quoq; post ascensionem uisus fuerit, quãdoquidem & Paulo post assumptionem uocato uisus est. Eam ob causam neq; tempus dixit, sed indefinitè posuit. Quidam hîc dicunt, lapsum aut errorem esse in scribendo, uel quia Dominus præscienti oculo sciens & uidens illum esse undecim istis connumerandum, uisus est ei, ne hac in re cæteris apostolis inferior uideretur. Tale quiddam & diuus Ioannes tradit, dicẽs: Thomas autem unus ex duodecim. Potius autem dixerit aliquis quòd secundum præscientiam Matthiã reliquis apostolis adnumerarit, quàm ipsum etiam Iudam post proditionem & strangulationem. *Matthiæ quomodo apparuerit Christus. Ioan. 20.*

Deinde uisus est plusquam quingentis fratribus simul.] Post demonstrationem ex scripturis testes producit apostolos, & reliquos fideles homines. Nonnulli aduerbiũ ἐπάνω (quod hîc per, plus quàm, reddidimus) pro eo quod est supernè, & ex cœlis, accipiũt. Sursum enim & supra caput eis uisus est, ut & assumptionem suam firmaret. Quidam uerò ἐπάνω πεντακοσίοις supra, siue plus quingentis, pro pluribus quàm quingentis intellexerunt.

Ex quibus plures manent ad hunc usq; diem, quidam autem & obdormierunt.] Habeo, inquit, testimonia uiua. Per dictionem autem Dormierunt, resurrectionis principium præstruxit. Qui enim dormit, resurgit etiam.

Deinde uisus est Iacobo.] Fratri Domini, qui ab ipso primus Hierosolymorum episcopus constitutus erat.

Deinde apostolis omnibus.] Fuerunt enim & alij apostoli, ut septuaginta.

Nouissimè aũt omnium tanquam abortiuo uisus est & mihi.] Mentis non arroganter de se sentientis uerba sunt. Sapienter autem usus est deiectione hac, ut quando magnum illud proferret, Abundantius omnibus alijs laboraui, nõ adhibeatur ei fides ceu arroganti. ἔκτρωμα, id est abortiuum, propriè dicitur fœtus in utero qui iustum incremẽti sui & maturitatis tempus non expleuit, quem eiicit mulier. Quia igitur ipse se indignum apostolici muneris functione dicit, ac reiectitiũ, sic seipsum nominauit, ceu imperfectum & immaturũ, quantum ad apostoli dignitatem & autoritatem attinet. Non nulli per abortiuum, postremum fœtum intellexerunt, quandoquidem & ipse postremus apostolorum fuerit. Atenim eam ob rem nihil Pauli autoritati decedit, quòd postremus Dominus conspexerit. *Lucæ 10. Act. 9. 22. & 26. ἔκτρωμα*

Universidad de Deusto
Biblioteca

Ego enim sum minimus apostolorum, qui non sum dignus uocari apostolus, quoniam persecutus sum ecclesiam Dei.] De seipso sententiam fert: nec dixit duodecim tantùm, uerùm & aliorum omnium. Considera autem quomodo eorum peccatorum meminerit, à quibus liberatus sit per baptisma, ut ostendat quid donauerit & quantũ sibi Deus. Quam ob causam uerò seipsum testem resurrectionis Christi, q̃ sibi quoq; usus sit, producens proprios defectus recenset: ut maiorẽ uerbis suis fidem conciliet. Qui enim reuera suas cõtumelias profert, alij haud incassum blandietur gratificabiturúe.

Gratia autem Dei sum id quod sum.] Defectus suos sibi ipse imputat, uirtutes autem gratiæ Dei refert acceptas.

*ἡ εἰς ἐμὲ, id est, quæ in me peruenit, uel quã mihi præstitit.

Et gratia ipsius * in me nõ fuit inanis, sed abundãtius omnibus ipsis laboraui.] Hæc quoq; cum demissione sui dixit. Nec enim dixit, Quæ digna sunt gratia, transegi: uerùm, nõ uana, inquit, gratia Dei in me inuenta est. Quomodo: nã plus q̃ omnes apostoli laboraui. Nec dixit, Periculis obnoxius fui: sed remissè & humiliter loquens, laboris uocabulo & defatigationis usus est, ut laudem suã succideret. Cæterùm ut fide dignus iudicaretur, hæc de seipso commemorat. Oportet enim doctorem fide dignum esse.

Doctor fide dignus esto.

Non ego autem, sed gratia Dei mecum.] Quin & laborare ipsum, gratiæ Dei: non meum opus, neq; mea uirtus est.

Siue igitur ego, siue illi, sic prædicamus, & sic credidistis.] Siue igitur ego laboraui, siue illi, circa prædicationem tamen omnes, inquit, sumus concordes. Nec dixit, Si mihi non adhibetis fidem, illis obtemperate: seipsum enim uilipendisset, nec testem hic quẽpiam autoritate conspicuum producit, sed ipse sese existimat sufficere, & illos per se sufficientes esse autumat. Cum ait, Prædicamus, ueritatem concionum suarum denotat. Non enim in abscondito loquimur, sed palàm: & non aliquando, sed & nũc. Et sic credidistis. Nec dixit, Nunc creditis, quoniam fide iam uacillabant concutiebanturq;. Cum alijs autem, & ipsorum fidem, ueritatis testem uocat. Non enim simpliciter credidistis sermonibus falsis ac deceptorijs, nisi persuasi essetis uera esse quæ publicè uobis annunciabantur.

Si autem Christus prædicatur q̃ resurrexit â mortuis, quomodo dicunt quidam inter uos q̃ resurrectio nõ est:] Optimè ratiocinatur. Demonstrato enim primùm q̃ Christus resurrexit, & quòd sic prædicatur à se & apostolis: ex illius excitatione communem omnium resurrectionem confirmat, ceu reliquo corpore caput sequente. Nõ aut tẽ cõtra omnes intendit accusationẽ, ne impudentiores faciat: sed quidã, inquit, dicũt.

Si autem resurrectio mortuorũ non est, neq; Christus resurrexit.] Vt ne dicãt, Christus excitatus est, sed non ideo uniuersalis erit resurrectio: confirmat hoc inquiens: Neque Christus excitatus est, si mortuorũ resurrectio nõ est. Vtrũq; enim utriusq; est confirmatio. Cuius enim gratia resurrexisset, nisi futurum erat, ut esset primitiæ nostri?

Resurrectio nostra ex Christi resurrectione asseritur.

Si autem Christus nõ resurrexit, inanis est prædicatio nostra, inanis est etiam fides uestra.] Si enim mortuus non potuit resurgere: neq; peccatum sublatum est, neq; mors sublata est: ac deinceps uana prædicauimus nos, uosq; uana credidistis.

Inuenimur aũt & falsi testes Dei, quoniam frustra de eo testificati sumus, q̃ excitarit Christũ, quem non excitauit, si quidẽ mortui nõ resurgunt.] Impij, inquit, inuenimur, quoniam calumniati sumus Deum, quòd excitauerit, quem non excitarit tamen. Hoc autem contingit, si mortui non resurgunt. Quocirca cum absurdum inde colligatur, neq; illud est credendum, mortuos nempe non resurgere.

Nam si mortui nõ resurgũt, neq; Christus resurrexit. Quòd si Christus nõ resurrexit, uana est fides uestra.] Rursus eodẽ certat argumento. Eam enim ob causam resurrexit Christus, ut uniuersalem resurrectionem faceret. Sin resurrectio non est, igitur ne ipse quidem resurrexit. Hoc dato, uana est fides uestra: quod absurdum est.

Quoniam estis in peccatis uestris.] Si enim non resurrexit, neq; mortuus est: si uerò mortuus nõ est, neq; peccatũ soluit. Mors enim ipsius, peccati est dilutio. Ecce enim, inquit, agnus Dei, qui tollit peccatum mundi. Agnum autem omnino propter mactationem appellauit. Quòd si peccatum non sublatum est, in eo estis prorsus. Ecquì credidistis quòd ab eo liberati sitis?

Ioan. 1.

Ergo & qui dormierunt in Christo, perierunt.] Id est, qui propter Christum mortui sunt, ac testimonium prohibuerunt, perierunt, si non est resurrectio. Cuncti præterea

simpliciter

A simpliciter Christiani qui in fide erga Christū, & uita angusta & afflicta dormierūt, interierūt, delectabilib. mūdi orbati: neq; posthac aliq̄ bono fruituri, si resurrectio non erit.

Si in hac uita in Christo tantùm sperantes sumus, miserabiliores sumus omnibus hominibus.] Si ad hanc usq; uitā nostra sese tantū extendūt, atq; in hanc solū uitā incumbimus nos qui in Christū speramus, hoc est qui spem in Christū habemus, nec est illic alia uita, miseriores sumus cunctis mortalibus: quippe qui neq; præsentibus fruimur, ut suprà commemoratum: nec futura bona sumus consecuturi, propterea quòd neq; resur- 1. Cor. 4.
gemus, ut quidam dicunt. Sed fortasse dixerit quispiam, q̄ anima sola fruetur bonis. At qui hoc fiat, cum ipsa non sola laborauerit, sed corpus etiam eam adiuuerit? Vbinam igitur iustum manet, si quod plurimum laboris sustinuit corpus, in nihilum redigatur, ac nullo bono perfruatur, sola anima coronam recipiente?

Nunc autem Christus à mortuis resurrexit, primitię dormientiū factus est.] Postq̄ demonstrauit quot absurda nascant ex eo q̄d quis nō credat resurrectionē, repetit eundē sermonē, huiusmodi quiddā dicens: Hæc sequunt & emergunt, si nō est cōmunis resurrectio, nēpe q̄ Christus non sit excitatus. Atqui Christus excitatus est. Resurrectio igitur cōmunis erit, atq; hæc absurda nō euenient. Cōtinuò aūt ex mortuis apponit, Manichæorū ora obstruens. Quòd si eorum qui dormierūt, primitiæ est, & ipsos omnino resurgere oportet. Primitiæ nāq; ad sequentes respectum habent, ueluti siquando unus ex multis fecerit primus incipiens, quod alij deinceps sint facturi. *Manichæorum error.*

Quoniā quidem per hominem mors, & per hominē resurrectio mortuorū. Quēadmodum enim in Adam omnes moriunt, sic & in Christo omnes uiuificabuntur.] Cautam reddit per quam probantur ac firmantur quæ cōmemorata sunt. Oportuit enim ipsam uictā naturā uincere, & eū qui defectus erat, euincere. Nam in Adā, hoc est per lapsum Adami, omnes morti facti sunt obnoxij. Sic igit in Christo omnes resurgēt, hoc est, quia Christus inuentus est sine peccato, nec mortis reus, & ꝓpterea q̄ uoluntarius quidem mortem subierit, resurrexerit autem, quatenus impossibile erat ipsum teneri à
B corruptione, principem nimirum uitæ. Hæc autem omnia aduersus Manichæos. *Quare in Christo omnes resurgent.*

Vnusquisq; aūt in ꝓprio ordine.] Ne audiēs cūctos uiuificādos, arbitreris & peccatores saluos futuros, subintulit, quantū ad resurrectionē attinet, q̄ omnes uiuificabuntur: ueruntamen unusquiuis resurget in suo ordine, & inter quos esse merebitur.

Primitiæ Christus, deinde ij qui Christi sunt, in aduentu eius: postea finis.] Primitiæ, adeoq; uia resurrectionis, Christus est: post ipsum igit qui ad eum pertinēt, hoc est fideles, & probati in ipso, primi resurgent, illo ex cœlis ueniente. hoc enim est quod ait, In aduentu ipsius. Est enim par, ut iusti priuilegio quopiā gaudeāt, in resurgendo. Cū enim rapiendi sint in aera in occursum Domini, præ alijs excitantur. Nam peccatores infrà expectant iudicem, ceu condemnati. Deinde omnium rerū consummatio erit, ipsiusq; adeò resurrectionis, ceu omnibus in cōmune uniuersim excitatis. Nec enim, ut nunc fit, Christo solo resurgente, res humanæ suum priorem statum locumq; obtinent, sic tum erit: uerùm omnia finem accipient. 1. Thes. 4.

Cum tradiderit regnū Deo & patri.] Duo regna scriptura nouit, alterū quidē uendicationis & cōciliationis, alterū uerò creationis. Creationis igit nomine, in omnes Græcos, Iudæos, ipsos dæmones, ac nolētes imperiū exercet. Omniū uerò fideliū ac sanctorum dominatur, qui suapte sponte subijciuntur Christo cōciliationis & singularis amicitiæ siue familiaritatis nomine. De hoc hoc itaq; regno dicit scriptura: Postula à me & dabo tibi gentes: &, Data est mihi omnis potestas. Hanc tradit patri, hoc est, trāsigit strenuè & perficit. Exempli gratia: Rex quispiā bellum filio suo cōmiserit aduersum gentes quę defectionē sint molitę, ut illud administret. Confecto itaq; bello, domitis & subactis rursum gentibus, tunc dicitur bellum tradere patri, hoc est, submonstrare quòd delegatum sibi opus perfecerit. Ait itaq; Paulus, q̄ simul atq; omnia subiecerit filius, tum finis sit. Tum enim perfectè Christus super nos regnat, non amplius diuisos partim Deo partim mundi principi. Tanquam enim direptum à tyranno regnum ipse accipiens, & eripiens, liberum tradit patri. *Regna duo* *Psal. 2.* *Mat. 28.*

Quando aboleuerit omnem principatum & omnem potestatem & uirtutem.] Hoc est, quando uicerit & compescuerit prauas potentias. Hodie nāq; operātur, & uim suā exerunt plerunq;, tum uerò quiescent.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Pſal.110. Oportet enim ipſum regnare donec poſuerit omnes inimicos ſub pedibus ſuis, poſtremus hoſtis deſtruitur mors.] Quia dixerat Chriſtum deſtructurum defectrices potentias, ac trophæa erecturū, ueriſimile erat quempiam dubitare, ac dicere: Fortaſſe debilitabitur ſeu deficiet uſq; dum omnia hæc perfecerit, neque poterit ea complere: ad hoc, Haudquaq; inquit, deſtituetur uiribus, ſed oportet ipſum regnare, hoc eſt tanq; regem uerſari: & eum qui poſſit habenas imperij moderari, donec ſubiecerit hoſtes, ac ipſam ad ultimum mortem. Qui enim diabolum ſubegit, perſpicuum eſt quòd & opus ipſius mortem ſubijciet. Quomodo autem apparere queat mortem eſſe deuictā & ſubactā, niſi corpora quæ continebat, euomuerit? Tum enim propriè uictoria obtinetur, cum & ſpolia direpta fuerint. Ne igitur cum audias quòd deſtruet omnem principatum & poteſtatem, metuas q; uiribus deſtituatur, nec facturus ſit iſta: facit enim omnia regnās & gubernās bellum, tantiſper dum omnes ſubegerit. Viden' quòd dictio ἄχρις, id eſt donec, non poſita ſit ut tollat imperium eius poſthac? At qua de cauſa dictum eſt? Durat enim eius imperiū, & præpotens eſt: nec labefactabitur, donec omnia confecerit. Poſt hac uerò multo magis imperio florebit. regni enim eius non erit finis. Gregorius aūt theologus adſeuerat, q; regnare hîc dicitur, hoc eſt facere operariūe ſubiectionē, nosq; ſuo imperio ſubdere. Vnde poſtq; ſubiecti fuerimus ipſi, ceſſat huiuſmodi regnū, hoc eſt, conatus & efficacia qua in gubernatione & ſubiectione noſtri utitur. Perinde nāq; ac architecton ædificat uſq; dū appoſuerit faſtigium tecti, poſtea uerò ab opere hoc & à ſtructura deſiſtit: hanc ad rationē & filius regnat, hoc eſt, operatur & exercet imperium ſuum in nos, tantiſper dum regno eius planè ſubiugati fuerimus.

Donec particulæ uis.

Regnare Chriſti.

Pſal.8. Omnia nāq; ſubiecit pedibus eius. Quando aūt dicat q; omnia ſubiecta ſunt ei, uidelicet præter eum qui ei ſubiecit omnia.] Quia dixerat de filio q; aboliturus ſit hoſtes, trophæaq; erecturus, metuit ne aliud quoddam principium ingenitum exiſtimetur filius. Ad patrem igitur omnia refert, inquiens, q; ipſe filio ſubiecerit hoſtes. Quia uerò ad Græcos ſcribebat, quorum opinio erat q; Iupiter inſurrexiſſet aduerſus patrem ſuum Saturnum, eumq; è regno deieciſſet: metuit ne tale quiddam de filio ſuſpicarentur, ceu inſurgente aduerſus patrem. Et ait: Omnia filio ſunt ſubiecta, dempto patre, is nāque ſubiecit potius cuncta alia filio.

Cum autem ſubiecta fuerint ipſi omnia, tunc & ipſe filius ſubijcietur ei, qui illi ſubiecit omnia.] Ne quis dicat, Et ſi patri non eſt ſubiectus filius, nihil prohibet patre filium fortiorem eſſe: hanc ſuſpicionem ex abundanti diluit, inquiens quòd & filius ſubijcietur patri, filij erga patrem multam concordiam & unanimitatem oſtendens. Noueris itaq; patrem eſſe cauſam & fontem potentiæ huius filio, neq; filium aliam quampiam uim patri contrapoſitam putes. Quòd ſi plus quàm par eſt humili dictione uſus eſt apoſtolus, ne mireris. Eſt enim in more diuo Paulo, ut ſiquando funditus quicquam tollere uelit, multa utatur redundātia: quemadmodum demonſtraturus fidelem mulierem non coinquinari neq; lædi ſi cohabitet marito infideli, Sanctificatus eſt, inquit, maritus infidelis per mulierem: non hoc dicens, quòd infidelis cum ſit uir, ſanctus reddatur: uerùm dictionis iſtius excellentia oſtendens quòd nihil lædatur fidelis ipſa coniunx: ſic hoc in loco ſubiectionis uocabulo funditus tollit prauam iſtam ſuſpicionem, qua ſuſpicari quiſquam poterat filium fortaſſe patre eſſe fortiorem, ut qui tanta tranſigere poſſit. Atqui Theologus Gregorius adſerit quòd filius omnia noſtra ſibi appropriā faciens, noſtrā etiam ſubiectionem propriā reputet. Nunc uerò ſeditionem quandam ciemus aduerſus Deū, infideles quidē, cū eum abnegāt: fideles uerò, dū affectibus ſuis inſeruiunt multi, & ſecundum hoc rebelles ſumus. Cū uerò alij quidē agnouerint quē nunc negant, alij uerò trāſmutati fuerimus, & prorſus ab huius uitę affectibus liberati, tūc dicet filius eſſe ſubiectus. Humanitatis enim pſonā ſubiēs, ſua facit quæ noſtra ſūt.

1.Cor.7.

Vt ſit Deus omnia in omnibus.] Hoc eſt, ut omnia à patre dependeant, ne quis duo principia ſine principio ſuſpicetur, eaq; inter ſeſe diuiſa, quādoquidem hoſtes ſunt ſub pedibus filij: filius porrò non eſt ſeditioſus, nō diſſidet à patre, uerùm quemadmodū decet Deum filiū patri ſubdit, omnino Deus & pater erit omnia in omnibus. Nonnulli aūt malitię ſublationē denunciari aiunt per hoc q; omnia ſint ſubiecta. Cū enim peccatū porrò non fuerit, planū eſt q; Deus omnia in omnibus erit, quando nō amplius motib. & affectib. ſuccubuerimus, ita ut nihil omnino Dei, uel parū in nobis feramus: ſed

A toui Dei ſimiles, totius & ſolius Dei capaces erimus. Omnia ſanè tum nobis Deus erit, & cibus, & potus, & cogitatio, & indumentum, & motus.

Alioqui, quid facient qui pro mortuis baptizantur? ſi omnino mortui non reſurgũt: quid & baptizantur pro mortuis?] Marcioniſtæ hæretici, ſi quis non baptizatus apud eos moreretur, ſub mortui lecto uiuentem quempiam occultantes accedũt lectum, interrogantes mortuum, num uelit baptiſmate tingi. Atq; eo reſpondente qui latitabat, quòd uelit, ſic loco mortui eum baptizant. Deinde ob id accuſati, defendunt ſeſe hoc apoſtoli loco, affirmantes apoſtolum hoc dixiſſe, hæc apoſtoli uerba producentes ſtoli di homines. Id uerò ſic non habet. at quomodo? Baptizandi ſymbolum religionis ſeu fidei Chriſtianæ enunciant omnino. In eo enim ſymbolo, cum alijs & hoc adiectũ eſt, Credo reſurrectionem mortuorum. Dicit igitur, q; qui crediderunt futuram eſſe reſurrectionem mortuorum corporum, & qui baptizati ſunt in talem ſpem, quid facient deceptiſ? Quid aũt omnino & baptizantur homines ſuper reſurrectione, hoc eſt, in expectatione reſurrectionis, ſi mortui non excitantur?

Marcioniſtarum error.

Baptizari pro mortuis

Quid & nos periclitamur omni hora?] Si non recipitis ad demonſtrationem reſurrectionis, confeſſionem uerborum quam faciunt qui baptizãtur, accipite & uocem quæ per res ipſas loquitur. Nos enim apoſtoli omnes nunquam non periculis ſumus obnoxij: & niſi eſſet reſurrectio, cuius rei gratia pericula ſubiremus? cuius commodi conſequendi gratia? Atenim ſi quis ambitione ductus pericula ſubeat, ſemel forſan atq; iterum periculum elegerit, uerùm ſingulis horis: quemadmodum nos periclitari, demonſtratio eſt euidens, ſe de reſurrectione certos eſſe.

Quotidie morior per ueſtram gloriationem, quam habeo in Chriſto Ieſu Domino noſtro.] Cum dixiſſet, in periculis uerſamur, pericula hîc expreſſit: imò potius maius quiddam, quotidianas uidelicet mortes. Quomodo autem in ſingulos dies moriebat? Animi promptitudine: & quia ad hoc inſtructus & paratus fuerit, & quia talia pertulerit quæ mortem adferebãt. Per ueſtram gloriationem, ideſt per ueſtram promotionem

Paulus ſemper moriparatus.

B & profectum, cuius gratia glorior. Gloriatio autem præceptori, diſcipulorum eſt progreſſus. Deinde Chriſto iſtud adſcribens, quam habeo, inquit, in Chriſto Ieſu. illius enim opus eſt, nõ meum. Sapientiſſimè autem eos commonefacit. Vt, inquit, de ueſtro in fide progreſſu glorior, ſic triſtabor, inquit, ſi perpetuò deinceps adeò miſerè uos geratis, ut reſurrectioni fidem non adhibeatis.

Si ſecundum hominem ad beſtias pugnaui Epheſi, quæ mihi utilitas?] Quatenus inquit ad homines pertinet, cũ feris dimicaui. Quid enim ſi Deus è periculis me eripuit? Quid igitur mihi prodeſt, ſi reſurrectio non ſit? Pugnam autem cum beſtijs appellat contentionem aduerſus Iudæos & Demetrium argentarium. Quid enim iſti à beluis diſtabant?

Act. 19.

Si mortui non reſurgunt, edamus & bibamus, cras morimur.] Si mortui non excitantur, neq; erit in futuro quædam commoditas, fruamur deinceps bonis nobis in hac uita obtingentibus, edendo nimirũ & bibendo: hæc enim tantum lucramur. Hoc aũt uerbi ex Eſaia protulit, dementiam taxans eorum qui negant reſurrectionem.

Eſaiæ 22.

Nolite ſeduci: corrumpunt bonos mores colloquia praua.] Ad adhortationem ſermonem uertit. Tacitè autem eos ueluti inſipientes & leues accuſat. Hoc autem indicat per hoc quod ait, nolite ſeduci. Bonos aũt mores ſiue placidos uocat, quibus facilè imponi poteſt. Indicat porrò quòd & alios ad iſta ſubtrahant.

Sobrij eſtote iuſtè, & ne peccetis. ignorantiam enim Dei quidam habent.] Tanquã remulentię ſtudeant, ſobrij, inquit, eſtote. Iuſtè uerò, ueluti utiliter. Poteſt enim quiſpiã iniuſtè etiam ſobrius eſſe, ſiue uigilare & attentus eſſe, ueluti ad malum. Et ne peccetis: hinc enim eſt q; reſurrectioni non credatis. Qui enim ſibi ſunt conſcij malorum, non perſuadentur, nec credunt eſſe reſurrectionem, metu pœnarum. Ignorantiam autem Dei habent, qui reſurrectioni non adhibent fidem. Non enim nouerunt Dei potentiam. Nec dixit habetis, ſed habent, faciliorem & tolerabiliorem ita accuſationẽ faciens.

Reſurrectio unde quibuſdam nõ credita.

Ad pudorem uobis hæc dico.] Poſtq; ſatis eos carpſit, conſolatur eos, dicens: Hæc dixi, non ut hoſtis uobis exprobrãs, ſed ut pudore ſuffunderemini, ut reducerem uos ad emendationem, pudefactos nimirum, ac decorum cogitantes ſpirantesq;.

Sed dicet aliquis, Quomodo reſurgunt mortui? quali autem corpore uenient?]

Non dixit, uos dicitis, ut sic tolerabilis reddatur sermo tanquam de alijs non credentibus hęc inquirat. Duo autem sunt de quibus dubitatur: ipse resurrectionis modus, & quomodo excitatur semel dissolutū corpus, & quali corpore resurgit, hoc, an alio quodam. Per exemplum autem grani illa duo dissoluit. A

Insipiens, tu quod seminas, non uiuificatur, nisi moriatur.] A perspicuo quopiam, & ab eo quod ab ipsis quotidie agitur, facit dilutionem. Hinc & dementes eos uocat, ut qui adeò manifesta ignorent. Tu, inquit, quod seminas, tu qui corruptibilis es, ecquid Deo hælitas? Non uiuificatur, inquit, nisi moriatur, dictionibus usus, nō seminibus, sed corporibus propris & accommodis. Non enim dixit quòd aliàs non germinet nisi dissoluatur, sed non uiuificetur, nisi moriatur. Obserua quomodo in contrarium sermonem conuerterit (illis enim uidebatur ambiguum quomodo post mortem excitemur) quoniam morimur, perinde quasi non liceret aliter uiuificari, ni mors esset.

Et quod seminas, non corpus quod futurum est seminas, sed nudum granum, utputa tritici uel alicuius cæterorum.] Cum duo esse quę cōtrouerterentur adduxisset, quo modo nimirum excitentur mortui, & quali corpore: quomodo excitentur, dissoluit, nempe moriendo, quemadmodum & granum. Iam uerò cum interpretatur quali corpore resurgant, diluit alterum quoq; de quo ambigebatur. Idem, inquiens, corpus, excitatur, uel eiusdem essentiæ, splendidius tamen & elegantius. Hæretici autem contendunt non idem corpus excitari. hoc enim indicare Apostolum, cum ait, Non quod futurum. Atqui apostolus hoc non dicit. Quid igitur? quod non seminas quale nascetur, splendidius nempe & elegantius, sed nudum granum, attamen spica decentior & pulchrior inde prodit ac exurgit. Neq; eadem est omnino, nam spica non est seminata, cū culmo nimirum & aristis, sed nudum granum: neq; omnino aliud seu diuersum, quandoquidem non ex alio grano, uerùm ex nudo illo est spica.

Corpus idē sed splendidius resurrectuarum.

Deus autem dat corpus ipsi, quemadmodum uoluit.] Si ergo Deus corpus dat, quid est quod amplius curiose inquiras quali corpore excitemur, ac diffidas resurrectioni, audiens Dei potentiam & uoluntatem? Deus enim dissolutum quidem corpus excitat, uerùm pulchrius, decentius, & spiritualius. Hoc enim & in seminibus licet inuenire. Nam speciosius & elegantius dissoluto semine quod natum est germen exurgit. B

Et unicuiq; seminum proprium corpus.] Hoc hæreticorum ora irrefragabiliter obstruit, affirmantium idem corpus in resurrectione nō excitari, sed diuersum. En, audis enim quòd suum cuiq; corpus datur.

Non omnis caro est eadem, sed alia quidem hominum, alia autem pecorum, alia uerò caro uolucrium, alia uerò piscium.] Vt ne cum audis de frumēto, arbitreris quòd quemadmodum in hoc omnes spicæ æquales prodeant, sic & in resurrectione omnes fore honore pares: monstrare uult quòd discrimen sit resurgentium, quod & anteuertens clàm attigit, quilibet, inquiens, in proprio ordine. Ait autem quòd non omnis caro sit eadem caro, hoc est, non omnes pari honore & æstimatione resurgent, enimuero primam habent differentiam iusti ad peccatores, quam habent supercœlestia corpora terrestribus collata. Deinde & in ipsis iustis differentia graduum multa, ut in progressu dicet, adeoq; in ipsis peccatoribus. Ait enim, Perinde ac discrimen est in carne hominum & pecorum, & reliquorum animalium: sic & peccatorum discrimen erit in pœnis. Omnia igitur quæcunq; nunc à Paulo dicta sunt, de discrimine peccatorum dicta sunt. De iustis enim pergens dicit, quando cœlestia recenset corpora.

Et corpora supercœlestia, & corpora terrestria: sed alia quidē supercœlestiū gloria, alia uerò terrestrium.] Hic, quod & suprà dixi, discrimen iustorū erga peccatores ob oculos ponit, hos quidem uocans supercœlestia corpora, illos uerò peccatores terrestria: & alia, inquit, iustorū gloria, alia uerò peccatorū. nec est iam subaudiendū gloria, sed uita.

Psal. 48. Iustorum inter se differentiæ.

Alia est gloria solis, & alia gloria lunæ, & alia gloria stellarum: stella enim à stella differt in gloria.] Perinde ac paulo antè corporū peccatorū differentias dixit, ab hominibus exorsus, ac deinceps mentionem faciens uolucrum, pecorum & piscium, eo quòd & ipsi peccatores cum ab initio facti essent homines, postea ad brutorū similitudinem delapsi sint, non dissimilem ad modū iustorū iam differentias monstrat. Omnes enim gloriam in resurrectione consequentur, uerùm aliud est lumen solis, aliud est lunæ, ad uulgares usq; stellas procedendo. Nam & stellæ à stellis discrepant in gloria, hoc est in lu-

Gen. 1. Psal. 135.

mine,

A mine, in splendore, in claritate. gloria enim stellarum, lumen est. Nonnulli per corpora cœlestia, angelos intellexerunt, non appositè ut opinor. Atq; istuc inde planum fit, q; producat solem, & lunam, & stellas. Quare de angelis non loquitur.

Sic & resurrectio mortuorum.] Sic, quomodo; in multo sanè discrimine, perinde ac præscripta patefecerunt exempla.

Seminatur in corruptione, resurgit in incorruptione.] Suprà cum loqueretur de seminibus, utebatur uerbis corpori accommodis, uelut cum diceret, Nõ uiuificatur, nisi moriatur: nunc de corporibus uerba faciens, dictionibus utitur semini conuenientibus. Seminatur, inquit, in corruptione. Sationem autem hîc dicit, non eam quæ fit in matrice, uerùm corporum defunctorum in terra depositionem, perinde quasi dicat: Reponitur in terram corpus mortuum in corruptione, hoc est, ut corrumpatur. Pulchrè autem dixit, resurgit siue excitatur, & nõ, nascitur, ut ne terræ esse opus existimes.

Seminatur in ignominia, resurgit in gloria.] Quid enim mortuo seu cadauere ignobilius? at enim in gloria & celebritate incorruptibilitatis excitatur, etiamsi non eodem omnes fruantur honore.

Seminatur in infirmitate, resurgit in potentia.] Ad dierum enim usq; quinq; interuallum caro non potest persistere aduersus corruptionem, cæterùm excitatur in incorruptibilitatis potentia & robore, nulli porrò corruptioni obnoxia, etiamsi incorruptibilitas impijs sit ad maiores pœnas.

Seminatur corpus animale, resurgit corpus spirituale.] Corpus ψυχικὸν, id est animatum, uel animale (ab anima) quod animæ uiribus gubernatur, & in quo anima dominatum & imperiũ habet, uocat. Spirituale uerò quòd spiritus sancti operatione abundè utitur, & ab illo in omnibus gubernatur. Etiamsi enim spiritus etiamnũ in nobis operetur, non sic tamen operatur, neq; semper: auolat enim à cõmittentibus flagitium. Ac præsente quidem spiritu, anima corpus regit: tum uerò assiduè spiritus paracletus permanebit in corporibus iustorũ. Vel simpliciter spirituale incorruptibile dicit, ueluti

B iam subtiliorum partium & leue, adeò ut & in aere uehatur: attamen non ita ut Origenes dicit, aereum & æthereum, uel ex aeris ætherisue substantia constitutum. Quòd si de incorruptibilitate hæsitas, intuere cœlestia corpora, quæ hactenus nullo neq; senio confecta sunt, neq; labore defatigata. Qui enim ea talia condidit, & corruptibilitatem nostram incorruptibilem efficiet.

Corpus animale.

Spirituale.

Origenis error.

Est corpus animale.] Quod iam habemus in præsenti uita.

Estq; corpus spirituale.] Quod habituri sumus in futuro æuo, idem cum hoc quod iam circumferimus, uerùm spirituale, hoc est, corruptionis expers.

Sic & scriptum est: Factus est primus homo Adam in animã uiuentem, nouissimus Adam in spiritu uiuificantẽ.] Prius quidem memoriæ proditũ est, posterius aũt non est scriptum, uerùm ex rerũ consecutione quod euenit, scriptũ esse ait: quemadmodũ propheta dixit Hierusalem uocandam urbem iustitiæ. nec tamẽ apertè uocata est. Ac Dominum ipsum, Euangelium Emmanuelẽ uocandum, cum tamen ipse eo non sit nomine appellatus, sed res ipsę hanc uocem, emiserint. Primus itaq; Adam animalis erat homo, id est, animæ uiribus gubernatum corpus habebat: postremus uerò Adam, ipse nimirum Dominus, in spiritum uiuificantem. Nec dixit spiritum uiuentem, sed quod maius est, uiuificantem. Etenim Dominus substantialiter habebat spiritum sanctum sibi unitum, per quem & propriam carnem uiuificabat, nobisq; per ipsum incorruptibilitatem donauit. Proinde corruptibilis huius uitæ pignora in primo Adam habuimus, futurę autem in Christo.

Gen. 2.

Zach. 9.

Matth. 1.

Adam primus & postremus.

Sed non primũ quod spirituale, sed quod animale, deinde quod spirituale.] Ne quis dicat, cur iam animale corpus habemus, adeoq; deterius, spirituale uerò adhuc futurũ est? quoniam principia utrorumq; sic ordinata fuerunt. Nam Adam est prior, Christus posterior: quare res nostræ semper in melius prouehuntur. Crede itaq; quòd & quæ nunc in te sunt corruptibilia deteriora q; p, in incorruptibilia adeoq; meliora transelementabuntur.

Primus homo de terra terrenus, secundus homo, Dominus ex cœlis.] Ne optimum uiuendi genus negligant, in posterum eos adhortaturus est ad uitam Deo placentem. Adam, inquit, ex terra erat, propterea & sic appellatus est: Adam enim terreum & pul

Adam quasi dicatur.

uereum significat. Homo uerò ipse Dominus, ex cœlo erat. Ac alteri quidem à deteriori nomen indit, alteri uerò à præstantiori: non ꝙ homo, uel humana Christi natura, assumptio quæpiã ex cœlis esset, ut demens Apollinarius delirabat, cæterũ quòd una persona unius Christi, & homo ex cœlo esse propter unitionẽ dicatur, ac Deus crucifixus esse ob eandem causam feratur.

Apollinarij error.

Qualis terrenus, tales & terreni.] Hoc est, sic peribunt & morientur, uel quòd peccati morte morientur, qui terræ sunt affixi.

Qualis cœlestis, tales & cœlestes.] Id est, consimilem ad rationem cum Christo permanebunt, immortales & fulgentes. Etsi enim secundus Adam mortuus est, ideo mortuus est, ut mortem dissolueret. Vel quòd sic ad Dei similitudinem uiuent, & uitam diuinam degent, ut cœlestia spirare uideantur.

Et quemadmodum gestauimus imaginem terreni, * gestabimus etiam imaginem cœlestis.] Planius hîc adhortatorium sermonis habitum reuelat. Imaginem autem terreni, praua opera dicit: imaginem uerò cœlestis, bona. Vt igitur in uitijs uiximus, ceu terreni hominis filij, ac quæ terræ sunt cogitantes & affectantes: sic uirtute rursus conspicuam nunc uitam uiuamus, tanquam cœlestis imaginem & imitationem cõseruantes. Imago etiam terreni est id quod scriptura dicit: Terra es, & in terram abibis. Imago autem cœlestis, ex mortuis excitatio uel resurrectio, & incorruptibilitas. Proinde si hæc intelligenda sint ceu de resurrectione dicantur, & non de uita moribúsue, etiam illud quod addit, Gestabimus imaginem cœlestis: nõ est intelligendum aut scribendũ tanquam consulentis, siue adhortantis more sit dictum, sed ut obuenturæ nobis rei sit indicium, id est, quod futurum sit ut gestemus.

**φορέσομεν, per ο gestabimus siue portabimus, uel per ω φορέσωμεν, id est, portemus: utrãq; scripturam hic notat Theophyl.*

Hoc autem dico fratres, quòd caro & sanguis regnum Dei possidere non possunt.] Quia dixerat imaginem terreni, quasi iam hæc interpretetur, ait, Caro & sanguis est imago terreni, hoc est, carnales operationes, corporis etiam crassitiei propriæ, quæ regni Dei hæreditatem adire non possunt.

Carnales operationes cœlũ non hæreditabunt.

Neq; corruptio incorruptibilitatem hæreditat.] Hoc est, malitia animę nobilitatem corrumpens & perdens, non potest esse hæres gloriæ istius, & incorruptibilium bonorum. Poteris autem hæc omnia nõ uelut de uita dicta sint, sed de resurrectione accipere: ut illud, Caro & sanguis, quasi dicat, Corruptibile huiusmodi corpus, ex carne & sanguine cõsistens, in futuro seculo haud fruetur regno. Nõ est enim illic cibus & potus, quibus omnino huiusmodi corpus nutritur. Neq; corruptio, id est corruptibile corpus, corruptione uacantium hæreditatem adibit. Necesse est igitur spirituale fore corpus nostrum, & incorruptibile. Noueris porrò ꝙ Chrysostomus hæc ab Apostolo per adhortationis modum dicta, qua ad optimam uitam adhortetur, acceperit.

Ecce mysterium uobis dico.] Ad sermonem de resurrectione institutũ reddit, aitq; tremendum quiddam & secretum se illis esse dicturũ. Indicat autem per hoc se magno illos honore adficere, ut qui secreta eis reuelet.

Non omnes quidem dormiemus, omnes tamen immutabimur.] Non omnes quidem morientur, inquit, omnes tamen immutabuntur, etiã qui non moriuntur, hoc est, ad incorruptibilitatẽ transferentur. Ne igitur quoniam moriaris, metuas ꝙ non resurgas. Ecce enim dico tibi, ꝙ nonnulli ne morientur quidem, attamen hoc non satis est eis ad resurrectionem illam, nisi immutentur etiam, & sic ad immortalitatẽ ueniant à mortalitate illa, quam habent, corporum. Vt igitur illos non iuuat ꝙ non moriantur, sic nobis non nocebit quòd moriamur. Nam & illis mutatio mors est. Moritur enim in ipsis corruptio permutata in incorruptibilitatem.

In momento, in ictu oculi, in nouissima tuba.] ἐν ἀτόμῳ, hoc est, in insecti illi, & indiuisibili, hoc est, minutissimo temporis spacio, ac ueluti palpebræ ictu uel motu, tanta talia ꝙ fient: quæ res est ualde admiranda. Non enim tantum quia putrefacta corpora resurgent, nec ꝙ quisq; proprium recipiet, mirari conuenit, uerùm ꝙ adeò celeriter, ut nullis etiam uerbis exprimi possit. Nonnulli uerò quod ait in nouissima tuba, sic intelexerũt, quasi ex Apocalypsi Ioannis Euangelistæ interpretantes. Septẽ tubæ, inquit, cũ sint, primæ quidem consummationẽ hominũ faciunt. non enim simul omnes consociuntur & cõsummantur, sed ex parte, uel ex successione. Atq; hæc est, inquit, dispensatio & ordinatio Dei, ut cũ primos intereuntes, qui relinquuntur, cernũt, ipsi resipiscãt.

Apoc. 8. & 10.

Extre-

A Extrema, inquit, tuba resurrectionē & immutationem eorum qui iam resurrexerunt, facit, in instanti, in momento, in ictu oculi.

Canet enim tuba, & mortui excitabuntur incorruptibiles.] Vt ne ambigat quispiā quomodo talia tantaq; ac tam ardua in oculi ictu fieri queant, uerbo suo authoritatem parit, fidemq; cōciliat ex potentia hæc facientis Dei, Canet, inquiēs, tuba, & fiet simile ei loco, Ipse dixit & facta sunt. Tuba enim nihil aliud quàm iussum & nutum Dei significat, omnia transeuntem, & omnia præuenientem. *Psal. 32. Tuba.*

Et nos mutabimur.] Non de seipso hoc dicit, sed de eis qui uiui deprehendentur.

Oportet enim corruptibile hoc induere incorruptibilitatem, & mortale hoc induere immortalitatem.] Vt ne audiens aliquis quòd caro & sanguis regni Dei hæreditatem non adeant: & rursus quòd mortui resurgent incorruptibiles, existimet ipsa corpora non resurgere, quòd nunc ex carne & sanguine constent, infert: Resurgent, inquiens, quidem corpora, sed nō quæ caro & sanguis sint, sed quæ in incorporabilitatē sint transformata. Obserua autem uerba hæc aduersus eos qui dicunt quòd nō eadem corpora resurgant, sed alia. Corruptibile enim hoc, inquit, & mortale hoc, non aliud, sed hoc, cum demonstratione. Itaq; corpus quidem idem manet, ipsum enim est quod induitur: mortalitas autem & corruptibilitas aboletur & euanescit, immortalitate & incorruptibilitate ipsum continente, & amplectente. Est autem discrimen inter corruptionem & mortalitatem, quòd mortalitas dicatur de solis animatis, corruptio autem etiam de inanimatis. In nobis igitur sunt quædā inanimatis similia, uelut capilli & ungues: hæc igitur etiam incorruptibilitatem induent. *Corruptio & mortalitas differunt.*

Quando autem corruptibile hoc induerit incorruptibilitatem, & mortale hoc induerit immortalitatem, tunc fiet sermo qui scriptus est: Absorpta est mors in uictoriā.] Quando hæc contigerint, tunc impletur quod ab Osee scriptum. Quia enim opinionem hominum exuperantia dixisset, scripturę eadem testimonio confirmat. Quòd autem ait in uictoriam, hoc est, in finem & plenè, ut uicta omnino & perfectè exterminetur uel deleatur, ut nulla spes ei in posterum ullius potentiæ relinquatur. *Osee 13.*

B Vbi ô mors stimulus tuus? ubi ô inferne uictoria tua?] Perinde ac res gestas cōspexisset, impetu & spiritu diuino agitatus, uictoriæ destinatam oden cōcinit: uociferatur & exultat, ueluti prostratæ morti insultans, eamq; pedibus conculcans. Inuenire autem queas discrimen quoddam inter infernum & mortem: nimirū quòd infernus animas contineat, mors uerò corpora: nam animæ sunt immortales. *Inferi. Mors.*

Stimulus uerò mortis, peccatū est.] Per illud enim potens fuit, ipso ceu armis quibusdam & stimulo utens. Perinde nanq; ut scorpius animalculum est exiguum, in acu leo autem robur habet: consimilem ad rationem mors per peccatum robusta fuit, aliàs inefficax. Argumento est seruatoris opus. Cum enim mors in hoc peccatum nō inueniret, inefficax mansit. *Scorpius.*

Virtus aūt peccati, lex.] Quomodo. Quoniā si lex non esset, per ignorantiā peccantes non sic cōdemnaremur. Lex autem ipsum manifestans, non magis condemnauit, quippe qui in cognitione & scientia peccati delinquamus: sorteq; peccatum fecit, non per ipsius naturam, sed ob nostram socordiam, qui non rectè usi simus dato nobis remedio: sicut & in epistola ad Romanos latius & fusius dictum est. Ne igitur dubites de resurrectione, ô homo, cum uideas peccatum sublatum, quod mortis scutum erat & arma: cumq; lex sit abolita, quæ erat ex euentu robur & potentia peccati. Nam planum est quòd exarmata mors non porrò sit ualida. *Lex, peccati robur.*

Deo aūt gratia, qui dedit nobis uictoriam per Dominū nostrum Iesum Christum.] Domini est certamen, nobis aūt uictoria data est: non ex retributione, neq; ex debito, uerùm per gratiā & clementiā Dei & patris, qui fecit nos uincere per certamē filij sui.

Itaq; fratres dilecti, stabiles estote, immobiles, abundantes in opere Domini semper.] Quia cognouistis, inquit, quòd resurrectio sit futura, & compensatio bonorum & malorum, firmi stabilesq; estote. Concutiebantur enim sermonibus de resurrectione. At cum negligerent uitæ honestatem, atq; mores Christo dignos, tanquam non esset resurrectio, inquit: Abundantes in opere Domini semper, nō solùm ipsum facientes, uerumetiam abundè efficientes. Opus autem Domini hoc est, quod diligit Dominus: & quod postulat à nobis, ipsa uirtus est.

Scien-

Universidad de Deusto
Biblioteca

Scientes q labor uester non est inanis in Domino.] Hoc est, futurã resurrectionem A
sperantes, credentesq uos nõ amissuros quæcunq hîc laboraueritis. Antehac quidem
negligebatis uirtutem, quippe qui non crederetis resurrectionem esse, neq uelletis te-
merè adeoq frustra laborare: nunc autem nouistis q si quid laboraueritis, non sit futu-
rum uanum. Quòd uerò ait, In Domino, uel quòd labor uester qui est in Domino, hoc
est à supernis auxilium habens, ut qui fiat ob opera Deo grata: uel, apud Dominũ non
uanus fiet labor uester, uerùm accipietis ab illo compensationes.

CAPVT XVI.

Eleemosyna, uirtutũ summa.

DE collecta uerò quæ fit in sanctos, sicut ordinaui in ecclesijs Galatiæ, sic & uos fa-
cite.] Absoluto de dogmatibus sermone, ad summã uirtutum eleemosynã uenit. λογίαν autem dicit collectionem, legem statim ab exordio rem faciens. Nam quod à
multis contribuebatur, cuilibet erat leue. Deinde ad æmulationem eos ducit cõmemo
ratione eorum quæ alij gnauiter transegerunt. Sicuti Galatæ, inquit, fecerunt. Non di
xit autem, hortatus sum, uerùm ordinaui, quòd erat maioris authoritatis, ut discas ordi
nationem esse regiam, neq rem ipsam adsperneris.

Vna sabbatorum, dominica dies.

In una sabbatorũ unusquisq uestrûm apud se seponat recondens quod prosperũ fue
rit.] Vnam sabbatorum, dominicam uocat, hoc est, primam sabbati uel hebdomadis
dierum. Atq à die ad eleemosynam eos hortatur, mysteriorum quę in ea peraguntur,
mentionem faciens. Valde autem prudenter iubet quemlibet colligere quod succesſe-
rit, hoc est, quicquid Deus dederit ac miserit, & quod facilè potest. Non enim dixit, sta
tim fer, ut ne parum quis habens pudefiat: sed enim apud teipsum colligę, & quando o-
peræprecium fuerit, tum adfer.

Vt ne cum uenero, tum collectiones fiant.] Vt nõ cum opus fuerit expendere, tum
primùm colligatis. Porrò quia cum uenero ait, per hoc eos promptiores facit ad colle-
ctionem, quasi contributio ad oculos ipsius peruentura sit.

Quando autem aduenero, quos probaueritis, per epistolas hos mittam perferre
gratiam uestram in Hierusalem.] Pulchrè, quos probaueritis, ubiq scandala aufugiẽs, B
ne suspicentur ipsum uelle quicquã sublegere à collectis. Comma igitur post uerbum
probaueritis adijce: deinde lege, per epistolas hos mittã, ut huiusmodi inde sensus con
Gratia. cinnetur, quos probaueritis, hos mittam per literas meas. Gratiã autem rem ipsam uo-
cauit, id est, liberalitatem, ut ostendat eos magni quicquam facere non ex mœrore uel
necessitate. Tale enim quiddam est gratia. Nam si dixisset eleemosynam, indignum
fuisset sanctis qui accepturi erant.

Si autem dignũ fuerit ut & ego eam, mecũ ibunt.] Si inquit, quod collectũ est, tan-
tum sit, ut meo sit ministerio dignũ, ego simul abibo. Per hoc eos ad liberalitatẽ inhor-
tatur. Testes aũt habere uult, q ipse nihil sit accepturus, propterea dicit, mecũ ibunt.

Veniam aũt ad uos, cum Macedoniam pertransiero: nam Macedoniã pertransibo.
Apud uos aũt forsan permanebo, aut etiã hybernabo, ut uos me deducatis quocunq
iero. Nolo enim uos modò in transitu uidere. Spero aũt aliquantũ tẽporis me perman
surum apud uos, si Dñs permiserit.] Non dixit, in Macedoniã proficiscor, ne obijciãt,
Nobis ergo Macedones prę fers: uerùm transeo Macedoniã, hoc est, festinanter, ac ue-
luti in trãscursu eos uideo: apud uos autem permanebo. Per hoc aũt indicat q eos Ma
cedonibus anteponat, ceu magis genuinos discipulos, ac digniores: nam magna erat
apud Corinthios ecclesia. Terrorem autem incutit peccantibus, cum inquit, Permane
bo. Præponit autem, forsan, quia haud satis certus erat. Non enim compertum habe-
bat, permitteretúrne ei hoc à spiritu sancto, an secus. A spiritu enim ducebatur, quo-
cunq ipse spiritus uolebat. At uerò cum esset Ephesi, profecturus erat in Macedoniã,
atq eam trãsiturus celeriter, deinde ad eos iturus. Pleriscq autem argumentis suam te-
statur erga eos beneuolentiam & propensionem, quòd nolit eos in transcursu & obi-
ter uidere, & quòd uelit ab eis deduci.

Permanebo autem Ephesi ad Pentecosten usq.] Istud quoq impensè diligentis est
indicium, planum facere ubi moram nectat, & quandiu sit permansurus, quinetiã cau
sam apponere. Infert enim:

Ostium enim mihi apertũ est magnũ & efficax, & aduersarij multi.] Hoc est, multi
accessuri sunt ad fidem. Præceptori nanq angusta est, si non habeat promptos disci-
pulos:

pulos: gaudium uerò, si inuenerit alacres. Aduersarij autem multi eam ipsam ob causam. Satanas enim uidens sese iam nudatum ac derelictum, uehemẽtius perturbatur, aduersarios q; excitat. *Præceptoris gaudiũ, discipulorũ alacritas.*

Si autem uenerit Timotheus, uidete sine timore sit apud uos.] Quia uerisimile erat fore ut Timotheus postquam Corinthum uenisset, carperet delinquẽtes, atq; obiurgaret, certiores ipsos facit & præmunit, ne diuites sapientes insurgant aduersus eum: non quòd meticulosus & effœminatus Timotheus à constantia præconem Christi decente casurus erat, sed quod damnum & incommodum inde ipsi reportarent. Nam ille admodũ fortiter aduersum pericula instructus erat. Pulchrè uerò dixit, Apud uos. Ne enim mihi dixeris Græcos, dum ea interim à uobis requiram, ut tutus sit.

Opus enim Domini operatur, sicut & ego. Ne quis ergo illum spernat.] Hoc est, prædicat & docet: nec simpliciter, sed sicut ego: quæ magna sanè Timothei laus est. Cum igitur sit huiusmodi, nemo ipsum uilipendat. Iuuenis enim erat, & solus, ac tanti tamq; superbi populi cura ei cõmissa erat: probabileq; erat ipsum uilipensum iri. *Timothei uirtus.*

Deducite autem ipsum in pace, ut ueniat ad me: expecto enim ipsum cũ fratribus.] Potius igitur & honorate eum. hoc enim hic προπέμψατε, honoris causa deducite, & prosequamini significat. In pace autem, hoc est, intrepidè, sine pugna & contentione, cum omni obedientia. Expecto porrò ipsum, terrentis est, ut scientes q; omnia ei sit denarraturus, nulla in re ipsum adfligant. Ac iuxtà honoratiorem eum reddit. Siquidem adeò est illi opus opera Timothei, ut ipsum etiam expectet.

De Apollo aũt fratre, multũ adhortatus sum ipsum ut ueniat ad uos cũ fratribus, & omnino nõ erat uoluntas ut nunc ueniret.] Apollo hic grandior erat natu Timotheo, & uir facundus. Ne igitur dicant, Cur ipsum nõ miserit, sed eum qui iunior esset: Multum, inquit, ipsum adhortatus sum. Nec dicit, Restitit mihi, cęterùm illum ab accusatione liberans: Omnino, inquit, non erat uoluntas, hoc est, Deus noluit. Ne autem hunc fucum esse dicant, inanem q; prætextum, subdit: *Apollo.*

B Veniet autem, cum opportunitatẽ nactus fuerit.] Cùm Timotheum defendit, tum hunc expetentes uidere Corinthios animat & consolatur spe aduentus.

Vigilate.] Rursus in fine eos admonet: ostendens quòd ipsos nõ oporteat spem collocare in doctores, sed ad seipsos potius respicere. Dicit ergo, Vigilate, propter deceptores. quasi autem dormitarent ipsi, hoc dixit.

State in fide.] Non in externa sapientia: in ea enim nemini stare licet: sed circumagi ac rotari. Hoc, quasi uacillassent, ait.

Viriliter agite, estote fortes.] Propter eos qui insidias struunt. Quasi effœminati & minus fortes essent, hæc dixit.

Omnia uestra in charitate fiant.] Hoc ad dissidentes, & ecclesiam diuellentes pertinet. Siue enim docet quispiã, siue discit, siue obiurgat, omnia in dilectione fiant. Non erit inflatio inter uos, neq; dissensio, charitate intercedente.

Obsecro autem uos fratres.] Hyperbaton est: Obsecro uos, nimirum ut & uos talibus geratis morem. Alia uerò hic sunt inspersa.

Nostis domum Stephanæ, q; sit primitiæ Achaiæ.] Vos (inquit) tenetis, nec habetis necesse ut à me discatis. Primitias aũt Achaiæ uocat Stephanam cum suis, uel q; primi ipsi crediderint, uel q; optima uita splenduerint. Primitiæ aũt undiq; excellentiam habere debent earum rerum, quarum sunt primitiæ. Achaiam autem Græciam uocat. *Achaia. Græcia.*

Et q; ad ministeriũ sanctis seipsos ordinauerint.] Vt pauperes fideliter susciperent, ipsisq; ministrarent, seipsos posuerunt atq; segregarunt: non ab alijs constituti necessariò, sed suapte sponte se adducentes.

Vt & uos subditi sitis talibus, & omni cooperanti & laboranti.] Hoc est, simul susci pite & adiuuate eos & sumptu pecuniarũ, & ministerio corporali. Nõ dixit simpliciter cooperamini, cæterùm uehementẽ obedientiã ostendens, subditi sitis, inquit. Ne aũt uideatur soli Stephanę gratificari, infert, Et omni cooperanti & laboranti. Vbi ad sanctorũ ministeriũ: digni enim omnes tales honore. Sic eñ fit, ut laborẽ facilius tulerint.

Quoniã uestrum defectũ hi repleuerunt.] Isti sunt qui diuo Paulo annunciarũt de dissensione quæ erat apud Corinthios, deq; alijs peccatis. Tum qui ex Chloës familia erant: per hos forsan hæc illi indicarunt. Quia igitur uerisimile erat Corinthios aduersum

sum hos efferari, cõmendat eos, inquiens: Vestrum illi defectum repleuerunt, hoc est, pro omnibus uobis uenerunt, & propter uos tantam profectionem destinarũt ad me. A

Refecerunt enim uestrum spiritum & meum.] Monstrauit ipsis, ꝙ ipsius recreatio, ipsorum quoq; sit. Itaq; cum ego refocillatus sum ab ipsis, & uos inde lucrati estis illud ipsum, meam nempe refocillationem, nihil ingratum & triste aduersus eos ostendatis.

Agnoscite igitur tales.] Hoc est, honorate eos.

Salutant uos ecclesiæ Asię.] Conglutinat membra Christi per salutationem, quemadmodum consueuit semper facere.

Aquila. Paulus manibus operatur.

Salutant uos in Domino multum Aquila & Priscilla, cum ecclesia quę est in domo ipsorum.] Apud ipsos enim manebat, tabernaculorum artifex cum esset & ipse. Obseruat autem ipsorum uirtutem, quoniam domum suam ecclesiam fecerunt, collectionem fidelium in ea facientes.

Salutant uos fratres omnes. Salutate uos mutuò in osculo sancto.] Hanc appendicẽ osculi sancti hic solum apposuit, ob multas dissensiones. Quia ergo multum eos adhortatus erat ut coadunarentur, ut in unum coniungerentur, in unum deinceps eos iungit & per osculum sanctum, hoc est, dolo carens & simulatione.

Salutatio mea manu Pauli.] Sua manu salutationem facit, ut ostendat quòd plurimi fecerit epistolam.

Si quis nõ amat Dominũ nostrum Iesum Christum, anathema sit.] Vno hoc uerbo cunctos terruit fornicatores, dissidiorum excitatores, idolothyta manducantes, resurrectioni non credentes, adeoq; omnes simpliciter qui apud eos extra suam institutionem & traditionem agebant: huiusmodi enim omnes non amant Dominum.

Maranatha.

Maranatha.] Hoc est, Dominus uenit. Hoc autem dixit partim ut stabiliat dispensationis & incarnationis uerbum, ac per hoc resurrectionem, partim ut rubore eos suffundat, adeoq; pudefaciat, quoniã Dominus pro nobis omnia pertulit ac suscepit. Vos autem prouocatis eum, alij quidem ab hominibus uocati, alij uerò mala perpetrantes. B Non est autem usus græca dialecto, sed Hebræa, imò Syrorum potius lingua. Quandoquidem apud Corinthios uerba faceret, qui ob externam sapientiam & Græcæ linguæ elegantiam multum superbirent, indicant quòd adeò non indigeat ipse sapientia hac, ut & de uulgari & uili lingua glorietur, adeò ut & barbara lingua loquatur.

Doctoris officium.

Gratia Domini nostri Iesu Christi uobiscum.] Doctoris est, non solùm adhortari, uerumetiam optare & orare, ac bifariam fulcire, tum doctrina, tum superni auxilij per orationes suppeditatione.

Dilectio mea cum omnibus uobis in Christo Iesu. Amen.] Quia loco distabat, ceu dexteræ cuiuspiam extensione, charitatis manibus eos cõplectitur, inquiens: Dilectio mea uobiscum, quod est cum omnibus uobis. Non enim à uobis absum ego, etiamsi loco distem. Per hæc iuxtà cõmonstrat ꝙ hæc neq; indignationis, neq; iracundiæ uerba fuerint quæ scripta sunt, sed charitatis & curæ, etiamsi amarulentiæ nonnihil præ se ferrent. Ne uerò arbitrentur ꝙ hæc adulans loquatur, adijcit, In Christo Iesu, hoc est, nihil humanũ aut carnale charitas mea habet, sed spiritualis est, & in Christo. Precemur igitur & nos, ut nos mutuò inter nos diligentes in Christo, nihil mundanę charitatis in nobis circumferamus, quæ inimica est Deo. Sic enim & dilectis Dei tabernaculis digni iudicabimur in Christo Iesu, qui dilexit nos, cui gloria in secula seculorum. Amen.

IN SECVNDAM DIVI PAVLI APOSTOLI AD Corinthios epistolam Theophylacti ARGVMENTVM.

ALteram ad Corinthios epistolam diuus Paulus apponit, quia promiserat in priore, sese uenturum ad eos, cunctatus est autem, ceu spiritu eum ad alia magis necessaria occupante, tentationibusq; aduersus eum insurgentibus, necnon in ipsum inuadentibus. Debuit igitur Apologiam suæ diuturnæ moræ texere. Ideoq; secundã hanc epistolã cõscribit, rationem reddens cur hactenus aduentum suum distulerit. Simul autem ex priore epistola meliores factos debuit approbare & commendare. Perinde namq; ut peccantes accusabat, sic iam in meliorem uiam reductos efferre laudibus decebat. Proinde non multum acris & uehemens est hæc epistola, nisi in paucis sub finem partibus: idq; propter laudæos ostentantes sese, apostolumq; calumniantes, tanquam indoctum, ac nullo numero dignum.

Secun-

SECVNDAE AD CORINTHIOS

CAPVT I.

PAVLVS apostolus Iesu Christi, per uoluntatē Dei, & Timotheus frater.] Missō illuc in prima epistola Timotheo, ac denuò recepto, non iniuria sibi ipse eum connectit: nam & suæ uirtutis experientiam Corinthijs dederat Timotheus. Assumit itaq; eum in hac epistola, ceu eū qui ipsis iam innotuerit, necnō pleraque correxerit apud eos. Obiter autem quòd nonnunquam filium hunc appellat, Tanquam patri enim, inquit, filius, seruiuit mihi. Nonnunquam autem cooperatorem, ut cum ait, Opus Domini operatur, quemadmodū ego. Iamnunc uerò fratrem, ex omni ipsum parte honore adficiens. *Philip 2.* *1. Cor. 16.*

Ecclesiæ Dei, quæ est Corinthi.] Rursus eos colligat & connectit, ecclesiam dicens. Qui enim dispersi sunt, non sunt ecclesia.

Cum omnibus sanctis qui sunt in uniuersa Achaia.] Omnium in uniuersa Achaia meminit: partim ut Corinthios honoret, ueluti omnibus per literas hasce ad eos perscriptas salutem impertiens: partim ut ad concordiam conuocet congregetq; uniuersam gentem. Præterea quia communiter concutiebantur omnes, communem adhibet curam, adeoq; medicinam: quod & ad Galatas & ad Hebræos scribens facit. Sanctos uerò eos appellans, ostendit quòd si quis sit impurus, non sit dignus & salutatione & appellatione hac. *Impurus nemo sanctus.*

Gratia uobis & pax à Deo patre nostro, & Domino Iesu Christo.] Cōsueta etiamnum salutatione utitur: in alijs autem de his dictum est.

Benedictus Deus, & pater Domini nostri Iesu Christi.] Promiserat in prima epistola ad eos uenturum se: deinde quia distulerat, suspicabatur eos ualde mœrore confici, ceu alij antelati ipsis essent. Volens igitur defendere se, & commonstrare quòd haud paucis tentationibus se inuadentibus fuerit impeditus, scitè facit apologiam. Gratias, inquit, ago Deo, ut qui me liberauerit è periculis: per gratiarum actionem clanculum indicans, quòd magna fuerint quæ ipsum inhibuerint, à quibus liberatus, gratias agit. Adijce autē comma, ad Deus, dictionem: postea incipe, Et pater Domini. Sin continuè & iunctim intelligas, Deus & pater Domini, nihil nouū est. Etenim eiusdē est & unius Christi secundū humanitatem quidem Deus, secundum uerò diuinitatem pater.

Pater misericordiarū, ac Deus totius consolationis.] Hoc est, qui tot tantasq; miserationes exhibuit, ut ex ipsis nos mortis portis reduxerit, ac dignatus sit nos omni consolatione in afflictionibus. Consuetudo autem erat sanctis, Deum ex beneficijs quæ ab eo accipiebant, nominare. In uictoria itaq; in bello aduersum hostes obtenta, Diligam te, inquit, Domine robur meum. &, Dominus protector meus. Cum uerò à caligine & obscuratione rationis & mentis, & mœrore erepti fuerint: Dominus illuminatio mea. Haud dissimili ratione nunc quoq; diuus Paulus patrem miserationum, ac Deū consolationis ipsum nominat, ab eo quod cōtigit. Intuere hîc minimè elatam diui Pauli mentem. Siquidem ereptus à tentationibus, quibus ob euangelij prædicationem excipiebat, nō dicit pro dignitate uel merito suo se ereptū, ceterùm per miserationes Dei. *Psal. 17.* *Psal. 26.*

Qui consolatur nos in omni tribulatione nostra.] Non dixit, non sinens nos affligi, uerùm, in afflictione nos consolans. Sinit enim nos affligi, ut per patientiam mercedē habeamus. Porrò quando nos uiderit labantes, consolat nos: idq; semper facit. Ideoq; non dixit, qui consolatus est semel, sed qui consolatur, hoc est semper: nō in hac uel illa afflictione, sed in omni.

Vt possimus nos consolari eos qui sunt in omni afflictione, per consolationem, qua nosipsos consolatur Deus.] Non quòd digni simus consolationem accipere, propterea consolatur nos Deus, uerùm ut ab exemplo consolationis quæ mihi obuenit alios etiam consolari ualeam, siquando in tentationibus fuerint. Proinde & uos conspicientes me adeò cœlesti solamine animatum, ne à spe excidite si in afflictionibus sitis. Per hoc autem & apostolorum opus indicat, quòd sint constituti ipsi ut alios ad certamen ueluti inungant & excitent: nec perinde ac pseudapostoli delicijs studeant, ac domi desidentes, negligant eos qui consolatione & excitatione opus habent. *Apostolorū munus.* *Pseudapostoli.*

Quoniam sicut abundant passiones Christi in nobis, ita per Christum abundat & consolatio

consolatio nostra.] Ne desponde as animũ quisquis audis afflictiones & mala, inquit, quanto enim exuberant hæc ipsa mala, tanto exuberant consolationes. Nõ simpliciter aũt dixit passiones siue afflictiones, sed Christi: ut & inde animũ Corinthijs addat. Christi enim, inquit, passiones sunt, quas hîc nos patimur, nosq; efficimur participes afflictionum ipsius. Maxima uerò sit hæc ipsa consolatio, quòd Christi afflictiones sustine as: imò uerò non illas solas, uerumetiam plures. abundant enim, inquit, passiones Christi in nos, hoc est, plures perferimus, quàm Christus pertulerit. Sentiens autem quale quantumq; dixerit, quamue sit arduum, rursus remittit ipsum: Sic, inquiens, per Christum exuberat & consolatio nostra. Vniuersum autem Christo acceptum refert. Nec dicit quòd consolatio afflictiones æquiparet, uerùm exuberat, & longè maior est ipsis afflictionibus.

Christi afflictiones pati mur.

Siue autem tribulamur, pro uestra consolatione ac salute.] Propterea, inquit, non oportet uos turbari ob meam afflictionem: nam pro uestra consolatione & salute affligimur. Potuissemus enim nos in tuto agere, si non prædicaremus Euangelium: nunc autem cum prædicamus, ut omnino uos saluos faciamus, consolemurq; animas uestras per prædicationem, & per inde nascentia bona, in tribulationes incidimus. Itaq; afflictiones sustinemus pro uestra salute. Proinde non est quòd in posterum turbemini.

Quæ efficitur in patientia earundem passionum, quas & nos patimur.] Efficitur, inquit, ipsa salus non tantum per nostram patientiam, sed etiam per uestram: hoc est, non mei solius opus est salus uestra, sed & uestri ipsorum. Vt enim ego prædicans uerbum affligor, sic & uos prędicationem suscipientes, eadem mala uel tribulationes sustinetis, quas & ego. Haud exiguę autem ipsorum uirtuti testimonium dicit, quòd cum tentationibus & afflictionibus prædicationem reciperent.

Et spes nostra firma est pro uobis.] Hoc est, firmiter de uobis confidimus quòd ob afflictiones, aduersum uos ingruentes, non immutabimini: multo igitur minus turbabimini ob ea quæ nos pati cernitis

Siue consolationem accipimus, pro uestri cõsolatione & salute.] Quia dixerat suprà, propter uos affligimur, ut ne uideatur graue quiddam dicere, ait iam, & propter uos consolationem accipimus, id est, nostra consolatio, uestra est refocillatio. Si enim patũ nos respiraverimus, satis hoc est ad consolationem uobis. communicatis enim nobiscũ in uoluptate, estisq; uoluptatis nostræ consortes.

Scientes quòd quemadmodũ estis participes afflictionum, sic & consolationis nostræ.] Quemadmodum, inquit, dum nos persecutionem patimur, uos doletis, tanquam istud uos ipsi pateremini: sic scimus, q; cum consolationem accipiamus, uos eam consolationem uestram esse ducitis, eiusq; uos esse participes existimatis.

Non enim uolumus uos ignorare fratres de tribulatione quæ nobis facta est in Asia: quoniam supra modũ grauati sumus, & supra uires, ita ut nos desperauerimus etiã de uita.] Quia indefinitè afflictionis meminerat, speciatim iam qualis fuerit explicat. Charitatem erga eos suam hoc modo indicat. Charitatis enim est, quæ utrinq; mutuò contingant, patefacere. Simul autem apologiam texit pro tarditate sua. In Asia autem obtigisse sibi afflictionem meminit, de qua & in prioribus literis locutus est: Ianua mihi aperta est ingens, aduersarijq; multi. Videtur autem bis idem dicere, cum ait supra modum, & supra uires, sed nõ ita est. Quod autem ait, est huiusmodi: Supra modum si ue per excessum erat tentatio, id est magna. Deinde postquam magna possit esse tentatio, & interim fortiter etiam baiulari à potenti quopiam, nedum magna erat, inquit, ue rumetiam uires nostras excedebat, hoc est, ingens erat, & planè intolerabilis, ac tanta, ita ut nos desperauerimus etiam de uita, hoc est, non expectaremus porrò uiuere. Talem autem tentationem Dauid portas inferni nominat, ac dolores parturientis, tanquã quæ mortem pariat, umbramq; mortis.

Amoris indicium.

1. Cor. 16.

Psal. 17. Tentatio intolerabilis, porta inferi

Sed ipsi in nobisipsis responsum mortis habuimus.] Iudicium, calculum, responsionem quam dabant res tantum non uocem edentes, hoc est, quatenus ad cogitationem nostram adstitit mortis expectatio, & responsum quod rerum natura edebat, ultrà autem non peruenit.

Vt non simus fidentes in nobis, sed in Deo.] Cur autem hoc factum est: ut discamus, inquit, confidere non in nobis ipsis, sed in solo Deo. Hoc autem dicit nõ tanquam ipse

Paulus

Paulus istud nunc dicere opus habeat, quis enim eo melius & plenius norat, quòd in
A solum Deum nos confidere oporteat? uerùm alios componens per hæc quæ de seipse
loquatur, simul etiam ut doceat nos non alta spirare. 1. Cor. 15.

Qui suscitat mortuos, qui ex tali tantaq; morte eripuit nos & eripit.] Rursus eos com
monefacit sermonis de resurrectione, de qua tot in præcedenti epistola dixit, stabiliens
eam & à præsentibus. Hinc etiam intulit, Qui ex tali nos morte liberauit. Non enim di
xit, è periculo, sed morte. Quia enim resurrectio res futura erat, & incerta, monstrat q;
in singulos id dies fiat. Cũ enim hominẽ qui ad portas usq; * mortis peruenerit, retra *ἅδου, id est
xerit Deus, nihil aliud quàm resurrectio iudicatur: unde & consueuimus de his dicere inferi, ha-
quòd mortuorum resurrectionem uiderint. bet codex
Basilien-
Sperauimus autem q; & adhuc eripiet.] Hinc discimus, q; militarem, adeoq; semper sis.
certamini obnoxiã oporteat esse uitam nostram. Quod enim ait, eripiet, multarum ten
tationum agmen prænunciat.

Adiuuantibus & uobis per orationem pro nobis.] Quia quod dixerat Paulus, ut ne
confidentes simus in nobis, communis quædam accusatio esse uidebatur, quæ quosdã
etiam illorum subnotaret: lenit iam dictum, & consolatur eos, & orationes eorum ma-
gni præsidij loco implorans. Docemur autem & hinc humili esse mente præditi, siqui-
dẽ Paulus Corinthiorũ precib. indigebat. Hinc etiã discimus ipsius orationis uim. Mul Eccles.
tum enim efficit precatio ecclesiæ, si fiat ut oportet, adeò ut & Paulus hac opus habeat. precum efficacia.

Vt ex multis personis pro dono in nos collato per multos gratiæ agantur pro nobis.]
Eripuit, inquit, nos Deus, & eripiet per uestras precationes, ut donum in me collatum
quod per multos, hoc est, gratia quæ mihi facta est per multos, hoc est, uobis pro me o-
rantibus, ex multis personis gratum fiat, nimirum uestris. Salutem enim meam per o-
rationes uestras factam, omnibus uobis donauit, ut multę personę ipsi gratias agãt pro
nobis. Docemur autem hinc, nõ modò ut alter pro altero intercedat apud Deum, uerũ
B etiam ut alter pro altero gratias agat. Obserua autem quomodo in exordio, per misera
tiones Dei se seruatum esse dixerit: nunc uerò eorum orationibus salutem & incolumi
tatem adscribat. Est enim operæprecium, ut cum diuina misericordia, nostra pariter ad
feramus. Atq; hic Paulus neq; totum beneficium Corinthijs tribuit, ne ipsos efferat su-
perbireue faciat: neq; omnino omnino eos priuauit hoc, ne segniores reddat. Eripiet
enim, inquit, Deus, uobis etiam cooperantibus & adiuuantibus, & precationem ue-
stram, hoc est, uestra etiam adferentibus.

Nam gloria nostra hęc est, testimonium conscientię nostræ.] Et hæc, inquit, occasio
est consolationis, Conscientia nostra testimonium nobis exhibens, quòd nõ tanquàm
prauis rebus capti agamur, & persecutionem patiamur, sed uirtutis, multorumq; salu-
tis causa. Prior itaq; consolatio ex Deo erat, hæc uerò ex conscientiæ meæ puritate, in- Conscientiæ
quit. Eam ob rem & gloriationem ipsam nominat, multam ostendens fiduciam quam puræ fidu-
habebat in pura conscientia. cia.

Quod in simplicitate & syncritate Dei.] Quid testatur, inquit, nobis conscientia, &
quur gloriamur? quoniam in simplicitate, hoc est, minimè praua sententia: & syncerita
te, hoc est puritate mentis, & candore fallaciæ experte, quæ nihil habet obscuratũ, aut
hulcerosum, qualem Deus recipit. Hæc autem dicit ob fallaces pseudapostolos.

Nõ in sapientia carnali.] Hoc est, in potentia & uirtute uerborum, ac nexu sophisma Carnalis sa-
tum. Hæc enim carnalis est sapientia, cuius causa cum ipsi efferrentur, eandem ipse ne pientia.
gat atq; repellit.

Sed in gratia Dei conuersati sumus in mundo.] Hoc est, in sapientia quę mihi per
ipsum est donata, & in signis & prodigijs, quæ gratia fuerũt Dei. Maxima aũt consola-
tio est, quẽpiam sibi conciũ esse quòd nõ humana uirtute, sed diuina hæc gratia faciat:
non apud Corinthios tantum, uerùm etiam in toto mundo.

Abundantius autem ad uos.] Quomodo? Quoniam cum signis, etiam citra sump-
tum, Euangelium eis prædicauit. Vide hic, quod ipsius opus officium & uirtus erat,
gratiæ Dei adscribit.

Non enim alia scribimus uobis, quàm quæ legitis, aut & agnoscitis.] Quia de seipso
magna usus est dicere, ne quis dicat hæc uerborum quempiam fastum spirare, adijcit,
Illa scribimus uobis, quæ legitis in literis hisce, agnoscitis autem & uos præuenientes.

Non enim aduersatur literis meis uestra cognitio, quam prius conceptam de me habe batis. Quidam uerò sic intellexerunt: quoniam illa scribimus uobis quæ legitis, hoc est quorũ memoria uobis renouatur. Lectio enim est suggestio, uel repetitio, uel superior quædam cognitio. Quid dicam, inquit? quorũ memoria uobis renouatur, cum agnoscatis nostri esse propria, neq; opus habere suggestione, eo quòd sint perspicua. A

Spero autem quòd ad finem usq; agnoscetis, quemadmodum agnouistis nos ex parte.] Totũ Deo acceptum refert. Spero autem, in Deũ uidelicet, q; tales nos agnoscetis, quales & epistolę nostrę indicant, ac præterita nostra uita spondet. Ex parte nanq; nos agnouistis, hoc est, experti estis, cum nos ex parte uobis demonstrauimus quædã uitæ præclaræ indicia. Mediocria autem spirans, & moderata hæc loquutus est.

Quia gloria uestra sumus, sicut & uos nostra, in die Domini Iesu.] Quid agnoscetis? &d gloria siue gloriatio uestra sum, hoc est, talis sum, ut dem uobis occasionẽ de me gloriandi, quoniã talem habetis doctorem, qui nihil uos humanum docuerit aut fictum, neq; fallax quicquã. Deinde ne uideatur arrogans, si de se magna sentiat, communem facit gloriationem, inquiens: Vos etiam mea eritis gloriatio. Gloriabor enim quòd huiusmodi nactus sim discipulos, qui neq; concutiantur neq; decipiantur à pseudapostolis. Quando uerò inter nos mutuò gloriabimur? Et nunc quidem, sed potissimum in die illa. Hodie namq; haud pauci conuicia & opprobria quæ sustinemus nos, uident, ac fortasse calumniantur nos. Tum uerò ubi cuncta reuelata fuerint, uidebor & ego, adeoq; palàm fiet omnibus quòd non sim talis, qualem pseudapostoli calumniantur. Vos autem gloriatio nostra eritis, quòd non tales uos gesseritis, ut impostoribus accederetis.

Gloriari quando nobis licebit.

Et hac fiducia uolui prius uenire ad uos.] Quali quæso fiducia? quòd nihil mihi mali conscius sim, quòd gloriatio uestra sim, quòd in carnali sapientia non sim uersatus, sed in gratia Dei, quodq; uos horum omnium testes habeam. Propter hæc igitur (inquit) uolui uenire ad uos. B

Vt secundam gratiam haberetis.] Hoc est, duplex gaudium, tum id quod contigit per priorem epistolam, tum illud quod accepturi estis per aduentum meum.

1. Cor. 16. Ac per uos transire in Macedoniam.] Atqui in priore epistola dixerat, Veniam ad uos ubi Macedoniam transiero: hîc uerò ait, Volui prius uenire ad uos. Quid igitur? secum ipse pugnat? Haudquaquam. Non enim dixit, Scripsi, per uos me abiturum in Macedoniam, sed uolui. Etiamsi enim non sic scripsi, inquit, studebam tamen & uolebam uenire ad uos priusquam Macedoniam inuiserem: tantum abest ut ex socordia intermiserim quo minus ad uos uenirem, ac non starem promissione, ita ut & preuenire illam ipsam uoluerim.

Et iterum à Macedonia uenire ad uos, & à uobis deduci in Iudæam.] In priore epistola indefinitè dixit, ut uos me deducatis quocunq; iero, ueritus ne si dixisset in Iudæam, & à spiritu aliò coactus fuisset proficisci, mendax esse uideretur. Iam nunc uerò, quia ad eos proficisci non contigit, confidens dicit in posterum, quoniam in Iudæam uolui à uobis deduci. At Deo uisum est ut neq; omnino ad uos uenirẽ, neq; à uobis in Iudæam deducerer. Audi igitur quæ sequuntur.

Cumergo hoc uoluissem, nunquid leuitate usus sum? Aut quæ cogito, secundum carnem cogito, ut sit apud me, næ, næ, & non, non?] Hîc clarius rationem reddit tarditatis suæ, inquiens: Cum ad uos uenire decreuissem, cuius causa non uenit? Nónne igitur ceu leuis & inconstans sim, qui aliàs alia sentiat? Nequaquam. Num igitur secundum carnem, id est, humano more delibero, & propria uoluntate gubernor, ut quod constituero apud me, ipsum idem & impleam, siue sit næ, siue sit non? Haud sic isthuc habet. Sed spiritu agor, nec mihi copia est facta, ut quò uelim proficiscar, sed quò ille iniunxerit. Itaq; sæpenumero apud me næ, non est næ: propterea quòd non etiam spiritui hoc placeat. Sic haud rarò accidit, ut neq; non apud me sit non, quandoquidem id quod ego renuo, spiritus iubet. Obserua autem sapientiam apostoli, quomodo quod calumniatores occasionem conuicij faciebant, quia non uenisset, cũ promisisset tamen, hoc ipse encomij loco ponit, quod sui potestatem non habeat, cæterùm quòd à spiritu agatur quorsum is uoluerit. Quid uerò? illa quæ promittebat, an non spiritus operatione promittebat? sed ignorabat quid futurum non esset? Ignorabat. Non enim omnia norat.

Paulus spiritu agitur.

A ne itaq; & orabat quæ inutilia erant, ut cum de stimulo à se auferendo oraret. In Actis etiam inuenitur quòd uoluerit aliò abire, sed à spiritu sit prohibitus. Id uerò commodè faciebat Deus, ne homines illis ut diis essent intenti, id quod Lycaonibus accidit. 2. Cor. 12. Act. 16. Act. 14.

Fidelis autem Deus, quia sermo noster qui fuit apud uos, non fuit est & non.] Obiectionem emergentem diluit. Verisimile est enim dicturum quempiam fuisse, si quæ dicis, non sunt firma, ac sæpe dicis nę, & inuenitur non: metuimus ne quo modo & sermo tuus & prædicatio talis sit, nempe næ & non, hoc est, inconstãs & instabilis. Hanc igitur dissoluens, quòd promiseram, inquit, uenire ad uos, meum erat, unde & à proposito decidi. Prædicatio autem Dei est, & quæ Dei sunt, fallere non possunt: propterea etiam, inquit, fidelis Deus, hoc est, uerus. Proinde quia uerus est, nec; uerbum ipsius erga uos, quod nos prædicauimus, inconstans & instabile erit, ut aliàs quidem sit, est, aliàs uerò non.

Dei enim filius Iesus Christus, qui in uobis est per nos prædicatus, per me & Syluanum & Timotheum, non fuit næ & non, sed næ in eo fuit.] Deinceps dicit qualis sermo non fuerit næ & non. Qui in uobis prædicatus est, non fuit næ & non, hoc est, nõ hoc quidem nunc prædicabatur, nũc uerò aliud: uerùm næ fuit, hoc est, firmiter & inconcusse prædicatus est sermo. Recenset autem & multitudinem eorum qui prædicauerunt, testimonium fide dignum faciens: ac demissam habere mentem docens, cum suos discipulos condoctores faciat.

Quotquot enim sunt promissiones Dei, in ipso sunt næ, & in ipso Amẽ, Deo ad gloriam per nos.] In prædicatione multa sunt quæ promittuntur, resurrectio mortuorum, filiorum adoptio, ac simpliciter spes futuri seculi. Ait ergo quòd non solùm uerbi ministerium adeoq; prædicatio similiter habeat, ac firmiter prædicata sit, uerum etiam quæ in ipsa sunt promissiones. Dei enim sunt. Porrò quæcunq; promisit Deus, in ipso nę si ue etiam, & Amen habent, id est robur & stabilitatem. Non enim in homine quopiam B complentur, sed in ipso Deo. stabiles itaq; sunt. Quinetiam ad gloriam eius faciunt. Etiamsi enim ob nihil aliud prorsus, ob suam tamen ipsius gloriam Deus promissiones suas complebit. Quomodo uerò cõplebit has: per nos, hoc est, per beneficia quę in nos ille confert. Nos enim ipsi sumus occasio ut cõpleat promissa, qui promissa accipimus. Quòd si promissiones Dei firmæ sunt, multo magis ipse & qui de ipso est sermo, erit firmus. Vel id quod ait, per nos, aliter est accipiendum, hoc est, ad gloriam Dei, quæ per nos ipsi est oblata. per nos enim celebrior & glorioſior redditur. *Promissa Dei rata sunt.*

Qui autem confirmat nos uobiscum in Christum, & qui unxit nos, Deus est, qui & signauit nos, & dedit pignus spiritus in cordibus nostris.] Suprà dixit quòd Deus impleat promissiones, iam confirmat hoc, Quòd uos, inquiens, & ego doctor uester, firmiter stemus in fide erga Christum, ipse dedit, qui & unxit nos & signauit: hoc est, prophetas, sacerdotes, & reges nos fecit. Talis enim est, quisquis baptizatus est, nempe propheta: quippe qui uiderit quę oculus nõ uidit, nec auris audiuit. Sacerdos etiã, ut qui debeat seipsum offerre hostiã uiuentem, sanctam, beneplacentem Deo. Tum rex, ut Dei summi regis & imperatoris filius factus, futuriq; regni hæres, & qui nunc regnet domineturq; in omnes absurdas cogitationes, constitutusq; sit supra uniuersum mundum. Perinde igitur ut apud priscos sacerdotes & reges inungebantur oleo, sic hodieq; nos spiritu inuncti sumus, dante Deo arrhabonem spiritus in cordibus nostris. Quòd si arrhabonem dedit, totum omnino etiam dabit. Arrhabonem autem appellat quæ nunc dantur charismata spiritus. Ex parte enim cognoscimus, & ex parte prophetamus: tum uerò perfecta erit commutatio, quando manifestabitur Christus in gloria sua. Ne igit arbitremini nos esse qui polliceamur, deinceps forsan mendaces inueniendi. Minimè enim gentium nos sumus qui fulcimus uos: uerùm Deus est, qui & promittit, & firmat cùm me, tũ uos. ipsi enim curæ est ut omnia repleat. Subaudire enim te oportet, quòd hæc & illa Deus faciens, ipse etiam complet proprias promissiones. *Christiani hominis dignitas.* 1. Cor. 2. Rom. 12. *Reges oleo inungebantur.* Rom. 8.

Ego autem testem Deum inuoco in animam meam, quòd parcens uobis, nondum uenerim Corinthum.] Atqui suprà dixit, non ueni propterea quòd non habuerim meipsius potestatem, sed à spiritu sim prohibitus. Qui igitur nunc ait, ut parcerem uobis, non ueni: Vel hoc ipsum spiritus ipsius erat. Spiritus enim ei suggessit ne ueniret, proponens nimirum & consulens, quò eis parcat. Vel quia spiritus primùm inhibue-

rit, pòst uerò & ipse secum reputauerit sic melius esse, ideoq; manserit. Sapientiam hic ipsius animaduerte. Cum enim illi dicerent, Propterea non uenisti, quòd, ut uidetur, oderis nos: ipse diuersum adducit, Eam ob causam non ueni ad uos, quòd uobis parcerem: Hoc autem refert, quia nonnulli apud eos fuerint peccantes, qui tamen in melius animi sui sententiam non permutassent: quos inuasissel, si inuenisset eos non pœnitentes. Expectauit igitur tãtisper dum correxerint mores suos, ac tum ueniat, nec puniendi occasionem inueniat. A

Non quòd dominemur fidei uestræ, sed adiutores sumus gaudij uestri.] Quia uidebatur maioris grauitatis & autoritatis quod dixerat (illis enim quispiam parcit, in quos puniendi ius habet, ut qui sit dominus eorum) asperitatem iam orationis curat & mitigat, Non dixi, inquiens, me uobis parcere, eo quòd sit mihi ius in fidem uestram. Liberæ namq; uoluntatis fides est, neq; quisquam cogit nolentem credere: uerumenimuero quia uestra lætitia mea est, non ueni, ne conijciam uos in mœrorem, ac simul uobiscum mœream. Omnia enim facio pro gaudio uestro, eamq; ob causam aduentum meum distuli, ut ad solas has minas uos ad meliorem statum translatos inueniens, uos mœroris expertes conseruem.

Fides libera est.

Fide nanq; statis.] Demissa nunc oratione ipsis loquitur, quandoquidem non parũ eos percusserit in priore epistola. Quod autem ait, est huiusmodi: In his quæ ad fidem attinent, statis, non potui igitur quicquam hoc nomine de uobis conqueri. In alijs uerò concussi eratis, & uacillabatis, quæ qui non emendassent, à me fuissent notati: unde & ipsi meritò contristati fuissent, quandoquidem & ipse contristatus essem.

CAPVT II.

STatui autem hoc apud meipsum, ne iterũ in tristitia uenirem ad uos: Quia iterũ ait, indicat se antehac quoq; mœrore affectum fuisse, nec tamen aperte dixit, Aliàs etiam mœrore affecistis me: sed aliter, Ea de re non ueni ad uos, ne iterum uos cõtristem, quod eandem quidem sententiam habet. Ideo enim & eos mœrore affecit obiurgationibus, quandoquidem & ipsum contristauerant delictis. Attamen non peræque ferit. B

Si enim ego uos contristo, ecquis est qui me lætificet, nisi qui ex me contristatur?] Et si contristem uos, cum uos increpo, & auersor, ex hoc tamen exhilaror, quia uideo me plurimi apud uos fieri, adeò ut mordeat uos, siquando uos auerser uel obiurgem. Nemo enim, inquit, me exhilarat adeò, ut is qui contristatur, quum conspiciat me ira percitum. indicat enim quòd non contemnat me. Vnde cum melioris uitæ spem præbeat, exhilarat me.

Et scripsi uobis hoc ipsum.] Quale? quòd parcens uobis non ueni. Vbi autem scripsi? In hac ipsa epistola.

Vt ne cum uenero tristitiam habeã propter quos oportebat me gaudere.] Eã, inquit, ob causam scripsi uobis, ut corrigamini in melius, ne impœnitentibus, ac non emendatis assistens, mœrore afficiar, ppter uos, quos oportebat lętitiæ ansam mihi prębere.

Confidens de omnibus uobis, quòd gaudium meum, omnium uestrũm est.] Scripsi, inquit, cõfidens quòd emendaturi sitis uos, atq; ita me gaudio affecturi. Meum autem gaudium, omnium uestri est. Ea de causa dixi, ut contrister, non meum, sed uestrum potius commodũ spectans. Noui enim quòd si conspexeritis me lętantẽ, lætemini & uos: sin dolentem, & uos doleatis.

Nam ex multa afflictione & anxietate cordis scripsi uobis per multas lachrymas.] Postq; suprà dixerat, Qui contristatur, exhilarat me: ne dicant, Eò niteris in mœrorem conijcere nos, ut ipse exhilareris? subdit: Vehemẽter etiam mihi dolet, plus q; uobis peccantibus. Non enim simpliciter ex afflictione, sed ex multa: neq; per lachrymas simpliciter, sed per multas, & ex anxietate cordis scripsi, hoc est, suffocauit cor meum ipsa tristitia, constringens & angustum reddens, ac propterea scripsi. Quemadmodũ si quis pater medicus secans aut inurens filium suum, duplici nomine angitur, & q; ægrotat filius, & q; adigatur ipse admouere manũ & secare: altera autem ratione exhilaratur, spe nimirum sanitatis, recuperandæq; salutis: hunc ad modum & ego uos delinquẽtes in mœrorem conijciens, ipse mœreo: alia uerò ratione nihil exhilaror, uobis mœrentibus propter spem emendationis uestræ.

Cõparatio pulchra.

Non ut contristemini, sed ut charitatem cognoscatis quam habeo abundantius erga uos.]

nos.] Consequens erat dicere, non ut contristemini, uerùm ut emendemini: atqui non dicit hoc. Edulcat autem sermonem, cupiens eos attrahere, indicando q̃ eos præ cæteris suis discipulis dilectione maiore complectatur: & quòd contristet eos, ex dilectione contristet, non ex iracundia. Maximæ enim charitatis symbolum est, me ob delicta uestra mœrore affici, ac festinare ut uos increpem, & uos inde contristem. Nisi enim uos diligerem, relinquerem uos inemendatos & incuratos.

Si in quispiam contristauit, non me contristauit, sed ex parte, ut non onerem omnes uos.] Vult per hæc horum charitatem in fornicatorem confirmari, de quo in priore epistola scripserat. Omnes enim ipsum ceu execrabilem auersati erant, idq̃ apostoli iussu. Ne igitur rursus contraria iussi, nempe ut recipiant ipsum, ei cõdonent, scandalum patiantur Pauli nomine, tanquam inconstantis & mutabilis, prudentissimè argumentatur, eosq̃ participes facit huius condonationis, Quemadmodum, inquiens, communiter nos mœrore affecit, sic & communiter exhilaremini in condonatione eius. Non enim me solum mœrore affecit, sed omnes uos ex parte: hoc est, parum quiddam contristauit, ut ne dicam quòd omnino uos contristauerit, ut ne ipsum grauem: quandoquidem reuera uos perinde contristarit ac me, attamen ne aggrauem eum qui fornicatus est, ex parte dico uos contristatos fuisse.

Sufficit illi qui eiusmodi est obiurgatio hæc quæ fit à plurib⁹.] Non dixit, ei qui fornicatus est, sed qui talis est, perinde ac in priori quoq̃ epistola: sed illic ne nominare ipsum quidem uolens, hîc uerò parcens ei, nusquam peccati mentionem facit, erudiens nos, ut contritis compatientiores simus.

Ita ut è diuerso, potius uos ei cõdonetis, & consolemini.] Nedum, inquit, remoueatis increpationem, cæterùm mitius etiam cum eo agatis, & cõdonetis, & adhortemini ipsum, hoc est, recreetis & curetis ipsum: quemadmodum si quis flagris quempiam cædens, non solum non dimittat, uerum etiam plagas & uulnera curare adhortetur. Pulchrè aũt dixit, Condonate. Vt enim ille non existimet sibi remissam noxam, quia satis confessus sit, & sufficienter pœnitentia ductus, ostendit q̃ non tantum ex pœnitentia sua quantum ex illorum gratia & donatione dimissionem recipiat.

Ne quo modo abundantiori tristitia absorbeatur qui huiusmodi est.] Operæpreciũ est, inquit, ut ipsum denuò assumatis, cõsolemini & curetis, ne absorbeatur uelut à bellua quadam, uel à tempestate & procella tristitiæ, uel ad strangulationẽ etiã perueniat, ueluti Iudas ex desperatione, uel resiliat, utputa nõ ferens ex immoderata obiurgatione dolorem, & ad maiorem malitiam præcipitetur. Animaduerte hîc quomodo istum in officio contineat, ne post dimissionem segnior fiat. Non enim suscepi te, quòd perfectè sordes elueris, sed ne quid grauius patiaris ob infirmitatem tuam. Animaduerte porrò quòd non ad naturam peccatorum, cæterùm ad affectionem peccantium, increpationes sint moderandæ.

Peccatores consolandi. Matth. 17.

Increpationum modus.

Propter quod obsecro uos ut confirmetis in illum charitatem.] Non iam ueluti doctor ac præceptor imperat, sed ueluti patrocinans iudices precatur cõfirmare, hoc est, facere dilectionem, nec simpliciter aut uulgariter ipsum assumere. Indicat autem eorũ etiam uirtutem. Nam qui antea sic amarant hominem, ut ei applauderent nunc, usq̃ adeò ipsum auersabantur peccati istius causa, ut & Paulus pro eo intercederet.

Ideo enim scripsi uobis, ut cognoscam experimentum uestrum, num ad omnia obedientes sitis.] Perterrefacit eos, ut metuentes iudicium inobedientiæ, facilè condonent homini. Ea nanq̃ de causa, inquit, scripsi, ut cognoscerem probationem uestri, hoc est, obedientię uirtutem, si quemadmodũ audiuistis me ut eum increparetis, sic mihi nunc obediatis, ut eum adhortemini consoleminiq̃. Id enim ualet quod ait, Num ad omnia obedientes sitis. Atqui non propterea scripsit, sed ob illius salutem: attamen ubi nihil leditur, simul illis amicum sese exhibet.

Cui autem quicquam donatis, & ego.] Mollit per hæc caput exertantem contentionem ipsorum, & instantiã, qua uidebantur non esse cõcessuri homini. Ecce illos enim principes gratiæ, adeoq̃ primo loco, se uerò comitem ac secundo loco ponit: Cui, inquiens, donatis uos, & ego condono.

Nã & ego, si quid donaui, cui donaui, propter uos in persona Christi.] Vt ne existiment se esse dominos dimittendi, & non, ac propterea negligant hominem absoluere,

Universidad de Deusto
Biblioteca

indicat eis q̃ iam ipse tali donauerit, ut nõ possint sese porrò ipsi opponere. Ne autem uulnerentur ceu cõtempti, propter uos, inquit, remisi ei. noram enim q̃ hoc uobis gratum sit futurum. Deinde ne uideatur propter homines concessisse uel dimisisse ei pœnam, adiecit, in persona Christi, hoc est, secundum Deum, & coram Christo, & tanquã illo hoc iubente, ac ueluti eius uicem gerens, dimisi. Quòd si iam in gloriam Christi cedit dimissio, quomodo non esset hunc ignoscendum, ut glorificetur Christus? A

Vt ne circumueniamur à satana: non enim ignoramus ipsius cogitationes.] Ne, inquit, fiat cõmune damnum, imminuaturq̃ gregis Christi numerus. Eleganter aũt rem ipsam πλεονεξίαν, id est, circumuentionẽ siue usurpationem nominauit, non enim ad se pertinentia satanas accipit, uerũ & nostra rapit: ac maximè per methodum nostrã, id est per cogitationẽ immoderatã, & nimium seuerã. Propterea & diaboli cogitationes uocauit malitiam eius & impostu ram, & quomodo in pietatis specie perdat: nõ solum enim per fornicationem supplantat, uerumetiam per immodicũ mœrorem. Quomodo igitur non est circumuentio, cum etiam per nostra nos capiat?

Mœror immodicus etiam hominẽ perdit.

Porrò cum uenissem Troadem in Euangelium Christi, & ostium mihi apertum esset in Domino, non habui requiẽ spiritui meo, eo quòd nõ inuenerim Titum fratrem meum.] Suprà cõmemorauit q̃ afflictionem habuerit in Asia, monstrauitq̃ quomodo liberatus sit ab ea: iam nunc rursus docet q̃ & aliter afflictus fuerit, q̃ non inuenerit Titum. Cum enim non adfuerit qui animũ addit, grauior est tentatio. Quare quid me tarditatis accusatis, qui in tot tantasq̃ calamitates inciderim, & necessitates, quæ nõ iubent nos pro nostro arbitratu proficisci? Non simpliciter autem dicit, profectus sum Troadem, uerùm ad Euangelium, hoc est, ut prædicarem. Ecquî igitur non prædicasti, maximè cum ianua patefacta fuerit? Prædicaui quidem, sed non multum, postquam non reperi Titum, nõ habui enim quietẽ, hoc est, affligebar, propter ipsius absentiã imbecillior reddebar. Ideó ne igitur intermisisti opus Dei? non propterea, sed quia impediebatur opus illo absente. Nam ego prorsus prædicare cupiebam, enimuero Titi absentia impedimento fuit: magna enim cooperabatur præsens. B

Verùm illis ualere iussis, profectus sum in Macedoniam.] Hoc est, nõ multum temporis illic triui, afflictus nimirum atq̃ pressus. Ostium enim ingens apertũ erat, id est, multum operis restabat, uerùm propter cooperatoris absentiam impediebatur.

Deo autem gratia, qui semper triumphat nos in Christo.] Quia multos commemorauerat mœrores, multaq̃ tristia quæ in Asia, quæ in Troade pertulerat, quibus etiam præpeditus ad eos non accesserat, ne uideatur ista lugens denumerare, inquit: Gratias ago Deo, qui semper triũphat nos, hoc est, conspicuos facit & ostendit. Triumphus enim dicitur cum uictoria & trophæis per mediam urbem progressio atq̃ trãsitus regis uel imperatoris cuiuspiã. Et nos igitur cum de diabolo trophæis Deus conspicuos reddit. Quæ enim uidentur esse contumeliæ, sunt gloria nostra: tum enim corruit diabolus. In Christo autem eadem fiunt, hoc est, propter Christum, & uerbi prædicationem. Vel quòd in Christo triumphamur, hoc est glorificamur. Christum ueluti trophæum gestantes, nos quoq̃ in ipsius splendore glorificamur.

Triumphus.

Et odorem notitiæ suæ manifestat per nos in omni loco.] Vnguentum, inquit, pretiosum est cognitio Dei, quam nos cunctis hominibus manifestamus; imò potius non ipsum aroma uel unguentum, sed fragrantiam siue odorem ipsius. Etenim præsens cognitio nõ est admodũ perspicua, sed per speculũ & in ænigmate. Perinde igitur ut qui fragrantiã olfacit, unguentũ alicubi esse positũ nouit, cuiusmodi aũt sit naturę aut essentię, nõ item: sic & nos, q̃ Deus sit, nemo non nouit: quis uerò sit quo ad substantiã, non item. Veluti igitur thuribulũ siue suffumigatoriũ sumus regale, & quòcũq̃ abierimus, odorẽ spiritualis unguenti circumferimus, cognitionis uidelicet Dei. Cũ igit̃ paulo antè dixisset, q̃ semper triumphamur, nũc inquit, in omni loco homines bono suffitu adflamus. Omnis enim locus & tempus nostris institutionibus repletus est. Itaq̃ strenuè oportet ferre: si quidẽ & nunc usqueadeò glorificemur priusq̃ futuris bonis potiamur.

Dei cognitio, unguentum precio sum.

Quia Christi bonus odor sumus Deo, in ijs qui salui fiunt, & in ijs qui pereũt.] Vel hoc dicit, q̃ nos ipsos hostiam offerimus, morientes propter Christum: uel q̃ ad Christi uictimã & mactationem ueluti quidam suffitus & nos incendamur. Quod uerò ait, est huiusmodi: Siue seruentur quidam, siue pereant, Euangelium propriam uirtutem retinere

retinere perseuerat, nosq; perseueramus illud esse quod sumus. Ac quemadmodum lumen etiamsi caligine perfundat eos qui debilioris uisus sunt, lumen tamen est: nec quoq; etiamsi febricitantibus & ijs qui deprauato sunt gustu amarũ fuerit, dulce tamen est: hunc ad modum Euangelium boni odoris est, etsi increduli quidam pereunt. Et nos bona fragrantia sumus: non simpliciter autem, sed Deo. Quando uerò ille iudicauerit istiusmodi, quis est qui contradicat?

Alijs quidem odor mortis ad mortem, alijs uerò odor uitæ ad uitam.] Quia dixerat nos bonã esse fragrantiã pereuntibus, ne arbitreris illos quoq; Deo acceptabiles esse, subintulit hæc: Odorem, inquiens, hunc alij quidem recipiunt ut seruentur, alij ut pereant. Perinde ac sues & cantharos unguentum suffocare dicitur, sic & Christus, petra scandali, & in ruinam positus est. Tum ignis aurum illuminat, clariusq; reddit, spinas uerò urit & absumit. 1. Pet. 2. *Christus pẽtra scãdali.*

Et ad hęc quis idoneus?] Quia magna dixerat, nimirũ, bonus odor sumus, & triumphamur, rursus ad moderatam humiliterq; de se sentientem mentem redit. Ad hæc, inquiens, nostra imbecillitas non esset satis, nisi Dei esset potentia. Illius enim totum hoc est quod agimus, nihilq; nostrum est.

Non enim sumus ut multi, cauponantes uerbum Dei.] Mendaces & uanos apostolos hîc notat, qui Dei gratiam suum esse opus affirmabant. Propterea, inquit, dixi, quis est idoneus? ac Deo totum retuli acceptũ, quòd non sum sicut pseudapostoli, cauponans & adulterans uerbum Dei. Innuit autem, quòd ipsi Euangelij etiam doctrinã deprauẽt humanæ sapientiæ ratiocinationibus, ac pecunia diuendere conentur, quod gratis impertiendum erat. Verùm nos non sumus huiusmodi. Infert igitur

Sed tanquã ex synceritate, sed tanquam ex Deo, ante cõspectum Dei in Christo loquimur.] Hoc est, ex pura minimeq; fallaci mente, ac ueluti ex Deo habẽtes ea quę loquimur, & non ueluti per nos ipsi quicquam transigamus, tum in Christo: non per nostram sapientiam, uerùm illius sapientia imbuti & instituti. Ante conspectum autem Dei dixit, ut cordis sui rectitudinem & libertatem ostendat. Adeò enim cor nostrũ purum est, ut & Deo ipsum indicemus.

CAPVT III.

INcipimus iterũ nosmetipsos cõmendare.] Quandoquidẽ de seipso locutus erat ardua, fors quispiam dicere poterat, Quid adeò ô Paule te effers, huiusmodi de teipso proloquens? hanc igitur obiectionem per sequentia diluit.

Num egemus ut nonnulli cõmendatitijs literis ad uos, aut ex uobis cõmendatitijs?] Hoc cum grauitate & acerbitate loquitur, sermonem suum asperiorem reddens. Pseudapostolos autem tectè carpit, qui cum proprijs suis operibus non possent inclarescere, commendatitias fingentes epistolas, ad quoscunq; uellet perferebant, quibus ita commendabantur & innotescebant. Quod igitur cum acerbitate dicit, est huiusmodi: Num igitur dicat aliquis quòd oporteat nos epistolas commendatitias adferre ad uos, ut per ipsas uobis manifestemur, aut rursum ex uobis ad alios. Deinde ex affectu appositè subdit. *Pseudapostoli.*

Epistola nostra uos estis scripta in cordibus nostris, quæ cognoscitur & legitur ab omnibus hominibus.] Quod fecissent, inquit, literæ commendantes nos, & honestos uenerabilesq; reddentes, hoc ipsum uos facitis, dum alij uos uident, & de uobis audiunt. Nam quòcunq; profecti fuerimus, uos circumferimus, cordiq; nostro inscriptos gestamus, omnibus denunciantes uirtutem uestram. Proinde cum uos habeam epistolam me alijs commendantem, non indigeo aliorum epistolis ad uos, per quas innotescam ignorantibus me. Porrò cum uos in mente mea sitis, non opus habeo ut quidam alij me uobis prædicent. Ad ignotos enim commendatitijs literis opus est, non ad cognitos. Vos autem ita menti meæ inscripti estis, ut excidere nõ possitis. Hîc autem testimonium dicit non solum eorum dilectioni, uerumetiam uirtute conspicuis operibus, ut qui sufficientes fuerint cunctis mortalibus præceptoris sui dignitatem cõmonstrare. Discipulorum nanq; uirtus, præceptorem ornat. *Discipuli uirtus præceptorẽ ornat.*

*Manifestati quòd estis epistola Christi.] Qua isthuc ratione? Quòd lex Christi & mandata eius, literarum instar apud uos maneant & custodiantur.

Ministrata à nobis, inscripta non atramento, sed spiritu Dei uiuentis: non tabulis lapideis,

*φανερούμενοι, id est, dum manifestatis, uel dum manifestamini. Est enim uerbum medium.

lapideis, sed tabulis cordis carneis.] Occasione apprehensa comparandi legem cum Euangelio, orditur hinc inquiens: Quemadmodū Moses minister fuit legis, sic & nos uestræ in uerbū fidei ministri extitimus. Et perinde ut is tabulas lapideas incidit, sic & nos uestra corda. Lex porrò atramento scribebatur, Euangeliū autem in uobis per spiritum scriptum est. Quanto igitur interuallo spiritus ab atramento distat & cor à lapide, tanto & nouū Testamentum à lege discrepat. Quod uerò ait in tabulis * cordis carneis, sic lege per hyperbaton: In tabulis carneis. deinde adijce quod per medium impositū est, hoc est, cordibus. Aut postquam corda sint etiā lapidea, induratorū nimirum, eam ob rem credentium corda carnea esse dixit, quippe quæ sint capacia uerbi.

A

Exod. 31. & 34.

Legis & euangelij differentia.

* Theophylactus non κεραδίαις, id est, cordis, sed κεραρδίοις, id est, cordib. legisse uidetur: ut sit, in tabulis carneis, nempe cordib. per appositionem.

Fiduciam autem habemus talem per Christum ad Deum, non quòd sufficientes simus cogitare aliquid à nobis quasi ex nobis ipsis.] Quia commonstrauit nouum Testamentum uetere esse maius, cōsequens autem erat ratiocinari quòd & uos deinceps Apostoli noui Testamenti ministri maiores estis Mose, qui ueteri Testamento inseruit. Id autem arrogans esse uidebatur: Nihil, inquit, nostrum, sed fiducia nostra, id est, gloriatio nostra, per Christū est ad Deum. Christus enim est in causa nobis cur in Deo gloriemur, nihilq; planè nostrum est, ne minimū quidem. Hoc enim indicat, cum ait, Non sumus sufficientes cogitare aliquid ueluti ex nobis ipsis.

Sed sufficiētia nostra ex Deo est, qui & nos idoneos fecit ministros noui Testamenti.] Potentia, inquit, nostra ex Deo est: ipse nanq; idoneos aut sufficiētes nos reddidit, hoc est, roborauit potentiam nobis suam inseuit, idoneos fecit ministros magnæ ac diuinæ illius rei, noui Testamenti.

Rom. 7. Lex spiritualis.

Non literę, sed spiritus.] Lex quidem spiritualis est, hoc est, à spiritu data: nec tamen spiritum suppeditabat, ut nouum. Hoc igitur dicit, nobis non sunt creditæ literæ, sicut Moysi, sed spiritus suppeditatio. Etenim nō tantum spiritualia & diuina docebant Apostoli, uerumetiam manum imponentes, spiritum dabant.

Litera enim occidit, spiritus autem uiuificat.] Lex si acceperit quempiam peccantē, etiam in eo quod minimum uideretur, ueluti si quis in sabbato ligna collegisset, eum tollit è medio. Spiritus autem sanctus eos qui innumera flagitia cōmiserunt, suscipiens in lauacro baptismatis, iustificat: mortuosq; peccato, uiuificat. B

Num. 15. Legis seueritas.

Quod si ministratio mortis literis deformata in lapidibus, fuit in gloria.] Cum suprà docuisset discrimen noui à uetere Testamento, q; illud quidem atramento, hoc uerò spiritu scribitur: & illud quidem in lapides, hoc uerò in corda scribatur: tum q; illud occidat, hoc uerò uiuificet: nunc ostendere uult, q; & gloria Euangelij maior sit. Quia uerò lex externam gloriam habuit, quæ ex Mosis renidebat persona & facie, nouum uerò testamentum spirituali, siue intellectuali gloria refulsit, quam nemo corporis oculis uel sensibiliter uidet: à ratiocinatione igitur excellentiam Euangelicæ gloriæ ostendit, inquiens: Lex ministra erat mortis. Non dixit autem factrix mortis, ut ne det locū hæreticis, sed adiutrix. Peccatum nanq; mortem faciebat, lex autem pœnam inducit ac statuit. Præterea literæ tantùm aut elementa, lex fuit, non auxilium præstans certantibus, quod sit in baptismate, sed & supplicia indelebilia subindicans. Lapidibus enim impressum fuit hoc mortis ministerium. Si igitur lex, cum huiusmodi sit, in gloriam cessit, quanto potius gratia quæ incomparabiliter excellit?

Exod. 14.

Ita ut non possent defigere oculos filij Israelis in faciem Moysi propter gloriam uultus eius quę aboletur.] Clanculum Iudæos accusat. Adeò nanq; rudes, inquit, fuerunt, ut neq; sensibilem gloriam intueri possent. Non dixit autem q; lex & tabulę habuerint gloriam, sed faciem Moysi. Moses enim celebris erat, nō tabulæ legis. Quinetiā ipsam Mosis gloriam tollit, abolitam illam dicens, hoc est, quiescentem. Vide autem quomodo non dixerit prauam, sed finem accipientem & cessantem.

Quomodo non magis ministratio spiritus erit in gloria? Cum legem dixisset ministerium mortis, consequens erat dicere, Euangelium esse ministerium uitæ: at quod maius est dixit, nimirum spiritus. Nouum nanq; testamentum suppeditandi facultatē habet, non uitam modò: at quod maius est, spiritum quoq; ipsum, qui uitam suppeditat. Multo igitur celebrius erit lege.

Noui testamenti præstantia præ lege.

Nam si ministratio damnationis est gloria, multo magis abundat ministeriū iustitię in gloria.] Rursus eandē sententiā circumuertit, adeoq; profert. Interpretans aūt quō dixerit,

A dixerit, Litera occidit, legem ait esse ministerium condemnationis, * & punitricem peccati, non factricem. Ministerium uerò iustitiæ, Euangelium, quod non solùm à pœna & supplicio liberat, uerùm iustificat etiam peccatores. Multo igitur magis Euangelium in gloria erit.

* Pro non, uidetur legendum esse, &, ex Chrysost. et ueteri interprete, et ex hoc ipso in glossa tertia præcedēte, ubi dicit, Lex non est factrix mortis, sed pœnam inducit, &c.

Etenim neq; glorificatum est quod glorificatum est, in hac parte, propter excellentem gloriam.] Quid cōfero, inquit, uetus & nouum testamentum inter sese? Tanta est enim noui excellentia, ut in hac parte, id est in comparatione, ne gloriā quidem habere putetur quod glorificatum est, uetus nimirum testamentum, propter supereminentem noui gloriam. Nam lex glorificata per seipsam: propter excellentiam tamen gloriæ Euangelij, in gloria uidetur. Animaduerte autem quòd & in hoc commodet uetus Testamentum, comparationes enim fiunt inter cognata.

Si enim quod aboletur, per gloriā fuit: multo magis quod manet, in gloria erit.] Aliam rationem adijcit: Si enim abolenda abrogandaq; lex, per gloriam data est, multo magis in gloria erit stabile ac semper duraturum nouum Testamentum.

Habentes igitur talem spem, multa fiducia utimur.] Quia ingentem quandam gloriam nouo attribuit, qui uerò isthuc audiuerant, desiderabant fortasse externā sensuq; comprehensibilem gloriā uidere, ut imbecilles intellectu: Spem habemus, inquit, qualem? q; maioribus bonis honorati ac donati simus, quàm Moses quotquot credimus. Hinc multa libertate ac fiducia utimur erga eos quos instituimus, nihil celantes, nihil etiam prætermittentes: neq; metuimus uestrum conspectum, quemadmodum Moses Iudęorū. Non enim estis infirmi æquè atq; illi. Moses enim cum secunda uice accepisset tabulas, atq; à monte descenderet, faciem habebat adeò splendidam, ut Iudæi neq; accedere eum possent, neq; quicquam cum eo loqui, donec uultum obuelaret. Huius historiæ Paulus hìc iam meminit, & ait:

Mosis splendor. Exod. 34.

Et non sicut Moses ponebat uelamen super faciem suam, ut non intenderent filij Israel, in finem eius quod aboletur.] Id est, non est opus nos contegi, perinde ac Moses se contegebat. Potestis enim aspicere gloriam hanc quàm habemus, gloriam dico Euangelij: quanquam illa longè sit lucidior atq; fulgentior, hoc est, pulchrè potestis intelligere Euangelij mysteria, nec opus habemus ea uobis occultare ipsa obscuritate tanquam uelamine quopiam. Israelitæ autem rudes non potuerunt uidere quòd finem haberet lex, quodq; abroganda foret. Velum enim pinguē necnon crassam eorum mentem significat, ut deinceps dísces. Nonnulli sic intellexerunt, q; illud ipsum, quòd nequiuerunt dirigere lumina sua in uultum Mosæ, ostenderet gloriam istam finem habere. Cum enim non uideretur, gloria non erat: atq; hac ratione significabatur eam non diu duraturam, quandoquidem ne gloria quidem appareret.

Sed obtusi sunt sensus eorum. Nam in hodiernum usq; diem idem uelamen in lectione ueteris testamenti manet non reuelatum quod in Christo aboletur.] Excæcata est, inquit, mens eorum: ac propterea neq; qui tum ducebant uitam, uidebant: neq; qui hodieq; superant, cernunt: quippe qui excæcati sint, idemq; uelamentum habeant in facie Mosis, hoc est in superficiali lectione legis. Nam Mosen Christus legem nomi nat, ut in eo loco: Habent Mosen & prophetas. Neq; reuelatur eis, neq; dignoscitur q; Christus esset antiquaturus uetus testamentum. Itaq; mentis eorum error est, siquidem excæcatio mentis est peccatum. Ne igitur mirum sit uobis, inquit, si non possint intueri in gloriam Christi, & credere Iudæi: neq; enim gloriam legis, quæ minor erat, conspicere poterant. Si enim legis gloriam uidissent, Christi etiam gloriam uidissent. Gloria enim legis est, ad Christum cōuerti. Vbi autem dixit quòd lex per Christum sit abrogandā: Illic ubi ait: Prophetam uobis excitabit Dominus Deus, ipsum per omnia audietis. Itaq; cum iuberentur ipsum audire, ipse uerò & sabbata dissolueret, & circuncisionem, aliaq; omnia: lex igitur imperabat propriam sui dissipationem. Insuper per hoc quòd præciperet sacra fieri in uno templo, illud ipsum autem rursus auferret, nonne sacrificia omnino auferebat? & tu es sacerdos, in æternum, secundum ordinem Melchisedec. &, Sacrificium & oblationem noluisti. Hæc enim omnia legis sunt solutio, abrogatioq;.

Lucæ 16. *Deut. 18.* *Act. 3.* *1. Reg. 9.* *Psal. 109.* *Psal. 39.*

Sed usq; in hodiernum diem cum legitur Moses, uelamen positum est super cor eorum.] Quia suprà dixerat, quòd in lectione ueteris legis uelamen sit positum, ne

quis

Universidad de Deusto
Biblioteca

quis existimet & uelamentum legis obscuritatem dicat, Haud quaquam, inquit, sed cæ- A
citatem & crassitudinem cordis eorum, hanc dico uelamentũ: quandoquidem in facie
Mosis, nõ propter ipsum sitũ erat, sed propter eorum crassitiem hebetudinemq; uisus.

Quando autem cõuersus fuerit ad Dominũ, auferetur uelamen. Dominus aũt spiri
tus est.] Modũ hic dicit quo fieri possit ut corrigantur Israëlitæ. Quando cõuerteris te
ad Dominũ, hoc est, quando à lege defeceris, accesseriscq; spirituali Euangelio, tunc
Exo.34. auferetur uelamentum. Nam quando Moses, ut historia habet, ad Dominũ conuerte
batur, retectus erat. Id uerò futuræ rei indiciũ erat: quoniam cum conuersus quispiam
fuerit ad spiritũ (is enim Dominus est) tunc nudam uidebit faciẽ legislatoris, imò ipse
erit in Mosis ordine & loco, excellentiq; fruetur gloria, legis nimirũ gloria, ut dictum
est. Hanc enim donabit spiritus, ueluti Dominus & omnipotens.

Libertas Euangelica. Vbi autem spiritus Domini, ibi libertas.] In lege iugum erat & seruitus: in spiritus
autem lege & Euangelio libertas, ut circa obstaculũ & liberè uideatur gloria Domini.

Nos uerò omnes reuelata facie gloriã Domini speculantes, ad eandem imaginem
transformamur, à gloria in gloriã, tanquam à Domini spiritu.] Tanta, inquit, libertate
& ingenuitate fruimur, ut omnes nos fideles, non quemadmodũ unus illic Moses, rete
cta facie (nõ enim est apud credentes uelamentũ) gloriam enim Domini speculantes,
ad eandem imaginẽ transformemur, hoc est eandem gloriã recipiamus, tanquã specu-
lum simus, splendoremq; recipientes, rursus resplendeamus. Ac quemadmodũ argen
tum è contrario solis positum, remittit radios etiam ipsum ex reperceſſu solis: sic & nos
in baptismate per spiritum purgati, illiusq; radijs illustrati, iubar quoddam spirituale,
quod sola mente comprehenditur, remittimus: ac transformamur ad eandem imagi-
nem, à gloria spiritus ad gloriam nostram: eamq; talem, qualem par est habere eum qui
à spiritu Domini, qui nulli est subiectus, illustratus est. Nam cum Dominus sit, heriles
Christianorum splendor. etiam faces & flammã habet. Siquidem omnes fideles spiritu sancto replentur per ba-
ptisma, animaq; ipsorum fulget: quandoquidem etiam Moses diuinam gloriam con- B
spicatus, transformatus est & ipse ad hanc, hoc est, adsumpsit & ipse fulgorem, luxitq;
uultus ipsius, quippe qui figura nostri esset.

CAPVT IIII.

IDeo habentes hanc ministrationem, quemadmodum misericordiam sumus conse-
cuti, non deficimus.] Quia multa eaq; ardua dixerat, nimirum quòd Mose maiores
sint Apostoli: (nam si omnes fideles sunt maiores, quãto magis illi:) curat nunc, adeoq;
demittit tumorem istum, Dei est, inquiens, uniuersum. nos enim ministri tantummo-
do sumus: neq; illud etiam ministerium nostrum est, sed (perinde ac ait) misericordiã
consecuti sumus. diuinæ enim & isthic misericordiæ est. Hyperbaton autem hoc est.
Ideo non deficimus, hoc est, quia tantis sumus dignati donatiq; bonis, nõ destituimur,
neq; deficimus ad pericula, ad afflictiones, postquam semel misericordiam consecuti,
ordinati sumus ministrare.

Pseudapostoli. Sed abdicauimus occulta dedecoris, non ambulantes in astutia.] Pseudapostolos
subobscurè notat & intelligit hîc, qui simulabãt omnia. Accipientes enim clanculum,
uidebantur non accipere. sancti in speciem cernebantur, & immundi erant. Nos uerò
recusauimus talia committere, quæ manifestata dedecore afficiunt, pudoreq; suffun-
dunt agentem, nempe quæ cum hypocrysi & fuco transiguntur. Infert enim, Nõ ob-
ambulantes in astutia. Proinde in idem recidunt & quæ contumeliam pariunt, & quę
in astutia seu fraude transiguntur. Sin de turpibus facinoribus isthuc intelligas, nihil
impedit. nam huiusmodi etiam committunt pseudapostoli.

Neq; adulterãtes uerbum Dei.] Non solùm uita, inquit, nostra simplex est & pura,
& expers sceleris, uerumetiam doctrina nostra & uerbum, doli sunt uacua. Non enim
quicquam externæ sapientiæ admiscemus ipsi, aut quicquam adulamur, aut ex uerbo
pecunias colligimus: aut iam quidem hoc, iam uerò illud docemus pro temporum &
personarum opportunitate, perinde ac pseudapostoli.

Sed in manifestatione ueritatis cõmendantes nos ipsos ad omnem conscientiã ho-
minum coram Deo.] Pseudapostoli cõmendant seipsos hypocrisi, & per hoc q; alijs es-
se uideantur, cũ alij sint: ego uerò cõmendo meipsum manifestatione ueritatis, hoc est,
ipsis operibus pro testimonio utor: ueluti cum me nihil accipere cõfirmo, testes habeo

uos.

A ros fallaces id genus eándem ad rationem. Atq; sic me prędico & commendo apud om
nes homines tam infideles, quàm fideles, uitam meā retegens ac denudans: prædica-
tionem q; uerbi omnibus patefaciens, ut ipsum discant. Quia uerò fieri potest ut homi-
nes fallantur, adjecit, Coram Deo, uel ante cōspectum Dei, quem pseudapostoli testem
habere haud sustinuerint.

Quòd si etiam opertū est Euangelium nostrum, in ijs qui pereūt est opertum.] Cum *Infidelibus euangelium contectū est*
suprà dixisset Israelitis uelamen appositum esse, fideles autem retecta & aperta facie ui
dere: nunc ait, quòd si contectum est Euangelium, infidelibus est contectum. Quod e-
nim tum Iudæis obtingebat ex Mose, hoc nūc nō credentibus ex Euangelio obuenit.
Illorū autem culpa est, non Euangelij. nam si credidissent, etiam ipsi apertè palàm con
spexissent gloriam Dei.

In quibus Deus seculi huius excæcauit mentes infidelium, ut non fulgeat illis illumi
natio Euangelij gloriæ Christi.] In pereuntibus, qui multi sunt & uarij, sunt etiam incre
duli. Horum igitur mentes excæcauit Deus seculi huius. Hic prodeunt Marcionistæ, *Marcionitæ.*
asseuerantes de mundi opifice hæc esse dicta: quem iustum quidem dicunt, sed non *Manichæi.*
bonum. Manichæi uerò per Deum huius seculi, diabolum accipiunt: quem &
mundi huius conditorem adserunt. At uerò neutrum horum dicendum est, cæterùm
de Deo nostro hoc dictum est. Ac si seculi huius Deus esse perhibeatur, nihil nouum
est, cum & Deus cœli dicatur: nec huius tantum Deus est. Item Deus Abrahami, Isaac *Genes. 2.*
& Iacob dicitur: non tamen illorum tantum est Deus, sed prorsus omnium. Quid igi- *Exod. 3.*
tur nouí est, si Paulus opportunè etiam nunc ipsum nominauit Deum huius seculi, ut
ita magis ostendat incredulis quòd etiam ea quæ uidentur, ipse condiderit: ex quibus
etiamsi uoluptatē ipsi capiāt, conditorē tamen ipsum reijciunt? Quin & ad hunc etiam
modum hic locus est legendus: Infideliū huius seculi mentes excęcauit, futurum enim *Excæcauit Deus.*
seculū infideles nō habet. Quid uerò est excæcauit? hoc est, permisit eis cæcis esse, quē-
B madmodum & illud, Tradidit eos Deus in affectus ignominiæ. Posteaquam enim re- *Rom. 1.*
silierunt ab eo, dimisit eos, reliquit eos: non enim cogit ad salutem. Obserua aūt quòd
non dixerit Excæcauit, ut referatur ad hoc ut infideles maneant, uerùm ad hoc, quòd
prophani oculi non uideant lucem seu splendorem gloriæ Christi. Splendor aūt & illu
minatio est, credere q; Christus crucifixus sit, quòd in cœlum receptus sit, & quòd futu
ra nobis bona daturus sit. Quemadmodum si quis ophthalmia laborantem excludat
ut solis radios non uideat, ne ijs offendatur: hanc ad rationem & illi increduli facti sunt
à seipsis. Porrò cum tales facti essent, excluſit Deus radios gloriæ Euangelij, æquè atq;
Israelitis Mosæ faciem obuelauit. Sic & nobis in mandatis dedit, ne proijciamus mar *Matt. 7.*
garitas nostras ad porcos. Bene autem dixit, fulgeat siue splendeat. Mediocrem enim
nunc habemus splendorem: non totam illuminationem, quam & antea odorem & ar *Sup. 1. & 2.*
rhabonem dixit; indicans q; eximius & excellens in futuro æuo remaneat.

Qui est imago Dei.] Monstrat hîc quòd non solam Christi gloriā ignorent, uerūetiam patris. Cum sit imago patris Christus, qui hunc non uidet, neq; illum nouit.

Non enim nos ipsos prædicamus, sed Christum Iesum Dominum: nos autem ser-
uos uestros, propter Christum.] Suprà dixit quòd non ambulemus astutia, deinde adie
cit de infidelibus quomodo sint contecti. Ait igitur nunc, Propterea fraudulenter non
agimus, quia nosipsos haud prædicamus, uanorum apostolorum instar. Illi nanq; per-
suadebant discipulis suis ut à se sibi nomina inderent, ut in priore epistola indicauit,
alijs dicentibus, Ego quidem sum Apollo, ego uerò Cephæ. Aut ne existimetis qui ad- *1. Cor. 1.*
uersum nos pugnatis, quòd nobiscum bellum geratis. Non enim nosipsos prædica-
mus, sed Christum Iesum: aduersus eum nanque dimicatis qui prædicatur. Nos enim
adeò non prædicamus nosipsos, ut & non detrectemus serui uestri esse propter Chri-
stum, hoc est, eo quòd ille sic uos dilexit, & omnia uestri causa egit.

Quoniam Deus, qui dixit de tenebris lucem splendescere, qui illuxit in cordibus no
stris, ad illuminationē cognitionis gloriæ Dei, in facie Iesu Christi.] Quare dixit nosip *Exod. 34.*
sos non prædicamus? Quia Deus illuxit in cordibus nostris, & perinde ac faciei Mosis
quondā, sic nobis nunc refulsit. Porrò non quemadmodū in prima creatione dixit, Et *Gen. 1.*
facta est lux è tenebris, sic nūc dixit, Et facta est lux: cæterùm ipse nobis effectus lumē.
Siquidem is illuxit nobis in facie Christi, hoc est, per Christum. Per Christum enim lu-

cet in nobis pater, datq; illustrationem cognitionis: non substantiæ suæ, sed gloriæ. A-
Trinitatis mysterium. nimaduerte autem Trinitatis sacrosanctæ mysterium apud Paulum etiamnunc. De spiritu namq; dicit, Gloriam Domini speculamur: Dominus enim spiritus est. De filio autem illuminationem gloriæ euangelij Christi, De patre autem nunc, illuminationẽ cognitionis gloriæ ipsius.

Habemus aũt thesaurũ istum in uasis fictilibus.] Postquã multa & pręclara de ineffabili gloria loquutus esset, ne quis dicat, Et quomodo manemus in mortali corpore talia, ut dicis, accipientes: hoc ipsum, inquit, Dei etiam uirtutis est, & potentiæ, quod uas testaceum huiusmodi thesauros capit.

Vt excellentia potẽtię sit Dei, & nõ ex nobis.] Vt magnitudo & excellentia, inquit, uirtutis siue potentiæ quę in nobis apparet, Dei sit, neue existimemur nos ista agere ex nobis ipsis, uerùm omnes qui uident, Dei dicant hoc totum esse. Notat autem pseudapostolos, quoniam sibijpsis uniuersum adscribebant.

In omnibus tribulationem patimur, sed non angustiamur.] Adeò, inquit, totum est potentiæ Dei, ut & testacei cum simus, tantis tamq; uarijs tentationibus impulsi, non frangamur, neq; perdamus thesaurum qui in nobis est. Affligimur enim in omni cùm loco, tum tempore, inter amicos, inter hostes: sed non constringimur, angustiaue concludimur, Deo corda nostra dilatante.

Aporiamur, sed non destituimur.] Hoc est, in summam rerum penuriã & difficultatẽ incidentes, uerũtamen recti consistentes, in desperationem non deuoluimur, neq; uincimur: cæterùm in Deo exitum inuenimus, atq; uincimus.

Persecutionem patimur, sed non derelinquimur.] Persequuntur quidem nos homines, uerùm Deus nos non deserit. Ad exercitium enim nostrum, nõ ut succumbamus, hæc permittuntur.

Deijcimur quidem, sed non perimus.] Corpore, inquit, & externis rebus deijcimur ab aduersantibus nobis, sed non perimus, quantum ad alacritatem animęq; instantiam B attinet, tum quo ad corpus à Deo etiam conseruamur.

Semper mortem Domini Iesu in corpore circumferentes, ut & uita Iesu manifestetur in corpore nostro.] Hoc est, quotidianas mortes sustinẽtes, imitantesq; mortem Domini Iesu semper, hinc q; uitam ipsius commonstrãtes, seu resurrectionem in corpore nostro. Si enim quispiam non credat q; Dominus resurrexerit, uidens nos quotidie mori, & quotidie uiuere, non porrò bona ratione incredulus permanebit.

Semper enim nos qui uiuimus, in mortem tradimur propter Christum, ut & uita Iesu manifestetur in mortali carne nostra.] Per hæc interpretatur quomodo dixerit mortem siue mortificationem Iesu, quandoquidem nõ perinde apertum erat. Solet aũt perpetuò obscurè dicta declarare, lucidioraq; reddere. Quòd ait, ut uita Iesu manifestetur, iuxta priorem intellectum sic accipiendum est: quod quemadmodũ nos mortem Christi sustinemus nunc, uiuentesq; propter ipsum mori deligimus, sic & ipse uolet mortuos uiuificare tum. quod & alio in loco ait: Si Christo commorimur, simul etiam cum eo
Rom. 6. uiuemus.

Ergo mors in nobis operatur, uita autem in uobis.] Mortem hîc tentationes uocat, hoc dicens: Nos quidem in periculis sumus, uos autem uita, quæ ex periculis paratur, fruimini, Euangelio nempe uobis prædicato, uitam uiuitis per illud sempiternam.

Psal. 115. Habentes autem eundem spiritum fidei, secundum quod scriptum est, Credidi propter quod locutus sum: & nos credimus, propterea & loquimur.] Tentationum superiorem mentionem fecit, & mortis, & quòd ex his nos liberet Iesus, adiecit etiã rationem, quoniam propterea liberat, ut resurrectionis suæ fidem faciat. Subdit itaq; iamnunc quòd fide hoc oporteat certum reddi, non tantum rationibus. Quemadmodum, inquit, Dauid tentationibus immersus, & à Deo solo ab ijs ereptus, dixit, Credidi, propter quod locutus sum: sic & nos eũdem fidei spiritum habentes, quem & ille habebat, credimus, ac eam ob causam loquimur: quòd perinde ut Iesus resurrexit, sic & nos pericula
Spiritus idẽ uet. ac noui testamenti. huius temporis uincemus, & rursus excitabimur. Obserua quòd idem sit spiritus ueteris & noui testamentorum, propter eos qui legem calumniantur.

Scientes, quòd qui suscitauit Iesum, & nos suscitabit, & cõstituet uobiscum. Omnia enim propter uos, ut gratia abundans pluribus gratias agentibus abundet ad gloriam Dei.]

Dei.] Quid credimus, & quid nouimus? Quoniam & nunc ex periculis nos eripiet, ac in posterum excitabit, is qui & Iesum excitauit, sistetq; nos uobiscum, ut perfruamur bonis. Animat autem eos, confidentesq; facit ad fidem & bonam uitam. Notans autem pseudapostolos qui dicebant, nos sumus mediatores bonorum quæ à Deo discipulis proueniunt, propter uos, inquit, sunt omnia, etiam ipsa resurrectio, non propter hunc uel illum. Hoc autem Deus facit, multisq; donat, gratiamq; suam exhibet, ut exuberante gratia, abundet & gratiarum actio, per multas personas adducta ad gloriam Dei. Quare uani apostoli cum gratiam Dei sibi adscribunt, obscurant etiam gloriam ipsius.

Propterea non deficimus, sed licet is qui foris est noster homo corrumpatur, tamen is qui intus est, renouatur de die in diem.] Quoniã, inquit, nouimus Dei potentiã atq; uires, & quòd hoc tempore nos è periculis liberet, & quòd postea nos suscitabit splendidos, non deficimus, neq; desperamus dum patimur. Porrò exterior homo, id est corpus, corrumpitur. quomodo? dum flagris cæditur, dum agitat. Interior uerò, id est spiritus & anima, renouatur. quânam ratione? cum bene sperat, ac liberè agit, quasi propter Deum patiens & gaudens. *Homo exterior & interior.*

Id enim quod in præsenti est momentaneum & leue tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate æternũ pondus gloriæ operatur nobis.] Interpretatur quomodo innouetur interior homo, dum secum reputat quòd afflictio momentanea sit, id est, temporaria est, & leuis, propter hoc ipsum quòd sit temporaria. Gloria autem æterna est, & pondus habet, hoc est, magnitudinem excellenter excellentem. hoc enim est quod ait, per hyperbolen ad hyperbolen, siue supra modum in sublimitate.

Non contemplantibus nobis quę uidentur, sed quę non uidentur. Quæ enim uidentur, temporaria sunt: quæ uerò non uidentur, æterna.] Ecquî facilis res est afflictio? Quia omnia, inquit, quæ uidentur, temporaria sunt, itaque & afflictio, imò & ipsa requies; B nam & ipsa uisui subiacet. Ob eam enim causam dixit, quæ uidentur, ut & hanc comprehenderet. Neq; igitur afflictioni succumbemus, neq; ocio & quiete diffluemus, uel laxabimur. utrunque enim temporarium est. Cum itaque hæc ita habeant, ut quæ non uidentur, sint æterna, id est & regnum & pœna, illud ergo desiderate, hanc uerò declinate.

CAPVT V.

SCimus enim quòd si terrestris nostra domus huius tabernaculi dissoluatur, ædificationem ex Deo habemus, domum non manufactam, æternam in cœlis.] Quia dixerat suprà, quanto exterior homo corrumpitur, tanto innouatur interior, acali- *Sup. 4.*
quid ita noui uideretur adferre: Imò, inquit, quando perfectè corruptum fuerit mortale corpus & terrestre, tum innumera nobis bona germinabunt. Simul autem & de resurrectione ipsis rursus differit, etiamsi non adeò perspicuè ut in priore, ut ne uideantur inemendabiles eos iudicare. Terrestrem autem domum tabernaculi ipsum corpus nominauit. Porrò dum tabernaculum uocat, temporariam corruptibilemq; eius naturam significat, scena enim siue tabernaculum tale quiddam est. Etiamsi autem sæpenumero scenæ, id est tabernacula uocentur iustorum quies, uerùm isthuc cum appendice dicetur, nempe tabernacula æterna. Animaduerte autem quomodo terrestri opposuerit cœleste: & tabernaculo, æternum opponens. Exaggerans autem encomium futurę gloriæ corporis nostri, & non manufactam apposuit, non ut opponeret corpori huic, non enim est manufactum. Nonnulli per domum manufactam, uitam quam in terris degimus, acceperunt: tabernaculum autem, corpus ipsum: ut sit quod dicitur, huiusmodi: Si dissoluta fuerit quæ in terra est uita corporis nostri, quæ & manufacta dici possit, tanquam à manibus consistat (panis enim & uinum sunt huiusmodi, ex quibus uita nostra ueluti per manus conficitur) habebimus aliam uitam in cœlis incorruptibilem & non manufactam, hoc est, non indigentem nostrarum manuum operatione. *Luc. 16.*

Nam in hoc ingemiscimus, habitationem nostram quæ de cœlo est superindui cupientes.] Qualem habitationẽ? corpus incorruptibile. Ex cœlo autem ipsum dicit, non *Corporis in corruptio è cœlo.*
quòd descendat à supernis, cæterùm quòd inde possideat & retineat emissam incorruptibilitatis gratiam. Adeò igitur non est opus ut quisquam turbetur ob tentationes corporis quadam ex parte contingentes, ut è diuerso potius ingemiscere debea-

mus quòd non uniuersim corruptibile corpus exuamus, ut incorruptibile hoc superin duamus. Propterea nō tabernaculum ipsum nominauit, sed habitationem, ueluti per- A
manentiorem.

Si tamen uestiti, non nudi inueniamur.] Vt ne confidant omnes incorruptibilitati corporis, si modò, inquit, induti incorruptione, & corpus incorruptibile accipientes, non nudi inueniamur à gloria & securitate, tanquam peccati deformitatem habentes. Resurrectio nanq; communis est, honos non est communis omnibus.

Nam & qui sumus in tabernaculo hoc, ingemiscimus, quatenus nolumus expoliari, sed superuestiri, ut absorbeatur q̄d mortale est à uita.] Quia molestū uidebatur quod dixit, Ingemiscimus desiderantes liberari à corpore, etenim ineffabilis est animæ ad corpus affectio. Nō propterea, inquit, ingemiscimus, ut simpliciter à corpore liberemur, uerùm quia superinduere incorruptibilitatem expetimus. Proinde corpus hoc neque exuere uolumus, uerùm à corruptione liberari, ut impendatur insumaturq; corruptio à uita, non corpus. Nec enim simpliciter propter corpus grauamur, sed quia est corruptibile. Hinc autem omnino hæreticorum obstruuntur ora. Non enim de alio atque alio corpore sermo est, sed de corruptione & incorruptibilitate.

Sapien. 2. Qui autem effecit nos ad illud, Deus est.] Deus est, inquit, qui primùm nos ad hoc effecit. Etenim condidit nos, ut simus incorruptibiles. Neq; hoc nunc primùm ei placuit, sed iam inde à principio. Itaq; omnino fiet.

Qui dedit etiam nobis pignus spiritus.] Vis, inquit, & aliam tibi dem demonstrationem? Qui nobis per baptisma spiritū dedit, pignus quoq; immortalitatis nobis impertijt. Etenim sanctificauit animam & corpus, & utraq; diuiniora reddidit, à peccato nos liberans, ex quo mors propagata erat. Quocirca cum spiritum nobis dederit, perspicuum est quòd à peccato nos liberarit. A peccato uerò postquam nos liberauit, corruptionem etiam destruxit. ex peccato enim corruptio. Proinde futuræ hoc pacto immortalitatis pignus est spiritus. Et aliter, qui dedit nobis spiritum ex parte, pignus quoddam dedit se totum quoq; traditurum. Quomodo autem dabit, nisi corpore & animo incorruptibiles futuri simus? Vbi igitur pusillum huic acceperis, arrhabonem uidelicet, confide quòd & totum tunc prorsus is habiturus.

Spiritus, futuræ immortalitatis pignus.

Audentes igitur semper, & scientes quòd dum sumus in hoc corpore, peregrinamur à Domino (per fidem enim ambulamus, non per speciem) audemus autem, & bonam uoluntatem habemus magis peregrinari à corpore, & præsentes esse ad Dominum.] Confirmare pergit quod suprà dixit. Non sunt mihi curæ, inquit, pericula. Siquidem pericula & mortes optabilem nobis rem conciliant, incorruptibilitatem ipsam, propter quam & ingemiscimus. & ea celerius nos ad Dominum perducunt nostrum. Confidentes igitur semper, id est, non metuentes neque insidias, neque persecutiones, neque mortes. Expende autem sapientiam, quomodo occultarit nomina mortis & uitæ, alteram quidem præsentiam apud Dominum, alteram uerò peregrinationem à Domino faciens, ut nemo præsente uita teneatur, eiq; sese addicat: ut quæ à Domino abducat.

Corpus an alienos à Deo nos faciat.

Deinde ut ne quis dicat, Quid igitur? corpus nos alienos facit à Deo? correxit hoc, inquiens: Per fidem enim ambulamus, non per speciem. hoc est, in terris hîc agentes, ipsum quidem nouimus, sed modicè (hoc enim est per fidem) non quidem facie ad faciem, quod est per speciem. Cum autem hæc sic habeant, bonam uoluntatem habemus, siue probamus multum, hoc est, ualde desideramus exuere corpus hoc, atq; esse cū Domino. Non dixit autem, desideramus immortalitatem adsequi, uerùm, quod præstantius est, cum Domino esse: id enim plus est quàm immortalitas.

Ideo contendimus, siue absentes siue præsentes placere illi.] Quod quæritur, hoc est, ut ipsi in uita tua placeas. Ne enim audiens peregrinationem à corpore existimes hanc tibi salutem satis esse: Stude, inquit, probatus migrare hinc, per uitam nimirū qua Deo hîc placuisti.

Omnes enim nos manifestari oportet ante tribunal Christi.] Terrorem incutit hîc mentione facta & suggestione terribilis tribunalis, & per hoc quod ait, manifestari oportet. Non enim cogites quòd illic parietes & uelamenta, cordisque profunditas occultet uel opera uel consilia, siue cogitationes, sed omnia manifestantur.

Vt reportet unusquisque ea quæ fiunt per corpus iuxta ea quæ fecit, siue bonum, siue

A sumemalū.] Per ista eos qui bene & rectè uixerint, sperare melius facit: segniores autem terrore alacrius reddit. Confirmat autem rursus de resurrectione corporum sermonem. Quod enim uel bonis uel prauis operibus inseruijt atq; obsequutum est, illud omnino uel coronatur uel punitur. Obstruuntur ergo uel hinc hæreticorum ora.

Scientes igitur timorem Dei, hominibus suademus, Deo autem manifestati sumus. spero autem & cōscientijs uestris manifestos nos esse.] Scientes, inquit, iudicium illud terrificum, omnia agimus ne scādalum ponamus mortalibus. Hoc enim est quod ait, Hominibus suademus, hoc est offendiculis medemur. Etsi enim mali quiddam non operemur, & interim suspicioni ansam præbeamus, nec remoueamus scandala, cū possimus tamen, condemnamur. Deo autem perspecti sumus, qui optimè etiam nouit qualem uitæ rationem habeamus: neque opus est ut ipsi suadeamus & uitæ rationem declaremus, tanquam qui uidelicet scandalizaretur. Vobis item manifestati sumus, quippe qui omnia nostra probè teneatis. Vos igitur haudquaquam docere opus habemus, ceu in nobis scandalum passos. *Scandalum nunquam præbēdum.*

Non enim rursus nos ipsos commendamus uobis, sed occasionem damus uobis gloriandi de nobis, ut habeatis ad eos qui in facie gloriantur, & non in corde.] Continuò deterit suspicionem quæ in eo uidebatur gloriandi. Ad hunc, inquiens, sermonem peruenimus, non ut nos ipsos commendemus, hoc est, attollamus, uel præconijs euehamus, cæterùm ut uobis occasionem daremus qua gloriaremini de nobis, atque decoros uos redderetis, aduersum pseudapostolos, qui in facie iactabant sese, hoc est in his quæ ad ostentationem faciebant, & quæ ex facie iudicabantur. Huiusmodi enim erant, pietatis speciem præ se in uultu in externis gerentes, in corde uerò nihil planè boni ferentes. Non semper autem gloriari iubet, cæterùm quum illi sese extulerint, *Pseudapostoli.*

Siue enim mente excessimus, Deo: siue sobrij sumus, uobis.] Siue arduum quiddam loquimur (extasin enim siue mentis excessum id uocat, perinde ac alio in loco insipientiam.] Dei, inquit, isthuc causa facimus, ne uos existimantes nos esse uiles, aspernemini & pereatis. Siue moderatum quiddam & humile dicamus, propter uos, uti discatis humilia sapere. Vel hunc ad modum quispiam intellexerit: Si quis nos furere suspicetur, à Deo mercedem recipimus, eo quòd huiusmodi suspicioni simus obnoxij. sin sobrios nos esse putet, ipse pariter commoditate ex temperanti sobriaq; mente nostra proueniente perfruatur. Vel aliam ad rationem: Si insanimus, Dei causa ita insanimus, ut uos ad ipsum perducamus. Insaniebat itaque Paulus, amatoria quadam insania Deum amans, ac amatoris instar illi uiuens, nempe adamato, extra seipsum raptus, ac totus in Deum tralatus, nec suam ipsius uitam uiuens, sed eius quem amat, amatoriam planè, siue dilectam & ualde charam. Si igitur excessimus, uel extra nos rapti sumus, Deo omnino excessimus, id est, Dei causa. B *1. Cor. 5.* *Insania Pauli sancta.*

Charitas enim Dei urget nos, æstimantes hoc, quòd unus pro omnibus mortuus est. Ergo omnes mortui sunt, ut qui uiuunt, iam non sibi uiuant, sed ei qui pro ipsis mortuus est & resurrexit.] Dilectio Dei quam exhibuit erga nos, urget nos & compellit ut eius amore pericula subeamus, hoc probè apud nos iudicantes, quòd quia mortuus est pro omnibus, perspicuum est quòd omnes perieramus, eamq; ob causam mortuus est pro ijs qui perierant, obierantq; mortem, ut nos uiuificaret. Postquam igitur nos uiuificauit, non debemus porrò nobis ipsis uiuere, sed illi propter quem uiuimus, qui nedum mortuus est pro nobis, uerū etiam resurrexit, primitias nimirum nostras, hoc est, corpus suum in cœlos referens, ut omnino nos etiam eò reportet ac perducat. Quid enim prorsus opus erat illud abire, atq; adeò ipsum ascendere in cœlos, nisi nos similia olim cōsecuturi essemus? Proinde quia mortuus est pro nobis, & quia uiuificauit nos, & quia arrhabones incorruptibilitatis dedit, ipsi in posterum debemus uiuere, haud nostris cupiditatibus. *Primitiæ nostræ Christus.*

Itaque nos ex hoc neminem nouimus secundum carnem.] Quia omnes occisi à peccato, reuiximus, & uiuificati sumus à Christo, per baptisma, meritò neminem nouimus fidelium, inquit, secundum carnem uiuentem, hoc est, iuxta ueterem & carnalem uitam. Omnes enim spiritu regenerati, nouam & spiritualem uitam auspicantur ducuntq; ue.

Etsi cognouimus secundum carnem Christum, sed nunc non nouimus.] Indicat

quòd Christum ducem & principem habemus huius ipsius, nempe ut secundum carnem non uiuamus. Etsi, inquit, Christus olim secundum carnem erat, nunc tamen nō
Act. 1. porrò est. Quid igitur? carnemne deposuit? Minimè, nam quemadmodum assumptus est, sic etiam ueniet. Assumptus est autem in carne, & cum corpore. Quid igitur dicit? q nos tunc quidem secundū carnem uiuere dicimur, quādo in peccatis fuerimus: tūc̄ non secundum carnem uiuere, quando peccatis nos non coinquinarimus. Christus autem secundum carnem uixisse dicitur, quando secundum naturales, inculpatos tamen motus & affectiones uixit, esuriens, sitiens, dormiens, laborans. Nunc autem non est secundum carnem, hoc est, ab his naturalibus & inculpatis affectionibus liberatus est, impassibile & immortale corpus habens, ut omnino & nos abundè doceat ne porrò uiuamus secundum carnem & peccabiliter, sed secundum spiritum.

Itaq; si quis in Christo, noua creatura.] Si quis credidit Christo, in aliam planè creaturam peruenit, & noua creatura facta est. Non debemus igitur secundum ueterem morem uiuere.

Esai. 45. Apoc. 21. Vetera transierunt, ecce noua facta sunt omnia.] Qualiánam uetera? peccatum, & Iudaicæ ceremoniæ. Nam uetus peccatum præterijt, nouaq; nobis anima, & nouum corpus factum est, & pro Iudaicis omnibus noua nobis facta sunt omnia, pro lege Euā gelium, pro Hierosolymis cœlum, pro templo interior cortina, in qua sacrosancta trinitas: pro circunciſione baptisma, pro manna corpus Dei, pro aqua sanguis Domini, pro uirga Mosæ uel Aaronis crux, pro agno filius Dei, omniaq́ue alia eandem ad rationem.

Mira mutatio ueteris legis.

Omnia aūt ex Deo, qui reconciliauit nos sibijpsi per Iesum Christum.] Hæc omnia
1. Ioan. 4. nobis data sunt ex Deo, qui reconciliauit nos sibijpsi per interces ſionem filij sui. Non enim nos ipsi accurrimus, sed ipse nos uocauit per mortem filij sui.

Et dedit nobis ministerium reconciliationis.] O profunditatem clementiæ diuinæ. Cum enim misisset interces ſorem & legatum filium suum, eumq; occisum conspicatus esset ab ijs qui reconciliatione indigerent, neq; sic tamen neglexit homines: uerùm ministerium reconciliationis, inquit, nobis apostolis suis dedit, ut circumeuntes, legatione fungamur ad eos qui defecerunt à Deo, eosq; ad eum perducamus.

Quoniam quidem Deus erat in Christo mundū reconcilians sibi, non imputans eis peccata ipsorū.] Quòd nos sibi ipse reconciliauerit, suprà dixit. Ne igitur quis dicat, fi-
Pater pro nobis aduocat. lium tamen suū misit: nunc ait q, filium quidem miserit, ueruntamen nō solus filius exhortabatur, uerumetiā pater, reconcilians sibijpsi mundum in Christo, hoc est per Christum, ac tantā mortalibus bonitatem demonstrans, ut non solū nō punierit, uerumetiā reconciliatus sit: nec tantùm dimiserit, sed ne imputauerit quidem peccata. Si enim rationem exigere uoluisset, omnino perijssent.

Et posuit in nobis uerbum reconciliationis.] Nihil igitur molestum aut onerosum uobis imponere constituti sumus à Deo: sed hoc nobis iniunctum est, ut recōciliemur quidem uos ipsi. Quia enim mihi, inquit, non crediderunt, perseuerate uos adhortantes, tantisper dum persuaseritis.

Pro Christo igitur legatione fungimur, tanquam Deo exhortante per nos. Obsecramus etiam pro Christo, reconciliamini Deo.] Pro Christo, id est, Christi loco intercedimus, seu legatione fungimur: quod ille facturus erat, nos suscepimus nunc: & quemadmodū per illum adhortabatur uos pater, sic & nunc per nos adhortatur, ut ipsi reconciliemini. Non dixit autem, reconciliate uobis ipsis Deum, sed uos recōciliemini ei. uos enim hostes eius estis, ipse nunquam uester. siquidem Deus & pater est. Quasi uerò Deus aduersum eos deliquerit, sic per legatos intercedit, ut concedant Deo. Miram pietatis & indulgentiæ siue humiliationis magnitudinem.

Eum enim qui peccatum non nouerat, pro nobis peccatum fecit, ut nos efficeremur iustitia Dei in ipso.] Ne alia, inquit, omnia cōmemorem, quòd benefactorem uestrum ignominia adfecistis, q uindictam is non exegerit, q primus potius reconciliari uoluerit, uel propter id quod nunc fecit, nónne dignum est reconciliari uos ipsi? Quid nam istud? q filium suum qui peccatum non norat, hoc est, qui ipse iustitia erat, pro
Deut. 21. nobis morti subiecit, moriq; fecit ceu peccatorem ac sceleratum. Maledictus enim qui
Esaiæ 53. pendet ex ligno. &, Cum iniquis reputatus est. Nec dixit quòd peccatorem fecerit,

cæterùm

cæterùm peccatum, quod maius est. Cur ísthuc factum? ut nos iustificemur, non ex o-
A peribus & lege, uerùm ex gratia Dei. Hæc enim est Dei iustitia, cum quis gratia iustifi
catus fuerit, ut nullus in eo næuus nullàue macula inueniatur. Propterea enim neq; di-
xit, Vt efficiamur iusti, sed, Iustitia Dei: excellentiam gratiæ ostendens.

CAPVT VI.

Cooperantes autem etiam exhortamur ne in uacuum gratiã Dei recipiatis.] Coo-
peramur, inquit, nos & uobis, ut seruemini: & Deo, ut uoluntatem eius implea-
mus, hoc est ut uos saluos reddamus: & adhortamur Christi loco ad secundum usq; ad-
uentum eius, ac tantisper dum uixerimus, ut ne in uanum suscipiatis gratiã Dei. Quid
enim prodest à peccatis liberari diuina gratia, deinde rursus ijs per propriã socordiam
impleri? Rursus enim noua inimicitia nascitur, fitq; hac ratione, ut gratia erga nos dei
ceps Dei uana fuerit. Ne igitur existimetis quòd fides tantummodo sit recõciliatio, ue
rùm uita etiam est necessaria.

Ait enim: Tẽpore accepto exaudiui te, & in diebus salutis adiuui te. Ecce nũc tẽpus *Esaiæ 49.*
acceptabile, ecce nunc dies salutis.] Qualenã tẽpus acceptabile? gratię, in quo est remis- *Tempus ac-*
sio peccatorũ, iustitiæq; subministratio. Illud est acceptabile tẽpus, in quo nos Deus re *ceptabile.*
cipit, exauditq; nos & seruat. Iudicij enim tẽpore, neq; exaudiet, neq; adiuuabit, neq;
seruabit. In hoc igitur gratiæ tẽpore certare debemus, facilè nanq; assequemur brabea.

Nullam ulla in nõ dantes offensionem, ut nõ uituperetur ministeriũ nostrum.] Ad-
hortamur, inquit, & adiuuamus, quomodo? citra offensionem uiuentes. Per narratio-
nis ordinem cõsulit ut & ipsi ad eum defigant oculos. Sic enim, inquit, instituo uitam
meam, ut nedum non accusationi, uerùm ne querimoniæ quidem exiguæ, aut scanda-
lo cuipiam locum dem, ut ne culpetur ministerium nostrum. Rursum nõ dixit, ut non
accusetur, uerùm ut ne minimam quidem reprehensionem accipiat opus meum & mi
nisterium meum. Nonnulli uerò sic interpretati sunt, ne accusatio quædam apprehen
B dat prædicationem. hoc enim ministeriũ suum appellat. Me enim malè uiuente præ-
dicatio conculcabitur, calumniæq; obnoxia erit. Clanculum autem subindicat, quòd
si uos & malè uiuatis, ad Christum & fidem blasphemia redundabit ac recurret.

Sed in omnibus exhibentes nos ipsos, tanquam Dei ministri.] Hoc maius est, non
solùm se ipsum ab accusationibus & reprehensionibus purũ facere, uerumetiã huiusmo-
di uitam commonstrare, ut per ipsam uideatur esse minister Dei. Non dixit autem
apparentes, sed exhibentes, hoc est demonstrantes.

In patientia multa.] Modum dicit quo talis fuerit, per patientiam uidelicet: nec sim- *Patientia.*
pliciter, sed per multam, inquit. Non enim satis est, unum aliquid & alterum sufferre,
cæterùm opus est ad finem usq; sustinere.

In tribulationibus, in necessitatibus.] Hęc est tribulationis intensio & exaggeratio,
quando inextricabilia mala fuerint, quæ hominem suffocent.

In angustijs.] Quæ sunt à fame, & simpliciter à tentationibus.

In plagis & carceribus.] Quòd si plagæ & carceres hic adsint, uide quantum sit ma-
li, cum alterum horum per se sit grauissimum.

In *seditionibus.] Hoc est in persecutionibus, quando non habuerit aliquis ubi pe- *ἀκαταστασίαις,*
dem figat, ubi consistat, de loco in locum actus & compulsus. *id est, cre-*

In laboribus, in uigilijs, in ieiunijs.] Cum dixisset de externis, quæ sua sunt iam hic *bris expul-*
apponit, quibus suapte sponte sese affligebat, laboribus uidelicet manuũ, per quos & *sionibus.*
seipsum & alios alebat, cumq; his omnibus & uigilauit, & ieiunauit. *Act. 24.*

In puritate.] Temperantiã sic appellat, uel puritatem in omnibus rebus, tum quòd *1. Cor. 4.*
munerum corruptelam non admiserit, tum quòd citra sumptum aliorum prædica-
rit uerbum.

In scientia.] Hoc est, in Dei sapientia, quæ est reuera scientia non externa, qua pseu-
dapostoli se ostentabant.

In longanimitate, in benignitate.] Adamãtini planè animi est, si quis cũ undiq; exa
cerbetur & pungatur, non solum longanimis, uerumetiam mitis sit & benignus.

In spiritu sancto.] Vndénam hæc peregerit, indicat: in spiritu, inquit, sancto. Quia
autem quæ à se erant, demonstrauit, spiritus sancti auxilium posuit. Intelligitur etiam
In spiritu sancto, pro donis spiritualibus. per hæc enim documentum quoq; damus,

quòd Dei simus ministri, ut qui miracula exhibeamus. Vel in spiritu sancto nullã dedi A
mus offensionẽ, hoc est in donis spiritus. Multi nanq; attolluntur, ut qui linguas habẽt, nec utuntur tamẽ eo dono ut decet. Diuus uerò Paulus aliter est usus eo dono atq; isti.

In charitate non ficta.] Hæc res omnium bonorum causa est: hæc & spiritum apud eum permanere faciebat.

In uerbo ueritatis.] Hoc est, non depraũantes uerbum Dei.

In uirtute Dei.] Nihil, inquit, meum est, sed hæc omnia in uirtute & potentia Dei facta sunt, uel in signis etiam atq; prodigijs: & uirtute, qua Deus & punit, & beneficia nobis impertit.

Iustitiæ arma sinistra & dextra. Matt. 6.

Per arma iustitiæ dextra & sinistra.] Arma iustitiæ sinistra, tristia cuncta nominat: arma quidem, tanquã munientia, ac in tuto nos collocantia: sinistra uerò, propter multorum opinionem. Siquidem & Dominus nos orare iussit ne ingrediamur in tentationem. Dextra uerò iucundiora. In utriscq; ergo Paulus irreprehensibilis monstrabatur, ut qui neq; tristibus deiiceretur animo, neq; lætis efferretur, sed arma iustitiæ hæc reuera faciens.

Per gloriam & ignominiam.] Interpretatus est nobis dextra & sinistra, q; sint gloria & ignominia. Quomodo uerò arma iustitiæ sunt gloria? quoniam multos inducit ad pietatẽ, honor qui defertur doctoribus. Quid igitur? hæc ne Pauli uirtus? hoccine decorum? profectò: quia non inflabatur, non intumescebat, si celebraretur afficeretúrue gloria. Ignominia autem patientiam efficiens, ipsum probatum efficiebat, prædicationemq; eius felicem reddebat.

Per infamiam & bonam famã.] Hoc etiã arduum est, infamiã sustinere: ualde nanq;
Matt. 5. animum cõmouet. Propterea Dominus etiã beatos prædicat, qui opprobria ferant patienter. In tormẽtis enim corpus cũ anima partitur dolores, in cõtumelia uerò siue in-
Iob 2. famia, totũ onus animæ imminet: unde & diuo Iobo isthuc cæteris plagis grauius erat.

Tanquã seductores & ueraces.] Hoc est quod dixit, Per ignominiã & bonã famam. B

Velut ignorati, & agniti.] Alijs nanq; adamati & cogniti erant, alij uerò non nouisse quidem eos uolebãt. Hoc aũt idem est cum eo quod dixit, Per gloriã & ignominiã.

Tanquam morientes, & ecce uiuimus.] Hoc est, tanquam morti addicti & condemnati, ac quatenus ad mentem insidias statuentiũ pertinet, morientes, per Dei autem potentiam ecce uiuimus.

Castigationis utilitas. Psal. 117.

Tanquam castigati, & non occisi.] Permittit, inquit hæc Deus, ut erudiat nos & castiget. Proinde non exiguum lucrum est castigatio, ante etiã præmia quæ inde proueniunt. A Dauide autem hoc desumptum est. Castigans enim, inquit ille, castigauit me Dominus, & morti non tradidit me.

Tanquam dolentes, semper autem gaudentes.] Apud incredulos quidem uidemur mœsti esse, cæterùm uoluptas nobis est florida & uiuax. Non enim aliàs quidem lætamur, aliàs uerò mœremus, sed nunquam non gaudemus.

Tanquam egentes, multos aũt locupletantes.] Opibus spiritualibus multos locupletes reddebat, imò etiam sensibilibus & externis diuitijs. Etenim omniũ ædes sibi apertas habens, opulentissimus erat, quippe qui alijs impertiri posset, eosq; alere, perinde ac sanctos in Hierusalem. Indicat autem hoc & per sequentia.

Galat. 4.

Tanquam nihil habentes, & omnia possidentes.] Qui enim nulli rerum temporalium ad uictum & amictum pertinentium adfixus est, quę omnium sunt habet. Si fieri posset, inquit, oculos uestros effossos mihi dedissetis. quomodo igitur huiusmodi pecunijs pepercissent erga Paulum? Hæc autem omnia illis recensuit, ne turbentur super quapiam re, quæ tristis esse uideatur.

Obiurgandi fiducia charitatis indicium.

Os nostrum patet ad uos ô Corinthij, cor nostrum dilatatum est.] Commemoratis certaminibus proprijs atq; laboribus, monstratoq; per narrationis modum, quomodo eos se imitari oporteat, in posterum eos notaturus est, quasi non magna perinde dilectione eum prosequantur. Antea uerò quàm hoc faciat, propriam suam eis charitatem ostendit. Semper, inquit, uolo uobis loqui & disserere, ac liberè, cumq; fiducia uerba facere. Hoc enim indicat per hoc quod ait, Os nostrum patet siue apertum est. Sic autem dicit, quia eos obiurgaturus est, indicans eam esse maximè dilectionem, ipsam uidelicet loquendi libertatem. Non solum autem ore ostendo dilectionem meam,

meam, uerumetiam corde amplum illud & latum erga uos habens. Feruor enim dilectionis os etiam meum aperit, & cor meum dilatauit, amplumq; reddidit, ut omnes uos capiat. Vnde etiam infert,

A

Et non angustiamini in nobis: angustiamini autẽ in uisceribus uestris.] Vos, inquit, in meo corde lato citrà angustiam locum habetis, idq; cum tot sitis. In uestris autem uisceribus angustiam multam habetis, nec potestis latè capere me, cum tamẽ unicus sim: hoc est, ego quidem ualde uos diligo, uos uerò diligitis quidem me, & habetis me in uisceribus, sed angusto loco & modo, non amplo.

Eandem aũt retributionem, tanq; filijs dico, dilatamini & uos.] Eandẽ, inquit, compensationem amicitiæ & æqualitatẽ uos adferte, ac latos uos quoq; reddite, necnõ explicate uos perinde ac ego. Indicat aũt hoc esse debitũ: Vt filijs enim, inquit, dico. Nihil magni postulo, siquidẽ pater cũ sim, à filijs amari cupio. interest enim puerorũ hoc.

Ne ad alteram lancem acclinemini cum infidelibus.] Ne propter seipsum uideatur hæc dicere, innuit se propter eorũ commodum indigere amicitia uel amore illorum, perinde quasi dicat: Hoc est diligere me, si non commisceatis uos infidelibus, nec accli neris uos ad partem eorum. Non dixit autem, non commisceamini, sed ne ad alteram lancem inclinemini, hoc est, iniuria afficiatis iustum, cum acclinamini & apponimini istis quibus non fas est uos acclinari. Verbum enim ἑτεροζυγεῖν, alteri lanci incumbere, de iniusta libra dicitur, quando nimirum altera lanx grauior extiterit.

Quæ enim participatio iustitiæ cum iniquitate?] Hîc nõ suijpsius & infideliũ cõparationẽ facit, cæterũ Corinthiorũ uirtutis & ingenuitatis, illorumq; prauitatis, quemadmodum si pater uideat filiũ cum hominibus deprauatis conuersantem, ad eum dicat, Quæ est cõmunicatio tuæ generositati cum illorum pollutione? Vos igitur re ipsa, inquit, iustitia estis, illi uerò iniquitas. quid igitur uobis cum illis commune est?

Quæ aũt societas lucí ad tenebras? Quæ est conuentio Christo ad Belijaal?] Omnibus modis uolens ut ipsi deficiant ab infidelibus, non dixit, quę est societas illustratis lu

B

mine cum tenebricosis? uel, Christianis cum Belialitis? uerùm res ipsas pro personis posuit, lumen & tenebras, quod plus est, Christum & Belijaal, quod significat desertorem uel defectorem. Hinc autem omnino terribiliorem orationem fecit. Belijal.

Aut quę est pars fideli cum infideli?] Hîc personarum meminit, ut ne uideatur uitia simpliciter accusare, uel uirtutem commendare.

Quis autem consensus templo Dei cum idolis? Vos enim estis templum Dei uiuentis.] Qui Christo non dederunt nomen, increduli, templum idolorum sunt, uel ipsa etiam idola. Vos autem templum Dei estis, nõ talis Dei, quales ipsi fingunt, sed uiuentis. Quis igitur consensus, id est similitudo uel conuentio uobis ad hos?

Sicut dixit Deus: Quoniam inhabitabo in ipsis, & inambulabo, eroq; ipsorũ Deus, & ipsi erunt mihi populus.] Vt ne uideatur adulari, ex scriptura confirmat quomodo sint templum Dei. Quòd igitur Deus in nobis habitet, prioris uitę puritas sanè præbet: q; uerò ambulet, conatus posthac & diligentia facit. Cum enim homo purus fuerit, inhabitat eum Deus: pòst, si ad aliud quoddã opus moueatur, inambulare dicitur, quando iam Deus, eius quoq; Deus fit, dum in patriarcharum ordinem peruenit. Leuit. 26. Deus in nobis inhabitat.

Propter quod exite de medio eorum, & separamini, & impurum nolite tangere, & ego suscipiam uos, dicit Dominus.] Non dixit, ne agatis absurda, sed ne attingite quidem. Impuritas autẽ duplex est, altera quidem corporis, altera uerò animæ. animæ quidem, ut sordidæ cogitationes, & intueri impudicis oculis, uindictæ cupiditas, siue iniuriæ recordatio, doli, idq; genus alia: corporis uerò, ut fornicatio, adulterium, omnisq; impudicitia. Vult igitur utrinq; nos esse puros. Egredimini igitur ex medio infidelium & segregemini, hoc est, soli agite, separemini, & puri estote, tum suscipiã uos. Cum enim discesseris à prauis, tum unieris Deo. Esai. 52.

Et ero uobis in patrem, & uos eritis mihi in filios & filias, dicit Dominus omnipotens.] Viden' quî prædixerit propheta, quæ iam in nos peruenit per baptisma, regenerationem, filiorumq; adoptionem? Hier. 31.

CAPVT VII.

HAs ergo habẽtes promissiones charissimi, mundemus nos ab omni inquinamento carnis & spiritus.] Quales promissiones? Quòd templum simus Dei, q habea

mus

mus eum inhabitantem in nobis,& inambulantē cùm Deum tum patrem, purgemus A
nosipsos ab impuris operibus(hæc enim carnis sunt coinquinatio)& à sordidis ac turbidis cogitationibus.hæc enim sunt contaminatio spiritus,id est animæ.

Perficientes sanctificationem in timore Dei.] Nō satis est abstinere ab impuritate, uerùm opus est etiam quicquam boni perficere.Sanctificationem,siue sanctitatem,id est puritatem ac temperantiam. In timore autem Dei apposuit, uel quia est temperantia instituta,ut placeat hominibus,& non sunt secundum Dei metum: uel ostendit nobis quomodo hanc perficiamus,nempe in metu Dei. Nam etiā si sæuiat concupiscentia carnis,timorem Dei habe,ac tolletur insania. Non solam autem temperantiam per sanctimoniam intelliges,uerumetiam quamuis in uita puritatem.

Cōcupiscentiam,Dei timor coercet.

Capite nos, neminem læsimus,neminem corrupimus,neminē fraudauimus.] Rursus sermonem de charitate mouet. Quia enim terruerat eos cum diceret quòd à Deo resilirent,agglutinarenturq; incredulis & impuris,nunc mitigat eos,inquiens:Capite nos,hoc est,accipite nos lato dilectionis cāpo,neq; sit arctus nobis in uobis locus.Perstringens aūt pseudapostolos,nullumq;,inquit,læsimus,in pecunijs: neminē corrupimus,hoc est decepimus,in doctrina impia mentē eius perdētes:neminē fraudauimus, hoc est non rapuimus,non quæstum nostrū fecimus uerbi & prædicationis prætextu.

Non ad condemnationem hæc dico.Prædixi enim, quòd in cordibus nostris estis, ad cōmoriendum & ad conuiuendum.] Non ut uos condemnē,hæc dico. Vnde perspicuum est: ex charitate:quòd in cordibus nostris sitis. Quia uerò fieri potest ut quispiam diligat,nec uelit tamen unà periculis se submittere,propterea dixit,ad cōmoriendum. Ac quia multi prosperè agentibus hisce amicis,non gratulantur aut congaudent propter inuidentiam,addidit:& ad cōuiuendum. Totum aūt quod ait,est huiusmodi: In periculis nō fugiemus uos,in secundiore rerū statu cōuiuemus,& nō inuidebimus.

Multa mihi fiducia est apud uos, multa mihi gloriatio de uobis.] Quia uidebatur eos ferire cum diceret,Angusto loco constringimini,& capite me: defendit nunc sese, B
medicinam adeoq; curam illis adhibens. Non ut condemnem uos, hæc locutus sum, sed ob multam meam, quam mihi de uobis polliceor, fiduciam ac libertatem, & quia cupio ad uirtutem uos promouere. Quòd enim uos non condemnem, uel inde planū est,quòd etiam apud alios uestri nomine glorier.

Repletus sum cōsolatione,superabundo gaudio in omni tribulatione nostra.]Quia correxistis ea propter quæ uos in priore epistola condemnaui,consolatione me replestis.Nec solùm me cōsolati estis,quod est à tristitia discedere, uerumetiam lætitia largiter me implestis,Lætitiæ nanq; copiam indicat per uerbum ὑπερπερισσεύομαι,hoc est superexubero. Ac tantū,inquit,gaudiū erat,ut in omni afflictione nostra,& quidem magna suffeciſſet illud,extinxissetq; illā. Hæc porrò uidentē pugnare cū ijs quæ paulo antè de ipsis dixit,sed nō pugnant. Et hæc enim & illa amātis sunt:illa quidē arguentis,hæc aūt stabilientis q non ex inimicitia hæ sint increpationes, uerū ex uehemēti dilectione.

Etenim cum uenissemus in Macedoniam,nullam requiem habuit caro nostra.] Enumerat calamitatem suam & afflictionem,attollitq; sermone,ut ostendat ingens esse gaudium quod ex ipsis dimanet,siquidem tantum dolorem repulerit represseritq;.Pulchrè autem dixit carni non fuisse quietem:anima enim diui Pauli est inuicta.

Sed omnem tribulationem passi sumus:foris pugnæ.]Ab infidelibus.

Intus terrores.] Propter imbecilliores fideles, ut ne seducantur à uanis fratribus.

Sed qui consolatur humiles,nos consolatus est Deus in aduentu Titi.] Quia multa *Titus.*
eis tribuerat,producit testem Titum. Quis uerò consolatur humiles: Deus,inquit: ille & nos cōsolatus est,utpote qui Titum nobis miserit. eius enim aduentus satis fuit ut dispergeret afflictionem nostram. Vult autem istum uirum illis uenerabilem & suspiciendum reddere.Quare magni admodum facit eius aduentum & præsentiam.

Non solùm autem in aduentu eius,uerumetiam in consolatione quam ipse accepit in uobis.] Non solùm,inquit,ob eam causam quòd mihi astiterit, afflictionis meæ tempore consolationem sum nactus,cæterùm quia & huiusmodi uestram uirtutem nobis denunciauit,ex qua & ipse solamen adeptus est,hoc est,gauisus est in uobis,suscipiens uos propter uirtutes uestras.Conciliat autem & familiarem facit ipsis hunc uirū,quasi deprædicarit eos apud ipsum.

Referens

Referens nobis uestrum desiderium, uestrum fletum, uestrā æmulationē pro nobis.] Verisimile nanq; erat eos lugere & dolere, q̄ ita ægro esset animo præceptor, q̄ tanto item tempore abesset. Hinc non simpliciter dixit lachrymas, sed fletū siue lamentationem: neq; cupiditatem, seu desiderium, hoc est uehementem inquisitionē: neq; iram, sed æmulationē aduersus eum qui fornicatus erat. Propter me enim accensi estis & usti, ut iussa mea capesseretis, etiā ut aduersum pseudapostolos æmularemini pro me. Hęc aūt dicit Apostolus, nō solum priores ictus & terrores curans, cæterùm reuera etiā suscipiens eos qui sese emendarāt, melioresq; mores induissent. Erant enim scelerati multi, & indigni his laudibus, attamen illos ipse non diducit, uerū cùm encomia, tum uituperia cōmunia in mediū ponit, dans ita cuilibet sibi cōscio eligere quod ad se pertinuerit.

Ita ut magis gauderem.] Ex præsentia etiam eius exhilaratus, magis, inquit, gauisus sum, quia talia mihi de uobis annunciauit.

Itaq; etiā si cōtristaui uos in epistola, me non pœnitet, quamuis pœnitebat me.] Etsi huiusmodi scripserim uobis, quibus excesserim modum obiurgationis, ut adeò me pœniteret q̄ ultra modum uos increpuerim, ingēs tamen cōmoditas quæ inde profluxit, non sinit me porrò pœnitentia duci. Hæc autem dicit, non quòd reuera immoderatè eos increpuerit, uerùm ut præconia eorum maiora faciat. 1. Cor. 5.

Video enim q̄ epistola illa, etiamsi ad tempus, uos cōtristauerit. Gaudeo nunc, non q̄ contristati estis, sed q̄ contristati estis ad pœnitentiā.] Tristitia ad horā durat, est temporaria, cōmoditas aūt perpetua. Gaudeo uerò, non q̄ contristati estis: quid enim lucri mihi accedit ex eo q̄ uos mœreatis? sed quia cōtristati estis ad pœnitentiā. Obserua autem quomodo tristitiā epistolæ attribuat, neq; dicat q̄ profuerit eis q̄ iuuerit eos, quod etiam uerum erat, sed illorum uirtuti rem adscribit. Vos enim, inquit, contristati estis.

Contristati autem estis secundum Deum, ut in nullo detrimentum patiamini ex uobis.] Obiurgati à nobis, contristati estis secundum Deum, ac in nulla porrò re à nobis læsi estis, damnúmue passi. Omnes enim uos, & ipse qui extremè deliquerat per fornicationem, mores uestros correxistis. Præceptor enim tum discipulo damnum infert, quando delinquentem non obiurgat. si enim increpitus esset, facturus erat lucrum, emendaturusq; erat sese discipulus. *Præceptor discipulum peccantem non obiurgans, damnum illi affert.*

Tristitia nanq; quæ est secundum Deum, pœnitentiam ad salutem haud pœnitendam operatur: mundi uerò tristitia mortē operatur.] Philosophatur de mœrore, ostendens q̄ non semper sit noxia res mœror, sed quando secundum mundum fiat, hoc est, propter pecunias, propter gloriam, propter mortem obeuntes. Ipsa enim mundi tristitia mortem efficit, omnino quidem animæ, sæpenumero autem & corporis mortem. haud pauci enim ob has res perierunt. Propter peccata uerò si quis uolens tristatur, secundum Deum contristatur. Medicina enim hæc ad hanc ægritudinem solam cōmodat, haud pœnitendam salutem efficiens (nemo enim seipsum condemnat peccati nomine contristatum) eaq; medela à morte animæ hominem eripit. *Cōtristatio, peccati medela.*

Ecce enim, q̄ secundum Deum contristati fuistis, quantā in uobis genuit solicitudinem.] Non ab alijs, inquit, demonstro commoditatem ex mœstitia quæ est secundum Deum, prouenientem, sed ex uobis. Non tantum enim non pœnituit uos q̄ contristati fueritis, imò potius studiosiores, magisq; seduli facti estis.

Sed defensionem.] Erga me. Excusati enim apud me estis, quia resipuistis.

Sed indignationem.] Erga eum qui fornicatus erat.

Sed timorem.] Erga me: metus enim erat, tanta adeoq; festina correctio.

Sed desiderium.] Erga me. Cum dixisset metum, ne putaretur ista ex authoritate quadam suiipsius dicere, statim correxit, desiderium inquiens: quod charitatis, non potestatis erat indicium.

Sed æmulationem.] Pro Deo.

Sed uindictam.] Legum Dei: ulti enim estis iniuriam passos.

In omnibus exhibuistis uos, incontaminatos esse in negotio.] Non solùm, inquit, nihil tale estis ausi, quale commisit fornicator iste, sed neq; oblectati estis. Quia enim in priore epistola dixerat, Et uos inflati estis, quòd eos socios constituebat sceleris, talem, inquit, iam nunc suspicionem de uobis detriuistis, demonstrastisq; uos esse puros ab hac reprehensione. 1. Cor. 5.

Igitur

Igitur etiamsi scripsi uobis, non propter eum qui fecit iniuriã, nec propter eum qui passus est, sed ad manifestandam solicitudinem nostrã quam habemus pro uobis erga uos corã Deo.] Ne dicant ei, Quid igitur increpabas nos, si sancti & casti in opere eramus? ait: Adeò habeo gratiam literis illis, nec pœnitet me obiurgationis, ut dica quòd propter hoc ipsum hæc scripserim, ut dilectio mea & solicitudo mea pro uobis manifestetur erga uos corã Deo, hoc est, inspectante Deo, quoniã uera est. Metuebam enim ne & in uos perueniret contagiũ. Quem autem dicit iniuriam intulisse, & iniuria adfectum: eos qui fornicati erant, utrique enim se mutuò iniuria adfecerunt. Quomodo autem dicit, quoniam non propter hos scripsi? Hoc est, scripsi quidem propter hos etiam, sed non præcipuè propter eos, propter uos uerò potius: cauens atque operam dans, ne ciuitas uniuersa læderetur: perinde ac cum dicit, Nonne Deus curam gerit boum? non hoc dicit quòd Deus nulla boum cura tangatur: qui enim aliàs perstitissent? uerũ quia propter illos Deus præcipuè non sancit leges.

Fornicãtes, se inuicem iniuria affecerunt.

1. Cor. 9.

Propterea cõsolationem accepimus.] Eò quòd studium meum apparuit pro uobis, nec fraudatus sim spebus meis, propter hoc (inquit) maximam consolationem accepi.

Super consolatione autem uestra abundantius magis gauisi sumus super gaudio Titi.] Nunc uerò ad consolationem qua consolati estis me, ut dictum est, longè adhuc uehementius gauisus sum super gaudio Titi. Ipsa uerò lætitia & consolatio ex uobis est, & propter uos. Ait ergo deinceps:

Quia refectus est spiritus eius ab omnibus uobis. Nã si quid gloriatus sum de uobis, non sum pudefactus.] Eam ob rem exhilaratus sum, inquit, quòd inuenit uos Titus tales, quales ego ipse dixi uos esse. Proinde & ipse recreatus est, cum tales uos inuenerit, neque quicquam asperum aut iniucundum ipsi à uobis occurrit. Quòd uerò Paulus gloriatur discipulorum nomine, indicat uirtutibus eos conspicuos fuisse, ipsumque liberorum amantem. Tales igitur hodieque conuenit discipulos esse atque præceptores.

Sed sicut omnia in ueritate locutus sum uobis, sic & gloriatio nostra quæ fuit super Tito, uera fuit.] Vt, inquit, quæcunque prædicaui uobis, uera fuerunt: uel quia uerisimile erat eum de Tito ipsis encomia dixisse: quemadmodum igitur hæc omnia uera, sic quæcunque de uobis gloriatus sum, uera uisa sunt.

Et uiscera ipsius abundantius sunt erga uos.] Titum ideo ipsis commendat, ut & ipsi rursus eum diligant, ceu colligatum ipsis, & ipsorum amore flagrantem. Hinc enim dixit uiscera eius, ut affectum & ignem genuinæ charitatis indicet.

Reminiscentis omniũ uestrûm obedientiã, quomodo cũ tremore & timore excepistis illum.] Causas reddit propter quas Titus eos adeò diligat: ostendens principiũ dilectionis ex ipsis esse, simulque eos ad hanc adhortatur. Non enim simpliciter charitatem aut studium uestrum erga ipsum ostendistis, sed obedientiam, tanquam liberi patrem recipientes, imò tanquam etiam principem: nam cum timore, adhuc autem & cum tremore. Duplicem enim ipsis uirtutem inesse testatur, dilectionem, ueluti ad patrem: & metum, tanquam ad principem: ut neque charitas timoris expers deficiat, neque timor à dilectione seiunctus iniucundus sit, & ingratus.

Timoris & charitatis coniunctio.

Gaudeo quòd in omnibus confido in uobis.] Non propter Titum tantum gaudeo, quòd honoratus sit à uobis, uerùm quia tales uos inuenio, qui nõ pudefaciatis me, sed potius cõfidentem reddatis, ac liberè de uobis loquentẽ, in omni re ac tempore. Quin & aliter confido etiam ac polliceor mihi de uobis, quòd quæcunque dixero uel fecero, libenter uos suscipiatis, & ad uestram emendationem, siue increpare siue commendare opus fuerit.

CAPVT VIII.

NOtam autem facimus uobis fratres gratiam Dei quæ data est in ecclesijs Macedoniæ.] Non frustra in superioribus multis præconijs eos euexit, uerùm antea lenijt eos, quia ad paupertatis amorem eos adhortaturus erat. Propterea enim & suprà dixit, Confido in uobis, hoc est, quæcunque uobis dico, facitis. Non dixit autem statim, Date eleemosynam: sed quæ ab alijs acta erant, in medium promens: ad similem zelum & hos adhortatur. Obserua autem quomodo gratiam Dei misericordem mentem appellet: partim quidem gratum, inuidiaque carentẽ sermonem faciens: partim ut Corinthios prouocet, quò & ipsi idem tanquam donum Dei arripiant. Non

Suprà 7.

dixit

A dixit autem huic uel illi urbi, uerùm totam Macedoniam commendat, ut & ipsi omnes ex æquo ad similia respiciant.

Quod in multo experimento tribulationis abundantia gaudij ipsorũ fuit.] Id est, multum afflicti, & sic ut probati fiant per patientiam: non succubuerunt tamen, sed magis gauisi sunt: & non simpliciter, uerùm cum exuberantia.

Et profunda paupertas eorũ abundauit in diuitias simplicitatis eorum.] Hoc est, quemadmodũ ingens adflictio exuberauit in lætitiam: sic ingens & profunda eorũ paupertas nõ solùm non impedijt eos ad eleemosynam, sed exuberare potius eos ad opes persuasit. Non dixit autem datorum, sed simplicitatis, hoc est, candidi animi, et ad largiendum prompti. Non enim ex multitudine donorũ, sed animi promptitudine liberalitas æstimatur. Hoc autem mirandum, quòd tanta ex paupertate (direpti nanque sunt à proprijs contribulibus) tantam declararint liberalitatem.

Beneficium non multitudine donorum, sed charitate metitur.

Quia pro uiribus testimonium illis reddo, & supra uires uoluntarij fuerunt, cum multa exhortatione obsecrantes nos.] Interpretat quod dixit, Pro uiribus, inquiens, imò & supra uires, hoc enim appellat exuberantiam simplicitatis, supra uires inquã. Quinetiã nõ admoniti à nobis, uerũ sua sponte. Ecquid hoc dico? illi igitur ipsi multum adhortabant nos & rogabant. Hæc autẽ dicit, ut & ipsos cõmonefaciat nõ tam ut multa dent, cũ ut cum alacritate dent. Hanc ob rem immorat in eodem sermone.

Gratiam & cõmunicationem ministerij quod fit in sanctos.] Deest, adhortabant nos suscipere ministeriũ hoc. Gratiam autem dixit, ut postquam æmulatores essent spiritualium charismatum Corinthij, accurrant etiam huic ueluti charismati, perinde ac suprà cõmemoratum est. Communicationem autem uocauit, ut discant quòd nõ solùm dent, uerum etiam accipiant.

Et non sicut sperauimus.] Non speraſſemus, inquit, quòd quum in tanta paupertate & afflictione essent, nos adeò enixè rogare in animum induxissent, ut susciperemus ministerium eorum.

Sed seipsos dederunt primũ Domino, deinde & nobis per uoluntatẽ Dei.] Alias eorum uirtutes hic commemorat, testimonium illis perhibens. Non enim postquam eleemosynæ curam gesserunt, excæcati alia neglexerunt: cæterùm seipsos dederunt totos Dño, ad omne opus Deo gratum prorsus, & non duplici animo nutantes. Nobis autẽ dederũt seipsos, hoc est, in omnibus obedientes & subiecti fuerunt, charitatẽ ostenderunt per uoluntatem Dei, hoc est, uti Deo placet, & non humanæ rationi.

Vt nos adhortaremur Titum, ut quemadmodum iam antea cœpisset, in uobis sic perficeret gratiam hanc.] Adeò, inquit, illi sese ad eleemosynam dederũt, ut ego conspicatus rem, anxiè cogitarẽ pro uobis, ne ipsis inferiores essetis, ac propterea adhortarer Titum ut ueniret ad uos: quod & ipse iam antea exorsus erat, id est, proposuerat uenire ad uos, priusquam eum cõmonefacerem. Familiarem autem per ista ipsis conciliat Titum, ut ubi uenerit, atq; de eleemosyna consultet, facilius ei credant, ceu cogitanti quæ ad eorum salutẽ faciant. Rursus autẽ gratiã uocauit rem istam: magnũ enim reuera est donũ Dei, ut quod eum in quo est, assimilare possit Deo. Vnde & sapiens quispiam dixit: Magnũ quiddam homo, & pretiosum quiddã uir misericors.

Sed sicut in omnibus abundatis fide, & sermone & scientia, & omni solicitudine & charitate uestra in nos, ut & in hac gratia abundetis.] Cum laudibus adhortatur, inquiens: Quemadmodum cætera omnia abundè tenetis, sic & hoc loco, non ut detis, uerùm ut exuberetis uel supra Macedones, uel ut largi sitis simpliciter. Fide autẽ charismatum indubitata, sermone uerò sapientiæ, scientia doctrinarum, & omni solicitudine erga aliam uirtutem, & charitate quæ ex uobis est in nos. Prædixit enim, Indicastis Tito dilectionem uestram in me, æmulantes pro me.

Non quasi imperans dico.] Hoc est, non cogo uos, neq; uelut aliquam in uos potestatem habens.

Sed per aliorum solicitudinem, etiam uestræ charitatis ingenuũ bonum comprobans.] Hoc est, propterea laudo Macedones, ut per illorum diligentiam, uestram erga pauperes sanctos dilectionem probatiorem demonstrem & fulgentiorem.

Scitis enim gratiam Domini nostri Iesu Christi, q̃ propter uos pauper factus est, cum dives esset, ut illius inopia uos diuites essetis.] Hoc est, cogitate, expendite uobiscum

Paupertas, diuitiarum effectrix.

biſcum ingens myſterium,& nulli rei parcetis. Si enim non credis ꝙ paupertas diuitiarum ſit effectrix, conſidera Dominũ tuum,& nõ amplius dubitabis. Niſi enim ille pauper factus eſſet,hoc eſt infrà iacentẽ & ingloriam carnem ſuſcepiſſet,aliaꝙ cuncta cõtumeliæ plena ſuſtinuiſſet,idꝙ propter nos indignos inimicos ſuos, nos haud eſſemus ditati. Quales autem opes ait? pietatem,puritatem & purificationem,ſanctificationem,cæteraꝙ bona,quæ cùm dedit,tum daturus eſt. A

Diuitiæ Chriſtianorum.

Et cõſilium in hac re do:hoc enim uobis utile eſt.] Animaduerte quomodo minimè moleſtus eſſe cõtendat. conſilium enim,inquit,do, id eſt conſulo, nõ neceſsitatẽ impono,Iſthuc autem conſilium do,eo ꝙ uobis magis proſit quàm accipientibus.

Qui non ſolùm facere,ſed & uelle cœpiſtis ab anno ſuperiore,nunc uerò & facto perficite.] Non porrò ex aliorum ſtudio eos cõmonefacit, cæterùm ex ſua ipſorum promptitudine.Sponte,inquiens,ueſtra ad hoc ueniſtis, nec fundamentum tantùm ieciſtis ad facere ipſum,uerùm & ad uelle,hoc eſt, ad hoc ut uoluntarij nullo,etiã adhortante,faciatis.Nunc igitur conſilium uobis do,ut & opus perficiatis.

Vt quemadmodũ promptus eſt animus uoluntatis, ita ſit & perficiendi ex eo ꝙd habetis.] Vt ne ad promptitudinẽ uſqꝙ bonũ conſiſtat, uerũ & perfectius re ipſa fiat. Perinde nanqꝫ ut promptitudinẽ & deliberationem uoluntas facit, ſic & opus ex facultate naſcitur. Qui igitur habet, impleat opus.nam qui non habet,ſiue qui non poteſt,quod ad uoluntatem attinet,opus impleuit.

Si enim uoluntas prompta eſt,ſecundum id quod habet accepta eſt,nõ ſecundum id quod nõ habet.] Intuere ſapientiã, qua ratione Macedones, Theſſalonicenſes inquam cõmendans, ꝙ ſupra uires præſtiterint, ab his nihil ultra uires poſcat.Si igitur animos pronos habueritis,pro uiribus quæ poteſtis contribuite, ac ſuſcipit hæc Deus.

Macedones, Theſſalonicenſes.

Non enim ut alijs ſit remiſsio,uobis autem tribulatio.] Nõ ut alij in quiete ac delicijs agant,uos oportet ſupra uires elargiri,ut ex hoc penuriam & afflictionem ſuſtineatis. Atqui Dominus uiduam etiam laudauit,quæ omnes facultates ſuas impertijt. Verumenimuerò Paulus hoc nunc non agit, partim quòd imbecilliores erant, partim quòd opulenti erant: unde omnino ſi pro uiribus ſuis dediſſent, præclara & eximia contributio fuiſſet. Deinde etiam ſperat Theſſalonicenſiũ exemplo eos magis excitandos,quare illorum arbitratui & poteſtati rem relinquit. Deniqꝫ in ſequentibus ſubobſcurè ad eandem rem inhortatur.

Mar.12.

B

Sed ex æqualitate in præſenti tempore ueſtra abundantia illorũ inopiã ſuppleat, ut & illorum abundantia ueſtræ inopiæ ſit ſupplementũ.] Hoc eſt, floretis uos opibus & pecunijs, illi autem florent fiducia & libertate erga Deum. Date igitur ex ijs quibus exuberatis pecunijs, quibus illi deſtituuntur: ut accipiatis à copia & fiducia qua illi quidem locupletes ſunt,uos autem inopes. Animaduerte quomodo clanculum confirmet ac probet ut ſupra uires etiam dent. Si enim uis ex abundanti accipere,da etiam ex abundanti: ſin totam uis omnino compenſationem accipere, tu pariter totum exhibe:quod quidem eſt ex inopia,& ſupra uires.uerùm id clàm (ut dixi) agit. Hactenus igitur,ut apparet,pro uiribus dare commendat.

Dandum etiam ſupra uires.

Exod.16

Vt fiat æqualitas,ſicut ſcriptum eſt: Quoniam multum non exuberauit,& modicum non dèfecit.] Quánam ratione fit parilitas? ſi & uos & illi exuberantia permutetis, ac defectus repleatis. Ecquæ eſt parilitas, ſpiritualia pro carnalibus dare? Non ſecundum precium, quo magni quicquam ęſtimatur: nec ſecũdum utilitatem rerum, quæ dantur uel permutantur,æqualitas dicta eſt,uerùm quatenus ex eo quo abundatis,datis uos:ac contrà,quo illi exuberant,uobis cõmunicant:ac iterum quo indigetis,ab illis accipiatis:& illi,quo opus habent,à uobis accipiunt: ſecundũ hoc eſt æqualitas. Præcipuè autem in præſenti tempore ea locum habet æqualitas: in futuro autẽ plurimum excellunt ea quæ ipſi donant. Proinde ſubmittite uos opulenti, ſiquidem in rebus ſtabilibus uos pauperes antecellũt. Producit autem quod de manna factum eſt, partim ut indicet quomodo fiat æqualitas: quando uidelicet qui multũ habet diues, dederit ꝙd ſibi ſuperfluit,ei cui parũ eſt:ſic fit ut ipſe neqꝫ abundet,neqꝫ alter deficiat,ut qui ab illo acceperit quo quod deerat cõpleret. ac rurſus idem fit in fiducia erga Deum. Simul uerò maius etiã aliquid perficit,ob oculos ponens opulentis,quòd quemadmodũ in manna,qui plus collegerant,& qui minus, omnes eandem habere menſu-

Mannæ myſterium.

A mensuram inueniebantur, Deo auaritiam & insatiabilitatem eorũ puniente: sic hodieq; non oportet nimium expetere.

Gratia autẽ Deo, qui dedit eandem solicitudinẽ pro uobis in corde Titi.] Cum de eleemosyna, quantum res poscebat, differuisset, deinceps cõmendat qui eam ob rem missi erant, ut omni suspicione carentes, uehemẽtius eos ad alacritatem & promptitudinem cõtribuendi impellant. Quia uerò inter hos primus erat Titus, laudat eum, Deiq; opus esse dicit quo ad ministrandã ecclesijs sit excitatus. Eandẽ enim curã & solicitudinẽ, quã & ego habeo pro uobis, Deus menti eius imposuit. Hinc uerò hortatur eos ut rationi cõsentaneã faciãt cõtributionẽ. Si em̃ Deus Titũ excitauit, Deus etiam deniq; per eum petit: par est ergo ut Deo dignam eleemosynam faciatis.

Quoniam adhortationem quidem suscepit, sed cum solicitior esset, sua uoluntate profectus est ad uos.] Vnde planum est q; Deus Titum excitauerit: Quoniam commonefactus à me, prompte & alacriter adhortationem à me suscepit, neq; quicquam murmurauit: imò & sua sponte exiuit, ut etiamsi ego ipsum non essem adhortatus, proprium tamen studium suum demonstrasset.

Misimus autẽ unà cum ipso fratrem, cuius laus in Euangelio per omnes ecclesias.] Nonnulli Lucam hic intelligi aiunt, propter Euangeliũ quod scripsit: nonnulli uerò Barnabam. Nam & prædicationem nõ scriptam, Euangelium uocat. Non immoratur autem in huius præconijs, perinde ac in Titi: forsan ideo, quia Corinthijs non erat cognitus, Titus autem abundè notus erat. Attamen & sic idoneum encomium adeoq; præclaram laudem texit. Non enim simpliciter dicit, Euangelion prædicat, uerumetiam laudatur: non à duobus uel tribus, sed ab omnibus ecclesijs. *Prædicatio etiã nõ scripta, euangelium.*

Non solùm autem, sed & ordinatus est ab ecclesijs comes peregrinationis nostrę, cum gratia hac quæ à nobis administratur.] Cõmendat hominem ex iudicio eorum qui ipsum selegerunt. Non enim tantummodo Euangelij uerbum prædicans commendatur ueluti probatus, uerùm ab ecclesijs electus est etiam, ut simul nobiscũ proficiscatur. proinde cùm tentationum tum periculorum est socius. Hæc autem Barnabæ magis quadrant. Electus est autem ad gratiam hanc, hoc est ad pecuniarum ministerium, ut unà nobiscum sit administer.

B Ad ipsius Domini gloriam, & promptitudinem uestram.] Hoc est, ut Deus glorificetur, & uos promptiores reddamini: utpote cum pecuniarum receptores probati sint, adeoq; spectatæ fidei, ut nemo aduersum ipsos suspicionem párere queat.

Veriti hoc, ne quis nos carpat in plenitudine hac, quæ administratur à nobis.] Decet hoc quod hic ait, sanctam Pauli animam, ingentemq; curam & submissionem. Eam enim ob rem, inquit, tales misimus: nec unum, sed plures. στελλόμενοι ueriti, id est suspicantes, & metuentes ne quis sinistram de nobis opinionẽ concipiat, qua cogitet nos quicquam è pecunijs in usum nostrum sublegere. Nec dixit, Ne uos, sed Ne quis alius: ne succenseant tanquam suspecti quòd de ipso talia sentiant. Siquidem plenitudo ipsa, id est copia pecuniarum, satis est idonea ut prauis suspicionem præbeat, nisi securitatem ostenderimus.

Prouidentes bona nõ solũ coram Deo, uerumetiã corã hominib.] En Pauli mentem, q; solicitus fuerit nẽ scandalũ poneret fratribus. Nõ enim dixit, Ego purus sum, lugeat qui uult: sed quemadmodũ, inquit, coram Deo prouideo, hoc est, curo uideri inculpatus, sic & corã hominibus: ac quanto sunt imbecilliores, tanto magis nos demittere oportet, quando quidẽ & paruulis pueris cõdescendamus, si laturi simus eos. *Scandalum fratrib. ponere Paulus ueretur.*

Misimus autẽ cum ipsis fratrem nostrum, quẽ probauimus in multis sæpe studiosum esse, nunc autem studiosiorem ob multã fiduciam quam habeo erga uos.] Alterum addit, fratrem eum nominans, & cõmendans ipsum ex hoc q; probarit ipsum, iudicaueritq; studiosum esse & in multis argumentis, & sæpe. Laudis autem exaggeratio est, hac ratione geminare dictionem. Nunc autẽ, dicit, studiosior factus est, tanq; confidens quòd uos largiorem eleemosynam facturi sitis, quam administraturus est.

Siue pro Tito qui est socius meus, & ad uos adiutor.] Hoc est, si quid mihi dicendum, super Tito eadem dicenda sunt, quòd collega meus sit, adiuuans me in institutione uestri & commoditate. Vel, si quid Titi nomine facturi estis, non uulgaris cuiuspiam nomine facietis, sed collegæ mei.

Siue fratres nostri.] Hoc est, siue pro alijs uultis quicquam audire, & illi multũ iu- A
ris habent cur fide digni uocentur: etenim fratres nostri sunt.

Apostoli ecclesiarum.] Hoc est, ab ecclesijs missi & electi.

Gloria Christi.] Quod omnibus maius est, posterius posuit. In Christum, inquit, omnia referuntur, quæcunq; illis obtingunt.

Ostensionem igitur charitatis nostræ & gloriationis nostræ pro uobis, erga ipsos ostendite in facie ecclesiarũ.] Nũc ostendite, inquit, quomodo diligatis nos, quomodo etiã nos nõ frustra gloriemur de uobis. Monstrabitis autẽ, num charitatẽ in ipsos ostendatis. Etenim & in faciem ecclesiarũ facietis, quod facietis ad hos, hoc est, ad honorem ecclesiarum. Faciem nanq; ecclesiarum habent illi, quæ miserunt ipsos.

CAPVT IX.

NAm de ministerio quod fit in sanctos, superfluũ est mihi scribere uobis.] Cum hæc antea dixerit, posteaq; hac rursum dicturus sit, superuacaneum sibi tamen dicit de his scribere. Sapienter autem hoc facit, ut magis eos attrahat. Pudefient enim si Paulus talem de ipsis opinionẽ habeat, quòd consilio nihil opus habeant ad id, ut sanctorum misereantur, postea autem deprehendantur ea opinione inferiores.

Noui enim promptitudinem uestram, qua de uobis apud Macedones glorior, q Achaia parata est ex anno superiore.] Noui, inquit, & ipse animi uestri promptitudinem: nec hoc solùm, uerumetiam glorior apud alios, quòd parata sit tota Achaia, nõ sola Corinthus: neq; quicquam deest, nisi ut ueniant qui pecunias accipiant. Quare pudori mihi est si uidear frustra & falso gloriari.

Suprà 8. Et uestra æmulatio prouocauit cõplures.] Atqui suprà dixit, uoluntarij, siue spõtanei rogantes nos: quomodo ergo nũc dicit, Aemulatio uestra incitauit plures? Nõ dixit Omnes, sed Plures. Alij nanq; sua sponte & rogantes nos contribuerunt, alij autẽ per uestram sunt æmulationẽ incitati: siquidem plures stimulo habẽt opus. Vel quia nõ consuluimus, nõ adhortati sumus, sed tantũ laudauimus uos, idq; satis fuit eis ad adhortationem. Viden quomodo & illos per hos excitet, hosq; per illos? Doctores, B inquit, illis facti estis. ne igitur discipulis uideamini inferiores, uos qui doctores estis.

Aemulationis a lurtutem stimulus.

Misit autẽ fratres, ut ne quod gloriamur de uobis, euacuet in parte hac, ut quemadmodum dixi, parati sitis.] Seipsum ueluti partẽ Corinthiorũ quandam facit, certatq; pro ipsis. Ait enim: Quia postquã uestri nomine gloriatus sum, metui ne pudefieremus, & propterea misi fratres, ut ne euacuet, id est frustraria & uana arguat gloriatio mea de uobis. Ego enim apud omnes propter uos glorians, etiã gloriatus sum apud illos. Itaq; si deficiatis, cõmunis est ignominia: sed nõ in omnibus, uerũ in hac sola parte, hoc est, ut ne pudeam in hoc solo de eleemosyna argumẽto, sed parati sitis, perinde ac dixi Macedonibus, q parati sint in tota Achaia omnes, neq; quicquã eis deest.

Ne quo pacto, si uenerint mecũ Macedones, pudefiamus nos, ne dicamus uos, in hac substantia gloriationis.] Rursus circa eadem uersatur, intenditq; angorẽ ab humanis rationibus ipsos permouens. Maior enim est uerecundia, si quisquã apud alienas personas rubore suffundatur. Forsitan, inquit, mihi confiditis ceu ignoscenti uobis: atenim Macedonas animo uoluite, qui forsan mecũ uenient, ueriſimile est enim hoc. Et si inuenerint uos, non dixit nolentes dare, cæterùm imparatos. Si enim nõ paratum esse, aut celeriter nõ contribuere, pudor est: quanto magis omnino nihil contribuere, uel minus quàm par sit? Corrigit autem sermonem dicens, Quoniam nos pudefiemus, ut ne dicam quòd uos, in hac substantia gloriationis: hoc est, non alia in re pudefiemus, præterquam in sola de eleemosyna gloriatione, cum cætera uestra reprehensionem non admittant. Hoc autem dicit non adulans eis, uerùm promptiores potius reddens, ut ne in alijs probati, in hoc non inueniantur probati, sibiq; ipsis inferiores. Cum uerò ait, ut ne dicam uos, ostendit q ipsi maiorem sint ignominiam relaturi: ipsorum nanq; peccatum est. Substantiam autem, subiectum, uel materiam uel rem ipsam, uel gloriationis essentiam intellige.

πλεονεξία auaritia, siue plus habendi cupiditas, uel fraudatio, siue circũuentio.

Necessarium ergo existimaui præmittere fratres, ut præparent hanc benedictionẽ uestram, ut sit parata, sic ut sit benedictio, & non * auaritia.] Vt ne uideatur sibi contrarius esse (cum enim suprà dixisset, superuacaneum mihi est scribere, nunc de his rursus disserit) obseruandũ est quòd hic de largitate & liberalitate disputet, ac de alacritate

A critate quam operi adhiberi par est: horũ enim gratia sese misisse fratres adserit. Duorum porrò pugnantiũm inter se admonens, ut dent amplè siue largè, & cum promptitudine animi, sapientissimè utraque aggreditur. Prius enim de alacritate eius qui dat, disputat: pòst de altero etiam capite. Ait igitur: Benedictio est quod datur, nemo autem benedictionem dans contristatur. Ostendit autem eos statim fructu suo germinare, benedictionecp repletos eos qui præbent. Necp hoc illi satis fuit, sed adiecit, & nõ ueluti auaritiam. Ne igitur existimetis, inquit, quòd ueluti auarè petentes, hæc accipimus, sed uolentes benedictionem uobis conciliare. Quare qui dat inuitus, ueluti auaritia, aut plus habendi cupiditate immodica tenetur.

Εὐεπποσύνarum fructus.

πλεονεξίᾳ τινί.

Hoc autem dico qui parcè seminat, parcè & metet: & qui seminat in benedictionibus, in benedictionibus & metet.] Ad aliud caput iam transit, quod est de dando largiter, inquiens: Hoc etiam adijcio ad ea quæ cõmemorauí, quòd non parcè oporteat dare. Et nõ dixit tenuiter, sed celebrius parsimoniæ uocabulum posuit. Ac semen opus ipsum uocauit, ut protinus ad retributionem respicias, ac discas cp plura accipias, quàm des. Cum enim dixisset, quòd largiter dandum sit, rursus etiã meminit cp cum animi alacritate pronacp mente dandum sit. Quod enim ait, seminans in benedictionibus, hoc indicat, perinde ac in superioribus dictum est.

Vnuscuiscp enim prout destinat in corde suo non ex tristitia aut necessitate. Hilarem enim datorem diligit Deus.] Immoratur sermoni quem de promptitudine in dando adduxit, compertum habens Macedonum exemplum sufficere ad hoc ut excitet eos quò plura dent, utcp rubore suffundat ac pudefaciat eos, si inferiores illis appareãt. Ipsorum autem mentem sanat, ut sit etiam uirtus quod ab ipsis fit, si enim in-
B uoluntarium est quod faciunt, non est uirtus. Vt igitur uerus præceptor, discipulos suos omnino uult pro uirtutis ratione ac formula facere quod faciunt. Simul autẽ ut & merces ipsis tota contingat, uoluntariò faciunt bonum. Nam inuoluntarium minuit, & succidit mercedem. Ob eam causam, inquit, unuscuiscp ut in corde suo destinat siue prædeliberat, non ex mœrore aut necessitate. Testimonia præterea ex Solomone producit. Atqui sermo Sapiẽti de largitate dictus est, ipse uerò intellexit eum de prona in dando mente: aut si malis, ad utraque retulit.

Ecclesi. 35.

Potens est autem Deus omnẽ gratiam exuberantem facere erga uos.] Hisce uerbis diluit ac inuertit cogitationẽ, quam multi habemus, Si multa (dicentes) dedero, metuo ne iam ad paupertatẽ redigar. Ait igitur: Deus potest adeò uos rerum copia affluentes facere, ut & omnem gratiam, hoc est eleemosynam possitis cum exuberantia facere. Date igitur largiter, ut & eleemosyna uestra magis magiscp exuberet.

Vt in omni re omnem sufficientiam habentes, abundetis in omne opus bonum.] Viden' non opes ipsis exoptat, sed sufficiẽtiam. Hoc autẽ dicens, indicat quòd neque adigat, necp compellat eos ex defectu siue inopia dare: necp eñ sufficientiã deinceps haberent. Simul autem docet ubinam oporteat donis Dei uti. Vt abundetis, inquit, ad omne opus bonum. Siquidem in carnalibus, uobis sufficientiam exopto: in spiritualibus aũt (hoc enim est quod ait, Ad omne opus bonũ) abundantiam etiam uobis imprecor, ut nedum abũde misericordes sitis, uerumetiã omne opus Deo placens liberaliter faciatis.

Sicut scriptum est: Dispersit, dedit pauperibus, iustitia eius manet in seculum.] Vt confirmet quod dixit, Vt exuberetis, ex Propheta testimonium protulit: Dispersit, hæc enim dictio, liberalitatem & exuberantiam indicat. pecuniæ igitur & facultates non manẽt: iustitia autem, hoc est amicus erga homines affectus siue humanitas (sic enim eã uocat, tanquã quæ hominem iustificet, ac peccata soluat) ea igitur perdurat in seculũ tum præsens, tum futurum. Hìc enim misericors ab omnibus diligitur: & ab illis prognati, à posteris diliguntur.

Psal. 111.

Iustitia, clementia.

Qui autem administrat semẽ seminãti, & panem ad manducandũ præstet, & multiplicet semẽ uestrũ, & crescere faciat germina iustitiæ uestræ.] Exoptat hìc illis & corporalia & spiritualia, sermonicp suo autoritatem conciliat à sensibili agricultura. Si enim terræ semina mandantibus Deus impertit semen, ac si corpus alentibus, alimoniam præbet: quanto potius cœlum colentibus, animamcp alentibus, suppeditabit sumptum? Dicens igitur, Suppeditet & multiplicet semen uestrum, de sensibus subie-

ctis opibus intelligit, quas uult ſpirituale ſemen effici, dum pauperibus erogãtur. A Hinc enim creſcit omne opus in nobis, atq; adeò iuſtitiæ manipuli augeſcunt. Propterea infert, Et creſcere faciat germina iuſtitiæ ueſtræ. Hic autem nota, quòd non delicias, ſed alimoniam, impertientem Deum introducat: Panem, inquit, ad mandu

Eſa.55. candum. Ex Eſaia hoc deſumptum eſt.

In omnibus diteſcentes ad omnem ſimplicitatem, quę efficit per uos gratiarum a-

Diuitijs quõ ſit utẽdum. ctionem Deo.] Indicat hîc rurſus quî nos diuitijs uti oporteat, quoniã non ſunt deſo diendæ, cæterùm ad omnem ſimplicitatem habendæ: hoc eſt, cum liberalitate quadam ſunt euacuandæ. Cum enim haud parum multi in ſcorta & mimos ſimplicitatẽ oſtendant. Talem, inquit, ſimplicitatem dico, quæ multam gratiarum actionem adfert Deo: imò uerò non ſolam gratiarum actionem, uerùm & multa alia quæ in progreſſu epiſtolæ deinceps ponit, ut ſic commonſtret pleraq; bona ex ſimplicitate progigni, proniores eos ad hanc efficiat.

Quoniam miniſterium huius officij non ſolùm ſupplet ea quæ deſunt ſanctis, uerumetiam abundat per multas gratiarum actiones Deo per probationem miniſterij huius, glorificantes Deum in obedientia confeſsionis ueſtræ in Euangeliũ Chriſti, in ſimplicitate cõmunicationis in ipſos & in omnes, & ipſorũ precatione pro uobis, deſiderantium uos propter eminentem gratiam Dei in uobis.] Miniſterium, inquit, id eſt ſuppeditatio hæc & contributio, multa perficit. Etenim non ſolũmodo repletis egeſtatem & indigentiam fratribus, uerumetiam exuberatis, hoc eſt, plus q̃ neceſſarium ſit, ipſis exhibetis, multæq; gratiarũ actiones fiunt per probũ hoc & comproba tum propter humanitatẽ miniſteriũ. Glorificant enim Deum, q; ſic ſubiecti ſitis, obe

Luc.11. dieritisq; Euãgelio, ut expleatis iuſſa eius cum liberalitate. Eleemoſynã enim Euangelium ipſum docet. Alia etiã ratione glorificant Deum, quia ſimplicitas & bonitas ueſtra non in ſolos ipſos, uerùm in omnes etiam fideles pauperes effunditur. Non enim inuidiæ affectu laborant, reliquorum mendicorũ inſtar, uerùm gratias agunt quòd alijs etiam detis: quod maximæ uirtutis eorum argumentum eſt. Quare huiuſ B

Bonis largius donandum. modi hominibus largius dandum eſt, qui adeò inuidia uacant, qui adeò uirtutibus ſunt prediti. Inſuper pro uobis etiam apud Deum interpellant, ut digni iudicẽtur uidere uos, non pecuniarum cauſa, uerùm ob excellentem Dei gratiam excellẽter uobis datam. Rurſus autem gratiam, eleemoſynæ negotiũ uocauit, omnia ita Deo accepta referens, ut ne ipſi attollantur. Cum autem dicit excellentem gratiam, excitat eos ut largiorem munificentiam faciant, ne exuperentur aut uincantur ab alijs.

Gratia autẽ Deo, ſuper inenarrabili dono eius.] Donũ hîc nominat bona ipſa quæ per eleemoſynã fiũt tum dantib. tum accipientib. uel bonorũ cõmonefacit, quibus donati dignatiq; ſumus p incarnationẽ Chriſti. perinde ac ſi dicat: Ne arduũ uos facere exiſtimetis. inenarrabilia em̃ ſunt bona q̃ accepimus à Deo. Quid igitur prædari eſt, ſi pauca eaq; corruptibilia demus?

CAPVT X.

IPſe autem ego Paulus obſecro uos per manſuetudinem & clementiam Chriſti.] Confectis de eleemoſyna ſermonibus auſteriora nunc orditur aduerſum pſeudapoſtolos, & eos qui calumniabantur ipſum ceu rudem & indoctum, & temerè ſeſe iactantem. Et futurum eſt ut ſeipſum commendet coactus, ne ipſius predicatio uilipendatur. Recenſet igitur quæ per ſe geſta ſunt, gratiamq; Dei ſibi datam. Itaq; non aberrauerit, qui hanc epiſtolam Pauli encomium dixerit. Exordij igitur talis quædã eſt ſententia, quam uerba indicant. ad eos nanq; loquitur, qui eum impotentem & arrogantem uocabant. Obſecro, inquit, uos ipſe ego Paulus, terrarum orbis doctor

Epheſ.3. Coloſ.1. (dignitatem enim & autoritatem indicãt hæc uerba, Ipſe ego Paulus: perinde ac illa, Ecce ego Paulus dico uobis & precor uos, ne me cogant conuiciantes mihi, uti potentia mea aduerſum ipſos. Magna autem res eſt apoſtolũ obſecrare. Porrò manſuetudinem etiam Chriſti ad interpellationem adducit. perinde ac ſi dicat, reueremini clementiam Chriſti. per quam uos obſecro: ſimul oſtendens cur eis parcat, nimirum ut imitetur manſuetudinem ſeruatoris Chriſti, non quia non poſsit quicquam aduerſus eos. Ne igitur cogatis me egredi, ac deficere à manſuetudine hac, quam adeò cupio, ut & interceſsionis loco eam obijciam uobis.

Qui in facie quidem abiectus ſum inter uos, abſens autem cõfido uobis.] Vel per

ironiam

A ironiam hæc dicit, calumniantium eum uerbis usus. Dicebant enim illi, Qui præsiò adest, nullius est momenti, sed utilis atq; cõtemptibilis. sin abfuerit, tumet & superbit, audetq; aduersum uos, & interminatur. Vel uerè hęc de se ipse dicit: Ego cum sum apud uos, humilis & mansuetus sum erga uos, ac etiamsi nunc magna proloquar, non ex arrogantia istud ago, sed quia confidam uobis.

Rogo autem uos, ne præsens audeã per eam confidentiã qua existimor audere in quosdam qui arbitrantur nos ueluti secundum carnem ambulare.] Precor, inquit, ne me adigatis cõfidenter uti potentia mea (confidentiam enim potentiam suam uocat) qua λογίζομαι, id est cogito audere, hoc est, in animum induco, ratiocinor, aut conijcio, eo q; illi me compellant, aduersum calumniantes nos, quasi hypocritæ & ostentatores simus. hoc enim est secundum carnem ambulare. Obserua autem quomodo audaciam appellat, q; omnino se de quibusdam ulcisci uelit, nec propter seipsum, cæterum ob uerbum à se prædicatum hoc facturus erat. Attamen magis interest præceptoris, in supplicijs contatorem agere, nec protinus ad illa adsilire.

λογίζομαι passiuè captum, id est, existimor, ut uulgaris habet translatio: sed actiuè sumptũ significat cogito, ut hic Theophyl. accipit.

In carne enim ambulantes, non secundum carnem militamus.] Hoc est, carne amicti, carnalibus armis haud utimur. De prædicatione enim disputat, ostendens q; non sit humana, neq; humanæ opis indiga. Quum dicit militamus, prælium & pugnam nos suscepisse indicat.

Nam arma militiæ nostræ non sunt carnalia.] Hoc est, non opes, non gloria, non eloquentia, non adulationes, non hypocrisis. talia enim carnalia sunt arma.

Sed potentia Deo, ad destructionem munitionum.] Non dixit, Sed spiritualia, hoc enim omnino debuisset dicere, ut carnali opponeretur: sed Potentia, subindicans ita eorum res esse imbecilles & impotentes. Considera autem demissum in eo spiritum. non dixit enim, nos potentes sumus, sed arma potentia Deo, hoc est, Deus ipsa potentia effecit. Quia enim agebantur, & flagris cædebantur, infirmitatis autem hæc esse uidebantur, Deo (inquit) potentia sunt hæc. Dei nanq; robur per hæc maximè ap-
B paret. ille enim est qui operatur & bellum gerit, etiamsi nos illis amiciamur. Vbi autem sunt potentia ad demolitionem munitionum. Ecquas munitiones adfert?

Ratiocinationes destruentes.] Græcorum sapientum syllogismos intelligit, fastũ eorum demolimur hisce armis, uel quia ratiocinationes siue cogitationes eorum & animas deijcimus ex errore quo detentæ fuere, ac ueritati subijcimus. Areopagitæ ẽm ratio & magna mens sublata est ab impietate, sufflexaq; est pietati. Animaduerte quòd non dixerit, Machinas admouemus: sed Statim demolimur, tollimus, cùm uictoriæ facilitatem, tum armorum potentiam indicans.

Syllogismi Græcorũ. Actuũ 17

Et omnem altitudinẽ extollentẽ se aduersus scientiam Dei.] Perseuerat in tropo, ut clarius quod uult significet. Si, inquit, altitudo fuerit, hoc est, turrita munitio, propugnaculũ resistens scientiæ Dei, adeoq; Euangelio, id quoq; demolimur.

Et in captiuitatẽ redigẽtes omnẽ intellectũ in obsequiũ Christi.] Captiuitatis uocabulũ duo significat, & ex libertate lapsum, & perfectam captionem, qua quis ita capitur, ne resistere unquam possit. Iuxta secundam igitur significationem nunc Paulus dixit, captiuantes. Non enim tantum, inquit, superiores sumus & uictoriam obtinemus de omni humana cogitatione & intellectu, sed in captiuitatẽ etiã redigimus, quę est consummatior uictoria. Deinde qa captiuitatis uocabulũ graue est, addit, ad obsequiũ Christi, hoc est, ad seruitutẽ eos redigimus omni libertate precioſiorẽ, ab interitu nimirũ ad salutẽ, à morte ad uitã subijcientes eos Christo. Animo igitur reuolue eos qui magicæ artis libros Ephesi cõbusserunt, & uidebis quõ Paulus captiuos duxerit.

Actu. 19.

Et in promptu habentes ulcisci omnẽ inobedientiam cum impleta fuerit uestra obedientia.] Hic illos etiam terruit. Vos, inquit, etiam expectamus, ut postquam per admonitionem nostram correxerimus uos, & ab illis deficere fecerimus, tum illis solis incurabilibus relictis, sectionem adferamus. In promptu igitur habemus pœnam & ultionem, cæterùm cum uos illis mixti sitis, prohibemur adhuc, ne & uos plaga contingat. Per hoc quod ait, Quum completa fuerit obedientia uestra, tacitè indicat eos quidem obedire etiamnum, sed imperfectè. Hæc autem interminatur, ut & hi & illi meliorem uitam induant, & ut neminem ferìat aut lædat. Solent & in nobis consistere ratiocinationes & cogitationes, peioribus aduersum potiores luctantibus. Dein-

de fiunt exaltationes uel altitudines, uictoriam uidelicet obtinentiũ, quando cõtra di A
uinam cognitionem eriguntur in tantum, ut & intellectus locũ occupent, quales sunt
q dicunt furores siue numinis afflatus. Est em intellectus, simplex & ratiocinatione
uacans mentis actio, impetúsue ipsa opera melius ostendens q demonstratio. Sunt
igitur & in ijs quibus à dæmonibus imponitur, tales, ut uidetur, intellectus, quos Pau
lus, & siquis alius Pauli spiritu ductus, captiuos ducit ad obedientiam Christi.

Βλέπετε, id est uidete uel uidetis. sicmox ἐφόρισε, id est iudicate uel iudicatis.

Quæ ad faciem sunt† uidete.] Non solos deceptores perterrefacit, uerumetiã decep
tos increpat. Propterea dicit, ex ijs quæ apparent iudicate, si quis superbit, si quis lo-
cuples est, si quis uirtutis imagine uestitus est.

Pseudapostolorum insolentia.

Si quis confidit sibi Christi se esse, hoc rursum apud sese cogitet, q sicut ipse Chri-
sti est, ita & nos.] Pseudapostoli gloriabãtur & superbiebant q Christi essent, & quòd
Christum ipsi uiderint forsan. Apud seipsum autem dixit, pro, non expectet nostram
aduersus ipsum obiurgationem: sed intelligat quòd secundum hoc ipsum quòd Chri
sti est, nihil nobis sit superior: non enim ille quidem Christi, ego uerò alterius cuius-
piam sum. Verùm hoc se submittendo dixit, quãdoquidem deinceps in sequentibus
ostendat quantum ipse excellat.

Nã si amplius aliquid gloriatus fuero de potestate quã dedit mihi Dominus ad ædi
ficationem, & non ad destructionẽ, non erubescam.] Non dixit, Est mihi potestas pu
niendi & occidendi, quæ illis nõ est: sed longè submissius, amplius quiddam. Nec di-
xit, Si glorier: uerùm si gloriatus fuero, hoc est, si gloriari uoluero de potestate quã de
dit mihi Dominus. Rursus Deo totũ adscribit. Accepimus autem eam potestatem à
Deo, ut ad fidem ædificemus, beneficia impertientes, non ut puniamus. Ecquî igitur
dixisti cogitationes destruentes? quoniam hoc ipsum maximè est ædificatio, marcida B
demoliri, obstacula q deijcere. Quomodo igitur ipsis interminaris, si nõ in destructio
nem accepisti potestatem? Præcipuè quidem ad ædificationem accepi: sin quisquam
fuerit incurabilis, demolitione utemur. Si igitur uoluero, inquit, gloriari q Deus plus
dederit mihi quiddam, ut potestatem habeam benefaciendi in primis, & quando co-
gar, etiã puniendi: non erubescã, hoc est, non monstrabor esse mendax aut arrogans.

Vt non existimer tanquam terrere uos per epistolas. Quoniam quidem epistolæ
inquiunt, graues sunt & fortes, præsentia autem corporis infirma, & sermo contẽpti-
bilis. Hoc autem cogitet, qui eiusmodi est, q quales sumus sermone per epistolas ab-
sentes, tales etiam sumus præsentes opere.] Quod ait, est eiusmodi: Potuissem equidẽ
gloriari, sed ne uidear terrere uos per literas, quemadmodum dicũt calumiantes me:
Quòd in epistolis grandis est, & horrenda scribit: ubi autẽ aduenerit, despicabilis &
contemptibilis est, arguiturq non esse talis qualis est in scriptis suis. Verùm agnoscat
quisquis est qui talia dicit, q nedum grandia interminamur, uerumetiam possumus
præsentes ad opus minas perducere & effectum.

Non em audemus inserere aut cõparare nos quibusdã qui seipsos cõmendãt.] Hic
arrogantes esse ostẽdit illos, ac multa adeoq magna de seipsis iactantes. Dicit igitur:
Nos non audemus inserere nosipsos, hoc est, connumerare, uel conferre, uel oppo-
nere nos adæquando quibusdam eorum qui se ipsi prædicant.

Sed ipsi in seipsis seipsos metientes, & comparãtes seipsos sibijpsis, non intelligũt.]
Illi, inquit, non dignantur neq uolunt ad quempiam aliorũ conferri, sed ipsi sibijpsis
cõferuntur, secumq ipsi certant erga se mutuò, nec sentiũt q̃ sint ridiculi ita sese ostẽ-
tantes. Vnusquisq enim seipsum meliorem iudicans, alterum deijcit: sicq omnes in-
ter se mutuò improbi uidentur: quod quàm ridiculum sit, ipsi non intelligunt.

Neminisẽ cõparantiũ fastus.

Nos autem non in immensum gloriabimur.] Illi enim fortasse gloriãtes dicebant
ac superbientes, Ad fines terræ accessimus, orbemq terrarum ad Christum conuer-
timus. At nos non sic, inquit.

Sed iuxta mensuram regulæ qua nobis Deus partitus est mensuram, pertingendi
usq ad uos.] Quemadmodum colonis uineam Deus diuidit, hũc ad modum nobis
apostolis suis terrarũ orbem segregauit. Secundum igitur mensuram regulæ qua par
titus est nobis Deus, gloriabimur. Qualis est autem mensura? ut perueniam aduſq
uos. Postquam igitur hæc nostra pars est, ad uos etiam usq gloriamur.

Non enim quasi non pertingentes ad uos, superextendimus nos: usque ad uos

enim

A enim peruenimus in euangelio Christi.] Verisimile est pseudapostolos uel sine prædicatione aliquousq; profectos, ex nuda & simplici profectione elatos esse, ac totum sibi imputare. Ait ergo Apostolus: Non tanq; ad uos non peruenerimus, nosipsos extēdimus: peruenimus enim, nō simpliciter, sed in Euāgelio Christi: hoc est, nō nudè & simpliciter peregrinantes ut illi, uerumetiam cum euangelij prædicatione.

Non in immensum gloriantes in alienis laboribus, spem autē habentes crescente fide uestra in uobis, magnificari secūdum regulam nostrā, ad abundantiā, ut etiam in illa quæ ultra uos sunt euangeliū prædicemus, nō in aliena regula, ut de his quæ parata sunt gloriemur.] Indicat illos apostolorū laboribus extolli & supra modum & mensuram gloriari, hoc est, ad ueri usq; excessum, & in alienis laboribus. At nos nō sic, sed ad uos usq; peruenientes, ad uos usq; & fiducia & libertate nostra utimur. Speramus autem, in Deum uidelicet (nō solet enim explicare Paulus) quòd abundè uos docentes & augentes fidem uestram inueniamur, ut adeò magnifiam ego in uobis. Tunc enim magnifit præceptor, quum res discipulorum creuerint, ac regula eius in medium processerit: hoc est, mensuram quam accepit, abundè promouerit. Quid igitur speramus? quòd & ultra uos euangelium prædicabimus, ac forsan etiam gloriabimur propterea: siquidem cōmodabimus ipsis. Canonem autem ubiq; & mensuram uocat, tanquam orbis terrarum fabricator & architectus. Et ut indicet quòd Dei sit uniuersum hoc, qui canonem dedit & mensuram, propterea infert:

Qui autē gloriat, in Domino glorietur.] Habentes, inquit, talia tantaq; opera, nō superbimus, neq; nobisipsis quicq; imputamus. eīuerò Deo uniuersum, etiā ipsam ad quam peruenimus mensurā, tribuimus. Oportebat igitur & illos in hoc gloriari. *Hier. 9.*

Non enim qui seipsum commendat, ille probatus est, sed quem Dominus cōmendat.] Non dixit, Nos sumus probati: sed, Quem Dominus cōmendat, hoc est, quem ueritas laboris & operis cum Dei gratia probatum ostendit.

CAPVT XI.

B VTinam sustineretis modicum me in insipientia mea, sed & sustinetis me.] Proprias laudes ingressurus, multis usus est præcorrectionibus, defugiens id quod onerosum & molestum uidetur in suipsius cōmendatione. Huc autem eum necessitas perpulit, cum metueret ne in discipulorum damnum uergeret, si ipse uilipendere tur, pseudapostoli uerò in precio haberentur. Quòd enim ex multa necessitate & ob discipulorū suorum cōmodum huc peruenerit, uel admodum insensatis planum esse queat. Qui enim priorū peccatorū meminit, à quibus per baptisma liberatus erat, qui etiam indignū sese apostolatus nomine censet, quomodo citra necessitatē (quæ so) de se ipse magna prædicaret? Ait ergo, Vtinam sustineretis me in paucis quibusdam ineptientem ac delirantem: imò uerò & sustinetis, confido enim quòd diligatis me, & omnia sustineatis. *Paulus cur seipsum laudauerit.* *1. Cor. 15.*

Aemulor enim uos Dei æmulatione.] Non dixit Diligo, sed q̄d multo uehementius erat, ζηλῶ, id est, æmulor. Zelotypia enim inter ardenter amātes eandem rem nascitur. Deinde ne existiment q̄ humani cuiusquā ueluti pecuniarū aut gloriæ causa eos æmuletur, infert, Dei zelo. Nam & Deus æmulari dicitur, q̄ nimia nos dilectione prosequatur, non q̄ aliquid inde cōmodi lucretur, sed ut nos seruet, ad se ipse nos colligit, ac sibijpse agglutinat. Huiusmodi igitur & meus erga uos zelus est, nō ut inde quid mihi lucri accedat, uerùm ut uos non perdamini corrumpamini ue.

Despondi enim uos uni uiro uirginē castam exhibere Christo.] Despōdi uos, inquit, Christo: pro illo igitur æmulor, nō pro meipso. Non enim ego sponsus aut maritus, sed sponsæ ductor & paranymphus. Obserua autē quomodo nō dixerit, Præceptor uester sum, propterea debetis me sustinere: uerū illos sponsæ loco posuit, seipsum autē pronubæ, siue nuptiarū conciliatricis uice collocat, honore ipsos afficiens. Nouū autē hic quiddā in ecclesia cōtingit. In mūdo enim post nuptias nō porrò uirgines manent: hic autē qui antehac uirgines nō fuerunt, post nuptias hasce uirgines efficiunt. Hac ratione uniuersa ecclesia uirgo est: ad omnes eīm Paulus hæc loquit, & maritos & uxores. Quales autē dotes adferens despondit: regnū cœlorū. Huius figura erant quæ sub Abrahamo contigerunt, quando seruum misit ut ethnicā puellam in uxorem quæreret filio. Hic etiam Deus misit seruos suos prophetas desponsaturos filio *Genes. 24*

Psal.44. ros filio suo Christo ecclesiam, ueluti regium uatem Dauidem, cum dicit: Audi filia A
& uide, & obliuiscere populi tui, & domus patris tui. Tum apostolos, ut Paulum, ubi
2.Cor.5 ait: Christi nomine legatione fungimur. Præsens itaq; tempus desponsationis est, futurum autem nuptiarum erit, cum clamor factus fuerit, Ecce sponsus.

Gen.3. Timeo autem, ne sicut serpens Heuam seduxit astutia sua, ita corrumpant̃ sensus uestri à simplicitate quæ est in Christum.] Etsi enim interitus uester est, metus tamen meus est. Non apertè autē definit q̃ corrupti sitis. Atqui corrupti fuerunt, uerū ambiguè hoc posuit, Ne quo modo ut serpens Heuam decepit. Nam & ille maiora promittendo, decepit. Hanc ad rationē pseudapostoli sese iactātes, magnaq; uobis quædam denarrantes, calliditate fraudeq; sua uobis imponunt. At perinde ut neq; astutia serpentis, neq; simplicitas Heuæ satis fuit ipsi ad ueniam, sic neq; uobis hæc prode-

Decipere mulierū est runt. Non dixit autem q̃ Adam deceptus sit, ut ostendat deceptionem mulieros am esse rem, uel ad mulierem pertinere. Non dixit autem, Ne decipiamini, uerùm ne corrumpantur sensus uestri, in cœpto tropo seu metaphora perseuerans. corruptio enim de uirginibus dicitur. Ne quo modo corrumpantur à simplicitate uestra, quam habetis in Christo, hoc est, ne decepti à simplicitate uestra, à Christo auellamini. Quidam autem sic: Ne transferamini à simplicitate fidei ad infidelium uehementiam, & in dicendo potestatem. hæc enim est maxima corruptio.

Nam si is qui uenit alium Iesum prædicauerit, quem nō prædicauimus: aut spiritum alium accipitis, quem nō accepistis: aut euangeliū aliud quod nō recepistis, re-

Galat.1 ctè sustineretis.] Quid ais diue Paule, Galatis scribens? Si quis euangelizauerit præterq; quod accepistis, anathema sit: nunc uerò dicis, Si aliū Iesum prædicarent illi, re-

Pseudapostoli. ctè sustineretis. Audi igitur. Pseudapostoli fastu inturgescebant, quasi plus q̃ alij, & maius quiddam q̃ ueri apostoli adferrent. Quia igitur pleraq; stulta nugabant̃, externa sapientia utentes: Si, inquit, alium prædicarent Christum prætermissum à nobis, quem prædicari cōueniebat, rectè sustinuissetis. propter hoc enim adiecit, quem nō prædicauimus. Sin eadem fidei capita sunt utrinq;, in quo nobis illi superiores sunt? B Obserua porrò, non dixit, Si ueniens plus quiddam maiúsue prædicat, etenim plus quiddam dixerūt magna quapiam autoritate, multaq; uerborū elegantia: sed alium Iesum prædicat, quem nō prædicauimus, ad quod nō est necessaria sermonis elegantia. Aut spiritū alium accipitis, hoc est, si opulentiores uos faceret in spiritualibus donis, quod neq; ipsum orationis uenere opus habet. Vel euangeliū aliud: neq; ad hoc opus habebat orationis cultu. Vbiq; autem indicat quòd non simpliciter si quid excellentius dicant, attendere oporteat: sed si quid dicāt quod accipiendum sit, & à nobis prætermissum sit. Obserua enim: Alium, inquit, Iesum, quem nō prædicauimus: spiritum alium, quem non accepistis: euangelium aliud, quod non accepistis. Quum itaq; eadem dicant, quid in eos inhiatis? Postquam ergo eadem prædicant ô Paule, quid eos prohibes? quia hypocrisi quadam utentes, alia introducunt dogmata.

Existimo enim me nihil esse inferiorē ijs qui magni admodū sunt Apostoli.] Deinceps Petro ac illi similibus sese cōfert, hoc indicare in animo habens: Si me, inquit, plura norūt, & illo cæterisq; maioribus apostolis plura norūt, ad absurdū argumentum perducens. Contemplare hic Pauli demissam, adeoq; nō alta spirantem mentē. Existimo, inquit, id est puto, arbitror, & nihil enunciat & decernit. Non simpliciter

Gal.2. autem dicit, reliquis apostolis, sed ijs qui sunt eximij apostoli, Petrum, Iacobum, Ioannem tectè innuens. Atq; hoc nunc de se dicit, quum necessitas ita postulet, cum alibi

2.Cor.15. dicat, Non sum dignus uocari Apostolus.

Nam etsi imperitus sermone, sed non scientia.] Quandoquidem in hoc sibi placebant pseudapostoli, q̃ nō essent indocti, ostendit q̃ nō inficietur sese imperitum esse, atq; hoc sibi gloriæ ducit. Nec dicit, Etiamsi indoctus ac rudis sim, cōmune hoc mihi cum cæteris est apostolis, ne uideat̃ unà criminari ipsos: enimuerò exterioris sapien-

1.Cor.1. tiæ causam tollit, eq̃uè atq; in priori epistola monstrauit eam nō solùm esse inutilem, uerùm gloriam potius crucis subruere ac deuastare. Sermone igitur & orationis cultu indoctus sum, scientia & cognitione haudquaquam. Per hoc autem clàm innuit, quod quo magis illi eloquentia gloriantur, eo cognitione Dei ipsos magis esse orbatos, & quatenus ad ipsam attinet, eos esse idiotas & indoctos.

Sed in

A Sed in quauis re manifesti sumus in omnibus erga uos.] Non quemadmodũ pseudapostoli, aliud sumus, & aliud apparemus: uerùm in omnibus quæ facimus & dicimus, manifesti sumus erga uos. neq; ulla est in nobis duplicitas uel hypocrisis, ut in illis qui sola pietatis persona sunt amicti, deterrima quæque patrantes.

Num peccatum feci, meipsum humilians ut uos exaltaremini, quòd gratis Euangelium Dei prædicaui uobis?] In hoc, inquit, peccaui, & propterea est cur me ad iudicem uocetis, attollaminiq; aduersum me, quoniam deieci meipsum, mendicans & famem patiens, ut uos exaltaremini, hoc est, ad fidem ædificaremini? Non enim offendebantur deinceps, quæ maxima est eorum accusatio: neq; aliter ædificabantur, nisi ipse fame premeretur. Quia uerò calumniabantur eum quòd præsens abiectus esset, absens uerò grandiloquentia tumeat atq; grauis sit, ceu super hac re apologiam texens, ferit eos. Vilis quidem factus sum & abiectus, cæterùm uos inde exaltamini.

Alias ecclesias expoliaui accipiens stipendia ad ministerium uestrum.] Atqui potuisset dicere, Ex manuum mearum labore uixi & manducaui, atqui asperiorem orationem faciens, Ab alijs, inquit, accepi, idq; cum in uestri essem ministerio. Expoliaui siue prædatus sum, pro Nudaui dixit, & pauperes eos feci. Macedones intelligit, qui tametsi pauperrimi essent, me tamen habebant se atterentem. Atqui superfluis non indigebam, uerùm necessarijs duntaxat sumptibus. † stipendium enim accepi: at uos † ὀψώνιον
ne necessarias quidem has impensas cõmunicastis, quæ maxima est accusatio. Peius est porrò quòd ad ministerium quo uobis inseruij, nihil dederitis, prædicans enim ac laborans quæ facerent ad salutem uestram, ab alijs alebar.

Et cum essem apud uos & egerẽ, nulli onerosus fui.] Triplex est accusatio: prior, quòd apud uos præsens fuerim: altera, quòd uobis inseruiens: tertia, quòd rebus necessarijs destitutus, non fui in aliquo habitus numero. Non solùm enim ex alio loco mihi non misistis quicquam, quod Macedones faciebant, sed ne præsentem quidem alebatis. Quòd ait, Nulli onerosus fui, est pro Non grauaui quenquam. Indicat autẽ Paulus nemini onerosus.
B eos segniter adeoq; cum grauamine ac torpore contribuere. Nonnulli uerbum κατεφρόνησα, pro Non posthabui, uel segnior ad prædicationem fui, accipiunt: sed à me quidem, quæcunq; ad salutẽ uestram necessaria erãt, perficiebanẽ. Cum enim rerum essem indigus necessariarũ apud uos demorans, nõ petij tamen quicq;: neq; patientiam meã dissolui torpentior redditus, siquidẽ torporẽ nihilominus excussi, abegiq;.

Nam quod mihi deerat, suppleuerũt fratres qui uenerũt à Macedonia.] Ad æmulationẽ eos inuitat, ut magis ad eleemosynam excitet: ut ne uincantur à Macedonibus in eleemosyna, uicti ab ijs iam antea in subministratione alimoniæ qua ipse alendus erat. Cum dicit, Quod mihi deerat, indicat sese nihil accepisse ultra necessarium usum. Philippenses autem fuerunt qui aluerunt ipsum. Philip. 4

Et in oĩbus sine onere me uobis seruaui & seruabo.] Indicat quòd onus adeoq; grauamen arbitrabantur, alimenta ei suppeditare. Pulchrè autem addidit, seruabo. Ne enim existimetis, inquit, quòd hæc dixerim ut in posterum accipiam à uobis: seruaui enim me, ac seruabo deinceps citra grauamen. Quod ingens eorum, quod illis hic ab apostolo infligitur, uulnus est: quandoquidem porrò eis non confidat, sed desperauerit semel quicquam ab eis accipere.

Est ueritas Christi in me, quoniam gloriatio hæc nõ infringetur in me in regionibus Achaiæ.] Vt ne existimentq; propterea dixerit seruabo meipsum, ut magis eos ad impertiendũ attraheret, ait: Secundum ueritatẽ quæ est in Christo Iesu, dico quòd non sim quicq; accepturus. Ne autem quispiam arbitretur eum ex dolore uel iracundia hæc dicere, gloriationem rem ipsam appellat. Gratis enim citraq; sumptũ aliorũ prædicare Euangelium, gloriatio ei magna erat, ceu ultra Christi terminos per Christum prosilienti. Quòd ait, Non infringetur, siue obstruetur, metaphora est ab amnibus desumpta. Tanquam enim hæc ei fama per omnes terrarum fines flueret, dicit: Non obturabitur, bonum isthuc uerbum & celebre, per hoc quòd aliquid posthac accipiam. Quòd ait in climatibus Achaiæ, ferientis est. Si enim hæc est gloria, hæc ubique custodienda erat, sin in ipsis solis conseruat, perspicuum est quòd ipsi non sint sana mente præditi, reliquorum instar.

Quare? quia non diligo uos. Deus nouit.] Prolaturus causam cur non acceperit ab ipsis,

ab ipsis, propter pseudapostolos nimirum, prius tollit quod suspicabantur Corinthij: A quia, ut uidetur, quòd nos non diligis, nõ accipis. Imò potius, inquit, quia uos diligo, & nolo uos lædere, ut qui facilè scandalum patiamini. Verùm adeò perspicuè nõ dicit, ut ne imbecillitatem eorum arguat. Ad aliam autẽ causam sermonem conuertit.

Quod autem facio, & faciam: ut amputem occasionẽ eorum, qui uolunt occasionem, ut in quo gloriantur, inueniantur sicut & nos.] Hic manifestissimè causam explicat, cur non acceperit. Postquã enim conspexit satanas, quòd seculi huius studiosi homines maximè captantur per hoc quòd doctores nihil accipiant, docuit etiam uanos ac mendaces istos apostolos eam rem simulare. Neq; enim hoc reuera faciebãt, etiamsi diuites essent, uerùm etiamsi uiderent nihil accipere, accipiebant tamen. Propterea non dixit, ut in quo gnauiter agunt, sed in quo gloriantur: quod & arrogantiæ est indicium. Quocirca apostolus hisce conspectis decreuit apud sese ne quicquã acciperet à quoquam: idq; quum paupertate grauaretur, ut resecet ansam & occasionem illorum, nec locum habeant carpendi eum. Quanquam hæc nõ erat reprehensio: siquidem lex Christi erat. Attamen quia ueluti imbecilles Corinthij facilè scandalo succumbebant, seipsum custodiuit. Ac deinceps in alijs inferiores inuenti pseudapostoli, neq; in hoc excellebant. Nisi quis dicat quòd in hoc etiam inferiores sint iudicati, q; diuitijs affluentes ipsi nihil acciperent, cum diuus Paulus ne in multa quidem egestate quicquam acceperit: & q; neq; hoc ferè perficiebant, sed fuco quodam simulabant. Apostolus autem reuera perficiebat.

Cur Paulus etiam egens à Corinthijs nihil acceperit.

Nam eiusmodi pseudapostoli, sunt operarij subdoli, transfigurantes se in apostolos Christi.] Ecquid ais? Christum annunciantes, nec aliud Euãgelium introducentes, ut suprà cõmemorasti, pseudapostoli nunc sunt? Næ, inquit, propter hoc ipsum sunt pseudapostoli. simulant enim hęc, clanculũ impias traditiones subinferentes. Operarij autẽ dolosi, quatenus operari quidẽ uident: reuellunt autẽ plantata, ac figuram tantùm habent apostolorum, & pellem ouium, lupi autem sunt reuera.

Nec illud mirum. Ipse nanq; satanas transfigurat se in angelum lucis.] Quando B doctor eorũ satanas omnia audet, nihil mirũ hos imitari ipsum. Angelum autẽ lucis dicit, fiduciam habentẽ, atqueadeò uero lumini astantem angelum (quoniã & Deus lumen est) per hoc q; & ipse lumen sit. Transformatur autẽ in talem satanas, uerùm huiusmodi non est. Hunc ad modum illi figuram tantũ apostolorũ gerunt, nõ ipsam efficaciã. Discimus hinc q; in speciẽ & ostẽtationẽ aliq̃d facere, maximè sit diabolicũ.

Angelus lucis.

Non est ergo magnum, si & ministri eius transfigurentur ueluti ministri iustitiæ, quorum finis erit secundum opera ipsorum.] Hoc est, ceu ministri euangelij iustitiã habentis, uel q; iustorũ uirorum gloriam sibijpsis circumponunt. Sed non effugient tandem: secundum enim opera eorum, erit etiam finis eorum, id est, prauus. Itaq; ab operibus ipsorum agnoscemus ipsos: finem enim respondentem operibus habebũt.

Iterum dico, ne quis putet me insipientem esse. Alioquin uel tanq; insipientẽ accipite me, ut & ego modicum quid glorier.] Etenim multa iam mitigatione usus erat: non contentus tamen sum, inquit, cõmemoratis, uerùm iterum dico, ne quis me existimet insipientem esse. Gloriari enim simpliciter, insipientia est: ego autem nõ tanq; insipiens hoc facio, sed coactus. Attamen si mihi nõ ignoscitis, sed omnino insipientem me iudicatis, etiamsi necessitate adactus glorier, non detrecto hoc. Proinde tanquam insipientem sustinete me loquentem, ut & ego, hoc est perinde ac illi, glorier, idq; modicum quid.

Quæ loquor, nõ loquor secundum Dominũ, sed quasi in insipientia, in hac substantia gloriationis.] Quæ loquor, inquit, non sunt secundũ Dominũ, nempe si uerba spectes: scopus uerò uerborũ est admodum secundum Dominũ. Non dixit autẽ, in insipientia, sed ueluti in insipientia: uidetur enim insipientia esse gloriatio mea: non est autem reuera. Vt autem nõ existimes quòd ubiq; in insipientia loquatur, & non secundum Dominum, ait, in hac parte gloriationis, non in alijs quibusdam.

Quoniam multi gloriantur secundum carnẽ, & ego gloriabor.] Hoc est, ab externis, à generis splendore, à circunci sione, à maioribus Hebræis. Hoc enim est q̃d non secundũ Dominũ loquitur, cum ob huiusmodi gloriatur. quæ enim cõmoditas, Hebræum esse? Non igitur tanquam uirtutem hæc pono, uerumenimuerò quia illi in

huiusmodi

A huiusmodi se iactant, & inde ego comparationem facere cogor.

Libenter enim sustinetis insipientes, cū sitis ipsi sapientes.] Vos, inquit cogitis me talia dicere, nisi enim & uos suscepissetis illos, & ex hoc uiderem uos lædi, huc ego sanè non essem progressus. Insipientes autem uocat, qui propter carnalia gloriant. Si enim de spiritualibus gloriari, stultitię signum, quanto dementius erit gloriari de his quę planè nihil sunt? Quòd ait, sapientes cum sitis, uidetur iucūdum & plausibile, uerùm multo magis accusationis habet uehementiam & exaggerationem: quoniam scientes, inquit, peccatis. Nam si insipientes delinqueretis, uenia eratis digni.

Sustinetis enim si quis uos in seruitutem redigit.] Obserua quātam seruilitatem Corinthiorum accuset, & quòd supra modum pseudapostolis se submitterent.

Si quis deuorat, si quis accipit.] Viden' quòd indicet eos accipere etiam cum hyperbole? deuorare enim hoc significat. Itaq; & quod suprà dixit, ut in quo gloriantur, bene dixit. Gloriationem enim solā, non ueritatem habebant, simulantes se nō accipere.

Si quis extollitur.] Hoc est, si quis in potestatem suam uos redigit, & contra uos attollitur. Neq; enim mites domini sunt, sed onerosi & molesti.

Si quis uos in faciem cædit, iuxta contumeliā loquor.] Vidisti intensam & uehementem iniuriam atq; arrogantiā: tanquam enim mancipijs abutebantur Corinthijs. Hæc autem dicit non quòd in faciem uerberarentur, uerùm quòd non minora paterentur ijs qui in faciem ferirentur. Ad contumeliam enim uestram hoc dixi. Etenim quid hoc turpius esse queat, quādo & pecunias resq; uestras, & libertatem & honorem auferentes, tanquam seruos uos tractauerint?

Tanquam nos infirmi fuerimus.] Cuius rei gratia, inquit, ipsos sustinetis? Num quia nos infirmi sumus, nec possumus hac ratione uobiscum agere? quod minimè gentium est. Et nos, inquit, possumus adeò cōtumelioſe in uos inuadere, sed nolumus omnino. Vniuersam igitur causam arrogantiæ illorum, istorum seruilitati adscribit. Vos enim seruili admodum more ipsis sufflexi & subiecti estis, illiusq; iniuriæ autores estis, nobisq; præsentium sermonum estis occasio. *Corinthij pseudapostolis seruiliter subditi.*

B Imò in quo quis audet (per insipientiam dico) audeo & ego.] Vide rursum quòd audaciam & insipientiam rem ipsam appellat, ac quòd tantum non dicat, ui quadam huc peruenio & pertrahor. Quātas autem & alias præcorrectiones præstruxit ante hasce? Hæc autem facit eruditens nos ut citra necessitatem ad huiusmodi sermones nō descendamus. Ait ergo: In qua re cunq; audet quispiam gloriari, audeo & ego. hæc enim subaudienda sunt. Deinde recensет propter quæ glorientur.

Hebræi sunt, & ego: Israelitæ sunt, & ego: semen Abrahæ sunt, & ego.] Quia non omnes Hebræi Israelitę fuerunt, & Moabitę & Ammonitę seipsos Hebræos faciebāt, propterea generis splendorem tollens, intulit: Semen Abrahami sunt, & ego, Isaac ipsum innuens.

Ministri Christi sunt (ut minus sapiens loquor) plus ego.] Aiunt quidam quòd non per comparationem debuerit efferre sermonem, sed simpliciter negare eos esse ministros Christi. Illis respondemus, quòd una hoc dictione significauerit, cū dixit eos esse pseudapostolos. Iamnūc uerò per cōparationem uerba facere exorsus. per res demonstrationem adducit, datq; intelligere auditori, se quidem esse Christi ministrū, illos uerò minimè. Ait ergo q; etsi Christi ministri sunt, ea tamen ratione, ut ego in hoc ministerio eos antecellam. Ac rursus insipientiam appellat rem ipsam, ob insignem suam demissionem, adeoq; humilitatis pelagus.

In laboribus abundantius, in plagis supra modum, in carceribus abundātius.] Connumerat ea quæ apostolos exprimant, & signis prætermissis, à tentationibus principium ducit. Labores (inquit) plures ego recipio, locum ex loco permutans, ac docens noctu & interdiu, præterea manibus laborans, imò quod maius est, uerbera sustinens, eaq; supra modum: tum quod adhuc maius est, cum uerberibus etiam carceribus mancipatus. Quòd supra modum ait, & abundantius, ad comparationem pertinent, ueluti ad pseudapostolos factam, ueruntamen per suppositionem. ueluti dicat, Esto quòd laborent illi, at ego excellentius laboro. Nonnulli autem hæc non per comparationem dicta esse existimant, sed simpliciter significare abundantiam, copiam, & intensionem. *Apostolorū indicia.*

In mortibus frequenter.] Non solum ex proposito moriens, uerùm ad mortifera pla A
nè pericula traditus.

A Iudæis quinquies quadragenas, una minus, accepi.] Quamobrem una minus? lex
Deut. 25. erat, eum qui plures quàm quadraginta plagas uel ictus uapulando accepisset, ignominiosum esse. Decreuerant itaq; dempta una quadraginta dare, hoc est, trigintanouem: ut etiamsi in ipso uerberandi impetu uerberãs excederet, quadraginta det, nec fiat ita ignominiosus uel infamis qui cæditur, quippe qui intra decretum numerum cęsus sit.

Ter uirgis cæsus sum, semel lapidatus sum.] Non omnia quæ passus est diuus Paulus, nobis conscripsit Lucas. Vides enim multa quæ hic enumerata sunt, illum prętermisisse. Non enim ipse ad ostentationem conscripsit historiam.

Act. 16. Ter naufragium feci, nocte & die in profundo egi, in itineribus sæpe.] Ecquid ad
Act. 14. Euangelium, quòd naufragium sit passus? propter Euangelium enim longas & transmarinas uias emensus, naufragium feci. Noctu aũt & interdiu in profundo natauit. Nonnulli adserunt, q̃ in quodam puteo post periculum apud Lystrios, cui nomen Bytho (quæ uox latinis profunditatem significat) abditus fuerit: & nunc de illo dicat.

Periculis fluuiorum.] Nam & amnes traijcere adigebatur.

Periculis latronũ, periculis ex genere, periculis ex gentibus, periculis in ciuitate, periculis in solitudine, periculis in mari.] Vbiq; Satanas bellum gerebat aduersus Apostolũ, & Deus certaminis præmia proponebat. Etenim latrones excitabant & ab incredulis & genere mihi iũctis, uel cognatis Iudæis, qui & acrius impugnabant me, in bestias planè efferati propter zelotypiam. Proinde in urbe periculorũ expers erat? haudquaquam. Reliquũ est ergo ut in solitudine securus esset, uerùm neq; illic tutus fuit: ac si terram fugisset, matis eum pericula excipiebant.

Periculis in falsis fratribus.] Hæc rursum alia species est tentationis, omnium maximè dolorem incutiens & gignens, à falsis & simulatis insidias pati: quod & Dauid lu-
Psal. 54. gebat: Quoniam si inimicus maledixisset mihi, sustinuissem utiq;: tu uerò homo unani
Psal. 40. mis. Et iterum: Homo pacis meæ. B

In labore & ærumna, in uigilijs crebrò.] Non satis fuerũt externi angores, uerùm ipse etiam se propriis laboribus ac defatigationibus atq; excubijs attriuit.

In ieiunijs sæpe, in frigore & nuditate, præter illa quæ extrinsecus sunt.] Hęc patiẽs, neq; necessaria quidẽ alimonia abundabat, neq; amictu orbis terrarũ doctor, uerùm nudus certabat, ac fame laborãs pugnabat. Atqui plura prætermisit. hoc enim est quod ait, Præter illa quæ extrinsecus sunt, imò ne ea quidem quorum meminit, speciatim expressit, sed quorum numerus facilè potuit comprehendi, denumerauit. Quinquies & ter dicens, eorum quæ non facilè sub numerum cadunt, indefinitè meminit. Abundanter enim, inquit, & excellenter, & sæpe. Vide autem quomodo tot tantaq; denumerãs aduersa, non dixerit quótnam ad Christum conuerterit, simul quidem moderata spirans, simul uerò docens, quòd etiãsi nihil amplius obueniat laboribus defesso, sic quoq; plenam mercedem sit accepturus.

Et instantia mea quotidiana.] Instantia, siue conspiratio, hoc est furibundus insultus & inuasio, qua quotidie plericq; omnes uel publico consilio me adoriuntur.

Solicitudo omnium ecclesiarum.] Hæc est summa omnium. Si enim qui unius tantummodo curam domus gerit, famulos tamen & œconomos cum habeat, ne respirare quidem possit: quid sustinere ac pati ueri simile est animam unam, quæ præter tot pericula pro uniuerso orbe est solicita, proq; fidelium mentibus angitur?

Quis infirmatur, & ego nõ infirmor?] Vt ne quis dicat, Solicitus quidem est, uerùm sic simpliciter: speciem etiam solicitudinis indicat. Nec dixit, particeps sum calamitatis uel mœroris, cæterùm uelut ipse infirmus sim, perinde affectus sum. Intelliges autem hic languorem etiam corporalem, seu quo corpus corripitur, potissimum uerò quo animus etiam languet. Quod ait, quis, accipiendum est quasi dicat, siue magnus sis & potens, siue uilis & tenuis.

Quis scandalizatur, & ego non uror?] Animaduerte quî doloris magnitudinem expresserit. Incendor inquit, ardeo, & uror. Alia quidem patiens lætabat, quippe qui sciret sese pro Domino suo talia ferre: hîc uerò sauciabatur anima. Proinde quemplã scandalizari, quantumcunq; etiam abiectum, maiori mœrore eum afficiebat. Dauid porrò

uates

A uates ille diuinus dicet quomodo intelligendum sit πυρόμαι, id est, ignesco uel incēdor, nempe pro scandalizor. Vt enim dixit, Quis infirmatur, & ego non infirmor? sic ait, Et si scandalizatur aliquis, ego quoq; scandalizari uideor, doq; operam, ut languorem & affectionem istam curem, eiq; medear, haud secus atq; meum foret isthuc malum. Vbi uerò Dauid ait? Dum superbit impius, incenditur pauper, hoc est, scandalizatur pauper, mente sua repetens indignè ditescentes, adeoq; se super cæteros tollentes. *Psal. 19.*

Si gloriari oportet, quę infirmitatis meę sunt, gloriabor.] Infirmitatem persecutiones uocat. in tolerātia enim inedię, uerberū, naufragij, aliorūq; malorū patientia, humana imbecillitas demonstrat. Signorū aūt hîc nō meminit, siquidē ea fuerūt donū Dei. Hęc aūt quæ hîc commemorat, unà cum Dei potentia ipsius etiā patientiā cōmonstrabant.

Deus & pater Domini nostri Iesu Christi, qui est benedictus in secula, scit quòd non mentiar.] Cum in prioribus nullam fecerit cōfirmationem eorum quæ diceret, hîc confirmat, stabilit, & fidem conciliat suis uerbis, forsan qa uetustius erat & obscurius quod dicturus erat, cætera uerò ipsis erant cognita, ut solicitudo, idq; genus alia.

Damasci prępositus gentis Aretę regis custodiebat ciuitatem Damascenorū, ut me comprehenderet.] Obserua quantū fuerit bellum, si ipsius Pauli nomine princeps præsidio firmabat urbem, excubiasq; agebat. Haud quaquā aūt se ita gessisset gentis præfectus, ni diui Pauli zelus omnia incendisset. Fuit autem socer Herodis regis Aretas. *Act. 9.* *Aretes socer Herodis.*

Ac per senestram in sporta demissus sum per murum, & effugi manus eius.] Effugit, herilem legem complens: nam & Dominus migrauit de loco in locum. Nō enim opus est ut nosipsos in tentationes inijciamus. Vbi uerò huiusmodi sunt mala, è quibus euadere non possis, solo Deo indiges, & ab illo duntaxat cùm inquirenda, tum expectanda est redemptio ac liberatio. Sin tolerabilis ac moderata fuerit tentatio, à nobis quicquam etiam cogitandum quidem est, uerùm & hoc totum Deo tribuendum uenit, quemadmodum & iste in sporta effugit. Etiamsi enim cum Christo esse expeteret, salutem tamen mortalium amabat, seq; ipsum uerbi ministerio seruabat. *Matt. 10.* *Vt in periculis nos gerere debeamus.* *Philip. 1.*

B

CAPVT XII.

GLoriari sanè nō expedit mihi. Veniā enim ad uisiones & reuelationes Domini.] Quia ad aliam gloriationis formam transit, quæ ipsum splendidum faciebat, reuelationum nimirum. Non conducit, inquit, mihi hoc, ut ne me ad arrogantiam attollat. Quid uerò? Num si non dicas, & apud te retineas, tu ea tamen nosti? Sed non æquè efferimur, cum ipsi ea apud nos cognoscimus, atq; cum ad alios proferimus, & manifestamus. Hæc autem nō dixit ceu ipse sit passurus aliquid huiusmodi, sed ut erudiat nos quòd huiusmodi apud nos ipsi contineamus. Quin & alia ratione non conducit, ne quis me maiorem arbitretur quàm uideat. quod & in progressu dicit. Pseudapostoli autem etiamsi nihil haberent, loquebantur tamen de huiusmodi. Hic uerò noster, etiamsi minimè paucas uisiones Domini & reuelationes haberet, unius tamen solummodo meminit, eiusq; inuitus. Noueris porrò quòd reuelatio sit maius quippiam quàm uisio: hæc enim tantummodo uidere dat: reuelatio uerò altius quiddam quàm uidetur, denudat. *Reuelatio maius quā uisio.*

Scio hominem in Christo ante annos quatuordecim.] Neq; omnium reuelationum meminit: onerosus enim fuisset, cum multæ essent neq; omneis reticet. At cum non de omnibus uerba faciat, de una sola loquitur, ut indicet quòd & huius inuolūtarius mentionem fecerit. In Christo autem adiecit, ut ne dicāt pseudapostoli quòd à dæmone sit perinde raptus atq; Simon. Neq; præter rationem tempus est adiunctū, ut discas quòd cum quatuordecim annos conticuisset, ne nunc protulisset quidem, ni necessitate compulsus fuisset. Ac si talibus ante quatuordecim annos dignatus est, quantus nūc est post tot tantaq; pro Christo pericula?

Siue in corpore, nescio: siue extra corpus, nescio. Deus nouit: raptum huiusmodi usque ad tertium cœlum.] Vide insignem animi modestiam, qui fateatur se ignorare, in corpòre ne fuerit, an extra corpus, quando raptus est. Tertium autem cœlum sic intelligas licet. Scriptura aerem uocat cœlum, ut uolucres cœli, & ros cœli. En illud unū cœlum. Nouit eadem cœlum esse firmamentum, uocauit enim firmamentum cœlum. en cœlum isthuc secundum. Perspectum etiam habet principiò creatum cum terra cœlum. ecce tertium tibi cœlum. *Tertium cœlum.* *Gen. 1.* *Psal. 49.* *Gen. 27.*

Et scio huiusmodi hominem (siue in corpore, siue extra corpus, nescio, Deus scit) A
q̃ raptus sit in paradisum, & audiuerit arcana uerba, quæ non licet homini loqui.] A
tertio cœlo, inquit, rursus raptus est in paradisum. Raptus est ergo, ut ne in hoc quidē
Paradisus. reliquis apostolis qui Christo conuixerunt, sit inferior. In paradisum autem, quoniam
celebre loci huius nomen prædicabatur, unde & eundem Dominus latroni promisit.
Verba tacēda, & arcana. Verba porrò arcana aut ineffabilia audiuit, quæ humana tantum spirantibus, nihilq̃
spirituale habentibus, non licet eloqui. Hinc liquidò apparet, Pauli reuelationem, quæ
ita nominatur & circunfertur, diuo Paulo mendaciter & falsò esse inscriptam. Quomodo enim non esset falsò inscripta, si haud dicenda illa fuerunt? Vt igitur dictum est, tertiū cœlum, alius locus est. secundum uerò anagogen fortè idem est, fortè non idem. Cū
Cœlorū descriptio moralis. enim multa sint anagogicè dicenda, pauca dicemus & captu faciliora. Est enim primū
cœlum, finis ac terminus ethicæ, atq̃ adeò morum scientiæ, quando mores suos quisquam rectè formauerit. Deinde naturalis philosophia est cœlum alterum, cum scienam aliquis de uniuersi cognitione quatenus fieri potest circumscripserit. Deinde tertium cœlum Theologica est scientia, quando quispiam comprehensibilem ipsi interim mensuram, quares diuinæ & humanam cognitionem excedentes percipiuntur, ade-
Pauli raptus. ptus fuerit per contemplationem. Paulus igitur in ijs quæ circa trinitatem sunt locis
fuit: raptus omnino, hoc est, omnes creaturas exuperans: neq̃ in corpore constitutus, non enim operabatur per corporeos sensus: neque extra corpus, torpuisset enim ei intellectus etiam. In diuinis enim rebus torpet & ocioſus est omnis intellectus humanus rapto homine & à Deo comprehenso, ut ab illo agatur, & operationem accipiat. Quia uerò & in Theologiæ locis ascensiones sunt, propterea rursus rapitur in paradisum, arcanioribus diuinitatis sacramentis immorans: quæ incognita cum sint, nec ullis uerbis exprimi possint, nisi humanam quisquam utilitatem transcenderit, nunquam intellexerit.

De tali gloriabor.] Ipsius uide summam demissionem & humilitatem, quomodo tan B
quam de alio hæc recenseat: de tali enim (inquit) gloriabor. Atenim cuius gratia, si a-
lius raptus est tu gloriaris? manifestum est itaq̃ quòd ista de seipso dicat.

De meipso autem non gloriabor.] Vel quia cum necessitas non sit, nihil tale simpliciter ac temerè dicam: uel opacam reddens orationem, ut fieri potest, hæc dicit.

Nisi in infirmitatibus meis.] Hoc est, in afflictionibus & persecutionibus.

Nam si uoluero gloriari, non ero insipiens, ueritatem enim dicā.] Quomodo, cum antea dixisset insipientiam esse gloriari, nunc ait, Non ero insipiens si gloriabor? non gloriationis causa se non insipientem fore dixit, cæterùm quia non mentiretur. intulit enim, Veritatem enim dicam. Vt ueriloquus ergo, non ero insipiens.

Parco autem, nequo modo de me existimet supra id quod uidet in me, uel audit aliquid ex me.] Hæc est certissima causa ne homines ex ipso Deum faciant. ob eam enim rem semper tacuit, ac siquando coactus sit dicere quicquam, opacabat tamen, ac ueluti umbra quadam contegebat, ut ne maiorem de ipso homines opinionem sumant. Nō enim dixit, Ne quis dicat de me uerū: Ne quiddam maius q̃ par sit, de me cogitet, men-
Act. 14. teue concipiat. Nam si tauros ei mactare uoluerunt propter signa, quid non fecissent si etiam reuelationes manifestassent?

Et ne excellentia reuelationum extollar, datus est mihi stimulus per carnem, angelus Satanæ ut me colaphizet, ut ne extollar.] Angelum Satan & stimulum, nōnulli cephalalgian, hoc est capitis dolorem, intellexerunt, à diabolo factum. At absit hoc: nō enim
1. Cor. 5. Pauli corpus diabolo traditum est, quandoquidem Paulus ipsi potius præcipiebat, finesq̃ certos præscribebat, quando fornicantem tradebat ei ad interitum carnis, nec eā ille metam prætergrediebatur. Quid igitur est Satan? Contrapositus uel aduersarius
2. Tim. 4. et 2. dicitur hebræa uoce. Angeli igitur Satanę, sunt omnes aduersarij, Alexander ærarius, Hymenæus & Philetus, omnesq̃ tribulantes ipsum & affligentes, ceu Satanæ opera perficientes. Dicit igitur, q̃ non permiserit Deus prædicationem meam absq̃ periculis & laboribus procedere, ut ne extollar multis reuelationibus donatus. Quur aūt nō dixit, angeli Satanæ dati sunt mihi: sed, Angelus? Quia in eo loco unusquispiam inueniebatur renitens fortasse, populumq̃ concitans, quem ducem reliqui sequebantur. Vel quod melius, ipsam rem adeoq̃ renisum aduersus uerbi prædicationem, pericu-

lorumq̃

A culorumq; oblationem, angelum Satanæ nominauit. A quo autem datus est? A Deo (inquit) permissus est. hoc enim est quod ait, Datus est: & non ut semel mihi colaphos infligat, sed semper. Quòd uerò ait, Vt ne extollar, quidã intellexerũt pro eo quod est, ut ne ab hominibus glorificer. Sed id Paulus hic non dicit, etiamsi suprà dixerit: sed illud ipsum, ut ne uane glorioſus ſim: homo enim & ipse erat.

Super hoc ter Dominum rogaui, ut discederet à me, & dixit mihi, Sufficit tibi gratia mea.] Ter, pro sæpe, imploraui diuinam opem. Atq; hoc etiam humilitatis est, fateri q̃ non ferret insidias ac adflictiones, & propterea Dominum precaretur. Dixit igitur mihi: Satis est quòd talem tibi gratiam dederim, ut mortuos excites, ut uirtutes adeoq; potentias omnes perficias. Ne quæras igitur ut citra periculum prædicatio tibi progrediatur, superuacaneum enim hoc est. Quod autem satis est tibi, accepisti.

Virtus enim mea in infirmitate perficitur.] Hoc est, fortasse doles ô Paule, ne uideatur imbecillitatis esse meę, quòd multi uerbo meo insidias machinẽtur, confide. Tum enim perfectius potius uidetur potentia mea, quando persecutionẽ passi, persecutores uiceritis. Vide autem quomodo dixerit ipse obnoxium sese ac traditum tẽtationibus, ut ne extollatur. Deus autem aliam rationem reddidit huius, nimirum quòd potentia ipius tum uideatur consummationem habere, quando in infirmitate, hoc est, in persecutionibus & periculis ipsi fuerint.

Libentissimè igitur gloriabor potius in infirmitatibus meis, ut inhabitet in me uirtus Christi.] Quia (inquit) hæc audiui, quòd potentia Dei in infirmitate perficit, deinceps gloriabor in infirmitatibus meis. Hæ enim quo plures fuerint, hoc uberiorem Dei potentiam mihi cõciliant. Ne igitur arbitremini quòd ueluti contristatus de stimulo uerba fecerim, sed lætitiæ potius ac gloriationis causa, tanquam Dei potentiam maiorem
B attrahens ad meipsum per adflictionum intensionem ac uehementiam.

Propter quod placeo mihi in infirmitatibus, in contumelijs, in necessitatibus, in persecutionibus, in angustijs pro Christo.] Expetebam, inquit, hominis instar liberari à periculis & rebus aduersis, sed postquam audiui quę audiui, glorior hinc & oblector, hoc est, exhilaror gratias agens, oblectationẽ capio in infirmitatibus. Deinde ne existimes *Infirmitates Pauli.* febrim, aut id genus morbos alios, interpretatur ipse tibi has infirmitates, indicãs quòd sint contumeliæ, & alia quædam, infirmitates istæ. Hæc porrò pseudapostolos etiã pudefaciunt in diuersis rebus gloriantes, tanquam Deo contrarios. Discipulos iuxtà consolatur, ne doctoris sui nomine erubescant, sed potius decori hoc sibi adscribant, ceu Deo hoc uolente, pro Christi gloria instantibus periculis.

Quando enim infirmor, tum potens sum.] Quid miraris q̃ Dei potentia tum demonstretur: nã & ego tum potens sum, largiore Dei gratia mihi præsente & assistente: ueluti cum carceri inclusus est, carceris custodem in Christi fide instituit: quando naufragiũ *Act. 14.* passus est, insulares barbaros attonitos reddidit: quando ad iudicem astitit uinctus, ac- *Act. 16.* cusatoribus superior factus est. Quando igitur imbecillis erat, hoc est, in periculis con- *Act. 25. & 26.* stitutus, tum potens, fortis & splendidus erat.

Factus sum insipiens, gloriando: uos me coegistis.] Rursus defensionem parat gloriationi suæ. Et suprà quidem, Tanq̃ insipientẽ, dixit, suscipite me, ac tanq̃ in insipientia: nunc autem particula Tanq̃ ablata, insipientem seipsum uocat. Cum enim cõfirmauit quę uoluit, confidenter posthac talem defectum iactantiæ cõdemnat, erudiens nos abundè, ne unq̃ nos non præsente necessitate gloriemur: quandoquidem cum ita necessitas adesset, insipientem sese Saulus appellet. Vos enim, inquit, me coegistis, hoc est, uestræ salutis rationem habens hæc dixi, cum uiderem quòd pseudapostoli per iactantiam suam corrumperent uos, cum ipsis aduertitis animum. Hanc ob rem uolui & ipse dicere quiddam de meipso, uestri in gratiam.

Ego enim debebam à uobis commendari.] Par erat, inquit, ut uos mea potius recenseretis deprędicaretisq;. Quia uerò id non feciſtis, sed illis adhibuistis mentem ad corruptionem usq; uestri, commemoraui hæc salutis uestræ causa.

Nihil enim inferior fui ijs qui supra modum sunt apostoli, etsi nihil sim.] Suprà cum *Sup. 11.* ambiguitate nonnulla dixit, Existimo enim me nulla in re inferiorem fuisse: nunc au- *Paulus etiã* tem maiori cũ authoritate dixit, Nihil inferior sum, hoc est, non sum postferendus ma- *maioribus* gnis illis apostolis, Petro & Petro similibus. Veruntamen haud hîc est oblitus propriæ *apostolis par.*

cõsuetudinis, unde subintulit, Etsi nihil sum. Animaduerte aũt hîc prudẽtiã Pauli. Nõ A
enim porrò pseudapostolis seipsum confert, sed nulla illorum habita ratione, apostolis
se etiam parem statuit, quippe qui illos omnes facile superet. Simul autem innuit, quòd
apostolos contumelia afficiant Corinthij, quando apostolis parem, pseudapostolis
postponant.

Signa quidem apostoli facta sunt in uobis.] Ego quidem, inquit, nihil sum: uerùm
tu nihil istihuc contuearis: sed eò defigas oculos, quòd nihil omiserim eorum quæ ue-
rum declarent & exprimant Apostolum. Vos enim mihi testimonium dicetis, quòd
omnia perfecerim.

In omni patientia.] Primus character apostoli, est patientia, omnia dextrè ac strenuè
ferre. Contemplare hic non alta spirantem uel de sese cogitantem Pauli mentem, quan
ta pericula, quantaq; bella, tam interna quàm externa, una hac dictione sub indicans
præter currerit. Quod enim erat ipsius opus, patiẽtia nimirum, unica dictione expres-
sit & absoluit: quod uerò ad signa attinet, quæ ipsius non erant, sed gratię Dei, pluribus
enarrauit. Audi igitur.

In signis, & prodigijs, & uirtutibus.] Quid differat signum à prodigio, alio in loco di
ctum est. Ne uerò existimet aliquis, hæc de solis beneficijs quæ in eos cõtulit, dicta es-
se, in uirtutibus appositum est. Siquidem uirtus seu potentia, apertius quiddam ac pœ
nam inferens significat. Reputa autem hîc quot uita defunctos, læprosos, cæcos, dæmo
nibus occupatos, omneis ab se beneficijs affectos, simpliciter comprehenderit, ac iuxtà
Act. 13. castigatos, qualis ipse Elymas.

Quid enim est quod minus habuistis cæteris ecclesijs?] Ne quis dicat, Magnus qui-
dem es Paule, uerùm non tanta tamen operatus es, quanta reliqui apostoli in alijs eccle
siis stait. In quo inferiores fuistis? hoc est, quid minus habetis? num minus donum nacti
estis, quàm cæteri?

Nisi q; ipse ego nõ grauaui uos, donate mihi hãc iniuriã.] Magna grauitate & asperi-
tate obiurgat eos, ingens: Si hoc culpatis in me, q; uos nõ grauarim, uerũ gratis, ac citra B
impẽias uestras Euangeliũ prædicaui: donate mihi peccatũ hoc. Simul aũt encomion
illorũ cõtinet sermo, qui iniuria sese adfici putãt, quòd nihil ab se dignatus sit accipere.

Ecce iam tertiò hoc paratus sum uenire ad uos, & non ero grauis uobis: non enim
quæro quæ uestra sunt, sed uos.] Ne uideatur hoc continuò proferre ipsis, quasi post-
hac accepturus sit quicquam, ait: Non propterea quòd non accipiam, eam ob causam
ad uos non uenio. Quinetiam secundò inuisi, ac tertiò iam paratus sum ad uos profici
sci, nec aggrauabo uos. Quãobrem? Nõ quia terreminí, neq; quòd infirmi sitis, enim-
uero quia nõ uestra, sed uos ipsos quæro, hoc est, uestrã salutẽ, & animas, nõ pecunias.

Nõ enim debent filij parẽtibus thesaurizare, sed parentes filijs.] Quia uerisimile erat
eos dicere, Non enim licet, ut & nos & nostra habeas: itaque ægro erga nos animo
affectus es, & uideris nobis non bene uelle: propter hoc ratiocinationem infert, Pa-
rentum est liberis dare, pro præceptoribus ac discipulis parentes ac liberos adsu-
mens: innuens ita debitum sese explere, remq́ue se quam prætermittere non possit,
transigere.

Ego autem lubentissimè impendam & superimpendar pro animabus uestris.] Ego,
inquit, non solùm non accipiam à uobis, sed potius addam. id enim est quod ait, Impen
dam. Et quid dico pecunias impendam, ipse ego expendar: hoc est, si oporteat me car-
nem corpusq; meum pro salute uestra impendere, non parcam.

Licet plus uos diligens, minus diligar.] Hoc accusationem pariter habet ac dilectio-
nem. Hæc, inquit, facio sanè pro dilectis à me, non pariter tamen diligentibus me. Ex-
pende autem, quotnam gradus hæc causa admittat. Cum debuisset accipere, non acce
pit: secundum, destitutus: tertium, ipsis uerbum prædicans: quartum, quod addit etiam:
quintum, quòd non simpliciter, uerùm cũ alacritate & cupiditate (ex indigentia enim)
addat: sextum, quòd seipsum impendat: septimum, pro iis qui non perinde ipsum reda
mant: octauum, quòd pro impense amatis sese impendat.

Sed esto, ego uos non grauaui, sed cum astutus essem, dolo uos cepi. Nunquid per
aliquem eorum quem misi ad uos, circumueni uos?] Quod ait, est huiusmodi: Ego qui
dem uos non circumueni, potest tamen aliquis fortasse suspicari, quòd ipse non
accipiens

A accipiens subornarim tanquam uafer alios à me missos, qui sua persona quicq̃ à uobis peterent, ut hoc cõpendio accipiens, nõ uidear tamen accipere. Num igitur hoc uerũ in uidete & contemplamini. Circumuentionem aũt rursus uocat rem, carpens eos & pudore afficiẽs, & ostendens q̃ inuiti daturi erant, ac ueluti circumuenti. hæc enim est circumuentio, ab inuito quopiam accipere. Quod maximum in pudorem eis cedit, si circumueniri illue fraudari se arbitrarentur, cũ alerent præceptorem ac doctorẽ suum.

Ab inuito quicquam accipere, circumuentio est, siue fraudatio.

Rogaui Titum, & misi cum illo fratrem: nunquid uos Titus circumuenit?] Hoc etiã nõnihil obiectionis & opprobrij habet. Nõ misi, inquit, sed rogaui: innuens q̃ etiamsi accepisset, iure accepisset, rogatus enim uenit: attamen uel sic purus mansit. Misit autem unà & alium fratrem quempiam.

Nónne eodem spiritu ambulauimus?] Hoc est, nónne eodem dono spirituali? donum enim uocat, quòd cum in angustia esset, nihil acciperet. Atqui opus ipsius erat, Deo tamen acceptum refert.

Nónne ijsdem uestigijs?] Ne in minima quidem re tramitem meum excesserũt, sed eandem exactam rationem à nobis præmonstratã ostenderunt. Expende autem quo modo nedum seipsum sic erudierit Paulus, uerum etiam suos commilitones, ne pollue rentur omnino uel iusta etiam acceptione.

Rursum existimatis, q̃ excusemus nos apud uos? coram Deo in Christo loquimur.] Metuit, ne adulationis opinionem incurrat. Non ad gratiam, inquit, uestram hæc dicimus, neq; ut uobis nos excusemus, sed tanquam cernente Deo, & in Christo, hoc est, per Christum loquimur. Itaq; illa dicimus, quæ facta sunt, & à Deo* decreta, & non ut commendem meipsum uobis, quod & in exordio dixit.

γινωσκόμενα, id est, decreta uel cognita.

Hæc autẽ omnia dilecti propter ædificationem uestram.] Non dixit, Propterea hęc omnia feci, & nihil accepi, quia uos infirmi eratis, hoc enim asperum fuisset ac durum: sed, Propter uestram ædificationem. Vt enim, inquit, non offendamini in me, ea propter non accepi, ob uestram nempe commoditatem.

B Timeo enim ne fortè cũ uenero, nõ quales uolo uos inueniã, & ego inueniar in uobis non qualem uos uultis.] Viden paternam curam? Alij peccarũt, & Paulus metuit, neq; certò quicquam adserit, sed dubitat adhuc. Ne fortè cum uenero, non quales uelim uos inueniam, hoc est, corruptos: & inueniar ego necessariò qualem non uultis, hoc est, ultor & punitor.

Ne quo modo contentiones, æmulationes, iræ, concertationes, detractiones, susurrationes, inflationes, seditiones.] Primùm positurus erat inflationes, aduersus ipsum enim arrogantes erant: attamen ne uideatur quæ sua sunt quærere, quod cõmune est primùm dicit. Ab æmulatione enim & inuidia omnia alia nascebantur, ac rursum ab illis æmulatio accendebatur. Concertatio autem dicitur, quando quisquam per litem prouocat alterum super quapiam re. susurrationem autem calumniam uocat. Inflationes, quæ ad ostentationem & arrogantiam spirant, tumidosq̃ mores, uel quando ceu in naturam quandam tumor tralatus fuerit, Aduersus ipsum enim elati, pseudapostolos honorabant.

Cõcertatio. Susurratio. Inflatio.

Ne iterum cum uenero ad uos, humiliet me Deus meus apud uos.] Hoc est, sufficiunt priora, Metuo autem, ne iam ueniens cogar austerius uobiscum agere. Humiliationem enim uocat, quòd omnino sit puniturus aliquos: atqui multi istud gloriam esse censent. Non dixit autem, Ne humilier: uerùm, Ne humiliet me Deus, indicãs quòd Dei causa istuc facturus sit. Nisi enim palàm propositus esset Deus, ipsiusq̃ mandatum, à seipso non ita austerus uisus esset. Quod ait, Deus meus, ardentem eius charitatem erga Deum indicat.

Alios punire Paulus humiliationem uocat quod plerique sibi gloriæ ducunt.

Et lugeam multos, ex his qui antè peccauerunt & non egerunt pœnitentiam super immunditia & fornicatione, & impudicitia quam gesserunt.] Apostoli hîc uiscera & miserationẽ animo uoluta: nam pro aliorum delictis ipse luget. Non dixit aũt omnes, sed multos: nec simpliciter qui peccarũt, sed quos nõ pœnituit suorum scelerũ. hi enim digni sunt luctu, qui in uulnere, nullã exhibentes medicinã, permanent. Neq; illos retegit, dans eis facilem ad pœnitentiam aditum. Eam enim ob rem & pœnitentiæ meminit, ut eam arripiãt, nec ubi uenerit, puniat eos, ac propterea lugeat, hoc est, summo mœrore conficiatur. Obserua quod dixit de pœnitentia, propter Nouatianos. Per im-

Nouatiani.

munditiam autem quoduis peccatum accipies: quoduis enim peccatum immundum facit. Vel speciatim nefariam corporum mixturam, qua nefanda committuntur. Non enim unus erat qui fornicatus erat, sed multi: idq; in plerisq; lasciuiarum speciebus. A

CAPVT XIII.

Deut. 17. Mat. 18. TErtium hoc uenio ad uos: in ore duorum testium aut trium stabit omne uerbum.] Perinde ac Deus multa interminatur, semper autem cunctatorem agit in inferendo supplicio: hunc ad modum imitator eius Paulus haud pauca prætestificatur ante aduentum suum. Vt scriptum est, inquiens, coram duobus aut tribus testibus omnem controuersiam siue ambiguitatem sisti, hoc est confirmari: hanc ad rationē tribus meis aduentibus, omne uerbum quo interminatus sum uobis, statuetur aduersum uos: & planè cum authoritate perficietur, nisi resipueritis. Testimoniorum enim loco aduentus suos ponit.

Prædixi & prædico, ut præsens cum essem iterum, & absens nunc, scribo ijs qui antehac peccauerunt, & reliquis omnibus. Quòd si uenero iterū, non parcam.] Prædixi, inquit, & rursus prædico, quemadmodū secundò adueniens & præsens uobis dixi, sic etiamnum hisce literis pronuncio ijs quidem qui flagitia cōmiserunt, ceu indigentibus correctione: reliquis autem ceu testibus, si rursus uenero, nec dixit Puniam, sed paterno uerbo parcendi usus est. Quòd si enim incorrectos, inquit, inuenero, non porrò reuocabor ab instituto meo.

Quoniā probationem eius qui in me loquitur, Christi, quæritis.] Cum magna indignatione ad cōtemnentes ipsum ueluti imbecillem & nihili hominē, hæc dicit. Quandoquidem enim uultis explorare num Christus in me cōmoretur, ac propterea meridetis ceu infirmū, & à Christo desertū, agnoscetis omnino, ni uitā mores q; uestros correxeritis. Cōmonstrat aūt spiritualia esse quæ loquatur uerba, deincepsq; metuendas esse minas suas, ceu loquētis sint Christi. Non ideo aūt puniebat eos uelut probationē aut experientiā daturus: uerū quia insanabiliter delinquebāt, si cogar, inquit, pœnā sumere de uobis, adeoq; punire uos, sentietis per opera ipsa explorationē quā anquiritis. B

Qui erga uos non est infirmus, sed potens est in uobis.] Cur apposuit, erga uos, cum ubiq; potens sit? quia ueri simile erat eos iam antea expertos esse potentiam. Ait igitur: Quia iam antea experimentum accepistis, omnino nouistis quòd in uos non sit infirmus, sed fortis potensq;. Vel quia in hac uita potentiā suam in uos demonstrat qui corrigi potestis, percutiens uos nunc, ut in futuro iudicio dimittat. Erga infideles autem ostendet potentiam in die iudicij. Simul autem indicat quòd etiamsi puniturus sit, se tamen non puniturum, sed Christum.

Nam & si crucifixus est ex infirmitate, sed uiuit ex uirtute Dei.] Plericq; offendūtur ex dictione hac: atqui discere q; dicatur infirmitas tum corporis, tum circa fidem debilitas, ut eo loci: Infirmū in fide suscipite. Dicitur rursus infirmitas etiam insidiæ ipsæ, & pericula, & ignominię, ut cum dicit: Oblector infirmitatibus, & similia. Secundū hanc igitur significationē Christus ex infirmitate crucifixus est, insidias sufferens, & periculum, & iniuriā. hæc enim uidentur ex infirmitate fieri. Perinde igitur ut stultitiā uocat Paulus prædicationē, non q; sit, sed q; ita reputeē infidelibus: sic ex infirmitate dicit crucifigi Dn̄m, quæ ita ab incredulis existimabatur, cū tamen nō esset. Viuit tamē ex potentia Dei, hoc est, patris, siue sua ipsius. Nam quæcunq; patris sunt, etiā ipsius sunt: & quę ipsius sunt, patris sunt. Proinde ipse etiā seipsum excitauit, æquè ac prædixit: Solui te tēplū hoc, & excitabo illud. Hæc aūt omnia dicit Paulus, quia cōtemnebāt ipsum, ut q persecutionib. & insidijs esset obnoxius, atq; ex infirmitate hæc eū pati existimabāt. Ob oculos itaq; ponit q; Christus ex hac, ut putabat, infirmitate nihil damni acceperit.

Rom. 14. Supra 12. 2. Cor. 1. Ioan. 2.

Nā & nos infirmi sumus in ipso, sed uiuemus cū ipso ex uirtute Dei erga uos.] Hoc est, persecutionem patimur & agitamur. Hæc enim est infirmitas in ipso, hoc est, propter ipsum, ipsiusq; uerbum, & Euangelij præconium. At perinde ac ille non est læsus insidijs petitus, sic neq; nos, sed uiuemus cum ipso, id est, inuincibiles inueniemur erga uos, hoc est, ad uestram cōmoditatem. Fortasse autem adhuc terret eos. Nam si putatis & nos esse infirmos, scitote nos esse uiuentes erga uos: quippe qui uos, nisi uitam uestram & mores aliter instituueritis, punire queamus.

Vos ipsos tentate num sitis in fide, ipsi uos probate.] Quid dicam, inquit, de meipso, quòd

A quòd Christus in me loquatur, & quòd potens sim: illum tamen crucifixum imitatus, nō inuado uos. Porrò si uelitis uos ipsos explorare, uidebitis in uobis ipsis Christum. siquidem omnes habetis fidem (credentes enim tum miracula edebāt) uel fidem simpliciter uel signorum, quę specialior est. Proinde si in uobis discipulis Christus est, multo potius in me præceptore uestro est.

An non cognoscetis uosmetipsos, ꝙ Iesus Christus in uobis est, nisi quid reprobi sitis.] Hoc est, nisi quid excideritis è gratia signorū quam accepistis. Innuit aūt clanculū eos uita corruptos esse. Quia enim plerique fidem habentes, miraculorum fuerunt destituti exhibitione & operatione, tanquam uita corrupti, ut uidetur, inquit, non agnoscitis uos ipsos, quòd Christus Iesus est in uobis? Non est autem in uobis, eo ꝙ uita sine moribus sitis reprobi. Non certò autem hoc expressit, sed ambiguè posuit, ne acerbius eos feriret ac incesseret.

Spero autem quòd cognoscetis quòd nos non sumus reprobi.] Magnæ hinc minæ prodeunt. Quia enim uultis accipere probationem, per pœnam quam uobis infligemus, uenio in spem, nobis non defuturam demonstrationem quòd nō simus reprobi, neq; excidimus à gratia signorum & uirtutis: neq; uita sumus ita corrupta, ut è nobis, eque domo nostra migrare coactus sit Christus: uerùm est in nobis per probatam uitam, eosq; puniet qui inter uos sunt immorigeri.

Precor aūt Deum, ut nihil mali faciatis, non ut nos probati appareamus, sed ut uos quod bonū est, faciatis, nos aūt ut reprobi simus.] Reputa hìc Apostoli clementiam & miserationē. Vilipendebat, proscidebatur, tanq; qui nihil posset, sed solū in literis turgeret: Ipse uerò nō solùm differt ac reijcit pœnā, uerumetiā rogat ne unq; ipsi peccatū cōmittant, & ne ipse eos punire cogatur, necessitate hoc postulante, eorumq; de meritis. Non enim in hoc elaboro, inquit, ut uidear probatus, ceu potentiam puniendi habēs, cæterùm ut uos bonum faciatis semper: & si unquā contingat uos delinquere, ut pœniteat uos scelerum, & ego sim ueluti reprobus: hoc est, ut ego apud plebeios uidear infirmus, ac potentia uacans, quippe qui non inueniam locum puniendi uos. Non enim
B reuera reprobus esse cupiebat. Probatus enim potius inueniebatur, ꝙ sic erudiat discipulos, ut nihil peccent, sed multorum opinione dixit illud ueluti reprobi.

Non enim possumus aliquid aduersus ueritatē, sed pro ueritate.] Ne uideatur blandiri eis, ait: Ex mente omnino uanæ gloriæ experte hæc facio. Si inuenerimus uos firmos ac minimè nutantes in fide, non poterimus uos punire. Quòd si etiam tentauerimus, Deus nobis non cooperabitur. Potentiā enim nobis dedit, ut uerum feramus calculum, qui haud sit ueritati aduersus. Verè autem decernit, qui dignum punit: aduersus autem ueritatem fert suffragium, qui non peccantem etiam punire tentat.

Gaudemus enim quando nos infirmi sumus, uos autem potentes estis.] Rursus ostendit seipsum admodū ipsis esse addictum. Ait enim: Ne existimetis ꝙ quia non possim (quandoquidem uos nō impingatis, careatisq; errore) potentiā meam demonstrare erga uos, propterea doleam: lætor enim maximè, quando ipse quidem ego infirmer, hoc est, infirmus reputer, ꝙ non possim potentiam meam puniendo uos commonstrare: uos autem potentes sitis, hoc est, uirtute conspicui, lapsuq; uacantes.

Hoc autem & precamur, uestram perfectionem.] Non solùm, inquit, hoc uolo, sed precor etiam esse uos irreprehensibiles & integros, hoc est, perfectos, nullam exhibentes ansam siue occasionem uos reprehendendi.

Propterea hæc absens scribo ut non præsens durius agam secundum potestatem quā Dominus dedit mihi in ædificationem, & nō in destructionem.] Postquā acriter eos terruerat, & interminatus erat, nunc defensionem parat. Eam, inquiēs, ob causam sic scripsi, ꝙ uoluerim minas meas ad literas usq; esse, & seueritatem, neq; re ipsa & operibus demonstrari. Nō correctos enim, omnino duriter puniam ac seuerè, postquam potestatē dedit mihi Dominus. Hinc indicat ꝙ Dominus etiam per ipsum, ut meditū punit. Commonstrans porrò ꝙ non desideret potestate sua uti ad illorum supplicium, apposuit non ad destructionem, sed ad ædificationem, hoc est, in primis Deus nō uult destruere, siue punire, sed ædificare, hoc est benefacere. Atqui demoliri ea ac destruere quæ sunt inædificabilia, ædificare etiam est.

Pauli clementia.

Incorrigibiles punire, ad ecclesiæ ædificationem pertinet.

Quod reliquum est fratres, gaudete.] Ego, inquit, quod meum est feci, reliquum est ut uos

ut uos ueſtra etiam ſimul adferatis. Si enim uitam ueſtram correxeritis, immarceſsibi- A le poſsidebitis conſcientiæ gaudium, etiamſi triſtia uobis locutus ſim.

Integri eſtote.] Hoc eſt, perfecti eſtote & in doctrina, & in moribus, ac replete quæ deſunt uobis.

Conſolationem accipite.] Quia multæ fuerunt tentationes & pericula, Conſolationem, inquit, accipite & à uobis ipſis, & alter ab altero, & à permutatione ueſtri in melius. Magna enim conſolatio eſt, conſcientia bona.

Idem ſapite, pacem habete.] Hoc & in priore epiſtola ab ijs petijt, ceu diſsidentibus. Cõtingit autem idem ſapere, in unanimitate doctrinæ: pacem uerò nõ agitare & exercere, in mutua conuerſatione. Vtraq; ergo ab ipſis Apoſtolus expetit ac poſtulat.

Et Deus pacis & dilectionis erit uobiſcũ.] Non ſolum adhortatur, uerumetiã exoptationem adijcit: uel ne hæc quidem eſt exoptatio, ſed eius quod conſentaneè futurũ eſt, prædicatio & prolatio. Nam ſi pacem inter uos aluerítis, Deus erit uobiſcum. Charitatis autem Deus dicitur, uel quòd ueluti fons ſit huius, uel q̃ eam erga uos eximiam oſtenderit: uel quòd ubi ſit charitas, illic & ipſe ſit, & dominus huius appareat. Similiter & pacis, ſiue quòd fons ſit huius: ſiue quòd pacata fecerit tam quæ in cœlo, quàm quæ ſuper terram: uel quòd ſit dominus eius rei, & poſſeſsionis.

Deus charitatis & pacis.

Salutate uos mutuò in oſculo ſancto.] Non fucato ac doloſo, Iudæ inſtar. Propter hoc enim oſculamur, ut magis accendamus charitatem. Nam os præ cæteris maximè membris cõnectit animas, etenim reuerſi, unionem ſignificantes oſculũ figimus. Vel quia templum ſumus Dei, huius autem templi ueſtibulum eſt os, ueſtibula oſculamur. per hæc enim ueſtibula ingreditur Chriſtus, quando nos communicamus.

Salutant uos ſancti omnes.] Præſentes quidem per oſculum connectit, abſentes autem per ſalutationem. Imò & hoſce connectit os: nam ab ore ſalutatio proficiſcitur.

Tit. 3. Gratia Domini noſtri Ieſu Chriſti, & charitas Dei, & cõmunicatio ſancti ſpiritus ſit
Ioan. 3. cum omnibus uobis, Amen.] Quia cõnexuit omnes, imprecatur eis conſueto ſibi more gratiam filij, per quam ſeruauit nos, non ex operibus noſtris, ſed ex gratia, mactatus B ipſe pro nobis: ac dilectionem patris, qua dilexit nos, dans unigenitũ pro nobis. Tanquam autem interrogatus, undénam filij gratia aduenìat, ex patris, inquit, dilectione. Quid uerò effecit? cõmunionem ſancti ſpiritus, hoc eſt, participationẽ & aſſumptionem, qua ſanctificamur aduentu ſpiritus paracleti in nos, participes ipſius facti, imò & ipſi in ſpiritum permutamur, non eſſentia, ſed participatione. Vbi ergo ſunt qui ſpiritum ſanctum reijciunt, quia in principio epiſtolarum hoc non ponit? En, iam poſuit, atq; ternarius tibi conſummatus à diuo Paulo connumeratus eſt, per quem conſeruemur, ueritatis dogmata firmiter retinendo, ac uitam incorruptibilem exhibendo, utreuera perfecti ſimus, utrinq; bene habentes, ſerui perfecti, perfecti in Triade Dei commonſtrati, cui gloria in ſecula ſeculorum. Amen.

Scripta eſt à Philippis Macedoniæ urbe, per Titum & Lucam.

IN DIVI PAVLI AD GALATAS EPISTOLAM Theophylacti Bulgariæ Archiepiſcopi enarratio.

PRÆFATIO.

Matt. 16. Luc. 24. Matth. 15. 1. Cor. 5.

VLTA uehementia & indignatione refertum eſt exordium, ut uniuerſa propemodum epiſtola: perpetuò enim mitem & manſuetum eſſe diſcipulis, qui aſperitate & increpatione opus habent, nõ eſt boni præceptoris. Idem etiam Dominus agit. Cum enim Petrum beatũ prædicaſſet, poſtea itidem obiurgat, ac diſcipulos indoctos & carẽtes intellectu appellat. Diuus Paulus igitur etiam ad alios ſcribens, auſteritate uſus eſt, quemadmodum ad Corinthios, potiſsimum autem ad Galatas. Cauſa uerò eſt huiuſmodi. Qui ex Iudæis ad Chriſtũ fidem acceſſerant, partim quidem patria lege detenti, partim uerò doctores eſſe deſiderantes, docebant Galatas circumciſionem eſſe retinendam, ſabbata & neomenias ſeruanda: Petrum nanq; hæc non uetare, ciuſq; collegas. Ac reuera quidem non uetabant illi, non quòd ita docerent, uerùm quòd infirmitati eorum qui ex Iudæis crediderant, condeſcenderent, quibus & uerbum Euangelij prædicabant. Paulus uerò Chriſtum gentibus annuncians, non habiat opus cõdeſcenſione

A *sione hoc siue obsecundatione? Nam siquando opus esset, ipse etiã obsecundabat: hinc est quòd circumciderit Timotheum, quòdq; ipse sanctificatus sit secundum legem. Atqui impostores nõ reddentes causã cur Petrus & qui cum ipso erant, talia facerent, decipiebant simpliciores. Atq; hoc ipsum sanè in Pauli calumniam proferebant, aliàs quidem circumcidere, aliàs uerò circuncisionem tollere, & alias alia prædicare. Adhæc etiã omnia Paulo haud obtemperandum clamabãt: quippe qui neq; Christũ iudisset, neq; eius esset discipulus, sed Apostolorũ. Petrum aũt cum cæteris Apostolis ceu circumcisos, hoc est, eos qui ipsi Christũ iudissent, suscipiendos. Has ob causas animo accensus Apostolus, epistolã hanc conscribit. Ac primum quidem eò sermonem dirigit, quod illi dicebant, perfodientes ita & eleuantes eius æstimationem, nimirum quòd alij quidem essent Christi, ipse uerò Apostolorum discipulus. Propterea & sic orditur.*

CAPVT I.

PAulus apostolus, nõ ab hominibus, neq; per hominem.] Illico quod hominum sit discipulus tollit. Non ab hominibus enim, sed è supernis adeoq; cœlitus uocatus sum: & non per hominẽ, sed per ipsum Christum. Baptizauit quidem ipsum Ananias, sed ad fidem non uocauit, uerùm è cœlis Christus. At cur nõ dixit, Paulus uocatus, sed Apostolus? Quia hac de re tota erat quæstio atq; sermo. dicebãt enim q̃ ab hominibus Apostolus electus esset. Aduersum isthuc ergo cõsistens, ostẽdit rem sese habere aliter. *Actuum 9.*

Sed per Iesum Christum, & Deum patrem, qui suscitauit eum à mortuis.] Atqui acta Apostolorum à spiritu sancto indicant eum segregatum esse ad apostolicam functionem. Perspicuum igitur q̃ sit una potestas & patris & filij & spiritus. Obserua hic præpositionem (per) patri esse appositam, ac filium primũ esse nominatũ, propter hæreticos qui in hisce rebus curiosi sunt. Opportunè autem meminit mortis & resurrectionis, ut persuadeat eos non porrò legi aduertere animum, quæ eis conferre nõ possit: neq; quicquam etiam quod in salutem eorum cedat, afferre: sed Christo potius, qui pro ipsis mortuus est & resurrexit. Tum q̃ magnæ sit ingratitudinis, à tali tantoq; benefactore deficere. Dicitur autem ipsum excitare pater tum propter auditorum imbecillitatem, tum quòd ad patrem etiam referantur quæcunq; filius facit. Neq; enim non potuit seipsum excitare Christus, qui in ipsum credentibus dedit suscitare mortuos sola umbra corporum suorum. *Act. 13.*

B Et qui mecũ sunt omnes fratres.] Quia calumniabantur eum, quòd solus hæc prædicaret, indicat iam nunc pleroscp sibi alios esse eiusdem consilij & sententiæ participes atq; consortes.

Ecclesijs Galatiæ.] Reputa hic indignationem Pauli atq; dolorem. Non enim dixit, dilectis, sanctificatis, neq; ecclesijs Dei, sed sic simpliciter, ecclesijs Galatiæ. Quia uerò dissidebant inter sese, istos non iniuria multas uocat ecclesias: simul eos pudefaciens, in unum colligit per hoc nominis. Qui enim in multa sunt diuisi, non possunt hac nomenclatura appellari, quæ concordiam denunciat. *Rom. 1. 2. Cor. 1. Philip. 1. Ecclesia cõcordiam et coniunctionem significat.*

Gratia uobis & pax.] Quia periculum erat ne gratia exciderent, propterea q̃ animum ad legem applicarent, imprecatur hanc & exoptat ipsis. Quoniam uerò se ipsi hostes Dei fecerũt, statuentes legalia quæ ille aboleuerat, ad pacẽ illos reuocat ac reducit.

A Deo patre.] Deus pater uester factus est. Vnde? ex lege ad quam inhiatis, an ex baptismate Christi? Quomodo igitur auersamini benefactorem? Obserua autem q̃ ait à Deo patre, sine articulo positum. *Θεὸς, Deus sine articulo etiam de patre dicitur.*

Et Domino nostro Iesu Christo.] Non lex ipsa Dominus noster est, uerum enimuero Christus Iesus. Hæc ipsa porrò nomina beneficij sunt indicia demonstrationesq;. Iesus enim, ueluti à peccatis seruans populum dicitur, & Christus à spiritus unctione, qua pro nobis unctus est, sanctificans naturam nostram per assumptionem, ac nobis largiens ut sic nominemur. *Matt. 1. Iesus. Christus.*

Qui dedit semetipsum pro peccatis nostris.] En seipsum dedit: non igit ut seruus herili iussu operatus est. Cum igitur audis ipsum à patre datum esse, beneuolentiã patris & uoluntatem intellige. Dedit autem seipsum, ut liberet nos à peccatis, à quibus ex liberare non ualuit. Quomodo igitur liberatore uestro dimisso, in legem defigitis oculos, mentem ei appellentes, cum nihil prodesse possit aut iuuare? *Rom. 8.*

Vt eriperet nos ex præsenti seculo malo.] Hic Manichæi per hunc locum insurgunt, dicentes, En prauum appellauit seculum præsens, siue uitam nostram: uerùm id sic non habet. Non enim dies prauæ ipsæ sunt per sese: quæ enim est prauitas solaris cursus, uel dierum interualli? Neq; uita nostra per sese praua est. quomodo enim, in qua Deum agnoscimus, ac de futuris philosophamur? Sed seculum prauum, operationes *Manichæi. Seculum prauum.*

tiones prauas dicit, uel corruptã uoluntatem ac prædeliberationem: quemadmodum nos cõsueuimus dicere, Malum habuerunt diem, nõ tempus, sed circunstantiã & opus accusantes. Non enim ut nos occidat & eijciat è præsenti uita, propterea mortuus est Christus, uerùm ut à prauis operibus deinceps nos liberet. Cum enim suprà dixisset, Dedit seipsum pro peccatis nostris, hoc est, liberauit nos à præteritis sceleribus: posthac ait ꝙ & in futurũ dedit nobis securitatem, ut eximat nos à praua uita, & moribus peruersis. Lex autem neq; præterita peccata deleuit, nec ad futura quicquam ualuit. A

Secundum uoluntatem Dei & patris nostri.] Quia putabant illi ꝙ Deo non obtemperarent dimittentes legem, suspicionem eorũ corrigit, ostendens uoluntatem patris esse, ꝙ per filium liberaremur. Vides autem ꝙ non dixerit iuxta mandatum patris, sed secundum uoluntatem, hoc est, beneuolentiam, siue placitum. Dicens autem patrem nostrum Deum, rursus benefactoris cõmonefacit Christi, qui patrem suum, nostrum etiam patrem fecit. Quî igitur ab hoc deficitis?

Cui gloria in secula seculorum. Amen.] Cum nusquam alibi in exordijs Amen posuerit, hîc ponit, indicans ꝙ sermo consummatus sit ipsi, ac sufficere quæ dicta sint, ad accusationem Galatarum. Etenim mentione facta inenarrabilium Dei beneficiorum, ex quibus condemnabantur illi dimittentes benefactorem Christum, deinde admiratus ea, nec quicquam ualens de illis porrò exprimere uerbis, gloriam Dei continentibus uerbis finit sermonem.

Miror quòd adeò citò transferimini ab eo qui uocauit uos per gratiam Christi.] Indicat quòd magnam de ipsis habuerit opinionem. Admiror, inquit, si uos qui adeò in fide laborastis, adeò citò trãsferimini. Duæ culpę sunt, & quòd transferimini, & ꝙ citò, ut ne tempore quidem opus habeant impostores: quod leuitatẽ excipientiũ impostura reprehendit. Nec dixit, translati estis, sed transferimini: hoc est, necdum credo, nec arbitror consummatam esse deceptionem. Considera hîc sapientiã. Quia lege detenti putabantur curare patrem, A patre, inquit, transponuntur legi adhibentes animum. Ab eo, inquit, qui uocauit uos, hoc est, patre. In gratia siue per gratiã Christi, id B est, ut iustificemini per Christũ: non ex operibus, sed gratia. Filius enim exhibet remissionem in gratia, pater autem ad hanc uocat.

Ad aliud Euangelium, quod non est aliud, nisi sunt aliqui qui uos cõturbant, & uolunt peruertere Euangeliũ Christi.] Quia suam ipsorum impostura seductores Euangelium uocabant, ipse aduersus nomen illud pugnans, Non est, inquit, aliud Euangelium, præterquã quod accepistis. Vnum enim est, rectam & synceram opinionem & cultum Dei continens, quod prædicaui ego: nisi iam sint qui turbent oculos animarũ uestrarum, & faciãt alia pro alijs cernere, uolentes subuertere Euangelium Christi. At non totum Euangelium subuertebant, uerùm de sabbato & circuncisione solum mandatum subintroduxerũt: attamen indicat ꝙ exiguum quippiam perperã factum, uniuersum Euangelium inuertat: perinde ac qui regij nomismatis quicquam amputauerit, totum nomisma adulterinum reddidit. Obserua id propter eos qui dicunt, hoc esse modicum, esseq; concedendum. Apprehendunt autem hoc dictum Marcionistæ, asseuerantes hinc unicum duntaxat recipiendum Euangelium, nõ quatuor. Ecquid hoc? Nam & nos quatuor unũ dicimus, secundum quidem concentũ atq; concordiã. Neq; enim Paulus de numero nunc dicit, uerũ de dissonantia. Quia enim dissonat impostorum prædicatio, nec est cum nostra concors, ideo nõ est euangelium, quemadmodum si consonaret, esset euangelium, hoc est, prædicatio apostolica. Proinde manifestissimę nugæ sunt quæ Marcion hîc profert de uno Euangelio.

Marcionistæ.

Sed licet nos, aut angelus de cœlo euangelizet uobis præterquàm quod euangelizaremus uobis, anathema sit.] Ne quis dicat quòd ambitione gloriæ ue cupiditate ductus, sua dogmata iactet, etiam seipsum deuouet. Quia uerò ad authoritatem & dignitatem personarum confugiebant, ac Petrũ cum suis, & Iacobum præferebant, eam ob causam angelorum etiam meminit. Adiecit autem ex cœlo, quandoquidem & sacerdotes angeli uocabantur. Ne igitur de sacerdotibus hæc dici putes, cœli appositione superas uirtutes adeoq; potentias indicauit. Nec dixit pugnantia prædicent, cæterùm si parum quiddam annuncient præter id quod annunciauimus. Cum enim angelos anathemate ferit, adeoq; detestatur, omnem authoritatem ac dignitatem reijcit. Quia uerò

Sacerdotes, angeli dicti.

A

uerò seipsum execratur, omnem coapostolorum societatem & coniunctionem tollit. Ne enim mihi dicas, En coapostoli tui diuersum prædicant: Ecce nanq; ne mihi ipsi quidem parco alia ab his prædicanti. Non quòd apostolos condemnet, hæc loquitur: sed uolens obstruere ora seductorum, atq; monstrare q̃ authoritas uel persona neq; recipiatur, neq; aspiciatur, si quando sit de dogmatibus sermo.

Sicut prædiximus, & nunc iterũ dico: Si quis uobis euangelizauerit præter id quod accepistis, anathema sit.] Ne arbitrentur ab ira, aut animi coniunctione correptũ hæc ipsum dicere, rursus eadem ponit, indicans quòd non citra iudicium, sed firmiter & solidè stabiliens ac decernens hæc apud sese, sic protulerit.

Modò enim hominibus suadeo, an Deo, aut quæro hominibus placere?] Defensurus est ea quorum causa accusatur. Ne igitur ipsi attollantur & insurgant, ueluti præceptori ius dicẽtes: ne cogitetis, inquit, q̃ apud uos defensionem parem, aut uobis quærã persuadere: cæterùm ad Deũ omnis mihi oratio dirigitur. Vnde neq; hæc scribo à uobis expetens gloriã, neq; ut discipulos habeam, sed Deo rationem reddens pro dogmatibus mihi concreditis, non ut hominibus placeam. Vel sic intelligas licebit: Calumniabantur eum ceu alia apud alios prædicantem, quiq; pro hominum cõditione sese permutaret. Ait igitur: Num hominibus suadere studeo, illisq; placere, an Deo? Nam si hominibus placere uellem, facerem omnino quod dicitis.

Si enim adhuc hominibus placerem, Christi seruus non essem.] Confirmat q̃ non studeat hominibus placere. Et quánam tandem ratione ipsis adularetur, aut alia apud alios prædicaret? Si enim, inquit, hic meus scopus, hocq; studium meum esset, non desecissem à ritibus Iudaicis, & accessissem Christo, nec contemptis amicis atq; cognatis, tantaq; gloria, persecutiones, pericula, & contumeliam elegissem.

Notum autem uobis facio fratres Euangelium quod prædicatum est à me, quod nõ est secundum hominem.] Demonstraturus est eis num uerè à lege destiterit, translatusq; sit, ideo & prioris uitæ meminit, & repentinæ mutationis suę. Quoniam non desecissem adeò repentè à Iudaismo, ni diuiniorem quampiam certitudinem habuissem. Hinc etiam, Non est, inquit, secundum hominem Euangelium meum, hoc est, non hominem habui præceptorem, cæterùm ipsius Dei fui discipulus.

B

Neq; enim ego ab homine accepi illud, sed per reuelationẽ Iesu Christi.] Hoc enim obijciebant calumniatores, quod non ut Apostoli reliqui ipse audiuisset Christum, sed ab hominibus accepisset omnia. Ait igitur: Ille ipse reuelauit mihi Euangelium, qui & Petrum instituit, & cæteros.

Audiuistis enim meam conuersationem aliquando in Iudaismo.] Vnde planũ est q̃ per diuinã reuelationẽ acceperim Euangeliũ? Ex priori, inquit, cõuersatione mea. Cum enim talis tantusq; essem persecutor religionis Christi, quomodo quæso tam subitò permutatus essem, ni diuina quæpiam reuelatio traxisset me? Quòd enim uehemens eram persecutor, inde perspicuum est, quòd & uos Galatæ audieritis, qui tanto interuallo à Iudæis distatis.

Quòd supra modũ persequebar ecclesiam Dei, ac depopulabar eam.] Animaduerte quomodo singula cũ epitasi ponat & exaggeratione. Non enim dixit persequebar, uerùm cum omni excessu persequebar: nec hoc solum, uerumetiam depopulabar, hoc est suffodere ac diruere tentabam, ac excindere: hoc enim depopulantis opus est. *Actuum 9.*

Et proficiebam in Iudaismo supra multos coætaneos in genere meo, abundantius æmulator existens paternarũ mearum traditionũ.] Præ omnibus qui erant illis temporibus multũ feruoris ostendebam, ac promouebã bellum aduersus ecclesiam: uel quia celebris eram, & in precio apud Iudæos. Ne existimes autem q̃ uanæ gloriæ isthæc res fuerit, uel indignationis, sed zeli. Quòd si igit̃ aduersus ecclesiam pro nulla humana re uel ex nullo humano affectu pugnabam, sed ex zelo Dei, etiamsi per errorem, qua ratione iam nunc quando ueritatem agnoui, humanæ gloriæ amore prædicarem alia & alia, & non quæ ueritas postulat, & Christus me docuit? *Paulizelus.*

Quando autem placuit Deo, qui me segregauit ex utero matris meæ.] Si ex utero matris segregatus erat ad Euangelium, & electus à Deo, per omnino diuinam quampiam prouidentiam relictus est interea temporis in Iudaismo, ut nimirum usqueadeò repentina eius mutatio multos in fide firmaret & attraheret. Segregauit au-

tem eum Deus, non per sortem, sed præscientiam, ut dignus esset. A

Gal. 1. Et uocauit per gratiam suam.] Deus ob uirtutem ipsius uocauit eum. Vas enim electionis, inquit, mihi est. Ipse autem insigni modestia præditus, per gratiam inquit uocatum se: & non ob dignitatem, sed propter misericordiam.

Vt reuelaret filium suum in me.] Non dixit mihi, sed in me: indicans q̃ nõ uerbo tantum didicerit, uerumetiã multo spiritu cor repletum fuerit, in interiorem hominem cognitione intincta, & Christo in eo loquente.

Vt euangelizarem ipsum in gentibus.] Reuelauit mihi filium, non ut ipsum uidẽ solùm & agnoscam, cæterùm ut alijs etiam depromam. Nõ enim credere tantummodo, uerùm & eligi, à Deo fuit: quomodo igitur dicitis me ab hominibus doctum esse? Nõ simpliciter autem ut euangelizarem ipsum, dixit, sed in gentibus. quomodo igitur gentibus circumcisionem prædicauerim?

Protinus non contuli cum carne & sanguine.] Hoc est, non sum colloquutus apostolis: hos enim carnem & sanguinem uocat, à natura eos nominans. Vel simpliciter de omnibus id mortalibus dicit, quoniam à nullo mortalium didici quicquam.

Nec ascendi Hierosolyma ad eos qui ante me fuerãt apostoli.] Qui hæc apostolus dicit? Nónne adeò intumuerat, ut seipsum sufficere sibi putaret, nec opus habere consul-
Prouer. 3. tore? ecqui nõ audiuit dicentem: Ne sis prudens apud temetipsum? &, Væ illis qui pru-
Esaiæ 5. dentes sunt apud semetipsos? Haudquaq̃. Sed quia calumniatores eius dicebant, quoniam apostolos nos sequi oportet, non ipsum: & quia apostoli ante ipsum fuerunt, coactus est hæc dicere, ut seductorũ cristas deprimat. Nam irrationabile erat & indignũ, ut qui à Deo didicisset, hominibus postea adhæreret. Non igitur arrogantia elatus hęc
Infra 2. fecit, uerùm ut ostendat propriæ prædicationis suæ autoritatem. Atqui profectus est Hierosolyma, sed non ut ipse disceret, cæterùm ut alijs persuaderet q̃ hæc etiam Hierosolymis agentibus apostolis placeant. Deinde statim nõ ascendit, hoc est, in primordijs suis, sed postea: tumq̃ ideo fecit, ut alijs persuaderet. B

Sed abij in Arabiam, & iterũ reuersus sum Damascum.] Inculta loca circumibat, & agrestia. Si enim cũ apostolis permansisset, impedita fuisset eius prædicatio, nec adeò celeriter distributa. Ideo ad agrestiores gentes currebat. Expende hîc mentem eius minimè iactabundã aut fastuosam. Vrbes nãq̃ & regiones cõmemorans, nusq̃ commemorauit quot quãtosue ad Christum conuerterit. Quinetiam Damasci adeò confun-
Actum 9. debat Iudæos, ut insidiæ ei struerent à præside. Proinde quæ magna de sese narrare uidetur, profectò non ambitionis & laudis gratia dicit, sed ne lædatur prædicatio, si ipse haud fide dignus ceu uilis ac discipulorum discipulus habeatur.

Deinde post annos tres ascendi Hierosolyma, ut uiderem Petrum.] Et hoc insignis humilitatis animi signum, si qui tanta transegerat, ad Petrum abijt. non utilitatis gratia, sed solo uisendi studio, honorãs eum ceu maiorem se. Propterea neq; dixit ἰδεῖν, id est ut cernerem Petrum: sed ἱστορῆσαι, id est ut uiderem & cũ obseruatione intuerer: quod magnas & præclaras urbes addiscentes dicũt, perinde ac nos abimus ad sanctos uiros: sed nos potius utilitatis causa, ille uerò solius honoris gratia.

Et mansi apud eum diebus quindecim.] Illud quidem ut uideret, honoris signum est: permanere autem, amicitiæ charitatisq̃ uehementis est argumentum. Non dixit autem quòd illic doctus sit, sed mansi apud eum, uel cum ipso.

Alium aũt apostolorum uidi neminem, nisi Iacobũ fratrem Domini.] Propter Petrũ quidem ascendit, adeò ipsum honorabat ac desiderabat. Erat aũt & Iacobus, cuius & cũ honore meminit, fratrẽ Domini appellãs, adeò ab omni inuidentia alienus erat.
Cleopas & Ioseph fratres fuerũt. Atqui si uoluisset significare, potuisset dicere Cleopę filiũ: neq; enim secundũ carnẽ frater erat Domini, sed putabat. Quomodo aũt erat gnatus Cleopæ? Audi: Cleopas & Ioseph fratres fuerũt. Porrò cũ Cleopas absq; liberis decederet, Ioseph excitauit ipsi semẽ, ac sustulit hũc Iacobũ, aliosq; fratres eius, & Mariã, quã Cleopę filiã, sororẽ matris Iesu euãgeliũ dixit: utpote q̃ Ioseph patris potius curã erga uirginẽ, mariti affectũ seruarit.

Quæ aũt scribo uobis, ecce corã Deo non mentior.] Tanquã in foro iudiciario apud iudicem pœnam sustinere debeat, sic acriter pugnat sermone, ut fide dignus uideatur.

Deinde ueni in partes Syriæ & Ciliciæ. Erã aũt ignotus facie ecclesijs Iudęæ quę erãt in Christo, solũmodo audiuerãt, quòd qui persequebat nos aliquãdo, nũc prædicat fidem,

dem, quam aliquando depopulabatur.] Vt Petrum solummodo uideret, in Iudæa demorans, rursus ex ea discedit, quòd gentibus esset missus præco, & quòd super alienum fundamentum nollet ædificare. Propterea & ignotus, inquit, eram in Iudæa Christianis secundum faciem. Quomodo igitur prædicassem ipsis circuncisionem, qui facie eram illis incognitus? In hoc enim calumniabantur eum, quòd in Iudæa prædicasset circuncisionem, Tantummodo enim de me audiuerant quòd ad Christum conuersus essem, & quòd prædicarem Christum.

Et glorificabant in me Deum.] Hoc etiã est modestiæ. Non enim dixit, Ipsi demirabantur me, consternabantur mei nomine, sed totum gratiæ ostendit esse. Deum enim glorificabant in me, ut qui totum quicquid esset, perficeret.

CAPVT II.

DEinde post annos quatuordecim iterum ascendi Hierosolyma cum Barnaba, simul assumpto Tito. Ascendi autem secundum reuelationem.] Prioris quidem ascensionis Petrus erat causa, alterius autem reuelatio. Titum autem & Barnabam adduxit testes suæ prædicationis, quòd apostolis placuisset.

Et contuli cum ipsis euangelium quod prædico inter gentes.] Hoc est, quod circuncisionis expers est. Cuius autem rei gratia post tot annos cum illis contulit, cum debuisset principiò isthuc agere, ac nouisse num rectè ue sec s curreret? Stolidum enim erat, eum qui tamdiu cucurrisset, atque ta nta perfecisset, o us habere tandem discere, num in uanum cucurrerit. Verùm si ascendit ut ipse aliquid disceret de proprio cursu, atione uacabat reuera res isthæc. Quandoquidem uerò cum animaduerteret non paucos offendi tanquam Petro quidem recipiente circuncisionem, ipso uerò circuncisionem reijciente, ac propterea in suspicionem ueniente, quòd transgrederetur legem: ascendebat per reuelationem spiritus hoc ei suggerentis, ut discant & persuadeantur scandalum passi, & nulla sit dissonãtia in prædicatione uerbi, sed consilio quodam concedentes circuncisionem concedunt quippe qui in circuncisione agentibus, adeoq; circuncilis euangelium annuncient. quam tandem absurditatem habebit res ista? Spiritus enim, ut alij corrigerentur, commouit ipsum ascendere, & ipse non immeritò morem gessit. *Act. 15.*

Seorsum autem ijs qui uidebantur aliquid esse.] Quia non pauci erant qui scandalũ patiebantur, peculiariter cum diuo Petro cõuersatur Paulus, ne dissensio fiat, & maius oriatur scandalũ. Innumeri enim erant scandalizati, quos, cũ palàm audirent Paulum abolere circũcisionẽ, uerisimile erat quòd tumultũ cierẽt, omniaq; turbarẽt. Propterea seorsum cum Petro conuersatur, Titum & Barnaban habens testes, qui cunctis mortalibus denunciarent quòd neq; apostolis uisum sit Paulum quicquam ipsis contrarium prædicare. Cum porrò dicit, Qui uidebantur, nequaquã eos esse negat, uerùm cũ suo ipsius communem omnium calculũ ponit: quemadmodũ & de se ipse dixit, Quoniam uideor & ego spiritũ Dei habere, nõ tollẽs habere ipsum, cæterũ cõmunem opinionẽ adducẽs. Itaq; τοῖς δοκοῦσι, id est ijs qui uidebant aliqd esse, hoc est magnis & celebribus. *1. Cor. 7.*

Nequo modo in uanũ currerem, aut cucurrissem.] Hoc est, ut doceã eos qui in me offenduntur, quòd non in uanum curram, non ut ego discam. Quomodo enim discerem, cum à patre mihi sit reuelatus filius, eiusq; euangelium?

Sed neq; Titus qui mecũ erat, cũ esset gentilis compulsus est circũcidi.] Cum præputium haberet Titus, non adactus est circũcidi, quæ res maximo argumento est q; apostoli non ex proposito & principali instituto, sed per dispensationem quandã propter eos qui ex circũcisione crediderant, circuncisionem admiserint, & quòd non possent de Pauli prædicatione conqueri, cuius discipulus esset incircuncisus. *Circuncisio cur ab apostolis quibusdam permissa.*

Propter subintroductos autem falsos fratres, qui subintroierunt explorare libertatẽ nostram quam habemus in Christo Iesu, ut nos in seruitutem redigerent.] Constructio sermonis est huiusmodi: Neq; propter subintroductos falsos fratres coactus est Titus circuncidi, hoc est etiamsi adessent qui aduersarentur mihi, apostoli tamen non adegerunt nos Titum circũcidere. Quomodo aũt falsos fratres istos appellat, circũcisionem introducentes, quandoquidem & Apostoli hanc recipiebant, ceu Iudæis annuncientes Christum? Vani autem fratres, ueluti legem sancientes ex proposito, ceu præcipuũ quiddam circuncisionem prædicabant, ceu legis uindices & assertores. Nam apostoli obsecundantes his qui ex Iudæis ad Christũ accesserant, accipiebant hanc. Eã ob rem

uanos fratres ipsos appellat. Præterea cum dicit Subintroierũt, clandestinas eorum in A
sidias indicat: & quia, Vt explorarent, addit, indicat eos hostes esse. Speculatores enim
& exploratores ob nullam aliam causam subingrediuntur clanculum, quàm ut omnia
& perdiscant, & sibijpsis facultatem parent ut expugnent, & in seruitutem redigant,
quod & isti faciebant. Explorabant enim, qui essent præputio amicti, habentes li-
bertatem in Christo, hoc est, non subiecti legi, ut apprehendant, atqne cogant cir-
cumcidi, ac rursum uos subijciant seruituti legis, à qua nos liberauit Christus. Hinc igi
tur planum, ꝙ Apostoli quidem permittebant quæ sunt legis, ut paulatim ab ijs exime-
rent: isti uerò confirmabant legem, ut seruitutem retinerent, roborarentq́.

Quibus neq; ad horam cessimus subiectioni, ut ueritas euangelij permaneat apud
uos.] Nõ dixit Sermoni, sed Subiectioni: non enim ut docerent nos aliquid, hæc facie
bant: uerùm ut nos subijcerẽt, & in seruitutẽ redigerent. Hãc ob rẽ apostolis cessimus,
illis uerò haudquaquam, ut firma, inquit, perseuerent & stabilia quæ uobis prædicauis-
1. Cor. 5. mus. Qualia? ꝙ uetera transierũt, ꝙ lex sit abolita, & ꝙ circũcisos Christus nõ expetat,
Galat. 5. neq; sit ullũ operę preciũ circũcidi. Resistẽtes igitur illis, demõstrauimus ꝙ uera uobis de
legis euacuatione & antiquatione prædicauerimus. Ne igitur deficiatis à ueritate hac.

Ab illis aũt qui uidebantur esse aliquid, quales aliquando fuerint, nihil mea interest.
Personã hominis Deus non accipit.] Quia uerisimile erat quempiam sese oppositurũ
ipsi, ac dicturum, Quomodo igitur apostoli præcipiebant circumcisionem? diluit hanc
obiectionem, ac ueram quidem causam non dicit, ꝙ ex dispensatione, & obsecundan
tes hoc faciant: ne ñ qui ex Iudæis Christo accesserant, audientes quòd apostoli non re
uera, sed dispensatione quadam permittant circunci sionem, ab ipsis deficiant, ceu legis
dissipatoribus. Eatenus enim illis adhibebant animum, quatenus legem obseruabant.
Hãc igitur causam occultat diuus Paulus. Valde autem grauat apostolos, cum inquit,
Nihil mea interest: hoc est, nihil mihi curæ sunt qui sunt in precio, qui uidentur esse ali
quid, magni uidelicet apostoli, siue circuncisionem prædicent, siue minus: nã ipsi Deo B
rationem sunt reddituri. Nec quia magni sunt & principes, idcirco personam eorum
Personam Deus reuerebitur: non enim personarum acceptor est Deus. Animaduerte, non dixit,
Deus nõ ac Quales sunt: sed, Quales olim fuerunt: ostendens ꝙ & illi in posterũ ita prædicare desti
cipit. terint, perinde quasi uerbi prædicatio ubiq; luceat. Hæc aũt dicit Paulus non uilipen-
dens sanctos, uerùm prodesse cupiens auditoribus.

Mihi enim qui uidebantur esse aliquid, nihil contulerunt.] Illi, inquit, quales fuerint,
ipsi Deo curæ erit. Hoc autem noui, ꝙ mihi nihil aduersati sint, neq; quicquam appo-
suerint prædicationi meæ, neq; correxerint.

Sed contrà cum uidissent quòd mihi sit concreditum euangelium præputij, sicut Pe
tro circuncisionis (qui enim operatus est Petro in apostolatum circumcisionis, opera-
tus est etiam mihi ad gentes) & cum cognouissent gratiam Dei, quæ data esset mihi, Ia
cobus, Cephas, & Ioannes, qui uidebantur columnæ esse, dextras dederũt mihi & Bar
nabæ societatis, ut nos in gentes, ipsi uerò in circũcisionem.] Nonnulli sic interpretati
sunt hũc locum: Non solùm non correxerunt mea, sed contrà potius correcti sunt. Ve
rùm id ita esse non potest. In quo enim isti ab eo emendandi erant? nam quilibet eorũ
consummatus erat. Hoc igitur dicit: Sed contrà dextras dederunt mihi societatis, dein
de quæ interiacent, cum uidissent quòd mihi creditum sit Euangelium pręputij, & quę
sequuntur. Adeò enim me non correxerunt, ut & commendauerint, consenserintq́;
ut ego & Barnabas ad præputium siue ad gentes, ipsi uerò ad circuncisionem, id est a-
pud Iudæos euangelium annunciarent. Circuncisionem enim & præputium non iu-
xta res accipit, sed præputiatos & circuncisos intelligit. Hic autem demonstrat, se eius-
dem esse cũ Petro precij & honoris. Qui enim ei dedit Euangelij apud Hebræos actio
nem & efficaciam, dedit & mihi hanc ad gentes. Obserua autem quomodo indicarit
quòd nedum apostolis prædicatio sua placuerit, uerùm ipsi etiam Deo fuerit proba-
ta. Cum enim, inquit, agnouissent apostoli gratiam Dei, non dicit audiuissent, uerùm
cum ex ipsis cognouissent rebus. Quî enim gratiam mihi dedisset, nisi prædicatio ista
bene ei complacuisset? Rursus autem non sine encomio trium illorum meminit. Qui
uidebantur esse columnæ, hoc est, magni, quos omnes ubique circunferunt, & glorifi-
cant. Hi mihi testimonium dicunt, quòd ministerium & prædicatio mea Christo cordi

sit:

A sit: propterea dextras dederunt, hoc est consenserunt, & consortes nos fecerunt, ostenderuntq; quòd meam approbarent prædicationem, quippe qui nihil dissideam à sermone ipsorum.

Tantum, ut pauperũ memores essemus, quod etiam solicitus fui hoc ipsum facere.] Prædicationem, inquit, diuidebamus, pauperes autem indiuisos habebamus. Hierosolymis enim non pauci credentium fuerunt facultatibus suis exuti & spoliati per incredulos Iudæos, qui necessario etiam alimento destituebantur. Non enim adeò Græci dimicabant aduersum eos qui ex se crediderant, quantum Iudæi Hebræis Christianis repugnabant. Magnam hinc Paulus curam adhibet, ut ne tradantur obliuioni pauperes illi, perinde ac de se testatur ipse, Studui hoc ipsum, inquiens, facere. Etenim undiq; à fidelibus quos instituerat, colligens, ipse per sese eis afferebat.

Quando autem Petrus uenisset Antiochiam, in faciem ei restiti.] Plerique existimant Petrum hic à Paulo insimulari hypocriseos, at uerò aliter habere rem constat. Quæcũque enim uidetur dicere aduersus Petrũ, per dispensationem acta sunt ac dicta. Petrus nãq; cum Hierosolymis esset, permittebat circũcisionem. haud enim poterant subitò illos à lege auellere. Verùm Antiochiam profectus, conuescebatur gentibus. Cum uenissent igitur Antiochiam Hierosolymitæ aliquot, subducebat sese à gentibus, ne Hierosolymitanos offenderet, ac simul ut daret Paulo conuenientem increpationis occasionem. Propterea & Paulus obiurgat, atq; Petrus sustinet. Sic enim facilius discipuli transferri ab eo instituto potuerunt, accusato præceptore, & silente. In faciem proinde resistere, figura erat: nam si pugna reuera fuisset, non coram discipulis se mutuò increpuissent, uehementer enim eos offendissent. Iam uerò in publico formata pugna, ac ueluti studio parata, correctio discipulorũ erat. Neq; enim quicquam Petrus contradicit: unde planum est quòd correptionem Pauli æquo animo tulerit atq; susceperit. *Paulus quo modo Petro in faciem restiterit.*

Quia reprehensus erat.] Nõ à me, dixit, sed simpliciter ab alijs ignorantibus, id quod
B agebatur studio & consilio, ac putantibus simulationem esse, absentibus quidem Hierosolymitanis conuesci gentibus, præsentibus aũt illis à gentibus se subducere. Nonnulli autem sic intellexerunt, quòd iã antea reprehensus erat & condemnatus quòd cũ Cornelio ederit, propterea etiamnũ subtraxit sese, ueritus ne aliquo modo rursus eum reprehenderent. Quia uerò subtraxit se, restiti ei. *Act. 10.*

Priusquã enim uenirent quidam à Iacobo, cum gentibus edebat: cum autem uenissent, subtrahebat se, & segregabat se, timens eos qui ex circũcisione erant.] Rationem reddit reprehensionis. Iacobus ille erat frater Domini, qui & Hierosolymis tanquam episcopus eorum docebat. Ab hoc igitur nonnulli emandati sunt qui ex Iudæis crediderant, lege tamen adhuc detenti: quos cum in Antiochiam uenissent, intuitus Petrus, metuens non q; ipse pericula subire idcirco cogeretur, uerùm ne ipsi offensi à fide retrosilirent, subtrahebat sese, ab ea quæ cum gentibus erat, conuersatione. Ignorantes igitur quidam causam, reprehendebant eum.

Ac simulabant unà cum illo cæteri quoq; Iudæi, adeò ut & Barnabas abductus sit ad simulationem eorum.] Hypocrisin rem ipsam appellat, nõ enim uult detegere mentem Petri. Simul autem propter eos qui uehementer legem tuebantur, hypocrisin siue simulationem hoc appellauit, ut funditus tollat eorum ad legem affectum & propensionem. Reliquos autem Iudæos appellat eos qui in Antiochia crediderant, qui & ipsi subducebant sese à præputiatis.

Sed cum uidissem quòd non rectè ambularent ad ueritatem Euangelij, dixi Petro coram omnibus.] Neq; hæc dictio te perturbet. non enim ut reprehendat Petrum, hæc dicit, sed propter eos qui hinc fructum aliquem accepturi erant, si audirent quòd Petrus increpitus esset ceu lege detentus. Et uos quid in posterum facitis? Hinc & coram omnibus ipsum increpat, ut illi audientes perterrefiant, tali tantaq; columna reprehensa, nec habente quod contradicat. Eusebius autem dicit non magnum Petrum à Paulo increpatum, sed alium quempiam Cepham, unum ex septuaginta. Atq; hoc se confirmare putat, consentaneum non esse dicens, eum qui principiò defendisset sese quando cũ Cornelio manducans offendisset quosdã, rursus opus habere huiusmodi increpatione. At ô sapientissime, neq; nos dicimus Petrũ ignorantem quid facto opus esset, à Paulo increpatũ esse, sed uoluntariò sustinuisse obiurgationem, ut alij emendarentur. *Eusebius.* *Act. 11.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

Si tu Iudæus cum ſis, gentiliter uiuis, & non Iudaicè, quid gentes cogis iudaizare?] A
Tantum non omnibus clamat Paulus, Imitamini præceptorem ueſtrum. Ecce enim & ipſe Iudæus cum ſit, manducauit tamen cũ gentibus. Expende autem quomodo nõ accuſet ipſum, dicens, Malè agis, legem ſeruans: uerùm ob proprios diſcipulos qui ex gentibus crediderant, eum increpat, tanquam qui cogat eos circumcidi & iudaizare. hoc enim pacto ſermo uidebatur acceptabilior futurus.

Nos natura Iudæi, & non ex gentibus peccatores.] Natura, hoc eſt, non proſelyti, cæterùm ex parentibus Iudæis nati, & educati in lege, dimiſimus conſuetam, qua nutriti ſumus, uitam, atq; ad Chriſti fidem confugimus.

Scientes aũt q̃ nõ iuſtificatur homo ex operibus legis, niſi per fidẽ Ieſu Chriſti: & nos in Chriſtum Ieſum credidimus, ut iuſtificemur ex fide Chriſti, & non ex operibus legis, eo q̃ non iuſtificabitur ex operibus legis omnis caro.] Viden' ut omnia cum munitione loquaẽ & ſecuritate? Nõ enim ceu prauã legẽ, ſed infirmã, ut quæ nõ potuerit iuſtificare, ipſam reliqmus. Nemo enim opera eius perficere potuit grauia & operoſa, trãſactu nimirũ difficilia: nõ ob magnitudinẽ eorũ, uerũ qa exiguę cõmoditatis eſſent, & preciũ: uel qa animã nõ ſanctificabãt, ſed corporeas ſordes purgabãt. Superuacanea igitur circumciſio. In procurſu aũt dicet etiam quòd ſit periculoſa, à Chriſto alienans.

Lex animã non ſanctifi cabat.

Quod ſi quærentes iuſtificari in Chriſto, inuenti ſumus & ipſi peccatores, Chriſtus itaq; peccati miniſter.] Quæſiuimus, inquit, iuſtificari in Chriſto, dimiſſa lege. Vt dicitis aũt uos, peccatum eſt dimittere legem. Reliquum eſt igitur, quòd in hoc peccatum Chriſtus nos conſecerit. Propter illũ enim dimiſimus cunctas legis ceremonias & ſtatuta. Itaq; non ſolũ non iuſtificauit nos, ut dicitis, Chriſtus: uerumetiam maioris condemnationis cauſa autorq; nobis eſt, cum perſuadet nobis ut dimittamus legem.

Abſit.] Ad abſurdũ p̃ducto ſermone, ne opus qdẽ habuit deinceps cõfirmatione, uerum cõtentus fuit inficiatione, q̃d ſemp facere cõſueuit in omnino reiectis & abſurdis.

Si enim quę deſtruxi, iterũ hęc ędifico, trãſgreſſorẽ meipſum cõſtituo.] Reputa ſapiẽ B
tiam. Dicebant illi, Qui legem diſſoluit, tranſgreſſor eſt. hic uerò diuerſum indicans, qui legem ſeruat, eſt tranſgreſſor, inquit, nõ ſolùm fidem trãſgrediens, uerùm & ipſam legem. Ipſa enim me perduxit ad fidem, ac perſuaſit mihi dimittere ipſam. In progreſſu igitur monſtrabit hoc. Interea temporis nũc ait q̃ ceſſarit lex, & hoc confeſſi ſumus, quia diſſoluimus eam, deficientes ab ea. Si igitur contenderimus ſtatuere illam, tranſgreſſores efficimur, quæ à Deo ſoluta ſunt, ſtatuentes.

Ego enim per legem legi mortuus ſum.] Confirmat quomodo legem diſſoluerit, inquiens: Per legem gratiæ & Euangelij, mortuus ſum legi Moſaicæ. uel mortuus ſum legi per legem: hoc eſt, ipſa lex me induxit ut non porrò ipſi auſcultem, perducens me
Deut.28. ad Chriſtum per ſermones Moſaicos & propheticos. Si igitur rurſus illi aduertam ani
Hier.21. mum, tranſgrediar etiam ipſam. Vel ſic: Lex iuſſit eum qui non fecerit quæ ſcripta
Eſaiæ 2. ſunt, puniri & interimi. Proinde quia fieri non potuit ut perficeretur, quatenus in
Mich.4. ipſa eſt, occiſus ſum. Ne igitur imperet mihi, qui per eã mortuus ſum & morte animæ,
Deut. 17. eo q̃ peccarim, quia non poſſem præſtare quæ lex præcipit: & morte corporis, per con
Heb.10. demnationem legis. Quomodo igitur attendam occidenti legi?

Vt Deo uiuam, cum Chriſto ſimul crucifixus ſum.] Ne quis dicat: Quomodo igitur uiuis, poſtquam es mortuus? Lex, inquit, uiuentem occidit, Chriſtus autem mortuum accipiens, uiuificauit me, qui mente cum eo crucifixus eram, atq; cum eo mortuus per baptiſma. Duplex porrò hic eſt miraculum, & quòd mortuorum uitę reſtituit, & quòd per mortem.

Viuo autem, non iam ego, uiuit uerò in me Chriſtus.] Cum dixit, Cum Chriſto ſimul crucifixus ſum, baptiſma indicauit tectè: per hoc uerò quod ait, Viuo autem, non iam ego, uitam quæ baptiſma ſequitur, per quam mortificantur noſtra membra. Viuit aũt Chriſtus in nobis, hoc eſt, nihil in nobis ſit quod nolit Chriſtus, ſed ille eſt q̃ omnia facit in nobis, & regnans, & dominatũ in nos exercens. ac noſtra quidẽ uoluntas mortua eſt: illius aũt uiuit, & gubernat uitam noſtrã. Si igitur uiuo Deo aliam uitam quàm quæ eſt in lege, ac mortuus ſum legi, nihil legis obſeruare poſſum.

Quod aũt nunc uiuo in carne, in fide uiuo filij Dei.] Quæ quidem dixi, de uita ſpirituali dixi. Quinetiam uitam ſenſibilem & externã inuenies mihi eſſe à Chriſto. Nam

quia

quia legem transgrediuntur omnes, omnes etiã peccato & pœnæ subdidit, ac nihil prohibuit omneis perdere, perinde ac tempore cataclysmi, ceu præuaricatores. Cum uenisset autem Christus, eripuit & extraxit nos à condemnatione, iustificãs nos sua morte. Proinde & hoc ipsum sensibiliter & in carne uiuere, per fidem in Christũ habemus, quæ nos cùm iustificat, tum ex condemnatione eripit. *Gen.7.*

Qui dilexit me, & tradidit semetipsum pro me.] Atqui pro omnibus dedit seipsum, omnes dilexit. Enimuero Paulus secũ cogitans à quibus nos liberari. Christus, & quid donarit, charitate inflammatus, quod publicum est, proprium facit, æquè ac prophetæ, Deus Deus meus, inquiunt: pariter ostendens, quòd tantam oporteat unumquemq; gratiam reddere Christo, quantam si pro ipso solo mortuus esset exhiberet. Qui autem hoc beneficio usi sunt, soli sunt qui credunt. Quocirca qui legi adhuc intendit, indicat Christum pro se nõ esse mortuum. Ecquî hoc non horres, & ad legem rursus accurris, inutilem mortem Domini tui denunciãs? Obserua autem quod ait, Tradidit seipsum, propter Arrianos. *Psal.17. 62.117. 142.* *Arriani.*

Non abijcio gratiam Dei.] Quia iam ratiocinationes posuit, deinceps demonstrat sese non decutere neq; reijcere Christi donum, quod mihi donauit, iustificans me sine operibus per mortem suam, neq; ad legem accurro.

Si enim per legem iustitia, ergo Christus gratis mortuus est.] Si enim lex, inquit, seruare & iustificare potest, Christus frustra deinceps mortuus est. Propter hoc enim omnino mortuus est, ut ipse seruet nos per mortem: quod lex efficere nequit. Nam siquidem saluat lex, superflua est Christi mors. Viden' quò blasphemia procedat?

CAPVT III.

O Insensati Galatæ, quis uos fascinauit non obedire ueritati?] Cum in prioribus indicasset q; non ab hominibus esset Apostolus, neq; per homines, ac fide dignum seipsum reddidisset, cum maiori authoritate disputat. Comparaturus porrò fidem & legem, prius stultos eos appellat, non ueluti transgrediens legem Christi, sed uehementer eandem seruans. Non enim simpliciter fratrem suum stultum appellãs, reus est, sed qui temerè. Isti aũt omnes iustissimè stulti uocati sunt, qui tot ac tam uaria bona non sentientes, inutilem Christi mortem faciunt. Obserua a q; post bonorũ demonstrationes eos obiurgat, ac statim remittat. Nõ enim dixit, Quis uos decepit? sed enim, Quis uos ἐκβάσκανε: hoc est, per inuidiam corrupit, quis inuidit uobis? indicans dignas inuidia res committere. Præterea indicat quòd qui eis persuaserint, hoc non fecerint quòd curam eorũ gererent, neq; ut quæ eis deessent replerent: uerùm ut ea etiam quæ haberent, truncarent, mutilaq; redderent. Huiusmodi enim est inuidia. Non quia inuidia tantum roboris per sese habeat, hoc dixit, uerùm quia doctores per inuidiã eò perueniant. *Supra 4.* *Mat.5.* *Non omnis qui stultum suum proximum uocat, peccat.*

Quorũ ob oculos Christus Iesus præscriptus est, crucifixus in uobis.] Atqui Hierosolymis crucifixus est, quomodo ergo dicit q; ante oculos, & in uobis? Quoniã fidei oculis uiderunt crucem exactius, quàm qui tum coràm astiterunt, conspexeruntq;. Nam pleriq; eorum qui corporaliter uiderant, nihil cõmodauit: hi aũt, etiamsi oculis non uidissent, per fidem tamen exactius uiderũt. Præscriptus est igitur exactè, hoc est, uiua ueluti imagine expressa depictus est per prædicationem: uos uerò redentes prædicationi, ceu præsentem ipsum conspexistis. Hæc sanè & in laudem eorum cedunt, & uituperium: in laudem, quia cum tanta certitudine hæc susceperunt: in uituperium, quia uiderunt nudatum, crucifixum, morientem: eoq; dimisso, ad legem accurrerunt. Expende quomodo relictis omnibus crucem in medium promit.

Hoc solum à uobis uolo discere: Ex operibus legis spiritum accepistis, an ex auditu fidei?] Quia prolixiores sermones non assequimini, neq; dispensationis ac diuinę prouidentiæ magnitudinem contemplari uultis, exiguum quiddam dicam uobis. Ad hoc enim exiguum respondete mihi, undenam acceperitis spiritum sanctum, tantasq; uirtutes ac signa ediderit: ex legis ne operibus, an ex fide? perspicuũ est q; ex fide. Nunquid enim quando lege tenebamini, spiritũ habebatis, uirtutesq; perficiebatis? minimè gentiũ. Quî igitur dimissa fide, rursus legi adhæretis? Sic stulti estis, ut cũ spiritu cœperitis, nunc carne cõsummamini?] Rursus opportunè contumeliã protulit. Cum debuisset incrementũ sumere tẽporis procursu, nõ solùm non promouistis quicquã, uerumetiam *Fidei uirtus.*

rumetiã ad deterius retrorsum abducti estis. Nam signa facere, spirituale est, quod uobis inerat in principio: circuncidi uerò, carnale est, quod nunc tandem elegistis. Nec dixit perficitis, sed perficimini, siue consummamini, innuens quòd brutorũ pecorum instar hos apprehensos, concedebant illi qui circuncisionem docerent. A

Tanta passi estis sine causa, si tamen sine causa.] Multis tentationibus colluctati erant propter Christum. Tot igitur, tantaq; frustra passi estis? Si enim circũcidimini, ista omnia sunt superuacanea, uobisq; damnum dederunt, orbaruntq; tam multis coronis impostores. Deinde spem eis reditus proponit, inquiens, Si modò sine causa siue temerè, hoc est, si uelitis resipiscere, nõ frustra neq; temerè à uobis laboratum est. Pudeant hinc qui pœnitentiam tollunt. Ecce enim signa operati sunt, & cõfessores & martyres fuerunt illi, qui cum excidissent à gratia, non reiecit eos Paulus, sed suauiter ac blandè inuitat, & recipit.

Pœnitentia asseritur.

Qui ergo tribuit uobis spiritum, & uirtutes operatur in uobis, ex operibus legis, an ex auditu fidei?] Deus (inquit) qui suppeditat uobis spiritũ ut prophetetis, & linguis loquamini, qui operatur in uobis uirtutes signorum & prodigiorum, per legis ne opera hæc faciebat, tanquam cultus & delinitus per uos ista perficientes? an per fidem, quam in Christum demonstrastis? planum est q; per fidem. Quî igitur hac dimissa, per quam glorificamini, ad abolitam abrogatamq; legem curritis?

Quemadmodum & Abraham credidit Deo, & reputatũ est ei ad iustitiam.] Maximè uos fidei uim nosse oportebat ex signis quæ perfecistis. Quinetiã ad progenitorem uestrũ Abraham defigite oculos, de quo plurimus uobis * sermo est, & inuenietis ipsum quoq; ex fide iustificatũ. Si autem qui ante gratiam uixit, ex fide iustificatur, multo potius gratia donati, fidei adhærere debent, ab eaq; pendêre.

Gen. 15.

λόγος, id est, sermo, uel ratio. ut sit sensus: quẽ uos magni facitis.

Cognoscite ergo, q; qui ex fide sunt, illi sunt filij Abrahæ.] Quandoquidem metuerant, ne si legem dimitterent, è patriarchæ exciderent cognatione (multum enim ob hanc sibi tribuebant, clarosq; existimabant) ipse contrarium ostendit, quòd fides potius filios Abrahæ efficiat eos, qui ipsam habeant. B

Præuidens autem scriptura quòd ex fide iustificet gentes Deus, prænunciauit Abrahæ, q; in te benedicent omnes gentes.] Demonstrat quomodo credentes sint filij Abrahami, & ex scriptura testimonium profert: In te benedicentur gentes, pro eo quod est, per imitationẽ fidei tuæ. Ostendit etiam quòd lege sit antiquior fides, siquidem Abrahamum ante legis sanctionem ea iustificauit: & quòd secundum prophetiã, quæ nunc fiunt, contingunt. Præuidens enim scriptura, hoc est, ipse qui legem tulit Deus, prædefiniuit atq; statuit, non ex lege, sed ex fide iustificari. Et non dixit reuelauit, sed εὐηγγελίσατο, hoc est lætum nuncium attulit: ut discas quòd & Abraham hac iustificationis formula lætatus sit, eamq; desiderarit.

Gen. 22.

Fides lege antiquior.

Igitur qui ex fide sunt, benedicuntur cum fideli Abraham.] Quia turbabantur nequando sint maledicti & execrati, ceu illi qui in lege non perseuerent (scriptũ est enim, Maledictus qui non perseuerat in ijs quæ scripta sunt in lege) diuersum nunc potius ostendit, nempe quòd benedicti sint qui legem reliquerint, ac fidem accesserint, perinde ac fideli Abrahamo benedictum est.

Deut. 27.

Quicunq; enim ex operibus legis sunt, sub maledicto sunt. Scriptum est enim: Maledictus est omnis qui non permanserit in omnibus quæ scripta sunt in libro legis, ut faciat ea.] Ne quis opponat, Haud iniuria Abrahamus ex fide cùm benedictus est, tum iustificatus, quia lex nondũ sancita erat. Tu uerò monstra mihi q; postquã data est lex, fides iustificet, & benedictos faciat: ostendit Apostolus nunc non solum q; & iustificet fides & benedicat, sed etiã q; lex peccati & maledictionis causa sit. Nemo eñ potest facere quæ scripta sunt in lege: qui uerò nõ facit, execratus est. Proinde fidei est benedicere, frustra uos metuitis nequãdo uos execrati reddamini deficientes à lege. Nã si eautamini, potius sub execratione estis, quippe qui non possitis explere ipsam.

Lex, maledictionis causa.

Quòd uerò in lege nemo iustificetur apud Deum, manifestum est, quia iustus ex fide uiuet. Lex aũt non est ex fide, sed qui fecerit ea homo, uiuet in ipsis.] Demonstrato quòd lex maledictos faciat, fides autem benedicat, ostendit iam nunc quòd & fides sola iustificat, & non lex. Adducitq; Habbacuk dicentem quòd ex fide iustus sit uicturus, & non ex lege, Lex enim non solùm fidem postulat, uerumetiam opera. Pulchrè

Habac. 2. Leuit. 18.

autem

A autem dixit, apud Deum: apud homines enim iusti forsan uideri queant lege detenti, quales Pharisæi iustificantes seipsos coram hominibus. Quia igitur lex ob difficultatē operum nō iustificabat, sed maledictioni potius subiugabat, uenit gratia facilem uiam offendens, fidem uidelicet, per quam iustificati benedicimur. En demonstratum est igitur q̄ nedum ante legem benedicebat & iustificabat fides, sed post legem etiam potius.

Christus nos redemit de maledicto legis, factus pro nobis maledictū. Scriptum est enim: Maledictus omnis qui pendet in ligno.] Ne quis hic occurrat, Verè, inquiens, qui non facit legem, maledictus est, & uerè fides iustificat. Vnde autem perspicuū, q̄ maledictio illa sublata sit? Metuimus enim ne quo modo ueluti legi subiugati, ipsi etiā sub execratione simus. Indicat igitur solutam esse per Christum execrationem. Dato enim precio, per hoc q̄ ipse factus est maledictio, redemit nos à maledictione legis, quam ipse quidem euasit, ut qui legem impleuerit: nos autem obnoxij legi sumus, quippe qui nequeamus eam perficere: æquè ac si condemnatū quempiam adiudicatumq̄ morti alius quispiam innoxius eximat à morte, pro illo mortē subire uolens & eligens. Suscepit igitur maledictionem quæ erat, à ligno suspendi: dissoluitq̄ maledictionem, quæ nobis, quòd legem non impleremus, erat imposita, ipse qui ei non erat obnoxius. Legem enim impleuit, & peccatum non fecit. Deut. 21. *Maledictio quomodo à nobis ablata.*

Vt in gentibus benedictio Abrahę fieret in Christo Iesu.] Eam ob rem factus est maledictio, ut in gentibus, hoc est, ijs qui lege non utebantur, neq̄ ea tenebantur, benedictio Abrahami, hoc est, quæ est ex fide, fieret in Christo Iesu, hoc est, in semine Abrahami, sicut & scriptum est: Quod in semine tuo benedicentur, hoc est, in Christo exte nato secundum carnem, credentes uidelicet in ipsum. Gen. 22.

Vt promissionem spiritus acciperemus per fidem.] Propterea (inquit) benedicuntur gentes, ut & spiritum accipiant per fidem. Quia enim nō licebat accipere spiritum eos qui adhuc sub maledictione erant, benedicuntur soluta maledictione à Christo; B tumq̄ per fidem iustificati, accipiunt promissionē spiritus. Quæ enim promisit Deus Abrahamo, spiritualia esse intelligit Paulus, quę nunc uidelicet nobis data sunt, ipsa benedictio, idq̄ genus alia.

Fratres, secundum hominem dico.] Suprà stolidos uocauit, nunc fratres nominat: illo quidem eos perstringens, hoc consolans. Humanum, inquit, exemplum uobis adducturus sum.

Tamen hominis confirmatū testamentū nemo spernit aut superordinat. Abrahamo aūt dictę sunt promissiones, & semini eius. Non dicit, Et seminibus, tanquā in multis, sed tanquā in uno. Et semini tuo, qui est Christus. Hoc autem dico, Testamentum antea firmatū à Deo in Christū, post quadringentos & triginta annos facta lex nō irritum facit, ad euacuandam promissionem.] Hoc indicare uult, q̄ fides sit testamentum antiquius lege, & quòd iniquum est ei præferri legem. Hinc & exemplum posuit. Si homo (inquit) testamentum fecerit, nunquid audet aliquis post eum ueniens inuertere, uel superordinare, hoc est, apponere aliquid? Nónne igitur de Deo idem sentiendum est? Nam & Deus testamentū fecit cum Abrahamo, ut in semine ipsius misericordiam consequantur gentes. Semen autem ipsius, Christus est. Non enim dixit seminibus, ut intelligeres ab eo propagatos Iudæos & Ismaelitas: sed semini, de uno quopiam unicè & sigillatim loquens, quod (uti dictum est) Christus est. Quomodo igitur testamentū hoc, & consensum, & promissionem, lex irrita facere potest, ut ne in Christo benedicantur gentes, sed in legalibus mandatis? Hoc enim nihil aliud est, quàm destruere & abolere promissionem: quod absurdum est. Genes. 22. *Fides testamentum lege antiquius.*

Nam si ex lege hæreditas, iam non est ex promissione. Abrahamo aūt per promissionem donauit Deus.] Si lex (inquit) donat benedictiones, & uitę & iustitię hæredes facit: restat igitur ut promissio illa Abrahamo facta sit irrita, reiectaq̄: uerùm id nō habet rationem. posterior enim lex cum sit, quomodo irritum faciet prius testamentum? Ne festines autem totū exemplum ad institutum trahere. Nam ob eam rem etiam ipse dixit, Secundum hominem loquor: hoc est, humanum exemplum profero. Quare si non possit diuinis adæquari, nihil nouum.

Quid igitur lex? propter transgressiones addita est.] Quia fidē, ut digna erat, extulit & euexit in altum, & antiquiorem demonstrauit quàm sit lex, imminebat obiectio, cuius

cuius nempe rei gratia lex data sit, si fides antiquior erat, & benedictiones dabat? Ait igitur haud temerè esse latam, enimuero tranigressionū gratia, ut pro freno sit ludæis, prohibens præuaricari quædam saltem mandata, etiamsi non possit efficere ut omnia mandata ludæi illæsa retineant. Scitè autem illud, addita uel apposita est, ut indicet legem non esse præcipuè ac primo consilio datam quemadmodum promissiones, sed ueluti obiter interpositam ob multas transgressiones, ut aliquot saltem cohiberet. A

Legis ferendæ causa.

Exech. 20.

Donec ueniret semen cui promiserat.] Non, inquit, ad infinitum usq; tempus data est lex, cæterùm tamdiu donec Christus uenerit, cui promissum est ut in eo benedicatur gentibus. Si igit ad Christi usq; aduentū data est, quid ulterius eam producis?

Ordinata per angelos in manu mediatoris.] Lata est, inquit, lex per intermedios angelos administrata, uel sacerdotes, uel reuera angelos. Etenim ad tubas illas & tonitrua ac terriculamenta, angeli administri erant. In manu mediatoris, id est Christi, indicans adeò quòd & legem tulerit Christus, ut ita in arbitrio eius sit eam rursus tollere, quippe qui dominus eius sit.

Exod. 19.

Christus legislator.

Mediator autem unius non est, Deus autem unus est.] Christus itaq; duorum mediator est, Dei uidelicet ac hominum. Mediatorem autem egit utrisq; pacem faciens, ac bellum dirimens quod homines cum Deo gesserunt. Ex quo enim adiunxit sibi ipse atq; uniuit humanā naturam, ex eo tempore pacem fecit, inimicam diuinæ naturæ ob peccata carnem mirandum ad modum commiscens, atq; cum ea temperans. Quocirca quia mediator & reconciliator ipse est, perspicuum est quòd ipse seruet, & non lex.

Lex ergo aduersus promissa Dei? absit.] Si promissiones benedictionem dabant, lex autem maledictionem introducit, perspicuum est quòd si receperimus ipsam tanquam authoritatem habentem, tollit promissiones Dei benedictionē dantes. Sed absit. Audi autem quæ sequuntur.

Si enim data esset lex quæ posset uiuificare, uerè ex lege esset iustitia.] Lex, inquit, tunc fortior esset fide, & benediceret, & iustificaret hominem, si uiuificare potuisset ac seruare. Iam uerò occidit potius, quatenus non potest à peccatis liberare. Quomodo igitur dominabitur in fidem, quæ potest uiuificare per baptisma, & quæ benedicit & iustificat? B

Sed conclusit scriptura omnia sub peccato, ut promissio ex fide Iesu Christi daretur credentibus.] Non potuit, inquit, lex à peccatis liberare, uerùm ad hoc cooperata est, ut concluderet homines sub peccato: hoc est, ut ostenderet eos peccatores, & compelleret ut remissionem concupiscant, & accelerent ad eum qui hanc præstare elargiriq; possit, Deum. Postquam enim Iudæi non sentientes peccata, remissionem non desiderarent, dedit legem concludentem eos & coarctantem, constringentemq; per increpationes, monstrantemq; peccatores, ac compellentem inquirere rationem per quam possint uenia donari. Hæc autem ratio est, ipsa in Christum fides, per quam benedicimur iustificati.

* ἦτις ἐν ᾗ καὶ πάλιν κρυπτομένη δέ, ὕστερον ἀπεκαλύφθη. *Si pro* πάλιν *legas* πάλαι, *sensus erit: quæ quidē erat etiā olim: sed occultata postea reuelata est quando, etc.*

Priusquam autem ueniret fides, sub lege custodiebamur, conclusi in eam quæ reuelanda erat, fidem.] Lex, inquit, magnam præbebat securitatem ijs qui sub ea erant, ac ab illa custodiebantur, à pluribus peccatis cohibens, ac ueluti murus quispiam existens concludens homines, colligensq; ad fidem. Qua isthuc ratione? Cum enim arguat peccata, nec possit ab his liberare, necessariò fidem ostendebat iustificantem, * quæ erat sanè occultata, rursusq; postea reuelata est, quando Deus manifestatus est in carne.

Itaq; lex pædagogus noster fuit in Christum, ut ex fide iustificemur.] Vt enim pædagogus ab omni malitia liberat adolescentem, ac ut disciplinas à præceptore suscipiat, cum omni cura atq; attentione parat: hunc ad modum lex in uirtute moderata alumnos suos, adeoq; eos qui sub se erant, instituebat, & ad Christum doctorem atq; præceptorem abducebat, per reprehensionem & ostensionem peccatorum promptiores faciens & alacriores, ut quærerent eum qui noxæ condonationem impertiretur, ac ex fide iustificaret. Pudeat ergo legis calumniatores: neq; enim pædagogus aduersatur præceptori, nec lex repugnat nouo testamento.

At ubi uenit fides, iam non sumus sub pædagogo. Omnes enim filij Dei estis per fidem

dem in Christo Iesu.] Cum aduenerit, inquit, fides quæ uirũ perfectũ efficit, non iam amplius esse possimus sub pædagogo, qui per ipsam perfecti sumus, & adolescentiam supergressi. Quòd perfecti enim uiri sumus, ex fide planũ est, quia filij Dei sumus per fidẽ in Christũ. nam hæc est cõstructio. Omnino aũt qui eo honore est dignatus, ut filius Dei fiat, non est imperfectus, neq; infans. Quocirca ridiculum fuerit, eos qui in uiros creuerint, pædagogo legi subijci. Perinde enim esset, ac si cum dies illuxerit, non solem quis uidere uelit, sed lucernam. Obserua autem quî suprà ostenderit fidem filios Abrahami facere, nunc autem filios Dei. Adeò magna potest.

Quicunq; enim in Christũ baptizati estis, Christum induistis.] Quomodo filij Dei sumus confirmando ostendit, per baptisma nempe. Non dixit autem, Quotquot baptizati estis, filij Dei facti estis, quemadmodum consectarium erat, & consecutio postulabat: sed quod multo magis est tremendum, Christum induistis. Si enim Christum filiũ Dei induimus, ipsiq; assimilati sumus: ad unam cum eo cognationem unamq; ideam perducti sumus, gratia facti, quod ille est natura.

Non est Iudæus neq; Græcus, nõ est seruus neq; liber, non est masculus & fœmina. Omnes enim uos unus estis in Christo Iesu.] Vnusquisq;, inquit, baptismate abluorum resecit nativas formas & proprietates, unam autem figuram & formam omnes assumpserunt, non angeli, sed ipsius Domini, in seipsis ostendentes Christum, perinde ac unus sumus omnes in Christo Iesu, hoc est, quatenus unam Christi formam impositam nobis habemus, uel quatenus etiam unum corpus sumus, unum caput, ipsum ui delicet, habentes.

Si autem uos Christi, itaq; semen Abrahami estis, ac secundum promissionẽ hæredes.] Quia antea dixerat semen esse Abrahami in quo benedicerentur omnes gentes, ipsum Christum, cui etiam datæ sunt promissiones, ac demonstrauit uos etiam Christi formam circumferre, concludit nunc isthuc. Quia igitur & uos semen estis Abraha
B mi, ac hæredes deinde promissæ benedictionis, quomodo ergo legi animum appellitis, cum sitis benedicti, propterea quòd Christum induerítis, adsimilatiq; sitis ipsi, indeq; facti semen Abrahami?

CAPVT IIII.

Dico autem: Quãto tempore hæres paruulus est, nihil differt à seruo, cum sit dominus omniũ, sed sub tutoribus & actoribus est usq; ad præstitutũ tempus à patre.] Hoc est, statuit pater eum nihil debere administrare, tantisper dum ad legitimam ætatem peruenerit, cui & parendum est.

Ita & nos cum essemus paruuli, sub elementis mundi eramus in seruitutẽ adacti.] Paruuli non ætate, sed Dei cognitione. Elementa uerò mundi, neomenias ac sabbata dicit, hi nanq; dies à cursu solis lunæq; fiunt. Itaq; qui nos sub legem agunt, eamq; docent, infantes faciunt, elementisq; mundi subdunt, cũ tamen simus uiri perfecti, & filij Dei, patresq; familiæ, & domini. Discimus præterea q̃ Deus quidem filiorũ adoptionem, quæ est ipsa hæreditas, à principio dare uoluerit, sed infantia nostra, quo minus hoc fieret, obstitit, remorataq; est. Volens aũtem prorsus tollere legem, nõ dixit q̃ diebus inseruierimus, uerùm elementis mundi fuerimus subditi, ut pudefaciat magis eos qui legi incumbendum suadent. Ne turberis autem, si ex consequenti tutores & curatores siue actores elementa intelligantur. Primùm enim legem debes accipere tutorẽ, perinde ac pædagogum etiam, nõ ista. Deinde neomenias & sabbata elementa dixit, præsertim ut abundè eos à lege deficere faciat, atq; rubore suffundat, hoc ita dixit, quẽadmodum in progressu deinceps uberius indicabit. Nonnulli per elementa, elementalem & introductoriam uel institutoriam legem intellexerunt. *Elementa mundi.*

At ubi uenit plenitudo temporis, misit Deus filium suum, factũ ex muliere, factum sub lege, ut eos qui sub lege erant redimeret, ut adoptionem filiorum reciperemus.] Quandiu, inquit, infantes eramus, subiecti fuimus neomenijs & sabbatis: at simulatq; aduenit præstitutum tempus Christi incarnationis, cum omne scelerum genus pergressa humana natura, opus haberet curatione, emandauit filium suum Deus, hoc est, placuit ei ut ueniret. Factum, non dixit per mulierem, ut ne aditum & ansam inueniant qui adserunt Dominum per uirginem ceu canalem transijsse inani prorsus apparentia; sed ex muliere, hoc est, ex essentia uirginis corpus accipientem, quippe

quia

quia sit fructus uteri ipsius. Factus autem fuit sub lege, circunciſus, omniaq; legis perficiens, ut ab execratione exemptus, ab execratione nos redimeret. Duò autem Christi incarnationis officia nobis exponit: alterum, ut nos redimeret ab execratione legis: alterum, ut subministraret nobis adoptionem filiorum. Recipiamus porrò dixit, indicans quòd iam antea ex promissione ad nos pertinuerit, etiamsi ob infantiam nostram nobis non fuerit data. Nam & promissa Abrahamo hæreditas, adoptatio erat: filius enim hæreditatem adit. A

* A communi lectione nonnihil uariat Theophil. ut & Chrysi. per Eraſ. uerſus.

Quoniam aũt estis filij, emisit Deus spiritũ filij sui in corda nostra, clamantem Abba pater. Itaq; iam non es seruus, sed filius. si autem filius, & hæres,* hæres quidem Dei, cohæres autem Christi.] Vnde, inquit, planum q̃ filiorum adoptione donati sumus? patefecit isthuc & antehac. quãdo indicauit nos Christum induisse, qui est filius. Ostendit autem etiamnum, ex eo quòd spiritum acceperimus, qui instituit nos ut patrem inuocemus Deum nouo quodam modo & diuino corda nostra cõmouendo: quod certè non fieret, ni filiorum adoptio nobis data esset. Quocirca cum filij simus, hæredes etiam sumus, non uulgarium certè rerum, cæterùm bonorum diuinorum, & unigenito cohæredes. Cur igitur rursus serui efficimur, repellentes in filios nos adoptantem fidem, legiq; attendentes?

Dierum obseruatio, idololatria.

Sed tunc quidem ignorantes Deum, ijs qui natura non sunt dij seruiebatis.] Hîc ad eos qui ex gentibus crediderant, sermonem conuertit, commonstrans etiam idololatriam esse dierum obseruationem, quodq; hodie plus peccent, quàm olim. Quondam enim, inquit, ignorabatis Deum, ceu tenebris septi atq; seducti, ac propterea seruiebatis soli & lunæ, quæ non natura sunt dij. Iam uerò si post ueritatis agnitionem dies obseruetis, nihil aliud quàm elementis seruitis, eaq; ceu deos colitis, ac ad peiorem quàm olim impietatem relabimini.

Nunc autem cum cognoueritis Deum, imò cogniti sitis à Deo, quomodo conuertimini rursus ad infirma & egena elementa, quibus denuò seruire uultis?] Nunc autem, inquit, cognouistis Deum, imò uos non proprio labore inuenistis & agnouistis Deũ: neq; enim quæsiuistis omnino, sed ipse uos in profundis tenebris agentes inquisiuit & assumpsit. Cognitos enim pro assumptis à Deo dixit. Quomodo igitur reuertimini rursus ad egena & imbecillia elementa, hoc est, quæ nullũ robur habeant ad proposita nobis bona, neq; possint spiritualiter nos iuuare? Simul autem tanquam orbata intellectu & sensu, adeoq; uita, misera siue egena hæc uocat & infirma, etiamsi hoc Græcis displiceat quod de elementis dico. Pseudapostoli itaq;, tanquam legis uindices, dierum obseruationes introduxerunt. Ipse autem sapientissimè idololatriã rem ipsam uocat, quam & ipsa lex reijcit. Quare ista docentes, legi etiam aduersantur. B

Dies obseruatis, & menses, & tempora, & annos.] Ex his planum est quòd non solum circunciſionem prædicabant pseudapostoli, cæterùm ferias etiam & neomenias.

Metuo ne quomodo frustra laborauerim erga uos.] Contemplare clementiam & & miserationẽ Pauli. illi concutiuntur, & Paulus terretur. Quod ait nequo modo, indicat eos adhuc superesse, necdum prorsus naufragium passos. Facit autem eis spem, si modò uelint uigiles & sobrij esse, non frustra se erga eos laborasse, perinde quasi dicat eis, Mementote meorũ erga uos sudorum, neq; uanos facite labores meos.

Estote sicut ego, quia & ego sicut uos.] Ad eos qui ex Iudæis crediderant, hæc dicit. Imitamini, inquit, me. Nam & ego apprimè lege accendebar, non secus quàm uos: attamẽ relicta illa, pro Christo nunc & fide dimico. Tales & uos estote. Pulchrè autem hoc posteriore loco posuit: homines enim potius similibus & eiusdem generis exemplis trahuntur, quàm rationibus.

Baptiſmate fratres facti ſumus.

Fratres obsecro uos, nihil me læsistis.] Quia asperè eos ac seueriter obiurgarat, uult rursus mitigare sermonem: neq; enim uehemens nimium obiurgatio prodest, neq; nimia indulgentia & lenitas: propterea fratres eos nominat, gratiæ baptismatis mentionem pariter faciens, ex qua omnes fratres ueluti ex uno patre Deo facti sumus. Defenditaũt ea, quæ dixit, q̃ nõ sint prolata ex odio. Nihil me læsistis, nihil iniuriæ mihi intulistis, ut hostiliter erga uos rapiar & commouear, sed innumera potius honoris & dilectionis opera mihi exhibuistis. Quomodo igitur, quia infensus uobis sim, hæc dixissem: cæterùm curam potius uestri gerens, ac rursus gratificari uobis contendens.

Scitis

A Scitis autem quòd per infirmitatẽ carnis euangelizaui uobis prius, ac tentationem quæ erat in carne mea, non spreuistis, neq; respuistis.] Nouistis, inquit, quòd cum imbecillitate carnali, hoc est, cum persecutionibus & periculis prædicarim euangelium apud uos, neq; sic tamen auersati estis me. Neq; tentatio mea hæc, id est, persecutiones & uerbera & huiusmodi, offenderũt uos, compulerunt q; uos contemnere me atq; despuere. Simul autem latenter pudefacit eos, cum quanta sit passus ab aduersarijs eorum nomine, commonstrat.

Sed sicut angelum Dei suscepistis me, tanquam Christum Iesum.] Adeò, inquit, honoratis me, quasi maior essem homine. Quomodo igitur non absurdum est, tum quidem cum persecutionem paterer, & agitare uarijs malis, me à uobis suscipi tanquã angelum & ueluti Christum, & non offendi: iam uerò cum consulam uobis quæ decora sunt & opportuna, ueluti hostem iudicari me à uobis, & minimè suscipi?

Vbi est ergo beatitudo uestra.] Ambigit, & admiratur, & ait: Quæ est, siue ubi est beatitudo uestra, uel quid contigit beatitudini uestræ: hoc est, quó nam abierunt illa omnia propter quæ felices prædicabamini ab omnibus, ceu doctores uestri amantes? Quæ est igitur, siue ubi ea est? In quid cõmutata est beatitudo illa? Nunc enim istam non uideo, uobis nimirum contrario modo me in affectis.

Testimonium enim perhibeo uobis, quòd si fieri potuisset, oculos uestros eruissetis, & dedissetis mihi.] Olim, inquit, propter uerbi prædicationem, chariorem me oculis uestris habuistis. Quid igitur contigit quòd hostis instar me censeatis nunc, ac suspicemini? Absurdum enim est, eum qui tanto à uobis honore sit affectus, intensa & inimica hæc uobis mente dicere.

Ergo inimicus uobis factus sum, uerum dicens uobis.] Aliã, inquit, nõ uideo inimicitiæ causam, quàm quòd ueritatem uobis dixerim, reprehenderimq; uos in institutione Euangelij corruptos. Atqui par erat, ut eo nomine maiori me amore prosequeremi
B ni, ut qui curatoris uestri officio functus sim, opusq; perfecerim.

Aemulantur autem uos non bene, sed excludere uos uolunt, ut ipsos æmulemini.] Aemulatio res bona est, siquando uirtutem cuiuspiam aliquis imitetur: at uerò æmulatio haudquaquã bona est, si quis cõtendat à uirtute eijcere rectè operantẽ. Isti igitur nituntur uos excludere, hoc est, eijcere à perfectissima in Christo constitutione & cognitione, ac ad imperfectiorẽ, qui est in lege, statũ inijcere, ut ipsos ceu doctores ac præceptores uestros reuereamini, eosq; æmulemini ac imitemini tanquã discipuli. Ego aũt contrarium uolebam ut ipsis & quibusuis instructores essetis ad perfectiora, quod & factum est cum apud uos agerem. Indicat autem hæc clanculum & deinceps. *Aemulatio bona.*

Bonum est autem æmulari in bono semper, & non solùm cum præsens sum apud uos.] Viden' hoc indicare eum, q; digni erant imitatione apud omnes ob perfectionẽ, quando apud ipsos præsto fuerit Apostolus? Quin & hoc significat q; absentia ipsius horum malorũ causa fuerit. Beatam ergo rem esse dicit, cum discipuli non modò præsente præceptore, uerumetiam absente mentem quam oportet obtineant.

Filioli mei, quos iterũ parturio, tantisper dum formetur Christus in uobis.] Matrem imitatur, puerorum suorum nomine trepidantem. Corrupistis, inquit, formã Christi, quam habebatis in uobis ipsis ex baptismate, estq; uobis opus alia regeneratione reformatione q;, ut rursus forma Christi in uobis sit, ut ex ipso figuremini uos. Denuò enim uos parturio, per institutionem iterum regenero, non enim despero. Propterea & uos filiolos appello, ne & uos despondeatis animum. Isthuc etiam aduersum Nouatianos est. Galatas enim Paulus rursus parturit & reformat, isti autem non recipiunt ex pœnitentia correctionem. *Nouatiani.*

Vellem autem esse apud uos modò, & mutare uocem meam, quoniam confundor in uobis.] Non contentus sum in literis, inquit, sed uellem etiã adesse, permutareq; uocem meam, hoc est, ad luctus atq; ploratus hanc uertere. Nam ambigo quid dicere me de uobis oporteat, quomodo qui adeò exaltati eratis, ut discrimina subiretis propter fidem, ac per eam signa ederetis, nunc ad legalem uilitatem abstrahamini. Hanc ob causam uellem præsens apud uos plangere. Quando enim perplexi sumus, calamitatiq; succubuerimus, solemus ad lachrymas deferri.

Dicite mihi, qui sub lege uultis esse, legem non auditis?] Postquã abundè eos emol-

lijt & attraxit, rursus ad certamina descendit, ostendens q̃ ipsa lex non uult seipsam cu A
stodiri. Respõdete, inquiens, mihi. Pulchrè autem dixit, Qui uultis. Nõ enim id quod
ab illis agebatur rerum consequentia postulabat, sed ipsorum importuna contentio ef
Lex, uniuer sum uetus testamentũ ficiebat. Legem autem appellat Geneseos librum. Est enim illi in more, uniuersum ue
tus testamentum legem appellare.

Scriptum est enim, quòd Abraham duos filios habuit, unum ex ancilla, & unum ex libera.] In superioribus dixit, Filij estis Abrahami. Quoniam uerò non eiusdem fue-
runt dignitatis filij patriarchæ, sed alter quidem ex serua, alter uerò ex libera, ostendit quòd nõ solùm filij, uerumetiam tales estis, qualis est liber & ingenuus: adeò uos fides ingenuos reddidit.

Sed qui ex ancilla, secundum carnem natus est: qui autem ex libera, per promissio-
nem.] Quia cum affirmaret eos filios ipsius esse Abrahami, inpersuasibilia uidebatur dicere, si qui non secundum carnem ex Abrahamo nati sunt, filij eius essent: adserit quòd & Isaac genuinus filius Abrahami, ne ipse quidem secundum carnem natus sit (quomodo enim, natura emortua, & matrice effœta & mutilata?) sed Dei uerbum & promissio ipsum effinxit, Ismael aũt naturæ consecutione natus est. hoc enim est quod ait, Secundum carnem. Attamẽ qui secundum carnem natus est, seruus & alienus est ab hæreditate. qui uerò non est secundum carnem, Dominus & hæres est. Quid igitur obstat quo minus & uos qui non secundum carnem nati estis ex Abrahamo, filij eius sitis? Nam & uos per uerba quæ in baptismate recitantur, formati estis.

Quæ sunt per allegoriam dicta.] Hoc est, historia quidem ipsa hæc est: non hoc aũt solum indicat, uerùm & alia quædam nũciat: unde & allegoria uocata est, figura enim fuerunt illa præsentium.

Hęc enim duo sunt testamenta, unum quidem à monte Sina, in seruitutem generãs, quæ est Agar. Agar enim Sina mons est in Arabia, contiguus est autem ei quę nũc est B
Hierusalem, seruit autem cum filijs suis.] Hæc. quæ hæc? duæ nimirũ mulieres referun
tur per allegoriam ad nouum & uetus testamenta. Quomodo? Agar enim ad uetus. E-
Agar. tenim lex à Sina monte data est. Sina uerò in Arabia quidem est, Agar autem appella
tur Arabum lingua. Est autem contiguus Hierosolymis, id est, uicinus est, contingit, uel quia adsimilatur inferiori Hierusalem, uel eius speciem præ se fert, & ad illam trans sumitur, tanquam similitudo sit inter utraq;. Perinde igitur ut Agar serua erat, & in ser uitutem generabat, hunc ad modum lex ex monte Sina (qui appellatur Agar) ei quæ nunc est Hierusalem assimilato, & contiguo illi, adeoq; pari, in seruitutem generabat eos qui sibi appellerent animum. Nam & in lege pleraq; sunt illiberalia, atque seruilia. Virtus nanq; ob corruptibilem mercede statuebatur, nempe ob terrena bona: uitij autem fuga per pœnas ac terrores inducebatur.

Illa autem quæ sursum est Hierusalem, libera est, quæ est mater omnium nostrũm.] Figura quidem Agar, in Sina est. Expende autem & Sarrhæ figuram. Siquidem super nam illa Hierusalem præfigurabat: nam illa ciuitas est fidelium, unde & lex nobis lata est. ex cœlo nanq; Euangelium. Libera autem est ex legis obseruationibus, cunctaq; li berè ordinat, & ingenuè. Nihil enim à nobis ob uisibilem mercedem geritur: neq; cor poralia nobis supplicia imminent, uerùm & promissiones diuiniores, & pœnæ inge-
nuis conuenientes, nempe à mystica mensa excludi, atq; increpari.

Esai. 54. Scriptum est enim: Lætare sterilis, quæ non paris: erumpe & clama quæ non partu-
ris: quia multi filij desertæ, magis quàm eius quæ habet uirum.] Figuris haud contentus, Esaiam in testem citat, qui sterilem ac desertam appellat ecclesiam ex gentibus coa gmentatam. Et enim erat deserta, adeoq; uacua diuinæ cognitionis, & absque liberis, quippe quæ neminem prophetarum Dei protulerit, uel doctorem. Habentem autem uirum, Iudæorum synagogam: uel quia legem habebat administrantem res ipsius, uel quia Deum ipsum. Erumpe igitur, hoc est, uocem lætitiæ eloquere, quia nunc multipli cati sunt tibi filij, & prophetæ, & doctores, & filij Dei ex te, ac uniuersum terrarum or-
bem tu genuisti, non unicam gentem, ut ipsa Iudæorum synagoga.

Gen. 21. Nos aũt fratres secundũ Isaac, filij sumus promissionis. Sed quemadmodũ tunc is qui secundũ carnem natus fuerat, persequebatur eum qui secundũ spiritũ, ita & nunc.] Ec
clesia, inquit, cum sterilis esset instar Sarrhæ, non solùm liberorum multitudine aucta

est,

A est, ut illa, quinetiam eundem ad modum genuit ut illa. Vt enim illam non natura matrem fecit, sed promissio (qui enim dixit, Secundum illud tempus ueniam, is & in uterum ingressus infantem effinxit) sic & in nobis, ut & suprà commemoratum est, diuina uerba reformationē faciunt, ea quę in baptismate pronunciantur. Præterea ne quis dicat, Qualis est ista libertas, quando Iudæi flagellent credentes: qui autē uidentur liberi esse, persecutionem patiuntur? respondet, Tum quoq; itidem sese res habebat. Etenim Ismael persequebatur Isaac, tamen nihil impediebat quo minus is qui persecutionē pateretur, esset genuinus filius Abrahami, ac dominus persequentis. Ex ipsa igitur Iudæorū persecutione ostenditur nostra ad Isaacū similitudo, & ad Abrahā necessitudo. Gen. 18.

Sed quid dicit scriptura? Eijce filium ancillæ: non enim erit hæres filius ancillæ cum filio liberæ.] Ne quis dicat, Quæ igitur iam consolatio est fidelibus, qui à Iudæis persecutionem sustinent, quòd & Isaac tum fuerit persecutioni obnoxius? audi, inquit, quid dicat scriptura, hinc enim consolationem accipies. Pro temporaria enim afflictione, qua persequebatur Isaacum Ismael, penitus eijcitur. Nec satis est ei ad pœnam q̄ eijcia tur, cæterùm adimitur etiam ei ne possit esse particeps bonorum filio paratorum, quod maius multo est tormentum, à Dei iudicio atq; sententia ducens principium, & non à persecutione. Obserua autem quī non Abrahami, sed ancillæ filium nominauit, qui non posset hæreditatē adire, à uiliore ipsum genere uocans. Contemplare igitur quòd indicarit legem ipsam sui ipsius dissipationem induxisse. Siquidem omnia quæ dicta sunt, cum figura sint eorum quæ nunc facta sunt, in lege & ueteris Testamenti libris perscripta sunt. Gen. 21. *Quod Ismael ab hæreditate excludatur, non à persecutione, sed à Dei uoluntate initiū cœpit.* *Lex, sui ipsius dissipatrix.*

Itaq; fratres, nō sumus ancillæ filij, sed liberę.] Hæc omnia mouet, ut ostendat quòd factum sit nobiscum hodie, ante multa tempora adumbratum præmonstratumq; esse. Quī igitur non absurdum, eos qui libertatem ante tot annos sint adepti, rursus uoluntarios ac sponte seruos effici?

B CAPVT V.

IN libertate igitur qua Christus nos liberauit, state.] Num, inquit, uos ipsos liberastis? Alius est qui precium redemptionis dedit pro nobis. Quomodo igitur uosipsos legis dominatui subiugatis præter consilium eius qui uos liberauit, Christi? Cum dixit autem State, monstrauit eos esse conuulsos motosq;.

Et nolite iterum iugo seruitutis contineri.] Per iugum, graue onus seruitutis quæ in lege erat, significat. Quod uerò Iterum dicit, stupiditatem eorum accusat. Siquidem cum experimento didicerint seruitutis onus, rursus ad eam suapte sponte prouolant & accedunt.

Ecce, ego Paulus dico uobis, quòd si circūcidamini, Christus uobis nihil proderit.] Propriæ personæ authoritatem, omnis demonstrationis uice ponit. Non prodest, inquit, Christus circumcisionem recipienti, eo q̄ talis gratiam repellat, ac ad legem ceu benefactricē accurrat, Christo uerò omnino diffidat, ut qui nullo eū beneficio affecerit. Qui autem diffidit & incredulus est, nihil adipiscitur ab eo cui fidem non adhibet.

Testimonium autem dico omni homini qui circunciditur, q̄ debitor est uniuersæ legis faciendę.] Vt ne existimes per inimicitiam aut odium hæc dici, Nō uobis solis, inquit, hęc loquor, uerumetiā cuiuis qui circunciditur, q̄ onus adeoq; grauamen ingens uobis imponitis. Legalia nanq; inter sese mutuò sunt cōnexa. Vnde si pusillam quandam legis partem susceperis, teq; ipsum iugo submiseris, totum eius dominatum super te attraxisti. Circuncisio enim & uictimam exigit, diesq; obseruat: uictima uerò & locum postulat, & modum & purgationes: immundus enim uictimā non immolat. Purgationes rursus alias habent obseruationes. Animaduertis quomodo qui defecit à Christo, non solùm ex ea defectione non iuuatur, cæterùm innumeris se grauaminibus oneribusq; subiecit. Si enim lex est dominus tuus, totam illam adimple: si autem dominus tuus non est, ne partem etiam eius ullam recipias. *Legalia inter se cōnexa sunt.*

Euacuati estis à Christo, qui in lege iustificamini, à gratia excidistis.] Hoc est, nullam societatem habetis cum Christo, nihilq; cum eo commercij, qui (ueluti opinamini) in lege iustificamini, à gratia excidistis uerè iustificante. Magnum igitur naufragium est, quando neq; quæ lex promittit acceperis: ac ea quæ sunt gratiæ, abieceris.

Nos enim spiritu ex fide spem iustitiæ expectamus.] Nos fideles, inquit, non lege,

sed spiritu sancto speramus iustificari. Quomodo? ex fide: oportet enim fidem præce- A
dere, deinde accessione spiritus peccatorum dimissionem accipere, ac iustificari in
baptismate.

Nam in Christo Iesu neq; circuncisio aliquid ualet, neq; præputium, sed fides quæ
per charitatem operatur.] Antea tamen dixit noxiam rem esse circuncisionem, qui er-
go rem indifferentem nunc eandem efficit? Dicimus igitur, quòd circuncisionem in-
telligit quæ est ante fidem: ueluti si diceret quòd nouo testamento accensi, neq; si circũ
cisi fuerint, adiuuentur quicquam: neq; si præputium retineãt, lædantur. Omnia enim
à fide pendent quæ per charitatem operãt: hoc est, quæ debeat semper efficax & uiuax
commonstrari per dilectionem erga Christum. Significat autem eos credidisse quidẽ,
sed non esse radicatos in Christi dilectione, & propterea ad legem transfugisse. Vel ad
proximi etiam dilectionem eos transfert. Monstrat autem simul, q; seductores eorum,
si charitatem haberent erga eos, non talia ausi fuissent committere. Disce igitur q; fides
operatur per charitatem, hoc est, uiuere demonstratur: sin charitatis expers sit, ineffícax
Iacobi 2. est. Simile est Iacobi loco, Fides sine operibus mortua.

Currebatis bene, quis uos impedijt ueritati nõ obedire?] Non interrogantis est hoc,
sed deplorantis, ac dicentis, Ad consummationem perueneratis, quid contigit? quis
tantum potuit, ut impediret uos ne ueritati Euangelij morem gereretis, sed abrogatæ
umbrosæq; legi?

Persuasio hæc non est ex eo qui uocat uos.] Hoc est, Quòd persuasi sitis ut credatis
impostoribus, nõ est ex Christo. Non enim uocauit uos ille ut credatis consulenti-
bus uobis ut ad Iudaismum accedatis.

Modicum fermentum totam massam corrumpit.] Vt ne dicant: Quid adeò nos no-
tasti & increpuisti? unicum tantum legis mandatum subijmus, quid adeò culpam no-
stram attollis & exaggeras? respondet: Quod exiguum usum est, ualde nocet & obest.
Vt enim fermentum ad seipsum rapit, totamq; consperssionem trãsmutat, etiamsi pusil B
lum fuerit: haud secus circuncisio, cum mandatum sit unicum, prorsus uos ad Iudai-
smum traijciet.

Cõfido de uobis in Domino, q; nihil aliud sapietis.] Cõfido, inqt, de uobis: noui enim
meos discipulos, noui facilem apud uos esse emendationem. Confido igitur de uobis,
ac in spem uenio uos corrigi posse. Confido etiam Domino, qui nõ uult ne minimum
seu qualemcunq; quidem perire. Inhortatur itaq; eos, ut & sua afferant, & in Dominũ
spem suam collocent. Nõ enim aliter licet beneficia Dei consequi, quàm si & ueſtrum
etiam conatum conferatis.

Qui autem conturbat uos, portabit iudicium, quisquis fuerit.] Vos quidem ad recti-
tudinem statũ per resipiscentiã transferemini: enimuero qui impossuerunt uobis, non pro-
pterea liberabuntur à pœna, sed pœnam luent, etiamsi magni uideantur, & fide digni,
hoc enim indicat quod ait, Quisquis fuerit. Hoc autem dicit, ne alij quidam prodeant,
ac pari ratione adoriantur Galatas, insidiasq; struant.

Ego autem fratres, si circuncisionem adhuc prædico, quid adhuc persecutionem pa
tior?] Quia calumniatores eius dicebant, Hypocrita est Paulus, quippe quia aliàs cir-
cuncisionem prædicat, aliàs non item: Vos, inquit, mihi testes estis, quòd persecutio-
nem patiar à Iudæis. Si igitur circuncisionem prædico, pro quánam alia re persecu-
tionem sustineo? planum enim est quòd quia patrios eorum ritus dissipem ac tollam,
persequantur me. Sin circuncisionem prædico, commendo, adeoq; confirmo patrias
Paulus cur Timotheum circumcide rit. eorum leges: ecquid igitur me persequũtur? At uerò nónne circumcidit Timotheum
Paulus? Næ, uerùm per quandam dispensationem. Aliud autem est circumcidere, a-
liud circuncisionem prædicare. Non enim dixit, Si circuncidi, sed si circuncisionẽ prę
dico. Qui enim prædicat, docet id semper debere fieri, ceu rem simpliciter bonam: qui
uerò per dispensationem quiddam facit, non ueluti simpliciter bonum hoc facit, ue-
rùm tanquam ad tempus utile.

Ergo euacuatum est scandalum crucis.] Si circuncisionem, inquit, prædicem, desijt
scandalum, quo scandalizabantur propter crucẽ Iudæi. Ob nihil enim aliud offendun
tur Iudæi in crucis prædicatione, neq; eam recipiunt, nisi q; dissoluat circuncisionem,
atq; per hoc legem. Proinde si à me circuncisio prędicatur, pugna Iudęorum aduersus

crucem,

A crucem, & scandalum quo scandalizantur propter ipsam, abolitum est ac cessauit.

Vtinam abscindantur qui uos conturbant.] Eos qui decepti fuerant, stultos initio uo Supr. 3.
cauit, nihil aliud agens, quàm quòd ueluti pueros increparet. Impostores autem ipsos tanquam incurabili morbo laborent, execratur, ac dicit: Vtinam non solum circunciderentur, sed & funditus resecarent sua membra. Contemplare autem qui dixerit ἀναστατοῦντες, id est qui conturbant, qui statu & sedibus mouent, quod de captiuos ducentibus dicimus. Nam & isti libertatem eorum auferebant, & à supernis Hierosolymis eos transferentes, ceu exules & profugos, ad legem Iudaicam q̃ uilitatem transferebant. Obserua autem cõtra abscindentes seipsos, q̃ Apostoli execrationem ad se se attrahãt.

Vos enim in libertate uocati estis fratres, tantum ne libertatem in occasionem carni.] Non, inquit, ut seruiamus legi, uocati sumus à Christo, cæterùm ut liberi simus à iugo legalis seruitutis. Deinde ne suspicetur quispiam, quòd postquam liberi sumus, liceat nobis in posterũ agere quę uoluerimus, corrigit hoc, inquiens: Ne habeamus, inquit, libertatem in occasionem carni, hoc est, carnalibus cupiditatibus. Non enim pro Libertas
pterea soluti sumus à iugo legis, ut præcipitemur, uerùm ut & sine iugo appositè incedamus, uelut iam probè instituti. Non enim ut transgrediamur legem, propterea liberi sumus, uerùm ut superemus etiam legem. Christiana.

Sed per charitatem seruite uobis inuicem.] Sublato legis iugo, aliud charitatis nimirum iugũ imponit, quod & leuius & fortius est illo. Indicat autem latenter, q̃ dominatus cupiditate accensi, ad eos impudenter irruperint deceptores. ea enim mater est cunctarũ hæreseũ. Si igit̃ dominatus cupiditas & ambitio uos discidit, per charitatem alter alteri seruite, intensam & uehementem charitatem significans per (seruite) uerbum. Ad moralem autem rationem conuersus, indicat modum & rationem qua istud corrigi queat, ut non carnalibus cupiditatibus inseruiant.

Omnis enim lex in uno sermone complet̃, nẽpe, Diliges proximũ tuũ sicut teipsum.] Leuit. 19.
B Si omnino, inquit, implere uultis legem, nõ per circunciſionẽ, sed per dilectionẽ adimplete. nã ipsa legis est impletio. Animaduerte aũt quomodo ad moralẽ sermonẽ egressus non obliuiscitur institutionis, ut adhuc de dogmatibus agat, adeò uehementer dolebat ei quòd seducti essent.

Quod si inuicem mordetis & deuoratis, uidete ne uicissim alius ab alio consumamini.] Quod nouit reuera contigisse, tanq̃ ambigat recensẽt, & quod sequit̃ similiter, Ne alter ab altero absumamini. metuentis em̃ hoc est, & nutãtis, nõ cõdemnãtis. Nõ dixit aũt mordetis solũ, q̃d est indignationis, sed deuoratis etiã, q̃d est extremæ ferocitatis, ac beluinæ sæuitiæ. Hæc autem & de corruptis dogmatibus dicit. Intelligitur etiam de mutuis insidijs, rapinis, & circumuentionibus. Quia uerò uim facientes ac dolum meditantes, uidentur alios consumere: Videte, inquit, ne in uos res ista conuertatur.

Dico autem, spiritu obambulate, & desideria carnis non perficietis.] Quia mordere ac deuorare adfirmarat ad absumptionem uergere, remedium iam nunc huius affert, quod & charitatem conseruat, & conseruatur ab ipsa, quod est, ut spirituales sint. Si enim spirituales sumus, diligemus feruentius: & si diligemus, spirituales efficimur, ac de inceps carnalem concupiscentiam haud perficimus.

Caro enim concupiscit aduersus spiritum, spiritus uerò aduersus carnem. Hæc autẽ sibi inuicem aduersant̃, ut non quęcunq̃ uultis illa faciatis.] Hic insurgentes Manichei Manichei.
& huiusmodi omnes hæretici, adseuerant hominem ex duabus cõtrarijs essentijs esse compositũ: atq̃ apostolũ istud testari per ea quæ nunc dicit. Atqui ea persistere haudquaquã possunt. Nõ enim de essentia disputat, sed carnem dicit terrestrẽ cogitationẽ & ratiocinationem, eamq̃ socordẽ & neglectã, non corpus: & spiritũ spiritualẽ cogitationẽ, nõ animã. Terrestris igit̃ cogitatio opponit̃ spirituali, & spiritualis cogitatio terrestri. Cogitationũ itaq̃ bonarũ & prauarũ pugnã inducit, sed nõ corporis & animi. Velle enim & nõ uelle, animę est cogitãtis ac ratiocinãtis. Infert em̃, Vt nõ quęcũq̃ uelitis, Corpus animam iuuat.
ea faciatis: quãdoq̃dẽ corpus animã adiuuat, nõ aduersat ei: animaq̃ corpus amplectit̃ & sustinet, omniaq̃ agit ut ne ipsum derelinquat: & cũ ab eo abrũpitur, dolet. Quomodo igit̃ cõtraria sunt, quæ tantam inter se mutuò habitudinem & concordiam fouent?

Quod si spiritu ducimini, non estis sub lege.] Qui spiritum habet, extinguit prauas cupiditates: qui uerò ab his liberatus est, non eget consilio legis, neque ei subiectus est.

Qui enim nõ ſuccenſet, agè quæſo, quî opus habet denunciante ac præcipiente ei, Ne occidas? Et qui non concupiſcit, quí opus habet conſulente, Ne fornicéris? quod & alio in loco dixit: Iuſto nõ eſt lex poſita. Videtur aũt & encomion legis canere: ſiquidẽ ſpiritus erat, pro uiribus ſuos pędagogi more inſtituens, ad definitũ uſq; tempus. Qua uia igitur rurſus ſubdimini pædagogo, relicto ſpiritu uos perfectos facienti? Quod perinde eſt, ac ſi quis philoſophus cum ſit, opus habeat pædagogo. A

Manifeſta ſunt aũt opera carnis, quæ ſunt fornicatio, adulteriũ.] Corruptæ, inquit, & carnalis deliberationis & uoluntatis opera ſunt hæc, inter quæ agnoſcitur etiam fornicatio & adulterium. Planũ eſt autem quónã modo fornicatio ab adulterio diſcrepet.

Immũditia, laſciuia.] Turpes modos hîc notat, quos ne ſuſtinuit qdẽ hîc nominare.

Idolorũ ſeruitus, ueneficia, inimicitiæ, lis, æmulatio, iræ, contentiones, diſſenſiones, hæreſes, inuidiæ, homicidia, ebrietates, comeſſationes, horũq; ſimilia: quæ prædico uobis, ſicut prædixi, quod qui talia agunt, regnum Dei non conſequentur.] Dicant nobis hîc carnem criminantes: Eſto q; fornicatio & laſciuia, corporis ſint peccata, inimicitiæ aũt & hæreſes & huiuſmodi quí poterunt eſſe carnis? Eſt igitur perſpicuũ, q; omnia hæc ſint corruptæ uoluntatis. Si autem carnis eſſent, naturaliter nobis adnata, quomodo nos è regno Dei educerent. Non enim naturæ, ſed conſilij & uoluntatis tum pœnę ſunt, tum coronæ. Maximè uerò ſi naturæ fuiſſent paſſiones, ſiue affectiones, non díxiſſet quí agũt, ſed qui patiuntur. agere nãq; deliberationẽ & uoluntatẽ indicat. Inimicitias porrò intellige iniuſtas. Sũt enim & iuſtæ inimicitiæ, quæ fidei religioniſq; nomine exercentur, ergaq; omnes ex recto Chriſtianiſmi tramite deuiantes oſtenduntur.

Zelus bonus.

Aemulationes autem dicit zelotypias, quibus non poteſt fauere alijs, quod ſolus obtinere ardeat. Eſt namq; & bonus zelus, ut ſi quis bene agentem rectéq; operantem imitetur. Pulchrè autem poſt diſſenſiones & contentiones, hæreſes poſuit. Omnis enim hæreſis ex diſceptatione contentioſi propriam uoluntatem & opinionem ſtatuere nitentis, naſcitur, ac propterea hæreſin cõſtruentis.

Comeſſatio.

Cædes deinde ex inuidia, comeſſatio uerò ex temulentia prouenit. κῶμοι enim ſunt temulentorum ebriorum'ue contumelioſæ cantilenæ. Hinc priori loco poſuit generantia, poſteriore uerò ab ijs nata. B

Fructus autem ſpiritus eſt charitas, gaudium, pax.] Praua opera ex nobis ſolis fiunt, ea de cauſa & opera carnis nominauit, quæ ſimul laborem ac difficultatem habeãt. Bona uerò, non noſtra tantùm cura indigent, uerũ etiã ſupna opus habent cooperatione: eapropter ſpiritus fructũ ea dixit, tanquã à nobis detur ſemẽ, ſiue propoſitũ: ut uerò fructus creſcat & naſcatur, iſthuc in Deo ſitũ eſſe. Porrò radicẽ omniũ bonorũ, primã charitatẽ ponit, deinde gaudiũ. Qui enim diligit, ſemper gaudet, etiã quãdo adfligitur. eũ enim à quo ſibi iniuria infertur, ceu benefactorẽ intuet. Lætat aũt in Deo cuius cauſa nihil nõ agit & patit, eam ob rem bona conſcientia exhilarat. Ex charitate aũt & lætitia in animo etiã ſuo pacem habet, non turbatus cogitationibus, erga omnes quoq; externos pacem exhibet. Nam etiamſi odiſſe quoſdam uidetur, non eos tamen odit, ſed uitia eorum, ipſos ceu fratres charitate complectens, ad eorum utilitatem odium hoc oſtendens, ut ad uirtutem & ſanctiorem uitam redeant.

Longanimitas & manſuetudo differunt.

Num. 12. Sapien. 12. Pſal. 124.

Longanimitas, benignitas, bonitas, fides, manſuetudo, continentia.] Longanimitas à manſuetudine in hoc differre uidetur in ſcriptura, quòd longanimis multum diuq; cogiter, nec celeriter, ſed cũ cunctatione conuenientem peccanti pœnã imponat, manſuetus autem omnino noxam & ſupplicium remittat: perinde ac Moſes quia Mariæ & Aaroni remiſit noxam, præ omnibus terram incolentibus manſuetus uocatus eſt. Benignitas autem, communius quiddã eſt quàm bonitas. Benignus enim Dominus eſt uniuerſis. Bonitas ſolis dignis benefacit, ſecundum illud: Bonus eſto, uel benefac Domine bonis. Fidem autem dicit, non ſimplicem, uerùm mentes etiam transferentem, credentem poſſibilia eſſe Deo, quæ apud homines ſunt impoſſibilia, idq; indubitanter. Ad omnia autem continentia eſt admouenda: non enim ciborum tantum eſt, uerùm omne opus prauum iuxtà reſpicit.

Aduerſus huiuſmodi non eſt lex.] Anima enim hæc à ſpiritu perficiens, nõ eget legis adhortatione, quippe quę ſit lege altior: quemadmodum quí natura ſunt celeres equi, non opus habent flagro. Nõ tamen ceu malã legem reijcit ne hîc quidem, ſed minorem eam communicata à ſpiritu ſapientia & ſcientia oſtendit.

Qui

A Qui autem sunt Christi, carnem crucifixerunt cum † uitijs & cōcupiscentijs.] Perinde ac si quis dicat: Ecquis est qui hæc quæ dixisti, perficiat? Qui Christi sunt, inquit, id est, qui sunt pars Christi, carnem crucifixerunt, id est carnalem affectum mortificarunt, non enim seipsos interemerunt: ut carnem intelligas, substantiam carnis, sed terrestrem cogitationem & rationem, adeò ut neq; iræ motus in ipsis porrò uiuant, nec cupiditates, sed cùm hi tum illæ crucifixa & interempta sint. Vel affectus simpliciter turbatas operationes intelligit, siue ab ira sint, siue à concupiscentia. Non solum igitur opera fideles interfecisse adserit, sed ipsa etiam horum principia fontesq;, siue concupiscentias.

† παθήμασι, uitijs, passionib. affectibus.

Si spiritu uiuimus, spiritu & † ambulemus.] Quia tantum spiritus robur est, illi uiuamus, illo simus contenti: hoc enim στοιχῶμεν, pro eo quod est, satis sit nobis spiritus potentia, nec inquiramus à lege appendicem.

† στοιχῶμεν, id est, ordine incedamus, siue ambulemus, uel etiam contenti simus: quæ significatio Theophyl. et Vallæ magis placet.

Non efficiamur inanis gloriæ cupidi, inuicem prouocantes, inuicem inuidentes.] Innuit hîc quòd qui eos seduxerint, ex ambitione eò peruenerint. hæc enim omnium malorum causa est. Alter alterum prouocantes ad contentiones & lites, quemadmodum si aduersario suo quis dicat, Agè, si robore uales & uiribus, ueni, experiamur tale quid. Quandoquidem uerò & à uana gloria sit inuidia, hanc etiam prohibet.

CAPVT VI.

FRatres etsi præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, uos qui spirituales estis, huiusmodi instaurate in spiritu lenitatis.] Plericq; apud ipsos uisi increpare delinquentes, suos ulciscebantur & effundebant affectus, ex dominatus cupiditate eò peruenientes. Ait ergo: Si præoccupatus fuerit aliquis, hoc est, correptus, à dæmone uim passus, uos spirituales perficite, hoc est nō punite, sed erigite, emendate in spiritu lenitatis. Nō dixit in lenitate, sed in spiritu lenitatis, indicās q; & spiritui hoc placeat, tum quòd sit spiritualis doni, cum mansuetudine peccantes erigere atq; emendare.

B Considerans teipsum, ne & tu tenteris.] Ne extollatur is qui alium perficit, præmunit eum. Considera, inquit, atq; obserua teipsum, ne & tu in eadem incidas, tentationē passus ab aduersario. Significanter autem dixit tu: humanæ nanq; imbecillitatis per hoc commonefacit.

Alter alterius onera portate.] Quia fieri non potest ut qui homo sit, non peccet, adhortatur eos, ne sint nimium exacti censores in delictis proximi, sed ferāt ea, ut & quæ ipsius sunt, ab alio uicissim tolerentur.

Et sic adimplete legē Christi.] Non dixit πληρώσατε, id est implete: sed ἀναπληρώσατε, cōplete, adimplete. hoc est, cōmuniter omnes implete, ita ut alter alterū ferat: ut qui celer est & iracundus, segnē tardumq; ferat, segnis aūt uehementē illius impetū. Sic fiet, ut neq; ille peccet ab hoc gestatus, neq; hic delinquat ab illo baiulatus. Hāc ad rationē itaq; alter alteri manū porrigentes, per uos mutuò adimplete legē Christi: q̄d proximo deest, unusquisq; cōpleat, per hoc q; toleret eū. Nā & alioqui charitatis officiū est, ut alter alterius grauamina & onera portet. Charitas aūt impletio est mandatorum Christi.

Si enim uidetur quispiam esse aliquid, cum nihil sit, seipsum decipit.] Rursus hîc arrogantiam deijcit, ob oculos ponens q; qui uidetur esse aliquid, qui sibi quicquam tribuit, nihil est. Isthanc enim opinionem quā de sese concipit, euidens profert argumentum quòd nihil sit, neq; quenquam alium decipit, quàm seipsum.

Opus aūt suum probet unusquisq;, & tunc apud seipsum solum gloriationem habebit, & non ad alium.] Exploret, inquit, accuratè sua ipsius opera (hoc enim uult uerbū probet) num quicquam fecerit uana gloria ductus, num per simulationem, num alia quapiam humana causa, tumq; non aduersus alterum glorietur. Cæterùm si se continere non possit, ad seipsum gloriationem transferat: hoc est, ipse sibi collatus, hesterno opere hodiernum præstantius censeat. Hæc aūt Paulus loquitur per permissum & obsecundando, non ut legislator, ut paulatim elationem huiusmodi consuetudinis tollat. Qui enim adsueuerit non gloriari aduersus proximum, Pharisæi in morem, hic facilè desistet & uitabit ne etiam apud seipsum glorietur.

Homo seipsum exploret.

Luc. 18.

Vnusquisq; enim proprium onus portabit.] Quid enim gloriaris aduersus proximū? & tu & ille propria onera feretis, tūcq; uniuscuiusq; opus probabit. Proinde cū & tu onera habeas & sarcinas, ne glorieris aduersus alterū, neq; apud te ob bona opera glorieris.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Cõmunicet aũt is qui catechizat uerbo, ei qui se catechizat, in omnibus bonis.] De doctoribus deinceps disserit, ut ab ipsis instituti cõmunicent instituentibus, nõ in uno quopiã, sed in omnibus bonis, alimentũ, indumentũ, honorem, beneuolentiã, adeoq; omnia planè impertientes eis bona. Maiora nanq; catechumeni, q̃ dant, accipiũt, nempe pro carnalibus spiritualia. Vnde & cõmunicationem rem ipsam uocat, ceu repensatione quapiam facta. Cuius autem rei gratia doctores Christus à discipulis ali constituit? propter duo hæc, ne magistri extollantur nimium, sed tanquã discipulis egentes, moderatè sapiant, utq; soli uerbo uacent, nec alimenti nomine circumagantur. Ac discipuli ex beneuolentia erga præceptores, erga alios quoq; tales esse instituantur ac discant. Simul etiã ne ipsi inopes, & mendicantes, pudore suffundantur, cum tales sint ipsorum doctores.

1. Cor. 9.

Matt. 10.

Nolite errare, Deus nõ irridetur. Quicquid enim seminauerit homo, hoc & metet. Quoniã qui seminat in carnem suam, de carne metet corruptionem: qui uerò seminat in spiritu, de spiritu metet uitam æternam.] Quia sæpenumero nõnulli accusantes doctores ceu malæ uitæ, negligunt eos, nec alunt penuria laborantes, sanè deinceps quidem ait, Facientes bonum, ne deficiamus. Ac nunc pariter ostendit q; erga tales liberalitatem nõ oporteat claudi, tanq; in spiritualẽ rem sumptũ faciant. Cõferens igitur sumptus qui fiunt in carnalia & spiritualia, Si in carnẽ, inquit, impendas, mensas & condimenta parans, temulentiã, delicias, & crapulam seminans & uoracitatem, corruptionem metes. nam talia corrumpuntur, & simul corrumpunt corpus. Sin in spiritũ semines, hoc est, spiritualia opera, eleemosynã omnibus impertiẽs, ac temperantiã seruans, uitam æternam metes. Non enim irridetur atq; decipitur Deus, sed unicuiq; tum quæ sua sunt largitur. Satius est ergo in spiritualia impendere, sub quibus continetur etiam erga præceptores sumptus: quàm in carnis cupiditates, quæ corrumpuntur & corrumpunt corpus. Ex uoluptatibus enim & luxu morbi nascuntur.

Morbi ex uoluptatibus.

Bonum aũt facientes, ne deficiamus: tempore enim suo metemus non deficientes.] Nunc clarius retegit ac reuelat, ut etiamsi praui sint indigentes opera nostra, nos non desistamus beneficia illis impertiri. Abundantiã aũt & continuam dationem indicat, cũ ait, nõ oportet deficere. Deinde quia rem arduã postulauit, statim etiã subiecit præmium. Metemus, inquit, quomodo? non deficientes, hoc est nullã defatigationẽ habentes, sed perfectam quietem. Hîc quidem squalorem & laborem & defatigationẽ tolerabimus, etiam in ipsa messe: illic uerò secus res habebunt nostræ.

Ergo dum tempus habemus, operemur bonũ erga omnes, maximè aũt erga domesticos fidei.] Vt nõ semper est tempus seminandi, sic neq; miserendi, id quod indicant uirgines, & * Lazarus. Tãtisper ergo dum in hac uita nobis tempus supereſt, nedum erga præceptores ac doctores, uerumetiã erga Græcos & Iudæos, bonũ operemur: hoc est, benefici simus & misericordes, eleemosynã impertientes. Nec tamen eandem nos mensuram habere oportet erga hos atq; fidei domesticos, sed longè maiorem liberalitatem fidelibus exhiberi cõuenit. Hoc enim innuit cum ait, Maximè. Obserua autem quomodo etiam hîc abducat eos à Iudaica uilitate: siquidem lex erga contribules suos tantummodo aperiebat uiscera: gratia uerò Christi terram simul & mare ad eleemosynæ mensam uocat, etsi non pari modo uel ratione, ut dictum est.

Matt. 25. Luc. 16.

* *Chrys. dicit illo, qui Lazarũ cõtempserat.*

Videte qualibus uobis literis scripserim mea manu.] Cũ pauca ad mores pertinẽtia dixisset, iterum ad priora redit, quæ cor ipsius lancinabant, planũ faciens q; sua manu hanc epistolã totã conscripserit, nõ ut charitatẽ solummodo erga eos demonstret, uerũ ut suspicionẽ pariter malam tollat. Vituperabatur enim ceu alia apud alios prædicaret. Adactus est igitur testimoniũ literis scriptum ponere de sua prædicatione. Alias quidẽ epistolas alij scribebãt, ipse uerò si qd utiq;, salutationẽ solã exarabat. Qualibus, nõ est magnitudinis indiciũ, sed deformitatis literarũ, perinde quasi diceret: Atqui etiãsi non possim elegãtes characteres ducere, coactus tamẽ sum propria manu epistolã scribere.

Paulus amanuensibus utebatur.

Quicunq; uolunt placere in carne, hi cogũt uos circũcidi.] Quotquot, inquit, uolũt probati esse in carne, hoc est, apud homines, Iudæos nimirũ (probro enim his apud Iudæos dabat, q; à maiorũ suorũ cõsuetudinibus deficerẽt) illi cogũt uos circuncidi. defendentes sese apud Iudæos per uestrã carnẽ. Cũ ait, cogũt uos, indicat eam seruituẽ ipsos haud sponte passos esse, prębẽs eis occasionẽ reuertẽdi, ut qui neq; nũc uolũtariò errẽt.

Tantum

A Tantùm, ut non ob crucem Christi persecutionem patiantur.] Propter aliam etiã, cau-
sam, inquit, hoc faciunt. Ne enim à cruce & fide persecutionem patiantur & diuexen-
tur, ueluti hanc prævaricantes & circuncisi, uolunt & alios circũcisionis habere socios.
Neq; enim qui circunciduntur, legem custodiunt: sed uolunt uos circuncidi, ut in
carne uestra glorientur.] Non solum, inquit, ut hominibus placeant, hæc faciunt, ue-
rumetiam propter ambitionem. Non enim ex zelo quo erga legem accenduntur, ut
eam defendant: neq; pietatis ergò istihuc agunt, sed uanæ gloriæ, ut in uestra carne glo
rientur: hoc est, ut in concisione carnis uestræ iactent sese, tanquam doctores uestros,
ut qui uos discipulos suos habeant.
Mihi autem absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri Iesu Christi.] Isti, inquit, in cir
cunsione gloriantur, re abolita & antiquata: mihi autem non contingat in ulla alia re
gloriari, præterquã in cruce Domini nostri Iesu Christi, hoc est in fide erga crucifixum
qui legem fecit irritam & abrogauit. Tanquam autem abominandum quippiam, de-
precatus est, diuino etiam auxilio ad hoc implorato. Quomodo autem in cruce quis-
piam gloriatur? Quia propter me inutilem Dominus meus crucifixus est, diligens me
adeò, ut seipse in mortem pro me traderet. Gloriatio igitur Pauli & omnis fidelis, crux *Crux, fide-
est, ueluti demonstrata in ipsa Domini erga nos charitate. Quis autem seruus non lis cuiusque
gloriatur, qui à domino diligitur? gloriatio.*
Per quem mihi mundus crucifixus est, & ego mũdo.] Mundum, huius seculi res &
negocia dicit, gloriã, diuitias, uoluptates. Hæc igitur mihi sunt mortua, egoq; ipsis sum
mortuus, duplici interemptione facta. Neq; enim illa capere me possunt, mortua sunt
enim: neq; ipse ego ad illa accurrere, mortuus enim sum.
In Christo enim Iesu neq; circuncisio aliquid ualet, neq; præputiũ, sed noua creatu-
ra. Et quicũq; hanc regulã secuti fuerint, pax super illos & misericordia, & super Israel
Dei.] Ne iactes mihi circunsionem, quæ nihil potest, quæq; inutilis est sicut & præ-
B putium. Christus enim omnia nouauit, aliamq; à nobis uitam postulat. Noua enim
creatura, est uita secundum Christũ: propterea quòd & nunc animæ nostræ inueteratæ
peccato, renouatæ sunt per baptismã, quodq; in futuro æuo incorruptibilitate & gloria
honorabimur, corporibus innouatis incorruptibilibusq; redditis. Quotquot igitur
perseuerãt in regula hac nouæ secundũ Christum uitæ, fugientes antiquatã & ; otesta-
te destitutã circunsionem, pacem erga Deum consequentur, liberati à peccatis, quæ
Deum nobis infensum, hostemq; faciunt: humanitateq; & clementia dignabũtur, nõ
porrò ceu hostes Dei odio expoliti, sed misericordia donati, ceu pace illis facta per cru-
cem & gratiam. Tales etiam sunt Israel propriè, tanquam uidentes Deum. Quare qui *Gen. 32.*
huiusmodi non sunt, etiamsi genere Israelitæ fuerint, falsò Israelitæ dicuntur. Hoc au-
tem à Dauide desumpsit Paulus, dicente: Pax super Israel. *Psal. 124.*
De cætero nemo mihi molestus sit.] Non tanquã desidia laboret, uel deficiat, hæc di
cit (quomodo enim is ad socordiam relabatur, qui commonefaciens, Insta, inquit, op *2. Tim. 4.*
portunè, importunè?) cæterùm uolens leges ab se sancitas immobiles esse, néue aliud
quiddam ab eo sperent, sed consummatam certitudinem accipiant, q; sic prædicent.
Ego enim stigmata Domini nostri Iesu Christi in corpore meo porto.] Apologiam
habeo aduersus eos qui dicũt me esse hypocritam, & q; alibi circuncisionẽ prædicem,
stigmata nimirum & pericula quæ pro Christo subeo. Hæc enim omni uoce splendi-
dius testantur, q; non legis nomine, sed pro Christi dogmate & Euangelio eius pericu
lis obiectus & immersus fuerim. Non dixit autem habeo, sed porto, tanquã trophæum
& uexillum quoddam regium, atq; in illis glorior.
Gratia Domini nostri Iesu Christi cum spiritu uestro, fratres. Amen.] Per hoc quòd
eis gratiam imprecatur, indicat quòd non ira uel odio dixerit quæ dixerit. Non so-
lùm autem uotum & exoptatio est, uerùm etiam institutio confirmans & obsignans
ueluti sigillo commemorata omnia. Eos enim commonefacit gratiæ quam recepe-
runt, non per legem, sed quia Christo crediderunt. Nec dixit uobiscum, sed cum spiri-
tu uestro: à carnalibus nimirum abducens, & monstrans quòd non ex lege, sed à gra-
tia spiritum acceperint: & quòd non lex, neq; circuncisio, sed gratia possit ipsis spiri-
tum conseruare, quemadmodum & dedit. Præterea cum fratres appellat, ad memo-
riam reuocat baptismã ex quo fratres efficimur qui unius patris Dei scilicet filij sumus,
& non

& non ex lege. Sit autem nobiſcum etiam gratia Dei, ita ut ſecundum ſpiritum uiua A
mus, nec diuinam paracleti ſanctificationem reijciamus per peccatorũ limum & ſor-
des, cæterùm nunquam non eam ſanctificationem maiorem nobis conciliemus in
Chriſto Ieſu Domino noſtro, qui nouam uitam & ſpiritualem, ueteris adeoq; corpora
lis interitu, ſubindicauit nobis, cui gloria in ſecula. Amen.

Ad Galatas ſcripta eſt à Roma.

AD EPHESIOS EPISTOLAE PAVLI per Theophylactum Bulgariæ archiepiſcopum Enarratio.

ARGVMENTVM.

Epheſus. *Epheſus, Aſiæ eſt metropolis. Colebat autem Dianam, cuius templum erat in ipſa & pulcherrimum & maxi-*
mum, quod omnibus Græcis in ſumma ueneratione erat, potißimum uerò ab ipſa Epheſo colebatur, ut adeò cul-
Actu. *trix Dianæ ea diceretur, perinde ut in Actis memoriæ proditum eſt. Epheſi Euangeliſta Ioannes diu etiam multumq;*
demoratus eſt, ablegatus eò, ubi & mortem oppetijt. Quinetiam Timotheum diuus Paulus illic reliquit doctorem.
Claruêre porrò philoſophorum in hac urbe uixerunt. Quia igitur ſuperſtitioſa adeò erat ciuitas, ac ſapientibus uiris
poſſebat, magna diligentia Apoſtolus uſus eſt ad hos ſcribens, profundioresq; ſententias & altiores eis credidit, ut qui
tam in fide Chriſti inſtituti eſſent. Scribit autem præclaris ſententijs refertam epiſtolam à Roma, uinctus. opus eſt igi-
tur & nobis multa attentione, ut intelligamus quæ ſunt in hac myſteria.

CAPVT I.

PAulus Apoſtolus Ieſu Chriſti, per uoluntatem Dei.] Ecce præpoſitio
Arrian. nem (per) patri dedit, quod obſerua propter Arrianos.

Sanctis qui ſunt Epheſi, & fidelibus in Chriſto Ieſu.] Animaduer-
te quãta uirtus tum reſplenduerit, adeò ut ſanctos & fideles appellet B
uiros mundi negotijs deditos, uxores habentes & liberos, At hodie
ne in montibus quidem & ſpelæis tales reperiuntur.

Gratia uobis & pax à Deo patre noſtro, & Domino Ieſu Chriſto.] Cum dixiſſet gra
tiam, infert Dei patris noſtri, ut oſtendat quid effecerit nobis gratia, nimirum ut Domi
num Deum patrem noſtrum faceret. Ad hęc Dominus, hoc eſt, filius, ſua erga nos gra
tia & Ieſus & Chriſtus factus eſt, propter nos incarnatus, ac Ieſus uocatus, qui & huma
nitatem diuinitate unxit.

Benedictus Deus & pater Domini noſtri Ieſu Chriſti.] En Deus & pater eiuſdem &
unius Chriſti: Deus quidem ut incarnati, pater uerò ut Dei uerbi.

Qui benedixit nos in omni benedictione ſpirituali.] Vt opponat Iudaicæ, ſpirituali
Pſal. 120. dixit. Nam illa corporalior erat, Benedicat Deus ſobolem uentris tui, & benedicat in-
127. greſſum & exitum tuum. Hîc autem omnis benedictio ſpiritualis eſt, & nihil nobis de
Deut. 28. eſt. nam facti ſumus immortales, & filij Dei, & cohæredes Chriſti, ac primitiæ noſtræ à
Rom. 6. ſupernis uirtutibus adorãtur. Meritò igitur dixit, In omni benedictione: omnia nobis
Rom. 8. donata ſunt, cùm diuina, tum ſpiritualia.

In cœleſtibus.] Interpretatur propemodum quomodo ſit ſpiritualis benedictio no-
ſtra, in cœleſtibus, inquiens. Siquidem Iudæorum benedictio erat in terra, unde & cor
Leuit. 25. poralis. Bona enim terræ, inquit, comedetis: terramq; lacte & melle fluentem: Ac be-
Exod. 13. nedicet Dominus terræ tuę. Hîc aũt nihil terreſtre, ſed cœleſtia omnia, propterea & ſpi
Pſal. 84. ritualis benedictio noſtra. Regnum enim cœlorum pauperibus annunciatum eſt, &
Mat. 12. 5. perſecutionem Chriſti nomine paſſos merces in cœlis multa expectat.

In Chriſto Ieſu.] Hoc eſt, per Ieſum Chriſtum nobis benedictio contingit, non per
Moſen, uelut Iudæis. Quare nõ ſola qualitate bonorum, uerumetiam per mediatorem
καταβολὴ, id eſt conſtitutionem, molitionem, iacta fundamenta. illis ſuperiores ſumus.

Quemadmodum elegit nos in ipſo ante mundi conſtitutionem.] Benedixit nos, in
quit, per Chriſtum, perinde ac elegit nos per ipſum, hoc eſt, per fidem in ipſum. Elegit
autem ante mundi conſtitutionem. A ſupernis enim iam olim prædefinita erant quæ
in nos deriuata ſunt: neq; enim recentia ſunt uel noua, ſed à principio diſpenſata ordi-
natáq;. Pulchrè aũt dixit * conſtitutionem, ut oſtẽdat q; ab altitudine Dei potentię cõdi

tus

A tus sit ac datus q̃ mundus. Quod uerò ait elegit, Dei clementiam declarat, ipsorum q̃ uirtutem: omnino enim eos qui futuri sunt probi elegit.

Vt essemus sancti & immaculati in conspectu eius.] Vt ne ubi audieris quòd elegerit nos, in posterum ad desidiam labaris, ueluti iam electus: propter hoc, inquit, nos elegit, ut sancti simus & immaculati, permanentes in sanctitate quam impertijt nobis baptizatis, ac uitam uirtutibus comptam habentes. Sanctus enim est, qui fidei consors est: immaculatus autem, qui inculpatæ uitæ est. Sanctitatem autem quærit, & uitam inculpatam: non simpliciter, sed coram ipso. Sunt enim multi in conspectu mortalium sancti, quod genus sunt Pharisæi, cæterùm non in conspectu Dei: quam rem Dauid etiam testatur: Secundũ, inquit, puritatẽ manuũ mearũ qualem intelligit? quæ obuersatur oculis eius, Idem & Esaias: Lauamini, inquit, & auferte prauitates corã oculis meis. *Matt. 23. Psal. 17. Esaiæ 1.*

Qui in charitate prædestinauit nos in adoptionem filiorum per Iesum Christum in ipsum.] Cum dixit elegit, uoluit nos intelligere quòd ueluti probatos ob uirtutem nostram nos elegerit. Quandoquidem autem nõ à nostra uirtute sola salus prouenit, adiecit, Qui in charitate prædestinauit nos, hoc est propriæ suæ clementiæ gratia diligens nos, prædestinauit. Alioqui credere quidem & accedere ad Christum, partim nostrum est, partim uocantis Dei. Eos uerò qui accesserint, filiorum adoptione donari, solius dilectionis est & clementiæ. Propterea adiecit, Prædestinauit in filiorum adoptionem. qualem? quę ad ipsum referat genus nostrum, ac nos ipsius domesticos facit, & ipsi conciliet, idq̃ per Iesum Christum. Pater sanè prædestinauit, Christus autem adduxit nos. Per filium enim omnia nobis bona conferuntur, non per seruum quempiam: hinc & splendidior est ipsa liberalitas.

Secundum beneplacitum uoluntatis suæ, ad laudem gloriæ & gratiæ suæ.] Propterea, inquit, Ad filiorum adoptionem nos prædestinauit, uolens ac nimis cupiens atq̃ desiderans. Hæc enim est bona uoluntas & beneplacitum, ut gratiæ & beneficentiæ ipsius gloria necnon celebritas indicetur. Itáne gloriam expetit Deus? Minimè: nihil enim deest diuinæ naturæ: cæterùm uult celebrari glorificariq̃ à nobis, ut excellentius eum diligamus. Nam qui demiratur factam erga sese beneficentiam, dat operam ne ulla ratione impingat uel resistat benefactori. Porrò quoties recordatur bona, uehementiori amore accenditur erga eum qui dedit. * Bona uoluntas igitur est, seu beneplacitum, præcedens uoluntas Dei, atq̃ adeò prima uoluntas Dei, ut nemo pereat. Nõ enim necessitate coactus punit, sed uolens. Quare beneplacitum, præcedens est uoluntas Dei. B

εὐδοκίαν, *id est, beneplacitũ, primaria scilicet et præcipua Dei uoluntas, quæ uult omnes seruari. Est & alia uolũtas secunda, qua uult malos puniri.*

Qua nos in dilecto gratiosos reddidit.] Non dixit ἐχαρίσατο, id est donauit, sed ἐχαριτωσεν, id est, gratiosos & amabiles fecit. Perinde ac si quis scabiosum quempiã senem, & fame corruptum ac deformem accipiens, protinus elegantem, formosum, & iuniorem reddat, amabilem ipsum in omnibus efficens: hunc ad modum etiam Deus nos omni cùm deformitate tum turpitudine plenos accipiens, amabiles & formosos nos exhibuit. Concupiscet enim rex, inquit, decorem tuum. Amabiles autem nos fecit in dilecto filio suo, hoc est per ipsum dilectum.

In quo habemus redemptionem per sanguinem ipsius, remissionem peccatorum.] In dilecto, inquit, habemus redemptionem. qualem? remissionem delictorum. quomodo factam? per sanguinem. Hoc enim est maximè tremendum, q̃ cęso dilecto filio suo nos liberauit, qui inuisi & odio obnoxij eramus, precium redemptionis dans sanguinem dilecti. Expende autem q̃ hoc sit maius etiam filiorum adoptione, quòd filio suo non pepercerit propter nos. Cum enim uerba de illa fecisset, de sanguine ac liberatione filij nunc dicit, de minoribus ad maiora sermonem perducens.

Secundũ diuitias gratiæ eius, quã exuberare fecit erga nos.] Hoc fecit, inquit, in diuitijs gratiæ ipsius. Vide autẽ hîc hyperbolas. Diuitiæ nobis datæ sunt, ac diuitiæ Dei, & gratię diuitię: idq̃ non simpliciter, sed qua exuberauit erga nos, hoc est, quam abundè & largiter super nos effudit.

In omni sapiẽtia & prudentia, ut notũ faceret nobis sacramentũ uolũtatis suę.] Hoc est, gratiã suã effundit in nos, ut sapiẽtes & prudẽtes faciat, utq̃ manifestet nobis mysteriũ uolũtatis, perinde ac si diceret, arcana cordis sui nobis cognita fecit. Vel ad hũc modum: Vt manifestaret nobis mysteriũ, q̃d est in omni sapiẽtia & prudẽtia, hoc est, quod

omni

Universidad de Deusto
Biblioteca

omni ſapientia & prudentia refertũ eſt. Quòd enim abiectos nos tot tantisq; bonis dignatus eſt, idq; in fine temporũ, atq; per crucem, quî non magnæ ſapientiæ plenum? A

Iuxta beneplacitum ſuum, quod propoſuit in ipſo.] Fecit autem hoc quemadmodum uoluit, ac ſicuti propoſuit & prædeſtinauit, in ipſo Chriſto uidelicet.

Ad diſpenſationem plenitudinis temporum.] Beneplacitum hoc, & uoluntatem propoſuit, & prædeſtinauit ad diſpenſationem, & gubernationem & conſtitutionem plenitudinis temporum. Plenitudo enim temporum, hoc eſt, nouiſsima tempora pœnam poſtulabant & ſupplicium, tanquam impleta in ipſis malitia mortalium. Aduentus autem filij, potius ſalutem in his nouiſsimis temporibus diſtribuit, quod eſt incomprehenſibilis ſapientiæ.

* ἀνακεφαλαιώσασθαι, ut conſummentur, in ſummam conferantur, recapitulentur, ad caput reuocentur, quæ poſtrema interpretatio Theophylacto magis cõuenire uidetur.

* Vt cõſummentur omnia in Chriſto, quæ ſunt in cœlis, & quæ ſuper terrã in ipſo.] Diſſecta erant cœleſtia à terreſtribus, nec habebant caput unũ. Etſi enim iuxta creationis rationẽ unus erat Deus omnibus, ſecundũ tamen rationẽ uendicationis, & peculiaris cuiuſdam familiaritatis, non item. Propoſuerat enim pater ac prædeſtinauerat coagmentare ac cõſummare, uel in unam ſummã colligere cœleſtia atq; terreſtria, hoc eſt unũ caput imponere omnibus Chriſtũ: angelis quidem ſecundũ incorpoream naturã, hominibus uerò ſecundum carnem. Dicitur etiã anacephalæoſis, id eſt, recapitulatio, etiam ſuccinctim & per capita ſummatim dicere, quæ prolixius acta uel commemorata ſunt. In Chriſto igitur recapitulauit pater, hoc eſt, concidit & abbreuiauit, ſeu breuiter abſoluit quæ longo tempore diſpenſata erant. Verbum enim conſummans & abbreuians in iuſtitia.

In quo & nos ſorte uocati ſumus, prædeſtinati ſecundum propoſitũ eius qui omnia operatur ſecundũ conſilium uoluntatis ſuæ.] Dixit ſuprà q̃ elegerit, nunc rurſus q̃ per ſortem acciti ſimus in Chriſto, hoc eſt per Chriſtũ. Quia uerò ſors, fortunæ opus eſt, & non uirtutis, neq; propoſiti ceu uoluntatis, corrigit hoc ipſum, inquiens: Prædeſtinati iuxta propoſitum Dei. Non enim prædeſtinaſſet, niſi dignos agnouiſſet. Prius enim B uidebat nos antequã naſceremur, & ſortitus eſt nos, & ſegregauit ſibi ipſe qui omnia operatur Deus. Quocirca ipſe noſtram electionem & ſortitionem operatus, non aberrauit. Felicitatis autem eſt, per ſortem eligi uel acciri, perinde nanq; eſt, ac ſi quid citra laborem per diuinam gratiam acceſſerit, etiamſi ad indignos peruenerit. Iuxta conſilium autem uoluntatis ſuæ, inquit, ut oſtendat q̃ non obiter neq; in tranſcurſu cũ Hebræi increduli manerẽt, gentes uocatæ ſint, ſed è ſupernis iam antea hæc definita erant ac præſtituta, eratq; conſiliũ hoc Dei uetus, & uoluntas eius. Etſi enim Chriſtus dixerit, In uiam gentiũ ne abieritis: &, Non ſum miſſus niſi ad oues quæ perierunt domus Iſrael: attamen propter Iudæorum adhortationem hæc dicta ſunt, & ut attraheret eos ueluti infantilibus blanditijs delinitos: quandoquidẽ reuera à ſupernis iam olim præfinita atq; prædeſtinata erat uocatio gentium.

Sors, fortunæ opus.

Matt. 10. Luc. 20. & 18.

* ἠλπικότας, alij legũt προηλπικότας, id eſt, qui antè ſperauimus.

Vt ſimus nos in laudẽ gloriæ ipſius * qui ſperauimus in Chriſto.] Vt, inquit, in gloriam ipſius ſimus nos qui ſperauimus in Chriſto, hoc eſt qui credidimus in Chriſto, & qui priuſquam inſtet futurum ſeculum, ſperamus quæ tum nobis euentura ſunt bona. Gloria enim & præconium bonitatis Dei eſt, quod adeò à ſe alienatos ſeruauerit.

* Et uos, ſperatis uel eſtis ſupplendum.

In quo & * uos, qui audiuiſtis ſermonem ueritatis, euangeliũ ſalutis ueſtræ.] In quo, hoc eſt, per quem Chriſtum. Sic & ad Hebræos ait: Locutus eſt nobis in filio. Sermonem autem ueritatis dicit, ut opponatur figurali adeoq; umbroſæ legi: & Euangelium ſalutis, ut ſtatuatur in contrarium legi occidenti, futuræq; pœnæ. Prioris enim aduentus prædicatio, ſalutis cauſa eſt: tuba uerò ſecundi aduentus, eſt propter pœnam.

In quo & credentes ſignati eſtis ſpiritu promiſsionis ſancto.] In quo, inquit, Euangelio credentes, uel in quo Chriſto, hoc eſt per Chriſti gratiã credentes ſignati eſtis, ut ſit perſpicuum q̃ ſitis ſors & hæreditas Dei. Sed Iudæi quidẽ per circuncilionẽ ſignati ſunt, tanq̃ rationis expertia bruta, ſigillum carnale recipientes: nos uerò tanq̃ Dei filij, ſupra quàm carnis patiatur cõditio ſpiritu ſignati ſumus. Promiſsionis aũt ſpiritũ eum appellat, uel q̃ ex promiſsione datus ſit. Etenim per Ioelem promiſit Deus: Effundam de ſpiritu meo ſuper omnẽ carnẽ. Et Chriſtus, Accipietis uirtutẽ uenientis ſuper uos ſpiritus ſancti. Vel quia futurorũ bonorũ promiſsionẽ ſpiritus ſtabilit. Datus enim iam nobis, futura nobis rata effecit, propterea & arrhabon dicit. Audi eñ quæ ſequuntur.

Heb. 1. Act. 2.

Ioel. 2. Act. 2. Luc. 24.

Qui

Qui est arrhabo hæreditatis nostræ.] Emit Deus salutem nostram à nobis, ac dedit nobis arrham interim spiritum, certos nos faciens q̃ & inexplicabilium & arcanorum bonorum hæreditatem sit daturus. Qui autem reuera spiritus sunt participes, illi iam hinc nouerunt eum esse arrham perfectæ hæreditatis: quorũ de numero & diuus Paulus erat, propterea ingemiscebat & quærebat consummationem accipere, & esse cum Christo. Nos autem neq; arrhabonem habemus ut conuenit, neq; quod perfectum est siue consummationem appetimus, tanquam gustu careamus. *Philip. 1.*

In redemptionem acquisitionis.] Acquisitionem, Dei erga nos diligentiam & curam dicit. Ait ergo: Arrhabo iste ad perfectam nostram redemptionem, & puram acquisitionem dicit, ac propter ipsam data est. Tum enim erit perfecta libertas, quando prorsus destruetur peccatũ, quando & sancti absoluti fuerint à cohabitatione peccatis coinquinatorum, apparuerintq; acquisiti & possessi Deo, q̃ sint ipsius populus. Nonnulli acquisitionem, nosipsos intellexerunt. In redemptionem igitur acquisitionis, id est nostri qui sumus acquisitio, possessio, & substantia uel facultates Dei.

In laudem gloriæ ipsius.] Continuò hoc infert, certiores nos reddens q̃ omnia quæ sunt promissa, certò euenient. Quòd si nostra causa ista faceret, dubitare licebat: iam uerò quia hæc facturus est ut appareat ipsius propria benignitas, quis contradicet, quòd non sit facturus? Hanc ad rationem scriptura, Fac nobis, inquit, propter nomen tuum. *Psal. 180.* &, Non nobis, sed nomini tuo da gloriam. *Psal. 113.*

Propterea & ego, audita fide uestra in Domino Iesu, ac dilectione in omnes sanctos, non cesso gratias agere pro uobis.] Propter hoc, quale? quòd fide recepta, signati sitis spiritu, arrhabonemq́ue acceperitis futurorum bonorum, perfectæq; redemptionis, assecuturiq; sitis ea quæ sunt reposita ijs qui recte credunt & uiuunt. Gratias agere pro uobis. Animaduertis hîc pium diui Pauli affectum, & clementiam eius, quomodo pro omnibus gratias agat, ceu ipse beneficium accepisset? Non enim solum istis, uerumetiam omnibus, scribit hoc. Dignum est autem gratias nos agere Deo pro cunctis beneficijs alijs quæ in nos ille transtulit. dignum tamen etiam est pro fide credentium gratias agere, quòd sic illuminati sint, quòd cruci seruatoris appositi sint, deficientes à perdẽte lege atq; Satana: id enim fraternæ charitatis est. Audita fide uestra, quę est per Iesum Christum: nec sola fide, uerumetiam sanctitate, hoc est misericordi, & fratrum amanti animo, atq; humano, qui erga omnes est, non erga solos indigenas sanctos, hoc est, fideles pauperes. Vbiq; autem fidei charitatem connectit, generantem uitam uirtutibus conspicuam. citra hanc enim alterum ociosum est, fides nempe sine operibus & uita, quemadmodum & uita sine fide. *Gratiæ deo agendæ.*

Memoriam uestri faciens in orationibus meis.] Expende tecum quótnam secum in corde gesserit, quot etiam fratrum & fidelium mentionem fecerit in orationibus. Nos ne nostri quidem ipsorum ut oportet reminiscimur.

Vt Deus Domini nostri Iesu Christi, pater gloriæ.] Quid precaris, uel intercedis pro nobis? Vt Deus erudiat ac sapientes uos faciat. Deus autem Domini Iesu, hoc est, hominis, qui secundũ carnem nobis est similis. Pater gloriæ, id est, qui ingentia necnon præclara & celebria nobis bona dedit. Semper enim à proposito argumento ipsum nominat, ut in illo, Pater miserationũ, ac Deus consolationis. Quinetiam Propheta, Dominus fortitudo mea, & cornu salutis meæ. Hic igitur, postquam magna & gloriosa nobis donauit, patrem gloriæ, hoc est, autorem, ipsum appellat. Non potest enim eum aliter uocare, quàm ab ampliore splendidioreq; apud nos nomine. Theologus autem Gregorius, per gloriam, unigeniti diuinitatem intellexit, ut sit unius & eiusdem Christi Deus & pater: Christi quidem siue humanitatis, Deus: gloriæ uerò, siue diuinitatis, pater. *2. Cor. 1. Psal. 17. Christi Deus & pater.*

Det uobis spiritum sapientiæ ac reuelationis, in agnitione ipsius illuminatos oculos cordis uestri.] Hoc est, donum & gratiam uobis exhibeat, ut per spiritum sapientes reddamini eruditaminiq;. Nisi enim spiritus reuelauerit uobis abdita mysteria, fieri non potest ut alia ratione eadem discatis. Ipse nanq; solus, non angelus, neq; archangelus, omnia rimatur, etiam profunda Dei: animalis autem homo non percipit quæ sunt spiritus. Cum igitur à spiritu reuelata nobis fuerint mysteria, tum in agnitione Dei sumus, illustranturq; oculi nostri, nec porrò ambigimus ac dicimus quòd sit impossibile *1. Cor. 2.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

hoc uel illud fieri, cæterùm uidemus omnia quemadmodum sunt.

Vt sciatis uos, quæ sit spes uocationis eius.] Hoc est, ad quales quantasue spes uocati simus. Planum est autem quòd ad filiorum adoptationem, cœlestiumq; bonorũ perceptionem, & ut caput nostrum Christus esset. Quia enim hoc futurum est, spirituali indiget homo reuelatione ut isthuc discat. A

Et quæ sint diuitiæ gloriæ hæreditatis eius in sanctis.] Et hoc cum obscurum sit, opus habet reuelatione spiritus, quorum nam sint hæreditatem adituri sancti, quantaq; bona accepturi: magna enim sunt. Hinc & diuitias gloriæ ea nominat, hoc est, inenarrabilem gloriam, & humani ingenij captum planè exuperantem. Hęreditatem autem ea bona uocat, quippe quæ sint filijs danda.

Et quæ sit supereminens magnitudo uirtutis eius in nos credentes, secundum operationem potentiæ uirtutis eius, quam operatus est in Christo, suscitans illum à mortuis.] Quæ prædicta sunt, de futuris rebus fuerunt. iam uerò quod factum est, memorat, ut ab his fidem etiã illis cõciliet, ac rata ea faciat. Quale autem hoc est: ut credamus, inquit, nos. Atq; hoc ipsum spiritus reuelatione indiget, ut ipsum apertius discatis. Quid igitur? non nouerãt Ephesij se credere? Norant sanè, sed non eam ad rationem, ut Paulus hìc dicit: nam haud facile est illud nouisse. Magnæ nãq; potentiæ est, animi sententiam mutare, atq; ab errore reuocare: tantæq; est uirtutis, quantã ne mortuorũ quidem excitatio postulat. Mortuos namq; uno tantùm uerbo excitauit Dominus, Iudæis aũt ne multis quidẽ concionibus & admirabilibus signis persuasit. Dicit ergo quòd ad hoc spiritus indigeamus reuelatione, ut discamus nos, quòd crediderimus, magna uirtute & efficacia factũ est. Et quemadmodũ Christum excitauit ex mortuis, sic & nos cum mortui essemus, excitauit ex incredulitate. Propterea & excellentem magnitudinem uirtutis, siue potentiæ ipsius hoc uocauit, & robur fortitudinis eius. Quandò enim prophetæ nihil effecerunt, & omnis creaturą cùm uisibilis per ornatum & insignem ordinem docens nos, tum inuisibilis per deducentes ac erudientes nos angelos: tunc exinopinato & modo naturæ nostræ opinionem excedenti seruati sumus. Illud autem, Operatus est in Christo, propter humanam naturam dictum esse intellige. Quod enim resurrexit, homo est, etiamsi Deo unitus fuerit.

Luc. 7 & 8. *Ioan. 11.* *Rom. 4.* *Infrà 2.* B

Et constituens in dextera sua in supercœlestibus supra omnem principatum, & potestatem, & uirtutem, & dominationem.] Non dixit ἄνω, id est suprà: sed ὑπεράνω, id est plusquã suprà, ut summam altitudinem indicet. Ab infimo enim gradu ad altissimum retulit humanam in Christo naturã. De hac enim disputat, quæ & mortua est & excitata: quandoquidem diuina natura neq; mortua est, neq; excitata, neq; exaltata, quæ nunquam non omnem altitudinem excellit. Superior igitur omni angelica potentia constituta est humana natura, quæ antea execrata erat.

† τῆς ἐκκλησίας, *ecclesiæ uel ipsi ecclesiæ, datiui casus est* * πληρουμένου, *qui adimplet, uel adimpletur. Verbũ enim est mediũ. passiuè autem accipere uidetur. Theoph.* † πάντα πάντα, *supplẽdum puto,* πᾶσι, *ut sit per omnia, siue quoad uel quantũ ad omnia.*

Et omne nomen, quod nominatur non solùm in hoc seculo, uerumetiam in futuro.] Si quid, inquit, in cœlo est, inferius est assumpto & exaltato, cunctisq; ipse est superior. Discimus autem quasdam esse potentias iam quidem incognitas & innominatas, quæ tum reuelabuntur.

Et omnia subiecit sub pedes eius.] Vt ne cum audis q; fecerit suprà, existimes ipsum prælatum tantummodo, ostendit q; & Dominum eum fecerit omnium. Nec simpliciter subiecit, sed extrema subiectione: sub pedes enim eius.

Et ipsum dedit caput super omnia † ecclesiæ.] En rem omnibus modis admirandã, siquidem ecclesiam in eundem thronum collocauit. ubi enim caput est, illic & corpus. Quod uerò ait, Super omnia, significat quòd excelsum caput dederit, quod super omnia sit, super angelos, & super archangelos.

Quæ est corpus ipsius, plenitudo eius qui omnia in omnibus * adimpleť.] Ne audito capite putes principatũ aliquẽ uel potestatẽ significari (nã & hæc caput significat) ait, quemadmodũ corporis est caput, ipsius ecclesiæ Christus caput est: hacq; ratione eiconatus est & unitus. Et ecclesia est plenitudo ipsius. Vt enim corpus est plenitudo capitis replens ipsum per propria membra: hũc ad modũ ecclesia est plenitudo Christi, qui † omnia in omnibus adimpleť: Adimpleť enim Christus, ac ueluti plenè consummať per omnia membra in omnibus fidelibus: ueluti quo ad manũ adimpleť in hominem misericorde, & qui aliorũ infirmorũ cura tangiť quoad pedem adimpletur in eo qui uerbi

Dei

A Del amore peregrinatur, in eo q̃ fratres inuisit, & quoad aliud membrũ in alio fideli. Sicfit ut quoad omnia membra in omnibus fidelibus adimpleãtur, hoc est, per omneis fideles, alio aliã cõmoditatem cõtribuente. Tũ enim implet caput nostrũ Christus, hoc est, perfectũ corpus recipit, quando simul omnes fuerimus coniuncti & conglutinati.

CAPVT II.

ET uos cũ essetis mortui delictis & peccatis, in quibus aliquando ambulastis secundum seculum mundi huius, secundum principem potestatis aeris, spiritus.] Suprà dixit quòd eandem potentiam & operationem ostenderit Deus erga nos, quam & in Christo. De illo sanè dixit, quòd excitarit eum à mortuis, & constituerit super omnia: posthac uerò de nobis etiam uerba facit, Vos, inquiens, cũ essetis mortui (mortem non corporalem ex Adamo propagatam, sed animæ, ex nobis ipsis constantem, quæ peccatorum est, intelligit) suscitauit excitauitq̃. Itaq̃ pari potentia Dominũ excitauit è morte corporea, & nos ex animæ morte, ex peccatorum fœditate accidente. Quin potius, animos transmutare, & in aliam sententiam inducere, maius est, quàm mortuos excitare, ut suprà etiam commemoratum est. Sensus igitur totius huius loci est huiusmodi, etiamsi in longum extendatur, usq̃ dum peruenerit eò ubi dicit, Viuificauit simul cum Christo, multis nimirum interpositis, repetitioneq̃ facta, cum ait, Deus qui opulentus est in misericordia. Cum dixisset igitur eos esse mortuos, ac monstrasset quomodo fuerint mortui, nimirũ per delicta & peccata, bifariã iam eos consolatur per hoc quod ait, In quibus olim ambulastis, & nõ hodie: tum per hoc quod infert, A diabolo in potestatem redacti, peccabatis, qui uobis cooperãbatur, qui adeò potenter uos suo iuri subiugabat. Peccabatis igitur, secundũ seculũ mundi huius circumambulantes, hoc est cogitantes quæ mũdi sunt huius, adeoq̃ temporaria, perperamq̃ utentes seculo hoc. Non enim seculum malũ est, sed abusus eius: siquidem isthuc datũ est nobis in ducem actiæ ductorem, quatenus corruptibile est & fluxũ, excitans nos ad incorruptibilia & minimè fluxibilia. Nos aũt corruptioni & fluxui huius alligati, in causa fuimus quur ipsum
B non esset nobis ductoris uice, sed potius nos impedierit. Principem autem potestatis aeris, diabolũ appellat, nõ conditorem, perinde ac execrati Manichæi: principem itaq̃ q̃ mortales ipsi seipsos ei subiecerunt, ac plures ipsi seruiant quàm Deo. Veruntamen in seculo hoc huiusmodi ei est principatus, qui aerẽ non transcendat. nõ enim in cœlo locum habet, sed sub cœlo. Propterea & Paulus principem potestatis aeris appellat, nõ ueluti in aerem dominetur, eumq̃ gubernet, haudquaquã, sed quòd in eo libenter demoretur. Nam cum diabolus spiritus sit, in aere ueluti spiritu commoratur, ac hactenus potestatem habet atq̃ potentiam, princeps eorum qui sese ipsi subijciunt. Nonnulli uerò principem aeris, aerearum potentiarum intelligunt: unde & intulit, aiunt, Spiritus: hoc est, iuxta principem & dominatorem omnis in aere uersantis spiritus. Postquam enim semel princeps factus est, uidetur ab eo principatu ne post transgressionem quidem excidisse.

Princeps potestatis aeris diabolus

Qui nunc operatur in filijs *diffidentiæ.] Non dixit cogentis, sed operantis: unde planum est quòd in uoluntarios dominetur. si enim inuitis nobis nostri dominaretur, cogeret sanè. Patefit etiam ex sequentibus illud. Operatur enim, inquit, in filijs inobedientiæ: hoc est, qui non obtemperant Deo, sed illi obtemperant sponte, non coacti.

ἀπειθείας diffidentiæ, uel inobedientiæ, siue immorigeris & contumacibus. Concupiscẽtiæ carnis.

In quibus & nos omnes aliquando conuersati sumus, in desiderijs carnis nostræ facientes uoluntates carnis & cogitationum.] Non in hoc solo consolatus est eos, quòd diceret ex diabolo fuisse q̃ peccassent: uerumetiã per hoc q̃ seipsum & omnes reliquos cum illis in eodem ordine numeret, & collocet. nemo enim sine peccato erat. Cõcupiscentias aũt carnis, quæ ex carnali affectu sunt, dicit. Porrò quòd carnem non accuset, planum est inde. Cum enim dixisset, Facientes uoluntates carnis: subintulit, Et cogitationum: hoc est, nihil spirituale sentientes. Proinde caro non est accusanda, sed mens & cogitatio ad uoluptatis affectiones pertrahẽs. Vel hunc etiam ad modũ intelligere poteris: Cogitationes & mentes nostras sordibus defœdamus, cogitãtes quę mala sunt. Et carnem, facientes ea. Potes autem carnis quidem opera, fornicationem & huiusmodi accipere: mentis autem siue cogitationum, inuidiam, uindictam, idq̃ genus alia.

Carnis & animæ opera.

Et eramus natura filij iræ, sicut & cæteri.] Pro eo quod est, coacerbauimus Deum & prouocauimus, & nihil aliud præterquam ira reuera eramus. Quemadmodũ & filius

Universidad de Deusto
Biblioteca

hominis natura est homo, sic & nos. Perinde autem ut filij gehennæ & interitus dicuntur, qui digna his operantur: sic & iræ filij, qui quæ ira digna sunt faciunt. Natura aũt, pro uerè & genuinè. Sicut & cæteri, nemo enim liber erat. A

Deus aũt qui diues est in misericordia.] Nos quidẽ quæ digna essent ira pertinaciter patrabamus: Deus aũt non simpliciter misericors existens, sed diues in misericordia.

Propter multam charitatem suam, qua dilexit nos.] Dilectio etiam à multa misericordia est. quomodo enim, cum filij iræ essemus, dilecti fuimus?

Et cum essemus mortui delictis, conuiuificauit nos Christo.] Hic tandem est redditio & absolutio suprà cœptæ sententiæ, cætera uerò sunt interiecta. Iterum autem Christus medius est, & res fide digna. Nam si primitię uiuunt, & nos. Viuificauit enim & illum & nos: illum quidem, actu & opere ipso: nos uerò, potestate nunc, paulò pòst uerò etiam actu. En excellens & eximia magnitudo potentiæ eius est, ꝙ mortuos nos iræ filios, uiuificarit. hæc sanè spes est uocationis.

Gratia estis seruati.] Hoc ex animi sui consternatione, ex affectu in medium protulit, demiratus ineffabile donũ Dei. Non labore enim & proprijs operibus seruati estis, sed sola gratia. Quod enim ad opera attinet, pœna & ira digni eratis.

Et conresuscitauit & consedere fecit in cœlestibus in Christo Iesu.] Quemadmodũ primitijs nostris, & capite, Christo uidelicet, excitato, & nos per ipsum excitauit: hunc ad modum sedente capite, reliquum corpus simul sedet. Propterea inquit, in Christo Iesu, hoc est, quia ipse sedet, & nos sedemus. Vel quod ait consuscitauit, non de resurrectione accipiendum est, sed de regeneratione & uiuificatione per baptisma. Quomodo igitur consedere fecit? Si sustinemus, inquit, & conregnabimus. Et Christus, Sedebitis super duodecim thronos. & rursus: Sedere aũt à dextris meis & à sinistris meis, non est meum dare uobis, sed quibus paratum est. Itaq; paratum est.

Matt.19. & 20.

Vt ostenderet in seculis superuenientibus abundantes diuitias gratiæ suæ, in bonitate erga nos in Christo Iesu.] Ne quis fidem non adhibeat dictis, persuasibilem oratio nem facit, Etsi, inquiens, non faciat propter charitatem quam erga nos habet, propterea tamen, ut ostendat uelle bonitatem, faciet omnino. Hodie quidẽ pleriq; sunt increduli, in futuro tamen seculo omnes agnoscent quid nobis donauerit, cernentes in gloria nullis uerbis explicabili sanctos. Quod uerò ait, In Christo Iesu, hoc est, non ad Christum solum usq; hæc consistent, sed per ipsum uenient etiam ad nos, ueluti à principio ad finem, adeoq; ad ipsum totũ ac simul uiuificabimur, ac simul sedebimus. Hæc quidẽ magnus Ioannes Chrysostomus hic dicit. In euangelio uerò Matthæi dicit ꝙ nemo sedebit. Verè igitur spiritus reuelatione opus est, ut intelligamus profunditatẽ mysteriorũ horum. Nisi enim palã diceret sapientissimus ille doctor Ioannes ꝙ & nos sessuri simus, posset aliquis affirmare ꝙ in Christo sedeamus, perinde atq; in Christo adoramur ab angelis. Non enim nos adoramur, quod ad nostram personam: cęterùm natura nostra unita Deo uerbo, adorata, ad nos gloria ista transit. Idem igitur & nunc dicit, quòd & nos sedebimus. B

Chrysostomus.

Gratia enim seruati estis per fidem.] Commemoratis ijs quæ Dei sunt, nempe ꝙ gratia seruati sumus, intulit etiam quod nostrum est, per fidem, ut ne uastet liberum arbitrium, suamúe cuiusq; potestatem.

Liberum arbitrium.

Et hoc non ex nobis, Dei donum est.] Rursus ipsum sustulit, inquiens quòd neq; fides ex nobis sit: nisi enim uenisset, ac nisi uocasset, nõ obedijssemus. Quomodo enim, inquit, credent, nisi audiãt? Proinde & ipsa fides donũ Dei est. Vel aliam ad rationem: nõ fidem dicit donum Dei, cæterùm per fidem seruari, hoc est donum Dei. Esto enim quòd fides nostra sit, quomodo potuisset ea nos sola seruare, nisi Deo placuisset nos suscipere per ipsam: ut ne in totum simus ociosi, sed uideamur quicquam conferre.

Rom. 10.

Non ex operibus, ut ne quis glorietur.] Nõ habentes nos opera repulit, uerùm proditos sub operibus gratia nos seruauit, ut ex euentu isto tandem nemo gloriari queat. Nam coniunctio (ut) hic non reddit rationem, uerùm rei euentum denunciat.

Ipsius enim sumus factura, creati in Christo Iesu in operibus bonis, quæ præparauit Deus ut in ipsis ambulemus.] Vt ne si audias nos ex operibus haud esse iustificatos, desses tias circa opera: subijcit, Quod nũc post fidem operibus opus est. Conditus es enim in Christo Iesu, & noua creatura factus es, defuncto tibi uetere homine in baptismate.

Ac

A Ac quemadmodum principio cum non esses, produxit te ut esses, sic etiamnum ut bene esses, te protulit: conditusq; es non ut ocieris, uerùm ut operaris circumambulesq; in bonis operibus: hoc est, omnem ætatis tuæ cursum in hisce perficias, non duos treis ue annos, sed omnem uitæ tuæ uiam. hoc enim indicat per circumambulare. Deus enim præparauit hæc, quocirca non licet illa reijcere, ceu opere diuinitus destinato. In operibus bonis, non uno nimirum opere, sed omnibus. nam si unum desit, mutilata est uirtus. Gregorius autem theologus, quod dixit, Creati in operibus bonis, non de creatione in baptismate, uerùm de prima creatione interpretatus est. *Operum necessitas.*

Propter quod memores estote, quòd uos olim gentes in carne, qui dicimini præputium ab ea quæ dicitur circuncisio in carne manufacta, q̃ eratis illo in tempore sine Christo.] Cum dixisset q̃, mortuos seruarit, dicturus iam esset quibus æquales fecerit & cohæredes, nimirum Israelitis. ingens enim horũ erat dignitas & autoritas. Et ait, Propter quod memores estote: propter quódnam? & quamobrem? propterea quòd creati simus in operibus bonis, siue ad opera bona: hoc enim solũ sufficit p̃suadere nobis, ut uirtutis rationẽ habeamus. Memores autem estote dixit, ideo q̃ ferè fieri soleat, ut qui à magna abiectione & uilitate ad fastigium quoddam prouecti sint, priorum ne memi nerint quidem rerum, statusúe. Quid uerò est cuius memores esse debeant? q̃ abalienati eratis à Christo temporibus prioribus, nunc uerò uiciniores ipsi facti estis, atq; adeò ei appropinquastis, perinde ac Israel. Hic igitur huius loci scopus est. Animaduerte aũt q̃ scitè deijciat circuncisionem, ostendens solo eam uerbo differre à p̃putio, non ope re. Vos enim gentes, inquit, in carne, non in spiritu: qui dicimini, sed non estis, perinde quasi dicat, in carne estis inferiores, non in spiritu: & rursus ab ea, quæ dicitur, circumcisio in carne, prælationem & honorem in solis uerbis & carne innuens. Præputium igitur non erat grauis ac execrabilis res, etiamsi diceretur ab ijs qui circuncisionis nomine cristas tollerẽt. Sine Christo uerò esse, illud demum uerè & graue & intolerabile.

B Quid igit̃ mõstraturus eos esse participes gloriæ Israelitarũ, dignitatẽ Israelitarũ eleuat? Atreputa tecũ in quibus eleuet, in rebus uidelicet non perinde necessarijs. Non enim res est necessaria circuncisio, sed indifferens ac media. In rebus uerò necessarijs uehementer eos attollit, sanctos nominans, Israelitas, atq; domesticos Dei. *Circumcisio res media.*

Alienati † à cõuersatione Israelis.] Non dixit segregati, sed alienati, quandoquidem & Israelitæ extra legalem adeoq; diuinam uitam erant, sed non tanquam alieni, sed tanquam socordes. † πολιτείας, *ciuilitate, rep. conuersatione, siue ratione uiuendi.*

Et hospites testamentorũ promissionis.] Hæc etiam magna separatio est. Nõ enim dixit, non attendentes testamentis, sed omnino hospites. Etsi enim Israelitæ excidert̃ à promissionibus, sed non ut hospites & alieni. At quænã sunt testamenta promissionis? Tibi dabo & semini tuo terrã hanc, & quæcũq; alia p̃misit, spiritualiter intellecta. *Gen. 15.*

Spem non habentes.] De futuris, de resurrectione uidelicet, & retributione.

Et sine Deo in mundo.] Atqui Deos adorabant, sed dij non erant. Adiecit autem, In mundo, ut ostendat quòd non solùm in cœlestibus imminuebantur, inferioresq; Hebræis erant, uerumetiam in rebus super terram celebribus. Siquidem Israelitæ propter cultum Dei celeberrimi & clarissimi fuerunt.

Nunc autem in Christo Iesu, uos qui aliquando eratis longè, propè facti estis in sanguine Christi.] Longè eramus à Deo, non loco, sed uoluntate & conuersatione seu uita. Nunc aũt propinqui facti sumus non conuersatione & uita, nil enim attulimus ex operibus, sed in Christo Iesu & sanguine eius. Nam ipse sanguine suo pro nobis effuso, seq; ipso pro nobis tradito, liberauit nos à captiuitate, quę nos procul remouebat ab ipso, & propè adduxit. Potes aũt etiam sic intelligere, quòd procul eramus ab Israelitis, iam uerò nos ipsis propinqui facti sumus.

Ipse enim est pax nostra, qui fecit utraq; unum.] Ante incarnationem ingens erat inimicitia inter circuncisionem & præputium: nunc autem pacem adepti sumus, unum facti per fidem. Non porrò enim circuncisione & præputio signamur, sed idem unúmque nobis signum est, fides ipsa. Fingamus duos esse, alterum seruum, alterum filium adoptatitium, atq; ambos eundem offendisse, adeoq; deliquisse: hũc quia digna abdicatione commiserit, illum quia factus sit transfuga: deinde utriq; constituantur hæredes, efficianturq; gnesij, id est genuini filij. En ad eundem honorem perducti sunt, duoq;

Universidad de Deusto
Biblioteca

isti unum sunt facti. Hunc ad modum gentes & Israelitæ, illæ quidem ut serui, hi uerò A
Israelitæ ut filij impegerũt. * Hic quædam deesse uidentur, quæ ex Chrysost. sumi pos-
sunt. Quid dicis? Instaurata & consummata sunt omnia siue quæ in cœlis, siue quæ in
terra, * quid igitur ceu rem preciosam & pręclarã participationẽ cũ Israelitis ad nos ho
mines retulisti, ac iam denuò tanquã præclarũ quid refers? Næ, inquit. illa enim opor-
tet fide cõprehendere, ista uero ipsis etiã operibus. Aliter quoq; Non hoc adserit, quòd
nos adgeneris illorum claritudinem perduxerit, sed quòd & illos & nos prouexerit po
Gen.15. tius ad maiora. Veruntamen maior est ipsius erga nos beneficentia, illis siquidem etiã
Exod.3. promiserat, nobis uerò ne promisit quidem, sed procul aberamus, iuxta prius positum
exemplum.

Et medium parietem maceriæ soluens, inimicitiam in carne sua.] Interpretatur quid
sit medius paries maceriæ uel sepis, inimicitia uidelicet gentium & Iudæorum ad-
Esaiæ 59. uersus Deum, quæ ex nostris nascebatur delictis, ut & propheta dicit: Nonne iniquita
tes uestræ diuidunt inter uos & me? Mediũ igitur istum parietem, inimicitiam dico, dis-
soluit ac diremit propria carne sua. Qua isthuc uia? Sistens illic inimicitiam, quatenus e-
nim unuit eam deitati, perspicuum est quòd reconciliationem fecerit, complicatis coa
gmentatisq; duabus naturis. Atq; etiam alia ratione, quòd expers peccati apparuerit,
uniuersamq; legem impleuerit, inimicitiam diluit. Lex enim sepes & munitio erat, ue-
luti ad securitatem data, ut obfirmaret. Nõ seruata aũt, ostendit mediũ parietem pecca-
tum, quo factum est ut nõ essemus in tuto & securitate, sed à Deo potius separaremur.

Legem mandatorũ in decretis abolens.] Ne quisquã obijciat, Quid cõmodat nos à
priori legis trãsgressione liberatos, si rursus eã seruare adigimur? ait, etiam ipsam soluit.
Cum enim hanc dedisset nobis ad munitionem, quia non custodiuimus eam, debebat
nos punire: atqui legem is planè dissoluit & abrogauit, æquè ac si quis ubi puerũ pæda
gogo tradidisset hunc cum non obediret, à pædagogo quoq; liberet. Legem aũt man-
datorum ait, tanquam de uita & moribus disputantem: dogmata uerò seu decreta, fi- B
dem, ut quæ per dogmata consistat, perinde quasi dicat, Pro uita fidem introduxit. Nõ
enim ex mandatis iustificati sumus, hæc & hæc facere præcipientibus, uerùm si credi-
Rom.10. deris in corde, & cõfessus fueris spiritu, saluus eris. Vel dogmata, certa illa mãdata Dei
Matt.5. appellat, Ego dico uobis, ne omnino iuretis: &, Ne irascamini, & id genus alia.

Vt duos concedat in seipso, in unum nouũ hominem.] Non ex Græco Iudæum fe-
cit, sed ambos ad meliorem statum sustulit. Non dixit autem permutet, sed creet con-
datq;, ut perspicuum uideatur quod dixit, & quòd à naturalibus rebus deinceps non
oporteat resilire. Illud autem, In seipso, accipitur, uel proper seipsum. Non enim
alij cuipiam hoc iniunxit, sed ipse per seipsum & Iudæum & gentilem conflans, unum
protulit nouum & admirandum. Vel quòd ipse primùm exhibuerit formulam nobis
& exemplar, ususq; sit ille primus id, quod illos fecit: & quia medius utrisq; factus, &
hinc Iudæum continens, illinc uerò græcum, commiscens illos ac temperans, ac omne
quod alienum erat, exterminans obliteransq;, refinxerit diuinitus per ignem & aquã.
In humana igitur natura quam assumpsit, quæ communis est cùm Græco tum Iudæo,
& pro utriusq; salute assumpta, in hac inquam ab omni corruptione & uetustate ex pec
catis contracta, alienata, condidit duos in unum nouum hominem à senio peccati atq;
dementia liberatũ. Non enim propriis porrò formis & hic & ille signantur, sed unius
hominis secundũ Christum formati species, adeoq; formæ utroq; signant. Propius e-
nim attinges quod dicitur, Si intellexeris ipsum Dominũ esse angularem summum la-
pidem, hos autem duos, parietes in hoc conditos.

Faciens pacem.] Et inter illos mutuò. Siquidem Iudæus tum gentili copulat, quan-
do fidelis fuerit, maximè uerò in ijs quæ ad Deum attinent, quod & magis proprium,
ut deinceps patefiet.

Et ut reconciliet ambos in uno corpore Deo per crucem.] Nõ dixit conciliet, sed re
conciliet, ostendens quòd & olim per legem conciliabatur ad Deum humana natura:
Exod.19.21 deinde per trãsgressionem magis inimica facta indiguit conciliatione rursus ad Deũ,
& 24. quæ ueluti perfecta, meritò appellatur reconciliatio. In uno autem corpore, id est,
suo. Quæ enim nobis debebatur pœna, ipse sustinuit in corpore suo per crucem, quod
& suprà dixit, In carne: ac rursus, Duos condet in seipso. Nõnulli, quod ait In uno cor

pore,

pore, sic intellexerũt pro eo quod est, ueluti unum corpus factos utroſq; , cuius ipse est caput, conciliauit Deo.

Interficiens inimicitiã in†ipso.] Non dixit soluens, uerùm q̃d est expressius & maiorem habet emphasim, interficiens, ut nõ amplius resurgat. Quomodo igitur rursus resurgit inimicitia? Illa quidem nunquã resurgit, sed alia p ogeneramus nos denuò peccantes. Quod ait in ipso, uel ad crucẽ referendum est, uel ad corpus ipsius. Etenim inimicitiam in cruce etiam occidit & in proprio corpore, in quo & crucem recepit.

† εἰυτῷ, id est, ipsó uel ip'a, ut ad corpus & crucem, quæ apud græcos masculini est generis, referri posit.

Et ueniens euangelizauit pacem uobis qui longè eratis, & ijs qui propè.] Non alium misit, sed ipse uenit serui ac ministri forma accepta, prædicauitq; pacẽ ad Deum uidelicet illis qui longè erant gentibus, & ijs qui propè erant Iudæis. Nam in Deo familiariores putabantur. Dixit enim Christus, Pax relinquitur uobis: &, Confidite, ego uici mundum: &, Pater uos amat. &, Omnia quæcunq; petieritis, accipietis. Hæc enim omnia pacis signa sunt.

Ioan. 14. & 16.

Quoniã per ipsum habemus accessum ambo in uno spiritu ad patrem.] Iram soluit per propriam mortem, deinceps autem amabiles fecit patri, per spiritum gratos nos faciens una gratia. Non enim illos ut uiciniores, maiori: nos uerò ut remotiores, minori donauit: sed in uno spiritu utrisq; unam gratiam dedit, sicq; ad patrem attulit. Vel (in) præpositionem pro (per) accepit, ut sit sententia huiusmodi: Per ipsum adducti sumus ad patrem, & per spiritum.

Ergo iam non estis hospites & aduenæ, sed conciues sanctorum.] Quia filius manet in sempiternum, non consecuturi supernam ciuitatem, hospites & aduenæ sunt. Vos autem tales nunc non estis, uerùm conciues sanctorum, non simpliciter Iudęorũ, cæterùm sanctorum illorum patriarcharum, & prophetarum, ac in eandem urbem accensi conscriptiq; sumus, quæ in cœlis est, quæ perseuera , uam illi etiam desiderabant.

Ac domestici Dei.] Quod illi per multos labores uix obtinuerunt, nos per gratiam
B inuenimus, Deo dediti, ac domestici facti. Ecce spes uocationis: talibus enim spebus uocati sumus, ut talia etiam recipiamus.

Superædificati super fundamentum apostolorum & prophetarum.] Eximiam conIunctionem & coadunationẽ gentium ad prophetas & apostolos significare uolens, Superædificati, inquit. perinde ac si dicere uellet, fundamentũ positi sunt prophetæ & apostoli, uos reliquã structuram compleuistis, ut omnes uos efficiamini unũ templum Dei. Quale autem est super prophetas & patriarchas ædificari? quod alibi insitionem dicit. Primos autem apostolos posuit, etiamsi sint tempore nouissimi.

Rom. 11.

Ipso summo angulari lapide existente Iesu Christo.] Qui omnia continet, est Christus. Ipse enim summus angularis lapis & parietes continet & fundamenta. Animaduerte hîc quòd nonnunquam ipsum in supernis cingere uniuersum dicat: ubi & caput ipsum uocet: nonnunquam autem & infrà, ut in angulari lapide: alibi autem & fundamentum ipsum uocat.

Christi uariæ appellationes.

In quo omnis ædificatio constructa, crescit in templum sanctũ in Domino.] In summo angulari lapide isto, Christo nimirũ, omnis ædificatio, id est, omnes fideles constructi & uniti, congenitè adeoq; cõnaturaliter & indiuulsè crescunt & cõplentur, ut fiant templũ Dei. Habitabo enim, inquit, in ipsis & inambulabo. Nam & cõmuniter ecclesia, hoc est, collectio omniũ fidelium, dicitur templum Dei, & unusquisq; priuatim. In Domino autem dixit, pro per gratiam Domini, nõ per nostros labores. Cum autem dicit construi, ostendit quòd nõ licet aliter componi nos in templum Dei, nisi & uitam uiuamus quæ respondeat ipsi summo angulari lapidi.

Leuit. 26. Eccleſia, tẽplum Dei.

In quo & uos coædificamini in habitaculũ Dei in spũ.] Vniuersi quidẽ fideles in hoc coædificãr, ac uos quoq; Ephesij, ut sitis habitaculũ Dei in spũ, hoc est, per spũs auxiliũ: uel ut sensibili structurę opponeret, dixit in spũ. perinde ac si dicat, habitaculũ Christi spirituale. Proinde ad secundũ usq; aduentũ hæc coædificatio fit per ubilibet credẽtes.

CAPVT III.

HVius rei gratia ego Paulus uinctus Christi Iesu pro uobis gentibus.] Cum hactenus Christi erga nos curam indicasset, deinceps qua & ipse solicitudine & affectu tangatur, ostendit. Quia, inquit, Dominus meus talia exhibuit, necesse est & me quæ pro uiribus potero afferre. uinctus igitur sum pro uobis. Si igitur

Universidad de Deusto
Biblioteca

ille crucifixus est, ego sanè pro uobis uinctus detineor. Dicens autem pro uobis gentibus, hoc indicauit, ꝙ non solùm uos non execramur, uerumetiam uincimur propter uos, & Christi uinctos nos ipsos nominamus, gloriæ id nobis ducentes. A

Siquidem audiuistis dispensationem gratiæ quæ data est mihi erga uos.] Vaticiniũ
Act.9. indicat Dei ad Ananiã: Vas electionis mihi ille est, ut portet nomen meum corã gentibus. Reuelationem quoq; mysterij, quod ab hominibus non didicerit, gratiæ dispensa-
Galat.1. tionem uocat. Sic enim, inquit, dispensauit gratia Dei, ut è supernis uocarer ego, utq; excæcaret lumine suo me inobedientem, ut sic tandem obedirem. Ad uos autem, in-
Act.22. quit, data est mihi gratia. Ipse nanq; dixit mihi, Ad gentes longinquas emandabote, Proinde gratiæ hoc totum est, & nihil ego mearum uirium attuli.

† ἐνώπιον-notũ fecit, siue patefecit Chrysost. tamen habet ἐν ἡμῖν, id est notã factũ est.

Quoniam secundum reuelationem † notum fecit mihi mysterium.] Ecce, gratiæ opus est mysterij reuelatio. Mysterium est enim reuera, gentes ad maiorem quã Iudæorum sit, honorem traducere à summa uilitate.

Sicut suprà scripsi in breui.] De quibus suprà locutus est, dicit quòd uocatæ sint gentes quæ longè erant, quodq; ædificati sint supra patriarchas, & quæcunq; sunt huiusmodi. In breui autem, pro paucis dixit.

† Iuxta quod potestis legem intelligere cognitionẽ meam in mysterio Christi.] Scripsi, inquit, non quantum oportebat, sed secundum uires uestras, & captum uestrũ. Ex
ὑμᾶς: ὃ quibus potestis intelligere cognitionẽ meam quæ mihi est in mysterio Christi, hoc est, quod, in quoniã cognouerim & intellexerim mysterium Christi, ꝙ sedet à dextris, ꝙ nos consedere fecerit, quòd in seipso cõdiderit utroq; in unum nouum hominẽ, & quæcunq; quod, ut præm. alia ad mysterium pertinent. Agnoscetis igitur dignitatem cognitionis meæ, quando-
Psal.147. quidem tanta patefecerit mihi Deus. Et quod hoc magni honoris sit, audi. Non fecit sic, inquit, omni genti, quoniam iustificationes & iudicia sua manifestauit Israeli.

Quod alijs generationibus non est agnitum filijs hominum, sicut nunc reuelatũ est sanctis eius Apostolis atq; prophetis in spiritu.] Quid igitur? Non norant prophetæ? B
Ioan.5. Ecquî Christus inquit, Moses & prophetæ de me scripserunt: scrutamini scripturas, illæ nanq; sunt quæ testimoniũ perhibent de me: Primùm quidem hoc nunc Paulus ait, ꝙ omnibus hominibus nõ fuerit reuelatum: adiecit enim ꝙ in alijs generationibus non est patefactũ filijs hominũ. Deinde & ꝙ ad hunc modum ne prophetis quidem cognitum fuerit æquè ac nunc per res ipsas patefactum est & Apostolis, & noui Testamenti
Act.10. prophetis per spiritũ sanctum. Nisi enim spiritus paracletus docuisset Petrũ, Corneliũ qui ex gentibus erat, cum suis non suscepisset. Obserua aũt ꝙ de circuncisione nihil, de gentibus uerò reuelationẽ faciat spiritus. res enim ardua erat & magna, gentes execratas ad Euangeliũ admitti. Veteres itaq; adeò exactè mysteriũ hoc non nouerunt, quan doquidẽ & Petrus, tantus Apostolus, hac de re spiritus sancti institutione indiguerit.

Gentes esse cohæredes, & concorporales, & cõparticipes promissionis eius in Chri-
Exod.16. sto per Euangelium.] Hoc est mysterium, gentes esse cohæredes promissionis Israeli factæ, simulq; participes. Erãt enim participes promissionis Israelitæ, ceu gens sancta. fuerunt autem coniuncti ipsis, partemq; habuerunt cum ipsis, qui ex gentibus uenêre antea, immundi. At qua ratione? in Christo, hoc est, per fidem in Christum, quæ per Euangelium ipsis obtigit. Nec satis fuit Apostolo dicere cohęredes simulq; participes, uerùm ut indicet magnam propinquitatem unitionemq;, concorpores etiam dixit. Vnum enim corpus facti sunt ethnici cum Israelitis sanctis, uni capiti Christo aggluti-
natum, eoq; contentum.

* Basiliẽsis codex habet δοθεῖσαν, quod datũ est, ut & complures legunt. Alij habent δοθεισης, quæ data est, ut referat gratiã.

Cuius factus sum minister per donũ gratiæ Dei, * quod datũ est mihi secundũ operationẽ potentiæ eius.] Euangelij factus sum minister, & uinctus sum ipsius gratia, uerùm nõ meum opus est isthuc, sed donũ est diuinæ gratiæ † quæ data est mihi, nõ simpliciter, neq; perparcè, sed potenter: & nõ uiliter neq; parua ratione, cæterùm largè & honorificè, ac tanquã iam operetur potens Deus. Vel quandoquidẽ donauit mihi Deus hocce ministerium, largitus est pariter mihi potentiã. nam non satis fuisset authoritas, nisi adiecta esset uirtus & potentia. Tria nanq; oportet nos adferre & contribuere ad ministerium, animam periculorum amantem, sapientiam & intellectum, uitamq; inculpatam: Deum autem uirtutem dare, per quam hæc omnia efficacia sint.

Mihi minimo omnium sanctorum data est gratia hæc.] Quia uerba facturus est de

† ἥντις quæ uel quod. nam græcis donum & gratia sunt fœminini generis.

gratiæ

gratiæ Dei amplitudine, uide quanta modestia de se ipse loquatur. Post enim tot à sese
A res strenuè transactas, post tot tantasq; uirtutes, seipsum minimum appellat, nõ apostolorum, sed omnium sanctorum, hoc est fidelium. Hoc autem maius est, quod ad modestiæ rationem, illo: Non sum dignus uocari Apostolus. 1.Cor.15.

In gentibus euangelizare imperuestigabiles diuitias Christi.] Qualis gratia data est mihi? ut in gentibus prædicem Euangeliũ. alij enim circuncisioni, ipse uerò gentibus Euangeliũ annunciabat. Proinde gratia indigebat, cum minori maiora crederentur. Cum enim ipsi iniunctum esset ut inferiores & peiores ad Christum conuerteret, per hoc ipsum magnus efficitur, qui paruus uidebatur. gratiæ igitur id opus est. Si autem Rom.12. imperuestigabiles sunt diuitiæ ipsius postquã nobis illuxit, quanto potius essentia eius est imperscrutabilis? Quomodo igitur Eunomius se Christi naturam & essentiam comprehendisse iactabat?

Et illuminare omnes quæ sit dispensatio mysterij abscõditi à seculis in Deo.] Quòd gentes quidẽ uocandæ erant, nouerant fortasse per spiritũ cùm prophetæ, tum angeli: q; uerò ad tanta bona, & ut Christus eas ad thronũ Dei collocaret, quis quęso hoc expectasset? Eam ob rem mysteriũ hoc uocat in Deo absconditum ante secula, hoc est, antea & à principio: non enim recens est hæc dispensatio, & ipsi soli cognita.

Qui omnia creauit per Iesum Christum.] Pulchrè creationis meminit. Qui omnia, inquit, cõdidit per Christum (sine ipso enim factum est nihil, ut Ioannes inquit) & hoc Ioan.1. per ipsum reuelat.

Vt innotescat nunc principatibus & potestatibus in cœlestibus per ecclesiam multiformis sapientia Dei.] Neq; superiores principatus & potestates, neq; inferiores norant mysterium gloriæ gentium. Etenim angeli & archangeli hoc tantummodo compertum habebant, quòd Israel esset pars Domini, adeoq; populus ipsius. Gabriel por- Matt.1.
rò hoc tantùm norat, quòd seruaturus esset populum suum à peccatis suis. Quòd au-
B tem & qui ex gentibus sunt, tantum honorem consequerentur, nunc norunt & supernæ potentiæ, & infernæ, per ecclesiam, hoc est per beneficia quæ nobis sunt collata beneficia enim quibus diuinitus perfusi sumus, doctores fuerunt eis sapientiæ Dei. Non simpliciter autem uariam eam dicit, sed πολυποίκιλον, id est, multiformem siue admodum uariam, omnibus artibus claram, preciosam & incomprehensibilem intellectu, uim eius intelligens. Gregorius aũt Nyssæus, Ante incarnationem, inquit, simplicem norant cœlestes uirtutes sapientiam Dei, nempe q; omnia sola sua uoluntate condiderit, deprehendebantq; eum esse potentem, quodq; omnia conseruaret sapienti gubernatione: ac sapientem curatorem qui prospiceret rebus agnoscebant: nihilq; in his uarium est, hoc est, ut aliud quidem esset, aliud uerò efficeret. Incarnato autẽ uerbo Dei, per cõtraria cõtraria sunt transacta, per mortem uita, per imbecillitatem potentia, per cõtumeliam gloria: per omnia uilia & abiecta, Deo digna & præclara. Hanc ad rationem multiformis multisq; nominibus eximia eius sapientia nunc cognita est, & potentia Dei cœlestibus uirtutibus. Quando enim nos didicimus, tum & illæ per nos agnouerunt, ac uidentes quantis bonis ecclesia sit donata, per ipsam etiam ad cognitionem sunt perductæ.

Secundum præfinitionem seculorum quam fecit in Christo Iesu Domino nostro.] Iam nunc quidem cognita est sapientia eorum quæ nobis obtigerunt, uerumenimuero iam olim antea erant prædestinata. Nam secundũ præfinitionem, inquit, seculorũ futurorũ. Norat em̃ Deus quæ uentura essent, & sic definiuit atq; decreuit. Quòd aũt ait, Quã fecit in Christo Iesu, intelligitur de sapientia siue dispensatione quã fecit pater per filium. Chrysostomus autem (quę) legens, quę fecit, inquit, secula Deus per filium.

In quo habemus fiduciã, & accessum in cõfidentia per fidem eius.] Quòd per Christum omnia facta sint, hinc est perspicuũ, q; ipse est qui adducat nos. Atqui nõ ut captiui adducti sumus, neq; q; peccauimus, sed libertatem habemus: neq; eam simplicẽ, sed cum confidentia & fiducia & audacia. Vndenam hæc nobis bona? per fidem, inquit: Fides fiduhæc enim solutis peccatis libertatem nobis & fiduciam imposuit. ciam nobis parit.

Propter hoc peto, ut non deficiatis in afflictionibus meis pro uobis, quę est gloria uestra.] Propter hoc, inquit, quale hoc? quòd ingens sit mysterium uocationis uestræ, & quòd magna mihi credita sunt ut prædicem uobis, ac necesse est me uinctũ esse, & af-

fligi

fligi ab ijs qui non intelligunt mysterium hoc, sed ei contradicunt: rogo uos ut ne defi- A
ciatis, hoc est, turbemini tumultue eminiue, ceu res quæpiam factu indigna cõtigerit. in
Rom. 5. gloriã enim hoc uestram potius cedit. Nam sic nobiscũ egit Deus, ut nedum filiũ suum
Ioan. 3. pro nobis daret, uerumetiam nos seruos suos, uestræ cõmoditatis gratia in pericula &
uincula cõijceret. Quòd si meæ afflictiones, gloria uestra est, quanto potius per uestras
glorificabimini? Quare neq; quando ipsi affligamini, deficiatis.

Huius rei gratia flecto genua mea ad patrem Domini nostri Iesu Christi, ex quo o-
* πατριὰ, mnis * paternitas in cœlo & in terra nominatur.] Postquã adeò dilecti estis, & incom-
id est, pater prehensibilia sunt bona quę nacti estis & nanciscemini, Oro, inquit, ut detur uobis gra
nitas, siue tia commorantis in uobis Christi, ut comprehendatis ea, sciatisq; quantum dilecti si-
parentela, tis. Precationem autem uehementem & ardentem cum compunctione significauit,
familia, tri- cum dicit, Flecto genua mea. Ex superno autem patre omnis est, inquit, paternitas: su-
bus, gens. per terrã quidem generationes & familias nominans πατριὰς, à patrum nomine sic ap
pellatas. in cœlis autem, quia illic nemo ex quopiã nascitur, paternitates siue familias,
ipsos ordines & choros dicit: hoc est, cùm superiores tum inferiores ipse familias tri-
busq; fecit, & ab ipso sunt qui nominantur patres.

Vt det uobis secundum diuitias gloriæ suæ, uirtute corroborari per spiritum suum
in interiori homine, ut habitet Christus per fidem in cordibus uestris. in charitate radi
cati, & fundati.] Ecquid oro pro uobis? ut det uobis ceu diues & glorificari uolens, ro-
borari ad tentationes, ut ne turbemini ab hisce, ac transferamini aliò. Porrò non cõten
tus dicere roborari, adiecit, In potentia. ex abundanti enim precatur eis bona. Quomo
Esaiæ 11. do autem corroborari? per spiritũ eius. ipse nanq; est qui robur præbet. Sicut & Esaias
spiritum roboris dicit. Et non solùm ut confortemini, uerumetiam quod maius est &
abundantius, ut Christus inhabitet interiorẽ hominem uestrũ: hoc est, in cordibus ue-
Ioan. 14. stris, non superficietenus, sed in profundo. Quánã ratione? Per fidẽ in cordibus fidelium B
habitat Christus, cum patre ueniens, & mansionem in illis faciens, quemadmodũ prædixit. Hęc autem adsequemini, radicati in dilectione eius; si nec transferamini, nec tur
bemini. Duo itaq; eis diuinitus dari precatur, & cõfortari per spiritũ, & Christum com
morari in cordibus ipsorum: uel ut confortemini, inquit, & idonei efficiamini ut Chri
stus habitet in interiore homine uestro.

Vt possitis comprehendere cum omnibus sanctis, quæ sit latitudo, & longitudo, &
Suprà ca. 1. profunditas, & sublimitas.] Quod principiò precatus est, ut detur eius spiritus sapien-
tiæ & intellectus & reuelationis, ut sciãt quæ sit spes uocationis, & id genus alia: idẽ &
nunc ait, Vt possitis, inquit, cõprehendere cum omnibus fidelibus mysteriũ pro nobis
dispensatũ: quod adeò magnũ est, ut quoquouersum & in omnes sit extensum partes.
Vnde & corporalibus ipsum descripsit figuris, cõprehendens cùm superna, tum infer-
na atq; transuersa. Dixi quidem & ego de hisce, uerùm enim nõ possunt hæc per meos
sermones satis cõmodè disci, sed per spiritum sanctum: nec poteritis hæc comprehen-
dere, nisi corroboremini per spiritum. Est enim multo robore opus. ac nisi inhabitet in
Gregorius uobis Christus, nihil efficere poterimus. Gregorius aũt Nyssæus per latitudinem, lon-
Nyssæus. gitudinem, profunditatem, & altitudinem, crucem dicit intelligi. precari igitur Apo-
stolum Ephesijs, ut possint comprehendere crucis mysterium. Vniuersa enim dispen-
satio in hoc continetur, atq; in hac ipsa omnium maximè tremendum est crux, & qua
Ioan. 15. charitas Dei maximè demonstratur, quemadmodum & Dominus dicit, Propterea &
Paulus de dilectione infert.

Scire etiam supereminentem scientiæ charitatem Christi.] Vt possitis, inquit, co-
gnoscere charitatem Christi, antecellentem omni scientiæ. Quomodo cognoscemus
nos? Primùm quidem dicit hanc antecellere scientiæ, nimirum humanæ. Vos au-
tem non per humanam quidem cognitionem, sed per spiritum cognoscetis hanc.
Deinde neq; hoc dixit, Cognoscetis eam quanta sit: sed hoc ipsum, quòd magna sit,
quippe quæ exuperet omnem scientiam & cognitionem. Hoc precor, inquit, ut uos
à spiritu discatis. Ecquis hoc ignorat? omnes, & qui ægro animo accipiunt quæ in
singulos dies fiunt, & qui Mammonam Deo præferunt. Nam si hanc cognoscere-
mus, haudquaquam aduersus prouidentiam murmuraremus, neque rebus præsen-
tibus animum addiceremus, à Deo deficientes qui sic nos dilexit. Obserua autem, si

charitas

charitas excellit omnem cognitionem, quanto magis ipsa essentia?

A Vt impleamini in omnem plenitudinem Dei.] Bifariam nonnulli hoc intellexerunt. Vt sciatis, inquit, uel q̃ in patre & filio & spiritu sancto adoretur nobis Deus, hęc enim plenitudo Dei est ipsa trinitas: uel ut sitis impleti, inquit, omni uirtute, qua plenus est Deus. Rectius autem opinor sic intelligi, ut sitis perfecti in omni diuina perfectione, omnia diuina cognoscentes, quatenus licet.

Ei autem qui potest super omnia facere ex abundanti super ea quæ petimus aut intelligimus, secundum potentiam quæ operatur in nobis, ipsi gloria in ecclesia in Christo Iesu, in omnes generationes seculi seculorum. Amen.] Ego quidem precor, inquit, & orationem meam ad Deum fundo: ipse aũt & meis orationibus maiora efficiet. Potest enim non solùm omnia quæ quisquam orat, sed super omnia facere suprà & ex abundanti, hoc est splendidè & largiter. Duos autem hîc excessus ponit, super omnia, & suprà ex abundanti. Licet enim plura facere quàm quæ petuntur, non tamen ex superabundanti excellentia, quod est largiter, & cum liberalitate. uerũ Deus utraq; potest, quemadmodum & iam etiã potuit, & operatus est in nobis magna & eximia, hostes suos, gentes, in filios adoptans. Proinde ex ijs quæ iam circa nos peracta sunt, perspicuum est quod dixi. Meritò aũt in Dei laudem sermonem concludit, glorificans benefactorem, simul ut & hac ratione ostendat, magnitudinem eorũ quæ nobis obtigerũt. Non enim admiraretur, nisi talia dedisset, quæ ad miraculum & gloriam permoueant. Non simpliciter autem dixit, Ipsi gloria, sed per Iesum Christũ. Reuera enim nemo potest ne glorificare quidem, nisi in Christi uirtute. ipse enim est qui ad laudem Dei nos amabiles reddit & acceptos, ac docet quomodo oporteat isthuc nos facere. In ecclesia autẽ est gloria Dei, ac rectè quidem, si quidem ipsa perseuerat assiduò, & portæ inferi non prævalebunt aduersus ipsam. itaq; laus & præconium eius æternum. *Matt. 16.*

CAPVT IIII.

B Obsecro itaq; uos ego uinctus in Domino, ut dignè ambuletis uocatione qua uocati estis.] Non oportet dominari præceptorem in discipulos, sed seruire eis pro salute ipsorum: propterea & Paulus tanquam seruus obsecrat. Proponit autem & uincula ad supplicationem. uinctus enim sum in Domino, hoc est, non ob prauũ aliquod opus, sed propter Dominum. uereminí igitur uincula quæ Dei causa patior. Quid autem obsecro: nõ pro me ipso certè, sed pro uobis, ut ambuletis dignè uocatione, ad magna enim uocati estis, ut consideatis cum Christo, & cõregnetis, nec oportet uos deseœdare dignitatem uestram per opera Christo indigna. Ab instituendi autem ratione ad mores transijt, orationem ita suam dulcem faciens. *Præceptor discipulis seruiat.*

Cum omni humilitate.] Quomodo dignè liceat uocatione ambulare, indicat, nempe si humilis & utilis in oculis sis tuis. Cogitabis enim in animo omnino, * qualis cum esses, quantis bonis sis donatus: ac demittes te, dabisq; operã ut sit tibi cũræ benefactor, præsertim cum omnis uirtutis isthuc sit fundamentũ. Propterea & Dñs beatitudines hinc orsus est, beatos eos prædicans qui sint pauperes spiritu, humiles uidelicet. Cum omni autem, inquit, humilitate, non ea solummodo quæ sit in uerbis, sed & quæ sit in operibus, & in habitu, & sonitu, locutioneq;: nec ea ratione, ut erga hunc te humilem exhibeas, erga illum uerò minimè, sed siue paruus fuerit, siue magnus, tuã illis semper humilitatem & candorem ostendes. * Τὶς ἂν, *quasi dicat, qualis existens, nempe infidelis, immundus, filius iræ, &c.*

Et mansuetudine & longanimitate.] Potest enim aliquis esse humilis, & interim tamen concitatus & iracundus: at ea humilitas nihil prodest.

Supportantes inuicem in charitate.] Quę sit mansuetudinis & longanimitatis commoditas, docet, nempe ut alter alterum toleret. Ne aũt quis dicat, Quomodo sufferã proximum iracundum & iniurium? modum subdit quo isthuc fieri possit, nempe per dilectionem. si enim charitatem habeamus, tolerabimus alter alterum.

Solliciti seruare unitatem spiritus in uinculo pacis.] Quemadmodum in corpore spiritus est, qui omnia continet & unit, etiamsi diuersa fuerint membra: hunc ad modum in fidelibus spiritus sanctus est, qui unit & coniungit omneis, etiam si diuersa habuerimus & genus & mores & studia, atq; per hunc sanctum spiritum unum corpus efficimur. Laboremus itaq; hanc unitatem conseruare per pacem, quæ est inter nos mutuò. Nisi enim connexio dilectionis inter noş fuerit, & paci mutuæ studuerimus,

unita-

Universidad de Deusto
Biblioteca

unitatem iſtam & cõiunctionem amiſimus, quam ſpiritus nobis dedit: quemadmodũ A
ſi diſsidium fiat inter manum, aut pedem aduerſum reliquum corpus, & abſcindantur
à coagmentatione & connexu ad reliqua membra, non porrò deinceps ab uno ſpiritu
continentur. Multa igitur ſedulitate opus eſt, nec ſine defatigatione ac labore poteri-
mus pacem habere cõnectentes nos inter nos, ut quócunq; unus feratur, alter ſimul fe-
ratur. Si enim huiuſmodi ſimus, cõnexi ſimus, nec alter alterum in ſeruitutem redigat
uel proculcet: ſub uno hoc pacto ſpiritu erimus.

Vnum corpus, & unus ſpiritus.] Non ſimpliciter charitatem inquirit Paulus, ſed eam quę omnes unum corpus faciat, propter exactam & firmam inter nos mutuò con iunctionem & unionem, ut quemadmodũ membra, inter ſeſe compatiantur, & ſimul congaudeant & unus ſpiritus. Pulchrè ſanè hoc dixit, oſtendens quòd ſi unum corpus ſit, unus etiam ſpiritus erunt. Vel quòd poſsit quidem unum eſſe corpus, ſed non unus ſpiritus, quemadmodum ſi quis hæreticorum amicus ſit, dogmatibus eorum non con-
ſentiens. Vel quia unum ſpiritum per fidem accipientes, debetis eſſe concordes. Vel ſpiritum, æqualem promptitudinem dicit, & conſpirationem: perinde ac ſi diceret, u-
num corpus & una anima.

Suprà 2. Sicut uocati eſtis in una ſpe uocationis ueſtræ.] Deus, inquit, ad eadem uos uocauit, omnibusq; uitam donauit, omniumq; ex æquo factus eſt caput, omnes ſimul excitauit ſecum, & cõſedere fecit, ac ſimpliciter eodem honore omnes adſumpſit, eadem etiam omnes ſperamus. Debetis igitur unum eſſe, ſecundum charitatis etiam coniunctionẽ.

In cœlis æquales omnes ſumus. In cœlis enim æquales ſumus, etiamſi in terra diſsimiles fuerimus.

Vnus Dominus, una fides, unũ baptiſma.] Nunquid enim tu maiorẽ habes dominum, ille uerò minorem: nunquid tu ex fide, ille uerò ex operibus ſeruatus eſt: num tu ex baptiſmate liber factus es, ille uerò non.

Vnus Deus & pater omniũ qui ſuper omnia, & per omnia, & in omnibus uobis.] Hoc eſt, qui ſupra omnia, & per omnia prouidentia & gubernatione commeat, & in B
omnibus uobis habitat. Obſerua autem quòd hæretici præpoſitionem (per) tribuunt
* περὶ *uel* filio, (in) uerò * ſpiritui, tanquã imminutionem adferat. Iam uerò utræq; inuentę ſunt
περὶ, *id eſt,* patri appoſitæ, non igitur imminutionis ſunt.

patri uel ſpiritui: ſcriptura enim dubia eſt an ceps in litera media, quæ corrupta, utriuſque literæ ρ & ν ueſtigium habebat, rectius uidetur per ν ut de ſpiritu dicatur, ut refellat hæreticos dicẽtes Per filio, et In ſpiritu tanquã minoribus tribui: Ex uerò patri ut maiori.

Vnicuiq; autem noſtrûm data eſt gratia ſecundum menſurã donationis Chriſti.] Si omnia, ut dicis, ſunt communia, unde ille & iſte minus habent donum? hoc enim ipſos perinde ac Corinthios & alios pleroſq; ad inuidiã perduxit. Diluens igitur hoc, in-
quit: Vnicuiq; data eſt gratia & donum, quemadmodum partitus eſt qui dedit. Proin-
de quia donum eſt, ſis omnino contentus eo quod accepiſti. nunquid enim tanquam debitum tibi datum eſt? Et quoniam menſurã Deus præſiniuit, ne ſis curioſus. Deus e-
nim menſuram diſtribuit, & omnino commodè id fecit. Neceſſaria igitur, & citra quæ non poſsis Chriſtianus eſſe, communia ſunt. Sin quiſquam alius excellentius donum habeat, ne tibi iſthuc doleat: quandoquidẽ & labor iſtius maior eſt, perinde ac in pro-
curſu dicet. Non dixit autem, iuxta menſurã cuiuslibet fidei, ut ne ad mœrorem conſ
ciat eos quibus minora ſunt collata chariſmata: cæterùm uoluntati dantis menſuram acceptam retulit, eiusq; arbitratui reliquit, tanquã ne audeãt quidem omnino hîc ob-
ſtrepere uerbis quicquam.

Propter quod dicit: Aſcendẽs in altum, captiuam duxit captiuitatem, deditq; dona hominibus.] Quòd dona ipſe dederit, planum eſt ex eo quod propheta dicit, dedit do-
na hominibus. Atqui propheta, Accepiſti, inquit, dona: quod idem eſt. Nam qui homi
nibus dat chariſmata, ab ijs accipit miniſterium: qui uerò chariſma accipit, ut operetur & laboret, accipit. Quocirca precium eſt operę, ne ociosi ſimus. In ſummitatem autem aſcendit uel crucis, uel cœli per aſſumptionem, quod & potius eſt, uelut ex conſequen
tibus liquet. Qualẽ aũt captiuitatẽ dicit? diaboli: captiuũ enim cepit diabolũ & mortẽ, & maledictionẽ & peccatũ, nosq; diabolo ſubiectos, cõmemoratisq; iam obnoxios.

Quod aũt aſcendit, quid eſt, niſi q; deſcenderit etiã primùm in inferiores partes terrę? Qui deſcẽdit, ipſe eſt qui & aſcendit ſupra omnes cœlos, ut impleret omnia.] De hu
militate hîc diſputans Paulus, Chriſtum producit exemplum, ſicut in epiſtola quoq; ad *Philip. 2.* Philippenſes, Quemadmodũ, inquit, ille non recuſauit deſcendere, ſic & uos non re-
fugiatis per humilitatẽ uos demittere & condeſcendere alijs ſiue obſecundare. Quòd
enim

A enim descenderit, perspicuum est ex propheta, qui eum ascendisse adserit. De Deo enim cum dicitur ꝙ ascenderit, necessarium est primùm descensum intelligere: de hominibus autem secus est. Quò autem descendit? ad inferos. Hos enim, infimas terræ partes appellat iuxta communem opinionem & intellectum, quemadmodum & Iacob inquit, Deducetis canos meos cum dolore ad inferos. ac Dauid. Similis ero descendentibus in lacum. Descendit igitur ad infimas partes, post quas non est aliud quid: & ascendit supra omnia, ultra quæ nō sunt alia. nec obstitit ei descensus quo minus ascenderet. Et uos igitur si humiliemini atq; demittamini, exaltabimini. Ob hanc enim causam hæc omnia efficit, ut omnia impleat dominatu operationeq; sua, idq; in carne, quandoquidem diuinitate iam antea cuncta compleret. Hęc autem aduersus Paulum Samosatensem & Nestorium sunt. Qui enim descendit, planū est quòd cum in supernis esset, descenderit & incarnatus in terram, & mortuus ad inferos, idemq; est & unus non alius & alius. *Genes. 42. Psal. 27. Luc. 14.*

Et ipse dedit.] Significanter autem dixit, Ipse. Qui enim adeò nostri curam gessit, ut & pro nobis non recusarit ne ad infimas quidem terræ partes descendere, næ haud similiter distributiones donorum fecit, uerùm planū est ꝙ sapiens ipse commodè distribuerit. Quid igitur doles tanq; non æqua & recta ratione distributio facta sit? Alio autem in loco spiritum dicit dispensare, In quo & uos posuit spiritus sanctus: &, Omnia operatur unus & idē spiritus. Aliàs & patri hoc tribuit. ut, Posuit Deus in ecclesia primùm quidem apostolos, & quæ sequuntur: &, Ego plantaui, Apollo rigauit, Deus autem incrementū dedit. Hic aūt filium dispensatorem facit. una igitur triū est operatio. *Act. 20. 1. Cor. 12. 2. Cor. 3.*

Quosdam quidem apostolos, quosdā autem prophetas.] Primi sunt Apostoli, quan-
B doquidem & prophetias habebāt: prophetę autem in nouo Testamento apostolatum non habebant.

Alios uerò euangelistas.] Vel eos qui conscripserunt euangelia, uel qui non undique circumierint, non omnia peragrauerint, Euangelium tamen prædicantes, quales fuerunt Priscilla & Aquila. *Act. 18.*

Alios autem pastores & doctores.] Eos quibus ecclesiæ erant cōmissæ intelligit, episcopos, quales erant Timotheus, Titus, & alij huiusmodi. Poteris aūt per pastores presbyteros & episcopos intelligere: per doctores uerò, ipsos etiam diaconos, adeoq; ministros. Etenim & illi ordinem habentes expurgandi, per uerbum omnino sordes tollūt.

Ad consummationem sanctorum, in opus ministerij, in ædificationem corporis Christi.] Vides dignitatē? Vnusquisq;, inquit, perficit, cōsummat, unusquisq; ministrat ad extructionem corporis Christi, siue ecclesię. Quid itaq; ęgrè fers ceu minus donum acceperis? Nā & tu ad consummationem sanctorum, hoc est, ad commoditatem fidelium & perfectionē cōmodas. Caue igitur ne accepto dono ut alios ædifices, teipsum, cum maioribus inuides, subuertas. Præterea si ad consummationem fidelium alius accepit maius donū, cogita ꝙ & maiori ideo labore ac ministerio defatigeť: unde & maior negligentem in suo charismate culpa manet. Porrò aūt quî non ex Satana letale isthuc uirus profluat, eaq; affectio uirulenta prodeat, inuidere te consummanti, & ædificanti corpus Christi? Est enim istuc hominis planè Deo reluctantis.

Donec occurramus omnes in unitatem fidei, & agnitionis filij Dei.] Eousq;, inquit, operari oportet omnes qui dona acceperunt, & ædificare & laborare, donec peruenerimus ad unitatem fidei: hoc est, usq; dum demonstremur omnes unam & eandem fidem habere, neque dogmatibus differre, neque quo ad uitam sectis quibusdam inter nos dissidere. Tum enim uera est fidei unitas & unio, tum agnoscimus filium Dei, quando & in doctrina rectam sententiam habuerimus, & charitatis uinculum seruauerimus. Charitas enim Christus est.

In uirum perfectum, & in mensuram ætatis plenitudinis Christi.] Virum perfectum & mensuram ætatis, perfectiorem dogmatum cognitionem dicit: quemadmodum & plenitudinem Christi, omnimodam atq; integram ipsius cognitionem & fidem, quòd unus ex trinitate cum esset, & æqualis patri, factus sit homo, una persona in duabus naturis & uoluntatibus & operationibus, & cum corpore patri adsidet, uenietq; cum ipso, & quæcunq; alia de ipso rectè intelliguntur ac dicuntur. Quomodo igitur aliàs imperfectam dicit cognitionem nostram? Rectè profectò, ut opponatur futuræ post fata *Christi plenitudo. 1. Cor. 13.*

nostra cognitioni, hîc uerò cognitionẽ perfectã dicit eius respectu, quòd facile sit mor A talibus, à recto statu atq; adeò à uirtute excidere. Quando enim à Christo non excidemus, tum perfecti sumus, ut ex sequentibus liquet.

Vt iam non simus paruuli fluctuantes & circumferamur omni uento doctrinę.] Vt ipsam exiguam, inquit, mensuram quam accepimus, contineamus firmiter & solidè, & non infantium instar concutiamur & circumagamur abs quouis doctore. Ad hoc enim data sunt charismata, ut ædificent atq; consumment, ut ne concutiatur ipsa structura. Cum uerò ait, Iam non, siue non amplius, indicauit & olim eos id esse passos. Sei psum autem etiam connumerat, ne uelut obijciens & conuicia dicens, sed cum hilaritate corrigat. At cum ait fluctuantes, ostendit quali periculo sint ad ueram religionem perductæ animæ. In tropo autem perseuerans, uentos etiam uocauit diuersas doctrinas, minimeq; consentientes.

In nequitia hominũ, in astutia, ad circunuentionem erroris.] κυβευτὰς, id est lusores, dicuntur, qui talis utuntur. huiusmodi sunt uani doctores, transponentes simpliciores, ceu talos, prout uoluerint. Ne igiẽ, inquit, circũferamur ἐν κυβείᾳ, id est in nequitia, siue uersutia hac. quomodo in astutia, ad circumuentionem impostura, hoc est, ad quodcunq; deceptrix eorum circunuentio uoluerit, ad hoc transpositi & circumacti. Obnihil enim aliud uel omnia fallaciter conantur, & arte quadam machinantur, quàm ut se ducant. Pulchrè autem apposuit, hominum. res enim diuinæ uersutiam ac deceptionem non admittunt.

Veritatem autem sectantes in charitate, crescamus in ipsum per omnia, qui est caput Christus.] Fraudulenti enim & in uerbis uersuti, omnes notha & falsa loquuntur, neque quicquam in ipsis est uel sanũ uel stabile. Nos autem ueritati studentes in dilectione erga Deum & proximũ, neq; uana dogmata habentes, neq; in hypocrisi uiuentes (hîc enim uidetur & de uita ipsis disputare) crescamus in Christũ per omnia nostra, ultam nimirum & doctrinã. Ipsi enim, qui caput est, debemus adaptare nostra, ut nihil non respondens & inconueniens capiti feramus, sed omnia augeamus ad ipsum. B

Ex quo totum corpus compactum & connexum, per omnem iuncturam submini-
strationis secundum operationem in mensura uniuscuiusq; membri, augmentũ corporis facit ad ædificationem suijpsius in charitate.] Sententia huius loci talis est, etiamsi
Cõparatio philosophica. obscurè dictus sit: Quemadmodũ in corpore spiritus, qui è cerebro descendit per neruos, non simpliciter dat omnibus membris sensum, sed secundũ proportionem cuiq; ei quidem quod plura recipere potest, plura: quod uerò minus, minus: sic & Christus in animas nostras quæ sunt membra ipsius, facit suppeditationem charismatum suorum. Non simpliciter, sed pro mensura cuiuslibet membri, hoc est, perinde ut potest capere quodlibet, hacq; ratione totum corpus ædificationem & augmentum suiipsius facit in dilectione. Aliter enim non licet recipere suppeditationem descendentis desuper spiritus à quo & uiuificamur & crescimus, nisi per dilectionem connexi fuerimus, & uniti ceu unum corpus. Vt enim manus si à corpore auulsa fuerit, non porrò receperit sensibilem spiritum, tanquam à continuitate diducta: sic & nos nisi uniti fuerimus, non recipiemus à capite nostro Christo descendentem spiritus gratiam. Propterea dixit q̃ corpus etiam compactum & connexum, hoc est, non è simpliciter positis membris, uerumetiam coniunctis, & unoquoq; proprium locum habẽte, ut nullum luxatum sit, neq; præter formam collocatum. In nobis igitur est, nos ipsos construere & coagmentare per dilectionem: Christi uerò capitis nostri, spiritum adlegare. Totus igitur hic sermo & uniuersum argumentum est de humilitate, & unitate seu coniunctione. Quod uerò ait, Per omnem iuncturam submiistrationis, denunciat hoc, quòd spiritus à capite aduectus & suppeditatus omnia cõtingat. Corpus igiẽ crescit & ædificat per hoc quòd spiritus suppeditatio membra contingat, atq; in eis operetur. hoc enim est quod per operationem membris spiritum communicat.

Hoc igitur dico & testificor in Domino, ut iam non ambuletis sicut & reliquæ gen-
Præceptor etiã terreat tes ambulant in uanitate sensus sui.] Præceptoris est non solum adhortari, uerumetiam terrere, per hoc quòd Deus discipulis etiam adstet atque præsit, æquè ac diuus hic Paulus agit. Testor enim, inquit, uobis in Domino, hoc est testem Dominum facio, quòd non occultarim uobis ea quæ dicenda fuerint. Non dixit autem, Ne porrò uos

ambuletis

A ambuletis quemadmodum ambulatis, ut ne iritet eos, uerùm reliquarũ gentium instar inquit illarum exemplo illos castigans & erudiens. In uanitate porrò mentis circumambulabant, ut qui idola colebant, & qui affectibus suis inseruiebant, & qui mundi uanitatibus adfixi erant. Quæ ideo uanitas dicuntur, quòd nos illis uanè utamur. non enim è sui natura uana sunt: ualde nãq; pulchrè sunt condita.

Tenebris obscuratum habentes intellectum, abalienati à uita Dei.] Lumen quidem lucebat diuinæ cognitionis, puræq; uitæ: ipsi autem obtenebrarunt seipsos, imbecillem facientes animę uisum & perspicuitatem per caliginem affectuum mundanarumq; curarum. Reuma enim multũ & difficulter curabile, sunt affectus & solicitudines mundi turbantes mentem. Propterea & à uita Dei, id est diuina, quæ secundũ Deum est, ab alienati sunt sic se habentes. Rationalis autem hominis uita est, ueritatem intelligere. Ad hanc qui excæcatus est, haud iniuria non dicitur uiuere, eo quòd ueritas sit substantia & lumen rationis. *Veritas, rationis lumẽ.*

Propter ignorantiam quæ est in ipsis propter cæcitatem cordis ipsorum.] Si igitur ignorant, quid eos accusas? Ignorans enim docendus est, non accusandus. Atqui ignorantia, inquit, propter cæcitatẽ eis accessit, siue propter stupiditatem. stupiditas autem & sensuum ueluti carentia, est ex affectu & propensione ad impuram uitam. Proinde digni sunt qui accusentur, reprehendanturq;. Audi enim & quæ sequuntur.

Qui * desperantes, seipsos tradiderunt impudicitiæ, in operationem immũditiæ omnis cum auiditate.] Viden' ex uoluntate atq; proposito hanc eis stupiditatem esse? Desperantes enim, inquit, hoc est segnes facti, nolentes laborare ut inueniant bonum, omni dolore tantum non uacantes, ac ueluti ad stultitiam redacti, se ipsi tradiderunt impu
B dicitiæ, ut quid faciant? ut designent impuritatem. hanc enim exercitij continuiq; operis loco posuerunt, nec unam quidem eius speciem, sed omnigenam. Qui igitur non in summum stuporem uenturi erant, qui seipsos omni immundiciei tradiderunt? Etenim immũda uita dogmatum quoq; prauorum causa est, & omnis boni ignorantiam parit. Quando igitur alio in loco audiueris quòd Deus tradiderit eos in reprobã mentem, reminiscere etiam huius loci, atq; compingens utrũq;, intellige q; Deus dicatur tradere eos qui seipsos tradunt, hoc est permittere necnon concedere, quandoquidem se dignos hoc permissu fecerunt. Ad hæc cum dicit, Cum auiditate, uoluntariam eis stupiditatem & inscitiam adesse testatur. Licuisset enim eis & pecunijs & uoluptatibus moderatè frui: illi uerò intemperantia electa, in omnibus ad cæcitatem uenerunt, & insensibilitatem, siue inscientiam cuiusuis boni. * ἀπηλγηκότες, *desperãtes, socordia detẽti, dolore & sensu suimali carentes, ante quorum oculos non est timor Dei. Rom. 1. Tradere Dei, permittere est.*

Vos autem non ita didicistis Christũ, siquidẽ ipsum audiuistis, & in ipso docti estis, sicut est ueritas in Iesu, deponere uos secundum priorem conuersationem ueterem hominem.] Gentes quidem sic se habent, uos autem non sic didicistis Christum, siquidem audiuistis Christum, & in ipso instituti estis: hoc est, quandoquidem didicistis Christũ. Non enim dubitans, cæterùm admodũ firmatus atq; certus hæc dicit. Nam & hoc est discere Christũ, rectè uiuere: perinde ac qui sceleratè uiuit, Christum ignorat. Deum enim, inquit, confitentur se nosse, factis aũt negãt. Quod aũt ait, Sicut est ueritas, sic intelliges. q; non sicut gentes in uanitate circũambulant, sic & uos ad eadem uana estis compositi atq; cõparati. Quæ enim Christi sunt, tum dogmata, tum uita, nõ sunt uanitas, sed ueritas. Peccatum aũt est uanitas & mendacium, ut quod substantia & subiecto careat, nec habeat perfectionem. Virtus autem ueritas est, ut quæ subsistat, & perfectionem finemq; habeat. Quid autem docti estis? & quid ueritas secundũ Christum? Nimirum ut abijciamus ueterem hominem, hoc est, prioris uitæ conuersationisq; nostræ mores, adeoq; præcedentem uiuendi rationem peccatis obnoxiam. *Peccatũ uanitas est.*

Qui corrumpitur secundum desideria erroris.] Bifariam hoc intelliges, uel quòd æquè ut cupiditates corrumpũtur, sic & ipse homo, hoc est, ratiocinatio & cogitatio corrumpitur. Quomodo autem cupiditates corrumpũtur? Etenim & morbo & senio pulchritudo marcescit, ac robur uirile consimilem ad modum, ac morte tandem simpliciter omnia tolluntur, dissoluunturq;. In illa enim die peribunt omnes cogitationes & stu *Psal. 145.*
dia eius. Vel secundum concupiscentias dixit, pro à concupiscentijs. etenim ab his corrumpitur uetus noster homo, quemadmodum lana & ferrum ab ijs quæ generant ab ipsis etiam corrumpũtur. Nam & gloriæ amor perdit, quo ad animam omnino, non-

nunquam etiam quo ad corpus: ac uoluptates similiter. Bellè autem errorem siue decep A
tionem, uoluptatẽ ex hisce promanantem dixit. fucus enim est, & mendacium, uolu
ptatis quidem speciem & figuram habens, cum re ipsa nihil sit, q̃ amarulentia. Hæc e-
nim est deceptio, aliud uideri, aliud uerò esse.

Renouamini spiritu mentis uestræ.] Vt ne quis existimet alium introduci hominẽ, ait, Renouamini: hoc est, ipsum quod cõsenuit, resuscitate, & aliud facite. Proinde sub iectum quidem idem est, permutatio autem est morum & mentis. At quî fiat ista re-
nouatio: per spiritum sanctum, qui habitat in mente uestra. spiritus enim non sustinet priora & uetera opera. Porrò quod ait, est huiusmodi: Renouamini spirituali renoua-
tione in mente uestra, sed non corporali, & in corpore facta.

Et induite nouum hominem.] Viden' subiectum idem esse, quod exuitur & indui-
tur? Indumenta autem uaria necnon diuersa sunt, utpote uirtus & uitiũ. Vt enim exui & indui, facile est: sic & uitium & uirtus, facilia sunt, si uelimus. Quur uerò hominẽ ap
pellat uitium, & eundem uirtutem? quoniam ex operibus non minus figuratur & no-
tatur homo, quàm ex natura. hęc enim indicant hominẽ, siue bonus siue malus sit. No
uus igitur homo est qui ex baptismate nouatus est, qui & fortis debet esse, citra rugas, & sanus: hæc enim omnia sunt & iuuenis & noui.

Qui secundum Deum creatus est in iustitia & sanctitate ueritatis.] Iste, inquit, ho-
mo creatus est non secundum cupiditates, sed secundum Deum, hoc est, à Deo est crea
tura talis quæ Deo placet, in baptismate, non ex aqua & terra, sed in iustitia & sanctita
te. hæc enim huiusce hominis sunt substantia. Iustitia igitur uirtus est uniuersalis, quem
Matt. 10. admodum etiam solemus iustum appellare, qui inculpatæ uitæ est. Quinetiam Domi-
*πλὴν ὅσα ω. i. iusta su nus, Nisi, inquit, abundauerit iustitia uestra plus q̃ Pharisæorum. omnem enim uirtu-
nebria. ἀ- tem hîc dicit. Sanctitas autem, puritas est, atq; adeò implere omne debitum. Quemad-
φοσιῶσθαι proprie est modum & in uita defunctis dicimus *iusta uel sancta, quando quis quæ debentur ei,
aliquid fa- perfecerit: & ἀφωσιωσάμην, hoc est expiationem feci. Quia uerò & in ueteri Testamen
cere cau- to iustitia dicebatur, illam huius fuisse figuram affirmat. Ego, inquit, tibi de ueritatis & B
solueṅdi an euangelij iustitia loquor, uel respectu & collatione iustitię quæ est per speciem & simu
mũ religio lationem, iustitiam hanc dixit, quæ ueritatis est. Creatus est igitur homo iste in bapti-
ne. Budæus. smate per iustitiam & sanctitatem. Induite autem ipsum & nunc per uitam & opera.
Quando autem audieris induere, ut nũquam deponat intellige, ut in eo loco: Induit
Psal. 108. maledictionem, tanquam pallium, &, Amictus lumine. Consueuimus etiam dicere,
Psal. 103. Hic illum induit.

Zach. 8. Propterea depositio mendacio, loquimini ueritatem unusquisq; cũ proximo suo, quo niam sumus inuicem membra.] Cum generatim ueteris hominis mentionem fecisset, deinceps & speciatim per partes eum describit. ac primò mendacium resecat, quod est alterius erga alterũ: causasq; adducit, q̃ proximi inter nos simus, & quod maius est, ma ioremq; nobis pudorem suffundit, quòd alter alterius membra simus. perinde quasi hoc dicat: Nunquid oculus uidens uenenatum animal, mentitur aduersus pedem, nec conijcit eum in fugam? Sic cum profunda fossa sub culmis ac terra abdita fuerit quam pes explorarit, nunquid mentitur & simulat pes, neque oculo denunciat, ut alio in lo-
co conspiciat atq; inueniat transitum? Ac simpliciter in omnibus idem inuenies. Hunc ad modum & nos non mentiamur neq; fallamus alter alterum. membra enim sumus unius corporis.

Psal. 4. Irascimini, & ne peccetis.] Mendaciũ primùm uetuit, & quia sæpenumero ex men-
dacio ira gignitur, ait. bonum quidem fuisset omnino nõ irasci. Postquam autem con
Ira sine pec tigit, ad peccatum tamen ne præcipitari uelitis ex immoderata iræ usurpatione. Non-
cato. nulli asseuerant unam esse iram quę non peccet, ut quæ sit aduersum dæmones, & pra
uos animi motus, quam explicat hîc nobis diuus apostolus.

Sol non occidat super iracundiam uestram.] Ne perseueret apud te diutius ęquo ira cundiæ affectus, ne sol nobis hostibus relictis & nondum reconciliatis abeat, ne quan-
do uideatur indignis uobis præbuisse lumen: simul etiam, ne quo modo nox uehemen tius accendat ignem per tristiores cogitationes, insidiasq; paret.

Ne detis locum diabolo.] Inter sè mutuo pugnare, istud est locum dare diabolo. Tantisper enim dum unitate coniuncti fuerimus atq; condensati, nihil suorum aduer
sum

A sum nos introducit Satanas, ceu non inueniens locum. At quamprimum animaduerterit dissensionem inter nos, tum ceu inuento loco, caput suum subintroijcit serpentis instar, ac deinceps omnem reliqui corporis tractum contrahit secum.

Qui furabatur, iam non furetur.] Animaduertis membra ueteris hominis? mendacium puta, uindictæ cupiditatem, furtum. Non dixit autem, Puniatur qui furtum committit: sed, A malo desistat. punire nāq; est fori iudiciarij: dehortari aūt à uitijs, Christi doctrinæ est. Vbi sunt aūt qui dicunt καθαροὶ id est puri, cum reuera omni sordium genere sint referti, pœnitentiam auferentes? Audiant enim quòd liceat exuere noxam, nedum quòd à peccato desistant, uerùm quòd boni etiam quicquam operentur. Audi enim quod sequitur:

Magis autem laboret operando manibus suis quod bonum est, ut habeat unde tribuat necessitatem patienti.] Nō enim satis est à peccato quiescere, sed cōtraria ei uia est adeunda, diuersum ab eo conficiendum iter. Antea operabatur malum, iamnunc operetur bonum: neque id simpliciter, uerùm cum labore, partim quidem ut conterat corpus quod antea ex torpore mala didicerat: partim uerò ut largiores habeat uitæ mores, & facultates. Ac impertiat etiam alijs, ubi antehac aliena sublegerat, iam alijs beneficentiam exhibeat. Deus bone, ut euangelium eos facit angelos, qui ferè dæmones fuerant!

Omnis sermo † malus ex ore uestro nō procedat.] Sermonē malū, ocioſum appellat, temerarium, importunumq;, ueluti facetias, stultiloquium. Cęterùm σαπρὸς spurcus, & putris, siue graueolens potius est, turpiloquium, conuicium, obtrectatio. Non enim rerum & operum tantummodo, uerumetiam uerborum luemus pœnas.

† σαπρὸς *spurcus, malus, uitiosus, putris, turpis.*

Sed si quis bonus est ad ædificationem necessitatis, ut det gratiam audientibus.] Id est, si sermo ædificat proximum, qui tibi necessarius est, ob instantem necessitatem, illum, inquit, sonemus, illum loquamur, non importunè & incommodè, ut gratias nobis agant auditores. Nam si animæ commodans quicquam dixerimus, agent nobis gra- *Prouerb. 15. Eccl. 3*
B tias auditores, ut qui per nos adiuti sint: uel ut inquit eos gratiosos & amabiles reddat sermo. Vt enim unguentum gratiam addit assumentibus, sic & sermo diuinus & animæ utilis. Obserua quomodo quod semper Paulus adhortatur, id etiam iamnunc nos oret, ut ędificemus proximum, quod est, nosipsos. Qui enim alteri consulit quæ salutaria sunt animo, multo iam prius & potius sibi ipse isthuc facit. *Verbū Dei*

Nolite contristare spiritum sanctum Dei.] Si proferas uerbum spurcum & Christiano ore indignum, non hominem contristasti, sed spiritum Dei, à quo beneficium accepisti, à quo sanctificatum est os tuum. Infert igitur qua in re beneficium acceperimus.

In quo signati estis in diem redemptionis.] Is enim signauit nos, atque imperatorij gregis ostendit esse, is non permisit nos statui cum obnoxijs iræ Dei: sed signauit nos & segregauit, ut simus redempti ab eadem. Non pudet igitur nos illum ipsum contristare? Signatum est os tuum à spiritu, ut nihil indignum ipso loquaris: ne dissoluas igitur sigillum.

Omnis amarulentia, & †tumor & ira, & clamor, & blasphemia, tollatur à uobis cum omni malitia.] Sustulit & per suprà commemorata sanè iram, nunc autem stirpitus eam euellit. amarulentia enim, & tumoris & iræ radix est. Cum enim succus amarus exasperatus fuerit nimium, excedit quo continetur uasculum, folliculum uidelicet, perq; totum corpus fundit, ac hominem planè efferat. Amarulentia igitur est occulta inflammatio, dolus, praua suspicio ad malefaciendum pręparata. tumor aūt irę est principium, ueluti accensio quædam. Ira aūt est, quę iam ad opus etiam patrandum turget. Quia uerò ira nisi habuerit clamorem simul inflammantem ipsam, facilè extinguitur, adijcit q; clamor etiam tollatur, hoc est, sopiatur, obscuretur, ut nullæ adeò reliquiæ maneant. Equus enim est uociferatio, ascensor aūt ira. impedi equum, & subuertisti ascensorem. Tolle etiā blasphemiā, siue conuiciū quod nascitur ex ira. Accendit aūt eam uehementius per uociferationem. Quia uerò plerique sunt qui clanculum mordeant, nihil quidem palàm dicentes, mordentes aūt clanculum, obscuram & reconditam malitiam subseruantes, propterea adijcit, Cum omni malitia, hoc est, & modica & magna.

† θυμὸς, *tumor, feruor, animi collectatti impetus.*

Clamor, equus est & uehiculum iræ, tanquā ascensoris.

Estote autem inuicem comes, misericordes, condonantes uobisipsis.] Quia non satis est à malis abstinere ut regnum assequaris, sed bonorum operum peractio etiam

est necessaria (si enim bonum operari prætermiserimus, in gehennam præcipitamur, etiamsi malum non operemur, ut ex multis Euangelij locis liquet) hanc obrem A
Matt.25. Paulus sublatis malis, ad bonorum operationem adhortatur, Estote, inquiens, comes, ad oppositionem iræ: misericordes, ut opponat amarulentiæ: donantes uobisipsis, hoc est ad ueniam inclinati: & peccantibus dimittentes, ut opponat malitiæ & blasphemiæ.

Sicut & Deus donauit nobis in Christo Iesu.] Quia tristiora exempla erant, Deum
Luc.6. exempli uice producit. Potuisset quidem dicere, Deus dixit, Dimittite, & dimittetur uobis: ueruntamen quia de futuris rebus plerique dubitant, quæ iam antè transacta sunt, in medium promit. Deus, inquit, donauit nobis. quomodo? in Christo, hoc est, cum periculo filij sui, mactationeq; eius. Tu fortasse citra periculum donas, ille uerò non sic: ac tu quidem fratri tuo, ille uerò tibi, cum hostis esses, remisit ac donauit. Obserua autem quomodo pro eo quod diceret, donantes alter alteri, dixerit, uobisipsis, ostendens perhoc, quòd si alijs alij donemus, nobisipsis quisq; pro sese gratiam & beneficium impendimus.

CAPVT V.

ESTote ergo imitatores Dei, sicut filij dilecti.] Quemadmodum Dominus te dilexit, sic tu dilige fratrem, tum imitatus es Deum pro uiribus. Non licet enim hic paupertatem culpare, ac dicere, Si remisero, damnum patior. Remitte impingenti atque peccanti gratis, ac citra damnum, & lucratus es magnum thesaurum, nempe
Matt.18. quòd Deum imitatus es. Deinde & aliam causam præclariorem ponit. Sicut filij, inquit, dilecti: hoc est, & aliam necessitatem habetis imitandi nimirum patrem uestrum. Postquam enim non omnes liberi imitantur patrem, apposuit dilecti: tales enim patrem imitantur.

† Hæ dictiones, pro nobis, habentur apud Chrys. & alios, ideo negligentia scribæ uidētur omissæ in codice Basil.

Et ambulate in dilectione, sicut & Christus dilexit nos, & tradidit seipsum † pro nobis oblationem & hostiam Deo in odorem bonæ fragrantiæ.] En omnium fundamentum charitas. Vbi enim hæc est, non clamor, non ira, non blasphemia, sed o- B
mnia sublata sunt: propterea postremò summam hanc posuit. Docet autem & unde facti simus liberi, ex charitate uidelicet. quare hanc uendicare debemus tanquam eam quæ nobis præbeat filiorum adoptionem. Quemadmodum enim ægrotantes, si adiuuemur pharmaco quopiam, ipsum etiam pharmaci nomen ueneramur: sic & charitatem amplecti debemus, per hanc enim tradidit seipsum pro nobis Dominus. Atqui ille pro inimicis quidem tradidit seipsum, tu uerò amicis parces. Quare tum uerè imitaberis Christum, quando hostibus benefeceris. atqui tum seruatur quod ait Apostolus, Sicut & Christus. Et pro hostibus mori, istud est hostia, & odor bonæ fragrantiæ. Hoc enim & Christus factus est, moriens pro nobis hostibus. Atq; hoc est imitari Deum.

Fornicatio autem, & omnis immunditia, aut † auaritia, nec nominetur apud uos, sicut decet sanctos.] Cum dixisset de amaro motu animi concitati, uenit ad minus malum, concupiscentiam uidelicet: quemadmodum & legislator cum dixisset, Non occi
Exod.20. des, quod est animi concitati: secundò subiunxit, Non committes adulterium, quod est concupiscentiæ. Vt enim amarulentia, uociferatio, & blasphemia, animi sunt concitati & efferuescentis: sic concupiscentiæ sunt fornicatio, & impuritas, & auiditas siue immoderata cupiditas. pari nanq; ratione pecunias amamus, & corpora. Ne nominentur igitur apud uos huiusmodi, sed toti sitis puri. uerba enim ad opera uiam præbent. Itaq; si sancti estis, & lingua uestra sancta sit. Infert autem & deinceps:

Turpitudo & stultiloquium, aut facetiæ, quæ non sunt decentia, sed magis gratiarum actio.] Quemadmodum clamorem remouit, qui est iræ uehiculum: sic nunc turpiloquentiam & facetias, fornicationis uehiculum reijcit. Ne dicas enim urbana, neq; turpia: quod si feceris, extinxisti flammam fornicationis. Deinde ne uideatur nimium seuerus & morosus, quippe qui urbanitatem excindat, causam intulit, inquiens: Quæ non conueniunt, non decent, hoc est, quæ non sunt Christianorum. Vt enim coriario non licet quicquam facere eorum quæ non sunt suæ artis, hanc ad rationem Christianus

† πλεονεξίαν, *plus habendi cupiditas, immoderata concupiscentia, ut non solum ad pecunias, sed etiam ad corpora extendi queat.*

A stisnus sanctus factus, non debet loqui quæ minimè deceant aut conueniant ad sanctificationem. quæ enim nulli sunt usui, nihil ad nos. Sed si quid loqui uelis, gratiarum actio sit tibi quoduis uerbum: ac si cõsueueris gratias agere, recordaberis ex qua li homine quantus sis factus, & lugebis mala tua, admiraberisq; ad stupore usq; eum, qui tantis te dignatus sit bonis, nec tibi uacabit aliud quiddam dicere. nõ enim risus facetiarumq; præsens tempus est, sed luctus & certaminis. Hostis circuit dentibus frendens aduersus te, ac tu ludis, & urbanitatem exerces? Quòd si difficile sit superiorem te hoste fore etiamsi acriter certes, quanto magis si ludas? Quid autem est facetus? facilis, qui omnia fit, facilè permutans sermones: hoc autem est inconsistentis mentis, & alienæ ab ijs qui petræ seruiunt. *Christianũ non decentia.* 1. Petr. 5.

Hoc enim † scias, quòd omnis fornicator, aut immundus, aut auarus, qui est idolorum cultor, non habet hæreditatem in regno Christi & Dei. Nemo uos seducat inanibus uerbis.] Fuerunt nonnulli, ut uidetur, qui dicerent apud Ephesios, quòd Deus hæc leuia prohibuerit, ut perterrefaceret. Quid enim adeò absurdum est, dicere, Stulte, ut propterea quispiam gehennæ obnoxius fiat? & quomodo auarus est idololatra? Hos itaque notat hoc loco Paulus, quod & illatio indicat, Nemo uos seducat inanibus uerbis. Inania enim uerba sunt, quæ gratiam temporariam habent, ad opera uerò, inutilia demonstrantur: estq; impostura huiusmodi uerba facere. Quòd autem auarus sit idololatra, disce ex uerbis Christi, Non potestis Deo seruire & Mammonæ. Deficit itaq; à Deo auarus & inseruit auro: qui igitur non fuerit idolorum cultor? Porrò si dicat, Nõ erexi idola: quid tum postea? nõ enim qui inter gẽtiles urbanio res erant, se idola adorare fatebantur, sed Venerem fortasse, aut Martem: ista autem animorum sunt affectus. At non auarus occidit & mactat oues: si non oues, homines tamen mactat, & animas rationales. Gentiles, Dei creaturas adorabant: auarus autem, suum ipsius figmentum adorat. Neq; enim Deus auaritiam condidit, sed nostra insatiabilitas. Opinor autem Paulum à Dauide hoc dicere, alio tamẽ modo. Illo enim B alleuerante, Simulacra gentium, argentum & aurum: ipse pro sua magna sapientia inuertit, Argentum, inquiens, & aurum sunt idola. Proinde qui colit argentũ & aurum, est idolorum cultor. † ἔστε τοῦτο γινώσκοντες, *id est, sitis uel estis cognoscentes. Chrysosto. habet* ἴστε τοῦτο γινώσκοντες, *id est, scitis uel sciatis cognoscẽtes, ut sit congemination ad epitasin, ut legit ecclesia.* Psal. 113.

Propter hæc enim uenit ira Dei in filios inobedientiæ.] Vel propter fornicationem & impuritatem, uel propter idolorum culturam, uel propter huiusmodi deceptorum sermones. Inobedientiæ autem filios, ualde inobedientes, à Deo deficientes, ac tradentes huiusmodi dogmata.

Nolite ergo effici participes eorum. Eratis enim aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino.] At uos, inquit, ne communicetis eis. Deinde uetera ac priora eis ad memoriam scelera reuocat. Cogitate, inquiẽs, quid eratis, & quid facti sitis, quòd à tenebris lumen facti sitis. Primùm quidem doctrinæ nomine adeoq; uitæ, tenebræ re ipsa eratis: nunc uerò lumen estis, ut qui Deum agnouerit is, operaq; lucis faciatis. Hoc aũt contigit uobis non à uestra uirtute, sed in Domino, hoc est, per diuinam gratiam. Non debetis igitur filijs inobedientiæ & incredulitatis communicare, in quos uenit ira. Quondam enim eratis tales, digniq; ira, nunc autem non porrò. ne igitur rursus curratis ad tenebras.

Vt filij lucis ambulate.] Hoc est, decorè, & quemadmodum decet eum qui in lumine ambulat. Quin potius alijs etiam nos lumen esse iubet. luminis enim filius, omnino & ipse lumen est. *Mat. 5.*

Fructus enim † spiritus in omni bonitate & iustitia & ueritate.] Veluti interpretatur nobis quid sit, filius lucis, inquiens, Qui fructũ spiritus habet. Ipse enim spiritus fructum profert, non illa quæ prædiximus, uerùm contraria potius. Bonitatem, quæ amarulentiæ & iræ opponitur: ac ueritatem, quæ pugnat cum falsa impuritatis uoluptate. Omnem autem bonitatem dicit, quæ erga omnes est, nedum amicos, sed magis erga hostes. *Lucis filius.*

Probantes quid sit beneplacitum Domino.] Probare, perfectorum est, qui iudicare

† πνεῦμα ἐστὶ, *id est, spiritus. sic & Chrysostomus. alij habent* φῶς ἐστὶ, *id est, lucis, ut Robertus Stephanus ad marginem indicat.*

possunt. Imperfectæ itaq; ac reprobæ cogitationis ac mentis est, non eligere neq; uelle quæ Deo placeant, quales sunt suprà commemorati affectus. A

Et ne communicetis operibus infructuosis tenebrarum, magis autem & redarguite. Quæ enim in occulto fiunt ab ipsis, turpe est etiã dicere.] Infrugifera sunt tenebrarũ & peccati opera: nihil enim fructus ferunt, præter mortem & ignominiã. Non oportet igitur cõmunicare talibus operibus, sed arguere potius talia agentes, & erudire. Quomodo igitur alio in loco dicit, Ne iudicetis, pro eo quod est, ne cõdemnetis? Aliud est aũt arguere, & aliud condemnare. Arguere enim ad emendationem pertinet: condemnare uerò ad cõuicium & diffamationẽ. Præterea Nõ iudicate, de minimis peccatis dicit. Infert itaq;, Quid autem uides festucã in oculo fratris tui? Clàm autem notat nefarias ac secretas quaspiam res, quæ apud Ephesios peculiariter locum habebant.

Mat. 7.

Reprehensio & condemnatio differunt.

Omnia autem quæ arguuntur, à lumine manifestantur.] Lumen uos esse dixit. Porrò lumen arguit & prodit quæ in tenebris fiunt. Si igitur uos uirtutibus conspicui sitis, non poterunt latère scelesti. Vt enim lucerna lucente fur non ingreditur: sic lumine uirtutis uestrę fulgente, illi capientur, à uobis præsertim sermonibus erudientibus proditi & retecti.

Omne enim quod manifestatur, lumen est.] Quemadmodum uulnus si contegatur, nullam curam recipit, sic & peccatum. Cum autem manifestatum fuerit, efficitur lux, non peccatũ ipsum, cæterùm qui operatus est. Cum enim proditus & retectus, resi puerit, ac remissionem consecutus fuerit, nónne eius tenebræ mundatæ sunt? Vel, uita uestra, inquit, manifesta cum sit, lumen est: nemo enim occultat irreprehensibilem fidem & operationem. Quæ uerò occultantur, propterea quòd digna sunt tenebris, occultantur: quæ arguere oportet & manifestare.

Propterea dicit, Expergiscere qui dormis, & surge ex mortuis, & illucescet tibi Christus.] Dormientem & mortuum, peccatis hîc immersum dicit. æquè nanq; uirosi est odoris atq; mortuus, uacans perinde actione ut dormiens: somnia enim uidet, & imaginatur ea quæ non subsistunt. Cum igitur excitatus fuerit quispiam à peccato, tum illucescet ei Christus, hoc est, refulget sicut sol ijs qui è somno sunt excitati. Tantispere enim dum in peccatis est, odit lucem, nec uenit ad ipsam. Nõ de infidelibus autem hæc tantùm dicit, uerùm & de fidelibus. Inuenias aũt discrimen inter dormientem, & mortuum. Plerisq; enim qui malũ patrant, quod patratur tamen nõ laudant, dormientes dici possint, qui & celeriter excitãtur: ad quos pertinet quod dicit, Expergiscere. Nõnulli autem & faciunt malum, & patrocinantur ei, qui mortuorum instar haberi queant, ut qui difficilius ad bonum reuocari queant. Attamen & hos uerbum inclamat, ut surgant: non enim desperandum est de mutabili natura, neq; statim condemnanda. B

Dormiens et mortuus differunt.

Videte itaq; quomodo cautè ambuletis, non quasi insipientes, sed ueluti sapientes.] Amarulentiam adhuc iramq; expurgat. perinde quasi dicat eis, Oues estis in luporum medio, multi erga uos feroci sunt & agresti animo, qui etiam familiarissimi uidentur: uidete autem ne cuipiam detis occasionem inimicitiæ, nisi fidei causa. Nemo uos in alio quopiam accuset, cæterùm & honorem & omnem obedientiam præstate, si fides nõ labefactetur, ac columbarum uos more geratis. Sapientiæ enim est atq; prudentiæ, seruare seipsos irreprehensibiles, neminem ulciscentes.

Matt. 10.

Redimentes tempus.] Non uarios nos esse docet, uerùm quia tempus non est uestrum, sed aduenæ estis & peregrini, & exteri, ne quæratis honores & gloriam, neq; ultionem, sed omnia ferte, atq; in hoc tempus redimite: omnia etiam quæ uoluerint, permittite. Quemadmodum si quis opulentus uideat quosdam inuadere se ut ipsum tollant è medio, multa dabit, seq; ipsum redimet: hunc ad modũ & uos omnia date, ut caput & summam conseruetis, nimirum fidem.

Simile.

Quoniam dies mali sunt.] Non dierum essentiam atq; naturã reprehendit (essentia enim diei lux est ipsa uulgaris, & horæ. quæ igitur in hisce malitia est?) sed propter ea quę in diebus fiunt, easdem uidetur incusare: perinde ac solemus dicere, Malum diem transegi, propterea quæ in ipsa contigerunt, uidelicet quæ ab hominibus prauis facta sunt, non à Deo. Propterea igitur dies praui dicuntur, tanquam sceleratos homines in se dominantes habeant.

Dies mali.

Propterea non sitis imprudentes, sed intelligentes quæ sit uoluntas Dei.] Quia dies

A prauos homines habeant, uos ceu prudentes date operã, ne ullam eis occasionem detis. hæc enim est uoluntas Dei, ut uos in omnibus inculpatos seruetis, cum ipsius unà Dei conseruatione.

Et nolite inebriari uino.] Iram adhuc corrigit. nam & uini immoderata potio iracundos facit ac temerarios. Quòd autem immoderatum istum usum damnet, planum est ex eo quod non dixit, Ne bibite: sed, Ne inebriamini. Temulentia autem est ex immoderato usu, mediq; excessu. Quandoquidem modicè & iuxta proportionem corporum hausturn uinum, sanitatem efficit, perinde ac ipse etiam ait ad Timotheũ, & lætitiam, ut Dauid ait: testatur etiam ipsa rursus scriptura. Date uinum mœrentibus, ac ebrietatem siue profusionẽ dolentibus. Crassum enim quod fuerit ac obnubilum, dissoluit: propterea & corpora nostra Deus moderata & proportionabilia fecit, ut paucis sint contenta, & ad alteram uitam festinent. *1 Tim 5. Psal. 103. Prouer. 31.*

In quo est luxus.] hoc est immoderatus usus. Non enim seruat, sed perdit, non corpus solum. sed & animã: hęc enim est asotia, id est luxus siue luxuria. Vel ἀσωτίαν iuxta uulgi consuetudinem pro libidine accipit. ex temulentia enim libido nascitur.

Sed implemini spiritu loquentes uobismipsis in psalmis & hymnis & canticis spiritualibus, cantantes & psallentes in corde uestro Domino.] Vis, inquit, lætari? Fuge uini repletionem: impleriq; cupias spiritu sancto. Hoc autem obueniet tibi, si psallere didiceris. psallentes enim spiritu implentur sancto, perinde ut qui satanicas cantilenas concinunt, spiritu immundo imbuuntur. Psallendum autem est in corde, hoc est, cum attentione, corde non huc illuc uersante sese & oberrante. Qui enim animo obseruat quid psallat, ille corde psallit. Expende autem hic, quòd posiquam animam purgauerit à uitijs, alijsq; affectibus prauis, misericordesq; nos fecerit, & condonantes fratribus, tum nos spiritu sancto impleri denunciat. Non enim simpliciter ille ueniet, sed implebit corda nostra. Simulac ergo tantum in nobis lumen fuerit, facilis ac plana reliqua etiam uirtus erit.

B Gratias agentes semper pro omnibus, in nomine Domini nostri Iesu Christi, Deo & patri.] Semper, non solùm gaudij tempore, uerumetiam in mœroribus: nec pro bonis tantum, uerumetiam pro tristibus: & pro ijs rebus quas nouimus, & quas non nouimus: per omnes enim bene nobis fit, etiamsi ignoremus. Sunt autem gratiæ agendæ Deo patri in nomine Domini nostri: hoc est, ut simul nominemus Dominũ Iesum, & assumamus ipsum, ceu mediatorem cùm bonorum, tum ipsius gratiarum actionis.

Subiecti alter alteri in timore Dei.] En rursus charitatis mentionem facit. ex hac enim est subiectio mutua & obedientia, nõ propter mundanã quampiam aut humanã commoditatem, cæterùm in timore Dei. Qui enim Dei nomine obediunt inter sese, nunquam offendentur aut dissoluentur, tanto nexu copulati.

Vxores maritis proprijs subditæ sitis ueluti Domino.] Non simpliciter ac temerè multum seduloq; laborat Paulus pro coniugij firmitate, sed quia Deus etiã à principio huius eximiam curam gessit. Adamo enim sororem suam, imò potius filiam, & quid dico: carnem ipsius copulauit. Deinde multiplicato genere, latius matrimoniũ extendit, ut ne dilectionem ad solos cognatos contraheret. Porrò uita nostra per coniugia continetur. Ait ergo: Vxores subiectæ estote maritis uestris. Si enim in concordia matrimonium floruerit, pueri pulchrè educantur, & famuli ordinatè sese habent, adeoq; cuncta tam uiciniorum quàm amicorum sunt in felici statu. Seruite aũt eis tanquam Domino. Ecquî alibi scriptum est, Nisi quis reliquerit uxorem & uirum, non poterit me sequi? Nam si tanquã Domino seruiendum est, quomodo dicit deficiendum à uiro & muliere propter Dominum? Quoniam aduerbiũ Veluti non est ubiq; eiusdem ualoris. Vel subditæ sitis ait, scientes q; seruiatis Deo: hoc est, si non propter uirũ in primis, propter Dominũ tamen. Nam si exteriori adeoq; mundi potestati resistens, Domini potestati resistit, quanto magis quæ marito suo reluctatur? Itaq; è contrario, quæ marito obedit, Domino obedit. *Matrimonij curam Deus in primus habuit. Luc. 14.*

Quoniam uir caput est mulieris, sicut & Christus est caput ecclesiæ, & ipse est seruator corporis.] A ratiocinatione confirmat oportere subdi uxores, dilectionisq; argumentum & occasionem ponit ex hoc, quòd maritus rectoris & prospectoris locum obtineat, caput enim est & seruator: uxor uerò subiugatur atq; obediat, corpus enim est. Quemad-

Christus ecclesiæ caput.

est. Quemadmodum & Christus ecclesiæ caput, eius curam gerit, eamq; seruat, sic & maritus seruator sui est corporis, hoc est, uxoris. Quomodo igitur non debet subdi capiti corpus, cum curam eius gerat, illudq; seruet? A

Sed sicut ecclesia subijcitur Christo, sic & uxores suis maritis in quouis.] Hinc disces apertius quod dixit suprà, Obtemperate proprijs maritis tanquā Domino. Postquam enim uxores debent subdi maritis, ut ecclesia Christo, ecclesia autem & mulieres sint, tanquam Christo: igitur subdi debet marito coniunx. Quomodo autem omni tempore iubet subdi? nunquid & quando ad incredulitatem eam compulerit maritus? Atqui de infidelibus uiris sermo nunc non est Paulo, sed de fidelibus, ad quos scribebat uidelicet.

Vxor diligenda uiro.

Et uiri diligite uxores uestras, sicut & Christus dilexit ecclesiam, & seipsum tradidit pro ea.] Vides quomodo compulerit uxorem Paulus subdi tibi in mensura, qua & Christo ecclesia subditur? Audi iam rursus quomodo te cogat diligere eam, nec herili tantum in eam imperio ferri. Dilige enim ipsam quali mensura? qua & Christus ecclesiam. Gere curam ipsius, quemadmodum & Christus ecclesiæ: ac si quid te oporteat pati, uel mori pro ipsa, ne recuses: iam enim copulatus ipsi hæc facies. Ille uerò in odiose prosequentem adulteram, id; præstitit. & quemadmodum auersantem ipsum ad se adduxit, non minis neq; contumelijs: hunc ad modum si ipse auersantem te conspexeris coniugem tuam atq; delicijs indulgentem, multa dilectione & prouidentia attrahere ad te festina. Et si quicquam patiaris pro ipsa, ne obijcias, neq; conuicieris ei: neq; enim Christus ecclesiæ obiecit quicquam.

Vt illam sanctificaret, mundans eam lauacro aquæ in uerbo.] Igitur impura erat, & immunda & deformis, at propterea non est execratus eam: sic neq; tu tuā ipsius coniugem execreris, etsi maximè deformis fuerit, ac uilis. Quòd autem deformis fuerit ecclesia, audi: eratis enim quondā tenebræ. quid quæso tenebris est nigrius? Seruientes malitiæ & inuidiæ. quid immundius? Inobedientes, stolidi, imò & blasphemi. quid hisce est magis deforme? Interim tamen tanquā pro formosa, tanquam pro admiranda seipsum tradidit. Purgauit autem lauacro aquæ, hoc est, baptismate. In uerbo, quali? In nomine patris, & filij, & spiritus sancti. B

Vt exhiberet sibi ipse glorioſam ecclesiam.] Non simpliciter puram, sed glorioſam. Quemadmodum igitur Christus omnium author est bonorū ecclesiæ, sic & tu sis uxori tuæ: ac quemadmodum ille, quod ad animam attinet, pulchritudinem ei acquisiuit, eamq; exornauit, pari ratione tu in hoc incumbe, non in corporis ornatū. Si enim animæ formam atq; pulchritudinē inquiras à coniuge, statim eam ei efficies, componens ipsam, exhibensq; celebrem secundum spiritum cùm tibijpsi, tum Deo.

Maculæ. Rugæ.

Non habentē maculam aut rugam, aut quid huiusmodi, sed ut esset sancta & immaculata.] Per hæc animæ dicit affectus. Maculæ igit̄ sunt recētes affectus, quos & abluere facilè, qui & uituperium adferebant. Rugæ autem, quæ tempore inueterata sunt, & consenuere, quæ & impuros faciebant, non facilè eluibilia crimina. Sed per diuinum lauacrum omnia purgauit, & sanctos & immaculatos exhibuit.

Sic debent uiri diligere uxores suas ut corpora sua.] Non tanq̄ maius magisq; necessariū hoc exemplū iam ponit (iam antea enim planū est, Christi ad ecclesiā habitudinem maiorē esse hoc exempli demonstrationisq; sermone) uerū tanq̄ uicinius & magis peculiare hoc adducit. Ne enim aliquis obijciat, Deus erat ille, & pro nobis seseq; tradidit: aliunde nobis necessitatē ob oculos statuit. Debent enim diligere, id est, res ipsa nō est gratia, cæterùm debitum est & necessitas: nam corpus tuū est uxor. Christi itaq; exemplum nō ob solam dilectionē, uerùm ut cōponeret in bonis moribus, assumpsit, ut sancta sit, inquit, & immaculata. Quod uerò de carne profert, ob solā dilectionē est.

Qui diligit uxorem suam, seipsum diligit. Nemo enim unquā suam ipsius carnem odio habuit, sed nutrit & fouet eam, sicut & Christus ecclesiā.] Intensam & uehementem curam quisq; pro sese carni suæ adhibet, itaq; & tu uxori. Rursus autem Christo pro exemplo utitur, innuens q; & Christus nos ceu propriam carnem suam dilexit.

Quia membra sumus corporis eius.] Hoc est, plurimū nobis cū eo cognationis est.

* γέγονεν.

De carne ipsius, & ex ossibus eius.] A nostra enim materia *factus est, ut Heua ex Adam. Et quemadmodum illic est magna propinquitas, sic & nobiscū agitur & Christo. Su-

A sto. Sumus autem & aliter de carne eius, & ossibus eius. nam ut ille ex spiritu natus est Iohn. 3.
citra commixtionem maris, sic & nos in lauacro. Tum q; assumptis nos mysteriis diuinitus transformamur. Atq; ut summatim colligam, hoc ait: Summa cum ipso coniunctionem habemus, & maxima cū eo nobis familiaritas intercedit. Nam uisibiliter communicauit nobiscum carne & sanguine. Inuisibiliter aūt author nobis spiritualis reformationis extitit, sicut & Adam Heuæ creationis causa fuit. Gen. 2.

Propter hoc relinquet homo patrē suum & matrem, & adhærebit uxori suæ, erūtq; duo in carnem unam.] Ecce & aliud firmamentum. Parentibus suis quispiam relictis, illi agglutinabitur & complicabitur. Nec dixit cohabitabit, sed agglutinabitur, unionē quæ diuelli non possit significans. In carnem unam, intelligit simpliciter hoc modo magnus ille Iohannes: Erunt caro una. Indicat autem & aliud quiddam: nam erunt duo, ut perficiant carnem unam, prolem uidelicet. Vxori commorandū.

* Sacramentum hoc magnum est, dico autem ego, in Christo & ecclesia.] Hoc est, magnum quiddam & admirandum diuus Moses indicauit. Reuera enim mysterium est, ut eos qui ipsum genuerint, qui ob ipsum multas ærumnas passi fuerint, quiq; in ipsum innumera beneficia cōtulerint, deserat quispiam & agglutinetur ei quam nunquā antè cōpexerit, neq; quicq; boni antea sit orsa, uel in ipsum cōtulerit. Ingens enim reuera hoc mysterium est, interim tamen ad Christum, inquit, ego hoc refero, quippe quod prophetico spiritu de eo dictum sit. Etenim & ipse dimisit patrem, nō locali transitu, sed condescensu ad carnem, uenitq; ad puellam, ad sponsam, quæ ipsum nunquā agnouerat, factusq; est cū ipsa unus spiritus. Qui enī Domino agglutinatur, unus spiritus est. Qua igitur ratione matrimoniū culpatur, ubi Paulus ipsum ad mysterij Christum cōcernentis exemplū producit, ipsum etiam mysteriū uel sacramentū nominans? * μυστήριον, mysterium, sacramentum. 1. Cor. 6.

Veruntamen & uos singulę unusquisq; uxorem suam, sicut seipsum diligat.] Atqui inquit, etiamsi allegoricè hæc acceperim, propter uxorem tamen dicta sunt. Nec inuerit allegoria, mariti secundum literam habitudinem erga uxorem. Debet enim unusquisq; uxorem suam diligere, ac fouere, haud secus quàm seipsum. Nec mihi dicas, Hunc & hunc defectū habet uxor mea: nam & tu in carne tua defectus habes, ueluti manum mutilam, pedem claudum, oculum strabum: sed minimè abscindis hæc, sed maiore illa cura cignaris. B

Vxor autem ut metuat uirum.] Quia inordinationem & seditionem nonnunquā parit æqualitas honoris ac dignitatis, propterea tumorem inducit, ut unus sit principatus, uir ipse. Metum autem hîc intensam reuerentiam, & contractionem, adeoq; obedientiam intellige liberalem, & liberis hominibus haud indignam, non seruilem. Ex huiusmodi igitur metu dilectio emerget & comparabitur, ipsaq; contrà metū & reuerentiam conciliabit. Diliget enim coniunx uirum tanquam membrum, metuet autem seu honorabit tanquam caput. Quid uerò si nō metuat mulier? Tu tamen dilige, tuoq; officio fungere. Similiter & mulier, etiamsi enim nō diligatur, metuat tamen. Animad uerte quomodo multis uerbis demonstrauerit ac persecutus sit quomodò à marito sit diligenda coniunx. De metu autem perinde multa tradit, dilectionem enim primas obtinere operæprecium est. Etenim coniunx metu dilectionis metuere maritum debet, uti dictum est, non eo metu qui faciat tremere ac pauere, ex quo odium potius nascitur: sed ita, ut non responset, non insurgat, primatum non ambiat. Etsi enim una sit caro, & principatū habeat etiam ipsa, eamq; ob rationem æqualem dignitatem: uerùm secundus est dominatus mulier, maritus autem hac est superior. Vxor ut se gerat in domino.

CAPVT VI.

Filij, obedite parentibus uestris in Domino.] Quemadmodū qui corpus fingit, primùm quidem caput, deinde collum, postremò pedes format: sic & Paulus dixit de mariti principatu primo, deinde de uxoris dominatu altero, deinceps de tertio principatu, qui est liberorum, uerba facit. mulieris enim solus maritus dominatur, liberorum aūt & uxor. Obedite igitur, inquit, parentibus, sed in Domino: hoc est, quando secundum Dominum fuerint, quę uobis mandarint. Nam si pater ad impietatem te compellat, aut filiam prostituere uelit, aut turpem artem docere filium, non est secundum Dominum mandatum hoc: quare ne obediat.

Hoc enim iustum est. Honora patrem tuum & matrem tuam, quod est mandatum primum

Exod.20. primum in promissione.] A natura hoc iustum est, tum & lege cautum est. Quomodo autem primum esse mandatum dixit, cum nō sit? Illud enim potius primum est, Non occides, Non mœchaberis. At enim uide quid adiecerit, In promissione. Prima enim illa non habent promissiones & mercedem adiunctā. sunt enim à malis discessus quidam, non bonorum operationes. Porrò nemo dat mercedem ei qui sibi à malo abstinet. Hoc aūt mandatum postquā boni operationē habet, primùm etiam promissionē accepit. Admirandus autem hic ordo est. Cum enim à prauis operibus legislator homines abduxisset, perducturus eos ad bonorum operationem, primum erga parentes honorem cōstituit atq; sanciuit. quandoquidē enim illi primi nobis post Deum benefactores fuerunt, quippe quia uitæ authores, non immeritò primi sunt qui nostrorum fructuum emolumenta capiant.

Parentibus secundum Deum plus debemus.

Vt bene tibi sit, & sis longæuus super terram.] Expende hîc tecum, quàm nō longa dicat & multa, tanquam pueri non possint quemuis prolixum sermonem assequi. Alioquí marito & coniuge iuxta leges quas ipsis prius posuit, formatis, non est magni multiq; laboris pueros ipsis subijcere. Verùm neq; de regno hîc disserit, neq; de rebus sublimibus: uerùm quæ potissimum anima infantilis audire desiderat, hæc ponit: ad infantes enim ei sermo est. Quid autem iucundius pueris, quàm diu uiuere? quandoquidem & ludæis, tanquam infantibus, hæc lege sunt sancita, cum non possent perfectiora audire.

Et patres, nolite ad iracundiam prouocare filios uestros.] Non dixit, Diligite, hoc enim natura ab ipsis uel inuitis postulat: sed, Ne ad irā prouocetis. hoc est, non exhæredes eos faciatis, neq; abdicetis eos: neq; onerosos uos illis ac sæuos exhibeatis, ceu non sint liberi, sed mancipia, semperq; erga ipsos ægro sitis animo. B

Sed educate eos in disciplina & correptione Domini.] Ad principium adeoq; causam obedientiæ ascendit, monstratq; parentibus quánam ratione obedientes filios faciant. Si enim, inquit, uis obedire tuos filios, institue eos diuinis sermonibus: neq; dicas, religiosorū tantummodo esse legere scripturas: cuiuslibet enim Christiani est, maximè eorum qui in mundo uersantur, quanto maiore ipsi auxilio indigent, ceu in tempestate agentes. Proinde pro te est q; audiant liberi scripturam: discēt enim illinc, Honora patrem & matrem. Itáne gentilibus sermonibus educas filium tuum, ex quibus pessima quæq; docetur, diuinis autem sermonibus non item?

Christiani cuiuslibet interest scripturas legere.

Serui obedite dominis carnalibus.] Quia & seruorum uirtus ad domus constitutionem pertinet, eamq; perficit, ne hanc quidem partem negligit: sed ad hanc postremò uenit, quandoquidem & dignitate postrema sit. Non porrò autem hîsce tanquā paruulis & infantibus differit, sed tanquam adultis & consummatæ ætatis, perinde ac in procursu demonstrabimus. Dominos carnales siue secundum carnem, dominos temporarios uocat. Statim enim eos consolatur, temporariā adeoq; caducam istam seruitutem esse ostendens, ut quæ cum carne simul dissoluatur.

Cum timore ac tremore, in simplicitate cordis uestri, sicut Christo.] De muliere uerba faciens, simpliciter dixit ut maritum metuat: hîc uerò cum exaggeratione. Tremor nanq; est timoris intensio. Vxor enim marito par est, eiusdemq; cū eo honoris & libera est: serui autem non sunt eiusdem honoris. Quamuis enim fratres secundum Christum sunt, postquam tamen liberos alterum alteri obedire præcipit, adeoq; uxorem marito, magis seruos dominis parêre uult. Neq; enim hæc res obscuritas est, sed prima potius nobilitas, nouisse se moderatè gerere, atq; cedere proximo. Quia uerò non parum multi dominos suos metuunt, non ex beneuolentia tamen, sed quando latêre queant, insidias eis struunt, & fraudulenter cum eis agunt: ideo, In simplicitate cordis, apponit, fraudulentiam tollens.

Non ad oculum seruientes, quasi hominibus placentes.] Hoc est, non tantum præsentibus dominis, & uidentibus, sed absentibus quoq;, eodem modo seruite.

Sed ut serui Christi.] Qui itaq; hominibus placet, nō est seruus Christi, ut & in alio
Galat.1. loco dicit: Si hominibus placerem, Christi seruus non essem.

Facientes uoluntatem Dei ex animo cum bona uoluntate.] Quia potest aliquis in
Fides seruorum. simplicitate cordis & citra dolum seruire, nec tamen omnibus uiribus, sed certum tantummodo & definitum opus persequi & perficere: hanc ob rem apponit iam, Ex animo,

A mo, hoc est, totis uiribus & animi promptitudine, imò cum beneuolentia etiam, hoc est, ultrò & sponte, non uti. Hoc modo seruitutis ignobilitas tollitur, si uoluntarij bonum faciant serui, non expectantes necessitatem & flagra. Voluntatem autem Dei uel obedientiam uocat. uult enim bonam rerum constitutionem & ordinem Deus. Vel in illis obedite dominis uestris, in quibus Deus uos morem uult gerere. fortasse enim, ut & in liberis dictum est, ad turpia quędam compellant domini, uel ad impietatem, quæ non sunt diuinæ uoluntatis.

Seruientes Domino, & non hominibus.] Ipse enim recipit, ac in sese transfert quã dominis exhibent gratitudinem, quippe qui bonam in rebus & statibus ordinationẽ sanxerit lege. Et qui hisce non inseruit ut par est, diuinæ legi resistit.

Scientes quòd unusquisq; quodcũq; fecerit bonum, hoc recipiet à Domino, siue seruus, siue liber.] Quia uerisimile erat, multos dominos gentiles & infideles nihil boni impartituros eis qui fideliter inseruirent seruis, Etiamsi nihil, inquit, à Domino secundum carnem accipias, neque ullam compensationem feras, ab uniuersorum tamen Domino expecta. Hîc autem ostendit quòd uelut perfectioribus eis loquatur, & non ueluti pueris. Illis enim diu in terris uitam duraturam proponebat, hos autem ad futuram uitam remisit.

Et uos domini eadem facite illis.] Eadem: qualia: ut cum beneuolentia seruiatis, & non tanq; hominibus placentes, sed cum timore ac tremore, erga Deũ uidelicet. Etsi enim uerbis hoc nõ dixerit, attamẽ ista uult. Seruit et dominus seruo, curã eius anxiè gerens, omniaq; ei necessaria prębẽs, ac simpliciter eũ sustinẽs, eiq; cõdonãs, & quod ait Solomon, cum eo simul sese circumagens, ac laborans. Audi enim quæ sequũtur. Eccl. 2.

Remittentes minas.] Non dixit, remittentes flagrũ, sed etiam ipsas minas. Multo magis itaq; supplicium: hoc est, neq; in ipsis minis graues & oneroli conspiciamini.

Scientes q; & uestri ipsorum Dominus est in cœlis.] Animaduerte quomodo perterrefaciat. Qua mensura, inquit, metieris, remẽsurabitur tibi. Ne audias & tu, Serue Mat. 7. 14.
B nequam, omne debitum remisi tibi, nónne oportebat & te misereri conserui tui?

Et personarum acceptio non est apud eum.] Ne existimes, si immitis sis seruo tuo, Dominum istuc abs te non inquisiturum, ob personæ uilitatem & contemptibilitatem. Hæc enim exteriorum legum sunt, quæ nouisse solẽt discrimen inter ingenuitatem & seruitutem, hominum enim leges sunt. Hîc autem sic non fit. uerùm tu ipse etiam seruus es eiusdem domini, & in conseruum austerus es? Nam à principio Deus seruilem conditionem istam non creauit, sed auaritia, ut in captiuis: & iniuria, qua patres & maiores affecerunt, ut in Canaan contigit. Etiamsi autem à Deo non sit condita, subiectionem tamen Deus statuit & confirmat, ob felicem politian, ne uita humana sanguine madeat & repleatur. *Seruilis conditio à Deo non est instituta.*

Quod superest, fratres mei, confortamini in Domino, & in potentia roboris eius.] Cuiuslibet domus est exercitus. omnibus itaque potestatibus ordinatis, sic in bellum eas educit. Nam quum proprium ordinem aut stationem nemo transgrediatur, tunc res bellica bene habebit. Quia uerò pleraq; imperauerat quæ uisa sunt difficilia transactu, Ne metuite, inquit, sed in Domini potentia confidite. Non enim simpliciter ei robur est, sed potentia roboris: hoc est, inexplicabilem habet fortitudinem, quæ in omnes dominetur, & omneis uincat. *Addendum uidetur ex Chrys. & aliis, τὸ λοιπὸν, id est, quod superest.*

Induite † armaturã Dei, ut possitis uos stare aduersus insidias diaboli.] Quę sit armatura, paulo pòst docebit. Animaduerte quomodo nõ dixerit, pugnas aut bella, sed insidias. insidiæ enim sunt decipere, ac per fraudẽ capere. Non enim manifesta proponit hostis peccata, ut idololatriã apertè non cõmendat, sed alia quadam ratione confirmat, insidias struens, hoc est, persuasibilia & uerisimilja uerba faciens, uelamentisq; utens. Proinde cum ostendit aduersarium esse potentem, horrendum, & uarium, excitat eos ac uigilantes & attentos facit. † πανοπλίαν *id est, uniuersa arma, siue totã armaturam.*

Quoniam non est nobis colluctatio aduersus sanguinẽ & carnem.] Et hoc non ut perterrefaciat, uerùm ut attentiores reddat, dicit. hostis enim uires & potentiam denarrans, tutiores suos facit & magis cautos. Non aduersum uulgares, inquit, hostes nobis lucta est, neq; aduersum homines ijsdem nobiscũ affectibus imbutos, eiusdemque nobiscum potentiæ.

Sed aduersum principatus, aduersus potestates.] Perinde ac Deus principatus habet ac potestates, hunc ad modum arrogans tyrannus huiusmodi ordines fecit. A

Aduersus mundi rectores.] Non ꝙ in mundū seu creationem dominentur, eiúsue domini sint, sed scriptura mundū nouit ipsa praua opera & qui ea perpetrāt, quēadmodū & illud: Vos non estis ex mundo, hoc est, ex ijs qui praua operantur, ac tenār. In hos igitur imperium exercent dæmones, ut in redactos in seruitutem sui.

Mundus, praua opera.

Ioan. 15.

Tenebrarum seculi huius.] Tenebras, nequitiam dicit quæ in hoc seculo uidetur, & consistit, ulterius autem non pergit.

Aduersus spiritualia nequitiæ.] Hos ipsos dæmones, inquit. Cum aūt & angeli sint spūs, apposuit nequitiæ: siquidē illi cùm bonitatis tū luminis sunt spiritus. Quia uerò nos non bellū gerere affirmauit aduersus sanguinem & carnē, è contrario adijcit, sed aduersus leues, facillimè mobiles, qui difficillimè capiantur dæmones pugnamus.

In cœlestibus.] Per hoc rursus excitauit auditorem. De magnis, inquit, periculum est: non enim de terrestribus & corruptibilibus, sed cœlestibus res agitur. Præpositio enim (in) est pro super uel propter: ut sit sententia, propter cœlestia belligeramur, quare uigilare oportet.

Proptetea accipite armaturam Dei, ut possitis resistere in die malo.] Hoc est in præsenti tempore: hoc enim diem malum appellat, à malis nimirū quæ in ipso fiunt. Consolatur autem per hoc, quòd ostendat breue admodum esse belli tempus: quum enim diem dixit, breuitatem indicauit.

Dies malus.

Et omnibus confectis stare.] Omnibus nimirum affectibus & prauis cupiditatibus confectis, id est, debellatis, ablatis. Et postquam plericꝙ parta uictoria cecidérunt, stare addidit. Opus est enim post uictoriam etiam consistentia, ne uictus rursus ad op B pugnandum insurgat. si enim ad torporem lapsi fuerimus, reuiuiscet occisus hostis. Obserua autem: cum fieri possit ut uincamus arcꝙ consistamus, non debemus in posterum esse desides, prętexentes fortiores esse hostes, ꝙs quibus resistere queamus. Et enim confortati ac docti sumus talem artē, ut & aduersus dæmones luctari queamus, imò non solùm luctari, uerumetiam tanto terrori esse dęmonibus, propter eius qui in nobis habitat uirtutem, ut ne lucta quidem indigeamus, sed supra serpentes & scor-

Luc. 10. pios gradiamur, eosꝙ conculcemus. Hæc autem dicit Paulus, ꝙ multi essent opponentes sese illis, docens ꝙ dæmones nobiscum illorum interuentu dimicent. Itaque ne hominibus irascimini, sed dæmonibus austeritatem uestram exhibete.

State ergo circuncincti lumbos uestros in ueritate.] In rebus bellicis primum est nouisse bene stare, adeoꝙ stationem suam tueri. Propterea diuus Paulus stationis primùm meminit, & ad eam adhortatur, stationem exigens probè ordinatam militibusꝙ conuenientem. Qui enim reuera stat, erectus stat, non inclinans uel innitens cuipiam, tanquam is qui non stat neque rectus est, ut lasciuus & mollis amans pecuniarum, & qui in delicijs uersatur, non stat rectus, sed inflexus est. Porrò stationis mentione facta, cingit deinde militem spiritualiter omnino, ac circuncingit diffluentem & solutum in concupiscentijs, per cingulum ita eos cohibens. Lumbos autem hîc dicit animæ fortem omniáque ferentem uirtutem. Quod autem carina est in nauibus, hoc & in animali lumbus, ueluti nimirum fundamentum quoddam: unde & sæpenumero defessi, manibus super lumbis impositis, nos ipsos baiulamus. Hunc ad modum spiritualis lumbus habet, quem ut circuncingat in ueritate præcipit, quæ cùm in dogmatibus, tum uita renideat. Nemo enim hæreticorum cingitur in ueritate, sed infrà circa terram trahuntur ac repunt, nihil enim altum intelligere possunt, sed humanis cogitationibus & humi repentibus diuina explorant. Præterea in uitæ suæ moribus natantes, mundíque impostura adhibentes animum, non cinguntur in ueritate, sed infrà demissi mendacijs inhiant. At uerò nos hoc pacto non oportet agere, cæterùm omnia transigere in ueritate: atque si doctrina fuerit uel institutio, in ea uerum inquirere: ac si uita, pariter. Insuper omnis fuci dolique oportet nos expertes esse, neque alterum ab altero mendacijs circunscribi decet. Quòd si hanc ad rationem succincti fuerimus, ad cursum erimus faciles. Per cincturam denique istam nos uult excubias agere, perinde ac Dauid inquit: Sicut zona qua semper circuncingatur. Semper enim aduersum nos bellum geritur. Gregorius autem theologus per

Lumbi qui intelliguntur.

Cinctura quid sit.

Psal. 108.

lumbum

lumbum concupiscentiam intelligit (in lumbis enim renes sunt, qui in scriptura concupiscentiæ symbolum sunt) per ueritatem autem, contemplationem. Adserit ergo quòd Paulus omnem concupiscentiam nostram contemplatione & consideratione Dei circuncingere hortetur. qui enim Deum contemplatur, eóque oblectatur, huic ceu uera amabili, non permiserit Deus cupiditatem eius ad inferas res demitti, adeóque circum terrestria trahi.

Et induti loricam iustitiæ.] Iustitiam hîc, uniuersaliter uitam uirtutibus comptam dicit, perinde quasi dicat, muniti iustis operibus. Vt enim lorica siue thorax hominẽ conseruat ne saucietur, sic & iustitia conseruat eum, qui ea munitur.

Et calceati pedes in præparationem euangelij pacis.] Pulchra nobis calceamenta & ocreas subdit. Vel igitur hoc dicit, quòd oporteat nos præparatos esse ad euangelium prædicandum promulgandumq́. Speciosi enim pedes, inquit, euangelizantiũ pacem. Vel quia oporteat nos promptos esse tanquam ad exitum, ut adeò rectè & honestè secundum euangelium uiuamus: pedes enim sunt uitæ symbolum. Propterea quodammodo dicit, Exactè & circunspectè obambulate, cui & Dominus consentit. Præparatio autem & euangelium, sunt opera bona, uti dictum est: Præparationem cordis ipsorum audiuit auris tua. Præclarè autem dixit pacem. Quandoquidem enim belli pugnæq́ meminit, ostendit quòd aduersus dæmones pugnandũ sit, non aduersus homines. pacis enim est euangelium. Nam si contra dæmones pugnemus, pacẽ habemus apud Deum, aduersus quem non oportet nos denuò conflictari dissoluendo pacẽ. Porrò† euangeliũ est, uictoria iam parta est: ne igitur metuamus.

Esa. 52. Suprà. 5. Psal. 9.

† In omnibus assumentes scutum fidei.] In omnibus, nempe in ueritate, iustitia, et præparatione euangelij. hæc enim omnia hac indigent. Non autem hîc uerę religionis agnitionem dicit, sed indubitatam fidem, quæ de futuris credere perinde faciat, tanquam sint præsentia: quæ & miracula perficiat, quæ sit adeò ignita & calida, ut & montes transferat. Quemadmodum igitur scutum seu clypeus omni corpori obiectus est ceu ianua quædam custodiens & concludens ipsum: hanc ad rationem firma & indubitata fides animæ est custodia. Fides est scutum, nõ sophismata. Scutum fidei contegit, illa uerò impediunt.

† τὸ εὐαγγέλιόν ἐστι. euangeliũ siue bonum nunciũ est. † ἐν πᾶσι, id est in omnib. uel super omnia. Fides pro scuto.

In quo posítis omnia tela mali illius ignita extinguere.] Hoc est, absurdas cupiditates, infidelitatis cogitationes, quales sunt, num resurrectio est: num iudicium: ac tentationes. Ignita uerò appellat, non solùm quòd cupiditates igneścant & conflagrent, ad turpia opera incendentes, uerũetiam q́ in conscientia inde iam ardeamus. Insuper per infidelitatis ratiocinationes adeoq́ cogitationes urit nos diabolus, pérque tentationes. Fides igitur hæc extinguit: si enim dæmones sibi subijcit, quanto potius adfectus? Si enim concupiscentia te inflammat, futuris bonis credens, obuenturæq́ lætitiæ, eam extingues. siue tentationes te inuadant, fidem adhibens futuris bonis, consolationem recipies. Reputa tecum quomodo ureretur Abraham quando gnatum offerret, sed fides flammam istam extinguebat.

Gen. 22. Abrahæ fides.

Et galeam salutis assumite.] Hoc est quæ nos seruet & custodiat. Si cui fidem habeamus, protinus seruanteis etiam cogitationes accipiemus, quæ caput nostrum seu præcipuam & principem nostri partem conseruent.

Et gladium spiritus, quod est uerbum Dei.] Per ea quæ suprà dicta sunt, armauit nos Paulus ne lædamur ab hostibus: nũc uerò arma subministrat, quibus ipsi potius nos hostem lædere possimus. Siue igitur spiritum ipsum dicit gladium spiritus periphrasticè, uel spiritualem uitam, per quam caput draconis abscinditur: spiritualis hic ensis uerbum Dei est, hoc est mandatum. Si enim mandata eius fecerimus, occidemus serpentem istũm tortuosum, ut Esaias inquit. Vel uerbũ Dei est: ut, In nomine Iesu Christi surge & ambula, huiusq́ similia. Vel simpliciter gladiũ spiritus, spiritualem sapientiam uocat. Viuus est enim sermo Dei & efficax, & penetrabilior quouis gladio. Qui huius spiritualis ensis donum habet, & quæ Dei sunt loquitur, liber est & nulli rei obnoxius, qualis ipse hic Paulus.

Esa. 27. Act. 3. Heb. 4. 1. Cor. 2.

Per omnem orationem & deprecationem orantes omni tempore in spiritu.] Post quam armis eos militaribus induit, ad imperatorem eos deinceps ducit, ut precentur eum quò manũ porrigat. Cum enim dixisset, Poteritis extinguere: ne insistentur, in-

quit, Opus est nobis Dei auxilio. Et omnia perficite cum prædictis etiã orantes non simpliciter, sed per omnem orationem & deprecationem, cum fletu, & pectoris contusione, cum inflexione genuum, idq; genus similibus: nec statis tantummodo horis, uerùm & omni tempore, idq; in spiritu, hoc est, spiritualia petentes, & nihil mundani. Dicens porrò orantes per omnem orationem, indicauit posse quempiam orationem facere, nec tamen orare, ut si battologus fuerit. A

Et in hoc ipsum uigilantes.] Vel nocturnas hîc uigilias dicit, uel animæ excubias. Atqui utrunq; hîc accipere licet. uigilantẽ enim esse oportet armatum, quem apud regem adeoq; imperatorem stare oporteat.

Matt. 15. Luc. 18. In omni perseuerantia & obsecratione.] Quemadmodum Chananæa & uidua, & Anna. Ea enim uerè est precatio, quæ fit cum perseuerantia.

Pro omnibus sanctis, & pro me.] Non pro nobisipsis tantum nobis est orandum. Obserua hîc moderatam Pauli mentem. etenim se ultimo loco ponit, discipulorúmque oratione opus habet, idq; quum catena uinctus pro Christo teneretur.

Act. 12. Quandoquidem & Petrus catena uinctus erat, uerùm pro ipso uehemens & intenta oratio ab ecclesia fiebat.

Matt. 10. Vt mihi detur sermo in apertione oris mei.] Non igitur meditabatur quæ diceret, uerùm sicuti Christus ait, Ne solliciti sitis quid loquamini, dabitur enim uobis in illa hora quid loquemini: hunc ad modum Paulus aperiens os, quæ à Deo suppeditabantur proferebat, sicq; omnia diuina gratia perficiebat. Hîc autem intelliges gladium spiritus, quod est uerbum Dei.

Vt cum fidicia notum faciam mysteriũ euangelij pro quo legatione fungor, in catena, ut in ipso audeam sicut oportet me loqui.] Hoc est, ut rationem fidei meæ reddam, mecq; defendam, perinde ac conuenit, cum fiducia, adeoq; loquendi libertate, & fortitudine, multaq; prudentia. Ad quos autem legatione fungeris: ad homines, ut ipsos reconciliem Deo. At isti interim me in uincula coniecerunt, cum tamen ius sit et legitimum, q; legati nihil patiantur mali. Catena igitur mihi circumposita est, ut meam mihi fiduciam & libertatẽ cohibeat. Vestra autem oratio aperiet mihi meum os, ut liberrimè loquar atq; proloquar quæcunq; mihi is qui me legatum emandauit, mihi commisit. Viden' gladium, libertatem & alacritatem enunciandi uerbi Dei, quod accepturus erat Paulus in apertione oris? B

Legati nihil mali patiantur.

Vt autem sciatis & uos quomodo res meæ habeant, quídue agam, omnia uobis patefaciet Tychicus dilectus frater, & fidelis minister in Domino.] Quę ad institutionem & consolationem pertinere uidebãtur, ipse per epistolam indicauit. Quia uerò & uinculorum meminit, nõ immoratur in sermonibus circa eam rem, sed permittit aliquid & Tychico differendũ à seipso: ne ipsa uiri præsentia sit inutilis. Si igitur dilectus est, omnia nouit: si fidelis, nõ mentiet. Minister aũt in Domino, hoc est, propter Deum ministrans, adeoq; in diuinis rebus, non propter aliquam rem mundanã, uel ob quampiam rem terrestrem. uel frater in Domino, quod est spiritualis frater.

Quem misi ad uos in hoc ipsum, ut cognoscatis quæ circa nos sunt & consoletur corda uestra.] Diuus Ioannes sic legit: Vt cognoscatis quæ circa nos sunt, hoc est ut uobis de me annunciet, nec sinat uos mei causa occumbere, nimiúmue contristari, quippe qui iam grauia admodum patiar, catenamq; feram. Hoc autem dilectionem indicat cùm eius erga ipsos, tum illorum erga ipsum.

Pax fratribus, & charitas cum fide à Deo patre, & Domino Iesu Christo.] Pacem eis exoptat, atq; cum fide dilectionẽ. Id aũt tale est, uel ut ne alterius opinionis homines diligant, sed ut solos fideles: uel quia oportet & fidem habere eos, ut de futuris cõfidant. Sine fide nanq; nihil prodest charitas, imò ne dilectio quidem fuerit sine fide. Animaduerte autem quomodo pacem dixerit. Docens autem quomodo hæc ipsa fiat, intulit, Per charitatem. At unde charitas: si fidem habeamus.

Gratia cum omnibus qui diligunt Dominum nostrum Iesum Christũ in incorruptione. Amen.] Pacem hîc à gratia diduxit, utranq; seorsim ponens, etiamsi ubiq; aliàs connectat. Illud uerò In incorruptione siue puritate, dicit, uel diligentium Christum, non in diuitijs aut gloria, sed in incorruptibilibus, hoc est, propter incorruptibilia: uel quia diligens Christum, propter uirtutem ipsum diligit. Peccatum enim est corruptio,

corruptio, uirtus autem incorruptibilitas. Sicut enim uirginem corrumpi dicimus,
A hac ratione animam corrumpi affirmamus. Propterea & Paulus, Nequo modo, in- 2. Cor. 11.
quit, corrũpantur sensus uestri: &, Corrupti mente. Contingat igitur & nos dilectio- 2. Tim. 3.
nem erga Christum ostendere, cùm per uitę ornatum & puritatem, tum per hoc ꝙ
incorruptibilia illa bona inquiramus, ac simpliciter per omnem uirtute conspicuam
uitam, quæ incorruptam seruat animam, non corruptam studijs & iniquitatibus, in
ipso Christo incorruptibili sponso uirginum & incorruptarũ animarum, cui gloria
in secula. Amen.

Scripta est à Roma ad Ephesios per Tychicum.

AD PHILIPPENSES EPISTOLAE PAVLI per Theophylactum Bulgariæ archiepiscopum Enarratio.

ARGVMENTVM.

Philippenses sunt à Macedoniæ urbe Philippis, cui id nomẽ clarũ à conditore Philippo inditum, appellati, metropoli Thessalonicæ tum tributarij. Haud parũ autem boni diuus Paulus de ea prædicat ac testatur. Porrò cum in uinculis ageret, hanc epistolam scripsit. post primam enim defensionem suam, cuius meminit in epistola ad Timotheum, rursus est uinctus. Miserunt autem Philippenses et per Epaphroditum quibus opus habebat, cognoscere pariter cupientes quæ cum eo agerentur. Postquã autem uerisimile erat eos turbari cum audirent magistrũ suũ esse uinctũ, scribit hoc eis Paulus, docens quòd uinculis suis non debeant turbari, quin potius exhilarari quòd pro Christo ea patiatur. Consilium autem eis dat, ut sint unanimes ac modesti, & humili affectu præditi. Carpit insuper Iudæos, qui Christianismi prætextu Christianam doctrinam ac religionem uastabant, canes eos prauosq; operatores appellans. Multa de moribus ipsis disserit. Facit etiam prudenter mentionem missorum sibi necessario rum. Videtur autem honorificè cum illis miscere colloquia, multum nanq; uirtutis atq; conatus & operæ in fidem contulerunt. Hic erat purpuræ uenditrix, hic synagogæ princeps credidit, hic præterea Paulus flagris cæsus cum Sila in carcerem conjectus fuit: hic & carceris custos uno signo permotus, accessit Christo cum uniuersa domo: hic
B *duces militum timuerunt Paulum, rogaruntq; ut exiret: ac omnino prædicatio eius præclarum ac splendidum in hac urbe exordium habuit. Atq; hæc ex apostolorum actis discimus. Attribuit autem ipsis Paulus non modò fidem rectam, adeoq; pericula quæ propter euangelium sustineant, eis testificatur adesse, uerumetiam uoluntatem, quæ libenter impertiat egentibus, quorum omnium causa uehementer eos cùm amare tum honorare uidetur.* Canes Iudæos Paulus uocat. Act. 16.

CAPVT I.

PAulus & Timotheus, serui Iesu Christi.] Hîc non ponit dignitatem authoritatemue suam apostolus, uerùm se seruũ Iesu Christi scribit. Magnũ quidem etiã hoc est, sed cõmunius. Timotheo aũt scribẽs et 1. Tim. 1.
Corinthijs, apostolũ sese uocat. Quã ob causam? Quia illic multa or 2. Tim. 1.
dinaturus erat, ꝓpterea Apostoli autoritatẽ adsumpsit. Hîc aũt ni- 1. Cor. 1
hil tale iniungit, sed uelut pares æquali honore eos prosequitur. 2. Cor. 1.

Omnibus sanctis in Christo Iesu qui sunt Philippis.] Quia Iudæi seipsos sanctos Exod. 19
etiã appellabant, quippe quia populus sanctus erant, eam ob rem adiecit, in Christo Deut. 7.
Iesu. Qui enim in Christo Iesu sunt, ij uerè sunt sancti, illi autem prophani.

Coepiscopis & diaconis.] Coepiscopos, presbyteros appellauit, non enim in una urbe multi episcopi fuerũt. Nondũ enim erant distincta nomina, uerùm etiã episcopi, diaconi & presbyteri uocabantur. Timotheo enim episcopo scribens, Diaconiã, 2. Tim. 4.
inquit, hoc est ministerium tuum, imple. & rursus, Quod datum est tibi cum imposi- 1. Tim. 4.
tione manũ presbyterij, hoc est, episcoporũ. non enim presbyteri episcopum † cõsti † ἐπιχειροτό-
tuebant, rursus presbyteri, episcopi etiã dicebãtur, ut qui & ipsi populũ inspectarent, νουν
eiusq; gererent curã, ut purgarent illustrarentq; eos quos esset necesse. Cuius autem
reigratia nunc clero scribit, quod nusquam alio in loco fecit? Quia ipsi Epaphroditũ Infrà 4.
ablegauerant, qui quæ apostolo essent usui, adferret.

Gratia uobis & pax à Deo patre nostro, & Domino Iesu Christo.] Consuetã salutationẽ apponit, imprecãs eis ut gratia Dei donent, ne alter in alterum elati excidãt à pace & concordia. Charismata enim, non attendentibus fastũ & elationẽ aduehunt.

Gratias ago Deo meo in omni memoria uestri semper, in omni oratione mea pro omnibus uobis.] Quoties, inquit, uestri recordor (semper autem hoc facio) glorifico Deum, ꝙ adeò in uirtute creueritis: neq; tamen quum sic probati sitis in diuinis rebus, desino precari: sed pro omnibus rogo, ut porrò feliciter pergatis.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Cum gaudio precationem meam faciens.] Potest enim & cum mœrore mentio A
2. Cor. 2 cuiuspiã fieri, ut quum alibi dicat, Ex multa afflictione et anxietate cordis mei scripsi uobis, proinde cum gaudio meminisse, signum est illorum uirtutis.

Super communicatione uestra ad euangelium, à prima die usq; nunc.) Magnæ ac uerè apostolicæ rei testimonium illis dicit, nimirum q; socij, inquit, mei estis, ac participes laborum qui ob euangelium sumũtur: non unius laboris tantum aut afflictionis, uel alterius, cæterùm à tempore quo credidistis, in hũc usq; diem. Quomodo aũt mihi communicatis? mittentes mihi quæ mihi sint necessaria, meisq; gerentes curam. Qui enim boni quicquam attentanti auxiliatur, omnibúsque modis succurrit, particeps ei fit operis. Sic et qui martyribus prouident, uel in eremo diuersantib us, omnem adimũt seculi curam, ac doctoribus qui in causa sunt ut nõ alijs negocijs prætergquàm suis occupentur distrahanturq;, coronarum participes redduntur.

Confidens hoc ipsum, q; qui cœpit in uobis bonũ opus, perficiet.] Gratias ago inquit, & lætor, confidens q; Deus qui orsus est in uobis bona opera facere, ipse etiã cõplebit. à præteritis enim de futuris cõiecturã facio. Obserua hic qui eos moderata sapere doceat, Deo cũcta accepta referens, nõ ipsis solis: neq; sic tamẽ eos sua laude priuauit. Dixit eñ, qui orsus est in uobis, hoc est, per uestrã uolũtatẽ. Si eñ hominis uoDeus in-uitis nõ operatur. luntas nõ adsit, neq; Deus operabit. Nam si simpliciter Deus operaret, nihil prohiberet quo minus in gentibus adeoq; cũctis planè mortalibus operaretur. Haud parũ aũt laudis hinc illis nascitur, ut qui Dei gratiã attraxerint ut ipsis cooperaret. & quia talia tãtaq; sunt opera, ut ne ab humanis quidem uiribus transigi queant, sed à Deo. Simul autem animat eos, ne desidia grauentur, atq; in torporem deuoluãtur: nam si Deus perfecturus est, non perinde multum laboris uel negocij erit.

Vsq; in diem Iesu Christi.] Hoc est, usq; ad aduentũ Domini. Sic, inquit, confido, q; non in solis uobis Dominus operabitur, sed & in ijs qui per nos crediturí sunt ad mundi usq; consummationem. Vel suum cuiusq; obitum, diem Iesu Christi intelli- B
ge, hoc est consummationem & finem.

Sicut est mihi iustum hoc sentire de omnibus uobis, eo q; habeam uos in corde & in uinculis meis & in defensione & confirmatione euangelij.] Cõfido, inquit, uos ad finem usq; tales fore, atq; hoc de uobis sentio, quandoquidẽ gerã uos in corde meo, atq; sciam præclara opera uestra, & q; absentes etiã detis operã consortes fieri gratiæ euangelij uinculorumq;. Proinde iustũ est me talia de uobis coniecturare, atq; exprimordijs finem colligere. Quantũ autẽ est encomij in corde Pauli eos esse, Pauli inq;,
Paulus ante Neronem adductus. nõ simpliciter ita, sed cum iudicio & dignos diligentis? Sed neq; cum sisteret, inquit, Neroni, corã eo rationẽ reddẽs causæ meæ, meq; defendens, mea excidistis memoria. Confirmationem autem euangelij, uincula et afflictiones intelligit. Porrò & hęc defensionẽ dicere poteris. Perspicuũ eñ est, nisi fuisset persuasus ineffabiles esse remunerationes, & nullis uerbis enarrabilia bona quę expectaret, nõ fuisset uinctus, neq; in efferati Neronis offensionem incurrisset, nisi alium imperatorem constantissimè animo suo prospexisset. Itaq; afflictiones sunt confirmatio euangelij.

Dum consocij gratiæ meæ uos omnes sitis.] Ponit hic ob oculos, se citra iudicium haud eos diligere: propterea, inquit, habeo uos in corde, q; estis mihi consocij gratiæ huius, id est, afflictionũ & uinculorum: nauatis q; operam, ne à nobis in afflictionibus deficiatis, uerùm ut tentationum, quas pro euangelio sustinemus, potius participes efficiamini. Quòd enim uincula sint gratia, planum est ex eo quod Dominus ait
1. Cor. 12 Infrà cap. 1. Sufficit tibi gratia mea, potentia enim mea in infirmitate perficitur. Vel quod potius est, ut & in progressu dicit, quòd uobis donatum est ut pro Christo patiamini. Animaduerte autem hic, quomodo nõ dixerit socij, sed consocij siue comparticipes, indicans se alijs etiam cõmunicare. perinde ac in alio loco ait, Vt consors euangelij fiã, hoc est, ut particeps fiam bonorum Euangelij prædicatoribus repositorum.

Testẽ Deũ cur aduocet Paulus. Testis enim mihi est Deus, quomodo cupiam omnes uos in uisceribus Iesu Christi.] Non q; ei nõ adhiberetur fides, Deum testum adducit. Sed quia magnum animi sui affectum uerbis experimere non posset, Deo hoc relinquit, corda exploranti. Estq; euidens argumentũ, eum esse ueracẽ: non enim si eis adularetur, Deum uocasset testem. In uisceribus autem dixit Iesu Christi, hoc est, non ob humanam quampiam

A plam commoditatem, nec quia transmisistis mihi quibus haberem opus, sed ob diuinam dilectionem. Vel quia pater uester factus per fidem in Christum, uiscera habeo erga uos non naturalia, sed qualia Christus genuinis suis seruis impertit, generantibus ipsi euangelij filios. Omnes autem desidero & uehementer amo, quandoquidem & omnes tales estis.

Et hoc oro, ut charitas uestra magis ac magis abundet.] Atqui hac ratione, nempe impẽsè amatus, adhuc uehementius uult amari, charitatis enim modus est, nunq̃ pedem figere. Vide quí cũ intẽsione usus sit dictionibus dicens adhuc, magis magisq; exuberet. Hæc autem ait non ut ipsum solum diligant, uerumetiam alios.

In agnitione & omni sensu.] Hoc est, ut non simpliciter quosuis diligatis, sed cum probatione, & cognitione, & iudicio. plericq; enim citra rationem diligunt, hinc neq; stabiles sunt talium amicitiæ. Vel ut ne hæreticos diligatis.

Vt probetis potiora.] Hoc est, quæ utilia sint. Si enim cum exploratione ac iudicio diligatis, potestis quod confert examinare, & agnoscere quinam diligẽdi sint, fideles nimirũ: & qui non, infideles uidelicet. Quomodo igitur alio in loco ait, Cum omnibus hominibus pacem habete? Primùm quidẽ nõ simpliciter dixit, sed cum distinctione: Si fieri possit, cum omnibus pacẽ habete. Deinde aliud est habere pacẽ, aliud diligere. illud enim à pugna & contentione alienos nos esse iubet: diligere uerò animi affectionem postulat, ac ueluti cõtemperationẽ, morumq; similitudinem, quæ hæreticis non est exhibenda. Si enim oculus tuus offendit te, excinde ipsum. *Rom. 12.* *Matt. 5*

Vt sitis synceri, & sine offensa in diem Christi.] Non in meũ hoc cõmodum dico, sed ne uos nothum & adulterinũ aliquod dogma charitatis prætextu recipiatis. Sitis aũt synceri, quoad Deum: sine offendiculo, quo ad homines. Etiamsi enim te non lædat quę tibi cum hæretico amicitia intercedit, alius tamen offenditur. Quomodo igitur in die Christi inuenieris syncerus, fratribus tuis offendiculum ponens? *Hæreticia micitia fugienda.*

B Repleti fructibus iustitiæ, quí sunt per Iesum Christũ, ad gloriã & laudẽ Dei.] Hoc est, ut cum doctrinę rectitudine, uitam etiam minimè condemnandã ducatis: per iustitiã enim omnẽ, uirtutẽ ingelligit, uel eleemosynã speciatim. Nõ aũt ut imperfectè uirtutem aut eleemosynã operemini, sed ut sitis repleti. Quandoquidẽ autem & infideles uidebantur sibi, & uirtutem et eleemosynam uendicare, adiecit, Quí sunt per Iesum Christum. illorum enim opera non sunt secundũ Christũ, sed ob uanam gloriam, & ut hominibus placeant. In gloriã autem Dei hoc cedet, non in meam doctrinis hæc: quare non est quòd obsistatis gloriæ Dei. Simul autem animat eos, perinde quasi Deus sit suppetias illis laturus in opere quod ad gloriam eius sint peracturi.

Scire autem uos uolo fratres, quòd quæ mihi acciderunt, magis ad profectum uenerunt Euangelij.] Verisimile erat eos, ubi cognouissent eum uinctum esse, turbari, quasi Euangelij prædicatio, adeoq; cursus impediretur. Hanc itaq; tollens suspicionem, ait: Non solùm non impediuerunt Euangelium uincula mea, sed & in promotionem & felicem potius cursum cesserunt.

Ita ut uincula mea manifesta fierent in Christo, in toto prætorio, & cæteris omnibus.] Hoc est, ut uinctus cum sim, maiori fiducia & alacritate loquar uerbum, neq; quicquam conticescam, adeò ut & prædicatio uerbi ad ipsum usq; prætorium perueneri, hoc est, ad ipsam regiam, atq; adeò uniuersam urbem. Hoc autem in Christo factum est, id est, nõ meum est opus, sed Christi: uel uincula mea in Christo, id est, quæ propter Christum perpetior.

Et ut plures è fratribus in Domino confidentes uinculis meis, abundantius auderent sine timore sermonem loqui.] Et antea quidem liberè docebant uerbum, nunc uerò id agunt maiore fiducia & alacritate, postquam me animaduertunt esse confidentem & alacrem, idq; cum uinctus sim: & illi ad æmulationẽ cõfortati sunt, postquam me uiderũt uinctum. Quia uerò magnum uidebatur dicere, Ego ipsos animaui, confidentesq; reddidi, In Domino, dixit. Si igitur quí proximè sunt mea uincula, non turbantur, sed maiorem potius animum atq; fiduciam recipiunt, quanto potius uos conuenit esse confidentes?

Quidã quidem & propter inuidiã & contentionẽ, quidã aũt propter bonã uoluntatem Christũ prædicãt.] Cum cõprehensus esset Paulus, haud pauci etiam infidelitũ

Nero. annunciabãt etiam Christũ, uolentes ad maiorem iram accendere Neronem, ut eo celerius Paulũ è medio tolleret, ueluti prædicatione ubiq; per eum dispersa, et undiq; disseminata. hoc enim est quod ait, Per inuidiam & contentionem. Vel tanquã & ipsi honorari uoluerint, atq; aliquid meæ gloriæ auellere. Alij autem per bonam uolũtatem, inquit, hoc est, sine simulatione, ex animo, rectaq; sententia.

Alij quidem ex contentione Christum annunciant non syncerè.] Hoc est, non purè, neq; propter ipsum bonum.

*Codex Basiliensis habebat carni meæ: sed nisi fallor, errore scribæ cũ Chrys. et alij Græci habeant, uinculis meis.

Existimãt pressuram adferre † uinculis meis.] Existimantes me hoc pacto, inquit, ad maius prælium inijcere, & afflictionem afflictioni adducere: uerùm conatus illorum ipsis hac ratione non procedit. Nam inde prædicatio uerbiq; ministerium redditur præclarius, meumq; gaudium propterea maius est. Viden' q; bonum opus facere liceat absq; etiam bona uoluntate? atq; non solùm mercedem non recipere, cæterùm pœna etiam affici?

Alij autem ex charitate, scientes q; ad euãgelij defensionem positus sim.] Hoc est, nonnulli ex charitate cùm erga Dominũ, tum ergà me, euãgelium prædicant, compertum habentes q; uerba sim facturus pro prædicatione, ac rationem prædicati uerbi redditurus, ac propterea mihi auxiliãtur in hoc opere. Si enim multi fuerint accedentes prædicationi meæ, facilis mihi defensio erit. In hoc igitur ipsi cooperantur, haud paucos instituentes.

Quid enim? Omni modo, siue per occasionẽ siue per ueritatẽ, Christus annũciat.] Quid eñ, inquit, opus est multa dicere? Quid mihi curæ est, sic ne uel aliter, siue per occasionẽ, hoc est cõtentione ac simulatione, siue per ueritatẽ, hoc est rectitudine & syncerítate mentis, Christus prædicatur? Hinc nõnulli stolidi putarunt q; Paulus aditũ dederit hæresibus. Modò Christũ, inquiũt, prædicet quis, nihil refert. At primùm contemplare: non dixit annũciet, ut legem sancire uideatur, sed annũciatur, id quod fit enarrans recitansq;. Deinde etiãsi ceu legem sanciens ac præcipiens dixisset, neq; sic tamen aditum hæresibus dedisset. quomodo? Nam illi de quibus dicit, non praua dogmata introduxerunt, sed uera quidem prædicabant, non rectè tamen, neq; uero scopo: hæretici autem de industria & præcipua intensione recta nõ prædicant, cæterùm peruersa & adulterina, præter hoc quòd peruersus etiam illis scopus sit.

Hæreticorũ doctrina peruersa.

Et in hoc gaudeo, sed & gaudebo.] Illi, inquit, ut me tristitia afficiant, hæc faciunt, ego autem lætor: quòd Christus hac ratione latius prædicetur. Et si porrò hoc faciãt, eo abundantius ego lætabor. Vides artes diaboli, quomodo illum ipsum infringãt.

Scio enim q; hoc mihi proueniet ad salutem.] Hoc: quale? q; uerbi prædicatio crescat, per odium, quo erga me afficiuntur, & inuidiam.

Per uestram orationem & subministrationem spiritus Iesu Christi.] Modestiam & insignem animi moderationem hîc expende in diuo Paulo. Cum enim ex innumeris eius operibus atq; uirtutibus debeatur ei salus, adijcit tamen, Si uestris orationibus adiutus ac donatus fuero, subministratusq; fuerit mihi per eas amplior spiritus, hinc mihi salus erit. Suppeditationem enim siue subministrationem maiorem gratiæ spiritus augmentationem dicit.

Secundum expectationem & spem meam.] ἀποκαραδοκίαν, expectationem firmã & immobilem spem uocat, ab eo quòd caput totum uideatur inclinare ad id quod firmiter speratur. Ait ergo, Spero me firmiter conseruatũ iri. Salutem autem etiam libe rationem à Neronis crudelitate intelliges. Vt enim primum periculum euasi, sic & imminens effugiam. Docet hîc ne totum negociũ nostrum aliorũ orationibus committamus, cæterùm nosipsos oportere etiam aliquid afferre, perinde ac ipse spem omniũ bonorum causam affert. Quinetiam Propheta ait: Fiat misericordia tua, quemadmodum sperauimus. & alio in loco: Quis sperauit in Dominum, & pudefactus est? & ipse adeò Paulus, Spes non confundit.

Psal. 32. Eccl. 2. Rom. 5.

Quòd in nullo confundar.] Hoc est, neq; in uita, prædico enim euangelium: neq; in morte, non enim superabunt hostes. Etsi enim occiderint, maior mihi potius inde gloria crescet, quę nullo me pudore neq; ignominia afficiet. Attamẽ neq; quidẽ erit.

Sed in omni fiducia magnificabitur in corpore meo Christus, siue per uitam, siue per mortem.] Isti, inquit, dolo suo putarunt sese me in pericula & mortem coniectu-

ros:

A tos, non succedet autem eis conatus, sed in fiducia, hoc est palàm & irrefragabiliter magnificabitur Christus in corpore meo, hoc est, tantisper dum uiuo, corpus hoc circunferens: nō enim moriar. Ne aūt quisquā dicat, Quid igitur? si tu moriare, nō magnifiet? infert, imò & per mortem meam magnifiet: nam & norte me fortiorē fecit, ueruntamē interim per uitam meam glorificatur, quoniā omnia mihi donauit, è periculis eruens. De morte autem loquitur, nō ueluti statim moriturus, uerùm ut etiāsi fiat, non turbentur. uehementer enim eum amplectebantur.

Mihi enim uiuere Christus est, & mori lucrum.] Hoc est, nouam quandam uitam uiuo, & Christus est mihi omnia, & spiritus, & uita, & lumen. Vitæ enim nomen, naturalem etiam uitam significat: nam in ipso & uiuimus, & mouemur. Significat etiā uitam in peccatis, ut cum dicit, Qui mortui sumus peccato, quomodo adhuc uiuemus in ipso? Significat & uitam sempiternam, siue eam quæ secūdum Christum est, ut, Conuersatio nostra in cœlis est. Hic autem naturalem uitam Paulus non reijcit, sed uitam quæ peccato dedita est, huius mundi impostura accommodantem sese, Christum autem confitetur sibi esse uitam, quemadmodum & alio in loco dicit, In fide uiuo filij Dei. Mori autem lucrum est, quia tunc apertius cum ipso uersabor. Lucrum itaq; mihi præbebunt festinantes me ex huius mundi uita ejcere, Christo, qui est uita mea, me allegantes.

Actuū 17 Rom. 6. Infrà 3. Gal. 2.

Si autem uiuere in carne, hoc mihi fructus est operis, & quid eligam ignoro.] Vt ne existimes ipsum reprehendere præsentem uitam, inquit: Si uiuere in carne, hoc mihi fructus est operis, hoc est, dixi quidem lucrum esse mori, ueruntamē postq; uiuere in carne non sit infrugiferum mihi (fructum enim fero, docēs illuminansq; omnes) non noui quid eligam. Hic obstruuntur præsentem uitam calumniantium hæretico rum ora: nam non est praua, cum fructus nobis impertiat. Quicirca non ipsa est culpanda, sed uoluntas malè hac utentiū. Porrò mysterium quoddam reuelans, indicat B se esse Dominum uitæ mortisq;. nam si uelim hoc ex Deo petere, dabit gratiam. Ex hoc ergo debetis consolationem accipere, q; etiamsi moriar, isthuc nō suspicandum est fieri ex malitia hostium, sed ex dispensatione Dei.

Vita, nō mala est, sed eius abusus. Sap. 16.

Coartor autem ex duobus desiderium habens, dissolui & esse cum Christo multo magis melius: permanere autem in carne, magis necessarium propter uos.] Hæc dicit præmuniens eos, ut strenuè fortiterq; ferant futuram mortem suam. Quid enim doletis, inquit, propter mortem meam? hanc enim desidero, ac melius mihi hoc est: largitur enim mihi ut sim cum Christo, itaq; non oportet uos dolere. Veruntamen rursus manere in carne, magis est necessarium propter uestram cōmoditatem. Non enim quæro quod meū est, sed quod uestrum est, Constringor igitur ex duobus, hoc est, in angustia constitutus, & ignarus quidnam præferam, necessarium tamen magis iudico, uobis mea uita prodesse. Quid igitur Pauli animo dignius, qui aliorū cōmoditatem prętulit propriæ utilitati, qua cum Christo esse possit, ut magis Christum sibi conciliet, conuersationem suam cum Christo differens?

Pauli animus.

Et hoc cōfidens scio, q; manebo, & simul permanebo cum omnibus uobis, ad profectum uestrum, & gaudium fidei.] Quia necessarium est ut in carne maneā, confidenter indubitanterq; noui q; manebo, hoc est uiuam: & non simpliciter, sed uobiscum, quod est, uidebo uos. Cuius rei gratia? Vt uos in fide promoueatis, hoc est, fulciamini firmeminiq;, cùm in dogmate, tum uita: qui profectus uerum gaudium est & meum & uestrum. Hic etiā nōnihil eos perterrefacit. perinde quasi dicat, Videte, per uos orbatus sum quo minus apud Christum agam: uidete igitur ne uanam & irritam faciatis meam in carne perseuerantiam. Quid igitur? ob Philippenses ne solos in carne perdurauit? Nō propter hos solos, uerùm curam illis adhibens hæc dicit, ac ad maiores eos excubias, sobriamq; magis uitam adhortans.

Vt gloriatio uestra abundet in Christo Iesu in me, per meum aduentum iterū ad uos.] Quia paulo antè dixerat, ob uestram promotionem & profectum permanebo, innuit iam quòd & ipsi nonnihil lucelli ex eo accedat, nempe ut abundantius glorietur de ipsis, quòd proficiant per suum ad eos aduentum. Quid igitur? uenítne ad ipsos? Hoc sanè incertum est, deq; eo ambigitur.

Tantum dignè euangelio Christi conuersemini.] Hoc solummodo quæro, ut crescatis

Luc.9. ſcatis in uirtute. Dignè autem euangelio uiuit, qui ſeipſum abnegans, crucem ſuam A
tollit, Chriſtumq; ſequitur.

Vt ſiue cũ uenero & uidero uos, ſiue abſens, audiã de uobis.] Non tanq̃ permutãs ſententiam, neq; tanquam non ſit uenturus, hæc dicit: uerùm etiamſi, inquit, fortaſſe nõ ueniã, poſſum tamen uel abſens etiã exhilarari ſuper conuerſatione uitaq; ueſtra quam in euangelio habetis. Proinde ne recidatis ab euangelio, etiamſi non aduenero, ſed uigilate tanquam certò ſim agniturus quomodo uos geratis.

Quòd ſtatis in uno ſpiritu, una anima.] Hoc eſt, in eodem dono concordiæ. Hac enim ratione in una anima quidam perſiſtunt: hoc eſt, ſunt unanimes & concordes, quando unum etiam ſpiritum habuerint.

Concertantes fidei euangelij.] Hoc eſt, uos mutuò adiuuantes in certamine quod pro fide ſumitur.

Et in nullo terreamini ab aduerſarijs.] Non dico, inquit, non decidentes, ſed neq; terreamini: id eſt, non turbemini in ulla ſanè re, ſiue pericula interminẽtur, ſiue mortem adducant. nihil enim perficiunt, ſed territant tantum, adeò ſunt imbecilles.

Periculis nõ cedẽdũ.

Quæ eſt ipſis quidem indicatio interitus, uobis autem ſalutis.] Quando nanq; cõ ſpexerint ſeſe poſt innumera quæ tentarunt, ne territare quidem uos poſſe, nónne euidẽs hoc illis indicium erit, ea quæ illorũ ſunt perire, ueſtra autem fortia adeò eſſe, ut non poſſint auferri uobis uel abſumi ſalutem ſecum continentia?

Et hoc à Deo. Quia uobis donatũ eſt pro Chriſto, nõ ſolum ut in eum credatis, ſed ut etiam pro illo patiamini.] Chariſma nominans Paulus pro Chriſto affligi, duo hic perficiti: alterum quidem, ut ne pudefiant neq; ſuccumbant patientes: alterum, ut ne extollantur. totum enim, inquit, Dei eſt. Etenim & uirtutes chariſmata, dicit, non ut liberum arbitrium tollat, ſed ut eos moderatè ſapere faciat. neq; enim citra Deũ quicquam facere poſſumus. Forſan & hoc donum eſt maius quàm mortuos excitare, illic enim debitor ſum, hoc autem debitorem habeo Chriſtum. O rem admiratione dignam. Et donat mihi, & ſuper hoc ipſo debet mihi. B

Abſq; Deo nil rectum facere poſſumus.

Idem certamẽ habentes, quale uidiſtis in me, & nunc auditis in me.] Oſtendit hìc quòd in eodem ſunt ſecum certamine, in ijſdem pugnantes: quæ res magnę ipſis uirtutis teſtimonium præbet. Habetis, inquit, me exemplum. ſcitis enim me apud uos certaſſe, quãdo uidelicet cæſus eſt, & in carcerem coniectus: nunc uerò auditis etiã.

CAPVT II.

SIqua ergò conſolatio in Chriſto, ſi quod ſolatium charitatis, ſiqua ſocietas ſpiritus, ſiqua uiſcera & miſerationes, implete lętitiam meam, ut idem ſapiatis.] Quod aiũ eſt huiuſmodi: Si uultis mihi quampiam in tentationibus meis conſolationem dare, ſi quod ſolatium quale charitas generat, ſi monſtraturi eſtis quòd communicationem quandam habeatis in ſpiritualibus, & ſecundum Dominum, ſi affectu miſerationis mouemini, méque miſeramini propter ea quæ patior, hæc omnia, inquit, mihi in hoc reddite ut uos mutuò diligatis. Animaduerte hìc quomodo concordiam eorũ ſuum eſſe beneficium interpretetur, & perinde accipiat atque ſi ipſe miſericordiam eſſet cõſecutus. Non dixit autem, Parate mihi gaudium: ſed, Lætitiã implete. Orſi enim eſtis in me gaudium: dediſtis inſuper mihi ut pacem haberem: cupio in poſterum ut illud mihi gaudiũ ad finem uſq; ducatur. Quale autem mihi gaudium? Non ut è periculis liberer, quicquámue à uobis accipiam, ſed ut uos idem ſapiatis.

Cõcordiæ bonum.

Eandem charitatem habentes.] Hoc maius eſt quàm concordem eſſe. Eandem porrò charitatem habetis, non ſi qui uehementer amatur, remiſſe ac pigrè redamet, ſed ſi eadem menſura redamet.

Vnanimes idem ſentientes.] Tanquam una ſitis anima, non natura & ſubſtantia, ſed eadem unaq; mente & concordia. quod indicat, cum ait, Idem ſentientes.

Nihil per contentionem, aut uanam gloriam.] Nihil, inquit, per zelum & contentionem facientes: quod ſolemus dicere, Danda eſt mihi opera, ne me uincat ille. Hæc eſt ἐριθεία, contentio. Deinde matrem huius adducit unam gloriam. ex hac enim illa naſcitur. Quando enim hominum gloriam amamus, quid quæſo propter eam non facimus?

Sed in omni fiducia magnificabitur in corpore meo Chriſtus, ſiue per uitam, ſiue per

A Sed in humilitate animi alium quisq; se præstantiorẽ existimet.] Planum hic nobis facit qua ratione uanam gloriam effugere queamus, præceptionemq; tradit saluti nostræ cõsonam. Si enim existimaueris quòd alius non simpliciter sit maior te, cæterùm quòd multis nominibus te excellat, exq; uera humilitate hoc modo rem te habere tibi persuaseris, honore eum prorsus afficies. Hoc si facias, cũ eum apud alios honore affici conspexeris, haud ægrè feres: imò etiamsi conuicietur tibi, téue uerberet, patienter feres, maiorem nanq; te, ipsum arbitratus es. neq; inuidebis ei. inuidia enim in pares agit, non in excellentiores. E diuerso ille cogitet te esse excellentiorem se, hoc pacto integra utrinq; tranquillitas erit. *Inuidia inter pares.*

Non quæ uestra sunt, singuli considerate, sed & quæ aliorum sunt, unusquisque.] Cum enim ego quod tibi prodest, tu uerò contrà, quod mihi confert quæris, neq; uanæ hic gloriæ locus relinquitur. neque contentiosi, neq; cupiam simpliciter malorum, sed uita hic est angelica & diuina.

Is enim affectus sit in uobis, qui & in Christo Iesu.] Quemadmodum Christus inquit, Sitis misericordes, ut pater uester cœlestis: & rursus, Discite à me quia mitis sum: sic & Paulus humilem affectum docens, Christum in medium producit, copiosè nos & largiter rubore suffundens, perinde ac alio in loco dicit, Propter nos pauper factus est, cum diues esset. Cum enim ostenderit filium Dei omni altitudine superiorem, ad infima descendisse, infimumq; factum, quem non superborum pudefaciat: *Luc. 6. Matt. 11. 2. Cor. 8*

Qui quum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est, esse se æqualem Deo.] Numera quotnam hinc hæretici cadant. Marcio Ponticus dicebat mundum & carnem esse mala: proinde à Deo non assumptam esse hanc. Marcellus Galatius & Photinus, & Sophronius, asseuerabant uerbum Dei energiam esse, non essentiam personalem, atq; energiam hanc inhabitare ei qui ex semine Dauidis esset. Paulus dein Samosatensis dicebat quòd ex Maria habuerit principium essentię. Sabellius autem Libycus affirmabat quòd pater, filius, et spiritus sanctus, nomina essent nuda uni personæ attributa. Arrius dicebat filium esse creaturam. Apollinarius Laodicensis, quòd animam intelligibilem & rationalem non acceperit. Vide igitur quomodo occumbant omnes uno propemodum ense. Quum in forma Dei esset. Quomodo igitur Marcelliani dicitis quòd uerbum est energia, & non substantia? Forma enim Dei essentia dicitur, quemadmodum forma serui, natura serui. Quomodo & tu Samosatensis, q̃ ex uirgine primum esse suum sumpserit? antea enim erat in forma diuina q; essentia. Quinetiam Sabellium cadere animaduerte. Non rapinam, inquit, arbitratus est esse se æqualem Deo. Aequale de una persona non dicitur, uerùm quod æquale est, alicui est æquale: quare duæ hinc personæ eluescunt. Arrius autem pluribus rationibus destruit. In forma enim Dei, id est, essentia. & nõ dixit, factus, sed ὑπάρχων id est, essens siue existens. Simile est illi, Ego sum qui sum. Et non existimauit rapinã, esse se æqualem Deo. Cernis æqualitatẽ? Quomodo igitur tu dicis quòd sit maior pater, filius autem minor? At reputa insipientem illorum instantiam & renisum. Paruus, inquiunt, existens Deus filius, nõ rapuit sibi ut esset æqualis & par magno Deo. Primùm quidem, quę scriptura docet uos esse paruum & magnum Deum? hæc enim infidelium sunt Græcorũ. Quòd autem & filius magnus Deus sit, audi Paulũ: Apparitionem, inquit, siue aduentũ magni Dei & seruatoris nostri Iesu Christi. Deinde si paruus, quomodo arripuit sibi ut magnus esset? Præterea diuus Paulus humilitatem docturus absurdè certè argumentatus esset, & parum dextrè perfeciset hunc ad modum: Quia paruus magno Deo nõ restitit, debetis & uos alter alteri submitti, humiliariq;. Nã qualis ista hæc est humilitatio, q̃ minor aduersus maiorẽ nõ insurgat: impotentiæ potius & imbecillitatis est indicium. Atenim parem, & eiusdẽ cum Deo potentię sponte hominẽ factum esse, isthuc sanè est humiliatio. Hæc igitur abundè demonstrata sunt. Deinceps animaduerte quid dicat: Non est rapinam arbitratus, esse se æqualẽ Deo. Si quis quid rapuerit, metuit deponere illud, ne amittat, tanquã ipsius nõ sit. Sin quicquam à natura habeat, facilè illud aspernatur, sciens id se habere quod amitti nequeat: quare etiamsi uideatur deponere, rursum ipsum recipiet. Ait ergo, filius Dei non metuit descendere ex propria dignitate, quandoquidem eam non habebat ex rapina, nimirũ q̃ esset æqualis Deo patri, sed naturalem dignitatem hanc agnoscebat suam. *Hæreticorũ uariæ de Christo opiniones, eorumq; cõfutationes.* *Exod. 3.* *Tit. 2*

ſuam. Propterea & humiliari elegit, tanq̃ in iſta humiliatione ſui altitudinẽ ſeruans. A

Sed ſemetipſum exinaniuit, formã ſerui accipiens.] Vbi ſunt qui dicunt quòd inuitus atq; iniunctionem & mandatum implens deſcenderit? Audiant quòd ſeipſum inaniuerit ceu Dominus, ac tãquam ſui iuris, ſua libertate gaudens. Formam autem ſerui dicens, Apollinarium pudefacit. qui enim formam ſiue ſubſtantiam ſerui accipit, rationalem omnino animam habet.

In ſimilitudine hominum factus.] Hîc Marcioniſtæ dicunt q; apparenter ſit incarnatus Chriſtus, non reuera, ſed in ſpeciem. Vides enim, inquiunt, quomodo Paulus aſſeuerat ſimilitudinem eum hominis accepiſſe, ac in figuram humanam transformatum eſſe, non eſſentia factum hominem? Quid igitur eſt? Dominus non omnia noſtra habebat, ſed & quædam non habebat, ueluti quòd non natus eſſet ex concubitu, quòd peccatum non fecerit. Non erat autem ſolummodo quod apparebat & uidebatur, uerumetiam Deus, nec erat nudus homo: propterea, inquit, In ſimilitudine hominum. Nos enim animam & corpus habemus, is autem animam & corpus habet, ac Deus eſt. Potius in ſimilitudine dicit. Nam quum dicat in ſimilitudine carnis peccati, non hoc dicit, quòd carnem non habuerit, uerùm quòd caro illa non peccarit, ſed ſimilis erat peccatrici, ſecundũ naturã, non ſecundũ malitiã. Quemadmodũ igitur illic ſimile eſt, eo quòd non omnia ſint æqualia: ſic & hîc ſimilitudinẽ dicit, quòd non ſit natus ex concubitu, & quia in eum non cadat peccatum, & q; non ſit nudus homo.

Chriſtus nõ omnia noſtra habebat

Nudus homo ſiue ſimplex homo qui ſolũ homo eſt, non etiã Deus.

Et † figura inuentus ut homo.] Quia dixerat, Seipſum inaniuit: ne permutationem & transformationem arbitreris, ait, Manens quod erat, aſſumpſit quod non erat. natura non eſt in aliud mutata, ſed in figura factus eſt, hoc eſt, in carne. carnis enim eſt figurari. Quum enim dixiſſet, formam ſerui accepit, auſus eſt poſthac & iſtud dicere, tanquam illo hæc continente & confirmante. Pulchrè autem dixit, ut homo: non enim erat unus ex multis, ſed uelut unus ex multis. Nõ enim in hominẽ tranſiuit & mutatus eſt Deus uerbum, ſed ueluti homo apparuit: ac infigurabilis cum eſſet, ſub figuram factus eſt. Nonnulli autem hunc ad modum ſunt interpretati: Et figura inuẽtus tanquam iam uerè homo, perinde ac diuus Ioannes ait, Gloriam tanquam unigeniti à patre: hoc eſt, qualem decet habere unigenitum. Tanquam enim aduerbium, cùm dubitationem ſignificat, tum confirmationem.

† χήμασι id eſt, figura, habitu, ſpecie, forma.

Ioann 1. Tanquam.

Humiliauit ſemetipſum, factus obediens uſq; ad mortem, mortem autem crucis. Rurſum dicit, Humiliauit ſeſe, ne uelut inuitum eum exiſtimes obſecundaſſe. At dicunt Ariani, Obediens dicitur. At quid hoc, ô inſipientes? nam & amicis obedimus, nec quicquam illud dignitatem noſtram imminuit. Tanquam filius patri ſponte obediit, atq; in hoc ipſo indicat ſe eſſe genuinum gnatum. genuini enim filij eſt patrem honore afficere. Animaduerte autem hîc epitaſes. Seruus factus eſt, quinetiam mortem ſuſcepit: & quod hoc adhuc eſt probroſius ignominioſiusq;, mortem crucis, hoc eſt execratam, ſceleratis addictam.

Crux ignominioſa.

Propter quod & Deus exaltauit illum, & donauit illi nomen quod eſt ſuper omne nomen.] Quando carnis mentionem facit Paulus, intrepidè omnia humilia loquitur, tanquam caro hæc recipiat. Sic igitur hæc de carne accipe, nuſquam unum Chriſtum diuidens. Quale autem nomen donatum eſt humanæ naturæ unius Chriſti: filius, Deus. Etenim homo filius Dei, quemadmodum angelus dixit: Et quod naſcetur ſanctum, filius Dei uocabitur.

Luc. 1.

Vt in nomine Ieſu Chriſti omne genu flectatur, cœleſtium ac terreſtrium, & inferorũ.] Hoc eſt, uniuerſus mũdus, & angeli & homines, & dæmones. Vel q; & iuſti & peccatores. nam & dæmones agnoſcent, & inuiti inflectentur, non amplius ueritati repugnantes, qui & ante tempus illud dicebant: Nouimus te qui ſis.

Luc. 4.

Et omnis lingua confiteatur q; Dominus Ieſus Chriſtus eſt in gloriam Dei patris.] Hoc eſt, ut omnes hoc dicant q; Chriſtus Ieſus, Dominus & Deus eſt. Hęc aũt gloria eſt patris, q; huiuſmodi habeat filium, cui omnia inflectantur. Animaduertis q; præconium unigeniti, gloria eſt patris. ſic è diuerſo imminutio eius, eſt ignominia patris.

Filij exaltatio, patris gloria.

Itaq; dilecti mei, ſicut ſemper obediſtis.] Adhortationes cum laude & præconiis fieri conuenit, ſic fit ut facile percipiantur: propterea & ipſe eos celebrat, dilectos uocans, & quemadmodum, inquit, ſemper obediuiſtis, perinde quaſi dicat, Offendi uobis quòd

bis q; filius Dei obediens factus est, imitamini igit illū, imitamini autem & uos ipsos.

A Nō tanquā in præsentia mea solùm, sed multo potius in absentia mea.] Tū enim fortasse uideremini propter reuerentiā erga me, omnia agere: nunc aūt si ad uirtutē intendatis, monstrabitis quòd non propter me, sed propter Deum agatis.

Cum timore ac tremore uestram ipsorum salutem operemini.] Non propter me ipsum, inquit, adhortor uos, sed ut ea quæ ad uestram salutem sunt, faciatis cum timore, eoq; uehementi & intenso, & cum tremore: sine timore namq; nihil boni perficietur neq; in artib. liberalibus, neq; mechanicis. Quomodo autem metus perficietur? Si consideremus q; ubiq; Deus præstò sit, omnia audiens, & omnia uidens, nō solùm quæ aguntur, uerumetiam quæ cogitantur. Seruite enim, inquit, Domino in timore, & exultate ei in tremore. Est enim exultatio cum tremore, quando bonum aliquis faciens, idq; cum tremore, conscientiam habet liberam. κατὰ φράζεσθε autem dixit, nō φράζεσθε, hoc est, cum multa diligentia & cura operamini.

Deus enī est qui operatur in uobis & uelle & operari.] Quia dixit, Cum timore ac tremore: nunc ait, Ne terreamini propter hoc. Non enim dixit ut desistas à bono uel deficias, sed ut attentè agas quod agis. Nam si animaduerteris, & attētus fueris, Deus omnia operabitur. Ipse nāq; est qui & promptitudinem dat nobis, ut uelimus bonū, ipse est etiam qui boni operationem ad fidem ducit. Operatur enim Deus in nobis uelle, hoc est cooperatur nobis ut uelimus bona, siue auget bonā uoluntatē nostram: simulq; accendit, ut feruentior reddatur. Et aliter: Quoniam ipse perfectionē addit, nos uerò homines, quę perfecta uidemus, ad ea tendimus dirigimúsue uoluntatem nostrā: propterea & uelle ipsum à Deo perfici dicit. Exempli gratia: Voluisti aliquid, orsus es perficere isthuc: si finem assequaris, iterum magis idem opus perficere cupis. Sin minus, torpescit tibi uoluntas. Cum itaq; finis & consummatio rei operisue apud Deum sit, qui & uelle nostrum accendit, non immeritò & ipsam uoluntatē apud

B Deū esse asseuerat. Vel ex magna beneuolentia & gratitudine Paulus uelle ipsum ex Deo perfici nobis ait, quemadmodum & de uirtutibus idem sentit, non ut suam cuiusq; arbitrij uim & libertatem auferat: sed semper nos gratos esse uolens, & omnia accepta referre Deo. Considera autem uerba. In uobis, inquit, qui cum metu atq; tremore salutem operamini: in talibus enim Deus operatur omnia.

Libertas arbitrium. 1. Cor. 12. Ephes. 4.

Pro bona uoluntate.] Hoc est, ut impleatur erga uos beneuolentia atq; bona uolūtas eius, ut sic uiuamus perinde ac ipse uult. Itaq; & ex hoc confidite, omnino enim cooperabitur uobis Deus, ut rectè uiuatis, si non propter aliud quicquam, eius tamē rei gratia, quia hoc ipsi charum est & gratum.

Et omnia facite sine murmurationibus & hæsitationibus.] Satanas si non possit semel quempiam ab honesto auocare, uel arrogantiam ei inducit, uel uanam gloriā: at si neq; hoc possit, murmurationem, aut dubitationem & incredulitatem. Quia igitur in tentationibus cōtinuisq; periculis fuerunt, per hæc autem haud pauci ad murmura & maledicentiam prolabebantur: Citra murmura, inquit, omnia facite. qui enim murmurat, ingratus & maledicus est. Hæsitationes autem, dijudicationem dicit ac dubitationem, ueluti si mandato proposito dicat aliquis, Num si hoc fecero, habebo mercedem? nunquid hoc bonum est? In talibus enim non est dubitandum, sed confidenter planè agendum, ac siue sit labor, siue defatigatio, nihil est disceptandum.

Ingrati est, murmurare.

Vt sitis * sine querela & simplices.] Hoc est, ut sitis irreprehēsibiles & immaculati. haud paruus enim est nęuus & macula, ipsum murmur. Non dixit autem, ut in epistola ad Corinthios, pœnam repositam esse murmuri, quòd hisce tanquam liberis loquatur. Audi igitur sequentia.

ἄμεμπτοι inculpati, de quib. nemo queri possit.

Filij Dei sine reprehensione.] Seruorum itaq; & ingratorū est, murmurare. Qualis enim filius in patris laboribus, sibiq; ipse laborans, murmurat?

In medio nationis prauæ & peruersæ.] Noui, inquit, multos esse qui bellum gerāt aduersum uos, cogentes ita uos murmurare: uerùm potissimum hoc est laudandum, si quis admorsus, hac ratione nihil murmuret.

In quibus lucete sicut luminaria in mundo, uitæ uerbum habentes.] Aequè ac luminaria in tenebris lucent, hunc ad modum & uos in medio prauorum & tortuosorum recti cū sitis, magis effulgere studete. Hoc enim quod ait φαίνεσθε, id est lucetis uel

lucete imperatiuus mihi esse uidetur, sermonem autem siue uerbum uitæ habentes, A
hoc est semen uitæ in uobis ipsis habentes, uicturi posthac arrhabonem hinc salutis
accipientes. Vel, quemadmodum luminaria & lucent, & corpora in afflictione re-
creant & uiuificant: sic & uos festinate esse uitalis alijs hominibus potentia.

Ad gloriationẽ mihi in die Christi.] Tãta, inquit, uestra uirtus sit, ut nõ solùm uos
ad uitam ducat, uerumetiam me fulgentiorẽ & clariorem faciat in aduentu Christi.

Quoniam non in uanum cucurri, neq; in uanum laborauí.] Hæc mea gloriatio est,
q; tales uos instituí, nec inanis mihi labor apud uos fuerit.

Sed etsi immolor super hostia & sacrificio fidei uestræ gaudeo, & congratulor o-
mnibus uobis.] Et si moriar, inquit, (hoc enim immolationem uocat, mortem nimi-
rum ipsam) immolor autem super uictima & sacrificio fidei uestræ, hoc est, ubi prius
uos uictimam & sacrum Deo obtulero, fideles uos faciens: attamen non tanquam
moriturus tristitia afficior, uerùm lætor & congaudeo omnibus uobis. Lætor igi-
tur quòd libamen fiam: collætor autem, quoniam fidem uestram ueluti hostiam of-
fero Christo.

Idipsum autem & uos gaudete.] Quòd & ipsi oblati sitis.

Et congaudete mihi.] Quoniam ego immolatus lætor apud me ipsum.

Spero autem in Domino Iesu, Timotheum me citò missurum ad uos, ut & ego,
bono animo sim cognitis quæ circa uos sunt.] Vt omnia, sic & quod Timotheũ mis-
surus sim ad uos, Christo tribuo. Confido enim q; illæ facile hoc persequetur, ut quẽ
admodum uos recreamini cognitis per hanc epistolam meam rebus meis quod euã
gelij negocium promoueatur, quodq; res hostium in diuersum sint mutatę: hunc ad-
modum & ego recreer & consolationem accipiam ubi agnouero ex Timotheo quo-
modo res uestræ se habeant, quas exactè mihi denunciabit.

Neminem enim habeo tam unanimem, qui sincera affectione pro uobis solicitus
sit.] Potuissem, inquit, alium etiam quempiam mittere, sed nemo est pari mecum ani- B
mo præditus, ut ille: hoc est, qui æquè uestri curã gerat atq; ego, qui genuinè, hoc est
paternè, res uestras curaturus sit. Obserua hîc solicitudinem eius: quando ipsi profi-
cisci non esset integrum, alios mittebat, ut nullo tempore discipuli torpeant.

Quies Christiano quærẽda nõ est.

Omnes enim quę sua sunt quærunt, non quæ sunt Iesu Christi.] Hoc est propriam
quietẽ, & ut sint in tuto: nemo enim facilè uelit profectionem talem suscipere. Hæc
autem dicit, simul Timotheum cõmendans, simul & auditores erudiens, ne quærant
sibi quietẽ. nam qui hanc inquirit, næ haud quę Christi sunt quærit. Proh dolor, quan
to à Christo distamus interuallo!

Probationẽ eius cognoscitis. Nam tanquã patri filius, mecum seruiuit in euange-
lio.] Vos, inquit, testes estis, quòd ueluti patri filius inseruierit, non ad corporis tan-
tũmodo ministerium, sed quod multo præclarius maiúsque est, ad euangelij prædica
tionem. Itaque siue tanquam filius meus, honore est dignãdus: siue tanquam Dei mi
nister, multo magis est honore adficiendus. Commendat autem per hæc ipsis Timo-
theũ, no tantũ illi gratificans, quantũ ipsis. Nam si ipsi tãquam autoritatẽ habenti ani
mũ aduerterint, omnino per uerbũ eius iuuabũtur. at maiorẽ habituri sunt mercedẽ.

Hunc igitur spero me missurum, mox ut uidero quæ circa me sunt.] Cum uidero
qualem sint habituræ finem res meæ, ἐξαυτῆς, mox, id est statim, mittam hunc.

Confido autem in Domino, q; & ipse citò ueniam ad uos.] Non tanquam omnino
recusarim uenire ipse ad uos, Timotheum mitto: uerùm ut (quod dixi) interea tem-
poris animo recreor, si didicero qualem successum res uestræ nanciscantur. Obserua
autem hic quomodo suam etiam ad eos profectionem ex Deo pendere affirmet, Cõ
fido, dicens, in Domino: hoc est, si Deus uoluerit.

† ἀπόστολον, *id est nũciũ q̃ mittitur, uel qui munus habeat docendi, ut hic ait Theoph.*

Necessariũ aũt existimaui, Epaphroditum fratrem & cooperatorem & cõmilito-
nem meum.] Non sine laude & hunc emandat, perinde hac Timotheum, ob eandẽ
causam quã suprà diximus. Cooperatore aũt cõmilito maior est. cooperatur enim ali
quis in rebus etiam quæ periculo carent; cõmilito aũt omnino in periculis succurrit.

Vestrum autem † apostolũ, & ministrum necessitatis meæ, mittere ad uos.] Hoc est,
eum qui à uobis ad me missus est, dono uobis: per ipsum enim ei miserant quæ ad

ipsius

A ipſius uſum & neceſsitatem pertinerent. Vel ueſtrum apoſtolum, præceptorem ſeu doctorem ueſtrum dicit.

Quandoquidē deſiderabat omnes uos uidere, ac mœſtus erat propterea q̄ audieratis illum infirmū. Nam & infirmitas eſt uſq; ad mortē.] Cōpertum habens, inquit, q̄ diligatis ipſum, & q̄ cōtriſtati eſtis ſuper ægrotatione eius, deſiderabat uidere uos, ut à triſtitia uos liberaret, quā habebatis propter infirmitatē eius. Aliud aūt hic etiam efficit. nam rationē reddit eis, quare ſerius ipſum ad eos mittat, tantūnon ita dicens, Nō per ſocordiā hoc factū eſt, uerùm Timotheū quidem, ut eiuſdē mecū animi apud me detineo: Epaphroditus aūt ægrotauit, ac propterea nō uenit citius, quandoquidē cùm diuturna, tum lethalis, adeoq; morti admodum uicina eius ægritudo fuerit.

Sed Deus ipſius miſertus eſt.] Quid dicis ô Manichæe? Si mundus prauus eſt, & uita eius, quomodo nunc apoſtolus uocat miſericordiam Dei, q̄ Epaphroditum in uita hac reliquerit, uerùm hæreticis nihil eſt quod ad iſtud reſpondeant. Enimuerò quęrere hic Chriſtiani queant, ſi bonum ſit diſſolui, & cum Chriſto eſſe, Cuius gratia miſericordiam Dei dicat eſſe pręſentem uitam? Vel quia Epaphroditus, qui doctor erat & præceptor, plures animas ad Deum adducturus erat, ſi uiueret: quod magis neceſſarium quàm diſſolui, ut ſuprà commemoratum eſt. Vel multa etiam iuxta communem auditorum conſuetudinem Paulus loquitur, & non ubiq; philoſophatur, hominibus eīm in ſeculo agentibus uerba facit, qui mortem adhuc metuebant. Alioqui & præſens uita ipſa per ſeſe res bona eſt. nam cur pœnæ loco immaturas mortes ponit? Ideo inter uos multi infirmi & imbecilles, & dormiunt multi. Futura enim uita, non eſt praua melior, ſic enim haud bona eſſet, uerùm eſt bona melior.

Cōtra Manichæum.

Vita, bona res.

Non ſolum autem eius, uerumetiam mei.] Animaduerte quo pacto & hinc Epaphroditum honorabilem reddat: ſiquidem illius ab ægritudine reualeſcentiam, beneficium Dei peculiare, & miſericordiam ponit.

Ne triſtitiam ſuper triſtitiam haberem.] Hoc eſt, ut ne ad triſtitiam, quæ mihi ex infirmitate ipſius ſubnata eſt, aliam triſtitiam habeam, ex eo q̄ ipſe moriatur.

B Feſtinantius miſi ipſum, ut uiſo eo gaudeatis.] Hoc eſt, ſine dilatione ipſum miſi, ut ſi uideatis eum, à mœrore quem ex eius ægritudine conceperatis, liberati ſitis uel gaudeatis potius.

Et ego minus triſtitiæ habeam.] Quomodo ero minus triſtis? Quoniam ſi uos gaudeatis, & ego gaudeo. Nec dixit ut ſine triſtitia ſim: ſed minus habeam, innuens q̄ animus eius nullo unquam tempore ſine triſtitia fuerit, hæc dixit. Quis namq; (ait) infirmatur, & ego non infirmor?

Excipite ergo ipſum in Domino cum omni gaudio.] Hoc eſt, ſuſceptione quæ eſt ſecundum Deum, quemadmodum Deo acceptum eſt & gratum, uel ut decet ſanctos. Hæc autem propter ipſos Philippenſes Paulus facit; maius enim lucrum eſt ei qui beneficium det, quàm qui accipit.

Et huiuſmodi in honore habetote.] Vt ne uideatur ipſi ſoli gratificari, adhortatur in commune, ut omnibus qui eadem ſint cum Epaphrodito uirtute prædití, honorem impertiant.

Quoniam propter opus Chriſti, uſq; ad mortem acceſſit, animæ ſuæ parum conſulens.] Epaphroditum miſerunt ad Paulum Philippenſes, ut perferret ad eum neceſſaria quibus haberet opus. Reperit igitur Paulum Romæ in periculis, quando periculoſum erat quenquā accedere ipſum, infenſo uidelicet erga ipſum Imperatore. Tum igitur ille omni periculo poſthabito miniſtrauit Paulo. Hoc igitur nunc dicit. Animaduerte, non dixit propter me, ſed propter opus Dei. Parum conſuluit autem, hoc eſt, ſeipſum iniecit, morti. Quid enim ſi mortuus nō eſt Deo, ita diſpenſante? Sed ipſe certè promptam uoluntatem declarauit. Quocirca & nos ſiquando uiderimus ſanctos periculis immerſos, pericula negligamus. ea enim demum eſt ſecuritas, in huiuſmodi rebus pericula contemnere, in eaq; ſe conijcere.

Epaphroditus.

Vt impleret id quod ex uobis deerat, in ueſtro erga me miniſterio.] Vos, inquit, nō fuiſtis Romę ut mihi corporaliter miniſtraretis, etſi neceſſaria mihi trāſmiſeritis. Hoc igitur quod uobis defuit, nimirum q̄ corpore manuq; mihi non miniſtraueritis, ipſe compleuit omnium ueſtrūm loco mihi inſeruiens. Quare dignus fuerit cui plurimū

beneuolentiæ ostendatis, quòd ipse solus quæ sunt omnium attulerit. Expende hic A
quomodo rem ipsam, ministerium ac defectum uocet, ut ostendat necessitatem & de
bitum esse quoddam, ut ij qui in tranquillitate sunt & ocio, periclitantibus opitulen-
tur: & qui hoc non fecerit, is officium deserit, perinde ac qui publica ministeria &
officia non complet. Ne igitur existimantes se magni quippiam fecisse, magnificè
de se sentiant, ac mercedem suamperdant, hoc nomine istiusmodi rem appellauit, fa-
ciens hoc pacto eos moderatè sapere, quippe qui reddiderint quod debebant.

CAPVT III.

QVod reliquũ est fratres mei, gaudete in Domino.] Quia in mœrore erãt, q̃ i-
gnorarẽt quomodo res Pauli se haberẽt, quõ uerbi prædicatio succederet, qui
deniq; Epaphroditus ualeret, omnia hæc diluit, inquiens, Euangelium crescit, & e-
go ad uos ueniam, Epaphroditusq; iam emãdatus est. Quod reliquũ est, inquit, gau-
dete: nulla enim subest ratio quur non gaudere debeatis. Galatas igitur filios appel-
lat Apostolus, quia correctione & emendatione indigebant: hos uerò fratres nomi-
nat: nam honorificè cum illis loquitur. Pulchrè autem dixit, In Domino: lætari eñ se-
cundum mundum, non est lætari, sed in Domino ipsæ etiam afflictiones gaudiũ ha-
bent. Vel, quia Dominus res ipsas nostras faciles reddidit, lætamini.

Eadem scribere uobis, mihi quidem non est pigrum, uobis autem tutum.] Quum
multis eos nominibus prædicasset, inducit tandem adhortationem, ne si principiò
statim admoneat, onerosus uideatur.

Videte canes.] Erant enim nõnulli Iudæi, qui simulantes Christianismũ, ac euãge
lium promulgantes, simul Iudaica admiscebant. Quia uerò non facile internosci po
terant, propterea dicit, Videte: hoc est, obseruate, attendite, non uos lateant. Canes au
tem antea appellabantur ethnici, nunc uerò Iudæi tanquam impudentes, & ad lumẽ
ueritatis impudenter sese gerentes, quippe qui omnibus allatrent.

Canes Iudæi uocati.

Videte malos operarios.] Hîc canum etiam appellatione eos priuat. canes enim
multi etiam mensæ sunt uicini, atque domos heriles custodiunt. Hi uerò operantur B
quidem, sed ad malum, quæ longè sunt etiam ocio deteriora, eu ellentes quæ probè
sunt plantata.

Ioan. 7

Videte concisionem.] Hoc est, circunc isionem habentes. Ardua autem quondam
& preciosa res erat apud Iudæos circuncisio, ubi & sabbatum propter eam soluere-
tur. At postquam nunc irrita facta est, nihil aliud est atque concisio. cum enim non
sit porrò legitimum quod fit, carnem tantummodo concidunt. Vel quia ecclesiam
discindere conabantur.

† πνεύματι Θεοῦ. id est spiritu Dei, uel spiritui Dei: alij legunt θεῷ, id est Deo. Vide Annot. Erasm.

Nos enim sumus circuncisio, qui † spiritu Dei seruimus.] Si quærenda est, inquit,
circuncisio, apud nos eam inuenietis; qui spiritualiter, hoc est anima & mente seruí-
mus. Qui enim animo circuncisus est, & per eum Deo inseruit, is ingenuam circun-
cisionem habet, quanto uidelicet anima est corpore præstantior. Non dixit, In nobis
est circuncisio: uerùm, Nos sumus. Istud enim uerè est homo, circuncisio uirtutibus
prædita. Nec rursum, In illis, dixit, est concisio: sed res ipsa, nempe perditio & malitia.

Et gloriamur in Christo Iesu, & nõ in carne confidentes.] Vtrum igitur melius est,
in Christo gloriari circuncidenti corda nostra, & ad filiorum Dei ingenuitatem per-
ducenti per baptismatis an in carne gloriari, hoc est, in carnali circuncisione superbire,
tanquam Abrahami filij sint?

Quanquam & ego confidentiam habeam in carne.] Si ex gentibus essem, posset
aliquis dicere, quòd propterea accusaremus circuncisionem tanquam priuati nobili
tate ista Iudaica: iam nunc uerò & ego habeo quam uos dicitis confidentiam & glo-
riationem, circuncisionem in carne. Planum est igitur, quòd non propterea quòd or
batus sim ea quæ uobis uidetur ingenuitate uestra, sed propter ipsam ueritatem, con-
demno circuncisionem.

Si quis alius uidetur confidere in carne, ego magis.] Animaduerte sapientiam: nul
lum nominat, minus inuisum sermonem faciens, quinetiam per hoc quod ait, Si quis
uidetur alius: indicat quòd alij adegerint ipsum uenire ad sermones hos. Pulchrè au-
tem dixit Videtur, uel quòd tantam non habeant fiduciam quantam ipse: uel quòd
fiducia in cincuncisione uera non sit, sed uideatur tantum.

Circũn-

A Circuncisus octauo die.] In quo potissimum gloriabantur, hoc primo loco posuit, circunciſionem nimirum. Per hoc autem quod ait, Octauo die, ostendit se non fuisse proselytum.

Ex genere Israel.] Hoc est, non ex parentibus proselytis, uerùm ex ipsis Israelitis.

Ex tribu Beniamin.] Hoc est, ex parte probatiore. Nam res sacerdotũ in sorte huius tribus fuerunt.

Hebręus ex Hebræis.] Quod ad maiores meos attinet, ex probatis sum Iudæis, inquit. Poterat enim aliquis esse ex genere Israelis, qui non esset Hebræus, Hebræis. Multi enim rem hanc corruperant, ipsa etiam Hebræa lingua carentes, eo ꝙ ad gentes translati essent, qui nõ exactè tenebãt scripturas. Ego igitur, inquit, Hebręus sum, hoc est, seruo characterem uel insignem per hæc ingenuitatem indicat.

Secundũ legem Pharisæus.] Quia quæ prædixerat, ad uoluntatem & consiliũ eius non pertinebãt, nimirum circuncidi, ex genere Israelis esse, idꝙ genus alia: nunc subdit uoluntatis & propositi sui opera. Secundum legem, hoc est iuxta legis institutionem, Pharisæus. Probatissima autem secta erat apud Iudæos Pharisæorum. *Phariſæorũ ſecta.*

Secundũ æmulationẽ persequẽs ecclesiam.] Quia Pharisęorũ aliquot æmulatione uacabant, ęmulationẽ, inquit, habebã, eamꝙ tantã, ut Christi discipulos persequerer.

Secundũ iustitiã quæ in lege est, cõuersatus sine querela.] Quia plericꝙ principatus causa, & ob alias quasdã res æmulant, & nõ propter legem, ait: Cum sine querela & inculpatus essem in iustitia legis, quomodo ob humanam quampiam rem persequerer, & non per diuinum zelum?

Sed quæ mihi fuerunt, lucra hæc arbitratus sum propter Christum, damnum. ueruntamen existimo omnia damnũ esse, propter excellentiam cognitionis Iesu Christi Domini mei.] Hic legem calumniantes hæretici insultantes, En, dicunt, damnum nominat legem & stercora, quomodo igitur à Deo data est? Primùm igitur gratias a-
B gamus quòd spiritus sanctus hoc eos pacto gubernarit, ut susciperent uerba tãquam pro ijs essent. Nisi enim prouidentia Dei accessisset, obliterata fuissent uerba ista ut alia pleraꝙ. Deinde obserua: non dixit simpliciter legem esse damnum, sed arbitratus sum illam esse damnũ: nam natura non est damnum. Quomodo enim, cum ad Christum ducat, si rectè intelligatur? nam antea ego perperam eam intelligens, non accedebam Christo: deinde uerò ueritatem agnoscens, ad Christum accessi, ac uisa est lex mihi detrimentum per illud temporis, quo malè illam intellexi. Nam secundum propriam naturam lex est lucrum. Audi porrò: non dixit, quæ putabam esse lucra, sed quæ erant: uerè enim lex est lucrum, à beluina natura & superstitione homines liberans, ac ueluti scalarum seu graduum loco facta, quibus ad uitam Christo dignã perduceremur. Vt igitur qui per scalas conscendit, non conspuit gradus, sed gratiam potius illis habet, nisi enim fuissent, nõ potuisset ascendere: hunc ad modum lex quidem lucrum erat, iam uerò detrimentum & noxam eam esse censemus, non quòd huiusmodi sit, sed quòd maior hac sit gratia. Quemadmodum enim aliquis argentum continens, ubi aurum inuenerit, nec licet utraꝙ obtinere, damnum censet retinere illud, ac deinceps relicto illo aurũ accipit: hunc ad modũ lex est damno, si à Christo abduxerit. si autem adduxerit, non porrò. Non solùm autem olim arbitratus sum esse damnum legem, uerùm etiamnum arbitror. Quam ob causam? propter excellentiam gratiæ. Viden' ꝙ comparationem faciat? Comparatio autem rerum est eiusdem generis, & excellens aliud eiusdem generis excellit. Proinde & ex lex cognitio est, sed minor: perinde ac lucerna lumen est aliud certè, & non quale solis est, lumen tamen est. *Cõparatio pulchra.* *Cõparatio quid.*

Propter quem omnia pro damnis duxi, & arbitror esse reiectamenta ut Christum lucrifaciam.] Propter Christũ, inquit, pro damnis duxi, hoc est detrimentum esse putaui omnia, uel omnia reieci, omnibus me exui. Animaduertis igitur ꝙ lex non est natura detrimentum, sed Christi causa. Reiectamenta uerò siue stercora haud est planum num legem nominauerit. uerisimile est enim de mundanis rebus ac negocijs dicere. Nondum enim expresit cuius causa omnia damnũ esse censuerit, huius fortasse mundi negocia & præclaras res. Sin de lege hoc pariter dictum intellexerimus, necꝙ sic forsan erimus iniurij. Reiectamenta enim frumenti, paleæ sunt siue culmus, atqui culmus frumenti conseruatiuus est, firmamentum eius, idꝙ ratione cognosce.

Nisi cũ culmus esset, frumentũ non esset natum: attamen frumento apparente & se- A
lecto, inutilis deinceps est culmus. Hanc ad rationem lex est gratiæ confirmatio ac testis. enimuero simul atq; gratia illuxit, non est opus porrò literæ legis adsidere.

Vt & inueniar in ipso non habens meã iustitiã quæ est ex lege, sed illã quæ ex fide est Christi, quæ ex Deo est iustitia.] Vt nõ habeã meam iustitiã, quæ est ex operibus legis, tanquam iam ea perfecerim (neq; enim iustitia erit ex operibus, quandoquidem
Rom.10. neq; quisquã ea perfecerit) sed eam quæ est per fidem Christi, quæ est iustitia ex Deo, hoc est diuinũ donũ, quæ gratia iustificat credentes. Si enim credideris in corde tuo, & ore fueris confessus, seruaberis. Diuina aũt dona multis partibus exuperant utilitatem operũ humano studio & conatu peractorũ, perinde ac frumentũ paleas excedit.

In fide, ut cognoscam eum, & potentiam resurrectionis eius.] Per fidem igitur cognitio. Qualis enim ratiocinatio uel cogitatio resurrectionem nobis exhibebit? nulla, sed fides. Si aũt resurrectio ex fide cognoscitur, quomodo quod maius est, nimirũ natiuitas eius, rationibus comprehendetur? At qua ratione id maius est? quia resurre
5. Reg.17. ctionis multa sunt exempla: multi nanq; & ante Christum resurrexerant, ex uirgine
4. Reg.4. autem nemo unquã natus erat. Proinde iustitia quæ ex Deo est, in fide est: hoc est in
& 13. ea firmatur, eamq; fundamentũ habet. Potentiam autem resurrectionis dixit, reuera enim ingens robur & potentia est, resurgere. Quinetiã resurrectio uirtutem & potentiam nobis immittit, ut idem iter ingrediamur.

Et societatẽ passionũ illius.] Cum persecutionẽ, inquit, patimur & affligimur, participes reddimur passionũ siue afflictionũ Christi. Si igitur nõ crederemus q; cum Christo regnaturi essemus, non talia tantaq; pateremur. Obserua autem q; is maximè credit Christum resurrexisse, qui patitur. Audi igitur quæ sequuntur.

Configuratus morti eius.] Hoc est, assimilatus. Vt enim ille ab hominibus passus est, sic & ego. Afflictiones nãque & persecutiones imaginem mortis illius depingũt,
Christianis patiendum est. proinde & nos idem cum Christo efficimur, quatenus patimur. Vides dignitatẽ pas- B
sionum & afflictionum?

Si quo modo occurram ad resurrectionem mortuorum.] Quid igitur? nisi passus
1. Thes.4. esses ô Paule, non eras resurrecturus? Verùm resurrectionem hîc intellige celebrem in nubibus sublationem. Omnes etenim resurgunt, at non omnes resurgendo subleuabuntur in nubes: uerùm pecatores infrà quidem expectant iudicem, sancti uerò in nubes rapiuntur in occursum Domini. Intelliges autem & ex cõsequenti, quod dicitur, Mortuus est, inquit, Christus: morior & ego: resurrexit ille honorificè, conor & ego huiusmodi consequi resurrectionẽ celebrem. Vide autẽ religionẽ eius qui tanta sit operatus, qui sit supra homines, Si quo modo peruenia. Nondũ audax et confidẽs
1. Cor.10.9 sum, inquit. adeò humili spiritu imbutus erat. Quod & alio in loco ait, Qui uidetur stare, uideat ne cadat: &, Ne quo modo aliis prædicãs, ipse reprobus efficiar.

Non quòd iam acceperim, aut iam perfectus sim.] Cum dixisset, Si quo modo occurram, confirmat hoc, inquiens, propterea sic dixi per ambiguitatem, quia necdũ accepi brabeum, neque perfectus sum.

Persequor autem, si & comprehendam quatenus & comprehensus sum à Christo Iesu.] Ego, inquit, in certamine adhuc uersor, et insequor si quomodo queam comprehendere finem & brabeum. Deinde ostendens rem ipsam esse debitum, subdit: Quoniam & comprehensus sum à Christo, id est, cum essem ex pereuntibus & condemnatis, persecutus est me Christus, & fugientem ab eo comprehendit, & ad sese cõuertit. Debeo itaq; & ego ipsum sequi deinceps, ut apprehendam. Significantissimè autem dixit διώκειν sequi siue persequi. Qui enim persequit, nihil aliud intuetur, q; ad quod accelerat. Omnia autem præterit cùm charissima, tum maximè necessaria: huncad modum & nos festinare conuenit, ut à nulla re impediamur.

Fratres, ego me nondũ arbitror cõprehendisse.] Quia plurimũ laudauerat Philippenses, nũc ipsorũ deiciẽs affectum, Ego, inquit, talis ac tantus præceptor uester, nõdum opinor me apprehendisse uirtutem uniuersam, perinde quasi de cursore aliquis dicat, Nondum totum perfecit. Quî igitur alio in loco ait, Cursum cõsummaui? Ait illud morti uicinus dixit.

Vnũ aũt quæ quidẽ retro sunt, obliuiscẽs: ad ea uerò quæ sunt priora extẽdens meipsum.

psum.] Vnũtantũmodo facio, unũ hoc solũmodo cõtendo, ut semper promoueã & pergam, & obliuiscar operũ transactorũ, eaq; post tergũ relinquã, & eorũ prorsus nec recorder quidẽ, ac sic priora & quæ ante me sunt, persequar, ceu ea quæ desint mihi. Nam qui se absoluisse cursum putat, à cursu desistit, tanq; qui totum iam confecerit. Quid uerò est quod ait, Extẽdens: id est, priusq; peruenero, accipere tentãs, ac pedes currentes licet, reliquo corpore anteuertere festinans, meipsum inflectendo ad anteriora, quod à multa cupiditate & promptitudine fit. *Pauli profectus.*

Ad destinatũ persequor ad brabeũ supernæ uocationis Dei in Christo Iesu.] Non sine præfixo signo curro, sed ad scopũ defigens oculos. Quis uerò scopus ille est: brabeum supernæ uocationis, hoc est incorruptibilis, quæ est in cœlis. Infrà enim est certamen, suprà uerò corona in splendore sanctorum. Nam & rex maiori honore afficiens certatores, ad superna uocans eos coronat. Ostendens autem quòd Christi auxilium omnia perficiat, ac sine ipso imperfectus sit cursus, adijcit, In Christo Iesu, hoc est, per illius cooperationem & auxilium.

Quicunq; ergo perfecti sumus, hoc sentiamus.] Quale isthuc? ut obliuiscamur eorum quæ sunt post nos, id est transactorum. Perfecti enim est, seipsum non existimare perfectum: hæc enim est perfectio, non confidere.

Et si quid aliter sapitis, & hoc Deus uobis reuelabit.] Hîc securos eos facit ac tutos. Si putatis, inquit, totũ uos perfecisse, Deus uobis ceu ignorantibus ostendet quid conueniat. Hæc autem de uitæ perfectione dicta sunt, ac ne ipsi se perfectos putent.

Verũtamẽ ad quod peruenimus, eadẽ incedamus regula ut idẽ sapiamus.] Hactenus, inquit, quod perfecimus, retineamus, nimirũ concordiã, pacẽ: & incedamus eadem regula, hoc est, eadẽ fide, eodẽ termino. Regula enim & amussis neq; appositionem habet, neq; ablationem: neq; uos igitur spiritus mandata alteretis.

Imitatores simul mei estote fratres, & considerate, eos qui ita ambulant sicut habetis formã nos.] In superioribus dixit, Videte canes, atq; Philippenses ab illis abduxit: nunc aũt agglutinat eos bene ambulantibus. hoc enim est quod ait, Considerate, hoc est, intuemini in eos, ac ueluti ad archetypum respiciẽtes, ad illorum similitudinem effingimini. Ac quemadmodum habetis typum me, hunc ad modum & illos. Non enim uerbis tantum docebat, uerumetiã uita bonisq; moribus seipsum exemplar exhibebat, quandoquidem & hoc perfecta doctrina requirit.

Multi enim ambulant, quos sæpe dixi uobis, nũc autem & flens dico.] Non nominatim eos perstringit, ne prouocet eos, facit tamen ut hos intelligant, Quos sæpe dixi uobis, inquiens. Nunc aũt postq; malũ progressum est & extẽsum, ne meminisse quidem horũ possum sine lachrymis. Vides affectũ, quo cõpatitur eis: nõ ob propria ille mala plorabat, nõ eã habebat, sed quia alij sensu sui mali carẽtes in delicijs uiuebant.

Inimicos crucis Christi.] Fuerunt nonnulli Christianissimũ simulãtes, in delicijs tamen & tranquillitate seu ocio uiuẽtes, hos hostes crucis appellat. Hic enim animã inquirit extensam & propensam ad mortẽ, sitientẽ periculorũ: ipsi autem soluti sunt, ac cõtrario planè modo conuersantur ac uiuunt. Si enim crucẽ amarent, crucifixã simul uitam quærere studerent, amarulentam uidelicet. Non horremus igitur in posterũ, si deliciarum amicus & quietis mundanæ & securitatis est hostis crucis. *Crucis hostes.*

Quorũ Deus uenter est.] Seruiunt enim huic tanq; Deo, & omnem curam adhibent. Alijs quidem pecunia, alijs uerò uenter Deus est, de quibus & alio in loco ait, Edamus & bibamus, cras enim morimur, ecce & alia idololatria. 1. Cor. 15

Et gloria in cõfusione ipsorũ q; terrena sapiũt.] Quidã hoc de circũcisione intelligũt, quã ipsi quidẽ gloriã putabãt, cũ reuera sit ignominia: uerùm istud sic sese non habet. Sed stultitiã eorum per hæc ob oculos ponit. Num flagitia cõmittentes, inquit, cum deberent uelari, & pudefieri, isti uerò ea sibi gloriæ ducunt, terrestria planè cogitãtes. Tales enim Deũ uentrẽ habent, nihil cœleste uel spirituale cogitãtes uel intelligẽtes. Nostra enim cõuersatio in cœlis est, unde etiã saluatorem expectamus Dñm Iesum Christũ.] Itaq; quæ superna sunt, operæpreciũ est nos sapere & affectare, & ad patriã nostrã festinare, ubi & agere & uiuere & cõmorari nobis ordinatũ est, quandoquidẽ & Dñs & rex noster illic sit, atq; illinc ipsum uenturũ expectamus in gloria paterna cum sanctis angelis suis. Itaq; & à loco & persona ad reuerentiam commoueamini. *Veter quibus Deus sit.*

Qui transfigurabit corpus humiliationis nostræ.] Multa nunc patitur corpus, uincitur, uerberatur, innumeris malis obijcitur. Ob eam rem humiliationis corpus est, quòd corruptioni atq; dolori subiectum sit, sed transfigurabitur, id est, idem permanens induet incorruptibilitatem. Per transfigurationem enim à corruptione mutationem intellige. A

Vt efficiatur conforme ipsum corpori gloriæ ipsius.] Posteaquam conforme ipsi factum est per afflictionum communicationem, conforme etiam efficietur gloriæ ipsius. Papæ, quid dixit? Ei quod ab angelis adoratur, quod ad dextram patris sedet, gloriæ corpori conforme fit corpus nostrum, ac perinde glorificatur ut illud. Nónne igitur si uniuersus mundus simul lachrymetur ac defleat eos qui à gloria hac excidunt, dignè lachrymabitur?

Secundum operationem qua potest ipse etiam subijcere ipsi omnia.] Quia magnũ dixerat, ac propemodum incredibile, Ne dubites, inquit, uim enim habet atq; potentiam, per quam operatur omnia, ac subiecit angelos & archangelos. Itaq; postquã illa maiora fecit, quanto potius hoc, quod minus illis, faciet? Quis uerò subiecit? Nonnulli asseuerãt quòd Deus & pater subiecerit ipsi, Christo uidelicet, omnia. Cæterùm inconsequens illud est. non enim dixit suprà de patre. Rectius igitur de Christo hoc intelligitur, qui per uirtutem diuinitatis subiecit ipsi, corpori suo uidelicet, omnia. nõ enim metuemus nequando diducamus Christum, unum enim nouimus ipsum etiã in deuersitate naturarum.

CAPVT IIII.

PRoinde fratres mei & dilecti & desiderabiles, gaudiũ meũ & corona mea, sic state in Dño dilecti.] Itaq; etsi cernatis hos gaudẽtes & gloria affectos, state uos perinde ac consistitis, sperãdo q; unà cũ Christo glorificabimur, neq; ab ea spe excidatis. Obserua aũt quãtis encomijs eos euehat. Fratres, inquit, & non simpliciter, uerũ dilecti, & adhuc desiderabiles, hoc est, à me inquisiti ut à me uideamini, ut corã me appareatis. Præterea gaudiũ, neq; hoc simpliciter, uerũetiã corona: quo nõ est aliud quiddã celebrius. Siquidẽ ante adhortationẽ eos cõmendauit, ac rursus post exhortationẽ in tanto fuerunt apud eum precio, ut tali tantoq; honore ipsos dignaretur Paulus. B

Eudochiam rogo, & Syntichem rogo idem sapere in Domino, etiam rogo & germane compar adiuua eas.] Videntur mihi mulieres istæ caput esse ecclesiæ apud Philippenses. Cõmendat itaq; has uiro cuipiam admirando, qui aut frater fuit alterius ipsarum, aut maritus etiam. Forsan autem & custos ille fuit carceris. perinde quasi dicat: Iam tandem frater es germanus, nunc genuinus uir, si in opere Domini idem iugum trahas, adiuuans illas. Nonnulli hîc in errorem inducti, aiunt Paulum hîc propriam suam coniugem precari, uerumenim uerò hoc esse haudquaquam potest. Vt enim alia prætermittam, si suam uxorem intelligere uoluisset, debuisset dicere genere fœminino, γνησία σύζυγε id est, germana coniunx.

Quæ mecum laborauerũt, in euãgelio cum Clemẽte & cæteris adiutoribus meis.] Non exiguã, inquit, partem istæ cõtulerunt auxilij ministerijq; sui etiamsi haud pauci alij essent auxiliatores. Propterea laborauerunt, siue concertarunt mecum, ait. non parũ enim tum sanè ecclesiæ conglutinabãtur coniungebanturq;, altero alterũ honorãte & adiuuãte. Verùm hodie quis noster, prò dolor, status est, cum alterũ alter dejici mus? hinc etiam fit ut simus planè diuersi ab ijs qui in ecclesiæ primordijs uixere.

Luc. 10. Liber uitæ. Quarũ nomina sunt in libro uitæ.] Animaduertis quantũ uirtutis mulierculis tribuat? Dominus enim apostolis dixit, Nomina uestra scripta sunt in cœlis. hoc & fœminis diuus Paulus attribuit, q; nomina earũ cũ reliquis inscripta sint libro uitæ, hoc est, in cognitione & iudicio Dei, quo illis uitã adiudicauit etiãnum ex fide earũ, quẽadmodum qui non credit, iudicatus est, atq; fortè etiam libro mortis insertus est.

Ioan. 3. Matt. 5. Gaudete in Domino semper.] Quomodo igit Dominus dixit, Beati q; lugẽt? quia illudipsum lugere, est gaudere. Nõ eñ simpliciter dixit, gaudete, sed in Dño. Qui aũt

Act. 5. in Domino est, semper gaudet, etiãsi torqueat uel dilaceretur. Reuertebant, inquit, à concilio gaudentes, quoniã digni habiti essent pro nomine Iesu contumelia affici.

Iterum dico gaudete.] Quia rerum natura mœrorem pariebat, per duplicationem uerbi ostendit omnino esse gaudendum.

Modestia

A Modestia uestra nota sit omnib. hominibus.] Quia suprà accusabat quosdã Paulus ceu inimicos crucis Christi, adhortatur iam, ut sese moderatè erga illos gerant, nõ odiosè, neue sint infensi, sed clementes se potius ipsis exhibeant, etiamsi hostes fuerint.

Dominus propè est, nihil soliciti sitis.] At malè habet uos, q̃ isti in uoluptatibus uiuant, uosq̃ iniuria afficiant, cum uos in afflictione laboretis? Dominus propè est, iam iudicium instat: nihil uobis sit curæ, neq̃ illorum iniuria, neq̃ uestra afflictio: reddent enim rationem isti Deo, & uos quiete uestra fruemini in sempiternum.

Sed in omni ratione & obseruatione cum gratiarum actione petitiones uestræ innotescant apud Deum.] En aliam consolationem, orare in omni re cum gratiarum actione. quomodo enim quisquam futura rogauerit, qui sese pro prioribus beneficijs non exhibuit gratum? Itaque pro omnibus etiam ijs quæ contraria nobis uidebuntur, sunt agendæ gratiæ. Nam pro bonis in nos collocatis nos gratos esse, rerum etiam natura postulat: illud autem est animæ piæ & uerè gratæ. Huiusmodi igitur orationes patefaciunt petitiones nostras coram Deo: aliter enim factas neagnoscit quidem Deus. *Orationum utilitas.*

Et pax Dei quæ exuperat omnem intellectum, custodiet corda uestra & intelligentias uestras in Christo Iesu.] Hoc est, reconciliatio quam cum hominibus fecit, quæ excedit omnem intellectum, nedum humanum, uerumetiam angelicum. perinde ac si dicat: Quis sic nos liberauit, ut ne ullus quidem intellectus, nullaq̃ mens comprehẽdere possit (quis enim expectasset tanta nobis obuentura esse bona, nosq̃ Deo reconciliandos?) ipse porrò uos custodiat & muniat, ut ne aliquid mali intelligatis, aut cogitetis. Vel pacem dicit, de qua Dominus loquitur, Pacem relinquo uobis, ipsa custodiet uos. Etenim pax ipsa exuperat omnem intellectum, quando iubet ut pacem cum inimicis habeamus, & cum his qui nos iniuria afficiunt. Si autem hæc pax exuperat omnem intellectum, quanto magis substantia? Quod uerò ait, In Christo Iesu, hoc est in ipso uos custodiat, ut ne ab eo excidatis, sed magis perseueretis in eo. *Ioan. 14.*

B Quod reliquum est fratres.] Tanquam festinans, & nihil commune habens ad ea quæ præsentia sunt, sic inquit.

Quæcunque uera sunt.] Hoc est uirtutibus prædita. Vitium enim mendacium est & uoluptas eius.

Quæcunq̃ seuera sunt.] Ad eos qui terrena sapiunt, ijsq̃ sunt accelinati.

Quæcunq̃ casta.] Ad eos quorum Deus uenter est.

Quæcunq̃ amabilia.] Id est, Deo & hominibus grata, ut non offendant quenquã.

Quæcunque boni nominis, si qua uirtus, & si qua laus.] Videñ quòd & eorum quæ homines concernunt, rationem haberi uelit? sed non simpliciter, uerùm cum appendice hac, Si qua uirtus.

Hæc cogitate.] Quia è cogitationibus praua opera nascuntur, Hæc cogitate, inquit, quæ sunt prædicta.

Quæ & didicistis, & accepistis, & audiuistis, & uidistis in me.] Quia non licebat de omnibus exactè dicere, de ingressibus, exitibus, habitu, uerbo: in summa, inquit, quæcunque didicistis & audiuistis per doctrinam, & accepistis sine scriptis, & uidistis in me per ipsa opera. Hæc enim, ut sæpe commemoratum, optima est doctrina, seipsum formam exhibere.

Hæc agite.] Non solum cogitate, ut paulo antè dictum: neq̃ dicite solummodo, uerumetiam facite.

Et Deus pacis erit uobiscum.] Hoc est, in tranquillitate uiuetis, si hæc egeritis. Si enim pacem habeamus & ad Deum, uidelicet per uirtutem, & ad homines (Cum odientibus enim pacem, eram pacificus) erit Deus nobiscum. Qui enim & fugientes sectatur, qui accedentibus non aderit? *Psal. 119.*

Gauisus sum in Domino uehementer, quòd tandem aliquando refloruistis pro me sentire.] Non mundano more gauisus sum, neque pro uitæ huius seculi ratione, sed in Domino: non quòd refocillationem habuerim ego, uerùm quòd uos promouistis atque progressi estis. Propterea & uehementer dicit, quia pro ipsorum salute & commoditate. Clàm uerò obiurgans eos super præsenti tempore, quasi doceat continuò ac semper impartiendum, id tamen adumbrauit. Nam istud tandem aliquan-

aliquando, longi temporis lapsum demonstrat. Refloruistis autem dixit, ueluti de arefactis, postquam germinassent, ac denuò repullulascentibus. Et uos, inquit, cum essetis floridi, emarcuistis, deinde refloruistis. Itaq; hæc pariter obiurgatio est, & laus, non enim parum est, eum qui exaruit, repullulascere. Vt ne uerò existimes q; & in reliquis exaruerint, intulit, Vt pro me sapiatis, in hoc solũ ut solliciti sitis in subministratione eorum quæ mihi sunt necessaria. Suboritur hic quæstio: Quomodo is qui dicit Act. 20. Beatius est dare, quã accipere: & rursus ad Corinthios, Satius est mihi emori, quàm 1. Cor. 9. ut gloriationem meam quisquam euacuet: nũc inuenitur accipere? At illic non iniuria nihil accipiebat, propter pseudoapostolos, qui se nihil accipere simulabãt, ut in 2. Cor. 11. quo gloriantur, inquit, inueniantur sicut & ego. Et enim non simpliciter dixit, non infringet gloriatio mea: sed, In finibus Achaię. Alias, inquit, ecclesias deprædatus sum. illic itaq; consultò non accipiebat, hîc uerò dilecti sunt dantes, ac desiderabiles, à quibus nisi accepisset, perturbasset eos. Insuper & accipere, pro dantibus magis est. etẽ maiori commoditate afficiunt dantes quàm qui accipiunt. Quod uerò ait, Beatius Eph. 4. est dare, quàm accipere, non est simpliciter interdictio accipiendi: uerùm comparatio est, quæ id quod melius est submonstrat. Non enim quia potius est aurum, quisq; uetat ne argentum habeas. Aliàs autem & ille laborare præcipit, ut ita ex labore & opere nostro, habeamus quod alijs impertiamur, atq; sic sanè faciundum est. Sin uerò occasio seu tempus operandi non fuerit, ut si bella uel tumultus uel ægritudo remoren ur, quid tum faciundum? nónne accipiendum est? Equidem opinor.

Sicut & sentiebatis.] Hoc est, gerebatis quidem in corde pro me solicitudinem uestram, & pro me soliciti eratis. nam & in more uobis est, ut pro me soliciti sitis.

Non habebatis autem opportunitatem.] Non socordiæ uestræ fuit, inquit, sed necessitatis istud: hoc est, non habebatis in manibus uestris, neq; abundabatis. A cõmuni loquendi consuetudine hoc desumpsit. Solemus enim dicere, Angustia me inuasit, magnis in difficultatibus id temporis uersamur.

Non quòd per penuriam hęc dicam.] Non propterea de uobis conqueror, q; penu β ria angar, atq; meam ipsius rem spectem.

Ego enim didici, in quibus sum, ijs contentus esse.] Obseruas hic difficile esse transactu, ut aliquis sit contentus suis rebus, suaq; sufficientia gaudeat, tum q; exercitio & meditatione opus habeat: Didici enim, inquit.

Scio & humiliari, scio & abundare.] Id est, paucis etiam uti noui, & famem perferre, & penuriã & rursus exuberare. Et qualis hæc uirtus est, nouisse exuberare? Omnino certè magna: plures em̃ abundantia, rerũq; luxus subuertit q̃ penuria, ad plures cupiditates & absurdas accendens. Quomodo aũt nouit Paulus abundare? Quoniã in alios impendebat, nec gaudebat superabundantia, cæterùm æqualis erat in saturitate & indigentia. neq; enim ob hanc laxabatur, neq; ob inopiam comprimebatur.

Abũdare scire, quid sit.

In omni & in omnibus institutus sum.] In omni longo tempore, & in omni re, & in omnibus quæ obiter incidunt, experientiam accepi.

Et satiari, & esurire, & abundare, & penuriam pati.] Israelitæ neq; esurire nouerunt: oblocuti sunt enim Domino Deo, dicentes: Nunquid poterit Dominus Deus parare mensam? Sed neq; satiari: Manducauerunt enim, & impleti sunt, & recalcitrarunt. *Psalm. 77.* Verùm Paulus & Christiani sese aliter gerunt. Monstrat autem per hæc, q; neq; antea, cum non conferrent, tristaretur, neq; nunc quod darent gauisus sit humana ratione, sed eorum nomine lætatum se indicat, q; ipsi per hæc adiutarentur.

Omnia possum in eo qui me confortat, Christo.] Quia sentiebat, q; magna de se locutus esset, ait, Non meum opus est; sed, Eius qui robur dedit, Christi.

Veruntamen bene fecistis, communicantes tribulationi meæ.] Quia dixit, didici esse contentus, ne propter hoc Philippenses offenderentur, ceu non libenter accepisset, neq; grato animo quæ obtulissent: sed inutilia hæc reputasset (solẽt enim dãtes offendi, si quando accipientes asserant se non indigere) huic rei medetur, inquiens: Veruntamen rectè fecistis, hoc est, etsi non opus habeam, attamen gratiam & munus uestrum accepi. Expende hic sapientiam, quomodo rem attollat. Communicantes afflictioni meæ, inquiens, pares ipsos sibi constituit: Ego quidem hæc patior: quia uerò mei curam gessistis, Deus etiã uos pro colluctatoribus & adiutoribus mei repu-

reputat. Per ea igitur quæ in superioribus memorata sunt, fastum eorum deiecit: per
A ea uerò quæ nunc dicunt, prōptitudinem & alacritatē eorum excitat & corroborat.

Scitis autem & uos Philippenses, ꝙ in principio euangelij, quando profectus sum à Macedonia, nulla mihi ecclesia communicauit in ratione dati & accepti nisi uos soli.] Quia uidebatur eos suprà carpere, cum diceret, Tandem aliquando reflоruistis: sapienter iam nunc hoc excusat. Hoc ipsum, inquit, quòd uisus sum uos carpere, nō feci tanquam uoluerim quicquam accipere, sed quòd plurimū sim uobis confisus, cum quòd uos mihi eius rei causa estis. primi enim uos inter cæteros aggressi estis rationem habere necessitatis meæ. Atq; hinc accepta fiducia, uos obiurgare uisum est, ut eos qui quod consueuerant facere prætermiserint. Ingens igitur encomium est, ꝙ in principio euangelij, tum ꝙ non solum cum apud uos agerem, sumptum mihi suppeditastis, uerumetiam quando exiui è Macedonia, hoc est, quando ex uestra regione ac finibus discessi. Non dixit autem, Nulla mihi ecclesia dedit: cæterùm, Nulla ecclesia cōmunicauit mecum in ratione dationis & acceptionis. Etenim communica- 1. Cor. 9.
tio est res ipsa. Das carnalia, & accipis spiritualia. perinde ac alio in loco: Si nos uobis spiritualia seminauimus, magnum est si nos uestra carnalia metamus? Aliæ igitur ecclesiæ non communicarunt in ratione dationis carnaliū, & acceptionis spiritualium.

Quia & Thessalonicam semel & bis in usum mihi misistis.] Magnum & hoc ipsorum præconium est, quòd in Metropoli agens, à parua alebatur ciuitate. Vsum enim siue necessitatem, necessarios sumptus appellat: necessitatem inquam, non delicias neq; luxum.

Non quòd quæro datum, sed requiro fructum abundantem in rationem uestrā.] Quia humile quiddam prolocutus erat, dicens ad necessitatem meam: ne ex hoc extollantur illi, Non hæc, inquit, dico, ꝙ inquiram uestra dona, sed uestri cōmodi causa, ut uos fructum referatis, qui fructus in rationem uestram est, hoc est, uobis cōmodat. Viden' quòd ipsi adiuuabantur dando?
B

Habeo autem omnia, & abundo.] Quia dixit, Non quæro: ut ne rursus eos socordes magis reddat (quanto enim fuerint sapientiæ studiosiores ij qui benefaciunt, tanto maiorem quærunt gratiarum actionem ab ijs quibus beneficia impertiuntur) Habeo, inquit, omnia, & exubero: id est, hoc dato uestro nedum quæ nobis defuerant replestis, uerùm & superadiecistis. Dicens autem habeo, † tanquam debebito, ut ne cristas erigant. Rursum exhilarans, ostendit quòd ultra etiam debitum fecerint, abundantia mittentes. † ἀπέχω, id est, habeo, recepi.

Repletus sum posteaquā accepi ab Epaphrodito quæ misistis odorem suauitatis, hostiam acceptam, beneplacentem Deo.] Orem admiratione dignam. Quónam donum ipsorum sustulit? Non ego, inquit, accepi, sed Deus per me. Proinde etiamsi ego non indigeam, ne sit curæ uobis, quandoquidem neq; Deus indigebat, sic tamen accepit ut & scriptura dicat, Odoratus est Dominus odorem suauitatis, ut ne si audiamus Deum hisce non egere, segniores in dando efficiamur.

Deus autem meus impleat omnem necessitatem uestram secundum diuitias suas in gloria, in Christo Iesu.] Postquam in superioribus dixerat, † Non habebatis oppor- † ἠνκαιρεῖσθε.
tunitatem, hoc est, eratis in angustia, precatur nunc ut & ipsi satis habeant. Quòd si philosophi & eruditione graues & prudentes fuissent, non imprecatus esset eis corporalia. Quia uerò sunt homines huius uitę negocijs occupati, aliquam etiam præsentium cupiditatem habentes, imprecatur eis, acquiescendo illis, non abundantiam aut delicias, sed necessariarum rerum copiam. Impleat enim, inquit, omnē necessitatem uestrā, ut ne sitis in indigentia. præterea ne arbitrētur ꝙ ad angustiam eos uelit conijcere, subdit, Iuxta diuitias suas, hoc est abundè & largè necessaria uobis dare potest: quare ad gloriam ipsius utimini facultatibus. Quod autem ait, In Christo Iesu, sic potest intelligi, ꝙ pater faciet hæc mediante Iesu. Potest etiam hac ratione intelligi, in gloria quæ ad Christum refertur. Infert igitur:

Deo uerò & patri nostro gloria in secula seculorum. Amen.] Quia dixerat, In gloriā filij: subintulit ꝙ gloria ipsa Christi, sit etiam gloria patris.

Salutate omnem sanctum in Christo Iesu.] Haud parum beneuolentiæ est, per literas eos salutare.

Salutant

Salutant uos qui mecum sunt fratres.] Fuerunt enim plures cum ipso fortasse, qui etiam ex Roma erant, qui tamen tales non erant, ut apostolicam reciperent functionem. Solus enim Timotheus erat huiusmodi, quem & suprà eiusdem secum animi, uel æquanimem nominauit. Haud refugit tamen hos etiam fratres appellare. A

Salutant uos omnes sancti, maximè qui ex Cæsaris domo.] Confortat eos, ostendens q̃ & regiam domum euangelij prædicatio attigerit: & q̃ si illi qui in regia uersabantur, omnia propter Christum posthabebant, quanto magis uos inferiores hisce idem facietis? Pariter autem submonet quòd ipsorum mentionem fecerit, eorumq̃ uirtutis apud illos meminerit, alioqui enim non potuisset eos qui in regia essent in desiderium eorum pertrahere, ut salutarent ipsos.

Gratia Domini nostri Iesu Christi cum omnibus uobis. Amen.] Est in more Paulo, uoto claudere epistolã. pariter eos docẽs, ut si quas habeant uirtutes, eas ex gratia Dei habere se nouerint, et credant, & non propter eas extollantur: sic enim futurum, ut gratia nunquam non sit apud eos permansura, si non extollantur. Contingat aũt & nos omni uirtute, maximè ea qua alijs impertiamus, abũdare per gratiã Christi, ut & nos ipsi adiuti, ꝓpterea q̃ omnib. indigẽtibus impertiamus, potisimũ uerò ijs qui pro Christo patiuntur, fruamur diuitijs bonitatis ipsius, cui gloria in secula. Amen.

Scripta est ex Roma per Epaphroditum.

AD COLOSSENSES EPISTOLAE PAVLI per Theophylactũ Bulgariæ archiepiscopum Enarratio.

ARGVMENTVM.

Pauli epistolæ è uinculis, sanctissimæ.

OMnes quidem diui Pauli epistolæ sanctæ sunt, maximè uerò quæ à uinclo ipso mittuntur, tanquam iam primas in bello consecutus, & uictoria parta, in media cæde trophæa statuens eas conscripserit. Nõnit autem & ipse hoc magnum esse, atq; ad honorem pertinere. Philemoni enim scribẽs ait, Quem genui in uinculis meis. Hoc autem dixit, ne & nos contristemur ob pericula quædam, sed potius honori nobis ducamus propter Christum contumeliam ferre. Sunt autem multæ huiusmodi epistolæ, ad Ephesios uidelicet, & ad Philemonem, ad Timotheum, & Philippenses, atq; hæc ipsa ad Colossenses, quas ipse in uinculis suis conscripsit. Quemadmodum autem Romanis cum eos non uidisset antea, & Hebræis scripsit tamen, pari ratione hisce antea non uisis literas mittit. Apud hos autem erat Philemon et Archippus, cuius curæ mihi uidetur ecclesia quædam fuisse commissa. Scribit autem Colossensibus tali de causa. Prauum quodpiam & impium dogma in eos inuaserat, iamq; floruerat. Arbitrabantur enim, non per filium, sed per angelos sese ad Deum & patrẽ adduci, absurdum putantes credere quòd filius Dei in extremis temporibus apparuerit, cum in ueteri Testamento per angelos omnia fierent. Habebant autem obseruationes multas Iudaicas & Græcas, dies obseruantes, & tempora, & cibos: quæ omnia cum indigerent correctione, mouerunt apostolum ut scriberet hanc epistolam. B

CAPVT I.

PAulus Apostolus Iesu Christi, per uoluntatem Dei.] Principiò statim tollit dogma eorum clanculũ, non enim angelorũ est apostolus, sed Iesu Christi, atq; hæc est uoluntas Dei, ut illius sit apostolus, non angelorum. Quòd si per uoluntatem Dei sum apostolus, planum est q̃ uera prædicem. Quæ autem sunt hæc? quòd à filio adducti sumus ad patrem, quòd liberati sumus & à Iudaicis & Græcis obseruationibus. Animaduerte hîc, q̃ præpositionem (per) patri tribuerit.

Et Timotheus frater.] Igitur & ipse apostolus fuit. Erat autem par & hunc ipsis innotescere.

Iis qui sunt Colossis sanctis, & fidelibus in Christo.] Vrbs est Phrygiæ, Colossæ, quę nunc dicũtur Chonæ. quod inde perspicuum est, quòd Laodicea huic sit uicina. Vnde autem sancti facti estis? Nónne per baptisma in mortem Christi? Vnde fideles? nónne quia in Christum creditis? nónne quia tanta sunt uobis à Christo credita mysteria? Fideles autem non in Deo tantum uocamur, quia credimus, sed quia credita sunt nobis de Deo arcana, quæ ne angeli quidem norant. Vnde fratres? num per propria opera, uirtutúsue operationes? Minimè, uerùm in Christo. Ecquî igitur angelis asscribitis accessum ad Deum & reconciliationem?

Gratia

A Gratia uobis & pax à Deo patre noſtro.] Chriſti nomen hîc non apponit, licet id ei ſit in more: ne ſi ſtatim in epiſtolæ exordio eis apertè repugnet, à reliquo argumento harum literarū eos reſilire faciat. Dicat aũt hîc qui ſpiritus authoritatẽ eleuant, unde pater noſter Deus dicatur, nónne per ſpiritum? Magna adeoq; ingenij noſtri captum excedentia quis donauit? nónne ſpiritus? quomodo igitur authoritatem eius imminuis?

Gratias agimus Deo & patri Domini noſtri Ieſu Chriſti, ſemper pro uobis orantes.] Ieſus Chriſtus eſt Dominus noſter, non angeli qui ſunt ſerui. Non ſolùm autem per gratiarum actionem, uerumetiã per aſsiduam pro ipſis precationem, charitatem ſuam oſtendit. Quia etiam quos non uiderat, hos ſemper in corde ſuo habebat.

Audientes fidem ueſtram, quę eſt in Chriſto Ieſu.] Gratias agimus, inquit, eo quòd audiuerimus ab * Epaphra fidem ueſtrã, non eam quam in angelos, ſed quam in Dominum Ieſum habetis. Per hæc autem præoccupationem facit. Quinetiam nomina hæc, Chriſtus & Ieſus, beneficentiæ ſunt ſymbola. ipſe enim unctus eſt pro nobis, & ipſe ſeruauit populum à peccatis.

* Epaphrodito habet græcus codex Baſilienſis, & etiã Chryſ. ſed mendoſe ut fallor. 1. Cor. 9. Philip. 4.

Et dilectionem quam habetis in ſanctos omneis.] Non erga hunc uel illum, ſed erga omnes, quare & erga nos: quare audietis nos libenter. Conciliantis autem eos ſibi hæc uerba ſunt. Videtur autem mihi per dilectionem eleemoſynam & communicationem dicere, perinde ac in alijs locis.

Propter ſpem quæ repoſita eſt uobis in cœlis.] Diligitis, inquit, ſanctos: nõ humani cuiuſpiã cõmodi gratia, uerũ quia futura bona ſperatis: uel, gratias agimus, quia incorruptibilia bona cõſecuturi eſtis. Non enim in terra ſunt repoſita, ut corrumpantur: ſed in cœlis, ut ſtabilitatẽ habeant. Ne igitur ambigatis de ſpe: in tuto enim repoſita ſunt. hoc aũt pertinet ad eos qui tentantur, ut ne hîc quietẽ inquirant: neq; defatigentur tentationibus, ut qui magnam retributionem expectent.

Quam prius audiuiſtis in uerbo ueritatis euangelij.] Non dixit Prædicationis, ſed
B Euangelij, ut commoneſaciat eos beneficiorum Dei. propter bona enim Euangelium eſt. Si autem uerbum ueritatis eſt, nullum mendaciũ eſt in ipſo. Quomodo igitur uos mendax ipſum facitis, non credentes, quemadmodum iam antea inſtituti eſtis ab ipſo, quòd per Chriſtum ſit ſalus? Quis autem erat qui illic prædicauerat? Epaphras, perinde ac in ſequentibus planum fit.

Euangeliũ, ſermo ueritatis.

Quod præſens eſt apud uos, quemadmodum in uniuerſo mundo.] Tanquam de re animata dixit, Quod præſens eſt. Nõ aduenit ad uos, inquit, ac defecit à uobis: ſed præſens eſt, ac dominatur in uobis. Per hæc autem exhilarat eos. Quia uerò plericq; firmantur potius quando & participes habuerint dogmatũ, addit propterea, & in omni mundo. Vbicq; enim eſt, & ubicq; conſiſtit.

Et fructificat & creſcit.] Fructificat per opera, creſcit autem, q; multi ad fidem paſſim recipiantur. Atqui fructum non protuliſſet, niſi firmatũ fuiſſet, arbores enim quando corroboratæ fuerint, plurimum fructus proferunt.

Sicut & in uobis.] Anteuertit eos perinde ac ſuprà, laudibus, ut ne facilè deficiant. Si enim ad omnes, ergo ad uos etiam eſt prædicatum Euangelium: quomodo nunc igitur nonnulli diuerſa tradunt ac docent?

Ex ea die qua audiuiſtis & agnouiſtis gratiam Dei in ueritate.] Fructum, inquit, profert, ac creſcit Euangelium in uobis, ab eo die quo agnouiſtis gratiam. Quomodo? Non in impoſtura & uerbis temerarijs, ſed in ueritate, hoc eſt, ſignis & operibus admirandis.

Sicut & didiciſtis ab Epaphra.] Sic agnouiſtis ipſis, inquit, operibus gratiã, perinde ac docuit uos etiam Epaphras. non enim alia quidem facta ſunt, alia autem docuit. Iſte enim, quemadmodum uidetur, prædicauit Coloſſenſibus.

Dilecto conſeruo noſtro.] Viri hîc authoritatem denunciat. Non enim diligerem eum ego Paulus, niſi ſcirem eum eſſe uerũ præconem, nec conſeruũ ipſum nominarẽ.

Qui eſt uerus pro uobis miniſter Chriſti.] Pro uobis, inquit, in rebus ad Chriſtum pertinentibus miniſtrauit, cum uidelicet ad Paulum abijt, eumq; conſolatus eſt in uinculis, cumq; indicauit ei res Coloſſenſiũ. Si autem Chriſti miniſter eſt Epaphras, quomodo affirmatis uos per angelos reconciliatos eſſe?

Qui etiam manifeſtauit nobis dilectionem ueſtram in ſpiritu.] Hoc eſt, ſpiritualem

Amor ex spiritu, stabilis.

charitatē quā habetis erga me, ipsa em̄ stabilis est in spū dilectio. Amor em̄ naturalis, ut parentū erga liberos, liberorumq; erga parentes, & amicorū amicarūq;, instabilis est. A

Ideo & nos ex qua die audiuimus, nō cessamus pro uobis orare.] Ideo, quare? Quia, inquit, audiuimus fidem uestrā & dilectionem, bonam spem cōcipientes de obuentu-ris uobis bonis, oramus pro uobis nō unum diem neq; duos, sed omni tempore à quo ista audiuimus. Monstrat aūt per hæc simul charitatem suam erga eos, ac clanculum illos reprehendit, siquidem orationibus eius adiuti, nondū tamen seipsos perfectè recollegerūt, nec emendarunt. Obserua hîc q; multis orationibus nobis opus sit, & assiduis: nam & Paulus citra intermissionē orat, ac etiamsi nondū perficeret, nō desistit tamen.

Et postulare, ut impleamini agnitione uoluntatis eius.] Neq; omnino imperfectos, neq; omnino perfectos per hæc significat. Non enim dixit, Vt accipiatis, uerùm ut impleamini. Habetis enim, sed nondum totum. Et quod reconciliati sitis, agnouistis quidem: quòd uerò per filium Dei, hoc deest uobis, nec satis nostis, quare oro hoc impleri in uobis. Voluntas enim & Dei beneplacitum est, quòd filium suum pro nobis dederit, non angelos. Agnitionem igitur, cognitionis additionem, intellige.

Philosophi fallaces.

In omni intellectu & sapientia spirituali.] Quia eos philosophi decipiebant, uolo, inquit, uos per spiritualem sapientiam discere institutionem ac doctrinam Euangelij, nō iuxta sapientiam hominū, per quam nunc decepti, arbitramini uos nouisse. Si autem ut uoluntatem Dei discamus, spirituali sapientia opus est: quid dicet aliquis de ijs qui sese Dei essentiam ex externa sapientia nouisse gloriantur?

Vt uos ambuletis dignè domino.] Oro, inquit, ut discatis uos q; seruati sitis per unigenitū, ut ambuletis uos, hoc est, ut secundū uirtutē uiuatis. Qui enim clementiā Dei didicerit, q; filium suum pro nobis dederit, quomodo non studebit seipsum dedere uirtutis laboribus, adeoq; eò, ut crucem ipsius tollat? ambulare nanq; ad uitam & conuersationem pertinet, ut dictū est. Vbiq; aūt fidei, uitæ rationem & conuersationē connectit. Et aliter nō oramus, inquit, ut discatis tantummodo, uerùm ut operibus quoq; demonstretis. qui enim nouit uoluntatem Dei, & non facit, punietur. Animaduerte aūt, quomodo semper ambulationē, uitam conuersationemq; appellat, ostendens q; perinde ac nunquam non ambulare nobis, necessarium est, sic & optima uita necessaria est. B

Per omnia placentes, in omni opere bono.] Vt sic, inquit, uiuatis, ut per omnia placeatis Deo. Quî uerò hoc fit? Nō aliter, nisi in omni opere bono. ubi enim omne opus bonum est, ibi & plena Dei complacentia. Considera autem quomodo ubiq; omne apponat, In omni sapientia, & in omni opere bono per omnia placentes, siue ad omnem complacentiam, & ad omnem longanimitatem, ostendens quòd habeant quidem & nunc, nondum tamen totum, quare consummationem eos assumere oportet.

Fructificātes & crescētes in agnitionē Dei.] Quēadmodū, inqt, nouistis Deū perfectius q; q olim uixere, hāc ad rationē debetis & in uita crescere iuxta mensurā cognitionis. Qui em̄ tātis est donatus bonis, ut Deū sciret, utq; filius Dei esset, quāta opus habet uirtute? Vel, quia oportet uos, pferre fructū bonorū operū, sed ut & agnitionē Dei habeatis quēadmodū cōuenit, nō aūt quēadmodū nūc uidemini habere. Quę em̄ cōmoditas uitę & cōuersationis uestræ, si ignoretis filiū Dei? Cōtemplare aūt q; suprà eos cognitione dixerit indigere ad hoc ut dignè dño ambularēt: nūc rursus exigit ab eis ut crescāt in operibus bonis, ut simul Deū etiā agnoscant. utrunq; enim utriusq; est constitutiuū.

In omni potentia cōfortati.] Precamur ut impleamini in omni potentia confortati, ad quid? aduersum tentationes & persecutiones, ut ne torpeatis neq; desperetis.

Secundū potentiā glorię eius.] Vt huiusmodi det uobis potentiā, qualem decet eum dare, ineffabilē & infinitā uidelicet, ueruntamen qualē possibile est ab homine accipi.

Longanimitas.

Multa aūt & magna est cōsolatio. Non enim dixit δυνάμιν, sed κράτος, potentiā, robur, dñm: q̄d maius est; quasi dicat, ubiq; eius gloria dominat. Ne igit & uos in reb. asperis ac tristib. lāgueatis: cōfortabimini em̄ ut par est eos q; dño adeò forti ac celebri seruiāt.

Ad omnē patientiā & longanimitatē.] Cōfortati ad omnem patientiā quæ est erga eos qui foris sunt: longanimitatē, quæ sit inter uos mutuò. Est enim aliquis longanimis erga eos quos ulcisci possit: sustinet aūt quos nō potest ulcisci. Propterea & de Deo nō dicitur ὑπομονή seu patientia, sed longanimitas, ut qui possit quidem quos uelit excindere, tolerat tamen. Ad omnem aūt dicit, non nunc quidem, postea uerò nō amplius, sed perseuerantē. Vt igitur in summā cōtrahamus sermonē, hoc dicit: oramus ut perfectè accipiatis agnitionē dogmatis, nō in sapientia mūdana, sed spirituali, utq; uitā uirtuti-

tutibus præditā habeatis, ut possitis firmiter stare aduersus tentationes, cōfortati, ut par est
A à Deo confortari, ut & erga exteros patientiam ostendatis, & erga fratres longanimitatē.

Cū gaudio gratias agētes patri.] Accusaturus eos q̄ circa dogmata nō rectè habeāt, præ mitigat sermonē, ut ne uideat eos tanquā hostis accusare. Cū igit̄ antea dixisset, Oro p̄ uo bis, ut hęc & illa uobis bona contingāt, q̄d omnino nō est inimici: ait nūc, Cū gaudio gra tias ago p̄pter bona quæ uobis obtigerūt. itaq; nō ex odio accuso uos, sed ex charitate. O ptarim q̄dē omnino me posse uos cōmendare, ex necessitate aūt ad accusandū uos addu cor. Sic & in epistola ad Corinthios facit. Tacitè aūt eos p̄ducit ad sermonē de filio. Si em̄ cū gaudio gratias ago, sunt itaq; magna q̄ antea in uobis bona fuere. Hęc aūt nō serui an geli, sed Dominus filius dedit. Quō aūt dixit, gratias ago cū gaudio: ideo, q; & in mœrore gratias agere liceat, quemadmodū & Iob gratias agebat in mœrore cōstitutus, Dominus *Iob 1.*
dedit, Dominus abstulit. Non enim ab eo morsum quispiam abstulerit, ut adeò non mo morderit eum calamitas ista: sic enim & laudem eius abstulerit, siquidem tanquam insen sibilis perseuerabat. Atqui mordebatur quidem, sed non saucíabatur.

Qui dignos nos fecit.] Quęnā igit̄ sunt quę data sunt? ut nedū opulētos uos reddiderit, uerūetiā sufficientiā uobis & uirtutē dederit, ut hæc dignè accipere uideamini. Exēpli gra tia, Rex quispiā, tenuis fortunę cuipiā p̄fecturā fortè credēs atq; cōmittens, dignitatē q̄ dē dedit, nec tamē sufficientē fecit ut acciperet principatū dignè, atq; ut posset gubernare ipsū: unde & sæpenumero ridiculū honor fecit. Deus aūt nos & honorauit, ac sufficientes fecit ut accipemus honorē. Duplatio aūt honoris est, q; etiā nos parauit ac fecerit idoneos.

In partē sortis sanctorū.] Hoc est q̄ cū sanctis collocauit: nec id sic simpliciter, uerùm ipsi dē etiā frui exhibuerit, q̄d p̄ partē significat. Licet em̄ in eadē urbe diuersari, nec tamē ean dē habere partē: ac rursus in eadē sorte esse, sed nō eādē habere partē, ut in eadē sorte eccle się omnes sumus, uerùm alius aliā partē habet. Hîc aūt & eadē nos sorte donauit, & eadē parte. Sortē aūt ubiq; uocat, ut ostendat q; quemadmodū sors nō est humanæ diligentiæ *Sors in sa cris literis.*
neq; conatus, sed fortunæ potius uidetur: hāc ad rationē nos non ex nostris uirtutibus re
B gno digni iudicamur, sed diuinæ totum est gratiæ. Propterea cum omnia perfeceritis, in- *Luce 17.*
quit, dicite quòd inutiles serui sumus. quod enim debuimus facere, fecimus.

In lumine.] Et futuro & præsenti, id est scientia. Nunc enim illuminauit etiam nos, re uelans nobis mysteria, & in futuro maiorem largietur claritatem.

Qui eripuit nos à potestate tenebrarū.] Nō hoc solū magnū est, q; nos regno donarit, ue rūm q; nos q̄ tales prius eramus. nō em̄ pinde est dignis aliq̄d dare, & indignis. Quod & in epistola ad Romanos ingt: Vix em̄ p̄ iusto q̄s moriē. Qui igit̄ sub potestate tenebrarū *Rom. 5.*
erāt, hoc est, erroris uel seductionis tyrānidis diaboli. Nec dixit à tenebris simpliciter, sed à potestate: multā enim nostri potestatē habebat, ac dominabaē. Porrò graue est simplici ter sub diabolo esse: uerùm potēter ei subíjci, hoc longè est grauius. Non dixit aūt eiecit, sed eripuit, ostendens quòd tanquam captiui afflígebamur, & in ærumnis detinebamur.

Et trāstulit in regnū filij dilectionis suę.] Ardua res est & magna à tenebris nos liberare: at in regnum etiā nos introducere, est longè maius: nec simpliciter, uerùm ut simul regne mus cū filio dilectionis. hoc est, dilecto, q; hostes eramus, ac tenebris immersi: q̄d & alio in
loco ait: Si cōpatimur, & cōregnabimus. Nō dixit aūt trāsposuit, q̄d totū trāsponentis es- *2. Tim. 2.*
set: sed μετέστησεν, trāstulit siue trāsmutauit, ut esset aliq̄d etiā nostrū. Indicat aūt p̄ eā dictio nem, facilitatē etiam potentiæ Dei, perinde ac si quis mílitem de loco in locum traducat.

In q̄ habemus redemptionē, remissionē peccatorū.] Vt ne cū audis q; eripuerit nos pa ter, existímes filiū nihil boni nobis exhibuisse, deinceps ait: Quod maius est, dedit nobis fi lius, ut & nos in regnū trāsferamur: ipse est causa, donās nobis redemptionē, hoc est remis sionē peccatorū. Nisi em̄ liberati essemus, atq; ab his dimissi, nō essemus trāslati in regnū. Itaq; suo dono uiā patrí præparauit. Non dixit aūt λύτρωσιν, hoc est liberationē: sed ἀπολύ τρωσιν, hoc est redēptionē. id est, p̄fectè nos liberauit. ut ne deinceps impingeremus, neq; efficeremur mortales, tāq̄ obnoxij peccato Adami. Quoniā igit̄ ipse liberauit, etiā recōci liauit. Quō ergo dicitis hoc p̄ angelos uobis obtigisse? Obserua hîc, q; (in q̄) de filio dicaē.

Qui est imago Dei inuisibilis.] Naturę celebritatē, dignitatis q; unigeniti maiestatē hoc loci ponit. Imago, ingt, est Dei, igitur est p̄similis, nō em̄ habes mensurā magnitudinis, ut *Imago Dei.*
dicas quantū imminuaē. Si em̄ imago esset quatenus est homo, poteras aliq̄d dicere, nēpe q; imago nō perueniat ad exēplar primū, primāq; formā. Quia uerò imago est quatenus est Deus, deiq; filius, nihil euariās est imago in Deo, inuisibilis nimirū Dei inuisibilis ima go. In nobis aūt qa ars humana imagines efficit, q̄ sępenumero impingit, nō habet exactā

illā & nihil differentē ſimilitudinē, imago. Vbi aūt Deus eſt, ibi nuſquā lapſus, nuſquā error, ꝓpterea & exacta ſimilitudo. Si aūt filius nō ſit ꝓſimilis inuiſibili Deo, qd ꝓhibet quominus & angeli ſint imagines, quandoqdē & ipſi ſint inuiſibiles: attamē angelus nuſquā imago dicit̄. Contēplare aūt hīc accuratā ſcripturę formā. Hominē nominat quidē imaginē Dei, & filiū, angelū aūt nuſquā. Illic em̄ angelicæ naturæ altitudo ſtatim ad impietatē homines pręcipitaſſet, exiſtimātes eiuſdē eſſe dignitatis angelū cū Deo. In homine aūt tenuitas & humilitas munit nos firmatq́, ne tale quiddā ſuſpicemur. Collige igit̄ quoniā unigenitus, q inuiſibilis eſt, & imago, per utraq́, per hoc qdē ꝙ imago ſit, diſcrepat ab angelis q inuiſibiles qdē ſunt, nō aūt imagines: ꝓ hoc uerò ꝙ, inuiſibilis, ab hominibus diſſepaꝛat̄, q & ipſi qdē imagines dicūt̄, nō inuiſibiles tamē. Solus igit̄ ipſe, ꝓpriè & citra ullā diſſi-

Arrianorū error.

militudinē imago eſt. Quòd ſi adhuc inſtēt Arriani, ꝙ imago nō ſit eiuſdē eſſentię cū primo exēplari, dicāt nobis, cū ſcriptura Seth affirmet eſſe imaginē Adami, nū fuerit ſimilis

Gen. 1. Seth, Adæ imago.

cū eo eſſentiæ uel ſubſtātiæ? Artificiales igit̄ imagines nō ſunt homoouſiæ, non ſunt ſimiliſ ſiue eiuſdem eſſentiæ: naturales autem omnino ſunt eiuſdem eſſentiæ.

Primogenitus omnis creaturæ.] Quia dixit eū eſſe inuiſibilis Dei imaginē, hęc iānunc infert, nēpe ꝙ ſit primogenitus creaturæ. Hīc uerò Arrianizantiū ingēs dolus ſuboritur. Poſtq́ enim (inqūt) primogenitus dictus eſt omnis creaturæ, primus eſt inter creata. Atq́ nō dixit, primò cōditus, ſed primogenitus: uel fratres etiā ei dabis, eritq́ primogenitus reſpectu mei, ranæ, lapidis, rerūq́ uiliſſimarū, cū q́ his omnibus homoouſius, hoc eſt, eiuſdē ſubſtātię. Qui em̄ primogenitus eſt, homoouſius eſt cū his quorū eſt primogenitus. uerūm in caput iſthæc blaſphemia tuū uertat̄, talia em̄ de incōparabili gloria cōditoris intelligere eſt impiū. Quinetiā primogenitus nō omnino ad ſequētes ꝓtinet aut dicit̄ in ſcriptura, ſed abſolutè ſic, primus natus. Hac itaq́ ratione deipara uirgo Maria peperit eū ſecundū carnē primogenitū, q omnino nō habuerit fratres poſt ſeſe. Vnigenitus em̄ ratione uirginis matris. Hūc ad modū ex patre eſt primogenitus, nō cęterarū creaturarū reſpectu, ſed abſolutè. unigenitus em̄ ſecundū ſupernā iſtā & æternā natiuitatē. Quid igit̄ eſt ꝙ Paulus e-

Vnigenitus Dei filius.

tiānū ad argumentū quo urgebāt̄ Coloſſenſes, inſtat, atq́ refutat Coloſſenſiū opinionē: ut ne exiſtimēt Chriſtū eſſe recentiorē ſiue iuniorē angelis: ſiqdē olim quidē ꝓ illos adducebant̄ ad Deū, nūc uerò ipſe adducere dicit̄. Vult itaq́ cōmōſtrare, ꝙ ante omnē creaturā adeoq́ cōditū mundū ſit filius. qūo ꝙ generationē: quare & hac ratione angelis eſt prior, atq́ ita ut & ipſe eos cōdiderit. Igit̄ etiā ſi qd angeli in ueteri teſtamēto adminiſtrarūt, ipſius eſt. Sapientiā itaq́ apoſtoli hīc animaduerte. Ne arbitreris cū audis eū ante omnē eſſe creaturā, ꝓpterea carere principio, docet idcirco te ꝙ patrē habeat, eq́ ipſo ē gēitus. Quia em̄ & ipſe & omnia ex Deo ſūt, illud ipſū indicat, ꝙ alia ratiōe hęc, alia uerò ratione ille ex Deo ſit: tū ꝙ ille ceu ex patre filius, hęc uerò ceu creaturę ꝓ hūc ipſū filiū cōditę. Infert igit̄:

Quoniā in ipſo cōdita ſunt uniuerſa quę ſunt in cœlis, & quę in terra.] In ipſo eſt ꝓ ꝓ ipſum, perinde ac in ſequentibus ipſe indicat. Porrò ꝙ ambiguū erat, de rebus nempe cœleſtibus, primum poſuit. Si igitur angeli per eum ipſi conditi ſunt, qūo ſunt priores ipſo:

Viſibilia & inuiſibilia, ſiue throni, ſiue dominationes, ſiue principatus, ſiue poteſtates.] De uiſibilibus ſubtiliter loq́ prętermittēs, ut de quib. nihil eſſet cōtrouerſię: de ambiguis, de quib. dubitabat̄, inuiſibilib. nimirū, ſpeciatim diſſerit. Nō prorſus ſupnos tū ornatus ſigillatim expreſſit, ueluti ex maiorib. minora etiā indicās, atq́ adeò pateſaciēs. Inuiſibilia nanq́ ſunt etiā archāgeli ſanè & angeli & noſtrę animę, itaq́ ex illis hoc etiam colligatur.

Omnia ꝓ ipſū & in ipſū ſunt cōdita.] En q̄d pauloātè dixit in ipſo, tā ꝓ ipſum ait, ſicut &

Ioan. 1.

euāgeliſta Ioānes, Omnia ꝓ ipſum facta ſunt. Omnia aūt dicēs, ſpiritū nō cōprehendit. nō enim ſpiritus unus eſt ex illis omnibus, ſed unus eſt abſolutè, quemadmodū unus Deus, & unus Dominus. Omnia igitur quæcunq́ facta ſunt, ꝓ ipſum ſunt cōdita. Deinde ne putes ipſū eſſe miniſtrū uel ſubcōditorē, adiēcit, & in ipſū, id eſt, in ipſum pendēt omnia. Nec ipſe ea tantū condidit, uerūetiā ea ipſe cōtinet. Itaq́ ſi ab eius ꝓuidētia auellanī, pereunt. Nō dixit aūt, ad ipſum ꝓtinēt, ſed q̄d exactius eſt, in ipſum reſpiciūt, uergūt & ab eo pendent. Atq́ hoc ipſum in eū reſpicere, ſatis eſt ut cōtineat atq́ pariter ea cingat. Hoc aūt nō minus eſt q̄ creare, quantum enim ad eas res quæ à nobis proficiſcuntur, eſt multo maximū. Etenim nos conficimus pallium quoddā fortaſſe, uel domum extruimus: conſeruare autem ipſum à corruptione non poſſumus. Ipſe autem & fecit & conſeruat.

Et ipſe eſt ante omnia, & omnia in ipſo conſiſtūt.] Cōtinuò eadē uerſat, uerborū cōtinuitate tanquā quibuſdā denſis ictibus radicitus euellēs pernicioſū dogma. Obſerua aūt ꝙ nō dixerit, factus eſt ipſe ante omnia, ſed eſt, ꝙ Deo maximè propriū. Vbi hic Paulus

eſt

A est Samosatēsis, q̃ à Maria ipsū cœpisse atq; initiū duxisse affirmat? In ipso porrò cōsistūt, tanquā in fundamēto: sic & primogenitus est creaturę, tanquā fundamentū. Hoc aūt non eandē cū rebus cōditis parēue essentiā significat, sed q̃ omnia in ipso ferant̃ moueāturq; *Paulus Samosatensis.*

Et ipse est caput corporis ecclesiæ.] De filij dignitate postquā disseruit, de clemētia deinceps uerba facit. Qui enim adeò supremus omniū est creator & cōseruator, seipsum inferioribus copulauit. Nec dixit plenitudinis ecclesiæ, sed corporis: ut ostendat accuratā sui erga nos coniunctionē, & q̃ homousiā nobis carnē assumpserit & non ex cœlis. Ecclesiā em̃ p̃ uniuerso mortaliū genere accepit Paulus, p̃inde ac si dicat, In generatione secundū carnem primus est hominum tanquam caput. *Ecclesia.*

Qui est principiū, primus genitus ex mortuis.] Principiū, ait, resurrectionis est, q̃ppe q̃ præ cūctis resurrexerit. Postq; aūt soluit dolores mortis, meritò primogenitus dicit̃. Habet q̃dē tanq; primitiæ, sequētes ipsū & reliq̃s: primitiæ em̃ q̃rundā sūt primitiæ. Et quēad modū uno manipulo, ueluti primitijs, oblato tota messis benedicit̃, sic p̃ ipsū oēs sanctificati sumus, & oblati: unoq; corpore resurgēte, uniuersa natura digna ē resurrectione iudicata.

Vt sit in omnib. ipse primatū tenēs.] In omnib. quæ circa ipsum considerant̃. Etenim ante omnia natus est ex patre, adeoq; primus est omniū, tanquā caput ecclesiæ, atq; præ omnibus resurrexit, donās eis immortalitatē, ceu primitiæ. Etsi em̃ alij ante hunc resurrexerūt, rursus tamē mortui sunt, ipse aūt perfecta resurrectione resurrexit. Reputa aūt tecum hīc, eum esse primogenitū, tanquā primitias resurrectionis, q̃ regeneratio sit eadem: illic aūt nō est primitiæ creationis, etsi primogenitus. Nam ratio quidem essentiæ est eadē, uerùm aliter quidē natus est, creatura uerò, hoc ipso creationis nomine nimirū, creatura est. *Christus ante omnia genitus.*

Quoniam in ipso placuit omnē plenitudinē inhabitare.] Plenitudinem diuinitatis, hoc est, si quid erat filius uerbum, illic habitauit, non operatio siue actus quispiam, sed essentia. Non potest autem aliam dicere causam, nisi quia placuit Deo, itaq; ei uisum est.

Et p̃ ipsum recōciliare omnia in ipsum.] Per ipsum, hoc est, ipse hāc nobis salutē operās acq̃siuit. Ne uerò existimes q̃ ministri loco sit, inqt in ipsum, hoc est, ipse sibijpsi homines
B recōciliauit, alibi tamē dixit q̃ Deo reconciliarit. communia igit̃ sunt filio etiam, quæ sunt patris. Non dixit aūt conciliare, sed reconciliare, hoc est, reddere ueluti debitum quoddā, quo olim obstrictus fuerit, ac perfectè pacē facere, ut nō porrò sit infensus. Nō enim cōciliatio tantū reddebat̃, uerūetiā modus reconciliationis, hoc est, occisio filij plurimū ualuit.

Pacificās p̃ sanguinē crucis eius p̃ seipsum.] Reconciliare, inimicitiā ostendit: pacē uerò facere, bellū, etem̃ nos inimici eramus Deo, & hostes. Magnū igit̃ est recōciliare. q̃d aūt dicit, p̃ seipsū, maius est, tū q̃ p̃ sanguinē, deinde p̃ crucē ignominiosæ mortis. Nō em̃ uerba faciēs instar legati, recōciliauit, sed seipsū dās. Nō dixit aūt crucis, & cōstitit: uerùm adiecit eius, ne existimes crucē q̃cq̃ p̃ sese posse. nō em̃ simpliciter crux seruauit, sed crux ipsius.

Siue quę in terra, siue quæ in cœlis sunt.] Quæ in terra q̃dē sunt, meritò, q̃libet enim & secū ipse, & cū alijs dissidebat, tū q̃d ad angelicā uitā attinet, hostes eramus. Quę uerò sunt in cœlis, quōr? Terra à cœlo discissa est atq; diuulsa: etiā ab hominib. prouocati hostes facti sunt angeli, cū uiderēt Dominū suū iniuria affici, propterea & ad suppliciū mittebant̃, ut aduersus Dauidē, aduersus Sodomitas, in ualle ploratus. Filius igit̃ hominē ad cœlos ducēs, q̃ inimicus, q̃ hostis erat, etiā angelos sup̃ terrā fecit cōspici cōcinentes, ac quēlibet fidelium comitātes. Videt̃ aūt mihi & Paulus p̃pterea raptus esse, ut doceret̃ quō homines essent in cœlo, & q̃ filius illuc receptus sit. In rebus igit̃ terrestrib. duplex pax est, respectu cœlestiū, suiq; ipsorū: in cœlestib. simplex, nobiscū em̃ deinceps fœdus p̃cusserūt, lętant̃q; super tam multorum salute. Quî igitur per angelos, ô Colossenses, dicitis uos reconciliari? Tantum enim abest ut illi uos reconciliarent, ut & inimici nobis fuerint: & nisi Christus illis nos reconciliasset, non habuissemus pacem. 2. Reg. 24. Gen. 19. Act. 1. 2. Cor. 12.

Et uos cū essetis aliquādo alienati, & inimici sensu in operib. malis.] Suprà dixit nos sub potestate tenebrarū fuisse: nūc pergit̃ affirmare q̃ mente ac sensu hostes fuerimus, nō idem dicens, uerùm ut ne illa audiēs existimes necessitatē esse, infert hæc, ut ostēdat q̃ indignos etiā recōciliatione dignatus sit. Qui em̃ necessariò afflictionē malūq; sustinet, dignus est miseratione: q̃ uerò suapte sponte, odiū meret̃. Nos igit̃, inqt, nō inuitos neq; coactos, sed uolūtarios, adeoq; sponte ab eo resilientes, ac prorsū indignos recōciliauit. Hæc aūt dicit, q̃a cœlestiū meminerat, innuens q̃ omnis inimicitia, nō ex supnis, uerùm ex nobis habuerit exordiū: siquidē angeli uolebāt & Deus, uos aūt noluistis. Propterea nō dixit inimicos simpliciter, sed abalienatos, hoc est, nō expectātes reditū. Inimici em̃ eratis sensu siue mente, hoc est, uolūtate ac p̃posito: neq; hucusq; tantū modo malū extendebat̃, uerùm & in *Inimicitia omnis à nobis cœpit.*

operibus malis, hoc est, & hostes eratis, & quæ hostium erant agebatis. Per hæc omnia indicat quòd angeli non potuerint neq; persuadere uobis, neq; liberare à diabolo, tanquam & ipsi inimici nobis essent, & nondum is ligatus esset qui nos detinebat. Christus autem & fortem ligauit, & nobis ab eo deficere persuasit. A

Nunc autem reconciliauit in corpore carnis suæ per mortem.] Rursus reconciliationis modum ponit, quòd in corpore contigerit. quomodo? flagris ne tantum cæsus, uel colaphis uerberatus? Non, uerumetiam turpissima simul morte moriens.

Vt exhiberet uos sanctos & immaculatos, & irreprehensibiles corã ipso.] Rursus aliud beneficium ponit, quod & suprà recensuit cum diceret, Ei qui nos sufficientes reddidit: idem & nunc dicit. Non enim nos liberauit tantum, inquit, à peccatis, uerumetiam sanctificationem nobis impertijt nõ uulgarem, sed coram ipso ualentem, immaculatam & irreprehensibilem, ut à nobis ne nimia quidem reprehensione dignum quidq; transigatur.

Si tamen permanetis in fide.] Quia totũ filio attribuit, ut qui hæc sua morte transegerit, ne dicant in posterum, Non habemus opus laboribus nostris: ait, Necessum est ut in fide perseueretis, ut non segnes sitis, neq; relabamini.

Fundati & stabiles, & immobiles à spe euangelij.] Quia possit quisq; permanere, & interim tñ cõcuti, infert, fundati & stabiles, hoc est, nõ cõcussi: nec hoc solũ, sed ne ꝓmoti q. dẽ. Nihil, inqt, graue à uobis postulo, sed ne trãsferaminí moueaminiúe à Christo, ille eñ est spes euãgelij, & q̃tq̃t amplectũt euangeliũ in ipsũ sperare debẽt, ceu eũ q pacẽ fecerit. Proinde q angelis pacẽ adscribit, à Christo est amotus. In uirtute q̃dẽ fieri nõ potest ut nõ cõmoueat uel aliquantulũ: in fide aũt possibile est. Itaq; nihil graue molestumue postulat.

Q̃d audiuistis q̃d p̃dicatũ est in uniuersa creatura quę sub cœlo est.] Colossenses primos ꝓfert testes, deinde uniuersum terrarũ orbẽ. Nec dixit, q̃d prædicat, sed q̃d prædicatũ est, hoc est, q̃d iã creditũ est. Itaq; pudore afficitis & uos, & oẽs alios homines si aliter creditis.

Cuius factus sum ego Paulus minister.] Atq; hoc ad autoritatem euãgelij facit Paulum ipsum esse præconem. Ingens enim eius nomen erat, quod apud omnes insonabat, atque iam terrarum orbe occupauerat. Ministrum aũt seipsum dicens, magis eos ut credant compellit. Non enim mea, inquit, dico, sed alij ministro, Deo uidelicet, itaq; illi credetis. *Paulus euãgelij præco* B

Nunc gaudeo in passionibus meis ꝓ uobis.] Videt quidẽ hoc esse incõsequens, est aũt consequens ualde. Postquã enim dixerat sese factũ euangelij ministrum, à quo non uult eos excidere, mõstrat hoc adeò esse uerũ, ut & patiat. Nec solùm ꝓ hoc patior, inqt, uerùm lætor etiã in afflictionibus. Afflictiones aũt hæ meæ ꝓ uobis sunt, ut uos iuuare queam.

Et adimpleo ea quæ desunt passionũ Christi in carne mea.] Videt ostentatoris atq; arrogantis hic sermo esse: atq; nõ est, eñuero multa refertus est erga Christũ dilectione. Nã & uult ꝑsuadere eis q, Christus etiã ꝓ ijs hodie patiat, & q ꝓ nos apostolos nõ estis adducti, sed ꝓ illũ, etiãsi nos ista faciamus. Quid igit facitis resiliẽtes ab eo, q etiã post mortem ꝓ uobis ꝑicula subeat? Quod uerò ait, est huiusmodi: Si adhuc deberet pati ꝓ uobis Christus, abnisset aũt, nec reddidisset debitũ, ego hoc reddo: quemadmodũ si duce exercitus abeũte, subimperator ꝓ phalãge dimicãs, in illius locũ cõstitutus uulnera ipsius recipiat. Propterea & ὑστέρημα, hoc est defectus dixit, ut ostẽdat q, existimet se nondũ omnia passũ esse. Adeò, inqt, diligit uos, ut tãq; nõ sufficiãt priores passiones & afflictiones, post mortẽ etiã patiat in meo corpore, nondũ eñ cõtentus est morte, sed adhuc innumera facit. Nõ igit se ipsum attollẽs Paulus hæc dicit, sed mõstrare uolẽs q, Christus etiãnũ ꝓ ipsis curam gerat.

Pro corpore ipsius, q̃d est ecclesia.] Quia dixerat, etiãsi ego patior, Christi tamẽ sunt afflictiones, fidem huic sermoni facit inquiens, Pro corpore eius hæc fiunt. Ne igit fastuosum putetis esse sermonẽ, uerùm eum qui nõ dedignatus est sibi copulare ecclesiam, credite etiamnum pro ipsa pati in carne mea. Si igitur corpus Christi ecclesia est, eiq; coniuncta est, qui caput est, quomodo uos angelos in medium profertis, dissecatisq; unitatem?

Cuius factus sum ego minister.] Ostendit quòd nihil ipse per sese fecerit, siquidem minister est. Si autem ego sum minister, quomodo angelos producitis ministros?

Secundũ dispensationem Dei, quæ data est mihi in uos ut impleã uerbũ Dei.] Dispensationẽ Dei, uel hoc dicit, q ipse in cœlũ assumptus nos hîc reliquerit prædicare uerbũ, ut ne tanquã derelicti desperetis. Vel illud ait, q propter hoc maximè omniũ dispensauit ut ego essem persecutor ecclesiæ, ut fide dignus essem præco: Vel q̃a nõ opera quęsiuit, neq; uirtutes, sed fidẽ & baptisma. Atq; hæc est maxima dispensatio: q̃s enim seruatus esset, si opera quærerent? Vel simpliciter dispensationẽ Dei datam mihi in uos, hoc est, erga eos qui ex gentibus credidistis, gratiã dicit & sufficientiam, quam dedit ei Deus, ut illuminet gentes. *Act. 9. Galat. 1.*

gentes. Nam tenebris correptos, stolidos, inobedientes persuadendo, eò perducere ut hu
iusmodi dogmata recipiant, nō est Pauli uirtutis, sed dispensationis Dei. Quemadmodū
autem adflictiones suas Christi ostendit esse, sic Dei esse dicit, complere ad ipsos sermo-
nem. Cum aūt dicit implere, ostendit ꝙ aliquid eis desit. Intellige aūt & hoc, dispensationē
Dei esse, ꝙd nunc dicat & exponat mysteriū & arcanū quādo idonei & capaces facti estis.
Deus enim omnia diuina prouidentia faciens, & hoc fecit iuxta dispensationē omnino, ut
hodie reuelaret mysteriū quādo homines hoc maximè accepturi erāt. Proinde uani sunt
qui hīc offenduntur eo ꝙ filius in nouissimis temporibus dicat nos adducere & reconciliare.

Mysterium quod absconditū fuit à seculis & generationibus.] Cum dixisset quib. dona
ti sumus, ostendit & aliud quodpiam maius, nimirū ꝙ ante nos nemo didicerit: ac myste
rium nominat, quod nemo norat præter Deum: nec simpliciter tectum, sed absconditū,
ἀπεκρυμμένου, ἀλλὰ ἀποκεκρυμμένου. Quod ait à seculis, est perinde quasi dicat à principiò.

Nūc aūt manifestatū est sanctis eius.] Hæc est dispensatio eius, ꝙ nunc manifestet. Nō
dixit aūt factum est, sed manifestatū est, ueruntamen ne nunc quidē omnibus, sed sanctis
eius: itaq; etiamnū adhuc alijs occultatur. Ne igitur uos decipiant illi, nō enim nouerunt.

Quibus uoluit Deus patefacere quæ sint diuitiæ gloriæ mysterij huius inter gentes.] Vt
ne interroges, cuius rei gratia solis sanctis manifestatū sit, & nō omnibus, intulit, Quibus
uoluit. uelle aūt ipsius nō caret ratione. Potuisset dicere dignis manifestatū esse Euāgeliū,
Sed mauult eos tanq; gratiæ obnoxios mediocria sapere potius, q̄ tanq; dignè consecutos
extolli. Porrò ei ꝙd factū est, pondus apponens, nō dixit simpliciter patefacere gloriā my-
sterij, sed diuitias gloriæ, quæ maximè in gentibus patefactæ sunt, perinde ac alio in loco
dicit: Gentes uerò super misericordia honorate Deum. id quod in alijs quidem etiā appa Rom. 15.
ret, nō tamen adeò quantum in ijs qui ꝙq; lapides sunt magis stupidi, qui lapides & serpen
tes adorant. Quod perinde est, ac si quis canē scabiosum qui moueri nō possit, accipiens,
hominē ex eo faciat, atq; in regiū solium collocet, maiori afficiendus gloria uidebiū, q̄ si
homini mediocriter penuria laboranti hęc exhibuisset. Bellè aūt dixit mysterij huius, sunt
B enim & alia mysteria, resq; arcanæ, cæterū hoc reuera mysteriū est ꝙd nemo norat, quod Mysterium
præter cōmunem consuetudinem & expectationē est, nempe ꝙ gentes assumendæ erāt. maximum.

Qui est Christus in uobis spes gloriæ.] Interpretans quid sint opes illæ, quidue myste-
rium, Christi, inquit, siue Christi cognitio, qui est in uobis. Cum præconijs aūt & laudibus
hoc ponit, ut ipsos potius attrahat. Si enim Christus in uobis, quomodo angelos benefa-
ctores adscitis? Spes aūt gloriæ est quòd per eum speramus sempiternā nos cōsecuturos
gloriam, uel quòd spes nostra celebris, quæ nos non pudefaciat, sit Christus.

Quē nos denunciamus.] Nos, nō angeli: quomodo igitur illos ministros habetis? Si-
gnificanter autem dixit denunciantes, à supernis ipsum uidelicet deducentes.

Admonētes omnē hominē, ac docentes omnē hominē.] Nō cū imperio neq; necessita
te, nā & hoc diuinę est benignitatis, nō tyrānicè adduci quēpiā uel arripi: uerū cū admo-
nitione & doctrina. Intelliges aūt admonitionē, de operibus: doctrinā uerò de dogmatib.

In omni sapiētia.] Talia eīm posse docere, omni sapiētia opus habet, tū ea quæ est è scri-
ptura, tū ea quæ sumit à ratione atq; argumētis, & ea quę discit ab ipsis Græcis, perinde ac Act. 17.
Athenienses instituebat ab ara. Vt exhibeamus omnē hominē perfectū in Christo Iesu.]
Quid dicis omnē hominē? Næ, inqt, hoc conamur: ꝙd etiā si nō cōtingat, nihil ad nos. Per
fectū aūt nō in lege, neq; in angelis, sed in Christo Iesu, hoc est, in cognitione Christi: illud
enim nō est perfectū. In quod & laboro certans.] Non fuit cōtentus laboris uocabulo,
sed apposuit certās, ut ostendat uigilantiā, atq; exactam uictus rationē, aliaq; itidem quæ-
cunq; sunt certantium. Quòd si igitur ego laboro pro uestris bonis, quanto potius uos?

Secundū operationem eius, quę operatur in me in potentia.] Quia dixit laboro, osten
dit hoc diuinū esse: qui enim me fortem ad hoc facit, nimirū hoc uult, quemadmodū prin
cipio dixit, per uoluntatē Dei Apostolus. Ostendit aūt per hoc, ꝙ multi pugnēt aduersus
ipsum, tūc eīm magis apparet & cōspicua fit potentia Dei quādo multi fuerint aduersarij.

CAPVT II.

VOlo aūt uos scire qualem solicitudinē habeā pro uobis, & pro ijs qui sunt Laodiceæ,
& quicunq; nō uiderunt faciē meam in carne.] Aggressurus dogma & institutionē,
ingentē primū dilectionis suę affectū ob oculos ponit, ut eo sit gratior, & facilius recipiat.
Certo, inquit, & anxius sum de uobis. Cōnectit aūt ipsis & Laodicenses, aliosq; simplici-
ter, ut ne turbentur, putantes hoc esse imbecillitatis. Quamobrem uerò anxius es? Nun-
quid nos cōdemnas? Propterea, inqt, ꝙ nō uideritis faciē meā. Adiecit aūt in carne, miriſi
cè monstrans ꝙ nunq; nō spū eam intuerentur.

Vt consolationem accipiant corda eorum, cum fuerint cõstructi in charitate.] Deinceps aggredit dogma, illudq; auspicatur, nõ accusans eos, neq; plane accusatione liberans. Hic aũt est redditio. Ego, inquit, sollicitudinẽ habeo, quamobrem: ut ne diuersa sapiant, uerũ construantur cõiunganturq; omnes in unam fidem. quõ? non necessitate aut uiolentia, sed in charitate. Hoc autem dixit, quasi hæreses etiam schismata pariant. A

Hæreses schismata pariunt.

Et in omnes diuitias certitudinis intellectus.] Hoc est, ut pro nullo ambigant, ut in ombus abundè reddatur certior atq; firmetur intellectus ipsorum, hoc est, mysterij cognitio. Non dixit autem in diuitias simpliciter, sed in omnes diuitias. Noui sanè quôd uobis intellectus sit ad mysterium, uerùm certitudinem intellectus huius diuitem quæro in uobis, uel quia cum intellectu uolo uos certificari, non temerè, & sine ratione.

† *Alij addũt et, legẽtes, & Christi. Chrys. uerò habet, Dei patris & Christi.*

In agnitionem mysterij Dei & patris † Christi.] Quid uerò mysterium Dei est? quòd per filium Dei accessus fiat ad patrem, & non per angelos.

In quo sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ absconditi.] Ipse solus, inquit, omnia nouit. Quòd si ipse solus sapiens, sapienter igitur in nouissimis temporibus uenit, & non olim, ac frustra nonnulli dementium isthuc carpunt. Cum dicit thesauros, copiam ostendit: cum omnes, ostendit eo nihil esse clam: cũ absconditi, quòd solus ipse nouerit, ab ipso igitur sapientia & cognitio petenda est. Obserua hîc, etiamsi uideatur magnum aliquid dicere, hoc tamen ob simpliciores se dimittendo, illisq; obsecundando dixit, In quo sunt thesauri uidelicet. Nam is est sapientia ipsa, & per sese cognitio.

Hoc autem dico, ut nemo uos decipiat probabilitate sermonis.] Hoc dixi inquit, quòd Christus solus omnia nouit, ut ne quis uobis imponat. Quid enim est, si persualibiliter etiam dicat? nihil nouit, ac reuera est deceptio hoc totum, & inania sophismata.

Nam etsi carne absens sum, sed spiritu uobiscũ sum.] Cõsequens erat dicere, Etsi enim carne absum, spũ tamen uideo impostores: is uerò in encomiũ uertit sermonẽ. Audi ergo.

Gaudens & uidens ordinẽ uestrũ & firmamentũ eius quæ in Christo est fidei uestræ.] Hoc est, bonã ordinationem uestrã. non solum enim non cecidistis, sed ne ordinationem quidem uestrã quisquã confudit, solidamq; fidem uestrã. Vt enim in acie militari, bona ordinis collocatio phalangẽ firmã efficit: sic & in ecclesia quãdo bonus ordo charitatis fuerit omnia cõstituentis, si sectę absint, tũc fit soliditas ac firmamentũ. Quinetiã fides ipsa p se se firmamentũ est, quę nõ sinit cogitationes irrepere, quę ambiguitatẽ suggerentes cõcutiãt. B

Sicut ergo accepistis Christum Iesum Dominum.] Nihil noui introducimus, sed quod accepistis, illud etiam exigimus, rursus Dominum Iesum, non angelos.

In ipso ambulate.] Hæc est uia perducens nos ad patrem. Non in angelis ambulate, illa enim uia eò non perducit.

Radicati.] Hoc est, impermutabiliter manentes, & non aliàs quidem Christo, aliàs uerò angelis innitentes. Quod enim radices egit, transferri moueriq; nunquam poterit.

Et superædificati in ipso.] Ostendit eos cecidisse adeò, ut opus haberẽt superædificatione, hoc est, secunda alteráue structura, quæ ponatur super fundamentum Christum.

Et confirmati in fide.] Hoc est, constanter continentes Christum per fidem, non per ratiocinationes & persuasibiles sermones. Nam ædificium etiam si fundamento suppositum sit, si non firmiter consistat, lubricum est & fallax.

Sicut & didicistis, abundantes in ipsa in gratiarũ actione.] Rursus sicut ponit, ut si nihil aliud, ipsi seipsos uereant. Quod igit̃ ait, sicut didicistis, ueluti quoddã fundamentũ est: q̃d abũdare ait, ipsa est iterata structura. Trãsgredi igit̃ nõ oportet antehac subiecta dogmata, uerũ in ipsis potius ꝓgredi atq; cõtẽdere ut eximiũ q̃ddã in fide demõstremus, gratias agẽtes Deo, q nos tali tãtaq; gratia dignatus est, nõ nobis ipsis ꝓgressũ aut successũ adscribẽtes.

Videte ne quis uos deprædetur.] Fur est, clanculum subit, perfodit infernè parietes uestros clanculum, ut spolíet ac deprædetur mentem uestram: cauete igitur.

Per philosophiam & inanem fallaciã.] Ostendit uiam per quam uenit fur adeoq; subintrat, ipsam nempe philosophiam. Quia uerò graue uidetur quiddam Philosophiæ uocabulum, adiecit, & uanam fallaciam, siue deceptionem. Est enim & bona deceptio, ut Hieremias dicit, Decepisti me Domine, ac deceptus sum: quali & Iacob imponere uidetur Isaaco, quæ neq; deceptio est uocanda, sed dispensatio.

Hier. 20. Gen. 27.

Secundũ traditionem hominũ.] Animaduertis unde sit deceptio, q humanę cogitationes & ratiocinationes intermedient. Propterea & hæreses dicũtur, quia hominũ sunt opiniones. Christianorũ aũt fides, nõ est humanũ dogma: ꝓpterea neq; tale nomen adsequet.

Hæreses unde dictæ.

Secundũ elementa mũdi.] Reprehendere incipit deinceps dierũ obseruationẽ, elemẽta

mundi

mundi solem lunamq; dicens, per quæ uident dies sic uel sic poni, seu habere sese. Nec dixit dierum obseruationē, sed mundi totius meminit, ut humilitatē & abiectionē abundè demonstret. Si enim mundus totus nihil est, quanto magis nec elementa quicquā erunt?

Et non secundum Christum.] Quòd si uel maximè liceret partim Christo, partim uerò elementis seruire, nec sic mos illis erat gerundus: nunc uerò prorsus uos à Christo transferunt. Obseruationes autem huiusmodi non tantum Græcæ fuerunt, uerumetiam Iudaicæ: illæ quidem ex philosophia, istæ uerò Iudaicæ ex lege.

Quia in ipso inhabitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter.] Hoc est, si quid est Deus uerbū, in ipso habitat. Ne aūt cū audis habitauit, existimes q̄d ageret & impelleret sicut pphetæ (cōmorabatur em̄ & in illis Deus iuxta illud: Inhabitabo in ipsis & inambulabo) adiecit corporaliter, hoc est, nō energia uel operatio quędā, uerū substantia, ac ueluti corporatus & una hypostasis existens cū assumpto. Vel hunc ad modū intelligere iuxta diui Cyrilli sententiā poteris, perinde ac in corpore immorat anima, immorat aūt ipsa corpori essentialiter & indiuisibiliter, ac citra mixturā. Cæterū ipsa quidem anima per mortem à corpore separatur, Deus aūt uerbum nunquā ab assumpta carne separatus est, uerū in sepulchro etiam aderat, ipsam incorruptibilem seruans, animæq; apud inferos aderat prædicans, siue donans captiuis remissionem. Aliàs autem cōiunctio erat utrorumq; animæ uidelicet & corporis, etiam quando uoluntaria eius morte dissociata sunt. Luc. 23. 2. Cor. 6. Deus uerbū assumptam carnē nunquam deseruit.

Et estis in ipso repleti.] Papæ, quid dixit? Nihil (inquit) minus habetis quā ipse: uerū & uos diuinitate impleti estis, ueruntamen in ipso, hoc est per assumptionē. Positq; enim natura nostra Deo copulata est, nos etiā diuinæ eius naturę facti sumus participes. Vbiq; enim Paulus uult nos proximè Christū adducere, ueluti cū dicit: Simul excitauit & cōsedere fecit in cœlestibus in Christo: &, Si sustinemus, cōregnabimus etiā: & cohæredes uocat. Eph. 2. 2. Tim. 2. Rom. 8.

Qui est caput omnis principatus & potestatis.] Nō ueluti homoousiū caput ipsum ponit, sed tanq; superiorem, tanq; authorē & causam. Quî igit̄ hoc dimisso ad angelos accurritis? Qui est caput. Per omnia hoc perfodit, diluit, ac demolitur de angelis dogma.

In quo & circuncisi estis circuncisione non manufacta.] Admirandum beneficiū attulit, q; in Christo circuncisi estis. Non enim manus hominis adducit circuncisionē carnis hanc, sed spiritus: & non partem, sed totum hominem circuncidit.

In expoliatione corporis peccatorū carnis, in circuncisione Christi.] Illic quidem exuebatur membrū per circuncisionē, carneo tegumento ablato: hìc uerò exuit corpus nostrū peccata, quæ per carnē perficimus. Tali aūt circuncisione nō lex, sed Christus circuncidit in baptismate, exuens nos à uetere uita peccatis obnoxia, adeoq; à carne prorsus.

Cōsepulti ipsi in baptismate.] Quod circuncisionē uocauit, id nunc sepulturā appellat, maius quiddā ipsa circūsione exhibēs. nō em̄ abiecta est circuncisio, sed periit & corrupta est. Qui igit̄ baptismate abluit, cōsepelitur Christo, per trinā submersione, trium dierū Dñi sepulturam figurans, & emoriens quod ad ueterem & peccabilem hominem attinet. Rom. 6.

In quo & resurrexistis per fidem operationis Dei, qui suscitauit illum à mortuis.] Non solum sepultura, uerumetiā suscitatio est baptisma. Quomodo? Per fidem. Credentes enim quòd Deus posit excitare, atq; huius rei certum indiciū habentes, quòd Christum excitauerit ex mortuis, sic surreximus & nos gemina ratione, tum quòd resurrectionem sperantes, iam uidemur hanc adsecuti, etiamsi dum futura sit: tum quòd spiritualiter interemptionem operum peccati abiecerimus, quod & potius infert.

Et uos, qui mortui eratis delictis & præputio carnis uestræ, cōuiuificauit cū ipso.] Christus, inquit, cū corporaliter mortem sustinuisset, uiuificatus est à patre, nō q; ipse non potuerit seipsum, inquit, uiuificare, sed q; omnia ad patrem referantur. Nam q; & ipse se excitarit, adfirmat: In tribus diebus (inquiens) excitabo templū. & iterū: Exhibuit seipsum, inquit, uiuentē post passionem. Vos aūt peccatorū mortem sustinentes, ac præputiū habentes, hoc est, multā ac superfluā carneam cogitationem ac affectū gerentes, qui uos occidebat, conuiuificati estis cū Christo. Vt enim is corpore resurrexit, consimilem ad modum nos spiritu, resurgemus tamen & corpore. Secus aūt magnus ille Ioannes mortē hanc intelligendā indicat. Propter delicta enim, inquit, sub cōdemnatione mortis positi eratis. † ἡμᾶς, nos, alij legunt ὑμᾶς nos, in secunda persona, quod rectius uidetur. Ioan. 2. Act. 1.

Donans nobis omnia delicta.] Quæ interemptionem faciebant. Obserua quantis pœnis dignos nos liberauerit.

Delens quod aduersum nos erat chirographum per decreta, quod erat contrariū nobis.] Quia dixerat, donauit nobis, ne putares quod dimiserit ea, sic tamen ut manerent & apparerēt: Nō, inquit, nō hoc, sed deleuit, hoc est, extriuit, exculpsit. Chirographū aūt intelligemus

Exod.19. telligemus uel confessionē quā populus Israeliticus ipse scripsit cū diceret ad Mosen, Om
Gen.2. nia quæcūq; dixit Deus, faciemus & audiemus. uel fœdus q̄d pepigit Dñs cum Adamo, A
Quacūq;, inquiens, die ederis, morieris. Hoc em̄ chirographū retinebat diabolus, atq; hoc
ipsū nobis restitit, nō sinēs nos emergere: ius em̄ ipsū habebat. Hoc deleuit Christus p̄ de-
creta, siue dogmata, hoc est p̄ fidē: nō em̄ ꝓpter opera, uerū p̄ fidei dogmata hoc solutū est.

Atq; ipsum tulit de medio, adfigens illud cruci.] Nō exculpsit tantūmodo, uerumetiā ra
puit ex medio atq; tulit, hoc est, fecit ne porrò appareret. Ac neq; nobis dedit, neq; ipse cu
stodiuit, sed affigens ipsum cruci, discidit dilaniauitq;, q̄d remittētis est cū gaudio. Siquidē
omnes eramus obnoxij peccatis & pœnæ: ipse aūt, in quē nullū peccatū cadebat, punitus
pro nobis in cruce, diluit ac sustulit peccatū ac suppliciū. illic igit̄ & chirographū dirupit.

Expolians principatus & potestates.] Diabolicas potentias dicit, quandoquidē eas hu-
mana natura induerat: uel q̄a ipse homo factus, tanq̄ & ipse acceperit, habebat hoc ipsum
quod homo esset: exuit ergo quod accepit, id est, irreprehensibilis inuentus est principa-
tibus & potestatibus. Etsi enim peccatricē naturā assumpserit, citra tamē peccatū, discere
aūt possis isthuc sic dici. Satanas per duo hæc dominabat̄ in humanā naturā, per uolupta-
tem, atq; mœrorē. Dñs igitur propter hoc humana natura adsumpta, ut iam pro nobis di-
Matt.4. micet aduersus principatus & potestates, hīc dicere prætermitto q̄ protinus in principio
assumptionis sanctæ carnis suę has fauciauerit, citra uoluptatē conceptus, citraq; mœrorē
genitus, quinetiā postq̄ natus esset, iamq; adoleuisset, ac in uirū creuisset, tētatus est quidē
à uoluptatis delicijs inescationibusq; prius in monte, tentatus est inq̄ ab gula, ab opū amo
re, & uana gloria, hoste corā in ipsum inuadente, ac uicit pro nobis. Deinde mœroris ma
chinamētis studebat ac festinabat tētator eū peruertere, ut hac ratione in odiū proximorū
adigeret̄, dolū ei nectens per Pharisęos & scribas, atq; per eos qui ab ipso beneficiū accipie
bāt: nō potuit aūt hoc q̄d uoluit efficere. Tandē & cruci adfixit, longè fortiores machinas
Luc.23. ita adducēs: atq; Dñs adeò nō cōcedebat ei quæ uolebat, ut & pro crucifigētib. oraret. Hūc
itaq; ad modū in cruce p̄fectissimè exuit, & ipoliauit principatus & potestates, nobis spolia
tionē hāc acquirēs atq; cōparās, q̄ hisce induti eramus, quippe q̄a naturę nostrę erat cōsors. B

Ostentauit palā.] Hoc est, indecoros esse fecit, ignominiosos reddidit, pudefecit. Nun-
quam enim adeò pudefactus est diabolus, expectans enim ipse Christū tenere, quos alios
habuit, amisit. Palàm autem, id est, publicè cunctis cernentibus. Omnia enim fecisset dia-
bolus, si potuisset, ut persuaderet mortalibus Christum non esse mortuum. Hæc enim in-
gens diaboli fuit strages ac dissolutio, hominem omnis peccati expertem, qui peccare nō
Hæreses à diabolo excitatæ. potuit, morte subiugare. Hinc & satanas innumeras hæreses excitauit, mortem eius ficti
tiam, ac in speciē apparentē fuisse falsò docēs. Propterea & Dominus mortuus est omni-
Christus palā mortuus, resurrexit etiam. bus palàm, nō resurrexit aūt palàm. Nam resurrectioni eius futurū etiam tempus testimo
nium dicturum erat: mortis autem aliud tempus, q̄ quod tum fuit, testis esse non potuit.
Triūphus. Triumphans illos in seipso.] Hoc est, dæmones in cruce tanq̄ prostratos exuperatosq;
monstrās. Triūphus em̄ dicit̄ cū quis parta ab hostibus uictoria reuersus, publicā pompā
duxerit, deuictos hostes omnib. uinctos ostendēs. In cruce igit̄ trophęū statuēs Dñs, tanq̄
in publico theatro Gręcorū, Romanorū, Iudęorū de dęmonib. triūphauit. Quòd si angeli
p̄ uobis haudquaq̄ sunt passi, sed Christus, qūo p̄ illos affirmatis uos ad patrē esse p̄ductos?

Nemo ergo uos iudicet in cibo aut potu, aut in parte diei festi aut neomenię, aut sabba
torum.] Hactenus operte & obscurè dixit, Ne quis uos deprædetur: nunc uerò apertius
idem agit, postquam beneficia eius recensuit. Si enim talia tantaq; estis ādsecuti, quid re-
bus uos exiguis subditis, atq; obnoxios facitis? Ne igitur sustineatis ut quisquam uos con
demnet, tanquā non obseruetis Iudaicas ceremonias atq; sanctiones in cibis & potu. Per
hoc autem cōmendat iam eos, quippe quia Iudaica ista posthabeant ac dissoluant. In par-
te autem diei festi, inquit, quasi non totam ausi fuissent festiuitatem obseruare: etsi e-
nim sabbatū celebrarent non exactè tamen faciebāt, ut qui Christianismo iam essent de-
diti. Ostendit igitur uanā esse huiusmodi obseruationē, nisi totum ipsum obseruetur, ac q̄
totum iam inde destruatur. Si enim bonum erat, integrè seruari debuit, atq; uniuersum.

Quæ sunt umbra futurorū.] Futura noui Testamenti bona nominat: futurum enim e-
rat ueteris respectu, quod tum erat præstò, suo nimirum tempore.

Corpus aūt Christi. Nemo uos seducat.] Quidā hìc post Christi, perfectā distinctionē
faciūt, ut sit sensus: Veteris testamēti res, sunt umbra: corpus aūt, id est ueritas, Christi est.
Proinde q̄d opus est tenere umbrā præsente corpore? Nōnulli ista sequētibus copulāt, ut
sic intelligamus, Corpus Christi, id est, uos, nemo καταβραβευέτω, hoc est, inuadat, intercipiat,

A pit. κατακραβεύῃ enim est cū alter quidē uictoriā obtinet, alter uerò brabeū, hoc est uictoriæ præmiū accipit. Et uos igit uicistis diabolū, eoq; superiores facti estis. Cur igit rursus subiugatis uos peccato per legis obseruationē, quæ nō potest iustificare? Et aliter: Eum qui nos detinebat, Christus nō lex uicit: apud eū q uictoriā est adeptus, oportet esse brabeū, & apud uos porrò erit corpus Christi: quō igit hoc legi attribui permittitis? Est enim perspicuū, si iudaizemus, nos adhuc habere legē dñm nostri, à quo beati uideamur. Si itaq; lex est umbra, Christi uerò Euangelīū corpus, erat operæpretiū ut prius adsuescere mus umbræ, meritò igit in nouissimis tēporib. incarnatus est, ut nos ad patrē adduceret.

† ἐμβατεύῃ, id est, incedere, Chrys. & alij legunt, ἐμβατεύων, id est, inambulans uel fastuose incedens.

Volens in humilitate, & religione angelorum, quæ non uidit, † incedere.] Postquā impleuit eos indignatione, ostendens q; brabeo priuentur, necnon circumueniantur, tunc hæreticum dogma denarrat. Volunt uos fraudare, inquit, per humilitatem apparentem. Dicebant enim indignum esse maiestate & amplitudine unigeniti, q; per unigenitum adduceremur ad patrē, esseq; maius q̄ ut humanæ tenuitati conueniat. Vnde cōmodius est dicere, q; angeli (inquiunt) nostræ adductioni inseruierint, eamq; suboperati sint. Inde ergo angelorum religionem introducebant, simplicioribus persuadentes ut ijs adhiberent animum: eos enim esse, qui nos seruassent. Et qui nunquam angelos conspexerant, sic de illis asseuerabant, tanquam eos uidissent.

Frustra inflatus sensu carnis suæ.] Frustra, inquit, inflatus est propter istiusmodi dogma, à carnali sua cogitatione, nō spirituali. Quō enim nō carnalis adeoq; crassæ mentis est, reijcere quę à Christo dicta sunt? Sic Deus mundū dilexit, ut filiū suum daret pro hominibus. & iterum, Pro ipsis ego meipsum sanctifico. &, Animā meam pono pro ouibus: & alias oues habeo, & illas me oportet adducere, & innumera huiusmodi. Quō igitur

Ioan. 3. & 17. & 10.

B suprà dixit in humilitate? de in speciē apparente & nō uera loquebat? Intumescūt quidem, ut doctores dogma suum tuentes, nec permittentes ut ab alio uerū doceant. Commendant aūt suam institutionē, adeoq; propriū dogma per humilitatē, non quā ipsi habent, sed ueluti adserētes maius esse q̄ hominibus cōueniat, unigenitū pro nobis occidi.

Et nō tenens caput ex quo totū corpus per nexus & cōiunctiones subministratū & constructū, crescit in augmentū Dei.] Non cōtinet, inquit, qui hęc tradit, caput, hoc est filiū: ipse nanq; est caput angelorū, ueluti creator & opifex. Insuper totius etiā ecclesiæ caput est, cū secundū hoc ipsum quidē, tum quatenus corpus ipsius sumus & membra, ipso nobiscū in ijsdem cōmunicante. Ex ipso itaq; uniuersum corpus ecclesię & suū esse simpliciter habet, & bene esse. Si quisquā ab eo exciderit, statim perijt. Quemadmodum enim sensibilis spūs à cerebro in totū corpus per neruos diffunditur, & à capite omnis sensus est & motus, hunc ad modū ecclesiæ corpus à Christo subministratur, hoc est, accipit uiuere suū, & crescere spiritualiter. Quando aūt hoc habet? quando cōstruit, hoc est, connexionē ad ipsum & cū ipso habet. Spiritus enim sanctus per nexus & connexiones, suppeditationē augmenti dat. Nam si dissolutū fuerit, & distractū corpus à capite, & non construatur, hoc est non componatur, nequaquam spiritus subministratio fiet, neq; augmentū Dei, id est, optimæ secundum Deum uitæ & conuersationis.

Christus caput angelorum, & ecclesiæ.

Si mortui estis cū Christo ab elemētis mūdi, qd tanq̄ uiuentes in mūdo, decretis tenemini?] Per baptisma, inq̄t, cōmortui Christo, simul cū Christo omni priori uitæ, ut nō amplius ne ipsis quidē elemētis seruiatis, quibus antea subiecti eratis. Quî igit rursus tanq̄ priorē adhuc uitā uiuentes, subdimini illis? Doceamini enim q; hæc dies fortunata sit, illa uerò infausta, Græcorū sunt & gentiliū obseruationes. Quin & illud uide quō tacitè eos carpat dicēdo ἀστμεριζεσθε. Siquidē ut pueri, inq̄t, instar puerorū planè qui nuper discere cæperūt sedetis audiētes institutionē & adhortationē q̄dnā uos oporteat facere.

Ne tetigeris, neq; gustaueris, neq; cōtrectaueris quæ sunt omnia in interitu ipso usu.] Aliā ipsorū obseruationē recitat, quę est in cibis, Iudaicā potissimū, quemadmodū dierum erat Græca. Fastum aūt dogmatistarum doctorūmue illorū deprimens, Non magna quædā, inquit, hæc sunt, sed in corruptionem desinūt ipsis utentibus: corrupta enim in carne per secessum defluunt. Neq; igitur prosunt ista per sese, neq; obsunt,

Secundum præcepta & doctrinas hominum.] Non sunt diuinę institutiones hæ, uerùm hominum mandata. Quid igitur? lex nónne est doctrina Dei? Erat quidem, cum suo tempore uigeret: hodie autem nō est, cum tempus eius expletum sit. Vel quia corrumpebant eam apud Iudæos seniores, traditiones extra legem imponentes, perinde ac Christus in Euangelio ait. Vel Græcorum dogmata notat.

Matt. 15. Matt. 15. & 16.

Quæ sunt † ratione quidem habentia sapientiæ in superstitione & humilitate, & in non

† λόγῳ, id est, rationem, uel sermonem siue uerbo.

Universidad de Deusto
Biblioteca

non parcendo corpori, non in honore aliquo, ad saturitatem carnis.] Rationem ha- A
bent sapientiæ, nõ uirtutem, neq; ueritatem. Videtur enim qui hæc tradit, pius quispi-
am esse, & moderatus, corpusq; suum adspernari, propterea quòd à cibis abstineat. At
Corporis honor. qui Deus corpus honorauit, cibosq; dedit, ut caro illis impleta persistat, ac sponte eos
apprehendat, uerùm ipsi non utuntur corpore in honore quopiam, priuantes ipsum,
potestatem auferentes, nec permittunt ei ut sua sponte apprehendat.

CAPVT III.

Rom. 6. IGitur si consurrexistis cum Christo, quæ sursum sunt quærite, ubi Christus est in dex
tera Dei sedens: quæ sursum sunt, sapite, nõ quæ super terram.] Cum dixisset, Mor-
tui estis cum Christo, per baptisma uidelicet, ac per hoc quod retinetur, dans intellige-
re quòd & simul excitati estis, consurrexistisq; (baptisma enim, ut per submersionem
uel intinctionem, mortem: sic per emersionem seu extractionem, resurrectionem de
nunciat) colligit iamnunc: Si surrexistis unâ cum Christo, debetis posthac in supernis
esse, ubi ille, ubi non porrò huiusmodi est obseruatio, ac cœlestia sapere. Nam quæ de
cibis præcipiuntur, atq; diebus, terrestria sunt, nihil alti aut spiritualis habentia: siqui-
dem terrenorum hominum sunt mandata. Non autem contentus fuit, Superna, dice-
re: neq;, Vbi Christus est: sed adiecit, In dextra Dei sedens, ut magis à terra nostrum a-
nimum abducat.

Mortui enim estis, & uita uestra abscondita est cum Christo in Deo.] Ipsos utrinque
præparat, ne quæ hic sunt quærant, tum ex morte, tum ex uita. Mortui enim estis, inqt,
rebus inferioribus, posthac eas quærere non debetis. Rursus, uita uestra in supernis est,
quare & superna curate. Contendit enim ostendere q̃ in supernis sedeant ipsi, aliamq;
uiuant uitam, quæ in Deo est, nimirum haudquaq; oculis conspicuam. Non apparet
Christus, sic neq; uita uestra: quî ergo apparentia quæritis? His autem eos præmunit,
ut mox in moralem incidat sermonem. Nam moris est Paulo, ut cum aliud astruit, ad
alia transiliat. ut in epistola ad Corinthios, cum de ijs qui cœnas præoccupabant, disse- B
reret, repentè in mysteriorum traditionem delapsus est.

Cum Christus autem apparuerit, uita uestra: tum & uos apparebitis cum ipso
in gloria.] In secundo aduentu manifestabitur Christus, & omnibus apparebit in glo-
ra simul cum angelis adueniens (nunc enim usquea deò absconditus est, ut & hoc no-
mine criminetur ab impijs) tum igitur & uos manifestabimini: non simpliciter, sed in
gloria. Quare diem illam desiderate, non hanc, in illam uiuere properate. tum enim ue
Vita præsens, mors est. ra manifestabitur uita uestra: præsens nãq;, mors est: siquidem per corruptionem con-
sistit, fluxum & refluxũ. Ne hîc honores gloriasq; concupiscatis, nam illic gloria uestra
est. Delitescit margarita tantisper dum in conchyli fuerit: simulac uerò illud perfractũ
fuerit, tum in gloria relucet. Hunc ad modum & nos quandiu in corruptibili isto cor-
pore fuerimus, tanquam latentes uiuere debemus, ab omni gloriæ cupiditate alieni.
Quando enim dissolutum fuerit hoc corruptibile, tunc gloriæ nostræ suus erit locus, si
hac digni per opera uisi fuerimus.

Mortificate ergo membra uestra quæ sunt super terrã.] Nõ dixit, Abijcite: sed, Mor
tificate, ita ut nunquã resurgant. Membra aũt super terram, fortè corporis quoq; mem
bra dicit, quæ dum cœlestia minimè operantur super terram, siue in terra esse dicuntur:
cum aũt per ipsa perficiuntur quæ cœlestia sunt, non iam in terra sunt, ut cum aut uitio-
se non uidemus aut audimus, in terris non sumus. Fortasse autem & membra in terra
dicuntur, quæ in terra per membra corporis committũtur peccata, quæ & in terra ma-
nent, & ibidem corrumpuntur: quandoquidem corporis sanè membra tametsi è terra
sint, nõ tamen in terra permanent corrumpunturq;, sed incorruptibilia erunt, cum re-
surrexerint. At quomodo cum suprà dixisset, Consepulti estis cum Christo, q̃ exueri-
Mortificatio duplex. tis corpus peccatorum carnis: nunc iterum dicit, Mortificate? Quoniam prior quidem
mortificatio, baptismatis erat donum, quæ interficiebat antea à nobis commissum pec
catũ: quæ uerò nũc proponit mortificatio, nostræ est uoluntatis, delens peccata, & ex-
terminãs quę post baptisma admittunt, imò ne reuiuiscere quidem omnino sinens, eo
q̃ affectũ carnis interimat. Quemadmodũ si quis statuã ęreã sordibus obsitã, restaurãs,
ac lucidam læuemq; reddens, commonefaciat eum qui hanc possideat, ut studeat depo
nere rubiginem: non eam quam omnino deterserit iam, sed quæ posthac uentura sit.

Fornicatio-

A Pornicationem.] Ecce interpretatus est quę sint illa membra. primùm autem fornicationis meminit, quòd hic morbus potissimum regnet.

Immunditiam, †passionem.] Prætermisit speciatim dicere quæ nõ sunt pulchra honestáue dictu: unde per immunditiam & passionem omneis complexus est turpium mixtionum species. Verè enim rabies corporis, passio est siue morbus: & quemadmodum æstuans febris, aut uulnus, aut alia ægritudo. † πάθος, passionem, affectũ prauam, molliciem, morbum.

Concupiscentiam malam.] Ecce generatim rursus uniuersum dixit. omnis enim concupiscentia praua est, præter eam quæ Dei est, diuinarumq; rerum, quæ bona est, quemadmodum & Daniel uir desideriorum erat. Cupiditas bona. Dan. 9.

Et auaritiam, quæ est simulacrorum seruitus.] Primogenitus filius malæ concupiscentiæ, est auaritia πλεονεξία, quam idololatriã nominauit, ceu auro & argento seruientem. Nam idola gentium, argentum & aurum. Psal. 113.

Propter quæ uenit ira Dei super filios † inobedientiæ.] Et futura ira, & in præsenti, sæpenumero apprehendit tales. Inobedientiæ autem filios dicit, uenia eos priuans, ostendens quòd ex ignorantia non sint in huiusmodi affectionibus, uerùm ex inobedientia, quam sic exercuerunt, ut & seipsos huic traderent, in filios, & ex ipsa manifestarentur signarenturq;. † ἀπειθείας, inobedientiæ, diffidentiæ, impersuasibilitatis.

In quibus & uos ambulastis aliquando, cũ uiueretis in illis.] Nõ caret encomio hic sermo, tanq; nunc nõ uiuãt in his. Sed olim, inquit, uiuebatis in hisce, cũ gentes essetis.

Nunc autem deponite & uos omnia.] Quomodo igitur, cum suprà dixisset, Quondam in ijs uiuebatis, ac indicans q; nunc non uiuant, rursus dicit, Deponite omnia: quî enim deponant quod nõ habent? Potest igitur responderi, quod illud quod ait, Quando uiuebatis, cooperetur eis ad ea quæ nunc dicũtur. Quasi enim hoc indicet, quòd olim quidem dominabatur uestri peccatum, uitamq; uestram cõtinebat, ac tyrannidem exercebat, ante baptisma uidelicet, eratq; difficile admodum à peccatis liberari, adeoq; affectibus prauis: nunc autem per baptisma occiso & mortuo in uobis peccato, facilè
B est deponere affectus prauos, tanquam pallium. Nec est q; prætextatis uos sub tyranno uitam uiuere atq; affectibus. estis enim eis mortui.

Iram, indignationem, malitiam.] Vindictam iniuriæq; recordationem, malitiam dicit, quam nonnulli & amarulentiam nominarũt, quando quisquam seruarit malitiam in seipso, ut sese ulciscatur.

Blasphemiam.] Conuicia hîc intelligit.

Turpem sermonem de ore uestro.] Significanter dixit, ex ore uestro: hoc est, quod sanctificatur per cõmunicationem dominici corporis. Absurdum enim est fœdari per blasphemiam turpiloquentiamq; os uestrum, quod Christum recipit.

Ne mentimini alter in alterũ.] Christũ induentes, qui dixit, Ego sum ueritas: quomodo nunc alia forma amicimini, mendacij nimirum? Planum enim hinc fit q; illum characterem exueritis, qui uos ueritate signauerit.

Exuentes ueterem hominẽ cum operibus suis.] Quidnam tandem membra & corpus & hominem uocat corruptam uitam, ac rursus uitam uirtutibus insignem, idem ipsum? Vt ostendat uoluntatem essentia ac substantia esse potiorem, nosq; ab ea potius nominari, nõ ab essentia. Nam scriptura etiã equos, canes, & uulpes nominat eos qui uoluntatis & morum suorum nomine, huiusmodi belluis facti sunt similes. Proinde & in gehennam, & ad æternum regnum nos inducit uoluntas, non essentia. Veterem igitur hominem, corruptam uoluntatem dicit, propterea & intulit, cum operibus, hoc est, uoluntatem cum operibus. Veterem autem nominauit, turpitudinem eius ac deformitatem ob oculos ponere uolens, & infirmitatẽ. Obserua autem quomodo ueteris hominis membra recensuerit, mentem per mendacium, cor per indignationem, os per blasphemiam & mendacium, oculos per fornicationem: abdita membra, ut hepar, per concupiscentiam malam, manus per auaritiam. Hier. 5. Philip. 3. Luc. 13.

Et induentes nouum, eum qui renouatur in agnitione.] Nouus homo est uoluntas secundum Deum, quæ non consenescit, sed nunquam nõ uirax est & florens, ad Dei & diuinarum rerum agnitionem, & quæ nunquam non magis magisq; noua demonstratur: ac quo maiorem acceperit cognitionem, pluribusq; donata fuerit, hoc ualentiorem sese exhibet. Nouus homo.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Secundum imaginem eius qui creauit illum.] Hoc est, Christi, quandoquidem A
& ipse ad senium non peruenerit. Sed adeò formosus erat & elegans, ut ea pulchritu-
Psal. 44. do non possit satis uerbis exprimi, de qua propheta sic habet, Speciosus forma præ
filijs hominum. peccatum enim non fecit, quod hominem senio conficit ac corrum-
pit. Et nos igitur ab illo conditi secundum imaginẽ eius, exuere & abradere debemus
quæ ex peccatis nascitur corruptionem & inueterationem. Creationem autem intelli
ge, quæ fit per baptismum, & optimam uiuendi rationem.

Vbi non est Græcus, & Iudæus.] Hoc est proselytus, & Iudæus ex maioribus.

Circuncisio & præputium, barbarus, Scytha, seruus, liber: sed omnia & in omnibus
Christus.] En aliud encomium noui secundum Christum hominis, q̃ neq; gentis, neq;
dignitatis, neq; maiorum ab ipso discrimen adeoq; respectus habeatur, sed Christum
eius esse signum. In omnibus enim qui uita uirtutibus cõspicua sunt efformati, omnia
est Christus, hoc est, & genus, & dignitas. Vel aliam ad rationem intelligas licebit, nem
pe quòd omnes unus Christus facti sitis, cum corpus eius estis.

Induite ergo, sicut electi Dei, sancti & dilecti.] Facilem uirtutis apparatum indicat.
ut enim palliũ, sic & hanc assumere possumus: deinde nos oportere eam assiduè habe-
re, eaq; ceu ornamẽto uti, adeò ut qui hac careat, deformis & indecorus sit. Encomion
autem admiscet adhortationi eximium. Nam plerisq; contingit ut sint sancti, sed non
electi, neq; etiam dilecti sunt: uobis autem hæc omnia obtigerunt.

Viscera misericordiæ.] Non dixit, Induite misericordiam, sed misericordiæ uisce-
ra: partim ut ne illos uilipendat qui digni sunt miseratione, partim ut ostendat operæ-
precium esse ut ex affectu intimo inflectantur commoueanturq; erga miseros, & non
Perfectorũ est publi ut fratres erga fratres, uerùm ut parentes erga liberos. Ne enim mihi dicas, Cur eius mi
corum misericordiam. serear: ipse peccauit: ob eam nanq; causam abs te uiscera exigo.

Benignitatem, humilitatem, mansuetudinem, longanimitatem.] Qui miserationis
uiscera induerit, eum necessariò hęc sequuntur. Quis enim pater aduersus gnatũ suum
non est benignus? quis non erga eum moderato est animo, non contendens cum eo, B
sed nihil non ei permittens? ecquis non est longanimis? Disce hîc optimum ordinem.
benignitas siue comitas generat humilem moderatamq; mentem. qui enim bonis &
beneficis moribus est excultus, is etiam est humilis, non superbæ mentis est. Ab humili
tate, mansuetudo est: qui enim superbus est, is & concitatioris est animi. A mansuetudi
ne longanimitas, id est, magnanimitas.

Supportantes inuicem & donantes uobismetipsis, si quis aduersus aliquem habeat
querelam.] Hoc est, portantes ferentesq; uos mutuò, ut tu illũ, ille uerò te sanè toleret:
non amarulenter alter alterius lapsus explorantes, sed exiguos eos putantes, dignosq;
dissimulatione. Expende hîc quomodo ea ipse imminuerit, querimoniã ea nominãs.

Sicut & Christus donauit uobis, sic & uos.] Vt semper facit, à Christo eos adhorta-
tur, illum in exemplum proferens. At suprà mutuos eorum lapsus atq; peccata exigua
uideri fecit, exilem ea querelam appellans. Cum uerò Christum exemplum producit,
persuadet nobis, ut etiamsi grandia delicta fuerint, ac etiamsi nos benefactores simus
eorum qui nos læserunt, etsi nos magni, ipsi uerò infimæ sortis fuerint, nos tamen om-
nia dimittamus: nec hoc solùm, uerùm ut emoriamur etiã pro ijs, & post mortem illis
beneficium nostrum testemur, perinde ac Christus & in morte & post mortem nobis
beneficia impertijt. Particula enim illa, Sicut, hæc omnia exigit.

Super autem hæc omnia charitatẽ, quod est uinculum perfectionis.] Quia fieri po
test, ut qui largiatur, is thuc ex pura mente non faciat, sed in speciem & ex hypocrisi uel
simulatione, iter nobis ostendit quo possumus persequi ueram largitionem. Potest e-
tiam fieri, ut quispiam mansuetus uideatur & humilis, nec tamen diligat: propterea
Charitatis commendatio. inquit, Super omnia hæc induite charitatem. Quod adijcit, Quod est uinculum, signi
ficat quòd ista præsens hæc omnia cingat & connectat: sin absit, arguunt ista hypocri-
sin & fucum, planeq; dissoluuntur, ac in nihilum rediguntur. Quemadmodum enim
in domo nisi fuerint colligationes, & consueta ut dicuntur uincula, & in corpore nisi
fuerint ligamenta, nulla est reliquorum commoditas: hunc ad modum charitas omnia
continet perfectionem facientia, citraq; hanc nemo est perfectus: uerùm etiamsi ui-
deatur habere, imperfectus est.

Et pax

A Et pax Dei palmã ferat in cordibus uestris.] Sæpenumero iniuria sumus à quopiam affecti: hinc & geminæ apud nos cogitationes certant, altera ad uindictam nos concitans, altera ad longanimitatem. Si enim pax Dei in uobis steterit, ut iustus quispiã brabeuta, id est iudex, certaminisq; arbiter, dederitq; victoriæ palmã, ei qui iusserit ut sis longanimis, cessabit aduersarius tuus. Ipsa igitur pax Dei palmam ferat, non ira, non contentio, non humana pax, ea enim ex ultione nascitur, & oppugnatione: sed Dei, quæ stabilis & indissolubilis, quæ ob nullam mundanæ rei cõmoditatem fit, æquè atq; Dei erga nos pax, nullius commodi, quod inde retulerit, causa facta est, uerùm simpliciter ob clementiam & dilectionem sustulit inimicitiam quam erga nos habebat. Quî uerò, cum charitatis meminisset, rursus de pace incipit disputare? Videtur enim superuacanea hæc esse admonitio, cum sub charitate pax etiam contineatur. Potest igitur dici, quòd non raro accuset amicus amicum, atq; ex abundanti dilectione, cõtentiones, iniuriæ, & pugnæ oriantur. Non hoc, inquit, uolo, sed cum dilectione pacem etiã Dei habete, omnia cùm ordinantem, tum iudicantem. *Pax Dei.*

In quam uocati estis in uno corpore.] Hoc est, ad pacem uocans Christus, fecit nos unum corpus, caput ipse factus. Quid enim, & quam aliam ob causam sumus unum corpus, quàm ut ueluti membra alter alterius, pacem hanc seruemus, & non dissideamus? Vel quia ad pacem uocati estis, hoc est, innumeris bonis estis donati per pacem. Nisi enim pacem habuissemus apud Deum, nõ essemus uocati ab eo ut seruiremus, bonorumq; eius participes.

Et grati estote.] Istud est gratum esse, talem sese gerere erga conseruos, qualem se erga ipsum exhibuit Deus. Qui enim Deo gratias agit quòd sibi noxam remiserit, is non facilè ulciscetur sese de eo à quo sibi uis facta est. Nam qui uindicat iniuriam, non meminit quantis ipse sit beneficijs diuinitus affectus, iuxta illum, cui cum dimissa essent decem millia talentorum, centum denarios conseruo dimittere tamen noluerit. Gratias igitur agamus, quicquid etiam patiamur, & à quocunq;, & martyrij coronam accipiemus. *Matt. 18.*

B Verbum Christi inhabitet in uobis abundè.] Viam nobis præmonstrat, per quam grati erimus. Si enim in nobis habitet uerbum Christi, hoc est, doctrina & dogmata & admonitiones quibus nos docet cùm præsentem uitam, tum bona eius aspernari, nulli molestiæ cedemus, uerùm omnia perseueranter ferentes ac constanter, gratias agemus ob ea quæ nobis obuenient. Non dixit autem simpliciter, Sit in uobis: Sed, Inhabitet, & abundè siue opulentè. Si enim opulenti fuerimus in cognitione scripturarum, omnes calamitates æquo animo feremus, perinde ac opulentus in pecunijs iacturam ferre potest.

In omni sapientia.] Hoc est, in omni uirtute. Sapientiam enim uirtutem appellat, sicut & peccatum insipientiam, Dauid: Dixit insipiens in corde suo: &, Putruerunt cicatrices meæ à facie insipientiæ meæ. *Psal. 13. & 37.*

Docentes & commonentes uos ipsos psalmis, & hymnis, & canticis spiritualibus.] Quia lectio laborem habet, multumq; illi molestiæ inest, non ad historias duxit, uerùm ad psalmos, ut simul & animum canens oblectes, laboremq; fallas. Psalmis autem hymnos subiunxit, ceu rem quampiam perfectiorem: psallere nanq; hominum, hymnos uerò concinere angelorum est.

In gratia cantantes.] Hoc est, cum gratia & uoluptate spirituali. Vt enim humanæ cantiones gratiã habere uidentur, etiamsi non spiritualem: hunc ad modũ diuinæ cantilenæ spiritualem habent oblectationẽ. Vel quia ex dono illis obtigerat ut canerent.

In corde uestro Domino.] Non simpliciter ore, sed corde, id est, cũ attentione. Hoc enim est Deo canere, illud uerò aeri. Aliter in corde, nõ ad ostentationem: nam etsi in foro fueris, potes apud teipsum canere nemine audiente.

Et omne quodcunq; facitis in uerbo aut opere, omnia in nomine Domini Iesu.] Si edas, si bibas, si peregrineris, omnia in nomine Dei age, hoc est ipsum adiutorẽ inuocans. Vbi primùm preces ad eum fuderis, tum demum opera tua aggrediaris. Dei nomen dæmones eijcit: & opera tua non tibi facilia reddetis? Vel id monet Apostolus ut Dominum Iesum nominent & inuocent, non angelos ipsos inducant. *In nomine Iesu quicq; agere, est Iesum inuocare.*

Gratias agentes Deo & patri per ipsum.] Si filium inuoces, patrem inuocas per

ipsum: si filio gratias agis, per ipsum etiam patri gratias agis. Vel quemadmodū nos ip- A
sos filius ad patrem adduxit, sic & ipse gratiarū actionem nostram ad patrem perfert, omnium bonorum mediator nobis existens.

Mulieres subditę estote uiris uestris sicut oportet in Domino.] Cur non in omnibus epistolis, sed in hac, & ad Ephesios, & in epistolis ad Timotheum ac Titum hæc præcipit: Vel quia ueri simile est quòd in his urbibus tales dissensiones fuerint, uel quia firma erat hic ecclesia, ac reliqua apud eos bene habebant, rectęq; transigebantur, quod supererat de hisce loquitur. Porrò alijs in altioribus dogmatibus deliquium patientibus, magis erat necessarium de ijs etiam scribere, ac huiusmodi adhortationes prætermittere. Multa autem in hisce similitudo est epistolæ ad Ephelios cum hac. Quid autē est, In Domino? pro eo quod est, propter Dominū obedite: non enim tantum à natura obedientiam quam eis debetis, à uobis exigo. Hoc enim indicat per hoc quod ait, Quemadmodum oportet, siue decet, hoc est, ut conueniens est & decorum, sed potissimum etiam eam quæ est propter Dominum.

Viri, diligite uxores, & nolite amari esse ad illas.] Animaduerte quomodo eius quod cuique generi competit commonefaciat, uxores quidem ut obediant, maritos uerò ut diligant: non enim adeò à subdito ad principem dilectio quæritur, ut à principe erga subditum. Ex eo enim quod uxor diligatur, diligit & ipsa uicissim: ac dum ipsa marito inseruit, redditur ei mansuetus. Quia uerò fieri potest ut quisquam diligat, & interim tamen sit amarulentus exasperetuŕq;, maximè enim erga amatas personas hæ contingunt amarulentiæ: propterea inquit, Ne exasperemini. Reuera enim ex multa hoc fit amarulentia, quòd quisquam dissideat aduersus membrum suum.

Filij, obedite parentibus per omnia, hoc enim placitum est in Domino.] Rursus in Domino. Nō enim à sola natura nos ista uult facere, uerū quia & Deo uidetur, ut mercedem habeamus ceu Dei causa facientes. Piorum autem parentum liberis uerba faciens, dixit, per omnia: nam impijs parentibus non est per omnia obtemperandum, B
non enim quando ad impietatem cogunt, eis est obediendum.

Patres, nolite ad indignationem prouocare filios uestros, ut non pusillo animo fiant.] Hoc est, ne omnia quæcunque agunt, amarulenter & exactè inquirite, sed sunt quæ à uobis sint negligenda, ut ne contentiosiores eos faciatis, atque in mœrorem conijciatis ac desperationem. Obserua hîc sapientiam, quomodo infregerit parentes, eorumq; uiscera inflexerit per hoc quod dixit, ut ne pusillo fiant animo. Vniuersa enim parentum cura in hoc incumbit, ut ne liberi pusillo & dejecto sint animo.

Serui, obedite per omnia dominis carnalibus.] Statim ius obedientiæ, ipsum serui nomen attulit: sed, ut ne seruitutis suæ nomine angerentur, addidit, Dominis carnalibus, siue secundum carnem. Potior enim tui pars, anima, est libera, seruitus tua est temporaria: animam igitur potius submitte tuam, ut uoluntaria sit seruitus.

Non ad oculum seruientes, quasi hominibus placentes.] Effice, inquit, ut quam ex lege debes seruitutem, ex metu Christi fiat. Cum enim hero non cernente functus fueris fidelis serui officio, perspicuum est quòd ob Dei oculum isthuc agas: si autem solummodo rectè agis cum herus conspexerit, hominibus places. Talis autem si fueris, teipsum damno afficeris: Dominus enim dispersit ossa hominibus placentium. Psal. 52.

Sed in simplicitate cordis metuentes Dominum.] Id enim est metuere Dominum, quando nemine uidente nihil agimus mali. hęc etiam cordis est simplicitas, non ad homines respicere. Qui hominibus igitur placet, non est simplex.

Et quodcunq; facitis, ex animo operamini, tanquam Domino, & non hominibus.] Non solum à fuco & simulatione, uerùetiam à torpore eos uult esse liberos: imò ipsos pro seruis liberos facit, quippe qui non opus habeant dominorum imperio. Quod enim ait, Ex animo, id est cum beneuolentia, nō cum seruili necessitate, sed libertate & uoluntate facere.

Scientes quòd à Domino accipietis retributionem hæreditatis.] Domini non faciunt sæpe seruos hæredes, etiamsi decies millies eis bene seruierint: Dominus autem, hæredi-

A hæreditatis quæ in cœlis est, retributionem uobis dabit, si beneuolentiam erga dominos custodiatis.

Domino enim Christo seruitis.] Qui ordinem uobis hunc destinauit & subiectionem. Quòd autẽ seruiatis Christo, planum est ex eo quòd ipse sit uester remunerator.

Qui autem iniuriam facit, recipiet id quod iniquè gessit, & non est personarũ acceptio.] Qui autem dominum suum iniuria seruus afficit, uel quòd negligenter seruiat, uel quòd suffuretur quæ sunt heri sui, compensationem à Deo habebit. Non enim personarum acceptor est Deus, ut misereatur serui, ceu infirmę partis, qui & lege sanciuit ne iudex pauperis misereatur in iudicio. Vel aliter: Christianus seruus Græcum & infidelem herum iniuria adficiens, non arbitretur euasurum sese condemnationem. non enim personæ est inspector Christus, ut ipsi ceu Christiano remittat quod aduersus infidelem dominum deliquit. Etsi aũt ad seruos uideatur dicere istud, Non est personarũ respectus: domini tamen hoc etiã ceu sibi dictũ atq; cõueniens accipiãt. *Leuit. 19.*

CAPVT IIII.

DOmini, quod iustum est & æquum, seruis præstate.] Quid est iustum? remunerationem ipsis pro omnibus laboribus abundè tribuere, nec permittere ut aliena ope indigeant. Non enim postquam audiuisti quòd à Deo sint mercedem accepturi, tu eos priuabis ijs ad quæ tu obstringeris. *Dominorũ erga seruos munus.*

Scientes quòd & uos Dominum habetis in cœlis.] Perinde ac illi uos dominos habent, sic & uos dominũ habetis. Qua igitur mensura mensi fueritis uestris seruis, metietur & uobis dominus uester. Vel quia & uos cũ illis eundem habetis dominũ in cœlis, itaq; tanq; cõseruis uos ipsis beneficos exhibete. hîc enim cõmunem seruitutẽ fecit.

Orationi instate, uigilantes in ea in gratiarum actione.] Nouit diabolus quantum bonũ sit oratio, unde propterea nos ab ea resilire facit: quocirca dicit Paulus, Instate, siue perseuerate. Quia uerò qui perseuerat, sæpenumero ad socordiam ac defectionem
B perducitur, adijcit, Vigilantes, hoc est, attenti, ut adeò semper sitis recentes ad opus orationis. Insuper in gratiarum actione, hoc est, cum gratiarum actione hanc facientes. Hæc enim uera est oratio, quæ gratiarum actionem continet pro omnibus quæ scimus & quę nescimus, pro acceptis beneficijs aut etiam afflictionibus, & pro communibus beneficijs. *Oratio uera.*

Orantes simul & pro nobis.] Obserua humilem Pauli mentem, siquidem ipse indiguerit horum precibus.

Vt Deus aperiat nobis ostium sermonis ad loquendum mysterium Christi, propter quod etiam uinctus sum, ut manifestem illud ita ut oportet me loqui.] Hoc est, ut libertatem mihi det, non ut liberer à uinculis, uerùm ut loquar mysterium Christi, quemadmodum oportet me loqui: hoc est, non cum submissione, cæterùm cum magna fiducia. Quomodo autem uinctus alios adhortatur, & rogat accipere quod habebat? nõ solùm moderatè sapiens, cæterùm uim etiam animæ fratrum amantis significans. Indigebat enim & ipse cœlesti auxilio, quod fratrum oratio maius uberiusq; datura erat. Simul etiam inducens eos ad orandum. si enim pro eo intercedere debeant, quanto potius pro seipsis?

In sapientia ambulate ad eos qui foris sunt.] Quod Dominus dixit, Ecce mitto uos sicut oues in medio luporũ. Estote ergo prudentes ut serpentes, ac simplices ut columbæ: hoc & ipse nunc ait. Sitis, inquit, cauti, neq; ullam detis occasionẽ ijs qui foris sunt incredulis, aduersum uos, cum uobis nihil damni adserũt, neq; intempestiuè eos offendatis. Foris sunt, id est, non assueuerunt nobis, nec eiusdem sunt nobiscum ouilis, sed etiamsi eundem nobiscum mundum immorentur, foris sunt, tanquam procul agentes ab ecclesia, regnoq; Dei. Quare prudenter cum eis conuersandũ & agendum. sapientiam enim hîc prudentiã dicit. erga familiares enim & amicos non tanta opus est cautione. Addit autem illis animum, dum eos qui non dederunt nomina Christo, Græcos, extra esse uel extèros appellat. *Matt. 10.*

† Tempus redimentes.] Non uarios nos esse uolens aut hypocritas, hæc dicit: uerùm id ait, Non est uestra opportunitas temporis, sed illorum est. Potestis igitur tempus ipsum etiam uestrum facere, si cum prudentia ambuletis, si non pugnas intempestiuas recipiatis, uerùm conuenientem ipsis honorem tribuatis, si in anima nihil acci-

† Τὸν καιρὸν *tempus opportunum, siue opportunitatem rei gerendæ.*

Act.26. piatis detrimenti. Audi ipsum adeò Paulum Agrippæ loquentem: Existimo me beatum, apud te cum sim me defensurus. Sic eos qui foris sunt, intus esse faciemus, per mã suetudinem ipsos ad prædicationem attrahentes. A

Sermo iucũdus sit. Sermo uester semper in gratia sale sit conditus.] Sermoni uestro insit iucunditas, inquit, ueruntamen in scurrilitatem non incidat, neq; dissolutionem: cæterùm constringat etiam atq; obturet, id enim sal indicat: neq; sit supra modum iucundus & amabilis, nec supra modum austerus: ut cibus si sale careat, insucundus est: si uerò prę salsus sit, gustui est ingratus omnino. Vtroq; modo autem, nimirum si uel sale careat, uel nimium

Dan. 4. & 3. eo sit cõditus, gustui est ingratus, & edi non potest. Nónne uides Danielem, quánam ratione hominem impium curet? Nónne uides treis pueros, quomodo nihil in ipsis est temerarium aut molestum, sed fortitudinem & libertatem ostendebant? Temerarium enim esse & audacem, non est libertatis aut fiduciæ, sed uanæ gloriæ.

Vt sciatis quomodo oporteat uos unicuiq; respondere.] Aliter quidem diuiti, aliter etiam pauperi. Illius enim animus ueluti infirmus multo permissu eget: pauperis autem solidior est: quare potest etiam ferre, si grauius quadantenus cum eo agas. Si nulla necessitas urgeat, ne uoces Græcum pollutum, neq; contumeliose eum incessas. Præterea si ad principem adducaris, decentem ei honorem tribue. sin de dogmate ipsorum

Act. 17. & 13. interrogeris, die ipsum esse & prophanũ & impium. Paulus sanè Athenienses cum eorum laude loquitur: Elimæ autem maledicit, quia dignus erat.

Epistolarum conditio. Quæ circa me sunt omnia uobis nota faciet Tychicus.] Sapientiæ est non omnia epistolis inserere, sed necessaria tantũ atq; urgentia. primùm, ut eas non supra modum prolixas faciat. deinde ut is qui proficiscitur, habeat etiam quod recenseat, atq; hinc honoratior habeatur. Tertiò ostendit quónam erga ipsum affectu imbutus fuerit. non enim ei talia credidisset, quæ literis indicanda forsan non erant, nisi fidelem eum sibiq; admodum charum habuisset. Quare subijcit:

Dilectus frater, & fidelis minister, & conseruus in Domino.] Si dilectus, omnia nouit: si fidelis, nihil mentietur: si conseruus, particeps est tentationum. B

Quem misi ad uos ad hoc ipsum, ut cognoscat quæ circa uos sunt, & ut cõsoletur corda uestra.] Hic quam erga ipsos habebat charitatem indicat. Siquidem propterea misit, ut res illorum cognoscat, non ut sua ipsis denunciet: sed ut eos consoletur. Ostendit autem eos tentationibus pressos esse, atq; opus habere solamine.

Cum Onesimo fideli ac dilecto fratre, qui est ex uobis.] Onesimus hic est, Philemonis ille seruus. Papæ, ad quantam dignitatem peruenit, ut frater etiam Pauli sit? Paulus autem non pudebit frater esse serui. Cedit porrò in laudem urbis eorum quod ait, Qui est ex uobis, ut glorientur quòd talem protulerint.

Qui omnia quæ hic aguntur nota faciet uobis.] Hoc est, uincula, aliaq; me detinentia: si enim hæc non essent, uenissem ad uos.

Prophetæ peregrini et hospites, Paulus captiuus. Salutat uos Aristarchus concaptiuus meus.] Hic est qui unà cum ipso ab Herosolymis est reductus. Maius aũt quippiam prophetis hic Paulus dixit. nam illi sese hospites tantùm & peregrinos uocabant. hic uerò & captiuum seipsum nominat. Reuera enim captiui instar tractabatur agebaturq;, imò peius etiam quàm captiui. Siquidem captiuorum, ut suarum possessionum, qui eos ceperunt, curam gerunt: hunc autem ceu inimicum & hostem nemo non diuexabat uarijs modis. Hoc illis in consolationem dicitur, quandoquidem præceptor eorum huiusmodi patiatur.

Et Marcus consobrinus Barnabæ.] Et hunc à cognatione commendat. magno enim in precio erat Barnabas.

De quo accepistis mandata. Si uenerit ad uos, suscipite illũ.] A Barnaba forsan acceperant mandata, ut Marcum hunc honorificè susciperent. Potest hic punctũ post mandata apponi: deinde nouo quodam principio legi, Si uenerit ad uos ô Colossenses, suscipite eum honorificè.

Et Iesus qui dicitur Iustus.] Fortasse hic fuit Corinthius.

Qui sunt ex circuncisione. Hi soli sunt cooperarij ad regnũ Dei.] Cũ propriã cuiusq; laudem dixisset, nunc communem etiam ponit. magnum enim uidebatur ex Iudæis esse. Quoniam autem captiuitatis meminit, ne deijciat auditoris animum, subleuat de

inceps & excitat, inquiens, Cooperantur mihi in ijs quæ ad regnum inducunt. Proin-

de

A de qui socij sunt captiuitatis, erunt etiam participes regni. Diuus autem Ioannes Chrysostomus hunc ad modum legit: Quasi obscurè notauerit Iudæos, inquiens, Qui sunt ex circumcisione, hi soli plures nanq; ex gentibus fuerunt.

Qui mihi fuerunt solatio.] Ostendit sese in magnis afflictionibus fuisse, eosq; magnos esse quosdam, quippe quia Paulo consolationi fuerint. Obserua quomodo is qui captiuum consolatur, simul particeps esse regni prædicetur cum eo. Sunt igitur q propter Christum affliguntur, iuuandi fouendiq;.

Salutat uos Epaphras, qui ex uobis est, seruus Christi.] Et in principio epistolę, & nūc ipsum commendat, ut ueluti amantem ipsos redament: ac libenter eum audiant, si quid doceat. Præceptorem enim ac doctorem in honore esse, in commoditatem discipulorum cedit, obtemperantiam ei in ijs quæ dicit. Ingens autem eius præconium est, seruum eum esse Christi. Gloria igitur uestra est ille, utpote qui cum talis sit, ex uobis sit oriundus.

Semper solicitus pro uobis in orationibus.] Non simpliciter orans, sed sollicitus & anxiè laborans ac tremens pro uobis, non nunc solùm, sed semper.

Vt stetis perfecti.] Tacitè eos mordet ceu imperfectos. claudicabant enim omnino in dogmate de angelis. Quia uerò potest quispiā esse perfectus, nec stare tamen, quemadmodum cum aliquis omnia nouerit, non consistat tamen firmiter: propterea dicit, Vt stetis perfecti, uidelicet in doctrina & uita.

Et pleni in omni uoluntate Dei.] Hoc est, ut nullam aliam uoluntatem faciatis, præter diuinam, hoc enim est completum & perfectum esse. Ostendit autem per hæc eos partim habere quiddam, partim etiam illis quicquam deesse.

Testimonium enim illi perhibeo, quòd habeat zelum multum pro uobis, & pro ijs qui sunt Laodiceæ, & qui Hierapoli. Vtraq; intensionem, & exaggerationem habent, cùm quòd zelum dicit, tum quòd multum. Commendat autem eum Laodicensibus &
B Hierapolitanis. omnino enim epistola hac lecta, de eo audiuerunt.

Salutat uos Lucas medicus dilectus.] Lucas hic euangelista est, cuius non exiguum est encomion, eum esse Paulo dilectum. Neq; hunc alijs posposuit, ut eum imminueret, eiusue autoritatem eleuaret: uerùm ut Epaphram apud conciues magni faceret, ueneraretur q;. Verisimile est autem alios etiam hoc nomine fuisse. *Lucas euangelista.*

Ac Demas.] Nondum enim, ut uidetur, reliquerat doctorem.

Salute fratres qui sunt Laodiceæ.] Animaduerte quì eos conglutinet ac copulet inter se mutuò.

Et Nympham, & quæ in domo eius est ecclesiam.] Magnus hic uir fuit, qui domum suam totam fidelem habuerit, ut adeò ecclesia uocaretur: propterea & gratificatur ei Paulus, priuatim eum salutans. Facit autem hoc, ut & alios ad cōsimilem zelum euangelij prouocet, ut si & ipsi honorati uelint, Nympham hunc imitentur.

Et cum lecta fuerit apud uos epistola hęc, facite ut & in Laodicensiū ecclesia legatur, atq; ut uos * Laodicensium epistolam legatis.] Iuxta meam sententiam fuerunt nōnulla in hac scripta, quæ oportebat eos audire, ac rursum in illa quæ necessum erat hos discere. Maior est autem commoditas, quando alijs accusatis, alij sua peccata agnoscunt. Quę uero fuit epistola ex Laodicea? Ad Timotheum sanè prima, nam ea ex Laodicea scripta est. Quidam aiunt q, ea fuerit quam Paulo Laodicenses miserint: uerùm haud scio quid illa ipsis emolumenti ad emendationem adferre potuerit. * τὴν ἐκ Λαοδικείας. *i. Laodicēsium, uel eam quæ è Laodicea scripta aut missa est.*

Dicite Archippo.] Quur non scribit ad ipsum? Fortasse quòd exigua tantùm commonefactione, non literis opus habebat.

Vide ministerium quod accepisti in Domino, ut illud impleas.] Terrentis hoc est est uerbum ubique, Videte ne quis uos deprædetur, Videte ne iam potestas uestra hæc. Consimilem ad modum hic, Vide, inquit, ut impleas opus quod accepisti in Domino, hoc est, per Dominum. ipse nanque tibi dedit, non ego. Quale autem erat opus? ut Colossensibus prospiceret, eósque curaret & obseruaret. Duo autem adstruit per hoc quod dicit, In Domino: ipsum diligentiorem facit, ut perficiat ueluti herile opus: & illos huic subijcit, ut cui à Deo ipsi sint commissi. Omnino enim propterea scriptum est eis, Dicite Archippo, ut quando ipsos obiurget Archippus, non accusent ipsum tanquam amarulentum, nimirum agnoscentes quòd Pauli hoc sit *Supr. 1.*

mandatum, & quòd suumipsorum os Archippo dixerit quę Paulus ei nunciauerit, Vt igitur illorum ora obstruat Paulus, artificiosè ac scitè hoc fecit: quandoquidem alioqui absurdum erat discipulis de præceptore disputare. A

Memores estote uinculorum meorum.] Hoc est, mei memoriam facite, qui uinctus sum & condemnatus. Hęc autem maxima est eis consolatio aduersus quanuis afflictionem, meminisse Pauli iuncti.

Gratia uobiscum. Amen.] Hac præsente, etiamsi afflictiones habueritis & uincula, nihil aduersum uos poterit. Nam & hoc gratiæ est, ligatum teneri. Reuertebantur enim, inquit, à carcere gaudentes quòd digni iudicati essent contumelia affici pro nomine Christi. Viden' dignitatem & honorem esse, cõtumelia affici? ac reuera magna hæc est dignitas. Contingat igitur & nobis indignis, diuina gratia dignos iudicari atq; donari in afflictionibus, ut hac perferente imbecillitatem nostram, ad commoditatem ipsæ nobis cedant, multam peccatorum nostrorum crassitiem exprimentes ac delentes, in gloriam patris, & filij sanctiq; spiritus, cui honor in secula seculorum. Amen. Act. 5.

Scripta est ex Roma per Tychicum & Onesimum.

THEOPHYLACTI BVLGARIAE ARCHIEPIscopi in primam diui Pauli ad Thessalonicenses epistolam enarratio.

ARGVMENTVM.

PRimùm fidem eorum mirificè commendat, ut quæ adeò efflоruerit, ut non paucis alijs fuerit exemplo. Deinde consolatur eos in afflictionibus, quibus sunt obnoxij ob Iudæos, & Christi maximè suiq; exemplo. Postremò eos in spe resurrectionis firmat, de ea nõnulla inserẽs. Porrò Thessalonica Macedoniæ metropolis est, ut in hypothesi epistolæ ad Philippenses commonstratum. B

CAPVT I.

PAVLVS & Siluanus & Timotheus.] Ad Thessalonicenses Apostolus Paulus scribens, sibijpsi etiam coniungit Timotheum: Ephesijs autem literas scribens, non sic facit, etsi illis cognitus esset Timotheus: mihi quidem ideo feciſſe hoc uidetur, quòd statim ad Ephesios ipsum missurus esset: superuacuum autem erat epistolę conditorem, eũ qui hanc mox esset subsequuturus, prædicare. Hîc autem secus res habet: uerùm reuersus iam erat Timotheus ex Thessalonica: itaq; non iniuria seipsum huic coniungit. Præponit autem Timotheo Siluanum, forsan cum Timotheus hoc ex humilitate peteret, imitatus nimirum præceptorem Paulum, qui discipulos etiam sibi suos connumerat. Neq; autem Apostolum, neq; seruum, secundum consuetudinem suam apostolus hîc se appellat, eo quòd nuper in fide instructi erant, necdum sufficientem eius experientiam acceperant. Non igitur precium fuit operæ, eius dignitatis meminisse.

Ecclesiæ Thessalonicensium.] Etsi pauci essent Thessalonicenses & necdum firmi constitissent, ecclesiam tamen eos appellat, ipso uel nomine animum illis addens: quandoquidem plerunq; multitudinem ecclesiæ nomen significat.

In Deo patre & Domino Iesu Christo.] Quia & infidelium Græcorum, & Iudaicæ fuerunt ecclesiæ, disseparans hanc ab illis, dignitatem in Deo esse affirmat. Si enim quisquam peccati fuerit seruus, non est in Deo. Obserua hic præpositionem (in) patri ac filio tribui.

Gratia uobis & pax.] Optat eis, ne in diuinis donis alter alteri obstet, uel æmulationem suscitent, sed mutuam inter se pacem foueant, non inflati.

Gratias agimus Deo semper pro omnibus uobis.] Ab encomio statim exordium ducit: pro ipsis nanq; gratias agere Deo, indicat operatos ipsos esse talia, quorum causa Deus glorificetur. Simul autem humiliter sapere docet, tanquam Deus omnia operet.

Memoriam uestri facientes in orationibus nostris. Quòd gratias agit Deo, isthuc est propter uirtutes eorum: quòd uerò meminerit eorum in precationibus suis, charitatis est.

Sine

A Sine intermissione memores uestri.] Non solum, in orationibus meis uestri recordor, uerùm & aliàs semper, id quod uehementis charitatis est indicium.

Propter opus fidei.] Hoc est, instantiam uestram. Isthuc enim opus est fidei, solidè & firmiter consistere, & instare, non solis uerbis in fide gloriari.

Et laborum charitatis.] Qualis autem labor est charitatis? Si simpliciter & uulgariter agas, nullus est. Sin sincerè & germanè, multus est labor. Quando enim quispiam ob dilectum sibi uel quiduis sustinuerit, quo pacto labor nō erit? Thessalonicenses autem charitatis nomine multa perpessi erant, ut disces ex Actorum libro. Act.17.

Et sustinentiam spei Domini nostri Iesu Christi.] Multas, inquit, & longas tentationes sustinuistis. Sustinuistis aūt spe roborati. Cū certitudine enim credebant repositis præmijs. Deus enim in principio tentari eos permittebat, ne diceret aliquis, ꝙ simpliciter ac temere & per adulationē ac blāditias euāgelij prædicatio cōstaret, utꝙ monstret nō esse humanā istā persuasionē, uerùm Dei potentiā & uim, quę animabus psuadeat.

Ante Deū & patrem nostrū.] Bifariā hoc intelliges, uel, recordantes ante Deū siue corā Deo & patre nostro, uel propter opus fidei, quod est ante Deū. Ne ēm existimetis ꝙ citra lucrū quicquā faciatis, cæterū omnia sunt corā Deo, itaꝙ & mercedem reddet.

Scientes fratres dilecti, à Deo electionem uestram.] Meminimus, inquit, ac mentionem uestri facimus, eo quòd sciamus uos esse electos à Deo. electi enim estis ad fidem præmultis alijs. Et unde hoc planum diue Paule? Audi sequentia.

Quia euangelium nostrum non fuit ad uos in sermone tantùm.] Inde, inquit, perspicuum est ꝙ electi sitis, eo ꝙ Deus prædicationem euangelij in uobis glorificauerit. Nō enim simpliciter adeò prædicauimus, quinetiam signa sunt edita quibus testatus est Deus fidem sibi uestram probari, tanquam eorū qui ab eo electi essent & prædestinati.

Sed & in uirtute.] Hoc est, in signis quæ facta sunt ad beneficentiam gratorum, & ad pœnam & condemnationem ingratorum.

Et in spiritu sancto.] Vel ꝙ in sapiētia spirituali & nō externa, uel ꝙd spiritus sanctus
B datur credentibus.

Et in† certitudine multa.] Hoc est in ærumnis & afflictionibus. †πληροφορίᾳ, certitudine, plena et certa persuasione.

Sicut scitis quales fuerimus in uobis ꝓpter uos.] Vos, inqt, testes estis, qūo in uobis cō uersati sumus, & ꝙ cū alacritate multa prædicauerimus euāgeliū, idꝙ ꝓpter uos. Quia ēm electi eratis, ꝓpterea nihil nō uestri causa laborauimus. ꝓ dilectis ēm à Deo, qs qd nō patiat? Hic aūt sua etiā facta attingit, etiāsi tectè. uult ēm primùm eos commēdare.

Et uos imitatores nostri facti estis, & Domini.] Cōfortat eos laudādo, & ad memoriā reuocando ꝙ & ipsi non defecerint ab eo in periculis, nec sint in periculis eo facti inferiores. Deus bone, quantū est encomiū, eos statim præceptoris sui imitatores factos esse: nec eius tantū, uerumetiā Dñi? Quî uerò Domini imitatores facti sunt? Quoniā & ipse multa passus lętabat: spōte ēm ad id accedebat, ut adeò diceret patri: Glorifica me. Ioan.17.

Excipiētes uerbū in tribulatione multa, cū gaudio spūs sancti.] Nō simpliciter suscepistis cū tribulatione uerbū, sed cū multa, hoc est, cū piculis: atꝙ hoc discres ex Actis Apostolorū. Attamē afflictionē hāc, seu picula læti susceptistis. Interpretans aūt qūo liceat, & fieri possit ut qspiā in afflictione lętet, dixit, cū gaudio spūs sancti. nō ēm ꝓmisit uos spūs sanctus dolere. Porrò dolor erat in reb. corporalib. gaudiū uerò à spiritu dabat. Quemadmodū ēm in flāma seruati sunt pueri, spiritu flāmā irrorāte & infrigidāte: hūc ad modū & uos in piculis spiritus lętos faciebat, futurā uobis prędmonstrās retributionē. Animaduerte aūt tū quēpiā fieri imitatorē Domini, quādo picula sustinet cū lętitia spiritus. Act.17. Dan.3.

Ita ut uos facti sitis forma omnibus credētibus in Macedonia & Achaia.] Etsi postremò ad eos Paulus uenerit, sic tamē, inquit, resplenduistis, ut eorū ꝙ priores accesserint euangelio, uos facti sitis doctores. Atꝙ hæc est diui Pauli imitatio. Nā & ipse postremus accedens, omnes superauit. Expende hic, ꝙ nō dixerit, Facti estis forma ut crederent alij: uerū iā credentibus forma facti estis, ut sciāt & uideāt qūo oporteat credere, ni mirū cū feruore, & ad pericula promptitudine. Per Achaiā autem Græciam intelligit.

A uobis ēm insonuit sermo Domini.] Hoc est, de uestra uirtute fama, fecit ut prędicatio innotesceret omnib. ut ita omniū uos institutores ostēderemini. Illud aūt, insonuit, ueluti de tuba dictum est, quæ cùm clarè sonat, tum sonitus eius ad multos peruenit.

Nō solùm in Macedonia & Achaia, sed & in omni loco fides uestra quæ est ad Deū egressa

egressa est.] Macedoniam, inquit, & Græciam uerbo & doctrina implestis exemplo A
uestro, & quod admiratione dignũ est, quomodo per omnem locũ in adeò breui tempore tãtam fidem ostendistis? Tanquam aũt de re animata loquatur, dixit, Egressa est.

Ita ut non sit nobis necesse quicquam loqui.] Adeò, inquit, est uehemens & efficax fidei uestræ fama, ut neq; expectent nos homines quicquã de uobis dicere: uerumetiã si sæpe conemur narrare, ut & illos ad parem æmulationem inijciamus, præueniunt nos illi, uestra nobis bona prædicantes.

Ipsi enim de nobis annunciant, qualem introitum habuerimus ad uos.] Hoc est, q̃ noster ad uos aduentus refertus fuerit innumeris mortibus, uos tamen non estis offensi in nobis. Quinetiam uos in pericula propter nos incidentes, non auersi estis à nobis, sed sic nobis adhærebatis, ceu innumeris bonis à nobis aucti essetis. Secundus autem
Act. 17. ille accessus eius erat. Etenim profectus in Berrhœan, persecutionem passus est: ac inde ueniens, sic est receptus, ut & animas suas, adeoq; uitam pro eo impenderent.

Et quomodo conuersi estis ad Deum à simulacris, ut seruiatis Deo uiuenti & uero.] Hoc est, quod facilè, & cum magna uehementia, ac summo studio. Hîc porrò minus in uitam parænesin adduxit, pulchrè ac commodè eos commonefaciens, à quibus ad quę transierint, ut & dignam conuersione sua uitam ducant.

Et expectetis filium eius de cœlis, quem excitauit ex mortuis, Iesum, qui eripit nos ab ira uentura.] Et hoc est eiusdem methodi. docet enim narrationis specie, expectare filium Dei. Afflictis autem hæc est maxima consolatio, quòd qui passus est, excitatus est, iamq; in cœlis est, tum quòd ille uenturus est ut nos qui affligimur, liberet à uentura ira, hoc est à pœna, tanquã eos qui illi per fidẽ placuerimus, perq; immaculatã uitã: neq; parcet illis q̃ nos opprimũt. Quoniã aũt pericula iã sunt in manibus, bona uerò in spebus, magnã ipsis fidem tribuit. Siquidẽ expectãt & sperãt firmiter quę futura sunt.

CAPVT II.

NAm ipsi scitis, fratres, introitum nostrum ad uos, quòd nõ fuerit inanis.] Vestra, inquit, sanè magna sunt, interim tamẽ neq; nos humana ratione usi sumus, neq; B
inanis fuit introitus noster, hoc est, sine periculis ac sine tentationibus, ac nihil habens firmitatis. Nam ut sæpe dictum est, pericula sunt quæ fidem consolidant: citra hæc autem inanis fuerit & uacua.

Pericula fidem confirmant.

Sed antè malis afflicti, & cõtumelijs affecti sicut scitis Philippis, fiduciam habuimus in Deo nostro, loqui ad uos euangelium Dei in multo certamine.] Cum euasissemus, inquit, pericula apud Philippenses, in alia incidimus rursus. Vide aũt, quomodo Deo rursus omnia referat accepta. Confisi, inquit, fuimus Deo, hoc est, ab eo confortati.

Exhortatio enim nostra non fuit ex errore.] Doctrina, inquit, nostra non fuit ex errore siue impostura. Impostores enim seipsos non solent in pericula conijcere, sed potius ad delicias: ego uerò meipsum periculis obieci, unde planũ est quòd doctrina mea non erret, neq; decipiat quenquam dolis, & quòd pro humanis rebus nõ elegerim periculis esse obnoxius, uerùm ob diuina ac stabilia bona.

Diuersa erat hic lectio. Marginiẽ enim adscriptum erat Theudas, &, ut Thuedas habet Chrysde quo habetur Act. 5. Num. 16.

Neq; ex immunditia.] Hoc est, non impurum & immundum aliquid doceo, qualia sunt magorum & ueneficorum incantatorumq;.

Neq; in dolo.] Non in nouatione uel seditione, ut * Dathan.

Sed sicut probati sumus à Deo, ut crederetur nobis euangelium, ita loquimur.] Deus, inquit, probauit nos & elegit, ut crederet committeretq; nobis Euangelium. non enim elegisset, nisi dignos nouisset. Tales igitur manemus probati, quales electi sumus ab ipso ad talem prædicationem.

† Non quasi hominibus placentes, sed Deo qui probat corda nostra.] Hoc est, non ut uobis placeamus, hæc facimus omnia: sed Deo placere uolentes, qui abdita explorat. Nam probat, hoc significat nunc, uel quia recipit corda & coronat. Nemo autem dolosus & impostor & immundus huic placere potest.

† *Probare, pro, explorare uel approbare.*

Neque enim aliquãdo in sermone adulationis fuimus, sicut scitis.] Postquam in prioribus laudauit eos, ut ne suspectam faciat laudem, ait: Nunquam aliàs adulatus sum, quod est decipientium, proinde neq; iamnunc adulabor.

Neq; in occasione auaritiæ, Deus testis.] Neq; pecuniæ amore prædicauimus uobis. Quòd autem non sim adulatus, & uos testes estis: quòd autem non sim pecuniarum amator,

A amator neq; auarus, Deus testis: ipsis enim hoc non constabat.

Nec quærentes ab hominibus gloriam, neq; à uobis, neq; ab alijs.] Non dixit, Ignominia affecti sumus, neq; non sumus honore dignati, ut ne uideatur ipsis exprobrare: uerùm, Nō quæsiuimus honorem, cum tamen prædicatio uerbi hoc postulet. Nam si regios legatos magno honore dignamur, multo magis Dei legatos. Quomodo igitur gloriæ causa agemus aliquid, qui neq; à uobis, neq; ab alijs, tanquam doctores, cupiamus honorari?

Cum possemus uobis oneri esse ut Christi apostoli.] Vel honore, & gloria & amplitudine, potuissemus accipere à uobis & ali, adeoq; graues esse uobis. Etenim dignitas & autoritas nostra hoc postulat, ut accipiamus à uobis.

Sed facti sumus in medio uestri ✳ mites.] Hoc est, mansueti sine grauamine. Vel infantes in medio uestri, hoc est, innocentes, uanę glorię expertes. Infanti enim nihil huiusmodi conuenit. Quod ait, In medio uestrū, talem habet sensum, factus sum ueluti unus ex uobis, ut qui non supernam sortem acceperim.

✳ ἤπιοι mâ sueti, mites. Vel νήπιοι paruuli, infantes. Vtranq; enim lectionem Theophyl. hic attingit.

Tanquam si nutrix foueat suos ipsius filios.] Amorem suum ac feruidam dilectionem ostendit. Nunquid nutrix adulatur? nunquid à paruulis infantibus pecuniam expetit? pari ratione doctorem conuenit esse mitem, ac deamantem etiā eos qui ei insulta uerint, perinde ac nutrix pueros, etiamsi eam feriant.

Sic obstricti uobis, uolebamus tradere uobis non solum euangelium Dei, sed & nostras ipsorū animas. [Τ ὁμειρόμενοι ὑμῶν, hoc est, obligati uobis, atq; uobis adglutinati. Cō positum est ὁμείρομαι, ab ὁμοῦ, simul, & εἴρω, complico, connecto. Nōnulli uerò ἱμειρόμενοι legerūt, id est, desiderantes, sed malè. Nō solùm igitur, inquit, nihil à uobis accepimus, uerùm si possibile esset, ὀυλοκαρδοι, hoc est, uehementer uolebamus etiam animas nostras in uos impendere. Proinde euangelium impertiri, est honorificentius: animā autem impendere, adeoq; uitam, difficilius est, uehementiorisq; ac ueluti magis insanientis charitatis est: quod & ipse infert.

† ὁμειρόμενοι ὑμῶν cum affectu desiderāt, uel legunt compiore, quā mus Theoph. magis probet ὁμειρόμενοι.

B Quoniam charissimi nobis facti estis.] Ne uideatur hæc omnia dicere tanquam qui labores pro eis susciperet, & propterea deberet honorari ab ipsis, ait: Nullam ob rem aliam hæc facio, inquit, quàm propter charitatem. Neq; enim retributionem quærens, uerùm ipsum tantummodo bonum & honestum.

Meministis enim fratres laboris nostri ac fatigationis. Nocte ac die operantes, ut ne quem uestrùm grauaremus, prædicauimus ad uos Euangelium Dei.] Non dixit, Meministis beneficiorū quæ à me accepistis: sed laboris, nec id simpliciter, cæterùm & fatigationis, id est laboris cum magna diligentia, studio, & alacritate: nec die solū, uerumetiam nocte. O quanta hęc est Apostoli alacritas, promptitudo, & summa, ne quenquā offendat, sedulitas. Innuit autem Thessalonicenses istos non admodum fuisse diuites, cum inquit, Ne quenquam uestrùm grauaremus.

Vos testes estis, & Deus.] Satis Deus autoritatis habebat & fidei, uerū quia nō erat pspicuū hominib. q; Deus testimoniū dicat, & ipsos quibus loquit, in testimoniū uocat.

Quàm piè.] Omnia quæ opus erat implere. Illud ὁσίως, significat sanctè & piè cum timore & cultu Dei.

Et iustè.] Hoc est, nemini uim facientes, uel iniurij, pecuniarum exactione.

Et inculpatè.] Hoc est citra offendiculum & scandalum.

Vobis qui credidistis affuimus.] Quandoquidem ab infidelibus impius uocabatur, & circulator, & spermologus, & nihil sani.

Sicut scitis.] Rursus eos testes uocat, quod argumento est, eū nihil arroganter dicere.

Qualiter unūquemq; uestrū sicut pater filios suos deprecātes uos & cōsolantes.] Papæ, cuiusmodi id erat negotij, q; neminē citra cōsolationē prætermitteret, sed unicuiq; uerba & sermonē accōmodaret. Quod aūt dicit, deprecantes siue adhortātes, id agit ut generosè & fortiter ferant aduersa. Non igitur gloriam quærebam. Suprà quidem nutrici seipsum assimilauit, nunc autem patri, dilectionem indicans & præsidatum, & humilitatem omnis fastus uacuam. Quis enim pater aduersus filios inflatus est?

Ac testificantes, ut ambularetis dignè Deo qui uocat uos ad suū ipsius regnū & gloriam.] Testificari siue obtestari, iam seuerioris atq; obiurgatorię est doctrinæ, quare nō adulabar. Postquā uerò prædixit, Tāquā pater, tūc intulit, ac testificātes. Nō enim uehementer

Paternus affectus.

menter inquit, sed, ut patres, ut ambularetis dignè Deo, qui uos uocaret ad regnum A
suum & gloriam. Animaduerte, quomodo narrationis specie hîc nos doceat & conso-
letur. Si enim ad regnum nos uocat Deus, omnia sunt ferenda.

Ideo & nos gratias agimus Deo sine intermissione, quoniam cum accepistis uerbũ auditus à nobis Dei, accepistis non uerbum hominum, sed quemadmodum est uerè, uerbum Dei.] Hoc loco eos etiam commendat: Non enim, inquit, nos quidem omnia immaculatè agimus, uos autem indignum quiddam mea institutione demonstrastis. Non enim, tanquam homines audiretis simpliciter, affecti eratis: sed ueluti ipso Deo adhortante, sic aduertebatis animum. Verbum autem uel sermonem auditus, Dei prædicationem dicit, ac uerbum, ut quod cum audiatur, credatur etiam. Quomodo enim credant, si non audiant?

Rom. 10. Qui & operatur in uobis credentibus.] Vnde planum est quòd tanquam uerbũ Dei acceperitis? Operatur enim, inquit, in uobis, hoc est, ex ipsis operibus demonstratur. Nisi enim ipsum sic suscepissetis, non iam in huiusmodi tentationibus perdurassetis. Vt enim, quòd neq; adulator sit, neq; impostor, ex periculis quæ subijt conuincit; sic & ipsorum fidem ex afflictionum tolerantia indicat.

Vos enim imitatores facti estis fratres, ecclesiarum quæ sunt in Iudæa in Christo Ie-
Eccl. esus. su.] Ne quis per ecclesias quæ sunt in Iudæa, synagogas Iudæorũ intelligat, propterea
Synagoga. adiecit in Christo Iesu, ut fidelium ecclesias indicet.

Quia eadem passi estis & uos à proprijs contribulibus, sicut & ipsi à Iudæis.] Haud parum hîc cõsolationis præbet Apostolus. Si enim Iudæi patriæ legis æmulatores, post quam semel crediderint, tãta sunt perpessi, quanto potius uos debetis? Non exiguum autem argumentum est, uerum esse euangelij uerbum, cum Iudæi tanta patiantur eius causa, qui antea illud persequebantur.

Qui & Dominum occiderunt Iesum.] Quid igitur mirum, si contribules suos adfixerunt, quandoquidem & Dominum occiderunt? Animaduerte autem qualis sit consolatio, participem fieri Christi adflictionum: propterea & Paulus semper illud in ten- B
tationibus circumfert.

Et proprios prophetas.] At dicet aliquis, quòd Dominum ignorauerint, neque cognouerint. Quid tum postea? Anne prophetas suos non norant, quorum libros etiam circumferunt? Quomodo igitur & hos occiderunt? Quare planum est quòd ni-
Iudæorũ rabies ac malignitas. hil agant ueluti æmulantes pro ueritate, sed contra ueritatem potius rabientes & insanientes.

Et nos persecuti sunt.] Apostolos, doctores uestros. Necessum est igitur uos discipulos, ad hæc exempla defigentes oculos, patienti animo ista hæc ferre.

Et Deo non placent.] Quomodo enim placere ei queant, qui filium eius occiderunt, ac iam olim prophetas etiam eius interemerunt?

Et omnibus hominibus aduersantur, prohibentes nos gentibus loqui, ut salui fiãt.] Quòd si uniuerso terrarum orbi salus per Christum parta annuncianda est, illi autem prohibent, communes orbis terrarum sunt hostes. Est enim inuidentia immensa, communem & publicam salutem impedire.

Vt impleant peccata sua semper.] Hæc, inquit, iam olim in prophetis, & posthac in Christo atq; adeò nobis peregerunt, ut ostendant seipsos perfectissimè & cumulatissimè peccare, peruenireq; ad plenam & summam malitiæ mensuram.

Peruenit autem ira in ipsos ad finem.] Hoc est, non quemadmodum antehac, redi-
Ira Dei aduersus Iudæos. tus est ipsis à captiuitate, neque terram suam denuò recuperabunt, sed in finem usque perdurat erga eos ira Dei: perterrefaciens ipsos hoc pacto, hoc est, aduseq; consummationem sic permanebit ipsis ira Dei. Porrò cum dicit ἡ ὀργὴ, id est ira, cum articulo Græco ἡ, ostendit hanc ipsis iram prædestinatam, aque uatibus sacris prænunciatam. Cũq; consolatus esset Thessalonicenses ex eo, quòd ostenderit ipsos multos habere tentationum suarũ socios, ex hoc etiam animum illis addit, cum ostendit pœnam daturos eos à quibus opprimantur.

Nos uerò fratres orbati uobis ad horæ tempus.] De charitate hîc loquitur. Suprà nanque, tanquam pater liberos, dixit, ac ueluti nutrix: hîc uerò orbati, quod est filiorum patrem inquirentium; ut ex hoc discamus, quî eos desiderarit. Simul autem

&

A & mœrorem in quo erat ob separationem illam à Thessalonicensibus, indicat. Nec est quod dicatur, nos multo tempore expectasse, sed breue illud & omnino modicū tempus fuit, quo uobis orbati sumus, ut unius uix horæ spacium esse reputetur.

Aspectu, non corde.] Neq; corde tamen, inquit, separati sumus, sed aspectu. Atqui etiamsi in corde uos circumferamus, contristamur tamen quòd non liceat nobis corporaliter uestra præsentia uti. Obserua hîc, quòd qui sese uehementer diligant, indigeant etiam felicitate quæ est ex mutua præsentia & conspectu, quandoquidem inde magis inflammetur charitas.

Abundantius laborauimus faciem uestram uidere cum multo desiderio.] Abundantius, quàm uerisimile erat, quod eos uidere expeteret, quibus orbatus esset ad tempus. Animaduerte autem charitatem: nam ob nihil aliud aduenire uult, inquit, quàm ut faciem uestram uideam.

Quapropter uoluimus uenire ad uos, ego quidem Paulus semel atq; iterum, & impediuit nos satanas.] Quid ais? Satanás ne impedijt? Næ: non enim Dei hoc opus fuit. In epistola enim ad Romanos à Deo dicit se impeditum: insuper & Lucas ait quòd spiritus eos impedierit: in epistola ad Corinthios, spiritus isthuc ait opus esse: hic uerò tantummodo satanæ, tentationes graues & inexpectatas adducentis, ex diuino nimirum permissu. Animaduerte hîc quantùm charitate oblectetur, innuens quòd maximè omnium eos diligeret, ex eo quod ait: Ego quidem Paulus, hoc est, qui mecum erant alij studebant quidem uenire, ego uerò conatus sum etiam. *Rom. 1. Act. 16. 2. Cor. 1. Satanæ tis.*

Quæ enim spes nostra, aut gaudium, aut corona gloriæ?] Nónne hæc sunt matrum uerba, omnino misericordiæ & charitatis uisceribus inflammatarū, paruulos suos pue-
B ros alloquentiū? Non satis erat coronam dicere, ut dilectionis suę feruorem indicaret, sed apposuit gloriæ siue gloriationis: propter uos enim, inquit, spero quòd maiorem fiduciam & libertatem nanciscar uestri causa apud Christum, atq; ob eam causam lętor, quòd sitis corona mihi, & corona gloriationis, hoc est, splendidę glorię, & hîc estis iam nunc, eritisq; posthac tunc in futuro seculo.

Nónne & uos coram Domino nostro Iesu Christo, in aduentu ipsius?] Quid igitur? Thessalonicenses spes tua sunt beate Paule: non illi soli, propterea adiecit, Et uos, ostendens quòd & alij fuerint.

Vos enim estis gloria nostra & gaudium.] Quanta enim est gloria, tantam ecclesiam adducere Christo?

CAPVT III.

PRopter quod non sustinentes amplius, probauimus relinqui Athenis soli.] Probauimus, id est, elegimus atq; decreuimus.

Et misimus Timotheum fratrem nostrum, & ministrum Dei, & cooperatorem nostrum in euangelio Christi.] Tanta fuit cura discipulorum diuo Paulo, ut siquādo ipse impediretur necessarijs quibusdam causis, alios tamen mitteret, qui discipulos inuiserent: hoc tum etiam fecit, Timotheum ablegās. De eo autem tanta encomia concinit, non ipsum solummodo extollens, cæterùm ipsos etiam honorans atque obseruans, quandoquidem eorum causa tanto tempore adeò necessarium euangelij cooperatorem ab opere ministerij auulserit.

Ad confirmandos uos & exhortandos pro fide uestra.] Cum concuterentur ob tentationes afflictionesq; præceptoris sui, indigebant fulcimento & exhortatione siue cōsolatione, ut iam non excidant à fide. Non enim modicam discipulis perturbationem, præceptoris tentationes præbent, perinde ac militi siquando imperator uulneretur.

Vt nemo moueatur in tribulationibus istis.] Exponit quidnam allaturus ipsis esset cōmodi sua confirmatione Timotheus. Vt nemo, inquit, concutiatur, hoc est turbetur, laxetur in tentationibus meis. Nam satanas si inuenerit opportunitatem tentationis, turbat minimè firmatos, quietis ac remissioris uitę suggestione, ut à rebus molestis ad mœrorem adferentibus resiliant. Nonnulli σαίνεσθαι, pro turbari positum esse, dicunt, metaphora à canibus sumpta. Nā & illi caudas suas, cum adulantur, turbāt & commouent.

Ipsi enim scitis, quòd in hoc positi simus.] Audiamus hîc, q; Christiani, ut affligantur, sint constituti. Non enim de apostolis hæc tantum dicta sunt. Cum itaque ad hoc positi simus, quid nouum si affligamur? Quocirca nedum ob præterita mala oportet *Christiani affligi debent.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

nos esse pacatos & inconcussos, uerumetiam ob futura. Hoc enim nobis est ma- A
gis proprium.

Nam & cum apud uos essemus, prædicebamus uobis passuros nos tribulationes, sic cut & factum est, & scitis.] Magnæ consolationi est discipulis, quòd præceptor immi-nentes afflictiones ipsis prænunciet. Sic enim usu uenit, ut deinceps ob eas non ita perturbentur, atq; fieret si inexpectatæ & insperatæ contingerent. Hinc & Christus A-
Ioan. 14. postolis dicebat: Hæc priusquam fierent, prædixi uobis, ut cum facta fuerint, credatis. Non hoc autem solum eis Paulus denunciauit, uerùm & multa alia quæ etiam euenerunt, prædixit.

Propterea & ego amplius non sustinens, misi.] Si prædixisti eis diue Paule q̃ in cala mitate sis uenturus, & q̃ fidei causa eos non oporteat conturbari, quid rursus mittis? ap paret enim, quòd non admodum eis fidas. Præ nimia, inquit, charitate hoc facio. Dili-gentes enim, quæ tuta sunt, etiam suspecta habent. Præterea multæ fuerũt tentationes, ac excessus malorum seu magnitudo terruit me. Propterea nõ dixit, Desperans de uo-bis, misi: sed enim, Non porrò sustinens, quod amicitiæ erat.

2. Cor. 12. Ad cognoscendam fidem uestram.] Quærunt hîc aliqui: quid nam, qui tertium aduscq; cœlum conscenderat, qui non patefacienda uerba audierat, iste non nouit quo in statu sint res Thessalonicensium, sed Timotheum mittat, ut cognoscat fidem ipsorũ? Potest igitur dici, quòd non omnia norint sancti, cùm qui ante Christum uixerũt, tum
4. Reg. 4. qui post Christum. Nam & Helisæus ignorabat quid cum Sunamitide ageretur. He-
3. Reg. 19. lias putabat etiam se solum relictum, cum adhuc septem millia essent: quinetiã Samuel
1. Reg. 16. ante hos, docetur non attendere in faciem primi fratris Dauidis. Hunc ad modum A-postoli nõ nouerant omnia. Hoc autẽ factũ est, ut neq; ipsi attollantur, neq; alij de ipsis maiora quàm par sit imaginentur, néue nos posteri dicere possemus q̃ humanæ natu-re modum illi trãscendentes, uirtutis opera perfecissent, ac propterea nos socordes pla-nè ac tantum non desperantes maneremus: sed ut discamus q̃ neq; ipsi tantum diuino auxilio freti, sed suis etiam laboribus præclara peragerent opera. B

Ne quomodo tentarit uos is qui tentat, & inanis fiat labor noster.] Non suspicatus sum, inquit, uos concussos esse: uerùm hoc tantũmodo metui, ne tentati sitis. Animad-uertis aũt diabolicum esse, in afflictionibus turbari, maximè si alij offendantur, ex eo q̃
Iob 2. alij affliguntur: sicut in Iobo fecit, uxorem eius tentans, ex ijs quæ maritus patiebatur. Tentat autem diabolus, nesciens an sit superaturus: quod ex Iob manifestum est. Atta men quæ ipsius est impudentia, irruit. Ac si quid uideat imbecille, expectat & perma-net: sin forte, desistit. Et inanis fiat labor noster. Etiamsi aũt permutati sunt & inuersi, ô Paule, quid ad te? Tuus labor perfectam habet apud Deum mercedem. Præ nimia ta men charitate, inquit, euacuatum mihi laborem arbitror meum.

Nuper autem cum uenisset Timotheus ad nos à uobis, & annunciasset fidem & di lectionem uestram.] Hæc quidem expectaui, inquit, euenerũt autem contraria. Re-puta hîc tecum immensam lætitiam ac clementiam Pauli. Non dixit, denunciasset, sed εὐαγγελισαμένου, id est, bene ac cõmodè nunciasset: adeò ingens bonum putabat illorum in fide confirmationem. Charitatis porrò eorum nomine haud parum etiam lætaba-tur, nam fidei signum erat.

Et q̃ habeatis memoriã nostri semper bonam, desiderantes nos uidere, quemadmo dum & nos uos.] Hoc est, meministis nostri cum laude & præconio. Audite hîc disci-puli, atq; discite præceptorum uestrorũ mentionem facere semper cũ laude: uobis ipsis nanq; proderit, non illis. Consolatio autem maxima est Thessalonicensibus & lætitia, discere, Paulum nouisse se ab ipsis dilĩgi: maiorem enim in eis amorem accendit.

Ideo consolationẽ accepimus in uobis fratres, in omni afflictione & necessitate no-stra.] O rem admirandam. Agit illis gratias, quòd non sint commoti. Non sentimus e-nim, inquit, tristia, uerùm consolationem accepimus, non in una quapiam afflictione, sed in omni. Lætitia enim quam uestri causa recepimus, omnibus nostris necessitati-bus æquipollet, easq; compensat.

Per fidem uestram.] Vos me firmastis, inquit. Atqui diuersum erat, ipse nanq; ten-tationibus haudquaquã cedens, fulciebat eos: attamen in illos ipsos encomion trans-fert. Vos non permisistis, inquit, tentationes & pericula me sentire.

Quoniam

A Quoniam nunc uiuimus, si uos statis in Domino.] Non dixit, Consolationem accepimus: sed, Viuimus: indicans q; eorũ scandalum mortem suam existimarit, ac uitam eorundem in Euangelio progressum, & constantiam & confirmationem in Christo.

Quam enim gratiarum actionem possumus Deo retribuere pro uobis super omni gaudio quo gaudemus propter uos ante Deum nostrum?] Tantum, inquit, est gaudiũ nostrum propter uos, ut nequeamus pro dignitate Deo gratias agere pro uobis. Vestram enim uirtutem & actionem, donum Dei arbitramur: non enim est humani conatus, animæ tanta prudentia. Quare cum illi sint per nos eam ob rem agendæ gratiæ, non inuenimus dignam gratiarum actionem.

Nocte ac die abundantius orantes, ut uideamus faciem uestram.] Expende excessum: plus quàm abundè precabatur, ut posset uidere eos, quemadmodum si quisquam colonus, audiens quòd cultus ab eo ager fertilem lætamq; segetem proferat, atq; ea gratuis sit, percupit eam suis intueri oculis. *Similitudo pulchra.*

Et compleamus ea quæ desunt fidei uestræ.] Atqui paulo antè testatus est stare eos: qui ergo nunc dicit, Quæ desunt fidei? Non omnem perceperant doctrinam, sed deerant fortasse ipsis quædam de resurrectione, idq; genus alia. Præterea haud parũ multi erãt pseudapostoli. Hanc ob causam dixit defectus fidei. Vbi itaq; fidei eorum metuebat: Misi, inquit, Timotheum, ut uos fulciat. Hic uerò compleamus ait, quod institutionis & doctrinę potius est, quàm confirmationis. illud enim compleri dicimus, cui pusillum quid deficit.

Ipse autem Deus & pater noster, & Dominus noster Iesus Christus, dirigat uiam nostram ad uos.] Planum hìc facit, quòd etiam apud seipsum precabatur ut eos uideret, qui quidem precationem epistolæ etiam inseruerit. Et se quoq; defendit, quòd non ex segnitie relinquat ipsos. perinde quasi dicat: Ipse Deus excindat tentationes undiq; circumtrahentes nos, ut recto itinere ad uos ueniamus.

Vos autem Dominus multiplicet & abundare faciat charitatem uestrã in inuicem,
B & in omneis.] Viden' dilectionis hìc uehementiam, adeoq; maniam, quæ se continere non possit? Nam & excellere & abundare eos in dilectione precatur, non solùm erga se mutuò, uerumetiam erga alios omnes. Isthuc enim est diuinæ charitatis propriũ, omnes complecti. Nam si hunc diligas, illum uerò non item, humana ista amicitia est. *Charitas Christiana qualis.*

Quemadmodũ & nos erga uos.] Nostra, inquit, dilectio iam se rectè habet, uestrã autem deinceps rogamus crescere: habetis enim mensuram & exemplum dilectionis.

Ad cõfirmanda corda uestra inculpatè, in sanctitate, ante Deum & patrem nostrũ, in aduentu Domini nostri Iesu Christi cum omnibus sanctis eius.] Charitatem ipsis lucrum gignere asserit, nõ amatis. Abundare nanq; uos Dominus, inquit, faciat in charitate, ut fulciat firmétue corda uestra. Per Dominum autem spiritum intelliges, perinde ac magnus Basilius interpretatus est. Quis enim alius confirmabit irreprehensibiles, coram Deo & patre in aduentu Christi, quàm spiritus omnino? Non dixit autem, Vt uos confirmet: sed, Corda. E corde enim egrediuntur cogitationes prauæ. Fieri etiam potest, ut aliquis nihil mali persequens opere ipso, prauus tamen sit, ut sunt inuidus, impostor, iniuriarum memor & uindictę cupidus, peruersa dogmata habens. Immaculatus ergo tum uerè est homo, quando cor suum purgat: tum enim & sanctitatem habet. Sanctitas autem propriè dicitur continentia, quemadmodum & impuritas, fornicatio, & adulterium. Vniuersum autem omne peccatum est impuritas, & omnis uirtus est sanctitas. Immaculatos aũt uult esse coram Deo & patre, etiam nũc quidem. ea nanq; est syncera uirtus, quæ coram Deo est, non coram hominibus: quando quidem fallax sit humanũ iudicium. Ac in aduentu Domini, nam ab ipso iudicamur ante conspectum patris. Vt igitur, inquit, sitis inculpati, quemadmodum omnes sancti. *Matth. 15.* *Peccatũ omne impuritas.*

CAPVT IIII.

QVod reliquũ est fratres, rogamus uos & obsecramus in Domino Iesu, quemadmodum accepistis à nobis quomodo oporteat uos ambulare ac placere Deo, ut abundetis magis.] Quandoquidem, inquit, de ijs quæ decent uobis locutus sum, audite porrò de ijs quę semper auditu sunt necessaria. Nam istud quod reliquum est, hoc indicat, hoc est semper & perpetuò. Expende uerò minimè elatam Apostoli mentem, quomodo nec ad hanc obsecrationem siue adhortationem sibi satis esse authoritatis

putarit,ſed Chriſtum Dominũ aſſumat,hæc dicens, nempe quòd Chriſtus nos per nos A
†παρακα- † obſecrat. Quod ait, Accepiſtis,non eſt uerborum tantùm, uerumetiam operum.per
λεῖ, obſe- opera nanq; docebat. Quid uerò obſecramus:ut abundetis magis,hoc eſt,ut aliquid ſu
crat uel ad pra mandatum etiam cupiatis facere, ut adeò imperata ſuperetis. Quemadmodum e-
hortatur. nim terra non ea ſolum quæ in ipſam deiecta fuerint,profert: ſic animus nõ debet con
ſiſtere intra præcepta,ſed ea etiam ſuperare.

Scitis enim quæ præcepta dederimus uobis per Dominum noſtrum Ieſum Chri-
ſtum.] παραγγελία,id eſt præceptum uel interdictum eſt de ijs quæ fugienda ſunt:quæ ſi
fiant,pœnam ferunt:non peracta uerò,nihil merentur pręconij. Sunt autem quędam,
Conſilia & quæ non ſunt præcipienda,hoc eſt,cum minis exigenda,ſed in animo atq; arbitrio au-
præcepta ditorum relinquenda,ut facultates omnes uel relinquere,uel in pauperes ſpargere,uir
in ſcriptura ginitatis ſtatũ ſeruare,uel permanere cœlibem. Nam qui poteſt capere, capiat, inquit
Matt.19. Dominus. Veriſimile eſt igitur Paulum quædam illis cum magno etiã terrore deman-
daſſe:unde & ea uerbis non exprimit,ſed ad memoriam tantum reuocat. Rurſus autẽ
Chriſtum in medium profert. Non mea enim,inquit,præcepi,ſed illius ſunt hæc.itaq;
& ille uel exaudietur uel reprobabitur.

Hæc eſt enim uoluntas Dei, ſanctificatio ueſtra.] Id eſt, temperantia. Vbiq; autem
1.Tim.5. de hac admonet, Timotheo nimirum ſcribens, Corinthijs,& Hebræis. Tyrannicum
2.Cor.7. enim malum eſt impuritas,unde & multis & continuis pharmacis indiget.
Heb.13. Vt abſtineatis ab omni fornicatione.] Siquidem multæ & uarię huius mali ſpecies
ſunt, quas ne dicere quidem ſuſtinuit, ſed ſimpliciter, Ab omni, dixit.

Vt ſciat unuſquiſq; ueſtrũ, ſuum ipſius uas poſsidere in ſanctificatione & honore.]
Vas, corpus ipſum appellat. Quando igitur continentes erimus, & purum fuerit,nos
ipſum poſsidemus. Quãdo uerò impurũ fuerit,peccatum ipſum poſsidet.quæ eñ pec-
catum imperat,iſthuc facit ſicut ſeruus. Verùm tum eſt in honore, quando ſobrium eſt
& pudicum.peccatum igitur ipſa eſt ignominia. Obſerua autem quod ait, Vt ſciat,ad-
monet enim,caſtitatem & continentiam opus habere exercitio & diſciplina. Vbi ſunt B
de natura diſputantes, Manichæi & Marcioniſtæ?

Non in paſsione deſiderij.] Hoc eſt, non in deſiderio, ſiue cupiditate affectum uel
motum prauum habente:nam eſt etiam deſiderium prauo affectu uacans,quod eſt di-
uinarum rerum. Vel q; omnia concupiſcentiam inflammãtia & accendentia,deſideri
paſsiones nominet,ueluti delicias,opes,ocium,ſocordiam.quodlibet nanq; horũ deſi-
derij,ſiue concupiſcentiæ uel paſsio uel affectio dici poſsit. Fuerit igitur precium ope-
ræ,ſi uelimus eſſe temperantes, nullam affectionẽ quæ cupiditatẽ accendat, ſuſcipere.

Sicut & gentes quæ ignorant Deũ.] Qui Deum porrò non nouerunt, neq; retribu-
tionis ſpem habent:proinde omnia uoluptati tribuunt.

Vt non tranſgrediatur,neq; circumueniat in negotio fratrem ſuum.]Paulo antè de
quauis alia fornicatione, nunc uerò de adulterio loquitur, quod & circunuentionẽ &
Matt.19. tranſgreſsionẽ meritò nominat. Nam Deus unicuiq; uxorem dedit, ac terminos natu
2.Cor.7. ræ poſuit,mixtionem uidelicet quæ eſt cum una illa uxore.Exceſſus itaq; eſt & circun
uentio in re,ſiue negotio,hoc eſt,in congreſſu,præſertim cum fiat aduerſus fratrem.

Eo q; uindex eſt Dominus de omnibus his, ſicut prædiximus uobis & teſtificati ſu-
mus.] Ne exiſtimes,inquit,q; de fratribus hæc tantum dicam, ſed neq; infidelium uxo
res,neq; ſimpliciter maritis tacentes,neq; publica ſcorta habere licet. Nam hæc omnia
ulciſcitur dñs:nec impunè iſta perficimus,ſed innumeras pœnas ſuſtinemus pro inge-
ſta nobis in preſenti temporaria in his uoluptate. Conſidera autem:primũ obſecrauit:
deinde pudefecit,quemadmodũ gentes inquiens:poſtea à ratione abſurditatẽ cõmon
ſtrauit,rem circunuentionem dicens:deinceps etiam terret. Reuocat autem eis ad me-
moriam,quòd ſæpe hæc ab ipſo audiuerint.

Non enim uocauit nos Deus in immunditiam,ſed in ſanctificationẽ. Itaq; qui ſper
nit,non hominem ſpernit,ſed Deum qui dedit ſpiritum ſuum ſanctum in nos.] Quia
dixerat q; fratrem iniuria afficias, atq; intulerat quòd Deus hoc ulciſcatur, dilatat hoc
nunc,oſtendens q; etiamſi infidelis hoc patiatur, ſupplicium, qui hoc fecit,dabit. Non
enim illum ulciſcitur cum te punit Deus, ſed ſeipſum. Ipſe nanq; uocauit te ad puri-
tatem, ipſum itaq; iniuria affeciſti per impuritatem, qui dedit ſpiritum ſanctum tibi.

Itaq;

A Itaq; si famulam tuam aut seruam corrumpis, & non alienam, æquale peccatum est, parq; culpa. etenim unus est & idem qui iniuria affectus est, Deus. Et si forniceris, Deus ulciscitur, cuius spiritum polluisti. Quin & aliter: Deus uidens quòd eum in talibus magis contemnamus, quàm homines, suiipsius uindex est. Hominum enim oculos, ne ab eis conspiciamur, fugere studemus: ipsum autem Deum respicientem contemnimus. *Contemptũ sui Deus ulciscitur.*

De fraterna autem charitate non necesse habemus scribere uobis.] Non dicit iam de charitate erga omnes, uerùm de ea quę est erga fratres. Per præteritionẽ aũt, adhortationem facit, duo hæc conficiens: alterũ quidem, q; adeò sit res necessaria, ut ne indigeat quidem doctrina & institutione. quæ enim prorsus magna sunt, omnibus sunt manifesta. Altero autem magis per pudorẽ urget, excitans eos ne inferiores inueniantur opinione quam de ipsis concepit, existimãs eos iam perfeciſſe quæ charitatis sunt.

Ipsi enim uos à Deo didicistis, ut diligatis inuicem.] Obserua autem quanto cum encomio hęc dicat, Deum enim ipsis uirtutis huius doctorẽ tribuit, quod & Propheta dixit: Erunt omnes à Deo docti. *Esaiæ 54.*

Etenim illud facitis in omnes fratres qui sunt in uniuersa Macedonia.] Non simpliciter dico uos esse Theodidactos, sed scio ex ijs quæ facitis. Macedoniæ autem meminit, quandoquidem Macedoniæ metropolis sit ipsa Thessalonice.

Rogamus autem uos fratres, ut abundetis magis & †operam detis, ut quieti sitis, & uestrum negocium agatis, & operemini manibus uestris, sicut præcepimus uobis.] Quòd sitis amantes fratrum, equidem noui: hoc autem obsecramus, abundare uos, hoc est exuberare in fraterna charitate, & munificos esse. Hîc igitur distinctionem facito, deinde à nouo principio lege, Vt quieti sitis, atq; res proprias agatis: uel operam detis ut quieti sitis, & res proprias agatis. Ex hoc autem ostendit, quòd ocioſi, curioſi, turbulentiq; sint. Cum autem dicit, Manibus uestris operemini, pudefacit eos qui corporale opus tollunt, solum spirituale quærentes. Dicite enim uos stolidi, num ieiunũ B aliquis operatur manibus? num humi cubationem. Minimè sanè, uerùm de opere loquitur corporali, quod & magis spirituale est. Laborare enim, ut ex labore tuo alijs impertias, uerè est opus spiritus. Quia uerò pauperes fuerũt, quippe qui bonis suis spoliati essent, laborare eos docet, ut indigentibus impertiri eleemosynam possint. Quòd hos operari iubet, qui propter Christum spoliati erant, quanto potius alios? † φιλοτιμεῖσθαι, potest conuenire sequentibus & significabit, operam detis: uel ab eis separari, ut significet, munificentissimi sitis. hanc distinctionẽ priori loco ponit Theophyl. nos in textu alteram cum recepta editione sumus secuti.

Vt ambuletis decorè ad eos qui foris sunt, & nulla re indigeatis.] Hoc est, ut ne sitis indecores, si apud infideles mendicetis. Pulchrè autem & eleganter hoc posuit, ut ne eos feriat aut obiurget. Si enim fideles offenduntur, si conspexerint hominem sanum mendicare, unde & huiusmodi Christemporos, hoc est, cum Christo negociantes appellant: multo magis infideles.

Nolumus autem uos ignorare fratres de dormientibus.] Hîc sermonem de resurrectione mouet. Quamuis enim de hac iam antea his locutus fuerat, iamnunc tamen mysterium quoddam reuelaturus est. Vel omnia de resurrectione probè tenebant, lugebant autem amicos: ei nunc luctui medetur. Quia uerò pleræq; res ignoratę nos turbant, cognitæ autem tristitiam tollunt, propterea inquit, Nolo uos ignorare. Nõ dixit autem, de mortuis, sed de dormientibus, ex isto etiam uocabulo futuram resurrectionem ostendens.

Vt non contristemini, sicut & cæteri qui spem non habent.] Cuius rei spem? resurrectionis. qui enim non habent spem resurrectionis, hi lugere debent. Attendamus igitur & horreamus. Quid igitur? propter hoc non uis ignorare, ut ne turbentur? Ecquid non dicis, Vt non puniantur, uerùm non contristentur? Næ, inquit, nam tristitia ipsa pœnam attrahit. *De morientibus nõ dolendum.*

Si enim credimus q; Iesus mortuus est & resurrexit, sic & Deus eos qui dormierunt per Iesum, adducet cum eo. Quemadmodum, inquit, Dominum Iesum excitauit, qui corporaliter & passus erat, & mortem obierat, sic & nos excitabit. Obserua autem quo modo de Domino, propterea quòd resurrectio eius iam facta sit, confidenter dixerit, Mortuus est: de nobis uerò, quia nostra dum futura est resurrectio, eos qui dormierũt, inquit, indicans simul nostri esse excitationem. Nunquid enim qui dormit, inquit, non adijciet ut resurgat? Quod ait, eos qui dormierunt per Iesum adducet, bifariam *Psal. 40.*

Per Iesum, cum præcedēti dormierunt, aut cū sequēti adducet, iungi potest.

intelliges: uel adducet per Iesum, uel qui dormierunt per Iesum, hoc est, fideles. Christū A enim habentes in seipsis, dormiūt per Iesum. De particulari igitur resurrectione hîc loquitur, hoc est, celebri, quæ est fidelium, quę cum Domino est, nam adducet cum ipso, hoc est, cū Domino in nubibus rapiet undiq;. Nam de uniuersali resurrectione Thessalonicenses norant. Verùm in hoc iam uult consolari eos, per hoc quòd ostendat celebrem & glorioſam resurrectionem fidelium, ut non contristentur. Omnes enim resurgent, sed non omnes in gloria, uerùm fideles tantùm, hoc est, qui opera corporis doctrinæ simul adiuncta habent. Expende autem quæ sequuntur omnia.

Hoc enim uobis dicimus in uerbo Domini.] Nouum aliquid dicturus est, eam ob rem ipsi fidem conciliat à uerbo Dei. Non à meipso enim, uerùm quod à Christo didici, loquor. Etenim hoc diserte audiuit à præceptore, ut & illud, Beatius est dare, quàm

Act. 20. accipere. Cætera uerò ex spiritu dicebat.

Quod nos qui uiuimus, qui reliqui sumus in aduentū Domini, non præueniemus

1. Cor. 15. eos qui dormierunt.] Quod in epistola ad Corinthios ait, In momento, in ictu oculi, idem & nunc ait. quia enim difficile uidebatur, eos qui computruerant resurgere, inquit, Quod uiuentes haudquaquam anteuertent illos. Ac quemadmodum facilè est Deo, integros adducere ad Christum, sic & illos, corruptos. Porrò cum ait, Nos qui uiuimus, non de se ipse dicit, nec enim ad resurrectionem usq; uicturus erat, sed fideles intelligit: propterea adiecit, Qui relinquimur in aduentū Domini. In sua enim persona, omnes qui tum inuenientur uiuentes, indicat. Methodius autem beatus ille, per uiuentes, animas intelligit, hoc docens quòd animæ non anteuertent corpora. Primùm enim excitantur corpora, ut animæ fruantur illis, quas & relinqui dicit, quandoquidem immortales sint.

Quoniam ipse Dominus in iussu, in uoce archangeli, & in tuba Dei descendet de cœlo.] Ne hæsites in ijs, inquit, quæ dico. nam ipse Dominus iubebit hoc. Quomodo aūt iubebit? in uoce archangeli, qui alijs angelis præsidet, & clamantis, Apparate uos omnes, iudex enim præstò est. Multæ aūt erunt tubæ, sed ad extremā descendet iudex. B Sicut enim pater in monte Sina tubas habebat & angelos ministrantes, sic utiq; filius ueluti rex aut imperator eadem habiturus est. Vel iussio Dei faciet reddere terrā corpora ad immortalitatem transformata: ut uerò omnes in unum colligantur per diuersa loca dispersi, uox archangeli efficiet angelis administrantibus.

Et mortui in Christo, resurgent primi.] In Christo mortui, id est fideles. Tanquam enim in nubes subleuandi primi resurgent, cæteri postremi resurgent: ut qui neq; rapiendi sint in æthera, neq; Christo occursuri.

Deinde & nos qui uiuimus, qui relinquimur, simul cum ipsis rapiemur in nubibus, obuiam Domino in aëra, & sic semper cum Domino erimus.] Etsi mortui primi excitentur, attamen & nos uiuentes similiter rapiemur, digni uidelicet, in nubibus,

Act. 1. perinde ac Dominum quoq; nubes susceþit. Cuius autem rei causa, si descensurus est, rapiet fideles? honoris causa. Vt enim regi cuipiam in urbem ingredienti, honoratiores occurrunt, condemnati autem intus expectant iudicem: sic & tum continget. peccatores nanque manebunt infrà etiamsi Christiani fuerint, iusti uerò rapientur, hocq; pacto summam bonorum decerpent ac referent, nimirum ut semper Christo cohabitent.

Itaq; consolamini inuicem in uerbis istis.] Vt non conturbemini cæterorum instar, qui resurrectionem non habent.

CAPVT V.

DE temporibus autem & momentis fratres non indigetis ut scribamus uobis.] Superuacaneum autem est & inutile, tempora & momenta consummationis nouisse. Nam neq; Apostolis hoc reuelauit Dominus, quando accedentes ipsum rogarent. Paulus autem fortasse ex arcanis uerbis hoc didicit.

Act. 1. 2. Cor. 12.

Diei nouissimæ ignoratio, iustis nobis est.

Ipsi enim exactè nostis, quòd dies Domini, sicut fur in nocte, ita ueniet.] Per diem Domini, publicā omnibus consummationem, & priuatū cuiuslibet finem intelliges. etenim & ipse cuilibet incerto tēpore imminet. Id enim multis nobis nominibus commodat. Primùm quidem, quia si nouisset ultimum suum diem homo, nihil non scelerum conaretur patrare alijs diebus, deinde fine uitæ appropinquante baptizaretur.

Deinde

A Deinde plerique si nouissent in crastinum uerbi gratia sese morituros, innumeris malis hostes affligere meditarentur, tanquam iam de seipsis desperantes, hostiumq; sanguine se explere cupientes: quod nunc non fit, mortis terrore eos remorante, uitæq; cupiditate. Præterea uitæ suæ amatiores, præ nimia desperatione ac tristitia perirent, si mortis suæ tempus ac momentum compertum haberent. Ad hæc iusti non tantum mercedis haberent periculis obiecti. Existimassent enim, quia compertum haberent se nunc haud morituros, sed post tot, uerbi gratia, annos, propterea sibi non parcere, sed se periculis intrepidè obijcere. Nūc uero cum incertum sit euadántne pericula, an secus, nec uel sic tamen mortem euadere laborant, perspicua eorum uirtus est. Quemadmodum enim tres pueri ea de causa maiorem admirationem merentur, quòd cum non satis nouissent an ex igni essent euasuri nécne, neq; sic tamen statuam adorauerunt: propterea obitus noster, tanquam fur in nocte. Nouistis igitur hoc ô Thessalonicenses, ex ijs quę Dominus dixit, Nescitis qua hora fur uenturus sit. *Dan.3.* *Luc.12.*

Cum enim dixerint, Pax & securitas, tum repentinus eis instat interitus, sicut dolor partus mulieri prægnanti, & non effugient.] Quoniam qui hos diuexabant, fortunati erant, consolatur iam eos. Ne existimetis eos euasuros pœnam, ueniet enim eis pernicies, & inexpectata & ærumnosa profectò, & multa secum tristia afferens atq; amara, non secus atque dolor partus mulieri prægnanti. Quomodo autem si Elias uenturus est, & Antichristus, Paulus nunc dicit eis instare interitum? Quoniam consummationis quidem signum est Antichristus & Elias, Christi autem aduentus non item. Subitaneus enim & repentinus & indeprehensus erit. Obserua autem hic exemplum doloris partus. Etenim nouit mulier quòd pariet: quando uerò, non nouit. Nam non paucæ octauo mense pepererunt, etiam in itinere, nihil præscientes. Quemadmodum illæ iocantes ac ridentes ineffabilibus cruciatibus repentè tunduntur, hunc admodum etiamnum delicijs affluentium animæ, die illa adueniente haudquaquam effugient.

B Vos autem fratres, non estis in tenebris, ut dies illa uos tanquā fur comprehendat.] Hoc est, non tenebricosam neq; impuram uitam habetis. Quid igitur? nónne & illis mors incerto tempore obuentura erat, etiamsi purā & ab omni labe immunem uitam ducerent? Incognita quidem & incerto tempore instabit illis mors, enimuero in nullam eos tristitiam conijciet. Nam excubias agentibus, commorantibusq; in luce, etiam si prædo aliquis ingressus fuerit, nihil nocebit, neq; uastare eos poterit. Eos uerò qui sunt in tenebris, atque dormiunt, spoliat atque nudat, prædatur, sicq; tandem prædam reportans abit.

Omnes uos filij lucis estis, & filij diei.] Perinde ac filij sunt gehennæ, qui gehenna digna peragunt, ac filij inobedientiæ, inobedientes: haud secus filij sunt luminis ac diei, qui quæ lucis sunt, persequuntur. *Matt.23.* *Eph.2.*

Et non sumus noctis neq; tenebrarum.] Hoc est, peccati.

Non igitur dormiamus ut cæteri, sed uigilemus, & sobrij simus.] Hoc est, non negligamus bona opera. Vigiliarum autem augmentatio est & robur, sobrium esse & attentum: fieri enim potest, ut quis uigilet, nec tamen sit attentus. perinde quasi dicat, Sobriè agamus quæ bona sunt, & attentè.

Qui enim dormiunt, nocte dormiunt: & qui ebrij sunt: nocte ebrij sunt: nos autem, qui diei sumus, sobrij simus.] Dormientes dicit, qui malitia dormiunt, ad uirtutem nullis prædíti uiribus, atq; omnia ueluti per somnium imaginantes. huiusmodi enim sunt res præsentis uitæ, à somnijs nihil differentes. Ebrietatem porrò dicit, nō eam quæ ex uino tantùm est, uerumetiam eam quæ ex omnibus affectibus animiq; perturbationibus existit, ut quæ à natura deficiat, necnon obscuret dominantem rationis partem. Haud igitur uos debetis tales esse, nō enim estis noctis ac tenebrarum filij, sed diei, per baptismatis mandatorumq; Dei assumptionem. *Ebrietas.*

Induti loricam fidei & claritatis.] Non satis est uigilare ac sobrium esse, uerùm opus est etiam armari: ut enim quis & uigilans sit & sobrius, non habeat autem arma, facilè eum latrones & prædones conficiunt. Loricam autem siue thoracem fidei & charitatis dicens, dogmata & bonam uitam adumbrauit. hoc enim est uerè sobrium esse. Non simpliciter autem hæc habenda, cæterùm ueluti lorica. Hanc enim nihil facilè *Vera sobrietas.*

diſſecat, ſed ueluti munimentum quoddam eſt pectori, ac nihil ignitorum Satanæ te- A
lorum nos tanget.

*Chryſ. & alij ἐλπίδα σωτηρίας, ſpem ſalutis. Codex uerò Baſilienſis habebat ἐλπίδος σωτηρίου, ſpei ſalutaris.

Et galeam * ſpem ſalutis.] Quemadmodum galea, quod in nobis eſt potiſſimum & principaliſſimum, caput nimirum, ſeruat & continet tegens: hunc ad modum ſpes conſeruat mentem, & ſalutaris ei ſit, nihil eorum quæ abextra ſunt, incidere ſinens in ipſam. Animaduerte autē quod & alibi dixerit, fidem, ſpem, charitatem, tria hęc: nunc igitur ea comparare iubet.

Quoniam non poſuit nos Deus in iram, ſed in acquiſitionem ſalutis per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, qui mortuus eſt pro nobis, ut ſiue uigilemus ſiue dormiamus, ſimul cum ipſo uiuamus.] Hanc ob rem, inquit, hęc arma nobis comparāda ſunt, eo quòd non poſuit, hoc eſt, non ſegregauit nos Deus, ut eius iram experiamur, ſed ut acquirat nos ſibi ipſi, atq; ſeruet, dans pro nobis filium ſuum in mortem. Debemus igitur ſperare in periculis bona & magna. ſi enim credidimus quòd filio ſuo nō pepercit, ſperemus quòd & multo magis ex periculis hiſce nos eruet, uideamusq; exemplum, ac diligamus cùm ipſum tum cognatos. Propterea, inquit, mortuus eſt Chriſtus, ut ſiue uigilemus nos, hoc eſt, uiuamus: ſiue dormiamus, hoc eſt, moriamur, cum ipſo uiuamus. aliud enim ſuprà dixit ſoporem, & aliud hic. Quod igitur ait, eſt huiuſmodi: Ne metuatis corporalia pericula & mortes. etiamſi enim moriamur, uiuemus tamen. Etenim & qui ſic dilexit nos, ut pro nobis moreretur, uiuit.

1. Cor. 13. Rom. 8.

Propterea cōſolamini inuicem, & ædificate alter alterum, ſicut facitis.] Vident: Quid igitur deinceps pręteximus, Nō ſum doctor, Nō ſum præceptor? Aedificate, inquit, alter alterum, poſtquam doctores non ſufficiant ad ſingulorum & omnium admonitionem.

Rogamus autem uos fratres, ut noueritis eos qui laborant inter uos.] Quia dixit, Aedificate alter alterum, ut ne exiſtiment quòd ad doctoris eos dignitatem retulerit ac prouexerit, atq; ita attōllātur aduerſum illos, ait: Etſi uobis permiſi, ut uos mutuò ædificetis, uerūtamen adhortor uos, ut illos honore ſuo afficiatis. multa enim doctores B
difficilia ferre coguntur, quæ honor ipſis aliqua ſaltem ex parte leuiora reddet.

Doctores honorandi.

Et præſunt uobis in Domino, & monent uos.] Si enim præſides tuos in humanis rebus in precio habes, quāto potius iis qui in diuinis rebus tibi præſunt, & gratiam & honorem te debere fateri debes? Quod ait, In Domino, hoc eſt, non in mundanis tibi rebus præſidet, ſed in iis quæ ad Dominum pertinent: orat pro te, regenerauit te per baptiſma, uiſitat, admonet, medicus tibi eſt: medijs ſi noctibus uoces, ueniet. Animaduertis in quónam tibi præſit?

Et ut habeatis illos abundantius in charitate propter opus ipſorum.] Ne ſimpliciter eos diligite, inquit, ſed abundantius, perinde ac filij parentes ſuos. Qui enim Chriſtū diligit, amabit & ipſius miniſtrum, qualiſcunq; fuerit, quoniam per ipſum tremenda myſteria eſt aſſecutus. Si uxorem tibi conuenientem & honeſtam acceperis, nónne eum diligis & honoras qui hanc tibi conciliauit? Regnum cœlorum accepiſti, ac reſpuis & conſpuis eum qui tibi illud conciliauit? Audi nanq; Paulum: Propter opus ipſorum, inquit, honorate ipſos & in precio habete.

Pacem habete in uobis ipſis.] Scribitur etiam, In ipſis, ſiue cum ipſis, hoc eſt, doctoribus. Nouit enim inimicitias aduerſum hos oriri. Quia enim arguūt, & à malis arcent, odio habentur: oportet igitur pacem uos habere cum ipſis, non externa forma uel ſpecie, ſed in uobis ipſis.

Rogamus autem uos fratres, admonete inordinatos.] Hic ad doctores conuertit ſeſe. Ne, inquit, per licentiam uel arrogantiam eos obiurgate, ſed manſuetè admonete. qui enim prauo eſt animo, fit aſperior, ſi obiurgetur. Inordinati autē ſunt qui aliter agunt quàm à Deo ſit ordinatum. ordinem enim cuiq; finiuit ſtatuitq; Deus, quem qui tranſgreditur, inordinatus eſt, ut temulentus, conuiciator, auarus: adeoq; omnes peccata committentes ordinem tranſgrediuntur.

Conſolamini puſillanimes.] Puſillanimis eſt, qui non ſuſtinet tentationes. Hic eſt qui ſuper petram ſeminatus eſt, opus habet igitur & is ut perferatur. Matt. 13.

Suſtinete infirmos.] Hoc eſt, tolerate ſiue ſulcite infirmos circa fidem, perinde ac alio in loco: Infirmum in fide ſuſcipite, inquit. Rom. 14.

Patientes

A Patientes estote erga omneis.] Et erga inordinatos, & pusillanimes, & infirmos: hoc enim doctori est conuenientissimum, quòd omnes ad pudorem & reuerentiam conuertere possit, etiam agrestes maximè.

Videte ne quis malum pro malo alicui reddat.] Si malum pro malo non est reddendum, quanto magis pro bono nō est reddendum malum, aut malum inchoare, & eum qui non læsit lacessere & affligere?

Sed semper quod bonum est sectamini in inuicem & in omneis.] Non satis est, inquit, non reddere mala pro malis, uerùm est etiam operæprecium bonis compensare malefactorem. Hoc enim indicat cū ait, Sectamini quod bonū est, hoc est, impense studete benefacere, & in inuicē, hoc est, erga fideles, & in omnes, id est erga etiā infideles.

Semper gaudete.] Etiamsi in tentationes incideritis. Obserua aūt quòd posteaq; dixisset non esse malum malo pensandum, tunc præceperit lætandum esse. Nam qui institutus est ut de nemine se ulciscatur, sed beneficijs potius prosequatur eum qui contristauerit se, unde nam amabo mœroris stimulum accipiet?

Sine intermissione orate, in omnibus gratias agite.] Iter monstrat quo fiat ut semper gaudeamus, orationem nimirum, quæ non cesset, atq; gratiarum actionem. Qui enim assuecit cum Deo uersari, eiq; gratias agere in omnibus rebus, tanq; utiliter contingentibus, planum est quòd perpetuum sit gaudium habiturus. *Gaudiū perpetuū ut paretur.*

Hæc enim est uolūtas Dei in Christo Iesu erga uos.] Quō aūt semper gratias ages? Si agnoueris hanc esse uolūtatē Dei, ut sis gratus erga ipsum, ut q; semper tibi benefaciat, In Christo Iesu, hoc est, p Domini Iesu Christi cooperationē. Et enim ipse nobis ad gratiarū actionem adiutor est, qui & docuit nos isthuc facere, ut ex euangelio didicimus. *Ioan. 15.*

Spiritum nolite extinguere, prophetias nolite spernere.] Quia nox est præsens hæc uita, dedit nobis lampadem Deus, spiritum paracletum, sed hanc alij quidem splendidiorem fecerunt, ut omnes sancti: alij uerò extinxerunt, ut quinq; uirgines olei inanem hāc dimittentes: ut qui Corinthi fornicatus erat, cœnum sanè huic superfuderat. *Matt. 25. 1. Cor. 5.*

B Ait itaque, Spiritum ne extinguite, hoc est, donum illud: concludite ianuas siue sensus, ut ne ingrediatur spiritus malitiæ, nec extinguatur lampas. Ne inijciatis puluerem seu terrenas curas, sic fiet ut inextinguibilis conseruetur. Vel & hunc ad modum interpretari possis: Fuerunt apud ipsos prophetæ Dei, & prophetæ uani: postquam autem incertum esset utri essent ueri, omnes simul auersabantur. Ait itaq; ipsis Spiritum, hoc est, donum quod est in ueris prophetis, ne extinguite, eo quòd ex æquo eos auersarentur cum pseudoprophetis: neq; spernite manantes ex spiritu sancto prophetias. *Spiritus nō extinguendus.*

Omnia autem probate, quod bonum est tenete.] Quid igitur? recipiemus ergo & pseudoprophetas? Minimè, inquit. Omnia uerò probate, hoc est, & uana & uera cum probatione siue examinatione iudicate, tumq; quod uisum est uobis bonū, hoc est, ueras prophetias, continete, hoc est, honorate, curate.

Ab omni specie mala abstinete.] Non ab hac uel ab illa tantùm, uerùm simpliciter ab omni, & à propheta mendaci, & peccato.

Ipse autem Deus pacis sanctificet uos * totos.] Post paræneſin, uotū & precationem adducit, ut utrinq; tuti sint, securitatemúe habeant. Totos uerò quid est? hoc est, corpore & animo, ut & deinceps disces. * ὁλοτελεῖς, ἀμέμπτους. *Per omnia perfectos.*

Ac integer uester spiritus, & anima & corpus, inculpatè in aduentu Domini nostri Iesu Christi seruetur.] Spiritus est charisma quod accepimus per baptisma. Si enim lucidam lampadem huius conseruauerimus, & inextinguibilem, ingrediemur in thalamum: & anima uerò & corpus tum immaculata erunt, si spiritus in nobis fulserit. Gregorius autem Nyssæus, Quia, inquit, homo per omnem animarum speciem commiscetur, uegetatiuam, sensitiuam, & rationalem seu intellectualem: spiritum dicens apostolus, rationalem partem indicauit: animam uerò, sensitiuā: corpus, uim qua uita nostra redditur uegetior atq; crescit. Totos igitur per omnia inculpatos ipsos conseruari precatur, ut per omnia ita Deo placeant.

Fidelis qui uocauit uos, qui & faciet.] Expendè hîc minimè elatam Pauli mentem. Quoniam esset eis imprecatus, Ne existimetis, inquit, quòd ex meis orationem seruabimini, uerùm ex bonitate eius qui uos uocauit Dei. Si enim ad salutem uocauit, fidelis autem est, id est, uerus, omnino faciet, secundū uoluntatem suam, & seruabit uos.

Fratres

Fratres orate p nobis.] Vide animi modestiã, si Paulus horũ opus habebat oratione. A
Salutate fratres omnes in osculo sancto.] Quia enim absens ille nõ potuit proprio ore salutare ipsos, hisce id cõmendat: perinde ac dicimus, Saluta illum meo nomine. Quoniam autem & fallax est osculum, quale fuit Iudæ Iscariotis, In sancto, adijcit.

Adiuro uos per Dominum, ut legatur epistola hæc omnibus sanctis.] Non solum in stitutionis gratia, uerùm ut illis etiam per epistolam hanc loquatur, quod est argumentum ardentis desiderij. Adiurat autem, ut quãuis ipsum negligerent, per adiurationem tamen quod iniunctum est persequantur. Adeò enim ueteribus Christianis horrendę fuerunt adiurationes, hodie uerò nulla harum nobis cura. At ô miseros nos.

Gratia Domini nostri Iesu Christi uobiscum. Amen.] Omnia, inquit, bona ille uobis donauit, operam itaq; nauate, ut uberiorem gratiam attrahatis, uiuendo pro dignitate gratiarum uobis datarum. Per eandem gratiam & nos custodiamur ab omni uita praua, ut ad gloriam uiuamus patris & filij & spiritus sancti, quem decet omnis gloria in secula. Amen.

Ad Thessalonicenses prima scripta est ab Athenis. Hoc deest in græcis.

THEOPHYLACTI BVLGARIAE ARCHIEPISCOPI in Secundam diui Pauli ad Thessalonicenses epistolam Exegesis.

ARGVMENTVM.

SEcundam ad Thessalonicenses epistolam diuus apostolus Paulus hanc ob causam scribit. In priore epistola scripserat eis, ualde se laborasse ut eos uideret: quia uerò nõ sit effectus quod expetiuerat, misisse se Timotheũ, cum diutius moras ferre nequiret, per hæc omnia significans quanto desiderio flagrarit uisendi eos. Quia uerò non contigit eum proficisci ad ipsos, atq; perficere quæ in fide illis deessent, huius rei gratia alteram etiamnum epistolã apponit, de fectum præsentiæ aduentusq; sui per literas adimplens. Quòd enim ad eos nõ abierit, perspicuum est inde: nam in priore epistola, de eo, quando sit futurus aduentus Domini, prætermisit scribere, ceu rem non admodum illis necessariam: B nunc uerò hac de re scribit. Atqui si ipse eos accessisset, haud scripsisset iam de hoc ipso negocio. Scribit autem hæc de quæstione necessariò. Nonnulli enim corruptores uastatoresq; fidelium, dicebant adesse Domini aduentum etiam tum, & quod periculosius ac grauius erat, uerba quædam fingebant tanquam à Paulo dicta, & epistolas tanquam ab illo scriptas. Atq; hæc excogitauerat diabolus, ut labefactaret credentes. Cum enim credentes pro magna consolatione resurrectionis spem haberent, quippe qui expectarent sese recepturos mercedem uirtutis, usurosq; se oppressores suos digna cruciari pœna, subornauit ministros suos, qui docerent iudicium instare, & Christum tam aduentasse, ut indicaret non secuturam in posterum compensationem, neque iudicium aut pœnam, atque hinc spes sanctorũ confringerent & comminuerent, hostes autem uerbi confidentiores redderent, imò & ipsum Christum mendacij arguerent, qui signa quædam aduentus sui futura prædixerat, quæ cum nõ facta essent, cumq; resurrectio, ut ipsi ferebant & mentiebantur, accidisset, Christus apertè palàm mendax demonstrabatur. Propter hæc Paulus epistolam scribit, dicens de aduentu Domini, ipsum sanè tempus non reuelans, signum autem ipsius indicans, ipsum uidelicet Antichristum. Consolatur autem eos ualde à perturbationibus maceratos, denique dat eis indicia quibus cognoscant germanas suas epistolas.

CAPVT I.

PAulus & Siluanus & Timotheus ecclesiæ Thessalonicensiũ in Deo patre nostro, ac Domino Iesu Christo.] In priore epistola consimilem ad modum orsus est: & quęcunq; illic dicta sunt à nobis, hîc quoque assumito.

Gratia uobis & pax à Deo patre nostro & Domino Iesu Christo.] Postquam Deus gratia sua quempiã donarit, nihil illi graue erit neq; triste, sed omnia facilè dissoluentur. Sciens igitur beatus ille Paulus, quanta res sit Dei gratia, propterea hanc ipsis imprecatur. Si enim hæc ipsis affuerit, nullam tentationum molestiam sentient: sed & pace Dei fruentes, inconcussi & pacifici permanebũt. Simul aũt & eis ad memoriam reuocat diuinam gratiam, ut etiamsi eos afflictio inuaserit, memores gratiæ per quam sint seruati, consolationem recipiant, atq; ex præteritis & maioribus plena spe confirmati, in minoribus non deficiantur animo.

Gratias agere debemus Deo semper uestri causa, fratres, ita ut dignum est.] Tria hæc docet: primum, quòd nostras ob uirtutes & opera quæ transegerimus, non

sunt

A sunt nobis gratiæ habendæ, sed Deo, * atq; illi totum imputando non arrogantes esse: Alterum, quòd non sint lachrymis neq; lamentis digna illa quæ patiuntur, sed eiusmodi ut pro quibus Deo gratias agere deceat: itaq; lætari eos oportet, & non decidere animo. Tertium, quòd non oporteat inuidere bene operantibus, sed gaudere & gratias agere Deo pro fratribus. Quocirca qui macerantur ob quorundam laudata opera atq; uirtutes, Deo maledicunt. Quemadmodū dignū est, dixit, ut neq; ob gratiarū actionē ipsi extollamur, ceu nouū quiddam adduxerimus: facimus enim quod dignū est fieri, propterea & rem ipsam debitū nominauit. Vel quia & uerbis & operibus gratiæ sunt agendæ: hæc enim est digna & conueniens gratiarum actio.

*Nota quòd bona opera Deo, nō hominibus attribuēda esse dicat, ut cū alibi permultū operibus & nō gratiæ adscribat, intelligas non gratiæ tantum, sed & operum haberi rationem apud Deum. Gen. 7. et 8.

Quoniam supercrescit fides uestra.] Quando ob fidem tentationum inundatio irruens, non submerserit uos, nullius alterius rei hoc indicium est, q̄ p aucta sit, necnon altior facta fides, perinde ac in prisco illo diluuio altissima montium non facilè submersa sunt. Hinc supercrescit dixit, ut altitudinis excessum indicet.

Et abūdat charitas uniuscuiusq; omnium uestrūm in inuicem.] Obserua hîc dilectionem. Non hunc quidem diligebant, illum uerò non item, uerùm æqualis erat omnium erga omnes dilectio. Quod enim ait, uniuscuiusq; & in inuicem siue erga uos mutuò, hoc significat: Quandoquidem si particulariter diligamus, non est charitas, sed dissensio potius. Si enim Dei causa diligis, omnes dilige: sin particulariter diligis, humana ea est amicitia. Considera aūt quòd plurimum aduersus afflictionem ualeat, coniunctos, constructos, simulq; firmatos esse, atq; mutuis nexibus fideles teneri.

Vt nos ipsi in † uobis gloriemur in ecclesijs Dei.] In priore epistola dixit, Sic nouerunt omnes res uestras, ut non esset opus nos quicquam loqui de uobis: quomodo igitur nunc dicit in ecclesijs gloriari de ipsis? Ex ipsa dictione hoc planū est: non enim ait, Docemus eos de uobis: sed, Gloriamur, & uenerādi sumus propter uos. Si igitur nos gratias agimus Deo propter uos, & gloriamur apud homines, quanto magis hoc uos oportet facere in ijs quæ uobis contingunt, nec despondere animum, neq; desperare
B in tentationibus?

† ἐν ὑμῖν, in uobis uel de uobis: nā id repetens Theoph. aut περὶ ὑμῶν de ipsis.

Pro patientia uestra & fide in omnibus persecutionibus uestris & tribulationibus quas sustinetis.] Multo eos tempore tentatos dicit. patientia enim non in duobus aut tribus diebus apparet. Est equidem patientia, æquo animo ferre, bonorum promissorum, quæ nondum accepisti, dilationem. Nunc aūt & maiorem dicit, quæ est in persecutionibus & afflictionibus. cum hostibus enim implacabilibus conuersabantur, solidaq; patientia opus habebant, idq; in principio uerbi & Euangelij, cum pauperes etiā homines essent. Suffundantur ergo rubore & pudefiant, quotquot propter præfecturam hominum, ad praua dogmata transferuntur.

Patientia.

In * exemplum iusti iudicij Dei, ut digni habeamini regno Dei.] Et per dicta quidē consolatus est ipsos dicendo, Gratias agimus & gloriamur. Maximè uerò nunc ponit, quod quiuis in dolore constitutus quærit, liberationem uidelicet ab afflictionibus, & pœnam affligentium hominū. Quod igitur dicit, esi huiusmodi: Sustinetis afflictiones, ut demonstretur iustū iudiciū Dei, quod est, ut digni uos iudicemini regno Dei. Quando enim uos quidem afflictos coronat, illos autem punit qui affligunt, iustitia eius apparet. Valde aūt consolatur eos, ostendens quòd non * gratia coronantur, sed iustè, ac ueluti retributionem accipientes propriorum laborum & sudorū, regnum uidelicet.

* ὑπόδειγμα exemplum, documentū, demonstrationem.

* nō gratia Vide superiorem annotationem initio capitis. Matt. 7.

Pro quo & patimini.] Itaq; non quia potentiores sunt, uestri propterea dominantur hostes uestri & oppressores, uerùm quia ex afflictionibus acquiritur regnum cœlorū. Necesse est autem huiusmodi permutationem sic fieri, nec id citra laborem. Per multas enim afflictiones oportet nos ingredi cœlorum regnum, dicit Dominus.

Siquidem iustum est apud Deum, retribuere tribulationem ijs qui uos tribulāt, & uobis qui tribulamini requiem.] Siquidem, non est dubitationis, sed potius confirmationis, pro eo quod est, quandoquidem iustū est apud Deū. si enim apud hominem, multo magis apud Deum. Solemus enim dicere cōsueto & familiari colloquio, Si odit Deus sceleratos: &, Si curam gerit Deus rerum. Est autem hoc tale quiddam, quasi audientes necessariò dicant, Atqui odit. Hunc ad modum & hîc, Si iustum est: consectarium enim inferre, Atqui iustum est. Non autem quemadmodum quæ inferūtur uobis afflictiones, temporariæ sunt, hanc ad rationē contrà pœnæ affligentibus uos, sunt inferendæ

Siquidem. Psal. 138.

dæ à Deo temporariæ erũt: sed nullũ sunt habituræ finem, sic & requies uestra talis erit. A

Nobiscum in reuelatione Domini Iesu de cœlo cum angelis uirtutis eius.] En aliam consolationem, siquidem in coronis futuri erãt consortes ipsi qui tot tantaq; peregerat, Paulo. Reuelationem autem Domini, aduentum eius dicit, in hoc etiam eos consolãs. Nunc enim, inquit, occultatur quidem, sed animo ne concidatis, reuelabit enim Deus & Dominus. A cœlo enim, quod est thronus Dei: & cũ angelis terribilibus, potentiæ nãq; angeli sunt, hoc est terribiles & potentes. Quid igitur animũ despondetis, quãdo quidem eiusmodi habemus Dominũ, cuius ministri sint potentiæ angeli? Dabunt igitur pœnas qui nunc uos affligunt, haudq; effugient.

† ἐν πυρὶ φλογὸς. i. in igni flãmæ.

† In igni flammæ dantis ultionem ijs qui non nouerũt Deum, & qui non obediunt Euangelio Domini Iesu.] In superioribus dixit, ijs qui uos affligunt, nunc autem generatim addit, ijs qui non nouerunt Deum, hoc sapientissimè confirmans, quòd omnino sit ultio futura. Si enim nõ propter uos, propter se tamẽ ipsum hostes suos arcebit & ulciscetur & puniet. Hoc igitur dictũ est, ut certò sciant, habeãtq; compertũ, quòd omnino puniẽtur. Illud uerò, ut ita sentiant, ueluti in gratiam ipsorum, Deum afficere pœna eos à quibus affligebantur. Quòd si euangelio non obedientes puniat, quanto magis eos qui alios obedire prohibent? quales sunt qui hodie uos angunt. Quod ait in † igni flammæ, uel cõstruendum est cum dantis ultionem, perinde ac si dicat, in gehenna punientis inobedientes: uel sic, In reuelatione Christi, quæ in igni flammæ uentura est. Ignis ante ipsum præcedet, & inflammabit in circuitu inimicos eius. Cui Daniel adstipulatur, inquiẽs: Fluuius ignis trahebatur. Obserua autem quod ait in igni flammæ, pro in igni ardente tantum, non etiam lucente. Peccatoribus enim ardens & urens tantummodo est ignis, non lucens: Iustis autem lucens tantum, non etiam inflammans urensue ignis est. B

* hic scriptum erat ἐν φλογὶ πρὸ i. in flamma ignis, sed mendose, ut indicant sequentia.

Psal. 96. Dan. 7.

Qui pœnam luent interitum æternum.] Vbi nunc sunt Origenistæ, qui pœnæ finem esse fabulose ponunt? Aeternam hanc Paulus adserit, ecqui apud uos interitus æternus temporarius erit?

A facie Domini & à gloria uirtutis eius.] Facilitatem hic declarat. Nulla enim, inquit, difficultas erit, uerùm satis est tantũmodo uisum esse adeoq; apparuisse Deum, & omnes inobedientes atq; increduli in pœna erunt. Tantummodo enim facies ipsius & aduentus, uel præsentia, alijs quidem lumen erit, alijs uerò suppliciũ. Non enim simpliciter, sed cũ gloria uirtutis & roboris aderit: neq; gloria eius robore carebit, neq; robur erit inglorium, hoc est, tanquam rex potens conspicietur.

*in angelis suis & sanctis habebat codex Basilienſis, ſed aliter Chr. & alij qui angelis non habent, nec illorum in gloſſa ſit mẽtio, quare errore ſcribæ id factũ puto, & utuatur.

Cum uenerit, glorificari in * sanctis suis.] Quando conspexerint qui nunc sunt inobedientes, duræq; ceruicis, à se oppressos, infinitæ gloriæ esse participes factos, in gloriã Dei ea res cedit: illorum namq; gloria, ipsius etiam est. Itaq; in quo sanctos glorificat, in eo ipse etiam glorificatur. Vt enim diuitiæ eius sunt, esse fideles: sic & gloria eius est, esse qui fruantur bonis ipsius.

Et admirabilis fieri in omnibus qui crediderũt.] Id est, per credentes. Ecce enim (in) est pro (per). Quãdo enim miserabiles, ab omnibus repulsos ac reiectos tanto splendore dignatus fuerit, indicabitur ipsius tum robur. Aliter etiam, quando in medium producti fuerint, qui innumeris fuerunt obiecti calamitatibus ut à fide deficerent, & non defecerunt: tum enim ostendetur gloria Dei & ipsorum.

Quia creditum est testimonium nostrum super uos in die illo.] Admirationi erit Deus in die illo, mirificusq; uidebitur, q prædicatio nostra & uerbum credita sint à uobis, hoc est, eo q uos ipsi credidistis, ac dignos uos fecistis bonis tantis illis quæ tum fidelibus dabuntur. Pulchrè autem dixit, In die illo: tum enim demonstrabũtur reuera qui uerè sunt fideles: nunc enim plerique fidem simulant. Quocirca & Sapiens ille dixit, Ne beatum prædicaueris hominem ante obitum.

Ad quod etiam oramus semper pro uobis, ut dignetur uos uocatione sua Deus nostrum.] Quid ergo? nõ fuerunt uocati? Næ, uerùm de uocatione illa nunc non loquitur, quandoquidem secundum istam non pauci sint uocati. Quinetiã ille sordidis uestibus amictus, uocatus erat, & quinq; uirgines, sed nõ sunt ingressæ. Vocationem igitur hic dicit eam quæ per opera confirmata est, quæ & propriè uocatio est: quemadmodum & fides propriè, quæ in opere uersatur. Infert igitur*

Matth. 22. & 25.

Vocatio Dei duplex.

Et

A Et impleat omnem * uoluntatem bonitatis.] Hanc, inquit, uocationem dico, ut omnis bona uoluntas Dei, id est, quicquid ei bene placuerit, impleatur in uobis, & omne bonum transigatis: hacq; ratione iustis tales, quales uos Deus esse exigit, nihilq; uobis desit. Hic autem pariter demittit cristas eorum, ne extollantur multis encomijs: ostendit enim quòd nondum sint consummati. * Εὐδοκίαν, beneplacitū, bonam uolūtatem, bonum propositum

Et opus fidei in uirtute.] Patientiam, inquit, in persecutionibus perfectam in uobis faciet. quomodo? In uirtute & robore, hoc est roborans uos & confortans: nam patientia est opus fidei. Proinde qui non habet patientiam, neq; opus fidei indicat. Patiētia opus fidei.

Vt glorificetur nomen Domini nostri Iesu Christi in uobis, & uos in ipso.] Si quæ prædicta sunt, uobis contingant, inquit, glorificabitur etiam in uita hac nomen Domini in uobis. Si enim uideant uos tolerantes nullam non tentationem ex dilectione quã erga Dominum geritis, quî quæso isthuc non est gloria eius, quoniam adeò bonus est, ut pro ipso moriantur etiam serui? & quia adeò potens, ut uos ad patientiam corroboret? Quinetiam & uos in ipso, quia usq; adeò fideles inuenti estis, ut omnia patiamini. gloria enim serui est, quòd fidelis domino inueniatur. Maximè uerò afflictio propter Christum, gloriæ est: nam reddit splendidiores nunquam non morti quidem traditos, potiores tamen ac superiores morte demonstratos.

Secundum gratiam Dei nostri, & Domini Iesu Christi.] Hoc ipsum etiam Dei est, non nostrum, sed gratia ipsius est, quòd glorificetur ipse in nobis, & quòd nihil ipsi præferimus, ut qui sit omnium ille dulcissimus, & ut nos in ipso celebremur, quoniam potentiam ab eo suscipimus ut sufferamus uel quasuis tentationes.

CAPVT II.

B Rogamus autem uos fratres per aduentum Domini nostri Iesu Christi, & nostræ congregationis in ipsum, ut non citò moueamini à sensu.] Quando sit futura resurrectio, non dicit: quòd uerò nunc non instet, hoc docet. fuerunt enim nonnulli impostores, qui asseuerarent iam instare tempus consummationis aduentusq; Domini. Non parum autem ad consolationem facit, quòd ait ad ipsum fideles congregandos, ut cum eo pariter sint. Sic & in prioredixit. Statim enim à resurrectione ad Dominum attollentur digni. Quid igitur est rogamus: hoc est, adhortamur & obsecramus uos, ut non concutiamini & auertamini à sensu siue sententia quam hactenus habuistis, rectè consistentes. 1. Thess. 4.

Neq; terreamini neq; per spiritum.] Hoc est, per prophetias. Quidam enim prophetiam simulantes, imponebant populo, ceu iam præsens esset Dominus.

Neq; per sermonem.] Hoc est, doctrinam uiua uoce factam.

Neq; per epistolam tanquam per nos.] Etenim epistolas fingentes tanquam ab ipso missas, autoritatem conciliabant dictis suis.

Tanquam instet dies Domini.] Ne turbemini, inquit, quòd instet dies Domini, id est aduentus Christi.

Ne quis uos seducat ullo modo.] Neq; tanquam propheta, neq; tanquam doctor, neque uelut me scribente talia.

Quoniam nisi uenerit discessio primùm, & reuelatus fuerit homo peccati, filius perditionis.] Non aderit aduentus Domini, nisi uenerit discessio siue defectio, id est, Antichristus. defectionem enim ipsum uocauit, cũ reuera sit, quippe qui multos faciet desicere, etiam electos, si fieri possit. Hominem aũt peccati illum ipsum uocat, ut qui omne peccatorũ genus peracturus sit, & alios ad peccatũ supplantaturus. Filius etiam perditionis est, quandoquidem & ipse sit perditus. Quis autem ille est? nunquid Satanas? Haudquaquam, sed homo quispiam omnem Satanæ operationem recipiens. Antichristus. Matt. 24.

Qui aduersatur & extollitur supra omnem qui dicitur Deus, & quod colitur.] Non enim ad idololatriam homines perducet ille, uerùm omnes Deos demolietur, & cultoras eorum, siue idola, seq; ipsum solum prædicabit Deum.

Ita ut in templo Dei sedeat tanquam Deus.] Nõ in templo specialiter, quod est Hierosolymis, sed in ecclesiis simpliciter, & omni diuino templo.

Ostendens seipsum quòd sit Deus.] Non ait dicens, uerùm conãs demonstrare: nam & opera & miracula edet, omnia ad impostura.

Non meministis quòd cum adhuc essem apud uos, hæc dicebam uobis?] Vel hinc

liquet, quòd magna Paulus mysteria tradiderit quæ literis non sint mandata. Consi de A
ra necessariũ esse eadem sæpius dicere, & abũde uerba fundere. Ecce enim præsentem
audierunt apostolum, qui hæc dixerat, ac rursus tamen opus habuerunt confirmatio-
ne. Nihil, inquit, noui affero, sed quæ semper dixi. Nonnihil autem ruboris suffundit
eis hisce uerbis, cum ait, Non meministis? adeò citò obliuioni tradidistis?

Et nunc quid detineat scitis, ut reueletur ipse suo tempore.] Quod detinet, est quod
prohibet, quod impedit. Quid uerò hoc est? Nonnulli spiritus gratiam dicunt, alij Ro
manum imperium intelligunt, quibus & diuus Ioannes Chrysostomus assentitur. Nisi
enim isthuc dissolutũ fuerit, nõ habebit aduersarius aditum, ut faciat quę uelit. Propter
ea tectè etiam & opacè dixit Paulus: neq; enim uanas inimicitias recipere uolebat, stul
taq; pericula. Si enim dixisset, Paulo pòst Romanum imperium dissoluendum, statim
eum defodissent tanq; impostorẽ, aliosq; fideles cum ipso, tanq; qui super tanti imperij
demolitione lætarentur. Porrò quòd de sancti spiritus gratia hîc nõ loquatur, planum
est, primùm enim non dixisset obscurè, sed manifestè, nimirum q; nunc ipsum detineat
spiritus gratia, hoc est, charismata seu dona. Deinde si charismatibus deficientibus o-
portuit ipsum uenire, debuit ipse iam apparere. Nam iam olim charismata desierunt.
Animaduerte autem quòd non dixerit celeriter eum adfore, sed ut reueletur ipse suo
tempore. Rursus autem tempus incertum reliquit.

Nero Antichristi figura. Nam mysterium iam operatur iniquitatis.] Neronẽ hîc intelligit, qui erat figura An
tichristi. Etenim immundus erat, ac Deus quærebat nominari. Pulchrè autem mysteriũ
dicit: non enim palàm Nero aduersus omnem Deum incedit, ut ille, neq; citra rubo-
rem & impudenter. Quod autem dicit, est huiusmodi: Priusquam instaret tempus An
tichristi, inuentus est alius illo non multo inferior: quid igitur mirũ, si iam Antichristus
est? Obscurè autem hoc de Nerone dixit, non metus sanè causa, uerùm ut erudiat nos
ne superuacaneas inimicitias suscipiamus, si nihil urgeat.

Tantũ ut qui tenet nũc teneat, donec de medio fiat: & tunc reuelabitur ille iniquus.] B
Hoc est, Romanum imperium quando sublatum fuerit è medio, tum ille uenìet, quan
diu enim huius imperij timor fuerit, non facilè quisquã subijcietur. Eo uerò dissoluto,
uacuo insidiabitur imperio, eiq; instabit, conabiturq; cùm hominum, tum Dei impe-
rium rapere. Nam perinde ac alia, ante Romanum hoc, imperia dissoluta sunt, ueluti
Imperiorũ alternatio. Medorum à Babylonijs, Babyloniorum uerò à Persis, Persarum à Macedonibus, Ma-
cedonum à Romanis: hunc ad modum Romanum ab Antichristo, is uerò rursus à
Dan. 2. Christo. Atq; hæc multa cum perspicuitate Daniel nobis proponit. Quidam id quod
detinet, idololatriã intellexerunt. Cum enim, inquit, detinens error defierit, idolorũq;
cultura fuerit extincta, tum Antichristus aduenìet, quemadmodum & Dominus dixit:
Matt. 24. Prædicabitur Euangelium hoc in testimonium eis, tumq; aderit finis. Alij aũt id quod
detinet, Dei terminum nominarunt, quando enim completus fuerit terminus Dei, qui
nunc detinet Antichristi aduentum, institeritq; finitum tempus, tum reuelabitur. Di-
ctum est autem, à nonnullis asseueratum, spiritum sanctũ esse remoram. Cum enim il-
le propter scelera mortalium è medio sublatus fuerit, ac defecerit, locus tum relinque-
tur iniquo, ut reueletur. Ac principium, inquit, sumpsit mysterium iniquitatis. Etenim
Simon & Nicolaus hæresiarchæ, quæ Antichristi erant operabantur, cæteriq; hos se-
Paracletus. quuti omnes, Marcion, Montanus, qui & seipsum παράκλητον nominauit: atq; alij non
pauci. Tu uerò diui Ioannis Chrysostomi enarrationem ut ueriorem recipe.

Quem Dominus Iesus interficiet spiritu oris sui, & destruet illustratione aduentus
sui.] Proxima est consolatio, interficiet enim siue consumet ipsum Dominus. Perin-
de enim ut ignis etiam ante aduentum suum, cum adhuc procul fuerit, bestiolas tamen
exiguas torpere ac stupere facit, absumitq; hũc ad modũ Christus uel solo imperio, siue
afflatu spiritus sancti pleno, delebit & obscurabit ipsum, soloq; aduẽtu suo abolebit, hoc
est, omnino uacuũ & inefficacẽ reddet. Vbi enim uisus tantũ fuerit, sistet deceptionẽ.

Cuius aduentus est secundum operationem satanæ.] Quisnam ille sit, nos docet, ni-
mirum homo satanam in sese habens per se operantem.

In omni uirtute, & signis, & prodigijs mendacibus.] Hoc est, omnem exhibebit po
tentiam & uirtutem, sed nihil ueri habebit: omnia nanq; ad impostu ram uergent. Pro
digijs enim mendacibus siue mendacij, hoc est, uanis & mentitis, uel ad mendaciũ du-
centibus

A centibus eos qui hisce accommodarint aurem. Hæc autem prædicit Paulus, ne seducantur qui tum uicturi sunt.

Et in omni seductione iniquitatis ijs qui pereunt.] Horribilis erit undique, ex potestate, ex crudelitate omnia faciens, ut imponat, atq; iniuriam inferat mortalibus, salutem ipsorum trastãs. Vt ne uerò quis ambigens quęrat, Quur ergo permisit eum Deus uenire, cum tantum sit incommodi daturus mortalibus? subdit, Ne metuas: in pereuntibus enim fortis est atq; robustus, qui etiamsi ille non aduenisset, increduli tamen permansuri erant.

Eo quòd charitatem ueritatis non receperunt ut ipsi salui fierent.] Charitatem siue dilectionem ueritatis Christũ appellat. utraq; enim erat, & propter utraq; aduenit, tum quia diligeret homines, tum ut ueritatem submonstraret. Innuit autem, quòd plurimũ sit roboris habiturus impostor ille apud Iudæos. illi enim non receperunt Christum, neque crediderũt ei, id quod & Christus eis dicit: Ego ueni, inquit, in nomine patris mei, & non suscepistis me. Si alius uenerit in nomine suo, istum recipietis. Ioan. 5.

Et ideo mittet illis Deus operationem erroris, ut ipsi credant mendacio.] Mittet, id est, sinet ipsum uenire. Animaduerte autem, quòd primũ repulerint ueritatem, tumq; reliquit eos Deus, ac dominatum est in eos mendacium. Operationem autem erroris, opera Antichristi uocat, quę facit ut decipiat. uel illum ipsum sic nominauit motum & agitatum à Satana, ut multos seducat.

Vt iudicentur omnes qui non crediderunt ueritati, sed consenserunt iniquitati.] Nõ dixit, ut puniãtur (nam etiamsi Antichristus non uenisset, debebant puniri increduli) uerùm ut condemnentur, inquit, ut sint ipsi inexcusabiles. Quid enim dicere queant,

B Propterea non credidimus Christo, q̃ discipuli eũ Deum prædicarint, nos autem audiuimus unum esse Deũ, ex quo omnia? Quomodo igitur credidistis Antichristo, qui se ipsum Deũ facit? Christus enim patri omnia referebat accepta, hîc uerò è diuerso. Sed dicent, Quoniam signa eius perspeximus. Atqui per Christum facta sunt etiam multa & magna. Atqui Christus etiam prædicabatur seruator à prophetis, hic autem filius iniquitatis & interitus. Hãc ob causam condemnabuntur, quoniã ueritatem dimittentes, † consenserũt, hoc est, placuit eis, ac lubenter appositi sunt iniustitiæ, hoc est, uastatori omnem iniustitiam & iniuriam aduersus mortalium animos adducenti, qui & re ipsa est iniquitas & iniustitia. † συνέλυσαν, cõsenserunt, approbauerũt, eis placuit.

Nos aũt debemus gratias agere Deo semper pro uobis, fratres dilecti à Domino.] Quia horribilia dixerat, quæ possent auditoris animum concutere, nunc mitigat corda eorũ docens, hæc alijs quidem sint terribilia, nempe ijs qui pereant, aduersum quos etiam hæc ualoris ac roboris plurimũ habent. Nos autem debemus gratias agere Deo pro uobis, quòd electi sitis, quòd dilecti sitis à Deo. Si autem nos pro uobis gratias agimus, multo magis uos isthuc facere decet pro uobis ipsis.

Quoniam elegit † uos Deus à principio ad salutem in sanctificatione spiritus, & fide ueritatis.] Hanc ob rem gratias agimus, quia elegit uos Deus, & prædestinauit uos ad salutem, cum dignos uidelicet præsciisset. Quomodo? in sanctificatione spiritus, hoc est, seruauit nos, sanctificans per spiritum. Deinde, ut ne quis dicat, Quid igitur nos? Nihilne attulimus? subdit, & fide ueritatis, id est seruauit nos qui attulimus fidem ueritatis, hoc est uerarũ rerũ. Nõ enim mendacijs quibusdã fidem adhibuimus, sed ueritati ipsi. Præsertim autem hîc secundæ fidei meminit, quando quidem & post sanctificationem eius auctibus indigeamus, ne concutiamur. † ἡμᾶς uos per u habet Basilienſis codex, ſed in interpretatione habet, ſeruauit nos ἡμᾶς in prima perſona ut legiſſe uidetur Theophyl.

Ad quod & uocauit uos per euangelium nostrum, in acquisitionem gloriæ Domini nostri Iesu Christi.] Vt ne audientes fidem, extollantur apud sese, ut quam ipsi contribuerint ad salutem sui, nõ simpliciter hoc dimittit, uerùm hoc etiam, inquit, Dei est. Ad hoc enim uocauit uos, ad quale hoc? ut seruemini per sanctificationem & fidem. Proinde etiam si credidistis, gratia id uocantis est: nisi enim per uerbum quod prædicauimus uobis, uocasset uos, quomodo quæso audiuissetis? Nec exiguam esse sibi gloriam, salutem nostram, Christus arbitratur. Gloria enim boni est, multos esse qui seruantur. Quis igitur non diligat talem Dominum? quis non uelit huius gloriam, siue suam ipsius salutem?

Itaq; fratres state, ac tenete traditiones quas edocti estis siue per sermonem, siue per

epistolam nostram.] Vel hinc etiam perspicuum est quòd pleraq; etiam sine scriptis per sermonem, id est, uiua uoce tradiderint, non solum per epistolam. Similiter autem & hoc & illa fide digna sunt. Itaque & ecclesiæ traditionem fide dignam existimemus. Traditio est: Nihil amplius quæras. Indicat autem hîc haud paucos esse commotos & fluctuantes. A

Ipse autem Dominus noster Iesus Christus, & Deus & pater noster, qui dilexit nos, & dedit consolationem æternam & spem bonam in gratia, consoletur corda uestra, & confirmet uos in omni opere & sermone bono.] Adhortationem oratio excipit, hoc enim uerè est succurrere. perinde ac si dicat, Ego quidem dixi, ac totũ Deo acceptũ referendum est. Vbi sunt aũt qui filium propterea imminuũt, quòd in baptismate post patrem nominetur? Ecce enim hîc diuersum habetur: prius enim nominauit filiũ, qui dedit, inquit, consolationem ęternam. Qualem hanc? spem, inquit, futurorum. Hęc enim est quæ sustineat corda nostra in tentationibus decidentia, futurorum bonorum spes. dedit autem hanc nobis Deus, non pro laboribus meritisue nostris, uerùm ex gratia. Hoc aũt dixit ut illorum animũ comprimat. Obserua aũt quomodo precationis modo excitet illorũ corda necnon mentes, curæ adeoq; prouidentiæ Dei pignora & signa ponens. Nam si nihil laborantibus consolationem impertijt, multo magis afflictis ac laborãtibus pro fide, dabit? Quocirca bonã de Deo spem cõcipite. Cõsoletur porrò, inquit, corda uestra, & confirmet in omni opere & sermone bono, hoc est, per omne opus & sermonẽ bonũ. Hęc enim est cõsolatio Christiani, facere aliqd boni & quod Deo placeat. Vel cõfirmet uos in doctrina recta operibusq; bonis, adeò ut nõ deteramini neq; abducamini à Christo, neq; succũbatis in tentationibus periculisue, id enim cõsolatio est. Qui enim firmatus est quæcunq; patitur, fert ingenuè, nec subuertitur. Cum enim B
1. Pet. 3. dogma rectũ seruat, persuasus est de futuris stabiliter]. Quia uerò bonam uitam ducit, lætatur quòd non ueluti maleficus, sed uelut Dei minister hæc patiatur.

CAPVT III.

QVod reliquum est, orate fratres pro nobis, ut uerbum Domini currat, & clarificetur, sicut & apud uos.] Ipse quidem orauit pro eis, ut firmentur: deinceps petit ab eis, ut pro ipso orent etiam, non ut ne periculis obijciatur, in hoc enim positus erat, sed ut uerbum currat & clarificetur siue glorificetur. Nec laude caret hæc petitio, ait enim, Quemadmodum & apud uos: hoc est, ut omnes sic obediant, quemadmodum & uos. Adeò nihil priuati orabat, sed omnia Dei.

Et ut liberemur ab importunis & malis hominibus. non enim omnium est fides.] De repugnantibus contradicentibusq; uerbi prædicationi loquitur, deq; aduersanti-
2. Tim. 4. bus doctrinæ, qualis erat Alexander ærarius. Hoc enim occultè notauit, inquiens: Non enim omniũ est fides, hoc est, non omnes credunt, sed digni. perinde ac si quis dicat: Non omnium est militare in regijs uel regalibus signis, cæterùm eorum tantum, qui ad hoc sunt idonei. Simul autem excitat & commendat eos, siquidem tantam habent fiduciam, ut & doctorum prædicationem facilem reddant. Latenter autem & pericula indicat, sibi omnino ab resistentibus uerbo esse adducta. Hoc uerò satis erat eis ad consolationem, quòd talis tantusq; quum esset Paulus, adhuc tamen cum periculis luctaretur.

Fidelis autem est Dominus, qui confirmabit uos & custodiet à malo.] In superioribus dixit, Elegit uos Deus ad salutem, hoc est, selegit è multis. fidelis igitur est, id est, uerax, & omnino perficiet quod orsus est, & confirmabit uos sicut & orauimus, ut non porrò concutiamini. Custodiet autem, ut non prævaleat contra uos satanas.

Confidimus autem in Domino de uobis, quòd quæ præcipimus, & facitis & facietis.] Postquam imprecatus erat eis, ac dixerat, fidelis est Deus, qui faciet quæ orsus est, ne iam existimantes totum esse Dei, ipsi torpeant & segnes euadant, ecce iamnunc & ab ipsis cooperationem postulat. ceu talia quædam dicat: Deus quidem fidelis est, & omnino faciet quæ sua sunt, sed si uos etiam operemini. Expende hîc sapientiam. Non dixit simpliciter, Confidimus de uobis: sed, In Domino: hoc est, clementiæ eius credimus, quòd ea sit consortatura uos, ut indicet ipsis omnia ex Deo pendêre. Rursus non dixit simpliciter, Cõfidimus Domino: uerùm, De uobis, & quòd facitis & facietis, ut ne totum in Deum transferentes ipsi, ociosiores reddantur. Totum enim

ad

A ad Deum reiiciendum est, sed ita ut nos etiam operemur. Nec fuit cõtentus dicere, Facitis: sed, Facietis, adiecit, ostendens necessum esse ut nobis ad extremum usq; spiritum uirtus adsit.

Dominus autem dirigat corda uestra ad dilectionem Dei, & ad patientiam Christi.] Iterum pro eis intercedit & orat, quanta illorum cura tangatur indicans. Quia enim nonnullos eorum obiurgaturus est, corda ipsorum præmitigat, ut uideatur ex multa charitate obiurgare. Ait igitur, Dominus dirigat corda uestra: hoc est, ad rectum tramitem uenire faciat, & non aberrare. Haud pauca nanq; sunt quæ à recto charitatis calle abducant, ut pecunia, facultates, uana gloria, adflictio, tentationes, pericula. Hæc aliaq; multa nõ sinunt nos ad dilectionẽ Dei rectà accedere, diligereq; ipsum perinde ac necessariũ est. Quod præterea ait, Ad patientiam Christi, uel sic intelliges, ut patientes simus ac sustineamus, illius instar: uel ut cum patientia expectemus Christum, & non desperemus, sed firmiter credamus, quòd quæ promiserit, completurus sit. Patientiæ autem mentione facta, adflictiones significauit. Charitati autem Dei, adiunxit patientiam. hoc enim est diligere Deum, propter ipsum patienti animo esse, nec ciere turbas, uel contristari. Per Dominum autem hîc spiritum intellige, perinde ac magnus annotauit Basilius.

Præcipimus autem uobis fratres in nomine Domini nostri Iesu Christi.] Non semel indicauimus, Paulum seueriorem institutionem appellare præceptum. Nunc uerò terrificum magis faciens præceptum, Non nos præcipimus, inquit, sed Christus. Quæ enim ego dico, ille profectò dicit. Nam ut nusquam torpesceremus & ociosi essemus, ille præcepit.

B Vt substrahatis uos ab omni fratre inordinatè ambulãte.] Hoc est, ut separemini abs quouis inordinatè uiuente, siue diues, siue pauper, uel sanctus etiam fuerit. Nam à bonis operibus abstinentes, ad nugas ferè & res nullius momenti excidunt. Hæc autem inordinationis sunt. Quomodo? propter hoc ipsum quòd nihil agant, & quia excedat positum à præceptore ordinem. Infert igitur:

Et non secundum traditionem quam acceperunt à nobis.] Quam per opera uobis tradidi, forma & typus uobis factus: propriè enim huiusmodi est traditio.

Ipsi enim scitis quemadmodum oporteat imitari nos, quoniam non inordinatè nos gessimus apud uos, neq; gratis panem manducauimus ab aliquo.] Non inordinatè nos gessimus, id est, non fuimus ocioſi. Inordinationem enim, ocium nominat, ut & suprà. Sic namq; res habet. Deus posuit hominem ad laborem, artusq; ad hoc effinxit: quocirca qui ociosus est, ab ordine suo deficit & creatione. Obserua hîc, quomodo gratis edere uocauit alimoniam qua ab eis alebatur. Atqui non gratis suppeditabatur alimentum, prædicabat enim. Est autem dignus operarius alimento suo. *Act. 20.* *Matt. 10.*

Verùm in labore & fatigatione nocte & die operantes.] Viden' epitases, exaggerationesue cùm laboris tum defatigationis? Nos uerò nisi uel ipsi Deo præferamur etiã ab ijs qui nunquam quicquam à nobis edocti sunt, ægro animo ferimus, ceu maxima iniuria affecti.

Ne quem uestrûm grauaremus.] Grauamen propriè est, ab inuitis accipere. Nunc autem hoc dicit, quòd pauperes fuerint Thessalonicenses.

Non quòd non habeamus potestatem, sed ut nos ipsos formã daremus uobis ad imitandum nos.] Erat enim ei potestas ociari, ut qui maiori opere occupatus esset, prædicationis nempe ministerio. eratq; ei potestas ut aleretur à discipulis, attamen liberalitate quadam operabatur, seq; ipsum & eos qui secum erant, enutriebat, ut illud ipsum discipulos etiam doceret.

Nam cum essemus apud uos, hoc præcipiebamus uobis: quòd si quis non uult operari, neq; manducet.] πρὸς ὑμᾶς, ad uos, id est, apud uos, uel uobiscum. In priore sanè epistola clementius & mansuetius de his disseruit, hîc uerò austerius agit. Si enim ipse nocte ac die operabatur, quãquam nulla esset ei necessitas ut id ageret, multo magis alios oportebat hoc facere.

Audimus enim inter uos quosdam obambulantes inordinatè, nihil operantes, sed curiosè agentes.] Cum enim mens nostra semper mobilis sit, necesse est, si frugiferum opus non aggrediatur, ut infrugiferum & inutile attentet, perinde ac suprà cõmemora

tum est, adeoq; aliorũ curiosè scitari uitas, & hinc ad obtrectationem, ocioſum ſermonem, atq; adeò nugas deferri. Operari igitur oportet opera manibus. neq; enim eleemoſyna est impartienda bene ualenti, qui laborare potest, atq; ociatur. At oro, inquit: inedia corpus macero. Enimuero id non est opus manuum, præſertim cum possis post hæc operari manibus & laborare. Quia uerò id renuis & aſpernaris, tanquam ocioſus condemnaris. Ecquî, inquiunt, qui docet, non cogitur operari? Ideo non cogitur, quia maius ac difficilius opus aggreditur, quod impedit ipſum à manuum operatione. Tibi autem priuatim uitam agenti, nihil huiuſmodi incumbit. Peccas itaque, ſi laborem negligas. A

Iis autem qui eiuſmodi ſunt, præcipimus, & obteſtamur per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum.] Quia ſeuerius eos inuaſerat, dicens, Præcipimus uobis: mitiorem ac blandiorem facit ſermonem, Obſecramus, inquit, mediatorem aſſumentes Chriſtum. formidãda magis hoc pacto est adhortatio, plusq; autoritatis & ponderis nanciſcitur.

Vt cum quiete operantes, ſuum ipſorum panem manducent.] Vtrunq; exigit, tum ut inordinatè ſe gerentes ſint quieti, tum ut ocioſi laborent, quò edant panem ſuũ ipſorum, non alienum. non enim oportet eos defigere oculos in alienas manus.

Vos autem fratres, nolite deficere benefacientes.] Animaduerte quàm illico paterna uiſcera ſint confracta: ſtatim eos miſeratus est. Segregamini ab ipſis, inquit, atq; ſeparemini, ſic tamen, ne fame eos interire ſinatis. At quid, ſi ille confidens quòd ego ad eam ipſum, in ocio perduret? Satis est tibi ab eo diuelli, & nihil impertiri ei fiduciæ, oſtendens te ei iraſci. At ſi neq; hac ratione corrigatur, tu interea tamen ne ceſſes, ne deficias benefacere.

Quod ſi quis non obedit uerbo noſtro, per epiſtolam hunc notate.] Quidam λόγῳ ἡμῶν, uerbo noſtro, per ſ legerunt, unde & ſic intellexerũt: Si quis non obediat uerbo meo, qui ſum Paulus per epiſtolam uobis loquens, hunc notate, atq; habete ueluti ſegregatum. Diuus autem Ioãnes Chryſoſtomus legit ὑμῶν, id est ueſtro, per υ. ſicq; intelligendum hunc locum nobis oſtendit: Si quis non morem gerit uobis, dicentibus ad ipſum quæ per epiſtolam hanc meam didiciſtis. B

Quomodo eleemoſyna ſit ocioſis pauperibus danda.

Et ne cõmiſceamini cum illo, ut cõfundatur.] Viden' quæ ſit utilitas eum ſeparari? ut rubore confundatur. Si enim ſimpliciter accipere, pudore dignum: quanto magis, ſi cum ſegregatione præbeant? Magna quondam pœna uidebatur ſegregatio, atq; adeò excommunicatio: ſed hodie minus habet ponderis Si enim à ſimpliciter ocio torpente fugiendum est, operaq; danda ut ab eo ſeiungamur, quanto magis ab aliis indigna facinora committentibus?

Et nolite quaſi inimicum exiſtimare, ſed admonete ut fratrem.] Perinde ac cum ſuprà dixiſſet, Qui non operatur, neq; manducet, metuit ne iam fame pereant eiuſmodi, & intulit, Vos autem nolite deficere benefacientes: hũc ad modum & nunc dicens, Ne commiſceamini, metuit ne hoc ipſum excinderet eum omnino à fraternitate deſperantem. propterea & intulit, Ne quaſi inimicũ exiſtimate, ſed admonete tanquàm fratrem. & poſtquam eleemoſynam dederis, iniunxit ut admoneas, non ut exprobres, ut & animo & corpore beneficium iam in illum cõferatur. Porrò frater qui admonet, non publicè traducit iniuriam, ſed priuatim hoc facit, idq; cum manſuetudine. Doleat nobis, inquit, non quia impertimus, ſed quia tranſgreditur legem Dei, ac ueluti ſuper morbo & ægritudine lugeamus. Audiant itaq; qui nõ ſolũ non impertiunt aliquid, uerumetiam contumelia afficiunt & iniuria pauperes, atq; lapidibus petunt. Propterea pauperie iſte affligitur, ut curare tu queas uulnera tua per clementiam tuam quam illi exhibes: tu uerò eum qui tui cauſa inops est, repellis? Quantæ ſunt iſta inſipientiæ? quantæ ruditatis ac ſtupiditatis?

**τόπῳ loco, habetur in textu ſed in gloſſa habetur πρόπω modo, uti Theop. et Chryſ. legiſſe uidentur.*

Ipſe uerò Deus pacis det uobis pacem ſemper in omni *loco.] Vbiq; poſt parænefes precationem & uotum ponit, ueluti ſigilla quædam & indicia uel obſignationes repoſitarum rerũ, orationes adijciens. Hîc igitur quia ueriſimile erat pugnas oriri ab huiuſmodi occaſionibus, cum ij qui ſeparantur, aſperiores redduntur, opulentioréſque non porrò elargiantur egentibus ſegregatis alacriter, haud immeritò pacem eis exoptat, eámque ſemper. Hoc enim est quod quæritur, ut ſemper ipſam habeant, atque adeò omni modo, ut nulla ex parte contentionis eis occaſio relinquatur, neque ex

uerbo,

A uerbo, neq; ex opere. Sic enim fiet, ut citra difficultatem & illos ad rectiorem uitam reuocetis. nihil enim adeò prodest ad perficiendum ea quæ uolumus, atq; pacificum esse, necnon turbatione uacare, neq; ex odio uideri quenquam obiurgare.

Dominus cum omnibus uobis.] Hoc & Dominus promisit. Ecce, ego uobiscum sum omnibus diebus. Si ille cum omnibus uobis fuerit, tam ociosis quàm non talibus, omnia bona contingent. ociosis enim medebitur, & operantes firmabit. *Matt. 28.*

Salutatio mea manu Pauli.] Salutationem appellat orationem, indicans quòd & salutare conueniebat, cum lucro spirituali ea res esset & omnino, & non simpliciter amicitiæ symbolum.

Quod est signum in omni epistola, hoc ita scribo.] Vt ne deprauentur epistolæ meę à quibusdam impostoribus (hoc enim, perinde ac in principio diximus, faciebant plerique) Ego, inquit, subsigno mea manu. In omni autem epistola, quę fortasse ad uos mittenda est: uel simpliciter, In omni, ad quoscunq; etiam missa fuerit. *Paulinarum epistolarũ symbolum.*

Gratia Domini nostri Iesu Christi cum omnibus uobis. Amen.] Et à gratia orsus est, & in gratiam rursus finit epistolam, utrinq; ueluti magnis munimentis muniens & firmans quæ dicuntur, cùm fundamenta firma tutaq; ponens, tum finem firmum adducens. Si enim gratia uobiscum fuerit, quæ à principio seruauit uos, omnes infirmitates uestras contemptibiles reddet: hoc enim est gratiæ. Erit autem, nisi hanc persequamini. Gratia pias gratasq; mentes incolit, simplicitatem & fraternam dilectionem habentes. Faciat Christus ut & nos eiusmodi mentibus imbuti, fraternam dilectionem demonstrantes, & errantes fortefortuna, tanquam fratres nostri sint, commonefacientes: omnibusq; modis ipsorum correctionem, uitæq; sanctioris formam
B erga eos cum pace efficientes, à gratia custodiamur Domini nostri Iesu Christi, qui assumpsit nos, perduxitq; ad patrem in spiritu sancto, quem decet omnis gloria in secula. Amen.

Ad Thessalonicenses secunda missa fuit ex Athenis.

THEOPHYLACTI BVLGARIAE ARCHIEPISCOPI in priorem diui Pauli ad Timotheum epistolam Enarratio.

ARGVMENTVM.

EX Pauli discipulis Timotheus erat, adeò probatus, & adiunctus Paulo, ut ab eo etiam circuncidi uoluerit per dispensationem, cum tamen alijs circuncisionem prohiberet Paulus, ipsiq; Petro huius causa restitisset. Insuper Paulus plerisq; in locis uiro huic uirtutem tribuit, cui nunc de uarijs rebus necessarijs scribit. Quærat autem hic quispiam, Cur nam tandem Silæ, neq; Clementi, neq; Lucæ, nec alij cuipiam, qui multi cum ipso conuersabantur, scribat, sed Timotheo, Titoq; soli? Potest igitur responderi, quòd illos secum circunduxerit, istis autem ecclesias commiserit. opus igitur erat hos scriptis admonere, & quæ agenda essent explicare. Si autem quærant, cur non hos prius in omni sapientia perfecerit diuina, ac tum ut alios docerent præfecerit, sed postquam eis docendi munus commiserit, rursum illis scribat ac perficiat; discat primùm quidem, quòd nemo perfectus sit, etiamsi doctor fuerit, sed & ipse in multis opus habeat institutione atque ductu à perfectioribus: maximè uerò in ecclesia primùm recens constituta haud facilè erat episcopum omnia per uerbum ipsum efformare atque perficere. Deinde obserua per uniuersam epistolam hanc, quòd non sit talis ad Timotheum institutio, qualis ad discipulos esse solet, sed qualis præceptori conuenit. *Act. 16. Galat. 2.*

CAPVT I.

PAVLVS Apostolus Iesu Christi, iuxta mandatum Dei seruatoris nostri.] Quia legem est laturus Timotheo, fide dignum sermonem faciens, seipsum Apostolum prædicat. Non enim mea, inquit, loquor, sed uerba eius cuius sum legatus, quare uide ne sis inobediens. Quia uerò ingens erat Apostoli authoritas ac dignitas, ne uideatur arrogans ostentator, adijcit, Iuxta mandatũ Dei. Non ipse, inquit, functionem hanc mihi arrogaui, uerùm ineuitabile mihi hoc officiũ est, cui obstrictus

† φανερώτερον, id est, apertius, manifestius: malim cum Chrys. legere φανερώτερον, id est, efficacius, siue maioris efficaciæ.

sum, ac herile mandatum impleo. Secundum mandatum enim, quod ait, est †apertius, quàm si diceret, uocatus. Atqui pater nusquam ei uidetur mandasse, sed Christus. Ad gentes, inquit, longinquas mittam te, & rursus, Cęsari oportet te sisti. Tum spíritus, Segregate uel exhibete mihi Paulum. attamen quæ filij sunt, & spiritus, patris esse dicit. Audi enim quæ sequuntur. A

Et Domini Iesu spei nostrę.] Viden' commune esse mandatũ? Animaduerte autem quomodo & Dauid de patre dicat, Spes omnium finium terræ. quinetiam & Paulus ipse alio in loco dicit, Sperauimus in Deum uiuentem. nunc autem filius dicitur spes nostra. sic omnia tam patris quàm filij sunt communia. Opportunè autem hæc cognomina posuit, seruatoris & spei. Postquam enim præceptor ipse multis colluctetur difficultatibus (uniuersum enim bellum in ipsum conuertitur) quasi eo occumbente cæteri sub eo facilius etiam cadant, iuxta illud, Percutiam pastorem, & dispergentur oues: Non oportet, inquit, succumbere aut decidere animo. seruatorem enim habemus, nõ hominẽ, sed Deum ipsum & patrẽ, qui citò nos à periculis liberabit. Quod si uerò ab his statim seruati non fuerimus, potiora sanè & utiliora sperare oportet: spes enim nostra, quæ pudefieri non potest, Christus est. His enim duabus de causis, pericula toleramus, uel q̃ celeriter ex ijs conseruemur, uel quia bonis spebus alamur.

Matth. 26. Zach. 13.

Timotheo genuino filio in fide.] Hoc est, per fidem genito mihi. Nam præpositio

1. Cor. 4. In, ualet per. perinde ac alio in loco dicit: Per Euangelium uos genui. Laudans autem eum, Non filius tantùm es, inquit, sed genuinus & germanus filius. Genuinum ideo dicit, quòd Timotheus præ cæteris erga ipsum similitudinem seruabat, & quia ipsum Paulus genuina charitate prosequebatur. Sapientissimè autem posuit, In fide, ut uehementius Timotheum ad hanc inungat & accendat. Si enim principio tantam exhibuisset fidem, ut propter hanc Pauli germanus diceretur filius: multo magis nunc ea instructum & armatum esse oportet, & non decidere, nec turbari. fidei enim est confidere de futuris bonis. B

Gratia, misericordia, pax.] Nusquam in alijs epistolis posuit misericordiam, uerùm

Infrà 5. in hac tantùm, ex magno paterno affectu maiora filio exoptans, tanquam metuens ei, atq; eius nomine tremens, cui & de stomachi ratione præcipiebat, simul q̃ maiore misericordia præceptores indigeant.

A Deo patre nostro, & Domino Iesu Christo Domino nostro.] Rursus hic est consolatio. Si enim pater noster Deus, ueluti liberorũ nostri curam geritq; & miserebitur nostri, gratiamq; dabit, ut omnibus nos grati simus, ac pacẽ habeamus ab hostibus.

Sicut rogaui te ut remaneres Ephesi, cum irem in Macedoniam.] Obserua hic moderationem, quî non doctoris, sed supplicis sit usus uoce. Non enim dixit, Mandaui: sed, Rogaui. ad mansuetos enim discipulos eo nos imbutos esse affectu oportet: ad perditos autem corruptósue & non genuinos, secus nos affectos esse conuenit. Rogat autem hunc ut remaneret Ephesi. Non enim sufficiebat epistola quam ipsis scripserat Paulus. ad literas enim minus curæ adhibere solent homines. Fortasse autem & hoc contigit priusquam eis epistolam scriberet. Quæritur enim núncne ipsum illic constituerit Timotheum, ut episcopum ageret. Quod quidem & uidetur. dicit enim deinceps'

Vt denunciares quibusdam ne aliter docerent.] Non dixit ut rogares, sed ut denuncies, siue præcipias, quod austerius est. Non expressit autem hos nominatim, ut ne impudentiores faciat reprehensione publica. Aliter autem docere, est alia præcepta subintroducere. Fuerunt enim multi ex Iudæis pseudapostoli ad legem trahentes, gloriæ cupiditate, & quòd cuperent salutari doctores ac præceptores.

Neq; intenderent fabulis.] Falulas non legem dicit, sed obseruationes & praua dogmata.

Et genealogijs interminatis.] Auos enim & proauos denumerabant, ut historię gloriam sibi uindicarent. Infinitis autem genealogijs, uel quòd ad priora tempora cõscenderent, uel quod ad extremum nihil haberet utilitatis, uel quòd non facilè quidem concipi animo & uideri, difficulterq; cõprehendi possent, ut quę uariæ & intricatæ essent. Verisimile est autem & Græcos ipsum hic notare. fabulæ enim sunt eis & genealogiæ quibus deos suos recensent.

Quæ

A Quæ quæstiones præstant magis quàm ædificationem Dei quæ est in fide.] Hoc est, Deus quidem dispensauit & ordinauit fide suscipere omnia, ipsi uerò quæstiones suas subintroducentes, Dei ordinem & ædificationem dissoluunt. Vel quia magna Christus nobis donare uoluit, ineffabilem etiam dispensationem circa nos exhibuit. Hanc igitur bonitatis ipsius dispensationem fides recipit, genealogiæ uerò nequaquã. Quæstiones enim subintroducunt, Quomodo possit hoc fieri? Quomodo credamus de futuris? Quæstio itaq; fidem eijcit. Ecquî Dominus igitur dixit, Quærite, & inuenietis? & rursus, Scrutamini scripturas? At quærite quidem de oratione dixit, & ardenti desiderio: Scrutamini uerò, ut exactam illarum rationem addiscatis, probeq; teneatis eas, ut ita desistatis tandem à petitione & inquisitione. Matt. 7. Ioan. 5.

Finis autem præcepti est charitas ex corde puro.] Si præcipias, inquit, non aliter docere, hoc perficies nempe charitatẽ. Quòd si hãc inseueris, uniuersum dogma prauũ atq; peruersum abibit & peribit. Antea enim cum nõ esset dilectio, inuidia erat ex hac dominatus cupiditas, ex hac porrò docendi ambitio nascebatur, indeq; hæreses suboriebantur: nunc autem non sic. Charitatem autem postulat synceram, nõ eam tantum quæ in uerbis est, uerùm quæ ex corde, eoq; puro, non fuco & hypocrisi adumbrato: quæ ex affectu & condolentia constet atq; promanet.

Et conscientia bona, & fide non ficta.] Quia prædones, prædones etiam diligunt, at enim isthuc non est ex conscientia bona, sed ex praua, neq; ex fide non ficta. Qui enim syncerè in Deum credit, nõ sustinet unquam à uera charitate excidere: siquidem ea omnes complectitur & fouet. Latro autem prætereuntes occidit: unde colligere poteris, eum qui charitate uacet, neq; fidelem esse.

B De quibus quidam aberrantes, conuersi sunt ad uaniloquium.] ἀστοχεῖν, de iaculatoribus dicitur qui sine arte sagittas emittunt. Hic uerò, inquit, opus erat arte, ut rectà iacerent tela, neq; à scopo aberrarent. enimuero nonnulli ueluti à scopo à fide & charitate aberrarunt, & propterea deflexerunt ad uaniloquium. Quomodo autem id contigerit, subdit.

Volentes esse legis doctores.] Hoc est, languentes dominatus amore, gloriæq; cupiditate insanientes. Non enim tales fuissent, si dilectionem habuissent & fidem.

Non intelligentes neq; quę loquuntur, neq; de quibus affirmant.] Hic reprehendit eos tanquam ignorent qui sit scopus legis, & ad quod usq; tempus authoritatem suam retineret. Si itaq; ex ignorantia peccarunt, non merentur condemnationẽ. haudquaquam. nam à cupiditate regnandi ea erat ignorantia, tum ex eo quòd charitatem non continerent. Volentes enim esse, inquit, legislatores, legisq; doctores, ignorunt: proinde ignorantiæ istius ipsi sibi sunt authores. De quibus autem affirmant uel stabiliunt de purificationibus cæterisq; corporalibus obseruationibus.

Scimus autem quòd bona sit lex, si quis ea legitimè utatur.] Hoc est, nõ solum eam per uerba explicet, sed per opera etiam perficiat. Nam qui docet quæ legis sunt, nec facit interim, illegitimè usus est lege. Aut aliter etiam legitimè utitur lege, qui per eam ad Christum ducitur. Lex enim cum non possit nos ducere rectè, seu iustificare, ad Christum nos remittit, atq; hic est ipsi scopus. Quocirca lege utitur legitimè, hoc est, quẽadmodum ipsa lex iubet, qui Christum legi præfert.

Sciens hoc, quòd iusto non est lex posita.] Quare non expectat ut ab ea discat quid faciendum sit: hoc enim nouit, nec supplicium metuit. Iustum autem hic intellige, qui uirtutem perficit: qui non metu legis, sed propter ipsam honestatem, & malitiã odit, & uirtutem cõplectitur: ac maiora quàm lex postulet, transigit, nõ postulans eam institutricem habere, quæ sibi flagra admoueat, sed uirilem uirtutem spirans, puerilia transcendit: perinde ac medicus uulnera habenti aut ægrotanti paratus est, non ualenti probè: ac frenũ inordinatè se gerenti & inobedienti equo, non obtemperanti & mansueto necessarium est.

Sed iniustis & inobediẽtibus, impijs & peccatoribus, sceleratis & cõtaminatis, patricidis & matricidis, homicidis, fornicatoribꝰ. masculorũ cõcubitoribꝰ. plagiarijs, mẽdacibꝰ. periuris.] Speciatim peccata explicat, ut persuadeat erubescere ob legis præsidentiã & præfecturã. Hęc aũt omnia Iudæi fuerunt. Cũ enim sæpius idola adorarẽt, liberos suos dęmonib. immolarẽt, Mosem lapidib. peterẽt, quorũ manus sanguine plenę essent, nõ- Psal. 77. & 105.

ne im-

Exod.17. Esai.1. Galat.3. ne impij sunt & homicidæ? Aliaq; omnia reuera in ipsis inuenies, si historias perlustres. Propterea igitur data est illis lex, ut huiusmodi uitia comprimat: quod & alio in loco dicit, Lex præuaricationis gratia lata est. Iustis autem, tanquam ad transgressiones non declinantibus, lex non est necessaria. A

Et si quid aliud sanæ doctrinæ aduersatur.] Quæ cõmemorata erant, satis certè fuerant: attamen per præteritionem generatim dixit, Et si quid aliud. Ostendit autem hîc, quòd ex corruptis dogmatibus huiusmodi affectiones aditum recipiant, sanæ enim doctrinæ hæc omnia sunt contraria.

Secundum Euangelium gloriæ beati Dei.] Hanc ad rationem construes: Sanæ doctrinæ, quæ est secundum Euangelium. Gloriæ autem ipsum Euangelium appellat, propter eos qui in persecutionibus pudefiebant, & propter Christi passionem, commonstrans ipsam Christi passionem & persecutiones esse gloriam & splendorem: uel quòd præbeant futuram gloriam. Etiamsi enim præsentia, inquit, confusionem habeant, futura tamẽ gloriam: atq; hanc nobis annunciat Euangeliũ. omne enim Euangelium futurorum est, non præsentium. Vel gloriam cultum appellat Dei, quem Euangelium nobis inducit ac prædicat.

Quod creditum est mihi.] Mihi, inquit, non pseudapostolis: horum enim Euangelium, pudoris est & ignominiæ, non gloriæ.

Gratiam habeo ei qui me confortauit, in Christo Iesu Domino nostro.] Quia dixerat, Quod mihi creditũ est, ne uideatur ideo gloriari, ad Deũ ista huc refert. Illi, inquiens, gratia debetur, qui uires mihi dedit ut ualeam recipere tale onus: aduersus enim quotidianas mortes consistere, non erat humanæ potentiæ. Hæc reuera est humilitas & animus minimè alta spirans uel superbiens. Nostra uerò humilitas non est ταπεινοφροσυνη, B id est, humilium rerum affectus, sed est ταπεινοφημοσυνη, id est, in uerbis tantum consistens & lingua humilitas.

Vera humilitas non in uerbis, sed in animis consistit.

Quia fidelem me existimauit, ponens in ministerio.] Ne quis ex incredulis dicat, Si totum Dei est, & nihil à nobis affertur, cúrnam Paulum talem fecit, Iudam uerò non item? eiusmodi obiectionem diluit, inquiens: Non simpliciter roborauit me, neq; ciuitra iudicium, sed quia inuentus sum fidelis. Neq; sic etiam apertè locutus est, uerùm quia fidelem me putauit, suamipsius uirtutem opusue contegens. Non assero, inquit, me fuisse fidelem, uerumenimuero ille me talem existimauit. Vnde hoc perspicuum? ex eo quòd me posuit in ministerio. quomodo enim me posuisset, nisi quandam aptitudinem in me uidisset? Hanc ad rationem in ædibus ipsi œconomi gratias agunt dominis, quòd sibi crediderint ædium administrationem, atq; hoc pro iudicio accipiũt, quòd alijs fideliores habeantur. Insuper Deus etiam ipse de eo dicit, Quoniam uas electionis mihi est, ut portet nomen meum. Erat igitur idoneus ut portaret. Accepit autem uirtutem à Deo, ut opus isthuc perficeret. qui enim gestaturus est magnum Christi nomen, ut ipsum infigat animis credentium per prædicationem, non exiguo robore indiget. Gestat autem ipsum, quisquis in cogitationibus, uerbis & opere se dignum eo gerit. Nam qui huiusmodi non fuerit, haudquaquam etiam gestat. qui enim, cum neq; Christum omnino in sese habeat? Et in alijs itaq; diuus Paulus commodè se gerebat, uel quatenus nihil herilium bonorum sibi uindicabat, sed quę sua potius erant, Domino referebat accepta. Laboraui enim, inquit, omnibus alijs abundantius, non ego autem, sed gratia, ac multa id genus alia.

Paulus uas electus, non item Iudas.

Act.9. 1. Cor.15.

Qui prius blasphemus fui, & persecutor, & contumeliosus.] Expende hîc quomodo extollat misericordiam Dei, priorem suam anteq; actam uitam enarrans. Porrò si quando de Iudæis disputat omni condemnatione dignis, nihil tale ad eos refert, de sei pso autem talia recensет, Non solum blasphemus, inquit, eram ipse, neq; ad me usq; ipsum statuebam & terminabam malitiam: sed etiam alios uolentes piè uiuere, persequebar: nec simpliciter, sed contumelioſè & uiolenter rem ipsam peragens.

Sed misericordiã consecutus sum, quia ignorans feci in incredulitate.] Ostendit seipsum supplicio dignum, talibus enim misericordia solet obtingere. Quam uerò obcausam reliquis etiam Iudæis misericordia non est communicata? Quoniam non ex ignorantia peccarunt, sed ualde scientes. Plerique enim ex Pharisæis credebant quidem, attamen non confitebantur: gloriam enim hominum magis dilexerunt, quàm gloriam Dei.

Ioan.12. & 5.

A Dei. Et Christus, Quomodo potestis, inquit, credere, cum gloriam ab hominibus accipiatis? Quin & ipsi Iudæi dicebant, Videtis quòd nihil proficitis, ecce mundus post ipsum abit. Vbiq; enim eos regnandi libido uexabat ac turbabat. Ac rursus dixerũt illi, Nemo potest remittere peccata, nisi solus Deus. Statim autem Iesus fecit hoc, quod dixerunt signum esse Dei. quomodo igitur non crediderunt? nunquid hæc ignorantiæ sunt peccata? fortasse aũt quispiã dixerit: Vbi Paulus igitur tum erat? ad pedes Gamalielis, nõ cõmixtus adiunctusq; turbis. Gamaliel eñ homo erat priuata sua curãs. Quomodo igitur postea Paulus in carcerem conijciebat Christi discipulos? Quia uidebat uerbum crescere, ac æmulabatur denicp pro lege, isti autem regnandi cupiditate æstuabant. Quomodo autem in lege exactè institutus erat Paulus, & ignorabat Christũ per scripturas? Propterea & seipsum condemnat, cp ignorantiæ morbo laborarit, quam incredulitas peperit: propterea & misericordiam se consecutum ait. *Marc.2.* *Act.22.*

Superabundauit autem gratia† Dei cum fide ac dilectione quæ est in Christo Iesu.] Cum & multa & magna dixisset de clementia Dei, cp dignum extremo supplicio miseratus sit, nunc ait: Non solũ hoc, uerumetiã filiorum adoptione dignatus est, & fratrẽ & amicũ & cohæredem fecit, adeò exuberauit gratia clementiæ ipsius. Ne uerò dicat aliquis, Quia ubicp gratia est, sublata est igitur nostra uoluntas ac deliberatio: subdit, cũ fide ac dilectione. Fidem enim, inquit, attuli ego, credens cp possit me seruare: & charitatem, quã & ipsam in Christo Iesu acquisiui, dilectionis enim erga Deũ Christus mihi conciliator est, nõ lex. Indicat aũt cum fide charitatẽ simul adducendã: ex charitate eñ mandatorũ legis est peractio, sicut Dominus dixit, Si diligitis me, mãdata mea seruate. † θεοῦ habet codex Basilienſ. Chry. uerò & alij legũt κυ ετυ ἡμῶν, id est, Domini nostri. *Ioan.14.*

Fidelis sermo, & omni acceptione dignus, quòd Christus uenit in mundum peccatores saluos facere.] Quia dixerat, mei, cum persecutor essem, misertus est, Ne mireris, inquit, neq; sis incredulus magnitudini doni & gratiæ: nam in hoc ipsum uenit in mundum, ut & omnes peccatores saluos faciat. Fidelis igitur sermo, dignusq; qui suscipiatur. Non enim propterea quòd magna sint quæ data sunt, dignum est non credere: uerùm quia immensa est donantis bonitas, hinc dignum est ut credamus, & recipiamus. Hoc autem ad Iudæos qui legi aduertebant animum, deflectitur, ut ostendat eis quòd sine fide non possint salui esse. B

Quorum ego primus sum.] Quomodo cum aliàs dixisset, Secundum iustitiam legis factus inculpatus, nunc primum peccatorum seipsum cõstituit? Quoniam ad iustitiam quæ est in Christo, iustitia legis collata, peccatũ est, ut cui nunc neq; tempus neq; locus porrò relinquatur. Quamdiu enim tempus suum habebat, tamdiu iustitia erat, perinde ac luna & lucerna nocte quidem lucent. Quando uerò Christus tanquam sol illuxit, tunc ipsam occultauit: ac peccatum posthac committit, planecp est stolidus, qui lucerna utitur fulgente sole. Alio autem in loco hoc etiam dicit. Nam nec glorificatum est, quod claruit in hac parte. *Philip.3.* *2. Cor.3.*

Sed ideo misericordiam consecutus sum, ut in me primo ostenderet Iesus Christus omnem longanimitatem, ad informationem eorum qui crediturí sunt illi in uitã æternam.] Vide animi humilitatem. Propterea, inquit, misericordiam mihi impertijt Christus, ut nemo deinceps peccatorum desperet, sed bonam spem concipiat sibi condonari noxam, cum animaduertat Paulum, qui reliquis omnibus grauius peccasset, conseruatum & saluum esse factum. Ostendit aũt seipsum non fuisse dignum condonatione, cæterùm propter aliorũ salutem se clementiam Dei consecutum esse. Non dixit aũt, ut in me ostendat longanimitatem, sed omnem. perinde quasi dicat, Cum in immensum peccassem, omni misericordia indigebam, uniuersacp eius clementia, nõ parte eius aliqua, ut ij qui ex parte flagitia commiserunt, ad informationem, inquit, hoc est, ad exemplar, ad consolationem & adhortationem omnium uolentium credere.

Regi autem seculorum, immortali, inuisibili, soli sapienti Deo honor & gloria in secula seculorũ. Amen.] Quia de filio magna admodum locutus erat, nimirum quòd desperatos etiam & cõdemnatos seruaret, ne quis putet patrem hîc priuari sua functione, ad illum etiam gloriam refert. Hæc autem omnia & ipsi filio sunt cõmunia, nam & ipse rex est seculorum. Si enim seculorum conditor, quomodo non rex, & immortalis, & inuisibilis diuinitate, solusq; sapiens? ipse nanq; est sapientia patris. Hæc & de spiritu dicuntur, Soli enim sapienti dixit, non ad discrimen filij & spiritus, haudquaquam.

quanquã. uerumenímuero quia & angeli & homines ſapientiam habẽt, oſtendit eum ſolum propriè ſapientem eſſe, quippe qui ſit fons & author ſapientiæ. Quæcunq; aũt aliæ creaturę ſapientiam habent, per participationem habent. Gloria autem & honor, non per uerba tantum, uerumetiã per opera. Illa enim gratos tantummodo nos oſtendit, hæc uerò imitatores ipſius efficit, quod & maius eſt. Gloriam autem in uerbis propterea poſtulat, ut ipſum diligamus, eiq; attenti ſimus, ac geramus morẽ, ut adeò hinc adiutemur: perinde ac qui ſolis iubar admiratur, ſeipſum adiuuat, ut qui lætetur lumine, eiusq; iubare ad opera utatur: quemadmodum qui ignorat luminis gloriã, ſeipſum afficit damno, cum non utitur eo ad operationem ſuam. A

Hoc præceptũ cõmendo tibi fili Timothee.] Cum præceptũ dixiſſet, quod herilem iuſsionẽ reſpicit, ſubintulit, Fili Timothee. Nõ enim cũ athoritate & ſeuero imperio, ſed ut filio hæc loquor. Dixit autem cõmendo, ut naturam rei accuratè indicaret, tum q; non ſint noſtra quæ habemus, ſed Dei. Quæ igitur dedit, ea ut cuſtodiamus par eſt.

Sacerdotes à prophetia creabantur.

Secundum præcedentes in te prophetias.] Doctrinæ ſiue inſtitutionis & ſacerdotij dignitas cum magna eſſet, Dei calculo indigebat, ut qui dignus eſſet, reciperet. Propterea antiquitus à prophetia creabant ſacerdotes, hoc eſt, à ſpiritu ſancto. prophetia enim eſt, præſentia etiã dicere. Hunc ad modũ Timotheus ad ſacerdotiũ & ſacram hanc functionem eſt electus. Quandoquidem autem prophetias dicit multas, fortaſſe quando ſuſceptus eſt in diſcipulum primùm, & quando circunciſus eſt & electus, omnia cum prophetia fiebant. Ait ergo, Præcipio tibi iuxta præcedentes in te prophetias: hoc eſt, ad illas reſpiciens, ueluti ab eis doctus, ut dicam tibi quid te deceat, Adhortor te ut dignè illis ambules, nec eas dedecore afficias.

Vt milites in illis bonam militiã.] Quid præcipio tibi? ut milites in ipſis: hoc eſt, ut nõ tranſgrediaris leges ipſarũ, ſed quemadmodum te ipſæ elegerunt, & ad quod elegerunt, ut milites bonam militiã. Eſt enim & mala militia, quãdo quis membra ſua exhibet arma peccato & impuritati. Militiæ autem meminit, ut indicet omnibus eſſe bellũ Chriſtianis acre, maximè uerò doctori. Proinde eum ſobrium eſſe decet, & uigilantẽ, neq; quicquam laxi oſtendere. B

Habens fidem & bonam conſcientiam.] Ne exiſtimes, inquit, cum prophetia ſacerdotio fungi tibi ſatis eſſe: uerùm oportet te habere fidem, ut uerbum rectè doceas, bonamq; conſcientiam, hoc eſt, uitam irreprehenſibilem comparaſſe. Ex hac enim eſt bona conſcientia, ut alijs præſidere poſsis. Vt enim imperatorem primùm oportet bonũ eſſe militem, hunc ad modum doctori conuenit ut habeat ea quæ à diſcipulis exigit. Hinc autẽ diſcamus, etiamſi doctores & præceptores fuerimus, ne dedignemur neq; aſpernemur ſuperiorum nobis cùm iudicia tum adhortationes.

Talis ſit doctor quales ſuos diſcipulos eſſe poſtulat.

Quam quidam repellentes, circa fidem ſunt naufragium paſsi.] Quam, bonam conſcientiã uidelicet. Nec immeritò: cum enim uita impura fuerit, dogmata etiã inde peruerſa naſcuntur. Vt eñ metu futurorũ non torqueantur impurè uiuentes, perſuadent ſibi omnia eſſe uana quæ de religione noſtra dicuntur. Quare qui fidem repulerit, cogitationibusq; & rationibus omnia permiſerit, naufragiũ facit circa fidem. fides enim portus eſt tranquillus, mentem & tranquillitatem transferens. Quæſtiones aũt fluctus ſunt, mentem ceu naufragum miſerabilem aliàs aliò rapientes, petrisq; & ſaxis allidentes, uel ſubmergentes etiam.

Ex quibus & Hymenæus & Alexander.] Animaduertis quomodo iam olim fuerint uani doctores à fide diſcedentes, rationes uanasq; quæſtiones ſequẽtes. Ne igitur etiamnum deficias, ſi eiuſmodi conſpexeris, ſed reſiſte illis.

Quos tradidi Satanæ, ut diſcant non blaſphemare.] Alios erudiens Satanas, quomodo ſe ipſe non inſtituit? Non dixit ut erudiat, ſed ut erudiantur. Non ille hoc efficit, ſed hoc ex re geſta accidit. Vt enim tortores innumeris referti malis, alijs cauſam præbent, ut moderatè uiuant: ſic & diabolus. Cur autem non per ſeſe Paulus puniuit, perinde ac illum Bariesum, ut Petrus etiã Ananiam? Vt cum uehementia & atrocitate pœnæ, maior ſit contumelia: atq; ut oſtendat ſe Satanæ imperare, ut ex eo maiorem eis terrorem & metũ incutiat. Imò & infideles ipſi puniebant, ut diſcerent ſe nõ poſſe latère. nam & Ananias incredulus erat, cum adhuc tentaret. Porrò qui hoc didiciſſent, atq; è fide euerſi eſſent, Satanæ tradebant, indicantes ipſis quòd non propria

Act. 13. & 5.

poteſtate

A potestate, sed ipso apostolorum carcere clauderentur. Vel quia eos qui emendari uo lebant, nō puniebant ipsi, incorrigibiles uerò ipsi puniebāt. Quomodo uerò tradeba tur satanę? Eijciebatur ex ecclesia, abijciebatur à charitate, tradebaturq; nudus lupo. Vt enim olim tabernaculū protexit nubes, sic & Christi ecclesiā spiritus paracletus. Si quis igitur extra hāc, etiā extra spiritū fuerit: & citra laborē ab alijs deinceps capi potest. Talis igitur excōmunicationis mulcta est. Deus etiā ipse, morbis tradēs & afflictionibus peccatores, erudit per hæc. Dum iudicamur enī à Domino, erudimur. Animaduerte autem, q rationibus inquirere diuina, sit blasphemare. Iniuria enim fit diuinis rebus, si quis eas humanis rationibus putet comprehendi posse.

Tradi satanæ.

Exod. 40.

1. Cor. 11

CAPVT II.

OBsecro igitur primum omnium fieri obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarumactiones, pro omnibus hominibus, pro regibus, & omnibus qui in sublimitate constituti sunt.] Primum omniū, id est, in quotidiano cultu. Etenim sacerdos ueluti cōmunis orbis terrarum pater, consistit omniū curam gerens, quem et pro cunctis oportet mortalibus preces fundere, perinde ac Deus cui sacrum facit, ac sacerdotio fungitur. Obserua hic magnā & latè patentem gratiam. nam Iudæorum preces eiusmodi non sunt. Nec dixit statim pro regibus, ut non uideatur adulari. enim uerò cum prius dixisset pro omnibus hominibus, tūc subiunxit, pro regibus. Etiamsi enim infideles fuerint reges, pro ipsis tamen orandum, tūc enim tales erant. Duo autem bona oriuntur ex eo q pro cunctis mortalibus intercedimus. Inimicitia dissoluitur, quæ nobis cum alijs est. nemo enī potest hostili animo esse aduersus eum pro quo preces ad Deum fundit. Ad hæc, meliores ipsi reddūtur, dum à uitijs, precū nostrarum auxilio transferuntur, utq; non adeò porrò erga nos efferantur, uenenatarumq; belluarū instar gerāt. Quàm enī arduū & magni momenti fuerit, eos q persequerentur, atq; cęderent, audire pro se interpellari apud Deum, orariq; ab ijs quos ipsi cæderent, & opprimerēt: Obsecratio aūt & oratio, & postulatio, ceu idem significantia ab apostolo sunt assumpta ob perspicuitatē, quippe qui tot uocū cōgerie ineuitabiliter citra recusationē facere efflagitet quod postulat, & ad quod hortatur. Nōnulli inter hæc discrimē curiosè fecerūt, asseuerātes δέησιν, id est obsecrationē siue deprecationē, esse supplicationē quæ offertur pro liberatione è tristibus adeoq; duris: προσευχὴν uerò, id est orationē, petitionē esse bonorū: ἔντευξιν aūt, id est, postulationē, siue interpellationē, accusationē impiè agentiū, & iniuriā inferentiū, qui sint incorrigibiles. Contēplare aūt quō & gratias agere iubemur pro beneficijs in alios collatis. q solem suū oriri faciat super bonos & malos, q omnes bonis suis impleat, & infideles, & blasphemos. Ex hoc autem ad fraternā charitatem conglutinamur, unimur, & cōiungimur. Qui enim gratias agit pro proximi bonis, nónne cogitur amare etiam ipsum? Multo igitur magis pro beneficijs in nos collatis gratias agere oportet.

B Vt tranquillam & quietam uitam agamus.] Quia uerisimile erat Christianorum animū turbari, si iubeatur mysteriorū tempore orare pro infidelibus regibus: lucrū apponit, ut uel sic adhortationem recipiamus. Illorum nanq; salus, inquit, nostra est tranquillitas. bellum enim gerunt, ut nos extra metum simus. Quomodo igitur non iniquum est, illos pro nostra securitate pericula subire, nos uerò ne labia quidem aperire uel mouere ut pro ipsis interpellemus?

In omni pietate & castitate.] Hoc adiecit, q plerisq; à bellis tranquillitas, deliciarum & iniuriæ occasio fiat, ex quibus praua etiā dogmata nascunt. Vt igit uiuamus, inquit, nō in delicijs aut iniuria, sed in omni pietate, omni inq;, nō ea solū quæ est in dogmatib. uerū ea etiā quæ est in uitæ ratione. Est enī & in uita impietas, ut cum ait, Deum confitentē se nosse, factis aūt negāt: uel in puritate etiā quę ab omnibus hæresibus sit disiūcta. Similiter & in omni castitate, siue honestate, non solùm quæ est à libidine, sed quæ in omni uirtute cerni debet. Oportet igitur nos pacē habentes ab exterioribus, in anima pariter esse pacatos, uiuentes in omni pietate & castitate: tum enī uerè tranquillā et quietam uitam duxerimus. Tria sunt enim bellorū genera: unum, q̄d à barbaris: alterū, quod priuatim aduersum nos gerit ab his q nobis infensi sunt: tertiū, q̄d intra nos ex prauis motibus excitat. Bellū igitur quod à Barbaris ingruit, regū industria atq; uirtus sedat, quibus et nos orationib. succurrere opus est. Reliqua

Ad Tit. 2.

Bellorum genera tria.

autem duo nos ipsi sedare debemus, hac sanè ratione, ut illud quod ab oforibus nostris nobis infertur, mansuetudine uincamus, atq; orationib. nostris afflictiones compensemus: istud uerò quod in nobis cõsurgit, per omnia iustitiæ arma exuperemus. A

Hoc enim bonum & acceptum est coram seruatore nostro Deo.] Hoc, quale? Orare pro omnibus, & infidelibus & hæreticis. Natura etiam bonũ est, omnes enim eiusdem sumus naturæ consortes: Deo uerò gratum est & acceptabile.

Qui omnes homines uult saluos fieri, & ad agnitionẽ ueritatis uenire.] Si omnes homines illic uult seruari, uelis & tu, atq; imitare Deum: si aũt uis, ora. At si ipse hoc uult, dicet aliquis, quid opus habet meis precibus? Imò plurimum hoc ipsis commodat, siquidem ad charitatem eos trahit, téque rursus non permittit in belluinam rabiem permutari. Inde autem uerisimile est eos etiam ad fidem adduci. Salutem enim quæ ex fide est, intellige: & ad agnitionem autem ueritatis, hoc est fidei in ipsum: sola enim ipsa est ueritas.

Vnus eñ Deus, unus & mediator Dei & hominũ homo Iesus Christus.] Cum dixisset Deum omnes uelle saluos fieri, confirmat iam hoc, inquiens: Propter hoc, inquit, & filiũ suũ mediatorẽ misit, ut reconciliet ille seipsum hominibus. Quomodo igitur nõ seruati sunt omnes? quia nolunt. Porrò cum ait, Vnus Deus, nõ ad differentiam filij dixit, sed idolorum. Quòd enim Deus sit, uel inde liquet, q̃ mediator sit, mediator enim duorũ quorũdam medium est, ac utrorumq; debet esse particeps. Quia igitur filius, Dei & hominum mediator est, amborũ est particeps: quippe qui Deus sit & homo. Duæ naturę, & idem tamen, uel duas naturas in se ipse complexus: neq; Deus nudus, non enim suscepissent eum inter quos debebat esse mediator: neq; homo nudus & simplex, apud Deũ enim causa agenda erat. Non dixit autem manifestè de diuinitate Christi, quandoquidem deorum multorum cultus tunc uideret: ne & ipse existimetur multos deos adducere, neq; unus & unus uoces hîc componere conuenit, ac dicere duos deos, uerùm unus et unus, tanta nanq; scripturę est religio, ut cautè de Deo loquatur. Hinc neq; spiritus hîc meminit, ut ne uideatur multorum esse cultor deorum. B

Qui dedit seipsum preciũ redemptionis pro omnibus.] Etiam Græcis & infidelibus gẽtibus. En ille pro omnibus mortuus est, tu uerò orare nõ sustines. Obserua autem: Qui dedit seipsum, aduersum Arrianos hoc pugnat, qui affirmãt q̃ inuitus sit traditus. Quid uerò est ἀντίλυτρον, redemptionẽ siue preciũ redemptionis? Natura erat obnoxia interitui, reaq; mortis, pro illa itaq; seipsum dedit.

Testimonium.] Hoc est, per testimonium filius factus est precium redemptionis: uel interpretãs hoc, dicit nunc redemptionis preciũ, testimoniũ siue martyriũ dico, hoc est, passionem. Venit enim testimonium dicturus ueritati aduscq; mortem: etenim ipse † spiritũ manifestauit, ueramq; doctrinam & institutionem & ueram atq; euangelicam uitam ipse introduxit.

† πνεῦμα id est spiritum habet codex Basiliẽsis, sed eum ueteri interprete et Oecumenio malim πατρὶ id est, patrẽ legere: scriptura enim per abbreuiationem eadem ferè est.

Temporibus suis.] Id est, conuenientibus.

Ad quod positus sum ego præco & apostolus.] Ad quod testimoniũ positus sum ego præco, ut prædicem illud, hoc est, crucem & mortem Christi. Nec simpliciter præco, ut uni loco tãtum prædicem, uerumetiam apostolus, ut quócunq; circumeã. Porrò magna est apostoli dignitas, eam ob rem apostolatum hîc sibi uendicat.

Veritatẽ dico, nõ mentior, doctor gentium.] Autoritatẽ & fidem uerbo suo conciliat. Quia enim alij apostoli ad hoc officiũ torpebant, partim q̃ execrarentur gẽtes, partim uerò q̃ eas nõ susciperent: Ego, inquit, uerè segregatus sum doctor gentiũ. Si igitur etiam filius Dei pro gentibus mortuus est, egoq; ipsarum sum præceptor ac doctor, tu ne deses esto, ne pigriteris pro eis orare, precesq; ad Deum fundere.

In fide & ueritate.] Animaduerte rursus quid dicat. In fide, inquit, nõ syllogismis aut logicis demonstrationibus, uerùm in fide. Deinde ut ne existimes impostúram esse hanc rem, subintulit, In ueritate. Non enim est, inquit, quod in fide docetur atq; traditur, mendacium, sed in ueritate traditur.

Matt. 6. Volo ergo uiros orare in omni loco.] Quî igitur Christus in omni loco prohibet orare, dehortatur enim & auocat ne in plateis isthuc faciant, quin in cubiculum ingredi iubet atq; secedere? Atqui Christus non uetuit in omni loco orare, uerùm ex abundanti

A abundanti docens ne ísthuc faciant ad ostentationem, laudem aut uanam uenantes gloriolã, cubiculi meminit: perinde atq; cũ dicit, Nesciet sinistra tua quid faciat dextra, non de manibus hoc dicit, sed uehementer ac modis omnibus docet in eleemosynis faciendis uitandam esse uanam gloriã. Propterea & diuus Paulus in omni loco uult orare uiros, tanquã Christus hoc non prohibuerit. Hoc autem dixit ad distinctionem Iudaicæ orationis, illa enim in uno loco circunscripta erat, templo uidelicet quod est Hierosolymis. Nobiscum autem non sic agitur: gratia enim incircunscripta est, ac quemadmodum pro cunctis Christianus orat, sic & in omni loco. *Ibidem.*

Leuantes puras manus.] Nõ locum orationis, sed modum exactum esse, probeq; teneri conuenit. Puras uerò manus expetit, id est, mundas ab auaritia, à rapina, à cædibus, à uerberibus, eleemosyna florentes ac plenas. *Manus puras.*

Sine ira & disceptatione.] Hoc est, absq; iniuriarũ recordatione & cõmotione ad uindictã aduersus fratrẽ. Disceptationẽ aũt hęsitationẽ uocat, hoc est, ut ne dubitãter & cũ hæsitatione accedas, sed credẽs, & nõ dijudicãs, hoc est, ambigẽs an accepturus sis an nõ quę petis. Quomodo igitur ísthuc erit: Si nihil petas cõtrarium, si nihil indignum tanto rege, si omnia spiritualia, si cum sanctis ac puris manibus, & sine ira.

Similiter & mulieres.] Volo, inquit, etiã ipsas sine ira & discepattione sanctas manus attollere, non rapaces, non auaras. Cum enim maritũ cogit uxor gẽmas ei prębere & ornamenta aurea, is autem aliena rapit, ipsa omnino rapinæ est obnoxia.

In habitu †honesto, cũ uerecundia & sobrietate ornare seipsas.] Maius & eximiũ quiddã à mulieribus postulat, nẽpe ut uestiant honestè & non curiosè, hoc eñ est inhonestũ. κατασυλλὼ autem habitũ longiorẽ dicit, hoc est, ut undiq; circũcircaq; uestiant & cõtegantur, & ne impudenter detegantur. Infert eñ, cum pudore ac temperãtia, †κοσμίῳ, *ornato, honesto, modesto.*

Non intortis crinibus aut auro, aut margaritis, aut ueste preciosa.] Venit enim ut oret, nõ ut tripudiet. Quomodo igitur plicaturas adhibes capiti cæsariem nimirum
B plicans, & calamistro adornans, & margaritas alias quidem suspendens, alias corpori tuo circunponẽs, alias uerò calciamentis etiam adnęciens & accõmodans, quæ est extrema iniuria, idq; ex lachrymis pauperũ, uiduarũ, & orphanorũ. Priuas uiduam rudi ueste, ut tu pedibus calces margaritas. nónne igitur magna Dei tolerantia? Venisti petitura remissionem peccatorũ, ac tanquã scenam sis ingressura comica muliercula, te exornas? Bella hæc compunctio, teq; omnino exaudiet Deus, quę pauperum lachrymis es amicta? Porrò si quæ diuitiarũ tantum sunt indicia, prohibet Paulus, multo magis quæ curiositatis sunt & luxus, ut infectiones genarum, & picturas oculorum, uocem infractam, oculum † lubricum, idq; genus alia. †ὑγρὸν

Sed quod decet mulieres, promittentes pietatẽ per opera bona.] Sed ornare se per opera bona, deinde per mediũ interserit. Hoc enim decet Christianas mulieres, quæ uerum Deum colunt. Vel aliter etiam: quia licet & fieri potest ut aliquis uerbis promittat pietatem, adiecit, Per opera bona.

Mulier in silẽtio discat, cum omni subiectione.] Nõ solũ ad habitũ usq; & uestitũ ornata sit mulier, uerũetiã usq; ad uocẽ. Neq; loquaẽ eñ, inquit ne de spiritualibus quidem, cæterùm discat tantũmodo: hoc autem ipsi potius eueniet, si quieta fuerit.

Mulieri aũt docere nõ permitto, neq; dominari in uirum, sed esse in silentio.] Omnẽ loquẽdi occasionẽ ademit fœminæ. Postq̃ eñ tacere præcepit, ne cõmodo præ textu docendi loquaẽ, ne doceãt, inquit: hoc enim est ipsas ius habere & autoritatẽ in maritũ. Atqui mulieri, obedire atq; subdi mandatũ est. Ad uirũ tuũ enim, inquit, *Gen. 3.* conuersio tua. proinde decet eam esse tranquillã ac tacitã. per silentiũ enim maximè subiectionem monstrabit. Noueris autem q̃ non simpliciter mulieres docere uetet Paulus, sed in ecclesia. priuatim enim domiq; suæ non sunt prohibitæ, quandoquidem Prisca Apollinem instituerit. Et fidelis mulier infidelem uirum instituit. *Act. 18. 1. Cor. 7.*

Adã enim primus formatus est, deinde Eua[.] Quia, inquit, primas partes obtinuit uirorũ genus in creatione, ac secundo loco formata est Eua, debent ergo in posterũ etiam reliquæ fœminę secundas obtinere, obedireq; uiris. Quod enim tum in Adamo aut Eua contigit, uniuerso sanè generi cùm uirorum tum mulierum contigit.

Et Adam nõ est seductus, mulier autem seducta in pręuaricatione fuit.] Quomodo Adam nõ est deceptus? Quia neq; scriptura hoc testatur, sed mulier inquit, serpẽs

Gen.3. Adã non est deceptus, sed Eua.

ipse decepit me. Adã autem non dicit, Mulier imposuit mihi: sed, Dedit mihi. Non est autem idem & æquale persuaderi ab eiusdẽ generis socio & adiutore, et à bellua serua & subiecta. illud itaq; deceptionis fuit. Ad comparationem igitur fœminæ, dicit ipsum non esse deceptum. imò nec Adam quidem lignum uidit quòd bonũ esset ad cibum, sed mulier conspicata seducta est: deinde marito etiam sic suo dedit. Illa itaq; à cupiditate seducta est, is uerò à muliere persuasus est. Dicit igitur: Semel mulier docuit, & omnia subuertit: eam ob rem non doceat genus illud muliebre. Leue nanq; est, quodq; facilè recipiat & facilè seducatur. Expende porrò, nõ dixit, Eua decepta: sed, Mulier, de ipsa uidelicet muliebri natura disputans. perinde nanq; ut in Adam omnis natura moriebatur, sic per Euam in omnes leuitas peruasit, per quam leuitatem sanè ipsa transgressio locum habuit in ea primùm. A

Saluabitur aũt per filiorũ generationẽ.] Quis, uel quæ: Eua? ne: Nõ, sed mulier, id est, muliebris natura. Ne cõtristemini, inqt, ô mulieres, dedit uobis Deus occasionẽ salutis, filiorũ generationẽ: hoc est, ut geniti rectè educentur. Non enim satis est gignere, uerùm institutionẽ etiã accedere necessum est, hæc eñ reuera liberorũ est generatio. Quòd si liberorũ hæc generatio nõ sit & educatio, corruptio certè erit corũdẽ, nõ generatio. Quid igitur cum uirginibus, quid sterilibus ageture perierũt: haudquaq;, nõ enim hoc dicit q̃ ex propria uirtute non seruentur, sed q̃ liberorũ educatio sit ipsis occasio futurę salutis. Est enim planum, honestam uirtutibusq; comptam fœminam liberos suos pariter ad uirtutem instituere: nam uirtutem quæ illi est insita, simul transfundit in sua pignora. Igitur & uirgo uirtutibus redimita, citra controuersiam seruabitur. Mihi autem uidetur, quòd quandoquidem uetuisset ne mulier doceret, uelut eam nunc consolans tradit ei quos doceat. Si enim docere expetis, institue liberos tuos. Nonnulli uerò haud scio qua ratione persuasi, per liberorum generationem intellexerunt progenerationem Deiparæ uirginis matris. ipsa enim genito seruatore, saluas reddidit, inquiunt, mulieres. Verùm prorsus nihil cohæret hęc sententia, neq; conuenit cum sequentibus. audi enim. B

Si permãserint in fide.] Filij uidelicet, id est, si cõseruarint uerã fidẽ atq; doctrinã.

Et charitate.] Hoc est, recta uita. Non enim satis est fides: caput autem & fons rectæ uitæ est charitas.

Et sanctificatione cũm sobrietate.] Sanctificationem corporis puritatem intelligit. Quia autem nõ omnes sunt uirgines, apposuit, Cum sobrietate uel temperantia. σωφροσύνην enim dicitur, de ijs qui legitimè in matrimonio cõuersantur: uel σωφροσύνην mundiciem simpliciter dicit. Quid igitur si mater prauis & impudicis infecta moribus, rectè liberos educauerit: haud uerisimile est ut faciat: attamen si contingat, accipiet pro his mercedem. Quid uerò si bona & honesta sit, liberos uerò suos malos toleret: Quòd si eos negligat, illisq; indulgeat, habebit exemplum pœnæ & uindictæ id quod Eli contigit. Quòd si omnia fecerit, & nihil quod ad curam attinet prætermiserit, non potuerit tamen ad rectum perducere tramitem liberos, quod raro euenit, attamen non fraudabitur sudorum suorum mercede: quandoquidem & filius Dei nihil non faciens & dicens, paucos tamen habuerit qui sibi morem gesserint.

1. Reg. 3. 4.

CAPVT III.

FIdelis sermo.] Quia ambiguũ erat, possent ne liberorũ suorũ uirtute frui matres, nẽcnẽ, subdit, Fidelis sermo: non est mendaciũ quod dictum est, nemo dubiter.

Si quis episcopatum desiderat, bonum opus desiderat.] Quę Timotheo de episcopatu iniungit & scribit, omnibus in uniuerso terrarum ambitu iniungit & differit. Si quis expetit, inquit, præsulatum aut præfecturam, non prohibeo: opus enim desiderat, ne igitur dominatum & autoritatem solam expetet, quandoquidem & Moses laborem desiderarit, non potestatem. præfuit enim iniuriam passo, feriens eum qui iniuriam intulerat. Episcopatus enim dicitur ἀπὸ τοῦ ἐπισκοπεῖν πάντας, id est, ex eo q̃ omnes speculetur, illisq; prouideat.

Exod. 3

Oportet igitur episcopum irreprehensibilem esse.] Hoc est, omni uirtute conspicuum, neque ab alijs neque à seipso reprehendi. Itaque si quis sibi sit ipse peccatorum conscius, ne desideret episcopatũ, à quo per seipsum praua opera eiecit. Præsidẽ enim ac principem, ueluti stellam & illuminatorem decet esse, ut ad ipsum omnes desi-

defigentes oculos, illustrentur atque ducantur in rectam uiam.

A Vnius uxoris uirum.] Si quis duxit uxorem, solicitus est, & anxiè curat res huius mundi, episcopū uerò non cōueniat in huius mundi negocijs solicitū esse, qui dicit, Vnius uxoris maritum? Nonnulli hîc dicunt q̄ obscurè & clanculum cœlibem hîe indicarit uel petiuerit. Quòd si fieri hoc non possit, habeat coniugem unam, uerum tamen sit tanquam non habeat, hoc est, non redigatur in seruitutem cupiditatum ip sius. Porrò non ut legem sanciat, hoc dicit, q̄ omnino oporteat episcopū uxoratum esse. qui enim istuc statuerit, cum aliàs dicat, Volo uos omnes esse sicut meipsum? ue rum quia tempus ita tum postulabat. At si cōtingat, inquit, sit unius uxoris uir. Id ue rò Iudæorū causa dicebat, illis enim permittebat polygamia, hoc est cum multis con nubia iungere. Quidā hîc, uerū citra omnē rationē, senserunt Apostolū hæc de eccle sia dicere. Ne transeat, inquit, ab ecclesia ad ecclesiam: hoc enim totū est adulterium. 1. Cor. 7.

Sobriū.] Hoc est acutum, perspicacē, mentis cōpotem, qui curis & moerore non mergatur aut obruatur, sed semper expergefactū, ut omnia uideat, omnibusq̄ astet.

Temperantem.] Hoc est, moderatum.

Ornatum.] Id est, honesto habitu qui uirum grauem deceat.

Hospitalem.] Si enim indigenis tantum commodat, affectu laborat. Oportet igi tur eum erga externos & peregrinos candidiorem esse ac simpliciorem: hoc enim maximè ad fraternam charitatem attinet.

Doctorem.] Qui docere possit. Præmemorata sanè à subditis etiam exiguntur, hoc uerò maximè omnium episcopo adesse conuenit

Non uinolentum.] Non uinosum uel ebrium hîc dicit, sed eum qui uim faciat cæ teris, & sit elatus.

Non percussorem.] Non eum qui manibus feriat tantummodo, hic dicit, sed eum qui importunè feriat fratrum conscientiam.

B Sed modestum, non litigiosum, non auarum.] Docet quomodo non sit uinolen tus uel percussor. Si modestus, inquit, fuerit & à pugna alienus. Quoniam uerò su prà dixit quòd oporteat eum esse hospitalem, adiecit nunc, auaritia carentem, simul quidem docens, quis sit hospitalis, nempe qui non est auarus, simul etiam ut ne occa sione hospitum thesaurizet.

Qui suæ domui bene præsit.] Hoc & auctores exteri dicunt, quòd is qui œcono micus sit, idem etiam politicus citò fuerit.

Qui liberos habeat in subiectione, cum omni castitate.] Oportet enim eum dome stica præbere exempla. quis enim credat eum alienum subiecturū, si filium non subij ciat? Quomodo alios castos & honestos faciet, qui propria uiscera sinit impudicè & inhonestè uitam ducere? Cum omni castitate dicit siue sanctimonia quæ sit & in uer bo, & habitu, & opere, cùm ad omnes, tum in omni tempore.

Si quis autem domui suæ præesse nescit, quomodo ecclesiæ Dei curam habebit?] Nihil enim aliud est domus quàm parua ecclesia. Si igitur modicæ & facilè circun scripti & cognoscibili non possit præesse, quomodo tot animarum mentes quas co gnoscere non possit, gubernabit? Haud ab re porrò fuerit hic quærere, cuius rei cau sa, qui à uulgaribus & laicis postulet, Occidite membra uestra quæ super terram sunt, & iterum, Qui uerò sunt Christi, carnem suam crucifixerunt: nunc uerò ab epi scopo requirit exigua quædam, ac tanto fastigio indigna, Ne sit uinolentus, neque percussor, & quæ sequuntur? Atqui Christus etiam iubet ut crucem tollamus, &, Pa stor, inquit, bonus, animam suam ponit pro ouibus suis. Debebat igitur Paulus ab e piscopo potius ut angelicam uiueret uitam, exigere, quæ affectibus careret, quan tum ad dignitatis summitatem attinet. Audi igitur, Quoniam paucos exactæ huiu modi uitæ liceat inuenire, Episcopis autem multis in quauis urbe opus erat, qui a lijs præessent, propterea moderatam ab eis uirtutem postulauit, quæ in multis inueni ri potuit. At nunc prò dolor, quo excidimus episcopi, ut adeò ne umbram quidem adeò moderatæ uirtutis in nobis deprehendi liceat? O parce nobis Domine. Coloss. 3. Galat. 5. Luc. 9. Ioann. 10 Matt. 2

Non neophytum.] Non hîc iuniores natu dicit, quandoquidem & Timo thæus iuuenis erat, quemadmodum discemus dicente Paulo, Nemo adolescentiam tuam contemnat: uerum eum qui nuper in fide sit institutus. Ego enim, inquit, plan

rauí. Quia enim ex Græcis ad fidem accedebant, & baptizabantur, non, ſtatim, inquit, recens baptizatus ad tantum principatum ducatur. A

Ne in ſuperbiam elatus in iudicium incidat, & laqueum diaboli.] Si priuſquã bonus & perfectus fuerit diſcipulus, eum eſſe doctorem contingat, inflabitur, inquit, & in iudicium & condemnationem ſatanæ incidet, quam ob arrogantiam ſuſtinuit.

Oportet autem ipſum bonũ etiam teſtimonium habere ab ijs qui foris ſunt.] Hoc eſt, à Græcis & infidelibus, ut & illi nõ habeant quo poſsint eum carpere aut reprehendere, ſed potius eum reuereri & uenerari. Quid uerò ſi uideat bonus & non ſit? Difficile ſanè hoc eſt, neque facilè fieri poteſt ut nequitia contegatur, quandoquidem & prorſum honeſtos & uirtute conſpicuos, hoſtes reprehendant: uerumtamen neque hoc ſolum reliquit, ſed cum alia uirtute dixit, Oportet ipſum teſtimonium habere bonum. Quid igitur ſi calumniẽtur, falſóque illum accuſent? At uerò hoc fieri non ſolet. nam qui inculpatæ uitæ eſt, illum & ipſi uenerantur. Vituperant quidem dogma, ſed non ipſius uitam, quemadmodum apoſtolos non dicebant fornicatores, neque reprehendebant tanquam libidinibus deditos, ſed impoſtores, quod ſolius erat prædicationis & uerbi. Si uerò demus hoc fieri per calumniam & ſycophantiam, ut epiſcopus criminibus quibuſdam notetur falſò, non conſtituatur epiſcopus: nõ decet enim nonnullorum animos propter lumen & illuſtratorem
Matt. 5. ſuum perturbari. Luceant enim, inquit, opera ueſtra, ut uideant homines. Quòd ſi ab hoſtibus teſtimonium requirendum ſit, multo magis ab amicis.

Vt non in opprobrium incidat.] Græcorum enim conuicijs & opprobrijs exponendus erat, quod & prædicationis adeoq; uerbi impedimentum eſt.

Et laqueum diaboli.] Siue quòd celeriter eum tollent illi, uel quòd in eadem peccata incidet, in quæ illi. Porrò in offendiculum multis quempiam uel quicquam proponi, laqueus eſt diabolicus.

Diaconos ſimiliter.] Cur autem hîc presbyteros prætermiſit? Quia quæ de epiſcopis dixit, ea presbyteris etiam conueniunt. nam & ipſis docendi munus & præfectura eccleſiæ commiſſa eſt, ſola electione inferiores. Diaconis igitur ſimiliter, id eſt, eadem ineſſe debere ait, nimirum quòd ſint hoſpitales, modeſti, non pugnaces, idque genus alia. B

Pudicos.] Præter commemorata iam eniteat etiam in eis caſtitas uitæq; puritas & honeſtas.

Non bilingues.] Hoc eſt, fictos, doloſos, alia corde ſentientes, alia ore proloquentes, aliaq; his, alia uerò illis.

Vino multo non ardendum.
Leu. 10.

Non uino multo deditos, non turpe lucrum ſectantes.] Non dixit, non temulentos, ſiue ebrios, hoc enim omnino eſt indignum, uerùm non multum potentes. Etiãſi enim non ſint temulenti, potatio tamen multa animæ mentiſq; uim luxat. Apud uereres enim, templum ingredientes omnino non utebantur uino. Turpe lucrum ſectans autem eſt qui nihil quæſtus, undecunq; etiam prouenìat, reijcit. Hic autem pro non auaro accipe, non turpi lucro inhiantem.

Habentes myſterium fidei in pura conſcientia.] Hoc eſt, qui præterquam quòd ſynceram doctrinam retineant, uitam etiam irreprehenſibilem habeant. Pura enim conſcientia eſt in uita quæ non damnatur.

Et hi aũt probentur primùm, deinde miniſtrent, nullum crimen habentes.] Quẽadmodum epiſcopum poſtulaui qui nõ eſſet neophytus, ſic & hos nolo non probatos ſanè produci atq; prouehi, cæterùm tempore exploratos, ita ut irreprehenſibiles & inculpati ſint uiſi, ſicut recens empto ſeruo non ſtatim quiſquam domus ſuæ curam committet, priuſquam tempore probatus uideatur.

Mulieres ſimiliter caſtas.] Non de quibuslibet mulieribus hæc dicit, cæterùm de his quæ miniſtrant. Admodum enim & neceſſarium & utile eſt hoc mandatum eccleſiæ, niſi enim de his loqueretur, quid erat neceſſarium, cum de diaconis uerba faceret, ad mulieres ſermonem traducere?

Non detrahentes.] Hoc eſt, nõ obtrectatrices, quod anus ſolent ædes circumeũtes atq; de hac ad illam murmurantes.

Sobrias.] Hoc eſt, uigilantes & expergefactas. Poſtquam enim leue hoc, et facilè

decipi

decipi possit genus hoc, operæprecium est eas uigiles esse & prudentes.

Fideles in omnibus.] Hoc est, constantes cùm uerbo tum operibus.

Diaconi sint unius uxoris uiri.] Obseruas quî eandem à diaconis uirtutem exigat, quam ab episcopis: Etenim peræquè casti & irreprehensibiles debent esse.

Qui filijs bene præsint, & suis domibus.] Vbiq; liberorum curam ponit, ut ne ex horum negligentia cæteri scandalum patiantur.

Qui enim bene ministrauerint, gradum sibijpsis bonum' acquirunt, multamq; fiduciam in fide quæ est in Christo Iesu.] Gradum, id est progressum. Qui enim in inferioribus ostendunt sese diligentes ac uigiles, celeriter ad superiora uenient, ut multã fiduciam & libertatem in fide habeant, hoc est, ut celebriores efficiantur, nõ in mundanis dignitatibus, nõ in pecunijs, sed in fide, quod est, in omnibus quæ sunt secundũ fidem & uerbis & operibus. Huiusmodi sunt in ecclesia fulgentes è diaconis in presbyterio & episcopali gradu.

Hæc tibi scribo, sperans me uenturum ad te' citò: si autem tardauero, ut scias quomodo oporteat te in domo Dei conuersari.] Vt ne de his præcipiendo in tristitiam conijciat discipulum, ceu Paulum non sit porrò ipse uisurus, Non propterea, inquit, hæc scribo, tanquam porrò nõ sim uenturus, ueniam enim: at uerò si contingat me tardare ut habeas formulam & exemplar quomodo te oporteat uiuere. Bene autem dixit, sperans. Quum enim spiritu ductus ignoraret quò sibi abeundum, non immeritò dubitat de ad Timotheum accessu.

Quæ est ecclesia Dei uiuentis.] Ne enim spectes quod ex hominibus ipsa sit constructa, Dei enim est uiuentis. Id est, terribilis & ultoris, non mortui & infirmi, quales sunt Græcorum diji uani.

Columna & firmamentũ ueritatis.] Hîc ad Iudaicũ alludit templũ, ecclesiamq; ei cõfert. Siquidẽ illud habebat figuras & umbras, ueluti tintinnabula & mala punica, & pontificem cum uictimis. Ecclesia autem, ueritatis est constitutio: omnia nanq; quæ in ea peraguntur, uera sunt, & nihil in ea est umbrosum, qualia sunt quæ lege sanciũtur. Pro tintinnabulis enim uerbũ & prædicatio est splendida: pro malis punicis uita est coronata, intus fructum habens. Porrò pontifex uictima & sacrificium filius Dei: tingens autem diuinum ipsius corpus. 3. Reg. 7

Et manifestè magnum est pietatis sacramentum.] Sacramentũ siue mysterium est ipsa pro nobis œconomia siue dispensatio. Magnum sanè hoc mysterium siue arcanum est, ad pietatem pertinens, ac reuera magnum: non enim quisquam de hoc dubitat. Quomodo autem arcanum quod omnes nouerunt? maximè sanè, nõ omnes nouerunt. Etsi autem omnes nouisse uideantur, id hodie euenit, antehac uerò non omnibus palàm fuit. Et aliter, quòd Deus incarnatus est, omnes nouerunt: quomodo uerò, occultatum est, eamq; ob rem mysteriũ est, & sacramentum charitatis Dei erga nos, siquidem mysterium suum omnino nobis patefecit.

Deus manifestatus est in carne.] Quia de sacerdotibus præcipiens, nihil tale dixit quale est in Leuitico. Nemo, inquit, demiretur si non huiusmodi tenuia requirã: magnum est quod nostrũ est, cui nihil quod in Leuitico traditur, simile est. Deus manifestatus est, quomodo? in carne, secundum nanq; diuinitatem est inuisibilis. Leu. 18.

Iustificatus est in spiritu.] Vel hoc dicit, q; quia omnia faciens ad salutẽ mortaliũ, obduratis quibusdã nõ persuasit, ipse tamẽ iustificatus est, utpote qui quod suũ erat fecerit: uel quoniã peccatũ nõ fecit, nec inuentus est dolus in ore eius: at alij quidem iuxta legem iusti, spiritu seruitutis detinerẽtur. metus enim & pœnas cõtinebat lex, quippe quæ non haberet spiritum adoptionis. Dominus autem omnem iustitiã impleuit in spiritu sancto, cum quo homousius erat, id est eiusdem substãtiæ, habens ipsum naturaliter secum manentem ac per seipsum nobis communicans atq; donans ut per illum iustificemur. Qui enim secundum euangelium iusti, reuera spirituales longè præcellunt eos qui olim in lege iustificabantur. 1. Pet. 3.

Apparuit angelis.] O' mysteriũ nobiscũ uiderũt angeli filiũ Dei, antea nõ cernentes. Enim angeli, inquit, accesserũt & ministrabãt ei. Ac simpliciter à tẽpore quo natus est, tãtisper dum in cœlũ receptus est. In natiuitate enim angeli eum celebrabãt, & annũciabant pastoribus ipsius natalem, tum in assumptione angeli ministrabant, Matt. 4. Luc. 2. Act. 1.

Prædicatus est gentibus, creditus est in mundo.] Gentibus desperatis & eiectis: nec prædicatus est tantùm, uerumetiam creditus est uniuerso mundo, quod ingens est potentiæ & ueritatis eius qui prædicabatur argumentum. A

Assumptus est in gloria.] Hoc est, in nubibus, angelis etiam ministrantibus. Nam in cœlum assumptus est, non iuxta Eliam uelut in cœlum, ut ne dicam quòd & ipsa assumptio sit gloria.

CAPVT IIII.

SPiritus autem manifestè dicit.] Hoc est palàm, perspicuè, & non adumbratè, sicut consuetudo est prophetiæ.

Quod in posterioribus temporibus deficient quidã à fide.] Quia supra dixerat q̃ nonnulli naufragium essent passi circa fidem. Ne mireris, inquit, quosdam etiamnũ Iudaizare. nam tempus aduenier quando peiora designabunt qui Christiani uideri uolunt. Hæc aũt de Iudæis non dicit, siquidem illi prioribus temporibus floruerunt, sed tum etiam de Marcionistis, Encratistis, Manichæis, & uniuersa illorum officina.

Hæreses à dæmone oriuntur.

Attendentes spiritibus impostoribus, ac doctrinis dæmoniorum.] Ab his enim correpti & incitati, tum cibos, tum nuptias calumniabantur. Notat autem & omnes alias obscurè hæreses, omnes enim ex deceptione ac doctrina dæmonum oriuntur. Apertè autem earum nõ meminit, ut ne iam uel inde animis eas inserat: uerùm quæ iam cœperat, demonstrauit, ciborum nimirum & nuptiarum hæresim.

In hypocrisi loquentiũ mendacium.] Hoc est, ea quæ mentiuntur, non per ignorantiam mentiuntur, uerùm scientes uana esse, simulant se tanquam uera docere.

Et cauteriatam habentium suam conscientiam, prohibentium nubere.] Hoc est, prauæ uitæ. Quia uerò conscij sibi sunt multæ impuritatis, propterea conscientia eorum indelebiles habet inustas notas sordidæ uitæ, ac nuptias reprehendit calumniaturq̃. Nam si pura esset ipsorum uita, conscientia simul munda fuisset, nec criminata esset, quibus Deus benedixit: quemadmodum stomacho laborans cibos reprehendit ac reijcit, cum ipse in seipso prauis sit humoribus infectus. Quid igitur? nunquid & nos matrimonium prohibemus? haudquaquam, cæterùm eas quæ nubere nolunt, ad uirginitatem adhortamur: honoratior enim est ipsa. Atqui nuptiæ propterea non sunt ingloriæ nec honore carent, quemadmodum neq; quia aurum pretiosius est, argentum contemnitur & precio caret: Quod uerò pretiosius est, precioso pretiosius est: & quod melius est, bono melius est, non malo. Qui ergo potest, uirginitatis aurum retineat: si uerò non possit isthuc, matrimonij argentum recipiat. B

Abstinere à cibis, quos Deus creauit ad percipiẽdum cum gratiarum actione fidelibus.] Non debes hîc repetere prohibentium, sed subaudiendum est, consulentium abstinere à cibis. Quid uerò? nónne & infidelibus Deus cibos creauit? Næ, sed ipsi seipsos arcent. Quid igitur? nónne deliciæ sunt prohibitæ? Omnino, sed nõ ipsa sumptio siue participatio. nam participatio mediocritatem habet, deliciæ uerò & luxus immoderationem. Quinetiam ipsæ deliciæ non ueluti immundæ sunt prohibitæ, uerùm quòd animum per immoderatum usum dissoluant.

Et ijs qui cognouerũt ueritatẽ.] Iudaica igitur figura erãt, nũc uerò ueritas regnat.

Leuit. 11. Vetabantur autem Iudæis multa, non q̃ immunda essent, uerũ ut à luxu cohiberentur, utq̃ à multis rebus coerciti & boues & pecudes mactãtes, agnoscerent qualésnã deos fecissent Aegyptij. Per ueritatem igitur, aut fidem in Christũ intelliges, uel simpliciter ijs qui cognouerunt ueritatem. Qualem & statim infert.

Gen. 1. Quod omnis creatura Dei bona est.] Omnia, inquit, ualde bona erãt. Dicens aũt creaturam Dei, de omnib. cibis qui sunt edendo, clàm loquutus est. Iamq̃ hîc reuellit hæresin materiã ingenitam adserentium, ac cibos ex ea prouenire dicentium.

Et nihil est reijciendum, quod cum gratiarum actione percipitur: sanctificatur enim per uerbum Dei & orationem.] Proinde si sanctificatur, nónne immundũ est? Minimè, uerùm per concessionem hoc ponit. Nam primum per instantiam dicit nihil esse immundum: deinde per concessionem, Demus, inquit, quòd quiddã sit immundũ, sed habes medicinam: signa, gratias age, glorifica Deum, ac defecit immunditia. Nã gratiarũ actio cuncta purgat. qui uerò ingratus est, ipse est immũdus & pollutus. Nũ igit̃ q̃d idolis est immolatũ, sic mũ dare possumus? Possumus, si ignoremus idolo-

idolothyton esse. Enimuero si scientes sumpserimus, immundi sumus, non quia illud idolothytum sit, sed quia legem transgressi sumus præcipientem non communicandum mensæ dæmoniorum. Voluntas itaq; & mens tua coinquinata est, utpote quæ non obtemperauit, nec cibus natura fuit pollutus.

Hæc proponens fratribus, bonus eris minister Iesu Christi.] Hæc, qualia? Quod mysterium magnum est, & q; sic abstinere à cibis & nuptijs, doctrina dæmoniorum est, & alia quæcunq; prædixit. Quid autem est proponens? pro consulens usus est. Non dixit autem præcipiens, nequaquam enim hic est mandans autoritas. 1. Cor. 10.

Enutritus uerbis fidei & doctrinæ bonæ, quam assecutus es.] Vt alijs hæc consuleret, dixit: iam uerò ait, Tu ipse etiam ἐντρεφόμενος, id est, innutritus, continuò & sedulò eadem uersans & animo tractãs & ueluti ruminans. Incessabilem enim ad hæc attentionem indicans, dixit enutritus siue innutritus. Perinde enim ut corporis alimentum semper sumimus, sic fidei rationibus et sermonibus semper nos oportet innutriri immorariq;.

Ineptas aũt & aniles fabulas deuita.] Hoc est, tuos cõmonefac eorũ quæ dixi. Ad peruersos aũt ne descenderis in arenã, nõ enim potes illis prodesse, nisi siquãdo scãdalum subnascereť, si nos propter imbecilitatẽ pugnã aduersus ipsos detrectare uidere mur. Fabulas aũt, Iudaicas obseruationes dicit, tanq; efficias & cõmentitias: uel quia porrò nõ sit illis relictus locus. Cogita nanq; in animo uirũ triginta annos natum lac fugere, seu lactere uolentem, nonne perridiculus erit, q; importunè & intempestiuè hoc faciat? Aniles igitur, q; antiquatæ sint: prophanæ autem siue ineptæ, & immundæ, q; fidem impediant. In trepidationem enim & metum conijcere animã, quæ his omnibus ceremonijs excellentior sit facta, immundorum est præceptorum. *Iudaicæ obseruationes fabulæ aniles.*

Exerce autem teipsum ad pietatem.] Hoc est, ad fidem puram, uitamq; rectam: id enim est pietas. Opus est igitur exercitio & continuis laboribus: qui enim exercetur, etiamsi certamen non sit præstò, certat ad sudores usq;. *Pietas.*

Nam corporalis exercitatio ad modicum utilis est.] Quidam ieiunium adseuerant corporalẽ exercitationem esse, sed non est: nam istud spirituale est. Verùm corporis exercitationem intelligit, quæ multos labores habens, modicum prodest corpori, & tempore admodum exiguo.

Pietas autem ad omnia utilis est, promissionem habens uitæ quæ nunc est, & futurę.] Hic etiam, inquit, pietas hominem reficit. Qui enim nullius mali sibi conscius est, in hoc æuo delectatur, promissiones futurorum bonorum firmas habens. Illic autem ueram uitam uiuit. A' collatione autem pietatis excellentiam commonstrat.

Fidelis sermo, & omni acceptione dignus.] Hoc est, uerus & dignus est qui accipiatur, ut omnibus sit minimè dubius. Qualis sermo? quòd & hic & illic pietas utilis sit. In tota autem undiq; epistola hoc agit, nec opus habet confirmatione, sed enunciat: ad Timotheum enim ei sermo.

In hoc enim & laboramus, & maledicimur, quia speramus in Deo uiuente.] Quę sit pietas, in mediũ promit, quã ipsi nimirũ apostoli exerceãt. Confirmat porrò quomodo futuræ uitæ spes habeat, inquiẽs: In hoc, id est, ppter hoc laboramus, cõtumeliaq; afficimur, & cõuicijs petimur. Quã em̃ ob causam cõcidimur & interimimur, nisi futura expectaremus, quæ dabit post mortẽ nobis uiuẽs Deus? Hic sępenumero milites, q; p imperatore periculis immersi fuere, perdũt cõpensationes & mercedẽ, rege seu imperatore illo interim defuncto: noster aũt rex semp uiuit, itaq; & semp dat.

Qui est seruator omnium hominum, maximè fidelium.] Omnes quidem uult saluos fieri, & hic & illic, maiorem autem diligentiam hic circa fideles ostendit. nisi enim ipse hos seruaret, quomodo sustinerent ab omnibus oppugnati? Per hæc autem incitat Timotheum etiam ad pericula toleranda. Ne deficias, inquit, cum talem habeas Deum: neq; ab alijs auxilium implora in afflictione, sed enim spera in illum. uiuit enim, & seruator est.

Præcipe hæc & doce.] Rerũ aliæ quidem doctrina & institutione indigent, aliæ uerò mandato, ueluti de rapina nihil docendũ, sed præcipiendũ est: hoc est, cum maiori autoritate prohibenda est ea. De facultatũ uerò in pauperes distributione, de uirginitatis statu, de fide, quomodo credẽdũ sit, hic doctrina opus est: propterea utraq; ponit *Rerum aliæ præcipiuntur, aliæ docentur.*

ponit apostolus, Præcipe ac doce. Et aliter, si scientes malum esse, ac tamen agimus, A opus est præcepto: si uerò ignari peccemus, institutioni locus est relictus.

Nemo adolescentiam tuam contẽnat.] Quia cõmunis præsumptio & opinio contemptibilẽ rem putat adolescentiã & iuuentã, Præcipe, inquit, maiori autoritate, ac nemo te contẽnat. oportet enim nõ contemptibilẽ esse præceptorẽ. Vbi igitur mansuetudo? Vbi igitur iniurias quibus ipse afficitur, ulcisci oporteret, mansuetus esto. ubi uerò aliorũ salus agitur, opus est austeritate, cum fiducia et libertate imperet. Vel uitam ostende honestam, sic fiet ut non ueniat in cõtemptum iuuenta tua, in quam natura contemptus cadere solet, sed admirationi potius erit. Infert igitur.

Sed exemplum esto fidelium.] Hoc est, uitæ sis exemplar, optimaq; morũ regula.

In uerbo.] Vt loquatur facilè, & mansuetè colloquatur cum fidelibus, utq; sermonem promptum & præparatum habeat.

In conuersatione.] In uita & moribus, uel ecclesiastico ordine.

In charitate.] Quæ omnes complectatur.

In spiritu.] Hoc est, uel in spirituali statu, uel charismate, ne eius causa extollatur & superbiat.

In fide.] Recta & indubitata, quãdo qs Deo credit, etiã in ijs q̃ impossibilia uidẽt.

In castitate.] Hoc est, puritate, uirginitate, uel temperantia etiam.

Dum uenio attende lectioni.] Si Paulus Timotheũ iubet incumbere lectioni scripturarũ, quid nos posthac facere decet? Quinetiã ipse Paulus ad finẽ usq; uitę suæ legendis sacris incubuit, qui & alios ad idem studiũ cohortabat. Addit uerò ei animũ per hoc quod dicit, Donec uenero, spem faciens ei uenturũ præceptorẽ. Verisimile enim erat, ipsum qui præceptore orbatus esset, Paulũ requirere. cuius autem rei gratia dixit, Dum uenio? Par erat quũ iuuenis esset, multa ipsum ignorare, egereque eum præsentia Pauli, ut hæc disceret. Ait itaq;, Interea usq; dum uenero, lege scripturas, & inde habebis, ut fieri potest, legislationes & præcepta: postquam autem uenero, ego B tibi suggeram reliqua.

Consolationi.) Erga mœstos uidelicet, uel aliàs deficiẽtes animo, adeoq; afflictos.

Doctrinæ.] Quæ est erga omnes simpliciter, ac de quauis re.

Ne negligas donũ quod in te est, quod datum est tibi per prophetiam.] Doctrinæ donum hic intelligit, quod accepit episcopus factus per prophetiam, hoc est, imperante spiritu, ut suprà commemoratum est.

Cum impositione manuum presbyterij.] Hoc est, episcoporum. nõ enim presbyteri episcopum ordinabant. Vide autem horrendum, quantum possit impositio sacerdotalium manuum.

Hæc meditare, in his esto.] Sæpe de eisdem ei præcipit, ut ostendat ei quòd maximè omnium in his oporteat studiose uersari episcopum.

Vt tuus profectus manifestus sit in omnibus.] Non in uita tantummodo, uerumetiam in uerbo doctrinæ. Animaduerte autem quòd per hoc uoluerit eum magnifieri & admirandum.

Attende tibi & doctrinæ, perseuera in ipsis.] Hoc est, attentus sis erga teipsum, ac institue & alios.

Hoc enim faciens, & teipsum saluum facies, & eos qui te audiunt.] Nam qui in doctrinæ sermonibus fuerit innutritus, prius quidem ipse adiuuatur, & in quo alios adhortatur, seipsum emendat & instituit.

† πρεσβύτερον, *id est, presbyterũ, siue seniorem hoc loco ætate non dignitate dicit, ut etiã notauit Chrys.*

CAPVT V.

† Seniorem ne obiurgaueris, sed obsecra ut patrẽ.] Nõ de eo qui in ecclesia dignitatem habet, loquitur, sed de quouis grandiore natu. Quid igitur si indigeat correctione seu emendatione? Hunc, inquit, ad modum cum eo age, tanquam sit pater.

Anus, ut matres.] Quia obiurgatio molesta est, maximè si à iuuene proficiscatur, idque erga grandæuum (triplex enim tum est proteruia ac temeritas) cura eam per mansuetudinem.

Iuuenculas, ut sorores.] Postquam ætas asperitatis nonnihil habet, nec recipit obiurgationes, mansuetudo, inquit, media esto.

In omni castitate.] Quia conuersationes cum adolescẽtulis aut puellis suspiciones pariunt,

parùnt, & episcopum talibus nonnunquã conuersari oporteat, cumq; eis colloqui,
A in omni, inquit, castitate conuersare, easq; alloquere, non solum mistionis peccatum fugiens, uerumetiam omnem aliam suspicionis occasionem. Timotheo autem hæc iniungit, non illius gratia, sed nostri potius causa, ut suspiciones fugiamus.

Viduas honora, quæ uerè sunt uiduæ.] Cur nihil de uirginibus præcipit? quia nõ dum erant tum illic. Honorari autem uiduas præcipit, eo q; non habeãt maritos qui illis præsideant, earúmue curam gerant: tum res ipsa contumeliæ obnoxia, uidetur esse reiectitia. Hanc ob rem operæ profectò est preciũ, ut à multis multo honore affi ciantur, maximè cum dignę sint, ut uerè uiduæ. Quales igitur huiusmodi sint, in pro cursu dehinc disces. Proinde licet & maritum nõ habere, & uiduam non esse. Hono ra autem, est pro miserere earum, & necessaria suppedita. *Honorare quid sit.*

Si quæ autem uidua filios aut nepotes habet, discant primùm domum suam piè tractare.] Hoc est, discant liberi uenerari matrẽ suam, ac benefacere ei, & alere eam. hoc enim appellat ἀνταποδοῦναι, hoc est matrem senio confectam curare, uel auiam: quan doquidem diuina sit dignitas parentum, quemadmodum è diuerso impietas est se nium non curare.

Et mutuã uicem reddere parentibus, hoc enim est acceptũ coram Deo.] προγόνοις, id est, progenitoribus, matri uel auiæ. Obserua hîc Pauli prudentiã, quomodo pri mùm, quod bonam conscientiam faciat, in medium proferat, nempe progenitores uenerari & colere, eisq; uicem rependere, q; nos educarint atq; enutrierint, & curã nostri gesserint, adijciens rationem, quoniam & hoc Deo gratum est.

Quæ autem uerè uidua est † & desolata sperat in Domino.] Cum dixisset suprà, Honora uiduas, quæ uerè sunt uiduæ [proinde uiduis interiectis, quæ minus sint ui duæ, hoc est] quæ habent liberos per quos curari debeant: iam quænã sit uerè uidua, subdit: Quæ nullum, inquiens, habeat curatorem, non filium, non nepotem, uerùm
B in solum Deum sperat: quæ sanè honore est afficienda, & misericordia dignanda in omni suppeditatione necessariarum rerum. †μεμονωμένη, id est, *desolata, sola relicta.*

Ac perseuerat in precationibus nocte & die.] Idq; nõ immeritò: nullum enim a lium habens, ad Deũ confugit. Cum autem uerisimile esset eas contristari, ut quę un dique tutore & præside careant, consolatur eas, ut quæ Deũ uice humanorũ omnium amicorũ protectorem habeant. Si enim quæ liberos alit, mercedem recipit, tua ideo tibi dignitas non est imminuta, nec honor ademptus ex eo q; liberos non habeas. *Suprà 2.*

Nam quæ in delicijs est uiuens est mortua.] Quia nõ paucæ uiduitatis statũ eligũt, ut maiore libertate agãt quę grata sunt, inquit: Delicijs dedita atq; petulantiæ, etiam si uideatur uiuere sensibilem hanc uitam, mortua est secundum spiritum. Sin autem mulieri non permittitur deliciari, ubi tamen & natura & ætas sæpe habet infirmita tem, quid dicamus si uiri in delicijs uiuamus?

Et hæc præcipe, ut sint irreprehensibiles.] Viden' q; hãc rem ceu legem esse uelit? Non enim uoluntati permittit nõ deliciari, sed ueluti peccatũ hoc prohibet: præcipe nanq; hæc significat: perinde ac diceret, Cum seueritate prohibe ne talia fiant.

Si quis autem suorum & maximè domesticorum, curam non habet.] Delicijs & uoluptatibus dedita, propterea uiuens mortua est, adeoq; perijt, quoniam omnẽ pro uidentiam in seipsam impendit. Atqui suorum, id est fidelium habenda cura, & ma- *Consanguineorum curã habenda.*
ximè domesticorum, hoc est eorum qui ad genus & sanguinem pertinent, perma gna est habenda cura & prouidentia, cùm animi, tum corporis nomine.

Fidem negauit.] Quomodo? nam non sunt opera credentis. Si enim credidisset Deo, audiuisset eum qui dicit: Domesticos seminis tui ne despexeris. Deum, inqt, confitentur se nosse, operibus autem negant. *Esa. 58. Ad Tit. 1.*

Et est infideli deterior.] Nam ille etsi alienos, sanguine tamẽ sibi iunctos & propin quos nõ despicit, naturæ suasu ductus: hic uerò tã Dei q; naturæ legẽ tollit, & iniuria afficit. Quis uerò hunc crediderit amico esse affectu erga alienos? etiamsi enim mi sereatur alienorum, ex ambitione & gloriæ uana cupiditate hoc facit. Expende au tem tecum, si infideli est deterior qui suis non prouidet, quem in ordinem is colloca bitur qui iniuria eos afficit? Nec satis est cuipiam ad salutem propria uirtus, si ipse uir tute redimitus, ad genus sanguinemq; suum pertinentes negligat.

Vidua

Vidua eligatur, non minus sexaginta annorum quæ fuerit unius uiri uxor.] In superioribus dixit, lasciuientem delicijsq; inhiantem, quæ suis non prospiciat, indignam esse quæ referatur in catalogum uiduarum: nunc nos docet quid eam habere oporteat, ac primùm de ætate illarum exactè differit. Causam uerò in progressu dicet: non enim simpliciter sexagenariam ita seligit, posset enim eiusmodi etiam indigna esse. Deinde ab ea exigit monogamiam, id est quòd uni marito copulata fuerit, ceu signum honestatis, pudicitiæ, honestiorúmque morum. Alia quæ requirat, audi in sequentibus. A

In operibus bonis testimonium habens.] Hoc est propriè dignans eam catalogo, posthac & opera eius speciatim denumerat.

Si liberos educauit.] Liberos educare, non est simpliciter liberos alere, sed perinde alere atque oportet: quemadmodum & suprà dixit, Si permanserint in sanctificatione & fide.

Si hospitio recepit.] Animaduertis quomodo curæ liberorum apposuerit etiam hospitalitatem & beneficentiam erga exteros & alienos. Quum enim prius dixisset, Si liberos educauit: tunc intulit, Si hospitalis fuit. Etiamsi enim alijs in rebus indigus fuerit quispiam, domum omnino habet: non enim sub dio habitat.

Si sanctorum pedes lauit.] Hoc dixit, quia multæ quidem hospitales sunt, & hospitio recipiunt peregrinos ac sanctos, ipsę autem per seipsas non inseruiunt, sed per ancillas. Volens ergo uiduam per se laborare, nec ignauam esse, ipsam per sese ministrare iubet. ignauia enim & mollicies deliciantis potius est & uoluptuariæ. Et aliter, ne omnino penuriam prætexat aliqua, quo minus sit hospitalis, ut quæ non abundet re familiari, neq; diues sit: Abluere, inquit, pedes, nō est magni sumptus, neq; copiæ.

Sancti qui sint. Sancti autem sunt omnes, quotquot fidem rectam cum uita habent, etiamsi signa non edant aut miracula.

Si tributalionē patiētibus subministrauit.] Pecunijs, patrocinio, & intercessione. B

Si omne opus bonum subsecuta est.] Veluti si ipsa operari non potuit, consors tamen fuit alterius quæ operaretur, atq; subseruijt. Corporale enim ministerium afferre adhortat, quale est lectū sternere, refocillare, ad quæ magis sunt idoneæ fœminæ.

Iuniores autem uiduas deuita.] Cuius rei gratia de uirginum ætate atq; tempore nihil præcipit, cum tamen maius sit uirginitatis certamen? Meritò: Nam maioris in uirginibus alacritatis est certamen, uehementiorisq; feruoris. Nam dum requiritur in uirginibus ut Christo assideant, & adhęreant adeò, ut nūquam ab eo diuellantur, atq; ut in ijs quæ domini sunt, solicitæ sint, multam certè curam præbet & exigit ab eis: ex hoc autem & tempus manifestum est. Et aliter, Cum uiduæ iuniores à Christo excidissent, occasionem dedere Paulo cur has leges sanxerit: in uirginibus autem nihil tale contigerat.

Cum enim luxuriatæ fuerint aduersus Christum, nubere uolunt.] Hoc est, quando lasciuierint & deliciatæ fuerint, ac quando superbierint aduersus Christum, non excipientes neq; retinentes Christum sponsum, in nuptias deinceps excidunt. non enim uiduitatis statum elegerunt cum iusta consideratione. Animaduerte hic quod

Viduarum erga ipsos Christus. & uidua Christum sponsum habeat, perinde ac uirgo.

Habentes damnationem, quoniam primam fidem irritam fecerunt.] Fidem appellat fœdus. Fefellerunt, inquit, pactum quod cum Christo sponso fecerunt, ac propterea habent condemnationem.

Simul autem & ociosæ discunt circumire domos.] Præter iam commemoratam damnationem, aliud peccatum committunt, discere ociari ex eo quòd ædes circum

Ocium. eant. Omnis autem mali & uitij autor & initium est ocium. quare nedum uiros, sed & mulieres ocium dedecet.

Non solum autem ociosę, sed & uerbosę & curiosæ, loquentes quę non oportet.] Non immeritò quidem. Circumeuntes enim nihil aliud agunt, quàm quòd quæ de hac audiant, ad illam perferant, & quæ de illa ad hanc: ac necessariò tandem ad curiositatem labuntur omnia perscrutandi, & ad nugas ac deliramenta, cum quę de omnibus audierunt, omnibus etiam dicunt.

Volo ergo iuniores nubere, filios procreare, matresfamiliâs esse.] In primis quidē, inquit,

A inquit, optarim eas pacta non irrita facere: quia uerò matrimonium illæ cupiunt, uolo & ego ut nubant, indulgens & acquiescens earum uotis. Satius enim eas matres familiâs esse, hoc est, propria curare, suæq; domus curam gerere, & operari, quàm alienas ædes curiosè pererrantes nugari & ociari. Cum autem dixit, Filios procreare, ostendit quòd propter liberorum procreationem contrahendum sit matrimonium, ut plures animas ad Deum adducant.

Nullam occasionem dare aduersario maledicti gratia: iam enim quædam auersæ sunt post Satanam.] Quia dixerat eas matres esse familiæ debere, ut ne uideatur libertatem eis dare ad delicias, intulit, Nullam occasionē dare. Sic enim, inquit, domus curam habe, ne animam tuam lædas. Et aliter: Perspicuè hîc scopum suum indicat, cur eis acquieuerit condescenderitq;, ne dent, inquit, occasionem Satanæ illudendi se, ut quæ sponsæ Christi cum essent, factæ sint adulteræ, propter iuuentutis & adolescentię minimè firmatam constantiam. Eam ob rem sub matrimonij iugum eas duco, ut ne remissę sibi, & laxis habenis uiuentes, præmemorata mala adducant attrahantq;.

Sin quispiam fidelis, aut fidelis aliqua habet uiduas, subministret illis.] Fidelium uiduas non conueniebat ab infidelibus ali, ne uiderentur eorū opera indigere. Cum autem dixit, Subministret illis, quantum satis est intellexit, non luxum & superfluitatem.

Et non grauetur ecclesia, ut ijs quę uerè uiduæ sunt, sufficiat.] Proinde fideles si suas ipsorum uiduas alant, ecclesiæ uiduis pariter conferunt: quandoquidem per illas non grauetur ecclesia, quæ iam commodius & opulentius alit quas alit, uerè nimirum uiduas, hoc est, destitutas ac desertas.

Qui bene præsunt presbyteri, duplici honore digni habeantur, maximè qui labo-
B rant in uerbo & doctrina.] Quinam illi sunt qui maximè laborant in uerbo & doctrina, qui bene præsunt? Dominus docet, inquiens: Pastor bonus animam suam ponit, sibi in nulla re parcens, ouium curæ causa. Honorem porrò dicit, necessariorum suppeditationem, ut ex ijs quæ inferuntur, liquet. Nam precium est operæ, doctores haud laborare rerum necessariarū penuria, sed copia potius earundem affluere: ut ne hisce conquirendis incumbentes, uerbi ministeriū negligant, quemadmodum & Leuitæ in ueteri Testamento uixerunt. Duplici autem honore dixit uiduarum respectu, uel diaconorum: uel simpliciter, duplici pro multo. Vbi nunc sunt qui dicunt non esse opus uerbo, sed uita? Audiant isti nunc Paulum quantónam honore uerbum afficiat. est enim eo nobis opus, si quoquam alio. Si enim de dogmatibus, adeoq; doctrina inciderit quæstio, ratio, uel disputatio, qualis hîc uita proderit? Verbum autem aut sermonem non fastuosum exigit, sed scripturę sacrosanctæ potentia refertum, adeoq; sententijs quacunq; tandem ratione proferatur. Ioan. 10.

Dicit enim scriptura, Non alligabis os boui trituranti: &, Dignus est operarius mercede sua.] Testimonia producit & applicat: alterum quidem ex lege, alterū uerò Christi. Animaduerte autem utrinq;, qui labor à doctore requiratur. Triturare nanq; est laboriosius atq; difficilius omnibus laboribus operibusq; alijs. Quocirca oportet præceptorem instructum esse ad angorem, ad necessitates, ad labores. Dein cum ait, Operarius, indicat φ hîc non sint deliciæ quærendæ, nec requies uel cessatio: nam operarius dignus est mercede sua, siue alimento. Ex abundanti enim hoc ostendit: nam si mercede dignus, quanto potius alimonia? Qui uerò non est operarius, indignus est ijs. Deut. 25. Mat. 10.

Aduersus† seniorem accusationem noli recipere.] Aduersus iuuenem potest accusatio recipi, aduersus alium quempiam non item? quasi dicat, neq; aduersus alios, maximè uerò aduersus seniorem non suscipiatur accusatio. Non dixit autem non condemnes, sed ne suscipias omnino. etenim propter ætatem nonnulli adolescentium peccant. πρεσβύτερον enim hîc senio confectum appellat. † πρεσβύτερος, presbyterū uel seniorem. Theophylactus cum Chryso. ad ætatem refert, Ambrosius uerò ad dignitatē.

Nisi sub duobus aut tribus testibus.] Quia multa ex suspicione iudicantur, Oportet, inquit, esse testes qui cōuincant secundum ueterem legem. Quid igitur, si & illi uani sunt & mentiantur? Rarò sanè hoc contingit: potest tamen hoc à iudicio explorari & uideri. Sufficit autem & duos ad peccata testes adhiberi, eo quòd clanculum committantur. Quid autem si peccata sint in confesso, testes autem non habeant, sed solam prauam suspicionem? De hoc suprà dixit, Oportet enim bonum etiam testimonium habere ab ijs qui foris sunt.

Peccantes coram omnibus argue, ut & cæteri timorem habeant.] Hoc est, perseue- A
rantes in peccato, & quos inquirendo deliquisse inueneris, argue uehementer & seue-
rè, non ut indignationem & animum tuum expleas curésue, sed ut reliqui castigentur
terrore perculsi. Quemadmodum enim simpliciter & sine iudicio condemnare, arro-
gans est & temerarium: hunc ad modum reos & peccato obnoxios non reprehende-
Matt.18. re, pestilens est, ad multos morbum extendens. Quomodo igitur Dominus dixit in E-
uangelio, Si peccauerit in te frater tuus, argue eum inter te & ipsum solum? Atqui & il
lum in peccatis perseuerantem permittit publicè argui. Quid igitur? num offendicu-
lum præbet, si publicè fiat reprehensio? Immò è diuerso magis offendit, si is qui ab om
Exod. 14. nibus peccasse cognoscitur, non arguatur. Hanc ob causam Deus Pharaonem &
Dan.4. Nabuchodonosor & plerosq; alios in medium producens puniuit, ut uita mortalium hi-
sce exemplis emendetur.

Testor corã Deo & Domino Iesu Christo, & electis angelis.] Cum de multis prius
positis disseruisset, hîc quando de iudicio uerba fecit, obtestatur eum cum terrore, ual-
de horribiliter adductis in testimonium Deo & angelis. Non enim quia Timotheus
1.Cor.9. erat, reuerebatur eum Paulus, sed muniuit firmauitq; eum. Si enim de seipso dixit, Ne
quomodo alijs prædicans, ipse reprobus inueniar: multo magis de Timotheo hoc di-
cere non est ueritus. Vocat autem testem patrem & filium, ut in futuro die & iudicio
defendi & excusari possit, si quid quod non decet, factum sit, utpote qui admonue-
Matt.23. rit. At cuius rei gratia angelos simul assumit? eo quòd & angeli in futuro iudicio, Do
mino affuturi sint satellites. Est autem & nobis in more, & maiores & minores perso-
nas in testimonium accipere. Hanc ad rationem Iacob Deum & aram in testem assu-
Gen.31. mit. Quinetiam Moses, Testificor, inquit, cœlum & terram. Adeò enim est mansuetus
& clemens Dominus noster, ut seruos quoq; in testimoniũ productos recipiat. Electis
autem angelis dixit, quando quidem & dæmones sint angeli, sed reiecti.

† ἐγκλισιν πρόσ- Vt hæc custodias sine præiudicio, nihil facies† in alteram partem declinando.] Hoc
κλισιν, id est, iuxta propensionem animi, si per iota legas in penultima: sũt & qui per η πρόσ-κλησιν aduocationẽ, sine imitationẽ, ut etiã hic notat Theophyl. est, ut æqualis sis & idem disceptantibus uel litigantibus, ut non fiat præiudicium: hoc B
est, ut nemo te præoccupet, sibiq; adiungens & proprium faciens, sit in causa ut pro ip-
so sententiam feras, atq; hinc iam decernas & præmonstres affectum tuum, priusq;
quam alterius causam agnoueris uel audiueris. Neq; facias quicquam secundum πρόσ-
κλισιν, id est acclinationem seu affectum, uni parti acclinatus, eiq; fauens. Quòd si πρόσ-
κλησις per Ita scribatur, retinebit eundem sensum. Quasi enim hoc dicat: Si inuitet
atq; accersat te altera pars, ut ei succurras, ne accesseris, neq; eius inuitationi accom-
modes aurem.

Manus citò nemini imposueris.] Venit ad peculiarius quoddã & quod maximè e-
piscopum cõtinet ac constringit ad ordinum ecclesiasticorum collationem, inquiens:
Ne celeriter, ne ex prima probatione, neq; ex tertia, sed sæpe & exactè explorãs rem,
non semel tantum. Quomodo uerò, audi.

Neq; communicaueris peccatis alienis.] Nam eorum quæ ille commissurus est, tu
causa es, propterea quemadmodum bonorũ operum es particeps, sic & peccatorum.
Insuper & præteritorum peccatorum es reus, quòd ea neglexeris, ac tenebras fecisti lu
cem, nec dimisisti eum ut lugeret, atq; ob commissa sua plangeret.

Teipsum castũ custodi.] De temperantia & modestia hîc adhortat eum, & pudicitia.

Ne porrò aquam bibas, sed uino modico utere, propter stomachum tuum, & ire-
quentes infirmitates tuas.] Animaduerte quantos labores habens, adhuc seipsum con
triuerit, afflixeritq; aquę potu. Discet itaq; nõ ægreferre si qui nos ad temperantiam in-
hortentur. etenim & Paulus Timotheo adeò aquam bibenti, ut & frequenter ægrota-
ret, præcipit de castitate. Non dixit autem, Vino utere: sed correxit, apponens Modi-
co. ad sanitatem, inquit, non ad delicias. feruida enim est iuuentus & adolescentia,
facileq; à uino permouetur & accenditur. Quare autem non curauit ipsum Pau-
Act. 19. lus, qui mortuos etiam per sudaria excitauit? Vt etiamnum, siquando uideamus sanc-
tos affligi, non offendamur: & ut ne arbitremur ueteres, quo ad nostram naturam,
exuperasse nos, uerùm ut & ipsos homines esse credamus. Atq; ne ipse etiam Timo-
theus ob uirtutem extollatur. De hoc autem latius ac fusius disputatum est à diuo Io-
anne Chrysostomo in principio libri qui de Statuis & imaginibus inscribitur. Vide-

tur

A tur autem natura fuisse languidus & infirmus Timotheus: nec solùm ex stomacho, uerumetiam ex alijs partibus & artubus laborasse: adiecit enim, Et ob frequentes infirmitates tuas.

Quorundam hominum peccata manifesta sunt, præcedentia ad iudicium, quosdã autem & subsequuntur.] Quia de † ordinationibus differens dixerat, Ne communicaueris peccatis alienis, uerisimile erat ex aduerso inferre Timotheum, ac dicere, Quid si ignorem: hinc satisfaciens ait, Quidam apertè palàm delinquunt, & committunt ea quæ ad iudiciũ eos præcedant, hoc est, inde iam eos condemnantia, ac ante ipsos præeuntia, quæ & tu agnosces. Quorundam autem obscura sunt adhuc peccata, fortasse autem exploras deprehendes. Insequuntur enim, tale quiddam clàm indicat. licet igitur tibi hos obseruare in electionibus. Vel quia etiamsi hîc lateant, eosq; elegeris, innocens quidem tu & extra culpam ueris, non fallent tamen illic æternum iudicem. Non enim simul peccata dissoluuntur cum uita, sed sequũtur etiam defunctos. Magnus autem Basilius hunc ad modum intellexit, quòd caput sit aliud ipsum per seſe, nec pertineat ad rationem de electionibus uel initiationibus. Vt fornicatur quispiam fortasse, aut furatur etiam, hunc peccatum ipsum detinet ac præcedit, ad iudicium trahens eum solum. Docet aliquis praua, pernicioseq; sapientiæ institutionem dogmáue profert, huius peccatum, ipsum insequitur. Non enim unà cum ipso extinguitur, sed post eum supersunt corruptionis eius successores, quod genus sunt Græcorum sapientes, quales sunt omnes qui præter ecclesiasticum dogma commentaria scripserunt. Dabunt autẽ illi pœnas, non solùm quòd ipsi sint seducti & errauerint, uerumetiam quòd sequentibus authores erroris extiterint.

† χειροτονιῶν, id est ordinationibus siue creatione per suffragia, & institutionib. ad sacros ordines.

Peccata defunctos sequuntur.

Errorũ authores dupliciter puniendi.

Similiter & facta bona manifesta sunt, & quæ aliter se habent abscondi nõ possunt.] Maximam hæc consolationem præbent rectè agentibus, tum quòd uel hîc sint manifesta opera omnia uel bona uel mala, tum quòd illic in futuro seculo cuncta sint futura nuda. 1. Cor. 4.

CAPVT VI.

B QVicunq; sub iugo sunt serui, dominos suos omni honore dignos arbitrentur, ne nomen Dei ac doctrina blasphemetur.] Adhortare, inquit, seruos & institue, ut etiamsi infideles sint domini, obtemperent eis serui, omni honore qui per uerba & opera præstatur eos dignos iudicantes. Ne enim existimes te liberum ideo esse, quia fidelis es: liber quidem es natura, sed seruus es corpore, quod & ipsum est libertas, seruire nimirum pro nomine Christi. Nam infidelis si conspexerit te cõtumacem, uituperabit uerbum Euangelij ceu seditiosos faciat. Sin cum gratitudine obedientem uiderit, admirabitur potius uerbum, ceu perficiens seruiles mores alioqui intractabiles, & qui haud facilè componi queant.

Qui autem fideles habent dominos, non contemnant quia fratres sunt: sed magis seruiant, quia fideles sunt & dilecti, qui beneficij sunt participes.] Non enim quia fratrem nactus es dominum per baptisma, eum aspernaris: sed magis propterea seruias, quoniam fidelis est ac dilectus, hoc est, frater pro domino. Cogita porrò in animo, quòd benefactor tuus est, quòd pro te angitur, & solicitus est ut te alat, ut ueſtiat, aliaq; tibi necessaria curet. Itaq; multum habet iuris in te præter hoc quòd emerit te. Per hoc autem quod ait Dilectus, eijcit metum, qui cum seruis insit, sæpe ad odium erga heros trahuntur: ac introducit in metus locum charitatem. Magis igitur seruiant, inquit, qui beneficij sunt participes, seruí uidelicet. Per hyperbaton enim positum est quod dicit: per medium enim insertum est, Quia fideles sunt & dilecti, subaudiendum est domini. Vel simpliciter quemadmodum iacet textus, intelligendus est: ἀντιλαμβανόμενοι οἱ δοῦλοι εὐεργεσίας, id est beneficij participes, nempe domini, qui solicitè cogitant quomodo seruis rursus beneficium impertiant.

† παρακαλεῖ, id est, hortare uel obsecra. multa enim significat παρακαλεῖν, exhortari, obsecrare, consolari, &c.

Hæc doce & exhortare.] Nedum opus est authoritate præceptori, quæ in uerbo præcipuè indicatur, uerumetiam mansuetudine, ut nunc in uerbo † adhortare uel obsecra. Medicus enim est, qui nonnunquam emollientia, nonnunquam uerò constipantia adhibet.

Si quis aliter docet, & non acquieſcit sanis sermonibus Domini nostri Iesu Christi, & ei quę secundũ pietatem est doctrinæ, inflatus est, nihil sciẽs.] Obserua ignorantiam

ignorantiæ malum.

ad arrogantiam quempiã perducere, atq; adeò inflatũ reddere, atq; eum qui sanam & A
synceram institutionem Euangelij non recipiat, esse: inflatio enim est tumor ægrotantis animæ, quemadmodum phlegmone siue tumor in corpore. Si igitur susciperet Domini sermones, non inflaretur: siquidem ille exinaniuit semetipsum, pedes discipulorum suorum lauit: is dixit etiam, Discite à me, quia humilis sum. ille beatos prædicauit

Philip. 3. Ioan. 13. Matt. 11. Mat. 5. Luc. 18.

spiritu humiles, ille publicanum ex humili mente iustificatum protulit. Hæc quisquis non recipit, neq; nouit, necessariò inflatus est.

Sed languẽs circa quæstiones & pugnas uerborẽ.] Ægrotare igitur, est quæstiones proponere, nam ubi non est fides, illic omnia languent & ægrotant, neq; quicq̃ aliud atq; pugnæ uerborũ nascuntur, cum qui aptior est ad persuadendum, alterũ subuertere uidetur. Fides oculus est, qui non habet oculos, nihil inuenit, sed solummodo quærit.

Ex quibus oritur inuidia, lis, blasphemiæ, suspiciones prauæ.] Hoc est, praua dogmata è quæstionibus nascuntur. Tum enim blasphemamus, ac de Deo quæ non conueniunt suspicamur, quando in quæstiones inciderimus.

Conflictationes.] Paradiatribæ, hoc est uanæ & superuacaneæ scholæ. Nam mos est scholas uocare diatribas. Vel quod, quemadmodum scabiosæ oues dum affricãt sese morbo, morbo etiam adeoq; scabie bene ualentes inficiunt, sic & isti cum alijs conflictantes eos corrumpunt.

Mente corruptorum hominum, & qui ueritate priuati sunt, existimantiũ quæstum esse pietatem.] Viden' q uerborum pugnæ turpem quæstum pariant: Meritò. Etenim plures discipulos, ad sese pertrahendo, contentiosi, lucrum faciunt, atq; excellentius pugnas uerborum exercent, ut plures attrahant atq; uenentur.

† *Hæc clausulã Chrys. non habet, & in nostris uulgatis codicib. deest. Ambros. tamen legit.*

†A talibus abstine.] Non dixit, collidere cum illis, uel reluctare eis, sed abstine, uide licet post unam & alteram admonitionem. Homines enim pecuniarũ causa dimicantes, quando in tuam sententiam adduces? Incorrigibiles igitur huiusmodi auersator.

Est autem quæstus magnus pietas cum sufficientia.] Illi quidem malè existimant quæstum esse pietatem, est autem reuera quæstus, nõ quemadmodum illi arbitrantur B
sed longè præstantiori ratione, non siquando pecunias quis habuerit, sed siquando non habeat. Sufficientia enim magnæ sunt stabilesq; opes. Proinde non deficiant animo pij, tanquam inopes.

Nihil enim intulimus in mundũ, haud dubiũ q nec auferre quid possumus.] Quęstũ illum cui incumbunt, ostendit nullum esse: hic enim manet, nec nobiscum ex hoc seculo migrat. Itaq; quid opus est nobis superfluis, si nihil nobiscum eò abducturi sumus?

Habentes autem alimenta & quibus tegamur, his cõtenti erimus.] Definit hîc quæ sit αὐτάρκεια, id est sufficientia. Tantum, inquit, nos habere oportet, quantum satis sit ad hoc ut alamur tantùm, non ut genio indulgeamus ac deliciemur, ac eiusmodi uestiri indumentis quæ corpus contegant, hoc autem & uulgare pallium faciet.

Qui autem uolunt diuites fieri, incidunt in tentationem & laqueum.] Adhortatur sumpto ab huius mundi rebus argumẽto. Prætermitto, inquit, futura, sed quæ hîc sunt respice. Non dixit autem diuites, sed uolentes diuites fieri. potest enim quispiam pecunias habere, atq; eas probè dispensare, quippe qui aspernetur eas, atq; in usum pauperum eroget: quod non est uolentis ditescere. In tentationem aũt & laqueum incidunt, quatenus à fide aberrant, ac periculis obijciuntur, opum causa quemuis formidantes.

Et desideria multa stulta & nociua.] Quomodo enim non est stultũ simias alere & ęluros & belluas, ac pisces in uiuarijs uel receptaculis cõcludere, equos exornare auro, intraq; tectum aquam ducere, ac in solo seu pauimento domus tuę faciem tuam ceu in speculo contemplari ob splendorem ac nitorem? Hæc stulta sunt sanè ac noxia, quæ animæ diuitias lædunt, sensusq; absumunt. Pleriq; autem tyrannidem affectantes, sibi ipsis malum accersiuerunt.

† *φιλαργυρία, id est auaritia siue pecuniarum cupiditas.*

Quæ mergunt homines.] Vt ne emergere quidem possint.

In interitum perditionem.] Et præsentem, uti dictum est, & futuram.

Radix enim omnium malorum est † auaritia.] Neq; enim uiuentibus parcit, neq; mortuis, sed hos quoq; deprædatur: in parentes & fratres insurgit, ac quæ Dei sunt spoliat. Tollè hanc è medio, & nullum bellum aut inimicitia aderit, neq; erit fornicatio, scortum enim argenti causa sese prostituit.

Quam

A Quam quidam appetentes, errauerunt à fide.] Non sinit enim in ueritatis uitã intueri auaritia, oculos ad seipsam retrahens. Quomodo enim credet paupertatem docenti Euangelio, quæstui deditus & lucro? Id fieri non potest. *Matt.19.*

Confixerũtq; seipsos doloribus multis.] Etiam in hac uita. Quantum enim lugent, quantum lamentantur? Pulchrè autem dixit, Confixerunt. spinarum enim instar sunt diuitiarum solicitudines, perinde ac Dominus dixit. Vnde si tetigerit has quisquam, manus cruentas faciunt, uulnera infligentes, atq; dolores parientes. *Matt.13.*

Tu uerò homo Dei.] Ingens hæc est dignitas. Omnes quidem sunt homines Dei, peculiariter uerò iusti, non sola creationis ratione, sed familiaritatis etiam. Porrò si Dei homo es, ne quæras auertentia te à Deo. Sed quid?

Hæc fuge, sectare iustitiam.] Vtraq; cum intensione & augmẽto protulit. Nõ enim dixit, Discede, & accede: sed, Fuge & sectare: iustitiã autem, nõ auaritiam, quemadmodum qui uolunt ditescere.

Pietatem.] Quæ est dogmatum.

Fidem.] Quæ est contraria quæstioni. *1.Cor.13.*

Charitatem.] Sanctam ac diuinam uitam. huius enim summa & caput est dilectio.

Patientiam, mansuetudinem.] A charitate, patientia & mansuetudo promanat: qui enim patiens est, longanimis etiam est.

Certamen bonum fidei certa.] Hoc est, pro fide firmus ac stabilis persiste, per uerbi potentiam, ac uitæ puritatem.

Apprehende uitam æternam.] Ecce & merces & præmium, æterna uita.

In quam uocatus es.] Ad spem enim æternæ uitæ uocatus es.

B Et confessus es confessionem bonam coram multis testibus.] Hîc fiduciam & fortitudinem eius commendat, ut qui in periculis confessus sit Dominũ Christum. Vel confessionem dicit, quæ in institutione baptizandorum fit, qua profitemur nos deficere à Satana, atq; à Christi partibus stare. Animaduerte uerò non solùm confessione esse opus, uerumetiam patientia, ut semper perduremus in confessione, certamineq; uehementi, ut ne auertamur & in errorem abducamur. *Confessionis & patientiæ necessitas.*

Præcipio tibi coram Deo.] Metum augens, ac securiorem Timotheum reddens, testem uocat Deum, ostendens non esse humana præcepta, utq; testem iustum semper in mente gerens, memoria & recordatione eius animo commoueatur.

Qui omnia uiuificat.] In his consolatio est aduersus pericula, & resurrectionis commonitio, perinde quasi dicat: Ne metuas mortem, Dei enim seruus es, qui potest omnia uiuificare.

Et Christo Iesu, qui testimonium reddidit sub Pontio Pilato bonam confessionem.] Rursum adhortatio est sumpta à doctore illo & summo Christo. Testatus est ille, debemus igitur & nos ipsum imitari. Interroganti enim Pilato, Tũne rex es? respondit, Ego in hoc natus sum & ueni, ut testimoniũ perhibeam ueritati, multaq; alia confessus ac testatus est. *Ioan.18.*

Vt serues mandatum sine macula & irreprehensibile.] Hoc est, neq; quoad dogmata, neq; quoad uitam labem aliquam tibi ipsi atteras & imprimas.

Vsq; in aduentum Domini nostri Iesu Christi.] Hoc est, usq; ad obitum & exitum tuum ex hoc seculo. Atqui sic non dixit, sed usq; in aduentum siue illustrationem, ut magis ipsum excitet mentione facta gloriæ illius tremendæ.

†Quem ostendet temporibus suis.] Hoc est, conuenientibus, destinatis. ne igitur mœreas quòd iam non uenerit. †Hũ refert ἐπιφανείαν, id est, aduentũ siue illustrationẽ, hoc est, gloriã. αὐθμανας ἐξότης.

Beatus & solus potens, rex regum, Dominus dominantium.] Et hæc consolationem præbent, ne ad hæc quæ in hoc mundo beata uidentur, defigat oculos, uerùm ad illum potius, qui per sese est ipsa beatitudo, in qua nihil triste est aut iniucundum: nec metuat qui hic sunt potentes & reges. Simul aut confirmat quod ostendet in aduentu suo, solus enim potens est. Hæc enim omnia de filio dicuntur. solus aũt ad discrimen mortalium, uel uanorum Deorum, non sanctarum personarum, dixit.

Qui solus habet immortalitatem.] Propriè enim ipse essentialiter habet immortalitatem: angeli autem etsi immortales sint, hoc tamen non natura, sed gratia possident, itaq; non habent, sed participant.

Et lucem inhabitat inaccessibilem.] Nunquid igitur comprehensibilis est? Aliud ne lumen, & aliud ipse est? Atqui is ipsum lumen est. Animaduertis q; si quicquam ardui loqui uelimus, lingua nostra sit impotens? Inaccessibilem autem dicit, quã nemo accedere possit ob nimium splendorem. A

Quem nullus hominum uidit, neq; uidere potest.] Secundum diuinitatem uidelicet: nam secundum humanitatem uisus est. Diuus autem Ioannes Chrysostomus suprà quidem de filio, deinde tanquam principaliter de patre dicantur, ista omnia intellexit, etiamsi & filio & spiritui etiam conueniant.

Cui honor & imperium sempiternum. Amen.] Si igitur semper est ipsi imperium, ne metuas etiamsi nunc non ostendatur. Semper honor ipsi, ne igitur excidas animo, ne desperes, si nunc cernas ipsum contumelia affici. Glorificare eum ac celebrare tantum possumus, nec decet nos curiosos esse. Egregiè autem hîc Theologum agit. cum enim testem uocasset Deum, gloriam eius recensет, ut magis reuereatur.

Diuitibus huius seculi.] Sunt & alij diuites, uerùm non in hoc præsenti seculo, cæterùm in futuro, iusti uidelicet.

Præcipe non sublime sapere.] Arrogantiã enim & ostentationem diuitiæ pariunt.

Non sperare in diuitiarum incertitudine.] Statim illos deprimit. Quid enim attolleris inquit, ob diuitiarum incertitudinem, ob rem incertam, caducã, & inconstantem?

Sed in Deo uiuente, qui præstat nobis omnia abundè ad fruendũ.] Hoc est, aerem, aquam, lumen, annuas temporũ conuersiones, & anni tempora, cæteraq; omnia, eaq; in magna copia, etiamsi auaritia omnia sibi ascribat quæcunq; à Deo accipit. Porrò solæ futuræ opes stabiles sunt. Hinc autem discis, q; Deus omnem hominem diuitẽ fecerit, quippe qui cuncta donauerit cõmunia. Vanus igitur est qui ut pauper contristatur. B

Omnis homo diues à Deo factus.

Bene agere, diuites fieri in bonis operibus.] Repete, Præcipe eis bene operari, & quæ sequuntur. Si enim ditari cupis, in beneficentia, seu boni operatione ditare.

Facilè tribuere.] Hoc pecuniarum est.

Communicare.] Illud est charitatis. Per communicantes hic, societatis amantes, & humanos intellige, quibus cæteri despicatui non habentur.

Thesaurizare sibi fundamentum bonum in futurum.] Vbi fundamentum est, ibi omnia sunt stabilia, firma, & immobilia. Quia uerò uirtus, & futuri seculi bona stabilia sunt, eam ob causam fundamenti meminit.

Vt apprehendant uitam æternam.] Bonorum enim operum peractio, quam & fundamentum nominauit, uitam æternam sibi conciliare potest.

O Timothee depositum custodi.] Hæc omnia, quę à me tibi sunt cõmissa, tanquam à Domino prouenientia custodi, neq; imminuas.

Deuitans prophanas † uocum uanitates.] Impuras nimirum & pollutas. Vocum autem uanitates, matæologias seu uaniloquentias dicit. Est igitur uocum quædam uanitas, quæ non sit prophana. Diuus autem Ioannes Chrysostomus recentes quasdam ac nouas adhortationes, uocum nouitates appellauit καινοφωνίας per αι diphthongum, in prima syllaba scribens, ut uidetur.

† κενοφωνίας per ε, à κενὸς, id est, uacuus, uanus. Alij legunt per αε, à καινὸς, id est, nouus, absurdus: ut etiã uulgatus interpres.

Et oppositiones falsi nominis scientiæ.] Quando enim fides non fuerit, sed ab humanis cogitationibus omnia nascuntur, scientia non est, sed mentitur nomen. Obserua autem obiectiones quasdam esse, ad quas ne respondendum quidem sit, sed uitandæ sunt eiusmodi, neq; enim est q; cum talibus conflictentur fideles.

Quam quidam promittentes, circa fidẽ exciderunt.] Necesse est eum qui humanas rationes sectatur, à fide aberrare & excidere: fides enim rationes non admittit neq; recipit. Opinor autem apostolũ hæc dicere de ijs qui tum nominabantur Gnostici, omni impuritate repleti: propterea & prophanas nominauit uocum nouitates siue uanitates. Horum autem hæreseos præses & author fuit Nicolaus ex septem diaconis unus.

Gratia tecum. Amen.] Sigillum omnium imprecatur ipsi, gratiã uidelicet Dei à qua datur etiam omne bonum, & custoditur, qua & nos utinam abundè fruamur, non perdentes bona quæ ab ipsa accepimus, sed cõseruantes hæc per ipsam, glorificantes Christum charismatum datorem, cum patre & spiritu, cui gloria in

secula. Amen.

Scripta est à Laodicea, quæ est metropolis Phrygiæ Pacatianæ.

THEOPHY-

THEOPHYLACTI BVLGARIAE ARCHIEPISCOPI in posteriorem diui Pauli ad Timotheum epistolam Enarratio.

ARGVMENTVM.

QVamnam alteram hanc Timotheo epistolam scribit? dixerat in priore, Spero me ad te uenturum celerius. non contigit autem hoc, detinebatur enim à Nerone. Consolatur itaq; illum per literas uice aduentus sui, qui fortasse affligebatur iam propter absentiam, & propter onus episcopatus. Nam & magni uiri ad ecclesiæ gubernationem labefactantur multis immersi undiq; procellis, tumq; maximè, quando undiq; bella instant. Reuocat autem Timotheum ad sese, quandoquidem proxime finem iam uitæ erat.

CAPVT I.

PAVLVS Apostolus Iesu Christi per uoluntatem Dei, secundum promissionem uitæ quæ est in Christo Iesu.] Ex ipso statim proœmio excitauit eius animum. Non enim hîc mihi pericula, inquit, dicas, nam illa nobis pariunt æternam uitam. Apostoli facti sumus ut moriamur, & uiuamus in sempiternum. Ne enim cum audiat præceptorem suum in periculis esse, turbetur potius, quàm consolationem accipiat, propterea ipso statim principio eum cõsolatur. Si autem secundũ promissionem est, ne quæras eam hinc iam. In Christo autem Iesu uita est, id est, cum Christo, uel quia ipse hanc nobis donat & continet. Sensibilis enim & corporea uita in cibo potuq;, spiritualis autem in Christo consistit, ipse enim est nobis omnia. *Vita sensibilis, & uita spiritualis.*

Timotheo dilecto filio.] Potest aliquis esse filius, sed non dilectus. Timotheus igitur dilectus erat propter uirtutem omnino. Ostendit igitur ex hoc quòd non ueluti iratus ipsi, aut quòd aliquid in eo damnet, ipsum relinquat, dilectus enim mihi es, inquit, sed uis & necessitas id efficit.

Gratia, misericordia, pax à Deo patre & Christo Iesu Domino nostro.] Quæ & prius, eadem etiamnum ipsi imprecatur. Lege igitur quæ in priore epistola sunt annotata ad hunc locum pertinentia.

Gratiam ago Deo.] Vides charitatis uehementiam & magnitudinem? Gratias ago, inquit, Deo, quoniam diligens te memini tui. Hæc est uera dilectio, quando quis amicitiam qua alium diligit, sibi gloriæ esse ducit.

Cui seruio à progenitoribus in pura conscientia.] Quomodo ex pura conscientia, cũ ignorarit Christũ ab initio? Aut igitur conscientiam hîc uitam dicit, etsi enim Iudaizaret, puram tamen & honestam uitam ducebat: uel quia tum etiam cum persequeretur Christum, ex zelo persequeretur: & non ex humana ratione uel cogitatione, perinde ac plerique ob uanam gloriam hæresin constituentes, in qua conscij sunt sibi multi putoris & putredinis. Quod autem dicit, tale est: Ne suspiceris me alia cogitare, & alia dicere: pura est mihi conscientia ut semper, sic etiamnum. Non mentior igitur, amo te, ac semper memini tui. *Pauli conscientia pura.*

Quòd sine intermissione habeam tui memoriam in orationibus meis nocte ac die, desiderans te uidere.] Gratias ago Deo, cui memini tui. Non simpliciter autem, sed in precationibus, die ac nocte Deum interpellans pro te, ut impleat desiderium meum quod habeo ut uideam te. Quomodo igitur priuarem meipsum tanta uoluptate, si modò uenire possem? Quur igitur manifestè non dicit causam, quòd retineatur impediaturq; à Nerone: ne perturbet ipsum ab initio. In fine autem hanc causam reuelat.

Memor lachrymarum tuarum, ut gaudio implear.] Sic coordina: Desiderans te uidere, ut gaudio implear: deinde per medium, Memor lachrymarum tuarum. Etsi enim natura ab amicitiæ charitatisq; affectu alienus essem, lachrymæ tamen tuæ sufficiunt ut me flectant, cum ad memoriam mihi redeunt. Verisimile enim erat Timotheum à Paulo diuulsum, lamentari magis, quàm infantem à mamma abstractum.

Recordationem accipiens eius fidei quæ est in te non ficta.] Non solùm lachrymarum tuarum recordatus, desidero te uidere, uerùm fidei etiam minimè dolosæ. Magna enim & iusta hæc tibi causa est ut diligaris à me.

Quæ primùm inhabitauit in auia tua Loide, & matre tua Eunice.] Aliud encomiũ, quòd non ab infidelibus ortum duxerit, sed à fidelibus, etsi ex Iudæis. Pater tamen eius Græcus erat. Obserua hîc quomodo lex cæperit dissolui huiusmodi factis iam tum cõmixtionibus. A

Persuasus sum autem quòd & in te.] Quoniam maiorum bona, si quidem nos tales simus, nos celebrant: sin minus, contumeliæ nobis loco sunt: propterea inquit, Maiorũ fides etiam in te est, perinde ac satis edoctus sum. Meritò igitur non fucatam hanc habes, ut quæ ex maioribus usq; tuis in te etiam fundata sit, ut adeò non possit concuti.

Maiorũ uirtus.

Propter quam causam admoneo te ut resuscites gratiam Dei.] Quia, inquit, noui te non simulatam habere fidem, excito te, ut gratiam spiritus quam accepisti ad præfectu ram ecclesiæ, ad signorum operationem, & simpliciter ad omnem quæ episcopum deceat uirtutem, ut hanc semper exuscites, ac uirentem & floridam facias. Quemadmodum enim ignis lignis indiget: hunc ad modum gratia spiritus opus habet promptitudine, & attentione, & sobria mente, ut semper ferueat. nam nisi hæc præstò sint, extinguitur. quemadmodum & alio in loco dicit, Spiritum nolite extinguere.

1. Thess. 5.

Quæ est in te per impositionem manuum mearum.] In te quidem habitat ipsa gratia, quam accepisti cum imponerem ego tibi manus, quando episcopum te seligebam & consecrabam. Atqui ignem istum uehementiorem & maiorem effice: quod accepisti uerbum, fiducia libertateq; imple ac fortitudine, staq; ingenuè.

Non enim dedit nobis Deus spiritum timoris, sed uirtutis.] Hoc est, non propterea accepimus spiritum, ut submittamur, uerùm ut potentes simus aduersum tentationes, & liberè loquamur, magnam spem in Deum collocantes. plerisq; enim dat spiritum timoris, ut in Regum libris memoriæ proditum: Accecidit spiritus timoris super eos, hoc est, metum ipsis incussit. B

Spiritus timoris.

1. Reg. 7.

Et charitatis.] Tum erga ipsum, tum erga proximum. Quòd enim Deum & patrem diligamus, ex spiritu habemus faciente nos clamare Abba pater. Nec excidere uel decuti à proximi charitate, donum est à diuina potentia proueniens: quemadmodũ rursus offendi, est à metu & pusillanimitate. Veruntamen oportet & nos priores ostendere quæ sunt à nobis ipsis.

Rom. 8.

Et sobrietatis.] Vel ut sobrij simus, & sani mente & constitutione, ut spiritum ipsum habeamus eruditionis castigationisq; loco: ac siqua nobis tentatio aduenerit, ad castigationem seu institutionem illam ipsam recipiamus. Vel ut & alijs simus castigatores & institutores.

Noli itaq; erubescere testimonium Domini nostri.] Plericq; ter miseri, humanis rationibus explorantes quę sunt ultra humani ingenij captum, ignominiam putant esse uerare filium Dei crucifixum esse, ignorantes q; per crucem hanc condemnatus homo & morti obnoxius, filius Dei factus sit. Te itaq; ô Timothee, haud pudeat testimonij siue martyrij, necnon mortis Christi quam in cruce sustinuit: sed eo potius liberius loquere & cõfidenter, diuulgaq; mortem illã. Non dixit aũt, Ne metuas: sed, Ne te pudeat, siue, ne erubescas: ut ostendat nihil esse periculi in re, sed solam ignominiã: quam si contempseris, salua erunt extraq; periculum cætera.

Neq; me uinctum eius.] Ne pudeas, inquit, si ego mortuos excitans, orbis terrarum doctor & præceptor, uinctus sim. non enim ut maleficus uinctus sum, sed ipsius uinctus sum, hoc est, propter ipsum. Si enim ille crucem non erubuit, quomodo me uinculorum pudebit?

Sed simul affligere cum euangelio.] Hoc est, non simpliciter ostendas te minimè pudere euangelij, uerũ experientia & per opera ostende, efficiarisq; particeps Christi & mei in ijsdem afflictionibus. Hæc autem & per superiora indicauit, dicẽs: Dedit nobis spiritum uirtutis siue potentiæ. Quid aũt est simul adfligere, unà adflictionem patere cũ Euangelio? an ne Euangeliũ adfligitur, seu mala patitur? Atqui ita nõ habet, sed uel hoc dicit, compatere mihi, ac simul mecũ affligere propter Euangeliũ: uel Euangelion appellat omnes Euãgelij prędicones & mystas, sicut & in priori ad Corinthios. Simul igitur affligere cũ euangelij ministris. Fortasse aũt curiosius afflictionem tolerantiãq; malorum Euangelij dicet impedimentum & incredulitatem. Tu igitur unà pericula subito cum adeò patiente Euangelio.

1. Cor. 9.

Secundum

A Secundum uirtutem Dei.] Quia durum erat affligi unà, lenit illud quadam consolatione. Non enim, inquit, tua uirtute siue potentia, sed Christi, hoc facies: tua est electio & promptitudo.

Qui seruauit nos, & uocauit uocatione sancta.] Potentiæ Dei signa ob oculos ponit. Seruauit enim, inquit, nos, & qui procul eramus, uocauit ad seipsum, ut sanctos nos faceret. Qui igitur nolentes seruauit, multo magis nunc uolentibus succurret.

Non secundum opera nostra, sed secundum propositum suum & gratiam.] Nullo cogente, nemine consulente, uerùm ex proprio proposito ac consilio, hoc est, per sese ex sua bonitate motus.

Quæ data est nobis in Christo Iesu ante tempora secularia.] Hoc est, præformatam, sine principio & ante secula ut daretur nobis per Christum Iesum Dominũ nostrum. Non parui autem est momenti res, Deum non * ex postera uel consequenti quadam deliberatione, sed priusquam conderetur mundus ac tempora, hæc uoluisse. Ait ergo:

Manifestata est aũt nunc per * apparitionẽ seruatoris nostri Iesu Christi.] Etiamsi enim prædefinita erat gratia, nũc tamẽ primũ manifestata est, quãdo apparuit Seruator.

Qui destruxit quidẽ mortẽ, illuminauit aũt uitã & incorruptionẽ per euangeliũ.] In proprio quidẽ corpore reipsa & ope mortẽ deleuit, cũ illud reddidit incorruptũ, nos uerò per Euangeliũ illuminauit, ut uitã speremus, & immortalitatẽ, quàm nobis per Euangeliũ cõfirmauit. Qui etsi nondũ sumus immortales effecti & incorrupti, id tñ fore spes est.

Ad quod positus sum ego prædicator & apostolus, doctorq; gentiũ.] Cuius rei gratia doctorẽ gentiũ nunc se appellauit: ut Timotheo ostendat oportere etiã ipsum cũ gentibus conuersari, neque propterea decidere animo, sed me potius, inquit, imitaberis, qui propter euangelij præconium iam uinctus sum, captiuusq; detineor.

Ob quã causam etiam hæc patior.] Quod sim prædicator gentiũ. non enim ut scelestus aut maratus lefactor hæc sustineo. Simul autem sermoni suo parit fidem. Nisi enim, inquit, credidissem mortem esse abolitam ac deiectam, næ haud eiusmodi paterer.

B Sed non pudefio.] Animaduertis quomodo operibus probet quod Timotheum docebat, ne puderet eum afflictionum.

Scio enim cui credidi, & certus sum quòd potens est depositũ meum seruare in illum diem.] Deus bone, quanta hæc fiducia: quàm indubitata spes: Noui, inquit, sumq; certo persuasus. Depositum autem, uel fidem ac prædicationẽ dicit, quòd ipse qui hæc apud me reposuit, Christus, eadem seruabit: omniaq; patior, ne thesauro isto meo spolier. Vel fideles dicit, quos Christus ipse commendauit, aut quos ipse acquisiuit & commendauit Domino: sicut & alio in loco dicit, Commendo uos Domino. perinde ac si dicat, Non erubesco, sperãs me non paucos adhuc adducturũ Deo, quos & custodiet, ut illorũ gratia me glorificet. Vel depositũ dicit mercedẽ seu compensationẽ laborum. qui enim boni quicquã agit, ueluti apud Deũ isthuc reponit, ut per ipsum coronetur.

Formam habe sanorum sermonum.] Pictoris instar depinxi atq; expressi tibi imaginem & archetypum, ad quem respiciens & ipse, hanc sermonum meorum formam depingere possis, hoc est, archetypum habe: ac si quid pingendũ fuerit, ab hac imagine sume, ac pinge: omnia enim illa reposita sunt in ea.

Quos à me audiuisti.] Non per literas tantum, uerùm coram, ore ad os. Ne igitur mancas putemus epistolas, uel aliquid eis deesse, ut quæ non de omnibus tradiderint: multa nanq; apostolus coràm etiam tradidit, ac sine literis docuit.

In fide & dilectione, quæ est in Christo Iesu.] Hoc est, sermones mei fidem & charitatem tradũt, hoc est, de doctrina & uita disserũt, & si quid docere uel dicere oporteat, uel agere quod uirtutem spiret, illinc tibi petere licet.

Bonum depositũ custodi, per spiritum sanctũ qui inhabitat in nobis.] Nimirũ quæ de fide, quæ de uita tradita sunt tibi præcepta, uel donum seu gratiam quam accepisti, quemadmodum suprà dixit. Quomodo autem custodies: nõ humano robore, sed per spiritũ sanctum, qui demoratur in nobis per baptisma: quem spiritũ si seruauerimus, nec abigamus prauis operibus, custodit & ipse nobis quæcunq; adeò habemus. Da igitur operam, ut custodias spiritum, & ipse rursus seruabit tibi depositum. Nisi enim Dominus custodierit ciuitatem, frustra uigilat qui custodit eam.

Nouisti hoc, quòd auersi sint à me omnes qui sunt in Asia, ex quibus est Phygellus

&

* ἐκ μετα μελείας. Dei prædestinatio.

* ἐπιφανείας, apparitionem, aduentum, illustrationem.

Depositum Pauli.

Act. 20.

& Hermogenes.] Tentationes recenset, non ut deijciat discipulum, sed ut magis persua A
deat, ne si in consimiles tentationes incidat, noua se pati arbitretur, sed æquo eiusmodi animo ferat. Cum enim à Nerone comprehensus esset, dereliquerunt eum omnes qui in Asia erant, hoc est, qui ex Asia Romæ tum præsentes erant.

Det misericordiam Dominus Onesiphori domui.] Vide Pauli philosophiam & animi modestiam. Eos qui à se defecerant, non execratus est, sed simpliciter rem gestam denarrauit. ei autem qui sui curã gesserat, imprecatur misericordiam Dei: nec ipsi tantummodo, uerumetiam uniuersæ eius domui. Adeò enim uirtute fulserunt, adeò præclarè eos Onesiphorus instituerat.

Quoniam sæpe me refrigerauit.] Tanquam athletam quempiam squalore afflictionũ detentum, refrigeratione me dignatus est, non semel, sed sæpius. Hanc ad rationem & nos facere oportet, undiq; ac semper iuuare, eos qui boni quippiam exercent: sic enim fiet ut participes præmij eorum reddamur. Atqui de Paulo hîc mihi uerba non facias, siquidem Paulus etiamsi neminem habuisset adiuuantem se, permansisset tamen firmus. At fortasse si quis alius in tentationes inciderit, haud perseuerabit, nisi habuerit suffulcientem. Si igitur aliquis inuentus fuerit qui eum adiutet, eiusq; curam gerat, planum est talem uictoriæ eius consortem fieri. quòd si uictorię, coronarum etiam. Nam & in bellis apud ueteres qui sarcinas & impedimenta custodiebant, æqualem cum militibus prædam sortiebantur.

Nec puduit eum cathenæ meæ.] Vbiq; pudorem dicit, non periculum, adhortans atq; consolans Timotheum, quòd sola contumelia seu pudor, haud periculum præstò sit. Atqui periculum certè aderat: nam & Nero sęuiebat aduersus Paulum, ut qui insti tuisset quempiam ex domesticis ipsius.

Verùm cum esset Romæ, diligentius quæsiuit me, & inuenit.] Non solum, inquit, non fugit meum occursum, sed quæsiuit etiam, & inuenit: quod magnæ est fortitudinis & fidei argumentum.

Det ei Dominus inuenire misericordiam à Domino in die illa.] Misertus est mei, in B
quit, recipiat igitur retributionem in tremenda die, quando multa misericordia opus erit etiã omnibus sanctis. Si aũt Onesiphorus, q; pro Christi nomine periculis sese obiecit, per misericordiam seruatur, quanto potius nos? Hîc prosiliunt Marcionis dogma sequentes. En duo, inquiunt, Domini. Sed non ita res habet, unus est enim Dominus,
Eph. 4. sicut & hic ipse Paulus alio in loco ait. Est autem in more scripturæ sic uti sermone, ut,
Gen. 19. Pluit Dominus à Domino, hoc est, à seipso. Hunc ad modũ & hîc. Quòd si patrẽ & filiũ hîc significari acceperis, nihil absurdi admittetur: nã & pater Dominus est, & filius Dominus, & spiritus Dominus, sed unus tamẽ Dominus tribus illis personis indicat. Animaduerte q; hîc non dixerit, Det ei Dominus aliud quiddam: sed misericordiam.

Et quanta Ephesi ministrauit mihi, tu melius nosti.] Familiaris est, inquit, boni operatio. non semel enim fecit, sed Ephesi & Romę. Talem operę precium est esse Christianum, ut semper bonum operetur, per omnem etiam uitæ cursum.

CAPVT II.

TV igitur fili mi cõfortare.] Quid ais? Dixisti pauloante te uinctum esse adeoq; omnes te deseruisse: iam uerò quasi nihil triste patiaris, infers, Tu igitur fili mi confortare & corroborare. Næ, ob hoc ipsum tu magis, quia ego captiuus detineor, robustus esto. Si enim ego præceptor non paterer, potuisses forsan tu succumbere tanquam qui ob iuuentutem & rerum inexperientiam in pericula incidisses. Iam uerò haud parum tibi consolationis præbet ut generosè feras quæ tibi euenient, quandoquidem & ipse huiusmodi patiar, tanq; rei natura pericula habeat, non tua imperitia: quoniam in uniuersum unusquisq; inferior in quacũq; causa cũ in pericula inciderit, magnã accipit cõsolationem, si uideat se maiorem ijsdem immergi. Expende aũt q; paterno affectu adhortetur, fili mi dicens, ueluti animum uerbo instillauit. Si filius es, patrem imitare.

In gratia quæ est in Christo Iesu.] Non solùm meo exemplo confortare, uerùm per gratiam maximè Christi. Illam habe colluctantem tibi, per quam accepimus potestatẽ ut conculcemus omnem potentiam hostis, ut à nullo offendamur.

Et quæ audiuisti à me per multos testes.] Quæ audiuisti, non quæ inquisiuisti: fides e-
Rom. 10. nim ex auditu. Audiuisti aũt nõ clanculũ, sed liberè & palã, multis præsentib. Nõnulli

autem

A autem multos testes legem & prophetas intellexerunt, scripturis enim innumeris firmabatur & coagmentabatur mihi sermo.

Hæc commenda fidelibus hominibus.] Nō ait, Dic: sed, Commenda siue depone, ueluti in thesauro, quod enim commēdatur & deponitur, ut in tuto sit reponitur. Reddit autem per hæc discipulum attentiorem. Fidelibus, non disputatiuis, aut ratiocinantibus, disceptantibusue: fidelibus, depositum non prodentibus.

Qui idonei erunt & alios docere.] Quid enim prodest, si quis ipse fidelis, omnia citra inquisitionem & hæsitationem accipiat, non possit autem apud alios excellere doctrina, nec in alios transfundere institutionem? Ac rursus non prodat ipse quidem uerbū, non possit autem alios eo instituere? Duo igitur habere oportet doctorem: alterum, ut fidelis sit: alterum, ut docere possit. Hæc nimirum de presbyteris & episcopis ipsi tradit atq; ordinat, non de prophanis uel laicis: nam hoc absurdum est, siquidem & Græcis & Iudæis scripserit. Opinor autem ipsum de quibusdam secretioribus hæc dicere, quæ sint fidelibus ac doctrinæ capacibus, qui & alios instituere queant, committenda.

Tu igitur feras afflictionem, ut bonus miles Christi.] Animaduertis, aduersa duraq; pati, esse militis. Itaq; aduersa & grauia nolle pati, haudquaq; militis est officiū. Non est igitur ægro ferendum animo, si quis acerbas calamitates sustineat, cum sit in militū ordine. At quanta dignitas est, militem esse Christi, cum magnificum quid existiment quidam, terreni regis milites esse?

Nemo qui militat, implicatur uitæ negotijs, ut ei qui se in militiam delegit placeat.] Hæc ad omnes tam episcopos q̄; doctores dicta sunt. Significantem autem uim habet, Implicatur. reuera nāq; nexus & serpentes sunt talia. Negotijs porrò dicens, tumultus ac turbas notauit, per ipsa etiam uocabula dehortans. Quid teipsum innectis? quid in turbas atq; negocia teipsum iniicis & implicas? Solam militiam cura, sic placebis imperatori tuo Christo, qui te in militiam delegit.

Quòd si certet etiam aliquis, non coronatur nisi legitimè certauerit.] Hoc est, non si
B certamen inierit, hoc satis est: neq; si inunctus fuerit, neq; si manus conieruerit, nisi & alias de cibo potuq; ac temperantia athletis sancitas leges obseruarit, atq; eas quæ luctę modum & morem respiciunt. Non enim simpliciter pro sua cuiq; libidine permittitur luctari, uerū leges sunt hac de re athleticæ. Hic Pauli sapientiam expende. Militis meminit, ut indicet q; ad cædem & mortes oporteat paratos esse. Atq; etiam athletæ, ut in omnibus perseueret, ac in exercitio semper uiuat.

Laborantem agricolam oportet primùm de fructibus accipere.] Tertium hîc exemplum profert, quod præceptori magis est conueniens. Militis enim & athletæ paradigmata subditis etiam conueniunt. colonus autem non suijpsius curam gerit, sed terræ, haudq; exiguam compensationem accipit à frugum prouentu. Hunc ad modum præceptor non inutiliter laborat, uerùm præ alijs ipse fruetur suis sudoribus, Deo abundè mercedem ei reddente. Ne quis igitur ægro sit animo erga futuram quæ differtur compensationem ac mercedem: iam nunc, inquit, recipis, ac in ipso tibi abore est retributio, si nihil aliud, securitas certè animarū tibi ingens inde lucrum est. Nōnulli autem de honore doctrinæ exhibendo hoc dicunt: at id rationi non est consentaneum. Animaduerte porrò, quòd non simpliciter agricolam dixerit, sed laborantem, hoc est, qui cædi tur afflīgiturq;, non qui simpliciter operatur.

Intellige quæ dico.] Quia obscurè quadantenus omnia dixit de milite, de athleta, de agricola: intellige, inquit. Huius enim rei gratia hæc dixi, ut te exacuāt atq; excitent. Deinde imprecatur ei ut genuino filio.

Det enim tibi Dominus intellectum in omnibus.] Non solum in his quæ dixi, uerumetiam in uerbis & operibus omnibus.

Memor esto Dominum Iesum Christum resurrexisse à mortuis ex semine Dauid.] Hoc dicit propter hæreticos. Nam & tum fuerunt qui ignominiam arbitrabantur filiū Dei pati, ac propterea fortasse phātastica induxerunt. Adeò enim humiliatus est Deus propter nos, ut erubescant etiam homines talem tantamq; humiliationem Deo applicare. Producit autem ideo etiam hęc in medium, ut animum ei addat, ostendens quòd & ipse præceptor noster Christus, per passionem & afflictionem uicerit mortem. Isthuc, inquit, recordare, & haud labefactaberis ad afflictiones. *Christi humiliatio.*

Secundum

Secundum euangelium meum.] Fuerũt enim quidam qui alia prædicauerint: atqui non illis, uerùm euangelio est intendendum. A

In quo labore usq; ad uincula, quasi malè operans.] Iterum à seipso consolatur discipulum, & quòd affligatur dicens, & quòd prauam opinionem auferat.

Sed uerbum Dei non est alligatum.] Ne quis dicat, Ecquæ est commoditas? quid uerò mirum quòd ligatus es? Ostende mihi lucrum, ostende mihi aliquid mirandũ. Hoc est, inquit, mirandum, quia uerbum nõ est ligatum. Nunquid enim sensibile opus est, ut impediatur ligato corpore? Diuina res est uerbum, Deiq; uerbum. Nobis autem ligatis solutum est & currit, ecce enim ligati scribimus & prædicamus: uidisti quod est admirandum, uidisti lucrum.

Ideo omnia sustineo propter electos.] En & isthuc habet adhortationem. Non pro meipso enim patior, inquit, sed pro aliorum salute, non ut ego glorificer, sed ut alij. Qui uerò sunt illi? electi Dei. Si igitur Deus ipsos elegit, omnia oportet nos pati pro ipsis.

Vt & ipsi salutem consequantur, quæ est in Christo Iesu.] Et ipsi, quemadmodum & nos, salutem consequantur. Quemadmodum propter nos Deus passus est ut seruemur, sic & nos patiamur propter illos, recompensatio itaq; hæc res est, nõ gratia. Præterea ne quis ei obijciat, Quid ais? Tu in uinculis periturus es, & alijs salutis futurus es autor? Arrogans es ostentator, inquit. Non hanc corporalem salutem dico, sed eã quæ est in Christo Iesu, ueram ac celebrem; corporalis enim salus est in gloria. Audi enim quæ sequuntur.

Cum gloria æterna.] Non solum ut seruentur, sed quod maius est, ut glorificentur nobiscum in sempiternum. Quare etiam si ignominiam & pudorem habeant uincula, gloriam tamen præbent electis, eamq; sempiternam. Quòd si alijs, multo magis & mihi, qui hisce sum constrictus. Ne igitur mei causa contristeris. B

Fidelis sermo.] Quia plerique ambigunt de futura uita & gloria, dicentes, Quando uiuo, tum mortibus trador: & quando mortuus fuero, uiuam? idq; genus alia: propterea stabilit ac firmat sermonẽ, inquiens, Fidelis sermo, qualis? Quòd electi celebrem & æternam salutem adsequentur.

Nam si commortui sumus, & conuiuemus.] Confirmat idem humanis etiam rationibus. Nam & suprà indicium dedit cum diceret, Memento Iesum resurrexisse à mortuis. indicat enim quòd post mortem resurrexerit. Quomodo igitur confirmat? Si in tristibus communicamus, in commodis non similiter? Atqui hoc ne homo quidem faceret, quanto minus Deus, qui fons est iustitiæ & bonitatis? Mortem autem dicit tum eam quæ per baptisma est, tum eam quæ per passiones & tentationes.

Mors in baptismate.

Si sustinemus, & conregnabimus.] Non satis est semel in mortem se quempiam tradere, sed semper morti se obijciat necesse est. In singulos enim dies, inquit, morior. Multa igitur patientia nobis opus est ad hoc, ut simul regnare cum Christo nobis obueniat.

1. Cor. 15.

Si negabimus, & ille negabit nos.] Et ijs quæ à contrario contingent, confirmat rationem suam. Non enim in bonis tantummodo, uerumetiam in malis sunt permutationes compensationesq;. Qui enim, inquit, negauerit me, negabo & ego eum. Cogita autem tecum in animo, quanta sit ille passurus, & in quantam sit uerisimile calamitatem ipsum lapsurum, qui à Christo abnegatus fuerit.

Matt. 10.

Si non credimus, ille fidelis permanet.] Si non credimus quòd resurrexit, nihil is inde lædit: ipse namq; uerus & stabilis est, siue asseramus, siue negemus.

Negare seipsum non potest.] Hoc est, non potest non esse, non habet naturam, ut in nihilum abeat, & esse desinat. semper enim manet, etiamsi nos non confiteamur illum. Proinde non ad illum uenit commoditas aut noxa, siue profiteamur ipsum, siue negemus, uerùm ad nos utraq; perueniunt.

Hæc commone.] Ne quis existimet Timotheum ipsum habuisse opus hac institutione, Alios, inquit, admoneas.

Testificans coram Domino, non contendere uerbis, ad nullam utilitatem, ad subuersionem audientium.] Quia cupiditas huic rei inest, adeoq; humana natura nunquam non cupit inquirere atq; uerbis contendere disputando de rebus: Tu, inquit, ipsis testificare

A ficare coram Domino, ne sint contentiosi: hoc est, præcipe ipsis, in testem Deum assumens, ut sciant si cõtempserint, eum iudicem istorum fore. Nihil enim commodat uerborum pugna, neq; quicquam lucri habet, sed multum hinc detrimenti nascitur. Subuertitur enim fides auditorum, ut turris aliqua, à uectibus disputationum. *Verborum pugna uitã da.*

Solicitè cura teipsum probatum exhibere Deo operarium inconfusibilem.] Interpretatur quomodo probatus fiat, nimirũ si operarius sit inconfusibilis: hoc est, si nihil eorum quæ ad pietatem pertinere uideantur, facere pudeat. Sic enim probatus eris apud Dominũ, si omnia eius causa sustineas, omnia opereris. Vbiq; sedulò mentionem facit pudoris, eo q; multis ignominiosa res uidebatur crux Christi, ac prædicatio eius plebeia & rudis, tandem & ipsi apostoli uiles & contempti habebantur, ut qui extrema paterentur. Tu igitur, inquit, ne rubore suffundaris. 1. Cor. 4.

*Rectè tractantem uerbũ ueritatis.] Plericq; enim diuellunt ipsum, & aliò distrahunt: tu uerò ad id quod rectum est, adducito. Vel quia non dixit, dirigentem, aliud quiddã nobis intelligẽdum dedit per ὀρθοτομοῦντα. Veluti enim de pelle quapiam & loro superflua quedam & corrupta continente, incidas uel dissecces inquit, aliena ex præconio uerbi, & excinde gladio uerbi. *ὀρθοτομοῦντα. rectè secantem si ue incidentem, uel rectè tractantem. Dictionis compositionem à recte secando ductam notat hic Theophyl.*

Prophana autem inaniloquia deuita.] πόρισασο, hoc est, fuge. Vbiq; aũt diuus Ioan. Chrysosto. pro κενοφωνίας, καινοφωνίας legit, hoc est, pro inaniloquia, ipse nouitates uocum legit & intellígit, studium nouandi uel nouarũ rerum seu sectarum accipiens. Nõ nulli πόρισασο, pro ualde insta ut cessare facias & prohibeas, accipiunt, quòd sanè non conuenit. *κὼς τὰ γαγγραινα νομὼ ἔχει. ut cancer morbus pastionem habebit, siue crescet ac serpet.*

Ad maiorem enim impietatem proficiẽt, quorum sermo, † ut cancer, serpit.] Malum est, inquit, quod retineri nõ possit, nec medicinam admittit: nam omnia uastant & perdunt incorrigibiles permanentes. Gangręna enim uel cancer, morbus est putredinem efficiens, adeoq; circumcirca omnia depascens.

Ex quibus est Hymenæus & Phyletus, qui à ueritate exciderunt, dicentes resurre-
B ctionem iam factam esse, ac subuertũt quorundam fidem.] Rectè pauloantè dixit, Ad maiorem impietatem proficient. Videtur enim malum hoc unicum esse, quod de resurrectione disseminant: multa tamen ex eo alia absurda nascũtur. Si enim resurrectio iam facta est, sublatum est iudicium, & retributio, tum boni hîc retulerunt mœrores & afflictiones. praui autem per delicias hîc scilicet ac uoluptates puniti sunt. Porrò quid deinceps boni est reliquum, si huiusmodi sint remunerationes? Nón dixit aũt, Omniũ fidem subuertunt, sed quorundam, nempe debiliorum, magisq; marcidorũ. Infert igit:

Sed firmum fundamentum Dei stat.] Quod dicit, est huiusmodi: Nõ omnes subuersi sunt, sed instabiles tantũ. nisi enim tales fuissent, non excidissent à fide, quemadmodum neq; Adam ante oppugnationem firmus erat. Nam qui fixi sunt & bene fundati, steterunt firmi & immobiles. Aduerte autem nõ secus esse fidei inhærendum, quàm firmissimo fundamento.

Habens signaculum hoc, Nouit Dominus qui sint sui: ac, discedat ab iniquitate omnis qui nominat nomen Domini.] Hoc est, habens tanquam lapis seu gemma quæpiam literas quasdam & notas sibi insculptas per opera, easq; sibi conuenientes: nempe istud, Nouit Dominus, & quæ sequuntur: hoc est, à Deo sunt pręcogniti, ut qui omnino ad eum pertineant, atq; electi sint ut ne peruertantur cum marcidioribus atq; putridioribus. Iniquitatem autem errorem appellat in dogmatibus, uel simpliciter quamcunq; iniustitiam. Qui enim iniurius est, non est huius fundamenti, non est Dei. Quomodo enim, illius qui iustus est: non habet ipsum signaculum. Expende autem tecum rectius. Quòd si is qui nominat nomen Domini, ab iniustitia desistere debet: sic qui non desistit, ne dignus quidem est qui nomen Domini nominet. Non est enim specio sa laus in ore peccatoris. *Electorũ sigillum.*

In magna autem domo non solùm sunt uasa aurea & argentea, uerumetiam lignea atq; *testacea.] Quia multi turbati quærũt quam ob causam sint in mundo praui, aliis causis dimissis, nunc hãc reddit: propterea quòd & in magna domo uasa sunt diuersa. Magnã autem domum mundum dicit, non ipsam ecclesiam: in ea enim nihil uult esse ligneum, sed omnia sunt aurea & argentea, ubi Christi corpus est, ubi uirginitas est nõ habens maculam. *ὀστράκινα testacea, qua & fictilia dicũtur.

Et quædã quidem sunt in honorem, quædã aũt in contumeliã.] Aurea sanè uasa, hoc est, uirtutibus compti, ad honorem: lignea uerò ac testacea, hoc est, scelerati, ad ignominiam seruantur. Non dixit utilia & inutilia: praui enim etsi non ad uirtutem, ad mundi tamen constitutionem utiles sunt, & ad quasdam dispensationes, ut Pharao. A

Si quis ergo emundauerit se ab istis, erit uas in honorem sanctificatum.] Animaduertis quòd non est naturæ, neq; materialis necessitatis, ut Manichæi dicunt, esse aureum ac testaceum quempiam, sed uoluntatis nostræ. Licet enim cuiuis seipsum emundare, hoc est, perfectè mundare à testacea ac lignea uoluntate, aureamq; & argenteam efficere uel constituere. Paulus erat testaceus, sed factus est aureus: Iudas contrà aureus erat, sed factus est testaceus. Atqui si testacea siue fictilia contemnuntur & uituperantur, quomodo alio in loco dicit, Habentes thesaurum hunc in uasis fictilibus? Illic de corporis natura loquitur. quo modo enim testa nihil est aliud atque lutum torrefactum, sic & corpus nostrum nihil aliud est atque lutum, animæ calore firmatum. Hîc autem de uoluntate uerba facit & consilio.

Voluntatis nostræ libertas.

2.Cor.4.

Vt utile Domino.] Lignea igitur inutilia sunt ad præcipuum scopum Domini Dei, qui uult omneis homines saluos fieri, etiamsi uideantur alia quadam ratione, ut dictũ est, utilia esse.

1.Tim.2.

Ad omne opus bonum paratum.] Hoc est, etiamsi tempus uel opportunitas agendi non fuerit, attamen paratum ac præparatum erit, siue ut sanguine & uita Christum testetur, siue ut uirginitatis statum teneat.

Iuuenilia autem desideria fuge.] Iuueniles cupiditates non solius fornicationis sunt, uerùm etiam omnis absurda concupiscentia. ut siquis potestatem uel imperium expetat, si pecunias & diuitias: stultæ enim sunt eiusmodi cupiditates & imaginationes, instabiliumq; mentium. Reputa autem tecum, quomodo nonnunquam grandæuus ac senio confectus aliquis, iuuenilibus affectibus ducatur. B

Sectare iustitiam.] Per iustitiam, omnem uirtutem complectitur.

Fidem.] Veram & stabilem, & erga eos quos ames affectum. perinde quasi dicat, Ne sis infidelis & instabilis. Statim igitur infert:

Charitatem, pacem cum ijs qui inuocant Dominum ex puro corde.] Hoc est, illis fide tantummodo, qui citra simulationem & dolum inuocant Dominum, pacificis, pugna carentibus, inuocantibus Dominum: cum illis inquam conuersare.

Stultas autem & sine disciplina quæstiones deuita, sciens quòd generent pugnas.] Viden' quomodo nusquam non abducat ipsum à quæstionibus: non quòd non abunde satis posset eas refellere & confutare, poterat enim, uerùm quòd inutile erat omnino in huiusmodi sese certamina inijcere, nihil enim boni ex eis proficiscitur, sed uel pugnæ uel odia inde prodeunt. Hasce igitur deuita, stultas nimirum. Proinde sunt & aliæ quæstiones, nempe de scripturis, quæ non fugienda, ut quę nõ generent contentiones & pugnas. Attende itaq; quomodo aberrent qui in quæstionibus utiq; quæ de scripturis sunt contendunt & pugnant.

Seruum autem Domini non oportet pugnare, sed mansuetũ esse ad omneis.] ἥπιον id est mitẽ, mansuetũ. Quomodo igitur dicit, Argue ipsum cum omni imperio & seuere? &, Nemo tuam adolescentiã contemnat? Eò quòd uehemens reprehensio tum maximè mordeat, quãdo cum mansuetudine contingat. Licet enim, licet inquam, potius cum mansuetudine pungere, q; cum asperitate ad ruborem & pudorem conuertere.

1.Tim.4.

ad Tit.2.

Propensum ad docendum.] Eos uidelicet qui discere uolunt. Hæreticum enim post unam & alteram admonitionem deuita.

ad Tit.3.

* ἀνεξίκακον .i. patientem, malorum tolerantem.

* Patientem.] Hoc enim potissimum eum habere conuenit, ut expectet nimirum conuersionem, ac semper quidem docẽdo perseueret: nec statim desistat ac desperet. Considera enim quod sequitur.

* πραότητι ὑποδεικνύοντα .i. erudientẽ, corripientẽ, castigantem.

Cum mansuetudine erudientem eos qui resistant.] Cum exasperatione nãq; & pugna haud quicquã commodorũ cernere poterit tua anima, eò quòd eum qui aliquis cõmodi percepturus sit, oporteat prę omnibus alijs amico esse affectu erga præceptorem. Quomodo autem bene affectus esse possit erga insolescentem & contumeliosus? Qui igitur dicit, Hæreticum hominem post unam & alterã admonitionem deuita? Illic inmendabilem dicit, quem nouit insanabili morbo laborare: hîc autem illis loquitur, qui nondum

A nondum omnem medicinam refugiunt: quod è sequentibus etiam planum est.

Si quando dederit eis Deus pœnitentiam ad cognoscēdam ueritatem.] †Fortasse, inquit, corrigentur, & in melius animum suum permutabunt. Istud autem fortasse, de incertis est ac dubijs. Proinde ab ijs qui palàm medelam non admittunt, qui sunt inemendabiles, abstinendum est: de quorum autem salute adhuc hæsitatur, correctio est tentanda. Porrò hîc tecum reputa, quomodo docens humilem mentis affectum, non dixerit, fortasse possis, sed fortasse dederit eis Dominus resipiscere. Etiam si istud contingat, Domini est, tu itaq; ne attollere. Itaq; etsi cuipiam nos persuaserimus, ne existimemus quòd ipsi persuadeamus. †μήποτε, num quando, si quando, seu forte, fortasse. Hic enim dubitantis est.

Et resipiscāt à diaboli laqueo.] Hęc non de doctrina tantum, uerumetiam de uita intellige. In laqueo nanq; diaboli sunt homines, non solùm dogmatum causa, uerumetiā uitæ. Quocirca & qui circa uitam labuntur, tolerāter corrigendi sunt. Vt enim passer etiamsi una tantum parte, pede nimirum, contineatur, sub manu tamen est & potestate eius qui laqueum fixit: consimilem ad modum & nos, etiamsi non utriſq;, hoc est, fide & uita detineamur, sed solum ex uita, in potestate diaboli sumus. Cōparatio pulchra.

A quo captiui tenentur ad ipsius uoluntatem.] In errore, inquit, natant, sed capti à Deo sunt ad ipsius uoluntatem, id est Dei: fortasse resipiscent ab aquis erroris. Volūtas autem Dei est, non solùm credere, uerumetiam rectè uiuere. Quare de uita etiam hæc intellige, non solùm de dogmatibus. Quidam autem à quo captiui, hoc est diabolo, intellexerunt, & reliqua ad eundem modum.

CAPVT III.

HOc autem scito, quòd in diebus nouissimis instabunt tempora periculosa.] Quia non pauci scelerati temporibus Pauli fuerunt, ut ne propter huiusmodi perturbetur Timotheus, prædixit ei in domo magna, & cætera. nūc uerò ait, tales etiam posthac futuros. Quinetiam temporibus Mosæ Iannes & Iambres fuerunt, quare non est hodie noua ista hæc res, neq; ad te usq; pertinget tantum, ne igitur ægrè feras. Tempora porrò periculosa siue difficilia, id est ualde mala. Non de diebus aūt hoc intelligendū, quæ enim diei malitia est? uerùm de illorum dierum malis & rebus & hominibus. Nā & nos in consueto nobis sermone tempora dicimus mala, & bona, à rebus quæ in ijs eueniunt, aut ab hominibus, bonis uel malis. Suprà 2. B Tēpora difficilia et mala.

Erunt enim homines seipsos amantes.] Statim quod omnium malorum est causa, ponit, non quæ proximi sunt, sed quæ sua tantum ipsius, spectare. φιλαυτὸς enim ille est, qui se solum tantūmodo amat: ex quo contingit, ut ne seipsum quidem tandem uerè amet. Quemadmodū enim & in membris, unius offensio & damnum ad reliqua etiam membra pertransit, & in ædificijs pari ratione: sic & in ecclesia qui fratrem suum negligit, seseq; tantummodo curat, seipsum etiam perdit.

†Auari.] Cum dixisset radicem, infert speciatim & ab ea enatos ramos, quorum & primus & maximus, argenti est cupiditas, uel auaritia. perinde nāq; ac ex charitate omne bonum, sic ex philautia, id est amore sui, omne malum profluit. Charitati ea est opposita: nam charitas est lata, & quocūq; effunditur: philautia uerò latitudinem eius in arctum constringit, & in unum tantummodo contrahit. †φιλάργυροι, auari, pecuniæ cupidi.

Elati.] Hoc est arrogantes, qui sese aduersus alios efferunt & ostentant.

Superbi, blasphemi.] Procedente malitia, ad Deū usq; iniuria pertingit. Quādo enim aliquis aduersus homines arrogans fuerit, sibiq; omnem uirtutem adscripserit, & non diuinæ gratiæ, tum iam blasphemus est.

Parentibus non obedientes, ingrati, scelesti, sine affectione, sine pace.] Idq; non immeritò: nam qui Deum blasphemant, quomodo parentes uenerabuntur? Qui autem parentes suos non honorat, erga omnes ingratus planè. Qui autem talis est, is est & scelestus: quia sanctitatem & id quod debet, reijcit. Quinetiam à charitatis affectu sunt alieni. quem enim alium dilectionis affectu complectetur, qui benefactorem suum respuit? Et sine pace nemini reconciliatur, cum nemine fœdus sancit, si ne cum ipso quidem benefactore.

†Criminatores.] Hoc est, omnibus maledicētes. Qui enim nullus boni sibi cōscius est, omnes alios criminatur, sibi ipsi hoc pacto consolationem quandam acquirere uisus, & excogitans. † διάβολοι, criminatores, calūniatores, delatores.

Incontinentes.]lingua scilicet & uentre, alijsq; cunctis. A

Immites.] Animaduertis quonam faciat amor sui & auaritia: belluas nimirum pro hominibus.

Sine benignitate.]Omnis boni hostes.

Proditores.]Amicitiæ.

†πρωτετεῖς, præcipites, temerarij, protervi, petulantes.

† Præcipites.]Hoc est instabiles, nihil stabile & firmum habentes.

Tumidi.]arrogantia pleni.

Voluptatũ amatores magis quàm Dei.] Necessariò hoc sequitur, ubi nanque amor est delectabilium huius mundi, illic diuinum desiderium non est.

Habentes speciem pietatis, uirtutẽ aũt eius abnegãtes.]Hoc est figurã & speciẽ quandã pietatis prę se ferũt, ac simulãt tantũ, operibus aũt eã negãt. Obserua aũt hic uim & uirtutẽ fidei atq; adeò neruos p opera monstrari: meritò igit dicit sine operib. esse mortua. Speciẽ aũt siue formã alio in loco apostolus de bono assumpsit. præceptor enim formationem cognitionis & scientiæ habet, hoc est, fingit & format scientiã in discipulis. Iacob. 2.

Et hos deuita.] Si in extremis temporibus erunt, quomodo dicit, Et hos deuita siue auersare? Verisimile quidem est tunc etiã tales fuisse quosdã, & si non omnino tanta potentia & copia, fuisse tamen. perinde ac si dicat, tales cum etiamnũ inueniuntur, deuita: sicut & subdit, Ex his sunt qui penetrant domos. Vel quia postremos dies, eos dicit diuus Paulus, qui obitum statim suum secuturi essent, in quibus Timotheus adhuc superstes futurus erat. Vel, quod etiã uerius magnus ille Chrysostomus iudicat per Timotheum, omnes uerbi ministros adeoq; fideles adhortatur ut tales fugiant.

Ex his enim sunt qui penetrant domos.] Impudentiam eorũ illiberalem indicat per hoc quod ait, Qui penetrãt uel irrepũt, tum adulationem & impostur ę magnitudinẽ.

Et captiuas ducũt mulierculas.]Nõ dixit decipientes, sed captiuas ducentes, tanquã mancipijs utentes. talis enim est qui decipitur. Obserua aũt mulierum esse decipi, imò potius muliercularum. Proinde uir si in fraudem inducatur, muliercula dicit queat.

†σωρευόμενα, onerias, accumulatus, cumulo uel acerno peccatorum obrutas. † Oneratas peccatis.]Peccatorum copiam indicat, & inordinatam & cõfusam uitã. B Nõ enim simpliciter mulieribus imponunt, nec enim natura est accusanda, uerùm habentes cumulũ peccatorũ, decipiũt. Qui enim nullius sibi boni conscius est, prauis doctoribus facile obtẽperat, seipsum consolãs quasi non sit daturus pœnas ppter opa sua.

Quæ uarijs desiderijs aguntur.]Pecuniarum uidelicet, gloriæ, deliciarũ mundi muliebris, notat autem & turpes cupiditates. Obserua autem quòd agendi uerbo hic utat, tanquam de brutis pecoribus loquatur.

Semper discentes, & nunquã ad scientiam ueritatis peruenire ualentes.]Venia itaq; dignæ sunt? Nequaquam, sed uenia potius priuandæ. Quia enim seipsas peccatis accumularunt & cupiditatibus, excæcata est illarum mens. Quare quod non possint discere, non est naturæ, sed uoluntati earum adscribendum.

Exod. 7. Quemadmodũ autem Iannes & Iambres restiterunt Mosi, ita & hi resistunt ueritati.]Magi isti fuerunt Mosis temporibus. Vnde autem nomina horum norat Paulus, cũ scriptura non indicarit? Vel citra scripturam tradita sunt per maiorum memoriam & commemorationem: uel per spiritum sanctum uerisimile est ea nouisse Paulum.

Homines mente corrupti, reprobi circa fidem.] Quando mentem quispiam perturbationibus, prauisq; affectibus corruperit, tum reprobus efficitur circa fidem. Dixit enim insipiens, non est Deus. Vnde? quia corrupti sunt & execrabiles facti sunt in iniquitatibus. Incorrupta igitur mens fidem recipit. Est ergo nauãda nobis opera, ne prauis affectionibus corrumpamur, & locum apud nos inueniat fidei adulteratio, deprauatioue. Psal. 13. Ezech. 7.

Sed ultrà non proficient.] Quomodo igitur alio in loco dicit, Ad maiorem impietatem proficient? Illic hoc affirmat, Orsi praua dogmata, non desistent ab impostura, sed semper magis noua inuenient: hic autem hoc dicit, quòd non decipient neq; arripient multos, uerùm etiamsi maximi impostores uideantur, deprehendentur tamen. Infert igitur

Supra 2. *ἄνοια, dementia, insipientia, ignorantia apud Ambrosium

*Insipientia enim eorum perspicua erit omnibus, sicut & illorum fuit.]Si nõ adhibes fidem dictis meis, ex ijs quæ Magis illis contigerunt, disce. Nam illi conuicti sunt & reprehensi, quippe qui per uanam illusionem miracula ederent, atq; seducerent spectatores

A ctatores, cum Moses reuera signa & prodigia ostenderet & operaretur. Quocirca o-
mnis impostura ad tempus durat.

Tu autem assecutus es meam doctrinam.] Illi quidem tales sunt, tu uerò nostra ex-
actè nosti, ac tenes quòd non sint talia: nō enim simpliciter apud me moratus es: enim-
uero es etiam assectatus, id est, longo apud me tempore permansisti, & omnibus meis
rebus attendisti animum: sortis itaq; esto, ac resiste aduersarijs. Doctrinam, quod ad ser
monem attinet.

Institutionem.] Hoc de uita & moribus accipiendum.

Propositum.] Id est, promptitudinem, adeoq; uirilem animæ constitutionem. Non
enim dicebam solùm, uerùm & faciebam.

Fidem.] Hoc est, in doctrina ueritatis constantiam, uel eam fidem quæ in periculis
non sinit desperare, sed fidere Deo facit, quòd is nos sit erepturus.

Longanimitatem.] Erga hæreticos, non enim tumultuabar, neq; ciebam turbas, sed
quemuis cum mansuetudine excipiebam.

Patientiam.] Erga persecutiones.

Persecutiones, passiones.] Nedum, inquit, persecutionibus obnoxius eram, uerum-
etiam patiebar. Quia uerò hæc duo maximè perturbant doctorem, cùm quòd hæreti-
ci sint, tum quòd afflictiones patiatur: de hæreticis multa sanè disseruit, persuadens Ti-
motheo ne turbetur. Quod ad afflictiones attinet, suas ipsius calamitates enarrat, disci-
pulo animum addens.

Qualia mihi facta sunt Antiochiæ, Iconij, Lystris.] Antiochiam Pisidiæ dicit: ex Ly *Act. 13. & 14.*
stris autem erat Timotheus oriundus. Quam ob causam autem harum tantummodo
B meminit? Quia Timotheo notiores erant, uel alijs recentiores etiam afflictiones. Ob-
serua autem, quî non hæc speciatim dicat: non enim ostentationis causa, sed ut discipu-
lum consoletur, hæc necessariò scribit.

Quales persecutiones sustinui, & ex omnibus eripuit me Dominus.] Vtraq; hæc in-
dicat Timotheo. Ego, inquit, promptus & paratus eram ad eas quas me sustinere opor
tebat afflictiones, ac Deus non deserebat me. Quare & tu sis promptus, sic futurum est
ut non derelinquaris à Deo.

Et omnes qui piè uolunt uiuere in Christo Iesu, persecutionem patientur.] Et hæc sa
nè maxima est consolatio. quid enim de me solo uerba facio? Quotquot enim piè uiue
re instituūt, & secundum Euangelium, persecutionem patientur. Persecutiones autem *Persecutio-*
hic dicit non eas solas quæ ab incredulis imminent, sed etiam afflictiones istas simplici *nes Christia-*
ter, & mœrores ac dolores, quos uirtute pręditi sustinēt. Tētationis enim locus est uita *norum.*
hominis, iuxta diuū Iob: & q̄ angustū iter ingredit, necessariò premitur, uel affligitur. *Iob 14.*

Mali aūt homines & seductores proficient in peius, errantes, & in errorem mitten-
tes.] Nihil te perturbet, si isti in tranquillitate agant, tu uerò tentationibus quatiaris. sic
habet natura rerum. Nudatus es, exutus es ad certamen: necesse est igitur sudoribus te
refertum esse. Stolidum est igitur in certamine ipso & lucta laxamentum quærere. Ac
etiamsi uideantur feliciorem habere successum, nō est tamen isthæc res successus, quòd
isti proficiant & pergant in errore ac deceptione. Interpretans enim quid sit in peius,
dixit in errorem mittere & errare, siue seducere & seduci.

Tu uerò mane in ijs quæ didicisti, & credita sunt tibi.] Tu autem, inquit, impermu-
tabilis esto, & noli æmulari in malignātibus: neq; in homine qui prosperatur in uia sua.
Non simpliciter autem didicisti, sed & credita sunt tibi siue abs te, hoc est, cum certitu-
dine didicisti. Proinde etiāsi diuersum cernas ab eo quod credidisti, ne turberis: quan-
doquidem & Abraham postquam audiuisset, in Isaac uocabitur tibi semen, cum post *Gen. 22. et*
hac iugulare cum iuberetur, non turbabatur. *25.*

Sciens à quo didiceris, & quòd ab infantia sacras literas nosti.] Duas causas adducit
propter quas oporteat eū immobilē permanere, ut adeò nō moueatur à firma mentis
sententia: Quoniam non abs quouis, inquit, didicisti, sed à Paulo. perinde est autem ac
si diceret, à Christo: Et quia non heri, aut nuper didicisti, sed ab infantia, ac radices egit
in te scientia pietatis: quare non permittet aliquid stultè facere, ut plerique solent. qui e-
nim scripturas perinde nouit ut oportet, nunquam peruertetur. Sacras autem literas,
diuinam appellat scripturam. Hoc porrò est aduersus Simonem & Manetem, & om-

nes qui ueterem scripturam adeoq; uetus testamentum prauum appellant. A

Quæ te possunt instruere ad salutem, per fidem Iesu Christi.] Non quemadmodum externa scientia hominem instituit ad fraudem & impostu ras, & uerborũ pugnas, ex quibus animæ interitus prouenit, sic diuina cognitio, sed ea instituit ad salutem. qualem? non eam quæ est per opera, non quæ per uerba, sed quæ est per fidem Iesu Christi. Perducens enim sacra scriptura hominem ut Christo credat, salutem ei conciliat.

Omnis scriptura diuinitus inspirata & utilis.] Cum non paucos consolationis modos dixisset, maximam iamnunc profert, quæ est ex lectione sacrarum literarum. Denunciaturus est enim ei quidpiam triste, nimirum quòd instet sibi uitæ terminus. Ne igitur despondeat animum, qui orbetur conformatore & adiutore: Habes, inquit, scripturas, quæ mei loco te iuuare possunt. Solet autem hîc quæri à nonnullis, quomodo dixerit, Omnis scriptura diuinitus inspirata: nunquid igitur & Græcorum siue gentilium scripturæ diuinitus sunt inspiratæ? At ita quidam pressi distinctionem ponunt ad istud, Diuinitus inspirata, dicentes, Omnis scriptura, quæ est diuinitus inspirata, illa est etiam utilis. Oportebat autem eos nouisse quòd suprà dixerit, Sacras literas nosti. Ait ergo quòd omnis scriptura, qualis? de qua differebat, ac de qua dixit quòd sacra. Omnis igitur huiusmodi, diuinitus est inspirata, & utilis ad omnia quæ deinceps recenset.

Ad docendum.] Prodest nobis, docens nos si quid sit discendum, nihil enim est quod non possit sacra scriptura dilui.

Ad arguendum.] Si uana & falsa sint arguenda, inde etiam fieri potest.

Ad corrigendum, ad erudiendum in iustitia.] Si quid sit, inquit, corrigendum, si instituendus quisquam, hoc est, erudiendus ad iustitiam, hoc est ut iusta trãsigat, hoc etiã è scripturis tibi præstò erit. B

Vt sit perfectus homo Dei.] Correctio & emendatio fit ex scripturis, ut nihil bonorum desit homini Dei. Quocirca si tu quoq; uelis perfectus esse, & sanus, uel semper idem, neq; in tristibus contractus, neq; in commodis inflatus, quod euenire solet ijs qui instabili mente fluctuant, has habe cõsultrices pro me. Quòd si Timotheo spiritus sancti pleno scripsit de lectione sacrarum literarum, quãto potius hoc nobis præcipit? Observa autem quòd sine scripturis quisquam non possit esse perfectus.

Scripturarum lectio necessaria.

Ad omne opus bonum consummatus.] Non simpliciter bonorum operum particeps, sed consummatus, hoc est perfectus: nõ ad hoc quidem, ad isthuc uerò non item, sed ad omne.

CAPVT IIII.

1. Tim. 6. TEstificor igitur ego coram Deo, & Domino Iesu Christo qui iudicaturus est uiuos & mortuos.] Perterrefecit Timotheum cum suprà dixisset, Præcipio tibi corã Deo qui uiuificat omnia: nunc autem horribiliorem facit sermonem, iudicij illius mentione facta. Illum enim, inquit, qui pœnas exacturus est, testem facio, quòd neq; hoc te celauerim. Viuentes autem & mortuos, uel peccatores dicit & iustos, uel qui iam abierunt ex hoc seculo, & qui tum relinquendi sunt uiuentes: quidam autem & animas & corpora hîc intellexerunt.

* κατὰ τὴν ἐπιφάνειαν *iuxta aduẽtũ, uel in aduentu siue apparitione & illustratione sua.*

*Per aduentum suum, & regnũ suum.] Qui tunc iudicaturus est, inquit, in apparitione uel aduentu suo qui erit cum gloria & regno, non enim adeò tum utilis & contemptus aduenier, ut antehac.

Prædica uerbum.] Quid est quod testificor? Prædica uerbum, ne cohibeas donum & gratiam quæ in te est. Terrore concutiamur qui non prædicamus.

Insta opportunè, importunè.] Veluti cum immoratione & instantia loquere, non semel, sed semper. Non sit tibi statum tempus, sed importunè etiam, hoc est, cum in periculis fueris, & extra ecclesiam, loquere & prædica: & opportunè, hoc est, cum in pace & extra trepidationem fueris, & in ecclesia. Opportunum enim & importunum iuxta uulgi opinionem dixit. arbitratur enim opportunitatem, quietem & laxationem: importunitatem uerò, tempus periculosum. Ac rursus opportunitatem doctrinæ uocat in ecclesia esse: importunitatem uerò, extra hanc esse. Vel aliter, Ne expectes tempus lapsus: enimuero priusquam impingat peccator, doce.

Argue.] Cum uideris opus esse reprehensione, hoc est, cum uideris peccantem uel peccaturum, ne prætermittas.

Increpa.]

A Increpa.] Postquam argueris atq; demonstraueris eum deliquisse, tum increpa: id est, pœnam & supplicium impone.

† Consolare.] Increpatio similis uidetur sectioni, consolatio uerò pharmaco suaui. Consolationis ergo pharmacum appone, ut ne sola sectio dolores uehementiores faciens, ad desperationem præcipitet.

† παρακάλεσον, id est, obsecra, consolare, uel exhortare. sic παράκλησις, obsecratio, consolatio, uel exhortatio.

In omni longanimitate ac doctrina.] Hoc ad omnia prædicta construe. Arguere nanq; in longanimitate oportet, ut non omnibus simpliciter credat: & in doctrina, ut doceatur quomodo is peccauerit, & quódnam sit peccatum. Sic decet etiam increpare in longanimitate, nec tanquā hosti pœnam irrogare aut infligere, sed uelut filio institutionem dare, & in doctrina docere cum quódnam sit lucrum mulctæ, quæue commoditas. Consolatio autem maximè opus habet longanimitate & doctrina: nec in uulgari longanimitate, sed in omni quæ omnibus modis demonstratur, operibus nimirum, uerbis, atq; habitu siue gestu.

Erit enim tempus, quando sanam doctrinam non sustinebunt.] Priusquam ergo labefactentur, anteuerte eos. propterea & suprà dixit, Opportunè, importunè, tantisper dum obtemperent, omnia age.

Sed ad sua desideria coaceruabunt sibi doctores.] Temerariam & inconsultam doctorum turbam per uerbum Coaceruabūt significauit, & propterea quòd à uulgo deligantur, quod nihil pro ratione facit: sed eos eligit & prouehit qui cupiditatibus ipsius consentiant, ac quæ ad uoluptatem eius pertinent, tum dicant, tum agant.

Prurientes auribus.] Hoc est, oblectati auribus, ac titillati, semper cōcupiscentes audire quæ placeant.

B Et à ueritate quidem auditum auertent, ad fabulas autem conuertentur.] Animaduertis q non ueluti ex ignorantia errent, sed suapte sponte? Auertent enim aures, inquit, & conuertentur: malum itaq; uoluntarium est. Hoc autem dicit, non ut in mœrorem conijciat discipulum, sed ut persuadeat ei, ut præsenti, quod formidine uacet, tempore utatur quemadmodum conuenit. Sin aduenerit periculosum, ut generosè ac strenuè ferat, quemadmodum & Christus dixit, Tradent uos, & flagellabunt: sic & iste, Post abitum meum intrabunt lupi graues. Matt. 10. Act. 20.

Tu autem uigila in omnibus, malum sustine.] Viden' q propterea ut uigilaret, hæc prædixerit: perinde ac si dicat, priusquā adueniat uastatio illa, quandiu non adsunt lupi, sustine afflictiones, uel uoluntarias, uel etiam uiolentas, ut in tuto res tuas colloces.

Opus fac euangelistæ.] Proinde opus Euangelistæ est malum sustinere, tum quod à sese sumitur, tum quod ab alijs infligitur.

Ministerium tuum imple.] πληροφόρησον, id est comple. Tum itaq; ministerium completur, cum aliquis malum & iniuriam sustinet.

Ego enim iam delibor, ac tempus resolutionis instat meæ.] Nō dixit sacrificor, sed quod maius est. Non enim uniuersum quod ex uictima est, tribuitur Deo: uerū quod libaminis est, totum ad Deum refertur.

Bonum certamen certaui.] Cur Paulus hæc de sese magna prædicat & gloriatur? Non gloriatur, neq; fastu turgidus hæc dicit: uerùm discipulum suum cōsolatur ne doleat super ipso, quippe qui finem iam bonum assequutus sit, & ad coronas per obitum abeat. Quemadmodum si pater emoriens consoletur filium assidentem sibi, atq; plorantē, & dicat, Fili mi ne plora, bene uiximus, trophæa erexímus, & statuimus, rex noster magnas agit nobis gratias, poteris etiam tu admirationi esse & laudari ob res à nobis gestas. Est enim planū q hæc dicat pater, gnatū suum laudibus excitans, ut leuius ferat discessum & obitū. Consimilem ad rationē Paulus hîc Timotheū consolatur, hanc ueluti testamentū condens epistolam. Certamen, inquit, bonū certaui, proinde tu etiā Timothee idem apprehende. Atqui hîc cathena, hîc uincula: bonúmne id certamē est ô Paule? Næ, inquit, propter hoc ipsum q uinculis & carcere teneor, bonum est. propter Christū enim hæc fiunt. In certaminibus externis & prophanis multos dies transigunt mortales, & in una hora coronā accipiunt: hîc aūt in perpetuū splendor apud certantes perdurabit. Eapropter bonū est certamen, hoc est delectabile atq; decorum.

Cursum consummaui.] A Hierusalem enim & circuitu eius usq; ad Illyricū impleuit Euangeliū. Sic currebat innumera discecans impedimenta, mortes, insidias, calami Rom. 15.

tates, perinde quasi igneas haberet alas, quibus celerrimè omnia peruolaret. A

Fidem seruaui.] Haud pauca enim erant quæ hanc deprædari tentabāt, minæ, mor
Luc.12. tes, suauium rerum promissiones, uerùm ipse ad omnia restitit, sobrius, semperq; uigi-
lans, ac furem obseruans.

In reliquo mihi reposita est corona iustitiæ.] Sufficiebant sanè quæ dixerat, ad con-
solationem, atqui præmia etiam hîc opponit, ut eo excitet uehementius Timotheum.
Non enim dolere oportet quòd abeam coronam accepturus. Iustitiam autem hîc rur-
sus omnem uirtutem appellat.

Quam reddet mihi Dominus in illa die iustus iudex.] Non dixit dabit, sed reddet,
ueluti debitum quoddam. iustus enim cum sit omnino laboribus mercedem definiet.
Debitum itaq; est corona, propter iudicis iustitiam.

Non solùm autem mihi, uerumetiam omnibus diligentibus aduentum ipsius.] Hîc
Aduentum Christi quis diligat. Timotheum ipsum rursus excitat. si enim omnibus, multo magis tibi. Quis autem di-
ligit eius aduentum? qui digna eo facit. Quare qui non facit, non uidetur diligere ap-
parítionem aduentumq; eius, imò deprecari etiam ipsum, ne digna factis recipiat. ἐπι-
φάνειαν autē, id est apparitio siue aduentus aut illustratio, dicitur, eo quòd à supernis ap-
pareat, ac è supernis oriatur. Ante uniuersalem autem apparitionem eius, altera quæ-
dam est, secundum quam ipse seipsum dignis exhibet atq; ostendit, sed non mundo. Et
Ioan.14. rursus: Ego, inquit, & pater ueniemus, & mansionem apud eum faciemus.

Festina ad me uenire citò.] Cur ad sese Timotheum uocat, maximè cum ecclesia
Ephesina ei esset concredita cum tota illa gente? Quia uinctus detinebatur, & conclu-
sus erat à Nerone, nec poterat ipse ad eum proficisci, hanc ob rationem Romam il-
lum accersit, uolens fortasse multa ei, priusquam mortem oppetat, commendare, ac ue B
lut apud ipsum deponere.

Demas enim me reliquit, diligens hoc seculum, & abijt Thessalonicam. Non dixit,
Vt te uideam priusquā ego moriar, ut ne mœrore eum afficiat, uerū quia solus sim, nec
habeam qui adiuuet me in Euāgelio, festina uenire. Quid autem est quod ait, Diligēs
Seculi huius amor. hoc seculum? hoc est, amans ocium & laxamentum huius uitæ, & uitam periculorum
expertem, ac quietis plenam: maluit potius domi suæ in delicijs agere, quàm mecum
affligi. Hunc autem solum accusat, non eo consilio, ut criminetur eum, sed ut nos ful-
ciat atq; confirmet, ut ne in periculis langueamus: simul autem ut Timotheum ad sese
citius pertrahat.

Crescens in Galatiam, Titus in Dalmatiam.] Hos non accusat iam, nam Titus ex
admirandis erat admodum Euāgelij ministris, unde & Creta insula ei commissa esset.
Hi duo igitur, non ueluti diligentes mundum hunc abierunt, sed prædicandi forsan
uerbi gratia, uel aliam ob necessitatem.

Lucas est solus mecum.] Hic enim citra diuulsionē ullam Paulo adhærebat, qui &
2.Cor.2. Euangelium conscripsit, actaq; catholica. De hoc scribens Paulus, Cuius laus, inquit,
est in Euangelio per omneis ecclesias.

Marcum assume & adduc tecum, est enim mihi utilis ad ministerium.] Non ad sui
recreationem hæc dicit, uerùm ad ministerium Euangelij. Etenim in uinculis agens,
nō desistebat prædicare uerbū. Timotheū igitur nō suijpsius causa uocabat, sed Euan-
gelij nomine, ut nulla perturbatio fidelibus nasceretur obitus sui tempore, multis eius
discipulis præsentibus, prohibentibusq; perturbationem, adhortantibusq; & consolan
tibus eos qui eius obitum ægerrimè ferebant. Etenim uerisimile est homines fuisse gra
ues & authoritate magnos qui Romæ crediderant.

Tychicum autem misi Ephesum.] Solus itaq; relictus, opus habeo præsentia tua.

Penulam quam reliqui Troade apud Carpum, ueniens tecū affer, & libros.] Pal-
lium quoddam hîc dicit, quod quærit, ut non habeat opus ab alio accipere. Vbiq; autē
multam prouidentiam facit, ut non indigeat alijs. Nonnulli capsulam hîc intelligunt
qua libri repositi erant. Quid autem libris opus habebat, migraturus ad Deum? ut ip-
sos fidelibus commendaret, quos suo loco haberent.

† χαλ-κεὺς, faber erarius. Maximè membranas.] Forsan commoda quædam continebant.

Alexander† ærarius multa mala mihi ostendit.] Meminit tentationis huius non ut
eum accuset, uerùm ut discipulo persuadeat strenuè & æquo animo ferre, à uilibus &
inglorijs,

A inglorijs, adductas tentationes. Plericq; enim à grauibus uiris & magnis tentati, isthuc fuerunt, consolationem habentes ipsam affligentium excellentiam: uerùm à uilibus & abiectis pati, uehementer angit. Propterea & Paulus dixit, Multa mala mihi ostendit, pro excellenter afflixit atq; uehementer. Alioqui etiam qui inglorij sunt & obscuri, multorum existimationem minimi facientes, si quempiam affligere cœperint, nullo modo parcunt. *A uilibus & abiectis pati, durissimum.*

Reddat ei Dominus secundum opera eius.] Confide, inquit, haud impunè hæc ei succedent, sed reddat ei Deus, pro reddet. Nam prophetia potius est, quàm imprecatio. Non tanquam sancti consentiant supplicijs, uel accurrant, hoc à diuo Paulo dictum est: uerùm q; uerbi prædicatio indigeat impedientium se compressione & cohibitione, tum quòd & imbecilliores hinc plurimum consolationis recipiant.

Quem & tu deuita.] Non dixit, Supplicio affice, aut puni: nam licebat per gratiam spiritus facere hæc: sed deuitare, siue cauere, hoc est, secedere ac declinare ab eo iubet, Deo uindicta pœnaq; relicta.

Valde nanq; restitit uerbis nostris.] Hoc est, pugnat aduersum me, aduersaturq; prædicationis meæ uerbis.

In prima mea defensione nemo mihi adfuit, sed omnes me dereliquerunt.] Rursum alias tentationes enarrat, ut acrius discipulum ad certamen inungat. Primam autem defensionem qualem dicit? Exhibitus fuit primùm Neroni, & effugit mortem, adeò ut ab eo etiam tempore prædicaret uerbum. Postquam autem pincernam eius ad Christum conuertit, & instituit in religione Christi, insania exæstuans Nero obtruncauit eum. Tristitiam autem indicat quod ait, Omnes me dereliquerunt: perinde quasi dicat, Domestici mei me prodiderunt, omnicq; consolatione destitutus sum. Quocirca & tu periculis comprehensus, me exemplum tibi sume, ad consolationem. *Act. 28.* *Pauli cædes.*

Non imputetur ipsis.] Animaduertis quomodo parcat suis? Atqui rem arduam admiserant familiares atq; domestici eius, adeoq; cooperatores, cum deseruerunt eum. B non enim æquale habetur, ab externis contemni, & ab amicis. Attamen precatur ne isthuc imputetur eis, apud Deum uidelicet, cum aliàs peccatum sit ingens, ac dignum quod imputetur.

Dominus autem mihi astitit.] En rursus consolatio discipulo. Statuit enim ante conspectum, quòd Deus non sinat eum grauia pericula sustinere, qui ab hominibus derelinquitur.

Et confortauit me.] Hoc est, fiduciam dedit, nec permisit me occumbere.

Vt per me prædicatio impleatur.] Obserua ingentem eius humilitatem. Non enim quòd dignus sim eius dono, cõfortauit me, sed ut prædicatio per me impleatur, hoc est, stabiliatur, uel ad finem perueniat, & impleatur: quemadmodum si quis purpuram ac diadema regium gestet, ac per hæc seruetur.

Et audiant omnes gentes.] Hoc est, ut perspicua fiat & uerbi gloria, & cura Dei circa prouidentiam mortalium.

Ac liberauit me ex ore leonis.] Hoc est, Neronis. Leonẽ hunc appellat, propter imperij robur, & inuictas uires. Vide autem quàm parum à morte abfuerim, cum in leonis fauces inciderim.

Et liberabit me Dominus ab omni opere malo.] Tum quidem à corporali morte me eripuit. Posteaquam uerò satis prædicauerim, spero quòd & liberabit me non deinceps quidem à morte corporea, iam enim delibor, cæterùm ab omni peccato: hoc est, non sinet me languere ac labefactari ad mortem, uerùm dabit mihi ut ad sanguinem usq; resistam aduersus peccatum, quod est liberari à spirituali leone. Maior igitur hæc salus est, quando uidetur esse traditus in mortem, quàm prior, quando euasit.

Et saluum faciet in regnum suum cœleste.] Hoc est, eripiet me ex omni peccato, illic autem custodiet. Hoc enim est seruari in regnũ, in hoc mundo propter illud mori. nam qui odit animã suam, in uitam æternam custodiet eam. Proinde ea uera salus est, quando illic fulgebimus. *Ioan. 12.*

Cui gloria in secula seculorum, Amen.] Ecce gloriam perinde filio tribuit, ut patri, nam ipse est Dominus.

Saluta

Matt.10. Saluta Priscillam & Aquilam.] Hi sunt qui Apollinem assumpserunt, instituerũtq; apud quos & ipse Paulus hospitatus est, quorum subinde meminit. Priore autem loco fœminam ponit, ut quæ in fide magis enituerit, & feruentior fuerit: nam & Apollinẽ ipsa instituerat in fide: uel citra aliquod discrimen hoc facit. Salutationem porrò texit, partim ut consolationem præbeat, partim ut honorem & charitatem indicet per hanc: ac quod maius est, multam gratiam per hanc impertiens. Sufficit enim uel sola beati diuiq; illius Pauli salutatio, multa implere gratia salutatum. A

Et Onesiphori domum.] Hoc est, eos qui sunt in ædibus eius. Nam ipse Romæ erat, Paulo in uinculis seruiens, ut prædictum est. Per salutationem autem hanc & ipsos promptiores reddit ut talia aggrediantur.

Erastus mansit Corinthi. Trophimum autem reliqui infirmum Mileti.] Quia horum nondũ meminit, nunc mentionem illorũ facit, ostendens undiq; sese destitutum, ut attrahat ad se Timotheum, quo celerius ueniat. Cuius autem rei gratia non curauit Trophimum ægrotantem? Quia non omnia potuerunt sancti, Deo hoc faciente, ut ne homines, ipsos Deos faciant. Sic & Moses cum à puero gracilis & infirmæ uocis esset, non sanauit semetipsum, neq; in terrã promissionis ingressus est, ut ne Deus existimaretur. Hunc ad modum ille ipse Paulus stimulum habebat. Miletus autem prope Ephesum est. Num igitur quando nauigarunt in Iudæam, reliquerit ipsum Mileti Paulus, uel postquã Romam uenisset, rursus in eas terras redierit, adfirmare haud possumus.

Festina ante hyemẽ uenire.] Quia undiq; relictus sum, ut uidere licet, matura aduentum tuum ad me. Non dixit autem, priusquã morior ego, triste nanq; hoc erat, uerùm ut ne prohibearis hyeme, & non uideas me uidelicet, etiamsi hoc non sit dictum.

Salutat te Eubulus & Pudens & Linus.] Hunc Linum tradunt nõnulli secundum post Petrum fuisse Episcopum Romanorum ecclesiæ.

Et Claudia.] Animaduertis quomodo & fœminæ feruidæ fuerint, spiritusq; sancti igni accensæ, & crucifixæ mundo. Nam illarum genus uirili non est inferius, si uelit, atq; in rebus ad uitam conseruandam necessarijs plurimum conferunt & commodant humanæ societati, quippe quæ domus curã susceperint, atq; uiros à curis liberent, quo liberius ciuilia negocia tractent. Quinetiam in spiritualibus temperantiã exercentes, magis possunt quàm uiri sanctificationem & puritatem exhibere, atq; ieiuniũ. Adeò nihil est obstaculi fœminis ad uirtutem, si modò uelint. B

Mulierum cõmendatio.

Et fratres omnes.] Non porrò nominẽ tenus horũ meminit. Cum igitur tot essent fideles, illorum duntaxat meminit nominatim, ut qui maiori splendore præ cæteris luceant, ceu qui excesserint iam ex huius mundi rebus, seruentioreq; sint spiritu.

Dominus Iesus Christus cũ spiritu tuo.] Ne doleas (inquit) quòd discedam, Dominus enim tecum est. Nec dixit, Tecum: sed, Cũ spiritu tuo. Duplex est auxilium, alterum gratiæ spiritus, alterum Dei succurrentis ipsi gratiæ. Quin & aliud indicat, tum nimirum Dominum esse nobiscum, quando spiritum eius nobiscum habuerimus, nõ abigentes ipsum per malitiam.

Dominus quando nobiscum sit.

Gratia † nobiscum. Amen.] Sibi ipse tandem etiam imprecatur, ut semper sint grati, Deoq; bene placeant, gratiamq; apud ipsum obtineant. Perinde ac qui imperatorem cernit, apudq; eum gratiam obtinet, nihil tristitiæ sentit: hunc ad modum si amicis destituamur, & in pericula incidamus, nullius sensum percipiemus, illius gratia nos muniente firmanteq;. Hoc autem alia ratione contingere non potest, quàm si placentia Domino operemur, sicut & in ædibus, strui illi apud heros suos gratiã inueniunt, qui gratã ipsis faciunt: eadem ratione unusquisq; nostrũm gratiam habebit apud communem dominum, si quæ illius sunt curet. Sic enim illius prouidentiam per omnia consequetur. Ipsi gloria in secula. Amen.

† μεθ' ἡμῶν, id est, nobiscũ, sic & Chrys. alij μεθ' ὑμῶν uobiscũ in persona secunda legunt.

Scripta est à Roma ad Timotheum secunda, cum Paulus iteratò Cæsari Neroni sisteretur.

THEOPHY-

A

THEOPHYLACTI BVLGARIAE ARCHIEPISCOPI in diui Pauli ad Titum epistolam Enarratio.

ARGVMENTVM.

INter omnes qui cum Paulo uersati sunt, probatissimus eam esset Titus, Episcopus propterea Cretæ magnæ illius insulæ electus est, totiq; episcoporũ cùm iudicium tum ordinatio ei demandata est. Porrò quæ desint, replere ipse, ceu omnino probatus, per hanc iubetur epistolam, quam scripsit ei Paulus priusquam uinctus teneretur, cumq; adhuc extra metum consisteret. Nusquam enim tentationum hîc meminit, unde hæc mihi uidetur prior esse ea quam ad Timotheũ dedit. nam illam scripsit eam proximè finem esset. Frequenter autem hîc gratiæ meminit, qua seruati sumus, sufficientem illhanc consolationem esse sciens. Qui enim apud sese reputat quisnam olim fuerit quantis sit postea beneficijs donatus ex dono & gratia, dabit operam omnino, ne ad iracundiam prouocet benefactorem. Inuehitur autem aduersus Iudæos. Quod si uerò uniuersum genus ut contumelia dignum detestetur, ne mireris. Non enim ut procax & contumelioſus, cæterùm ut amans Dei & zelator hoc facit, perinde ac Christus innumeris modis increpabat scribas, non sui nomine, sed quia alios perdebant. Breuem autem conscribit epistolam, ut uel hinc Titi uirtutem discamus, quòd huiusmodi uir non habeat opus multis uerbis, sed ueluti admonitione quadam. Matt. 15. & 23.

CAPVT I.

PAVLVS seruus Dei, Apostolus autem Iesu Christi.] Indiscriminatim hæc ponit, aliàs quidem seruum Christi, Apostolum autem Dei, nunc uice uersa. nullã enim nouit differentiã inter patrem & filium.

B Secundum fidem electorum Dei, & agnitionem ueritatis quæ est secundum pietatem. Multipliciter hoc intelliges, uel quod Apostolus sum, ut electi per me credant: uel quod sim factus Apostolus, non ob mea merita, uerùm quòd placuerit ita Deo, ut crederet mihi electos suos. Quocirca totum est gratiæ eius qui concredidit mihi, hoc munus, & non quod dignus sim, sed propter electos accepi dignitatem authoritatemq; hanc. Deinde ut ostendat quod & nos aliquid conferre oporteat, intulit, & agnitionem ueritatis, hoc est, eo quòd agnoui ueritatem conditoris, ac dogmatis huius, per hoc mihi concreditum est hoc munus. Immò uerò ne agnitio quidem nostra est, sed eiusdem ipse etiã author est. prius enim agniti, sic agnoscimus. Vel quia credidi, perinde ac reliqui electi, agnouiq; ueritatem. Ad discrimen porrò Iudaicarum ceremoniarum, dixit ueritatem. illæ nanq; non sunt ueritas, neq; tamen mendacium, uerùm typus & umbra sunt. Et quia nos electos dicit, istos sanè tollit. etsi enim olim illi fuerunt electi, iam tamen non sunt. Obserua autem primo loco fidem occurrere, deinde ab hac cognitionẽ emergere, non à rationibus. Porrò cum dixisset ueritatem, quæ est secundum pietatem adiecit, eo quòd in mundanis etiam rebus uera sit cognitio. Exempli gratia: Nouit aliquis uerè, rationẽ colendi agri, uel extruendi ædes: de illa igitur ueritate ei hic non est sermo, uerum de ea quæ est secundum pietatem. *Cognitio à fide est, non à rationibus.*

In spem uitæ æternæ.] Denumeratis beneficijs quibus in præsenti seculo nos exornauit Deus, recenset simul iam quæ in futuro bona daturus sit. Siquidem ipsa ueritatis cognitio magnæ nobis beneficentiæ loco est, qui liberati sumus ab errore. is uerò pro hac ipsa compensationem nobis largitur, uitam æternam. Quia enim agnouimus ipsum, uitam pariter sempiternã speramus. Animaduertis quî ex ipso statim exordio beneficia Dei recenseat, ut & ipsum episcopum atq; potius discipulos eius alacriores proniores q; reddat, quò placeant benefactori. Porrò cum ait in spem uitæ æternæ, Iudaicos ritus discutit & quassat. nam illi præsentis uitæ bona pro mercede habebant.

Quam promisit qui non mentitur Deus, ante tempora secularia.] Si uerax est, si nõ mentitur, omnino dabit quæ promisit, etiam post mortem. Ab æterno autem hæc ita decreuit, nec eum huius decreti pœnitebit. Neq; quia Iudæi Christo non accesserunt, propterea nobis tanta bona dedit, uerùm à supernis & æterno sic destinatum erat, ac antequam mundus & tempora conderentur, dilexit nos. Est autem ingenuitatis nostræ demonstratio, quòd à principio nos dilexerit.

Manifestauit autem temporibus suis uerbum suum in prædicatione.] Ne quis dicat, Cur distulit impertiri quæ ante secula præfiniuerat ac destinarat? dispensationis causa, inquit, & ut opportunè istuc faceret. Tempus enim, opportunitatem etiam *Tẽpus opportunitas.*

scriptu-

scriptura uocat, ut illo in loco, Tempus faciendi Domino. Suis itaq; temporibus, id est, A conuenientibus, opportunis, ac debitis. Quid autem manifestauit? Verbum (inquit) suum, id est Euangelium. Quomodo? in prædicatione, hoc est, manifestè, cum libertate ac fiducia. Qui prædicat siue præconem agit, neq; adijcit quicquam, neq; adimit: sic & nos quæ nobis iniuncta sunt, prædicamus tantum quidem coram omnibus, palàm, sicut & Christus dixit, Prædicate super tecta. per locum & modum, dogmatis libertatem commendans. Obserua autem, quòd rerum consecutio sic requirebat dicere, Manifestauit autem temporibus suis ipsam, hoc est æternam uitam: uerùm is sic non intulit, sed manifestauit uerbum suum. Et non immeritò. nam Euangelium omnia complectitur, etiam ea quæ in præsenti nobis tempore data sunt, ut pietatem, fidem, ueritatis: & quæ in futuro nobis euenient, seu uitam æternam. Quidam autem per uerbum ipsum filium intellexerunt.

Matt.10.

Quę credita est mihi, secundum præceptum saluatoris nostri Dei.] Quę prędicatio, inquit, mihi concredita est. Si igitur mihi concredita est, haud conuenit indigna me sapere uel cogitare eo qui tanta mihi concredidit, neq; dissimulare, neq; iniquo esse animo erga id quod mihi creditum est. Quinetiam secundum præceptum, illud mihi est iniunctū, pro eo quod est, Vel inuitus ista cogor facere. Res enim quæ transiguntur, nonnullæ ex mandato fiunt, nonnullæ per adhortationem: quemadmodum, Reconciliare fratri tuo, mandatum est, & qui non facit isthuc, punitur. Quod uerò ait, Vende omneis tuis facultates: &, Qui potest capere, capiat: adhortatio est: & qui nō facit, non punitur. Mihi igitur, inquit, credita est prædicatio uerbi per mandatū, itaq; me isthuc persequi necessarium est. Væ enim mihi, inquit, si non euangelizem. Neq; est ambitionis hoc, neq; cupiditatis regnandi, sed necessitatis. Cuius uerò mandatum est: seruatoris Dei. Proinde cum Deus seruare nos uolens, hæc iniunxerit, quomodo nō inseruiam ei ad salutiferum isthuc opus?

Præcepta quædā sunt, quædā consilia. Matth. 5. Matt. 19. 1. Cor. 9.

Tito † genuino filio.] Potest etiam aliquis esse filius, sed non genuinus, quemadmodum Christianus si fornicetur, aut auarus sit, filius quidem est, quatenus ex baptismate B renatus est: non genuinus autem, postquam indigna patre committat.

† γνησίῳ, *id est, germano, legitimo, uero, genuino ut opponatur notho et degeneri.*

Secundum communem fidem.] Cum Titum filius nominasset, ipse patris adsumpto officio, hunc honorem rursus imminuit. Nulla inquiēs in re te excello, téue maior sum, quod ad fidem attinet: communis enim est, & per ipsam natus sum & ego & tu. Quomodo igitur filiū ipsum uocat? Vel ideo, ut ostendat paternū erga ipsum affectū: uel quia ipsa ipsum baptismate tinxerit. Quatenus enim eadē utriśq; fides, fratres sunt inter sese: quatenus uerò Paulus Titum baptizarit, pater. Quod igitur ait, Iuxta cōmunem fidem, fraternitatem indicat.

Gratia, misericordia, pax, à Deo patre, & Domino Iesu Christo, seruatore nostro.] Ex hoc etiam fraternitatem declarat, cum ait, A Deo patre, excitatq; Titum, ut recordetur cuius sit filius, nempe Dei. Animaduerte autem hîc, quomodo quæ uulgaribus & rudibus exoptet, eadē quoq; imprecetur episcopo ac doctori. Magis enim ipse gratia Dei indiget, ut qui multa onera baiulet: & misericordia, ut qui multis sit obnoxius: & pace, ut qui innumeris turbis, bellis, ac tumultibus impetatur. Nam unū opus strenuè peractum, episcopum ad cœlum euehit, & unum peccatū eundem ad inferos deducit.

Huius rei gratia reliqui te in Creta, ut quæ desunt, corrigas.] Perinde ac in domo alius aliud quiddam agit ex ijs qui ministerijs prępfecti sunt: hunc ad modum & istialiam alius orbis partem distributam habebant, omnesq; operabantur. Hoc igitur & hic tacitè indicat, cum dicit: Reliqui te in Creta, tanquā uidelicet illo ibi relicto, aliò prædicandi gratia concessisset. Animaduerte autē quomodo nō erubescat neq; uereatur scribere discipulo, ut corrigat à se prætermissa. Ad publicum enim cōmodum spectabat, non ad priuatū honorem. Obserua porrò quomodo quæ labores habebant & certamina, ipse per sese corrigebat: quæ autem uel honorem uel laudem adferebant, hæc discipulo committit, episcoporum nimirum electiones siue ordinationes, & alia quæcunq; maiori perfectione indigebant.

Et constituas per ciuitates presbyteros, sicut ego disposui tibi.] Episcopos hîc presbyteros etiam uocat, ut & in epistola ad Timotheum. Per ciuitates autem inquit. Noluit enim uniuersam insulam uni commissam esse, sed quodlibet oppidum pro-

prium

A prium habere pastorem. Sic enim & labor leuior est, & cura exactior.

Si quis † sine crimine est.] Si ab accusatione liberam uitam ducit, si nemo eius mores suggillauit. Si enim lumen, inquit, tenebræ sunt, ipsæ tenebræ quantæ? † ἀνέγκλητος, inculpabilis, quē nemo accusare aut criminari possit.

Vnius uxoris uir.] Vt hæreticorum ora compescat, qui nuptias criminabantur, recipit ad episcopatū matrimonio iunctum. Adeò enim preciosa res est matrimoniū, ut possit cum eo ad sanctū thronum, episcopalemq; sedem ascendere. Vt aūt petulantes ac lasciuos cohibeat, unius, inquit, uxoris uir. Qui enim nullam seruauit beneuolentiā erga eam quæ obijt, quomodo ecclesiæ bene præerit? Oportet aūt episcopum irreprehensibilem esse. Dicamus aūt non est inculpatus, etsi hoc mundanis legibus placeat.

Filios habens fideles, non in accusatione luxus, aut non subditos.] Nam qui proprios liberos nō instituit, quomodo alios formabit? Planum enim est, si primùm bene ac sedulò educasset erudijsset q; pueros, nō euasissent inobedientes. Non enim natura sunt peccata, ut tantam curam & diligentiam exuperent. Non dixit autem simpliciter, Intemperantes: sed ut ne omnino quidem aliquam luxus ac intemperantiæ accusationem habeant, neq; prauæ suspitioni sint obnoxij.

Oportet enim episcopum sine crimine esse, tanquam Dei dispensatorem.] Quomodo autē fuerit sine crimine, siue irreprehensibilis? Si fideles probeq; institutos habeat liberos, Deus ipsum propriæ domui præfecit, locum Dei obtinet. oportet igitur ipsum undiq; esse exactum & inculpatum.

Non † superbum.] Mundi huius principes etiā in inuitos dominantur, propterea arrogantia & suo arbitratu aut beneplacito utuntur. Episcopus autem qui uoluntarijs præsidet, non debet arrogans esse, ut suo consilio & uoluntate citra subditorum sententiam omnia agat. nam tyrannicum hoc. † αὐθάδη, id est, protervū, præfractum, durum, pertinacem, arrogantem.

Non iracundum.] Arrogantiam necessariò iracundia comitatur, à qua etiam ipsa consentaneum est consequens ut episcopus abstineat. Quomodo enim alios instituet ut sibi ab affectu hoc prauo temperent, qui se ipse non erudit?

B Non uinolentum.] Hoc est, nō iniuriū. Quid enim iniuria & contumelia opus est? terrore oportet inobedientes gehennæ comminatione, non iniuria afficere.

Non percussorem.] Neq; manibus ferientem, neq; amarulentis uerbis & exasperatis importunè. Medici enim officio fungitur. Porrò medicus curat ictus & uulnera, nō ipse etiam uulnerat.

Non turpis lucri cupidum.] Hoc est, magnum pecuniarū contemptum ostendentem. Omnis enim quæstus etiamsi iustus fuerit, turpis est episcopo. Quæstus omnis turpis episcopo.

Hospitalem.] Non solùm quæstum non inquirentem ab alijs, sed sua etiam peregrinis & hospitibus impertientem.

Amantem boni.] Modestum sic dicit, & mitem, & moderatum, minimè inuidum.

* Sobrium.] Hoc est, purum, iustum in hominum commercio uidelicet, citra personarum delectum.

† Iustum, sanctum.] Hoc est pium & colentem Dei, nihil in diuinis rebus ad Deum pertinentibus omittentem. † ὅσιον,

Continentē.] Non solùm in cibis, uerumetiā lingua, manu, oculis impudicis impetū exerentē: in talibus enim regendis & coercēdis, uera est cōtinentia, siue tēperantia.

Amplectentem eum, qui est secundum doctrinam, fidelem sermonem.] Hoc est, curantem, opus hoc habentem, in hoc incumbentē. Fidelem autem dicit, hoc est uerum, uel per fidem traditum, & non à rationibus humanis uel ratiocinationibus. Eam ob rem dixit eum qui est secundum doctrinam, indicans quòd citra externā sapientiam uerbum Dei docere possit. Non enim opus est fastu uerborum, sed scripturarum peritia, sententiarumq; grauitate ac potentia. ex his enim uerbi doctrina melius & facilius procedit, quemadmodum & ipsius Pauli.

Vt potens sit & adhortari in doctrina sana, & eos qui contradicunt arguere.] Hoc est, ut suos & domesticos fidei custodiat & fulciat, hostes uerò arceat. Nam qui neq; cū hostibus dimicare, neq; captiuum ducere omnem intellectum ad obedientiam Christi, neque suos consolari & adhortari & confirmare potest, pseudepiscopus est. Alias enim uirtutes in alijs sub episcopo cōstitutis inueniat aliquis, nimirum hospitalem esse, & sobrium, idq; genus alia: quod maximè uerò episcopum ueluti characteri- 1. Cor. 10.

bus quibusdam & signis exprimat, docendi munus est, & facultas. A

Sunt enim plerique inobedientes, uaniloqui, & seductores.] Radicem omnium malorum aliorũ, inobedientiã dixit. Qui enim inobediens non uult subesse, sed impetum facit, ut alijs imperet, meritò nihil sani recliue didicisse comperietur: non enim sustinuit doceri. Matæologus autem, siue uaniloquus est, & mentiũ deceptor, cùm se tum alios decipiens.

Maximè uerò qui sunt ex circunciſione.] His & Dominus regnandi cupiditatem exprobrabat, quia post fidem etiam morbum istum non deposuerunt.

* ἐπιστομίζειν, reprimere, sufferre, os obturare,

Quos oportet * redarguere.] Hoc est, uehementer obiurgare, ut ora ipsi occludas. Ecquid lucri si inobedientes sint: Ipsis quidem nihil, at alijs corrumpendis alioqui, si taceat episcopus, quorũ corruptionis ipse rationem dabit. Eam ob rem horum ora sunt obturanda: quod si non possis, ne sis episcopus.

Qui uniuersas domos subuertũt, docentes quæ nõ oportet, turpis lucri gratia.] Obserua inobedientiæ auaritiam turpemq; quæstum adiunctum esse: quomodo domos peruertunt: Vectes sunt diaboli, quibus demolitur domos Dei.

Dixit quidam ex illis, proprius ipsorum propheta: Cretenses semper mendaces, mala bestiæ, uentres pigri. Testimoniũ hoc uerum est.] Quæritur hîc, cur nam ex Græcis testimonium protulerit, commendauerit q; isthuc, præsertim cum non recte habeat: Quis item est qui hæc dixit: Qui igitur hęc dixit, Epimenides est, sapientissimus etiam apud Græcos iudicatus, diuinationibus numinumq; placationibus incumbens, uatici nandiq; munere clarus. Hic sanè cum animaduerteret, Cretenses Ioui sepulchrũ extruxisse, atq; colere eum tanquam mortalium quempiam, ceu immolatione accensus pro Deo suo patrio, hæc in Iouis gratiam carmina condidit: Cretenses qui tales ac tales sunt, hi extruxerunt tibi monumentum, atqui tu non es mortuus, tu enim semper es. Hoc igitur oraculum diuus Paulus uerum esse testatur. Qui ergo hoc facit? nam si uerum dictũ est, Iupiter igitur immortalis est. Atqui nõ huc respiciens Paulus, uerum B esse dixit testimoniũ, uerùm quia & in alijs Cretenses mẽdaces appellauit. Ecquæ Gręci testimonij est commoditas? maximè hoc ruborem eis iniecit, iniuriæ eorum ex domestico teste ac uate testimonium ipsis proferens. Consueuit autem hoc agere Paulus, quemadmodum & Athenienſibus ex Arato disseruit. Quæ ille uani nominis Deo Ioui attribuit, hæc ipse ad uerum Deum refert, quandoquidem & acrius suis ipsorum testimonijs obstruuntur, quemadmodum & cum Iudæis perpetuò ex prophetis disputat, non ex Euangelijs. Idem & Deus facit, quo suis à consuetis sibi & creditis attrahens, ut magos per stellam, Saulem per fœminam pythium spiritum in se habentem, quia huic fœminæ ille fidem adhibebat: & uates à bubus trahentibus arcam, non quòd uerum loquerentur uates, sed ut suo eos ore arguat. Hunc ad modum Balaamum permittit bendicere & prophetare. Consueuit enim semper ad nostram utilitatem condescendere. Quî Christus igitur, & hic ipse Paulus prohibebant dæmones loqui, ac testimonium sibi dicere? Quia signa satis erant ad persuadendum, & ipse seipsum Christus prædicabat, idq; satis erat. Dæmones autem non adorabant Christum, illi loquebantur, non idolum uel imago quæ colebatur à gentibus, propterea arcentur ne loquantur.

Act. 17.
Matt. 2.
1. Reg. 18.
1. Reg. 6.
Nu. 23. & 24.
Luc. 4.
Act. 16.

Quam ob causam increpa eos durè.] Quia mendaces sunt, quod est fraudulentiæ, & impudentes, & gastrimargi, opus habent acri & penetrante sermone: nam mansuetudo apud eos nihil promouet. Quemadmodum enim qui mitem & moderatum acrius feriat, perdit eum: sic qui impudenti adulatur, eum corrumpit, ne seipsum agnoscat. Hic autem non alienos, sed proprios adeoq; domesticos oportere adserit arguere.

Vt sani sint in fide, non attendentes Iudaicis fabulis.] Sanitas igitur est, nihil illegitimum, nihil adulterinum, neq; alienum fidei introducere: ut seipsum subijcere legi, non est confidentis fidei quòd ea sufficiat ad saluandum. Hac ergo ratione Iudaismum spirare, non est exigua ægritudo, quoniam res est importuna, ac præter tempus incedens, ac deinceps inutilis, & quia noxium est his attendere, Quomodo igitur fabulis

non est

Universidad de Deusto
Biblioteca

A non est aduertendus animus, sic neq; Iudaicis ritibus ac legibus. Sacri autem scripturæ ueteris libri rectè intellecti, haudquaquam sunt fabulę. qua enim ratione fabulę essent, cum ueritatem Euangelicam inde doceamur? Prauę autem interpretationes, & traditiones Iudæorum, illæ sunt fabulæ. Audi igitur & quæ sequuntur. *Scripturæ ueteris libri.*

Et mandatis hominum auersantium ueritatem.] Viden' quas uocet fabulas? mandata nimirum hominum, ut & in Esaia & Euangelio scriptum est: alia etiam, ut obseruationes ciborum, ut ex sequentibus planum fit. *Esaiæ 29. Matth. 15.*

Omnia quidem munda mundis, coinquinatis autem & infidelibus nihil mundũ, sed coinquinatæ sunt illorum mens & conscientia.] Itaq; non sua natura pura sunt aut impura, sed ex uoluntate assumentium. Nam cum illi mente puri sint & religiosi, per fidem nouerunt omnia esse munda, ut Dei creaturas, solum autem peccatum esse impurum. Nam etsi lex immunda quædam haberet, non simpliciter hoc agebat, uerùm ut delicias & uoluptates eorum cohiberet, ut quę sciret Iudæos ceu gastrimargos ac gulæ deditos haud obedituros. Quòd si impuri & inobedientes uescentes fuerint, his certè omnia sunt immunda. quomodo? quoniam & pisces, & quæ uidentur puræ aues, si humana carne uescantur, sæpe si fimum edant, immunda certè: sic illas expendenti immundę uideri queant. Proinde sordida mens perperam de his cogitans & iudicans, sibi hæc coinquinat, quæ tamen natura haud sunt eiusmodi: perinde ac qui stomacho laborat, iudicat cibos esse amaros, etiamsi suaues sint. Hunc ad modum uertigine capitis laboranti, terra uidetur circumagi atq; uolutari, quæ tamẽ fixa persistit. eius enim morbi talis est opinio. Hæc etiam aduersus Manichæos cõueniunt, & Marcionistas, & recens ab ijs exortos hæreticos, qui apud non paucos dicuntur Galatæ.

B Confitentur se nosse Deum, factis autem negant, execrabiles cum sint, & inobedientes, & ad omne opus bonum reprobi.] Vides quid faciat immundos & execrabiles? opera praua & sordida. Reuera nanq; fides sine operibus mortua est. Mortuus autem execrabilis est, & ad quiduis reprobus. *Iacobi 2.*

CAPVT II.

TV autem loquere quæ decent sanam doctrinam.] Etiamsi inobedientes sint illi ac reprobi, tu tamen quod tui muneris est, facito, ne taceas, etiamsi illi non recipiant.

Senes, ut sint † sobrij.] Quia senij uitium est, ut sit segne & somnolentum, & torpidum, propterea dicit, Sobrij sint, hoc est, excitati, uigiles, prompti. *†νηφαλέους, id est, sobrij, uigilantes, attenti.*

*Pudici, prudentes.] Prudentes appellauit σώφρονας, τὰς δὲ σώας ἔχειν τὰς φρένας, id est, eo quòd saluas & incolumes mentes habeãt. Sunt enim inter senes etiã qui insaniant, & rabiant, ac dementes sint, alij quidem ex uino, alij uerò ex pusillanimitate. *σεμνούς, pudici, graues, honesti, seueri.*

Sani in fide, dilectione, & patientia.] Patientia grandioribus natu est commodissimum præceptum, q; facilè excandescant, & leui de causa contristentur.

Anus similiter in habitu sancto.] Anus dicit, quas & ab ipso habitu & ornatu honestas uideri decet. Nonnulli ministras in ecclesia per anus hîc intelligunt, quas & ipso etiam uestitu uult sanè ornatas conspici, hoc est, ut sacris congruit ministerijs. *Anuum institutio.*

Non calumniatrices, non multo uino seruientes.] Frigida res est senectus, quare uinum desiderat: deinde cum non possit sustinere, ut imbecilla, succumbit & uincitur, non ex moderato uino, sed à multo, ex hoc autem & ad calumnias & criminationes fiunt propensiores.

Bene docentes.] Quomodo igitur alio in loco dicit, Docere mulieri non permitto? Illic de communi in ecclesia doctrina loquitur, quæ mulieribus est prohibita: hîc autem de domestica, quæ priuatim fit ad mulieres. Quòd autem hæc dicat, audi ex sequentibus. *1. Tim. 2.*

† Vt instituant adolescentulas, ut sint amantes maritorum.] Non simpliciter filias solas, uerũ in uniuersum omneis adolescentulas. Quælibet enim natu grandior, iunior rem puellam erudiat: ac primum caput domesticorum bonorum eas doceant, nempe ut sint amantes maritorum. Nam si hoc affuerit, sequentur etiam reliqua, nempe prosperitas domus, facultatumq; copia & abundantia: quemadmodum è diuerso si absit amor maritalis, omnia quæ affuerint, diffluent ac pessum ibunt. *†σωφρονίζωσι sobrias, moderatas reddãt, uel instituant.*

Filios suos diligant.] Quæ enim radicem seu patrem diligit, multo magis etiam fructus, siue filios diliget.

† σώφρονας, sobrias, prudentes, pudicas, uel ut sint sobriæ, etc.

Vt sint † sobrię, castæ, domus curam habentes, bonę.] Quę maritum suum diligit, & A sobria erit & casta, hoc est, & corpore & mente pura: nec concupiscet cum alijs miscerí. quinetiã bonam domus curam habebit, id est, materfamiliâs erit. Diligens enim maritum, domus etiã curam geret, ut uir abundet, neq; ipsa delicijs neq; intempestiuis uoluptatibus indulgebit. Cui enim alij placere studebit, quæ prorsus ut dilecto placeat incumbit? Cõsidera autem quomodo Paulus ille qui à rebus huius seculi abducere solet, nunc tantam solicitudinem habeat rerum domesticarum, nam his bene habentibus, spiritualia etiam bene habebunt.

Vt non blasphemetur uerbum Dei.] Vides quòd præcellenter & præcipuo scopo, uerbi, non mundanarũ rerum curam gerat? Si enim fidelis mulier infideli marito commorans, non sit uirtute conspicua, blasphemia & uituperatio ad fidem transit.

Iuuenes similiter hortare ut sint sobrij.] Adolescentulis senio confectas doctrices attribuit fœminas fœminis: iunioribus autem uiris ipsum Titum præficit, uirum uiris: decorum enim ubiq; seruat. Quid uerò opus est adhortarí hos uel commonefacere ut sint sobrij? Quia iuuenilem ætatem ignis absurdarum uoluptatum maximè interturbat, quem oportet extinguere, & ad sobrietatem & temperantiam festinare.

Sobrij sint iuuenes.

In omnibus teipsum præbens exemplum bonorum operum.] Doceant sanè grandiores natu fœminæ adolescentulas, tu uerò ipse minores natu uiros & iuuenes. Cæterùm publica institutio exemplarq; uirtutis, tuæ uitæ splendor sit, ceu imago quædam & ueluti archetypus, omnibus præpositus qui aliquid imitarí uolent eorum quæ in ipso bona conspexerint.

In doctrina incorruptibilitatem.] Repete præbens. Ne sint, inquit, corrupta & uana quæ doces, sed sana, & rectæ rationis.

Grauitatem.] Vt nihil iuuenile, quod insipientes lædat, contineat doctrina, sed omnia sint pudica & ueneranda, dignaq; Deo.

Verbum sanum, irreprehensibile.] Hoc est rectæ fidei atq; doctrinæ, quod nihil reprehensibile habeat. B

Vt is qui ex aduerso est, uereatur, nihil habens de nobis dicere mali.] Eum qui ex aduerso est, uel diabolum dicit, uel quemuis ei ministrantem.

Seruos dominis suis subditos esse, in omnibus beneplacentes.] Itaq; uxores à maritis disiungens continentiæ prætextu, seruosq; ab heris diuellens prætextu pietatis, non est irreprehensibilis: multas enim occasiones dat omnibus, omniumq; ora aduersus fidem aperit.

Non contradicentes, non fraudantes, sed in omnibus fidem bonam ostendentes.] Animaduerte illa à seruis Apostolum exigere, quę omnium maximè heros placant & conciliant, ut non contradicere, non furarí, sed fideles eos esse. Iis enim qui mundi negocijs sunt addicti hæc maximè sunt curæ, eaq; potissimùm expetunt.

Vt doctrinam seruatoris nostri Dei ornent in omnibus.] Nam si tales se seruí gesserint, ad gloriam hoc Christianissimi cedit. Cum enim Græcus, siue gentilis uiderit seruũ suum sic à Christianismo institutum, quomodo non mirabitur dogma, ut cui tantæ uires insint, ut huiusmodi animam in melius reuocet? Semper enim seruorum genus est improbum & morosum, eo quòd non liberaliter instituantur, neq; uerbis, neq; conuersatione bonorum uirorum rectè formentur, atq; à dominis negligantur. Non igitur frustra alio in loco dixit Paulus, Tanquam Deo seruientes, & non hominibus. Etsi enim hero tuo inseruias, honos tamen ad Deum recurrit, atq; à timore illius, quæ erga herum est beneuolentia, principium ducit.

Seruorũ genus morosum. Eph. 6.

† σωτήριος, id est, salutaris, sic uel salutifera, sic et R. Stephan. legit. Interpres receptus legisse uidetur σωτῆρος, id est, saluatoris siue seruatoris.

Apparuit enim gratia Dei † salutaris omnibus hominibus.] Cum multum & magnum à seruis postulasset, nimirum ut ornent doctrinam Domini per honestam uirtutibusq; præditam conuersationem: commonstrat nunc quòd non immeritò ab illis talia postulet, nam & illis gratia apparuit, siue illuxit, etiamsi seruí sint, omnibus enim hominibus, inquit. Donauit etiam & ipsis remissionem multorũ peccatorum, quare par est ut & ipsi in posterum ad gloriam tanti benefactoris sui uitam suam instituant.

Erudiens nos, ut abnegantes impietatem, & secularia desideria.] Hinc solicitos eos facit, & ad reuerentiam adducit. Institutorem enim Deum nacti, quomodo non debetis dignè eo uiuere? Gratia aũt, inquit, ista nõ stetit, neq; extenditur ad cõdonationem

tantum-

A tantummodo præteritorum delictorū, uerùm erga futurum etiam nos ſecuros reddit. Erudit enim nos, ut deinceps ſobriè uiuamus, q omnino prius abnegauimus impietatem atq; mundanas cupiditates. Per abnegare quidem auerſionē ſignificat, quæ ex animo fiat, totoq; mentis affectu: per impietatem autem, idololatriam ſignificat, prauaq; dogmata: per ſecularia autem deſideria, auaritiam, delicias, & alia quæcunq; in cœlum haud tranſeunt, ſed in mundo hoc ſuam habent utilitatem, atq; cum ipſo diſſoluuntur. Eam igitur ob rem uenit Chriſtus, ut abnegemus & impia dogmata, & uitam ſceleratam cum omni propenſione eius, utraq; odio proſequentes.

Sobriè & iuſtè & piè uiuamus.] * Sobriè, non tantum abſtinentiam à fornicatione indicat, ſed à reliquis etiam affectibus. Nam ſi pecunias amas, non es ſobrius, imò uerò ideo intēperantiores, quandoquidē à natura non ſit hæc affectio. Ac ſimpliciter, quiſquis ab alijs quibuſuis motibus uincitur, non eſt ſobrius, ſiue modeſtius, & temperans.

* σωφρόνως. ſobriè, modeſtè, cōtinenter.

In præſenti ſeculo.] Præſens enim, certamen habet: futurum autem, præmium & retributiones.

Expectantes beatam ſpem, & aduentum gloriæ magni Dei, & ſeruatoris noſtri Ieſu Chriſti.] En præmium, ſecundus ille aduentus, qui reuera eſt beatus. Pulchrè autem dixit gloriæ. Duorum enim aduentuum mentionem facit. Siquidem primus, quemadmodum & ſuprà commemoratum, gratiam habebat & remiſſionem, qui cum manſuetudine & humilitate contigit: ſecundus autem retributionem cum gloria monſtrabit. perinde ac in Euangelio inquit: Quando uenerit filius hominis in gloria ſua. Vbi autem ſunt qui filij potentiam imminuentes, ne Deum quidem ipſum dicere ſuſtinent: Audiant hic quòd & Deus ſit, & magnus. Magnus autem de Deo dicitur, non per comparationem ad alium quendam paruū, ſed abſolutè, ut qui natura ipſe per ſeſe magnus ſit. Si aūt hoſtes ſeruauit, quid non tum daturus eſt, ſi probatos nos inueniat?

Aduentus Chriſti duo.

Matth. 25.

Qui dedit ſemetipſum pro nobis, ut nos redimeret ab omni iniquitate.] Hoc etiā potentiæ eius ſignum eſt & argumentum, quòd dederit ſemetipſum, non quidem ut ab
B hoc aliquo liberaret, ab alio uerò non item, cæterùm ab omni iniquitate. Hanc itaq; re uereamur redemptionem.

Et mundaret ſibi populum * acceptabilem.] Qualem: liberatum, excellentem, nihil habentem commune cum reliquis.

* περιούσιον, acceptū peculiarē, egregium, præcipuū.

Sectatorem bonorum operum.] Hoc eſt, cum feruore quodam ad uirtutem eunte, zelumq; oſtendentem in omnibus bonis operibus, ignitamq; imitationem. Redemptio itaq; ipſius ſolius eſt, opera uerò æmulari, etiam noſtrarum eſt partium.

Hæc & loquere & exhortare, & argue cum omni imperio.] Loquere primùm & exhortare, hoc eſt, cum manſuetudine doce: deinde argue: neq; id ſimpliciter, ſed cum omni imperio, hoc eſt cum ſeueritate & autoritate. Sunt igitur quædam quæ non opus habent ſeueritate, uerùm adhortatione & perſuaſione, ut omnino pecunias contemnere. ſunt autem quæ etiam ſeueritate opus habeant, ut adulteria, furta, circumuentiones, ueneficia, ſiue impoſturæ.

Reprehendenda alia, alia ſuadenda.

Nemo te contemnat.] Nemo adſpernetur te, inquit, cum omnia opportunè obſtruis & firmas: nam qui importunè obiurgat, magis contemnitur.

CAPVT III.

ADmone illos principibus & poteſtatibus ſubditos eſſe, dicto obedire, ad omne opus bonum paratos eſſe.] Vbiq; fideles Paulus uult obtemperare magiſtratui. Ponit autem ob oculos quomodo ſubijciantur, nempe ſi ad omne opus bonum præparati fuerint: unde uidelicet è diuerſo ad mala inſtructi, magiſtratibus minimè parent. Vel ut parati ſint quòd ad bona obſequantur, non ad impietatem, uel ad animæ noxam.

Neminem blaſphemare, non litigioſos eſſe, ſed modeſtos.] Etiam ſi quis malè faciat, ne eum blaſphema: id eſt, non conuiciare ei. Oportet enim os noſtrum eſſe purum à conuicio & maledicentia. Siue enim uerax eſt conuicium, non eſt noſtrum iudicare: ſiue mendax, uide quantum ſubſit periculi.

Omnem oſtendentes manſuetudinem ad omnes homines.] Iudæos & Græcos, ſceleratos & iniurios.

Eramus enim aliquando & nos insipientes, inobedientes, errantes, seruientes desi- A
derijs & uoluptatibus uarijs.] In epistola quidem ad Corinthios à futuris terret, ut non
*Græcus codex habebat ad Galatas, uidetur tamē legendum ad Corinth.
iudicent, inquiens: Qui se existimat stare, uideat ne cadat. hic uerò à præteritis temperantiores reddit, dicens: Ne conuiciemur alijs, néue uituperemus eos, quandoquidem & ipsi nos olim peius peccauerimus: quod & latro ad alterum latronem dicebat, Quoniam in eadem condemnatione es. Quando autem insipientes eramus? ante Christū natum. Quomodo enim non dementia atq; stultitia erat huiusmodi dijs seruire, & hominibus diuina sacra facere, numinisq; loco colere? nónne hic maximus error? Quin etiam cupiditatibus & uarijs uoluptatibus seruiebamus. Hîc masculas nuptias & cum matre, & cum sorore connubia perpetrata, intellige, aliasq; impuritates, uariè nanque nobis illusit diabolus.
1. Cor. 10. Luc. 13.

Malitia. In malitia & inuidia agentes, odibiles, odientes inuicem.] Malitia, id est, in uindictæ cupiditate & inuidia commorantes semper, ac ueluti uitam in ijs habentes, unde & odio digni eramus, ut inuicem nos odio morderemus, idq; non immeritò: nam ex inuidia odium nascitur.

* φιλανθρωπίαν, studium & amor erga homines. Cum autem benignitas & * humanitas apparuit seruatoris nostri Dei.] Quando incarnatus est uidelicet unigenitus, nobisq; assimilatus.

Non ex operibus iustitiæ, quæ fecimus nos, sed secundum misericordiam saluos nos fecit.] Saluos nos fecit, non ex operibus quæ fecimus: hoc est, neque fecimus opera iustitiæ, neq; per hæc cõseruati sumus, sed uniuersam salutem bonitas ipsius atq; clementia operata est.

Per lauacrum regenerationis & renouationis spiritus sancti, quem effundit in nos abundè per Iesum Christum seruatorem nostrum.] Orem arduam & mirabilem. adeò uitijs eramus immersi, ut nulla ratione purgari possemus, sed opus fuit regeneratione. Nam regeneratio, & renouatio, secundam natiuitatem, nouamq; formationem significant. Vt enim domum ruinosam & planè ueterem nõ suffulcimus, uerùm ad fundamenta usq; diruimus ac demolimur, nouamq; ædificamus: consimilem ad ra- B
tionem Deus non reconcinnauit, quod corruptum erat farciendo, sed denuò condidit. Quomodo? Per spiritum sanctum? Ne enim quæras modum, Spiritus, inquit, totũ transegit. Vnde hoc perspicuum? quem effudit, inquit, abundè in nos. Non enim tantummodo per hunc refinxit nos, sed largè ipsum etiam nobis impertijt, ut & illud per hoc monstretur. Ac meritò. postquam enim mundauit nos, tum & spiritu suo sancto abundè nos impleuit. hoc est quod ait, Effudit. in impuros enim mundus ille purusq; spiritus non ingrediebatur. Hæc autem per Iesum contigerũt, siquidem ipse est mediator atq; largitor cunctorum bonorum.

Vt iustificati gratia ipsius hæredes simus secundum spem uitæ æternæ.] Rursus gratia, non debito dicit. Hoc autem nos humili mente imbutos esse facit. non enim ipsi aliquid transegimus. Insuper bene sperare facit nos de futuris bonis. Si enim adeò desperatos & perditos nos per gratiam seruauit, multo magis iustificatis uentura bona largietur. Vt efficiamur, inquit, hæredes æternæ uitæ, perinde ac speramus. Vel quia iam hæredes simus, quatenus ad spem.

Fidelis sermo.] Quia de futuris loquutus erat, fidem & autoritatem uerbo suo apponit. planum enim est à præcedentibus, quòd qui talia dedit, futura etiam daturus est.

Et de his uolo te confirmare, ut curent bonis operibus præesse qui credunt Deo.] Quia mentionem fecit bonitatis boni Dei, Volo te, inquit, docere de his, ut discant fideles non solummodo humiliter sapere, & non conuiciari alijs, uerumetiam misereri aliorum. Qui enim secum reputauerit misericordiam quam à Deo ipse sit assecutus, aliorum etiam miserebitur. Vt curent, inquit, hoc est, ut assiduam dent operam, seduloq; adnitãtur iniustè oppressis succurrere, uiduis, orphanis, & ut semel dicam, quibustuis indigentibus prospicere. hoc enim indicat bonis operibus præesse: nec expectent tantisper dum egentes ad eos peruenerint, sed ipsi eorum gerant curam.

Hæc sunt bona & utilia hominibus.] Cura & præfectura bonorum operum, uel ipsa etiam bona opera.

Stultas autem quæstiones, & genealogias, & contentiones & pugnas legis deuita.

Sunt

A Sunt enim inutiles & uanæ.] Stultas, inutiles uocat, quales Iudæi Christianis afferunt. Genealogias aũt, quas ijdem conficiunt, suam ad patriarchas genealogiã referentes, & in maioribus illis gloriantes. Deuita igitur, hoc est, reijce. neq; enim prætermittenda sunt necessaria opera, tempusq; in uaniloquentia inutilibusq; pugnis consumendum. Quę enim conflictus istiusmodi cõmoditas, ubi nemo ad Christum captiuus ducitur uel perducitur? Quomodo igitur suprà dedit in mandatis, ut obstrueret ora contradicentium? Si alijs officiant, tunc sunt compescendi. Siue autem ipsorum utilitate, non est quod uel uerbum cum illis commutes communicésue. neq; enim quicquã fructus ex tua disputatione uel colloquio cum eis referent, ut qui sint incorrigibiles. *Genealogiæ Iudæorum.* *Suprà 2.*

Hæreticum hominem post unam & alteram correptionem deuita, sciens quòd subuersus est, qui eiusmodi est, & delinquit, cum sit proprio iudicio condemnatus.] Qui igitur alio in loco ait, Forsan dederit eis Deus pœnitentiam? Illic loquitur de ijs qui spem emendationis suæ ostendunt: hic uerò inemendabilem hæreticum dicit, qui & omnino peruersus est, & per sese condemnatus est, hoc est qui defendere sese non ualet. Haud enim dicere potest, Nemo me corrupuit, nemo docuit. Quando igitur post admonitionem in suo instituto pertinaciaq; permanserit, suo ipse iudicio se condemnauit. *2. Tim 2.*

Cum misero ad te Arteman aut Tychicum, festina ad me uenire Nicopolin: ibi enim statui hyemare.] Cuius rei gratia, cum tot ecclesias & tantam insulam credidisset Tito, rursus ad seipsum retrahit eum ab opere auellens? Vt plus ei prosit, eumq; magis ad officium suum & opus perficiat, ipso examinato in ijs quæ ei credita erant. Nicopolis autem Thraciæ urbs est, Istro adiacens.

Zenam legisperitum, & Apollô solicitè præmitte, ut nihil eis desit.] Iudaicarum legum peritum sic dicit. talis enim erat Zenas. Apollo autem eloquentior, & potens erat in scripturis. Nondum autem erant illis ecclesiæ commissæ. Quod autem ait, Vt nihil eis desit, intelligendum est ita: Cura ut quibus opus habent, ea subministrentur ipsis, ne quapiam re destituantur, alimento nimirum & uestitu.

B Discant autem & nostri bonis operibus præesse ad usus necessarios, ut non sint infructuosi.] Perinde quasi diceret, Potuissem & aliter iam cõmemoratis ne ulla re indigerent, prospicere, sed nolo, ut nostri, hoc est, qui sunt apud te, discãt ex hoc quòd uiatico & necessarijs ad iter rebus hos instruxeris, bonis operibus præesse, hoc est rationẽ habere indigentium, pecunijs, uerbis, omnibusq; modis, non tam ut indigentes inde commodum accipiant, sed potius ut ipsi fructum percipiant, ut ipsos etiam fidei humanitatis, qua usi sunt in proximos suos & congeneres. Nam & Dominus qui quinquies mille aluerit, potuisset omnino & seipsum alere semper ac discipulos, attamen à mulierculis uoluit cibum accipere & pasci, ut illę lucrũ inde consequerentur. Sic & de nobis, non tantam adfert pauperibus utilitatem, per nostram eleemosynam, quantam nobis per illos. Dimissionis enim peccatorum & fiduciæ erga Deum, pauperes nobis sunt authores. *Matt. 14. Ioan. 4. & 12.* *Eleemosynæ fructus.*

Salutant te qui mecum sunt omnes. Saluta eos qui nos amant in fide.] Vel amantes ipsum fideliter citraq; dolum, uel diligentes ipsum fideles aut Christianos.

Gratia cum omnibus uobis. Amen.] Exoptat ut eis conseruetur donum Dei, uel ut humanitas Dei cum ipsis sit semper, per gratiam eos conseruans, quæ & nobiscum sit qui maximè ea indigemus, & custodiat animas nostras & corpora in spiritu sancto, cui gloria in secula.

Amen.

Scripta est ex Nicopoli Macedoniæ urbe.

THEOPHYLACTI BVLGARIAE ARCHIEPISCOPI in diui Pauli Apostoli ad Philemonem epistolam Enarratio.

ARGVMENTVM.

Philemon. NEq; *seruos neq; heros sese accedentes, Christus reijcit. unus est enim* Dominus omnium ipse, *imò & pater: atq; id cùm ex multis alijs, tum uerò præcipuè ex hac epistola liquet, in qua* Philemon quidem dominus, Onesimus autem seruus. Vterq; igitur, ut nihil dicam amplius, Paulo dilectus, uterq; charus. Philemon itaq; ab ipso principio con-

Onesimus. spicuus erat uir & admirandus, genere sane Phryx, fidelis autem tota & moribus, & necessitatibus sanctorum succurrens, & eleemosynas faciens. Onesimus autem primum transfuga erat. nam sublatis ex domo Philemonis pecunijs aufugerat. Hic cum Romam uenisset, Pauli doctrinam audiuit, & ab eo institutus & baptizatus, qui in uinculis erat, clarus & admirandus ipse etiam factus est. Non pium itaq; ratus Apostolus perturbare Philemonem per Onesimi fraudulentiam & fugam, uolensq; mundare uulnus cordis ipsius, quod seruii nomine acceperat, remittit illum ad ipsum cum epistola hac commendatitia. Assecuerant autem nonnulli non oportere hanc connumerari reliquis, quippe quæ sit de re ultiuerion expende quanta sint ex hac commoda. Primùm quidem instituit nos, ut & pro ijs qui nobis uideantur esse

Matth. 18. inutiles, solicitè simus. Ne contemnatis enim, inquit Dominus, unum ex pusillis hisce. Alterum, si seruus adeò durus, uiolentus & fraudulentus conuersus est, non oportet nos desperare de nobisipsis, maximè qui in libertate uersati educatiq; sumus. Tertiùm, non oportere nos pietatis prætextu seruos à dominis, inuitis ipsis auellere. Quartum, non esse nobis despicatui habendos seruos uirtute insignes, neq; eorum nos pudere oportet, quandoquidem Paulus filium uocet Onesimum. Quis igitur est qui dedignetur hanc admunerare cæteris tanta commoditate referiam?

CAPVT VNICVM.

PAVLVS uinctus Iesu Christi.] Statim ab exordio instituit Philemonem, ne serui eum pudeat, qui iam conseruus ipsius factus sit, nam propter Christum omnia sunt pulchra, ipsa etiam uincula, quibus & ipse gaudet, ita ut & ab eis nominetur. Simul autem & placat, ostendens par esse ut sibi propter Christum uincto detur hæc gratia. B

Ac Timotheus frater.] Tanquam ipse non sufficiat ad supplicationem, assumit etiam Timotheum unà supplicantem, ut plurium intercessionem ueneretur.

Philemoni dilecto & adiutori nostro.] Si dilectus, dabit ueniam: si cooperator, non retinebit seruum, sed rursus remittet ad ministertū uerbi, cuius & ipse operator & minister est. Nam opus Domini replebit, si denuò reddatur Paulo.

Et Apphiæ dilectæ, & Archippo commilitoni nostro.] Forsan Apphia uxor erat Philemonis, Archippus autem amicus. Quòd si commilito est, in hoc etiam certa-

Coloss. 4. bit. Hic autem erat de quo scribit Colossensibus: Dicite Archippo, uide ministerium quod accepisti.

Et ecclesiæ quæ in domo tua est.] Ecclesiam, omnes qui in ædibus eius sunt, fideles appellat, complectens etiam seruos. Animaduerte hîc humilem admodum Pauli mentem, qui hos etiam obsecret & adhortetur, ut secum pro Onesimo intercedant.

Gratia uobis & pax à Deo patre nostro & Domino Iesu Christo.] Quomodo erit gratia Dei in nobis: si & nos debitoribus nostris remittamus. Quî uerò pax: si & tu reconcilieris seruo.

Gratias ago Deo meo semper, memoriā tui faciens in orationibus meis.] Quoties, inquit, tui recordatus fuero (recordor autem semper cum oro) toties gratias ago Deo pro tua uirtute. Quæ autem sit illa, infert.

Audiens charitatē tuā & fidem quam habes erga Dominū & omneis sanctos.] Hic ueluti misericordē ipsum prædicat. Porrò haud è Phrygia Romā usq; peruenisset fama de charitate & fide eius, nisi maxima fuisset. Quoniā aūt omnes sanctos siue fideles dilectione complecteris, debes etiā Onesimū pari charitate cōplecti (fidelis em̄ est) ut &

Dominum

A Dominum uidearis diligere. Vides quantam habeant uim in deprecando hęc uerba: Vt communicatio fidei tuę * efficax sit in agnitione omnis boni quod in uobis est.] Vt fides tua, quam communem habes nobis efficax sit, & operibus florens ac ueluti uiuens, tu agnoscas omne opus bonum, hoc est ames & peragas. Tum enim fides nostra uiuit, cum omne opus bonū aggredimur ac peragimus: sicut mortua est, operibus destituta. Adiecit autem, Quod est in uobis, ut ostendat Philemonem ipsum etiamnum omne opus bonum in se habere, perinde quasi dicat, omnis operis boni, quod etiā nūc in uobis, hoc est, in te est. Porrò cum dicit, Communicatio fidei, connectit Philemonem sibi ipse Paulus, unumq; facit. Communis enim fides unit: quocirca oportet te idem sapere mecum. Vel fidei communicationem, eleemosynam uocat, ut quæ à multa fide fiat. Ait ergo: Mentionem tui facio in precibus meis orans, ut communicans tua facileq; alijs impartiens mens ac sententia, nunquā cesset, sed omne potius bonum, quod in uobis est, hoc est, quod tibi adest, effundas in egentes.

* ἐνεργὴς efficax, siue operatrix, interpres uulgaris legisse uidetur ἐνεργὴς per α. in penultima, id est euidens.

In Christum Iesum.] In Christum Iesum, inquit, refertur, quicquid boni egentibus impartieris, maximeq; sanctis. Proinde si etiamnum Onesimum receperis, mihiq; hanc gratiam & beneficium impenderis, Christo impendes.

*Gratiam habemus multam, & consolationem in charitate tua.] Hoc est, gaudium habemus, & non solum gaudium, sed etiam maximam consolationem in uinculis ob tuam charitatem accipimus, quod est ob humanā, libenter & hilariter alijs impartientem uoluntatem tuam.

* χάριν, gratiam, habet codex Basil. sed cū a- gaudiū legisse uidetur Theop.

Quod uiscera sanctorum refocillata sunt per te frater.] Sapientissimē rem ipsam aggreditur, ad memoriam ei reuocans beneficia quæ in alios contulit, ut eò magis leniat & permoueat, dum reputauerit quod si alijs uel ignotis det, quāto potius par est ut præceptori suo Paulo hęc donet: Nec simpliciter dixit, Das sanctis: sed, Refocillas uiscera sanctorū. hoc est, tota anima recipiunt humanitatem tuam, ceu abunde & humaniter ipsis communicatam.

B Propter quod multam fiduciam habens in Christo imperandi tibi *quod ad rem pertinet, obsecro.] Quia erga omnes, inquit, sanctos talis es, ut corda illorum per te refocillentur, multo magis ego in Christo, hoc est, tanquam qui secundū Christum te genuerim, libertatem habebam & potestatem imperandi tibi, nō tanquam dominarer in te, sed propter charitatem quā erga te habeo, tuq; erga me. Quod uerò ait, Quod ad rem pertinet, siue quod conueniat, hoc est, uel iniungere tibi quod conueniat, id est, ad usum meum ueniat, ut ipsum repleas: uel quia omnium sanctorum curam geris. Et ego igitur secundum id quod conueniat, hoc est, partem ad me pertinentem, libertatem habebam iniungendi tibi, attamen obsecro. Adeò enim necessaria mihi res est, ut etiam obsecrem.

* ἀνῆκον, decēs, quod conueniat.

*Cum talis sim, ut Paulus senex, nunc autem & uinctus Iesu Christi.] Talis cum sim, inquit, ligatus atq; ita audiri dignus, ut par est Paulum senem, hoc est, & à docendi dignitate, & à tempore authoritatem habentem, nunc autem & aliud maius adeptū, nimirum propter Christum ligatum esse. Viden' quòmā ad persuadendum occasiones & argumenta sumat.

* τοιοῦτος ὢν, talis existens, cum talis sim, uel cū talis sis.

Obsecro igitur te pro filio meo quem genui in uinculis meis.] Nondum nominis meminit eius pro quo intercedit. primùm enim mitigat ac placat Philemonem, seruum filium appellans, commendans ac laudans eum hac ratione. Quam ob causam autem ipsum sic appellas? Quia genui ipsum, hoc est, in fide Christi instituí primùm, effeciq; ut baptismate mergeretur, idq; cum in summa necessitate essem, nempe in uinculis. Per hæc igitur consopita indignatione eius, sic tandem nominis meminit.

Onesimo qui tibi aliquando * inutilis fuit.] Nouit peccati confessionem iram extinguere, propterea sic dicit.

*Videtur esse allusio ad nomen, ex ipsius explicatio. Nam Onesimus græce, utilem significat.

Nunc autem & tibi & mihi utilis.] Quia pius sanctusq; factus est, eam ob rem utriq; utilem deinceps dicit. Si enim Paulo, qui adeò exactos mores requirit, utiq; & Philemoni utilis erit. Pariter autem & hoc adumbrat, quòd si commodus mihi est, remittatur ad me.

Quem remisi.] Hoc est, tibi trado hunc, eo pro arbitratu tuo utere. Quia uerò reddit ipsum, iracundiam eius uehementius placat.

Tu autem

Tu autem ipsum, hoc est mea uiscera, suscipe.] Hoc est, cum charitate eũ recipe, imò non ipsum, sed mea uiscera. Adeò ipsum diligo, menteq; circumfero. A

Quem ego uolebam apud meipsum detinere, ut pro te mihi ministraret in uinculis Euangelij.] Animaduerte sapientiam, quomodo in heri locum propemodum ipsum constituit, ut pro te, inquit, mihi ministraret. Ostendit aũt quòd & ipsi consultum cupiat, domino nimirum Philemoni. Si enim tua interest ut mihi seruias, ipse autem tui loco isthuc faciat, lucrum certè inde tibi accedit.

Sine consilio autem tuo nihil uolui facere.] Per hoc etiam maximè Philemonem emollit. Res sanè admodum est necessaria. in uinculis enim quibus Dei causa tenebatur ministraturus ipsi erat, attamẽ præter eius sententiam facere noluit. Quocirca quomodo ei non est donanda hæc gratia, qui cum possit uel sine ipso eam sibi usurpare, noluerit tamen?

Vti ne uelut ex necessitate bonum tuum esset, sed uoluntarium.] Non dixit, Ex necessitate: sed, Velut ex necessitate. perinde quasi hoc dicere uelit: Etiãsi præter animi tui sententiam eum apud me retinuissem, uerè quidem te non contristassem. Videbatur tamen plerisq;, quòd ex necessitate & te inuito istud contingeret: malui autem, ut nulla ratione inuoluntarium quibusdam hoc uideretur, sed citra controuersiam spontaneum.

Forsitan enim ideo discessit ad horam.] O sapientiam Pauli. Cum enim Onesimus ex fraudulenta mente fugisset, inuertit iam Paulus fugam, tanq; quæ propter maiorem sit commoditatem facta, forsan enim, inquit, ex diuina prouidentia fugit. Leni autem loquendi modo, fugam secessionem appellat, ne fugæ nomine herum exacerbet. Porrò cum tempus contrahit, iram etiam sedat. ad horam enim, inquit, secessit. Pariter autem indicat, quòd quãto tempore cum Paulo fuerit, Philemoni etiam seruierit. Illo igitur tempore tantum abfuit, quantum consumpsit priusq; ad Paulum peruenire: hoc autem exiguũ erat, ac uelut unica hora. Proinde si mihi deinceps etiam seruiat, remissus abs te, cogita illum seruire tibi. B

Vt æternum illum reciperes.] Hoc est, fruaris eo.

Non porrò ut seruũ, sed supra seruũ, fratrem dilectum, maximè mihi, quanto autem magis tibi & in carne & in Domino?] Ad multa, inquit, profuit fuga. pro hora enim una habes ipsum perpetuum. Ac uniuersa equidem uita hominis, æterni respectu nihil est: quanto autem magis fugæ tempus? Tum pro seruo fratrem, pro inutili dilectum, & in carne, hoc est, mundanis officijs & ministerijs dignum qui diligatur, ut qui curare & prosequi ea possit: & in Domino, hoc in rebus spiritualibus.

Si ergo habes me socium, suscipe illum sicut me.] Hoc est, si eadem mecum sapere ac sentire te confiteris, haud secus ac me ipsum suscipe. Quem non in sententiam suam induxisset? quis enim noluisset Paulum suscipere?

Si aũt aliquid nocuit tibi, aut debet, hoc mihi imputa.] Nõ dixit furatus est, sed quod lenius, nocuit siue iniustè egit, aut debet. Verisimile nanq; est ipsum insumpsisse quæ sublegerat, propterea inquit, mihi hoc pro debito adscribe, me habe debitorem.

Ego Paulus scripsi mea manu, ego rependã.] Blandè & festiuè hæc dicit, cum spirituali gratia scribens. perinde quasi diceret: En, admaiorem securitatem, ut certus sis persoluturum ea me tibi, chirographum meum habes, has literas mea manu perscriptas.

Vt ne dicam quod & teipsum mihi debes.] Ne uideatur uelut cõtumelia Philemonẽ afficere, ut q nõ sit ausus ob furtũ ab alieno seruo cõmissum sic rogare ipsum simpliciter, nisi chirographũ adijceret (hoc enim crudele erat, necnõ ingratũ, & nullo charitatis affectu erga præceptorẽ suũ imbutũ Philemonẽ indicabat) ostẽdit iã q uehementer adeoq; plurimũ ei cõfidat, nõ solùm eũ tua, inqt, uerùm etiã te mihi insup ipsũ debes.

*vide ne, affirmãtis ad uerbum, si ue obtestantis, uel ut sentit Hier. blandientis.

* Ita frater, ego te fruar in Domino.] A blãdis & festiuis uerbis iam ad grauiora redit, & obsecrat. Ego, te, inqt, fruar, hoc est, fac quæso ut contingat me tuis beneficijs perfrui, non in mundanis rebus, sed diuinis.

Refice uiscera mea in Christo.] Refocilla meam erga te charitatem, inquit, uel cor propter Christum, non mihi enim beneficium impertis, sed Christo.

Confidens obedientiæ tuæ scripsi tibi, sciens quòd & super id quod dico, facies.] Non tibi imperans inquit, nec mihi quicquam arrogans, hæc scripsi tibi, sed confidens

obedientiæ

A obedentiæ tuæ. Quale ferrum hæc non emollirent?

Simul autem & para mihi hospitiū.] Quia suspicari potuisset Philemon, nisi Onesimi causa scripsisset, ne uerbo quidem me dignatus esset Paulus: hāc suspicionem diluens, Non propter illum tantum modo scripsi, inquit, sed eam etiam ob rem, ut pares mihi hospitium. Simul autem ut terreatur Philemon si audiat uenturum apostolum: qui si ueniat, reprehendet eum, nisi receperit Onesimum.

Spero autem quòd per orationes uestras donabor uobis.] Duo hîc discimus: alterū, q̄ sit ingens orationū uirtus, si quidem Paulus talis tantusq̄ illarū ope indigeat. Alterum, quòd oporteat nos humili esse spiritu, quandoquidem Paulus discipulorum precibus egeat. *Orationis uirtus.*

Salutat te Epaphras concaptiuus meus in Christo Iesu.] Hic Epaphras à Colossensibus ad Paulum missus erat, quare planum est Philemonem Colossensem fuisse. Concaptiuum autem appellat, ostendens Epaphram in multa afflictione esse. Ac propterea ruborem Philemoni iniicit. Si enim is cum Paulo affligitur, tristiaq̄ pericula sustinet, ipse autem ne Onesimi quidē nomine ei obsequi uelit, númne pudori ei est? Concaptiuum autem dicit, nō ob humanam quampiam rem, sed propter Christum Iesum Euangelij nomine aduersa perpetiens. *Coloss. 1. Epaphras.*

Marcus, Aristarchus, Demas, Lucas, adiutores mei.] Demas primùm probatus erat fide, quare & hîc à Paulo testimonium ei tribuitur, ut qui sit adiutor eius. Tandem ad ignauiā relapsus à Paulo desciuit, perinde ac in epistola ad Timotheum Paulus scribit, (quæ procul dubio hac posterior est) Demas enim me reliquit, Lucas est solus mecum. Qui igitur postremo hîc est loco collocatus Lucas, primus tandem omnium factus est, cum Demas defecisset. Adeò non oportet quempiam confidere sibi, sed qui stat, uideat ne cadat. Cum istos appellat coadiutores & cooperarios, ostendit eos simul secū rogare pro Onesimo Philemonem: quare dignū est ut hisce tot tantisq̄ gratificeris. Animaduertis quantū simus adiuti ex hac quæ breuis & perspicua uidebatur epistola? Pro B inde nullius scripturæ locus inexploratus prætermittendus est, uerùm ex omnibus, ut quæ per spiritum sint enarrata, spiritualis quædam & commoda sententia inquirenda est. Omnino autem qui scripturæ uerba loquutus est paracletus, dabit rectè quærentibus, eius quod quæritur, inuentionem. A quo & nos illustrati, semper ducamur ad ueritatem diuini uerbi, diuinæq̄ uitæ, ut neque uanis opinionibus seducti, neq̄ mendacio mundanę uoluptatis inescati, serui quidem, nos ipsos per fidem & uirtutem ingenuos reddamus: Domini uerò, cum seruos nostros uideamus sanctos & apostolos, studeamus non multo ignobiliores illis inueniri in regno Domini (qui propter nos etiam seruus apparuit) Christi ueri Dei, cui gloria in secula seculorū. Amen. *1. Tim. 4. Philip. 2.*

Scripta est ex Roma per Onesimum seruum. Istud deest in græco.

THEOPHYLACTI BVLGARIAE ARCHIEPISCOPI in diui Pauli apostoli ad Hebræos epistolam enarratio.

ARGVMENTVM.

GEntium erat apostolus diuus Paulus, sicut & ipse in epistola ad Romanos affirmat. Nō enim sustinuissent ipsum Hebræi prædicare sibi uerbum, ut qui maiori etiam odio prosequerentur quàm cæteros, ut qui per repentinam suam conuersionem, inuictam Christi potentiam ostenderet, quæ acerrimum persecutorem ad sese traxerit. Ingens autem argumentum est ueritatis uerbi Euangelij, Paulum seruentissimum legis æmulatorem, subitò ac derepente Christo accedere. Propterea ex animo uehementiq̄ iracundia aduersus eam pugnabant, adeò ut ne uocem quidem ei sustinuissent. Quinetiam qui ex Hebræis crediderant, ne ipsi quidem illi satis animum aduertebant, utpote qui à lege abducerentur omnino, ac circumcisionem tolleret. At qui etiamsi ad gentes emandatus est præco, ad Hebræos tamen etiam scribit. Vt enim non erat ei demandatum ut baptizaret, baptizabat tamen, neq; enim ei uetitum erat. Sic & Hebræis qui ex circumcisione erant, scribit hanc epistolam. Nam magna eorum solicitudine tangebatur, pro quibus & anathema fieri optabat. Porrò ijs qui in Palæstina & Hierosolymis erant, scribit. Illi enim ab infidelibus Hebræis bonis suis exuti fuerāt ac spoliati, innumerisq̄ afflictionibus subijciebantur: unde solicitus est in colligenda ad horū suppetias eleemosyna, cùm Corinthios tum Macedonas in hoc excitans. Et qui cum Petro prædicationem diuiserat fidelis, qui Hierosolymis erant Hebræos pauperes communes facit. Necessariò igitur illis literas transmittit, consolans succumbentes. Admodum enim contribulium suorum afflictionibus macerati erant: quandoquidē, contribules isti, suo itare Hierosolymis uiuebant, *Rom. 11. Act. 9. Act. 10. 1. Cor. 2. Rom. 3. 2. Cor. 8 9. Galat. 2.*

uerbant, potestate sibi facta iudicandi & in carcerem trahendi quoscunq; uellent. Hoc etiam ipse indicat, ubi ait, De- A
Heb. 12. missas manus & soluta genua erigite. Cum enim Iudæi essent, ac didicissent maiores suos præsentibus ac ueluti ante pedes positis bonis esse usos, ualde animo excidebant, ut qui nondum assecuti essent relaxationem. Propterea & multa de fide in hac epistola disputat, ac de sanctis qui à condito mundo fuerunt, nec tamen bonorum usum sunt adepti: duo sanè astruens & efficiens, unum quidem, omnia quæ accidant aduersa generose ferenda esse: alterum, omnino expectandam esse compensationem. Non enim negliget Deus sanctos suos quos à seculo habuit. itaq; & tuos recipietis. Facit autem multa uerba de ueteri & nouo testamento, ostenditq; legem non porrò esse ratam, nec pristinam retinere uigorem. Nam etsi templum Hierosolymis adhuc staret: uerùm indicat quòd ad tempus usq; aliquod sit duraturum, nostram autem in Christum religionem esse ueritatem. Scribit autem epistolam hanc ex Italia, unde & antiquior
2. Tim. 4. est & prior ea quam ad Timotheum scripsit. Nam in illa ostendit finem sibi uitæ imminere. Ego enim, inquit, iam deli-
Hebr. 13. bor, ac tempus resolutionis meæ instat. In hac autem promittit Hebræis quòd ipse sit uisurus eos. Nouistis fratrem Timotheum dimissum, cum quo, si celerius uenerit, uidebo uos. Verisimile est autem hoc accidisse. biennium enim Romæ
2. Tim. 4. uinctus detentus est, deinde dimissus est. Quemadmodum igitur & ipse indicat, dicens, In prima mea defensione nemo
Rom. 15. mihi affuit: &, Liberatus sum ex ore leonis, Neronis uidelicet, posthac in Hispanias profectus, inde fortasse conspexit Hebræos. Romam postea rediit, quando & à Nerone est sublatus.

CAPVT I.

MVLTIFARIAM, multisq; modis olim Deus locutus patribus in prophetis.] Quia afflicti malis arbitrabantur sese relictos esse à Deo, neq; adeò se illi curæ esse ut maiores ipsorum fuissent, minusq; defensionis atq; auxilij accipere se, quàm illos: indicat iã diuersum Paulus. Maiorem, inquit, gratiam uos adepti estis, maioraq; in uos beneficia Deus contulit, quam in illos: nam ad illos prophetas misit, ad uos autem filium suum. Quid autem est quod ait, Multifariã, multisq; modis: pro diuersimode, &
Osee 12. multis speciebus, siue figuris. Ego enim, inquit, uisiones multiplicaui, & in manibus prophetarũ adsimilatus sum. Proinde quid ægrè fertis, estisq; pusillanimes, talibus tantisq; donati?

In nouissimis diebus hisce loquutus est nobis in filio.] Per hoc eos etiam excitat & consolatur, inquiens: Consummatio adeoq; finis seculi mundiq; huius propè est: nam B
in certamine labefactatus & defatigatus simul atq; audiuerit certaminis adesse finem, respirat paululum. Aliud etiam quiddã indicat per hoc quod ait, In nouissimis diebus. Quando enim non reliquum erat tempus ad emendationem, sed pœnis eramus obnoxij, quando nulla spes supererat, quando dona cessauerant: tunc, inquit, plura cæteris habuimus, alijsq; superiores fuimus. Quod autem ait, In filio, est pro, per filium. Ob
In, præpositio, filio etiã tributa. serua etiam hunc locũ aduersus eos qui dicunt præpositionem (in) attributam esse spiritui, cum hîc filio tribuatur. Quur autem non dixit, Loquutus est nobis Christus? Partim quidem quia imbecilles erant, nec poterant adhuc audire de Christo: partim uerò ut ostendat uetus & nouum testamenta esse unius & eiusdem. Considera autem etiam quod ait nobis. coniũgit enim & adæquat discipulis, cùm ipsos, tum sese. Tametsi ipsis non est locutus, uerùm apostolis, & per illos: attamen exaggeratrem, indicans quòd & ipsis loquutus sit, idq; ad consolationem.

Quem constituit hæredem uniuersorum.] Hoc est, totius mundi fecit Dominum.
Deut. 32. non enim pars Domini est Iacob, sed omnes. Hæredem autem dixit, ostendens eum genuinum esse filiũ, dominumq; huiusmodi, à quod ominatus auelli non possit. Quomodo autem fecit ipsum Dominum? secundum humanam naturam, ut hominem, perinde ac in psalmo secundo ait: Postula à me, & dabo tibi gentes, hæreditatem tuam. Qualem autem hîc dominatũ dicit? in eos nempe qui suapte sponte obediunt, adeoq; uoluntarij sunt. iste enim dominatus, istuc; imperium datum est filio ut homini, quo omnes eum agnoscunt. Per naturale quidem imperium in eos etiam dominatum e-
Psal. 118. xercet, qui inuiti obtemperãt, quatenus dictum est, Omnia tibi seruiunt: atq; hoc dominij ante secula habebat.

Per quem & fecit secula.] Cum de carne filij dixisset, quæ heri & nuper consistit, reducit te deinceps ad altitudinem eius, quam ante secula habuit, diuinitatis. Vbi igitur sunt asseuerantes, Erat quando non erat ipse secula condidit, & quomodo erat seculum, quando non erat ipse? Quoniam uerò pater est autor filij, non immeritò autor etiam eorum quæ ab ipso filio facta sunt. Propterea dixit, per quem. pater enim uidetur facere, qui creantem filium genuit. Sabellius hinc feritur, cum duæ hîc personæ introducuntur.

duæ hîc personæ introducuntur. Paulus autem Samosatensis opportunum hîc uulnus accipit, qui recentem dicebat filium, & ex Maria duxisse principium. Præterea & Arrius hoc loco petitur ac traijcitur, ueruntamen non usqueadeò. apprehendit enim quod ait, Per quem, ceu auxilio quodam iuuari patrem à filio affirmans. At quæ sequuntur, istam eius opinionem perimunt.

† ἀπαύγασμα, splẽdor, refulgentia, relucentia.

Qui cum sit † splendor gloriæ.] Ad ipsum de filij maiestate fastigiũ transit, & gloriæ splendorem ipsum dicit: ut hoc discas, quòd sit ex patre, quòd sine passione, quòd eo non imminuto, nec minorato, quòd eiusdem sit substantiæ, hoc est lumen ex lumine. Nam animas nostras ille illuminauit, ac patrem ipse denunciauit. Propterea etiam dixit, Ego sum lux mundi, quoniã simul ab æterno cum ipso lucebat. Nam & splendor cum re ipsa quæ splendorem emittit, eodem momento collucet. Sol enim sine splendore nunquam apparuit. sic neq; pater intelligitur sine filio. Quòd si Arrianos audias dicentes, Si ex patre filius, posterior ergo est patre: oppone eis splendorem à sole esse, nec tamen eo posteriorem esse: simul enim sol cum suo splendore deprehenditur ac cernitur.

Ioann. 8.

Et † figura substãtiæ eius.] Cum dixisset splendorem, ac propterea filium patri coæternum, & eiusdem cum eodem essentiæ commonstrasset: rursus quia splendor persona & substantia caret, curat iam quod ex demonstratione adeoq; exemplo isto absurdum colligi potuit, ne Marcello & Sabellio hîc locus relinquatur, qui dicebant nõ esse filium in propria apud patrem † persona. Dicit ergo, Et figura substantiæ eius est: hoc est, quemadmodũ pater in sua persona subsistens, nullius alterius indiget ad sui perfectionem, sic & filius. Cum enim declarasset filium nõ differre nec dissimilẽ esse, proprium etiam primi exemplaris characterem & formam esse filium per hæc demõstrat apostolus. Character enim siue figura aliud quiddã est ab archetypo, ut qui subsistat ipse per sese, similis quidem citra ullum discrimen prototypo seu exemplari primo. Gregorius autem Nyssenus ait: Quemadmodũ per splendorem connexionem eius indicauit, sic per figuram, naturæ æqualitatem. Cum enim † suppositi magnitudinem animo concepisset, per figuram seu characterem qui uidebatur, omnino metiebatur ipsum suppositum. neq; enim suppositum excellit character, ne sit sine subsistẽtia, quatenus excellat: neq; suppositum maius est figura siue charactere, alioqui non figuratam neq; formatam haberet partem illam. Perinde igitur ut alio in loco dicit filium in forma Dei essẽ, id iam ipsum quomodo sit intelligendũ, docet. Formã enim, suppositum aut substantiam: characterem autem, dominum qui in ipsa cernitur, uocat. Commonstrat autem omnino filium esse patri æqualem. in forma enim patris maiestas animaduertitur, nequaquam ipsam exuperans. Alioqui informe esset, & pulchritudine uacaret id quod formam excederet. quod absurdum est de patre intelligere. Si autem tanta est maiestas patris, quanta & forma est, character autem æqualis est ipsi formæ: habebit etiam tantam amplitudinem & maiestatem character, quanta in Dei forma esse conspicitur.

† χαρακτὴρ, id est, character, figura, forma ex alio expressa.

† ὑποστάσεως substantia, persona

† ὑποστάσεως, suppositi sine subiecti, aut etiã personæ. Hypostasis autẽ à subsistendo dicitur.

Portans omnia uerbo potentię suę.] Qui iam antea inuadebas & carpebas filium, & ipsum tanquam ministrum constituebas, audi iam nunc si intelligere potes, quomodo hîc filio autoritatem tribuat. Non dixit autem, Portans potẽtia, sed uerbo potentię, hoc est, quod refertum est potentia, quod ipsum potentem arguit atq; probat. Perinde nanq; ut ais patrem dixisse, Fiat lux, & facta est lux: sic & filius uerbo gestat omnia, id est, gubernat, continet: imò maius est, dissidentia, & ad non esse uel ad corruptionem abitura, continere & conseruare, quàm omnia pro ducere. Nec dixit gubernans, sed † portãs siue ferens, sumpta metaphora ab ijs qui digito faciunt ut quicquam moueatur transferaturq;. Tale nanq; tantumq; pondus creaturarum adeò citra negocium portat, ut nihil baiulare uideatur, solo nimirum uerbo q; omnia potest. non enim perinde exigua res est in Deo uerbum, ut in nobis uerbum nostrũ. At interim cum tot hæreses in exordio statim huius epistolę sint euersæ, audent tamen nõnulli reijcere hanc epistolam tanquam Paulo non conuenientem, sumpto argumento & signo ex epistolæ huius charactere seu stylo, quia differat ab aliarum à Paulo cõscriptarum literarum dictione. Verumenimuero precium certè fuerat operæ, simul eos uidere, sententiarũ pondus & amplitudinẽ, earumq; robur, quod nemo cassare,

† φέρων, portans siue ferens, aut mouens ac moderans. Verbum in Deo.

debilitare, aut infringere possit, nō esse alterius quàm Pauli, Christum in sese loquen A
tem habentis. Quòd si omnino huius epistolæ dictione offendantur, nouerint epistolam hanc ab apostolo Paulo Hebraica lingua concinnatam, ut qui Hebræis in hac ipsa loqueretur: in Græcam uerò linguam à Luca (ut quibusdam placet) translatam. uel, ut alij sentiunt, à Clemente, cuius & stylum potius retinet. Simile igitur quiddam delinquunt, ut ita dicam, qui hanc epistolam Paulo offerunt, perinde ac si Paulum à Christo diuellerent.

Per seipsum purgationem faciens peccatorum nostrorum.] Quum loquutus esset de maiestate diuinitatis uerbi, deinceps de cura ipsius quam in homines per carnem gerit, disserit, quod multo maius est, quàm quòd omnia ferat. Duo autem hic ponit, tum quòd mūdarit nos à peccatis, tum quòd per seipsum hoc fecerit: & multis locis in hoc gloriatur quòd per filium ipsum id factum sit. Nam per crucem & mortem quam ipse sustinuit, purgauit nos, non solùm quòd mortuus sit pro peccato nostro quū ipse omni peccato uacaret, quódque pœnas luerit quibus ipse non erat obnoxius, ac solue
Rom.6. ret naturam, quæ simpliciter ob Adami peccatum ac trāsgressionem condēnata erat: uerumetiam per hoc quòd dederit nobis baptisma, imaginem mortis suæ, per quam semper præteritorum nobis peccatorum condonationē recipimus dum baptizamur, atque potentiam ne posthac adeò facilè peccatis succumbamus.

Sedet ad dexterā maiestatis in excelsis.] Crucis mētione facta, de resurrectione & assumptione sermonem infert. Non dixit autem, Iussus est sedere: uerùm, Sedet, idq; in dextra, & in excelsis: non quòd loco cōcludatur Deus, uerùm ut idem eius honos & æqualitas erga patrem commonstretur. Ad ipsum enim patrium usque thronum peruenit, & perinde ut pater in excelsis est, sic & ipse. Sin quis dicat, Scriptum tamen
Psal.109. est: Dixit Dominus Domino meo, sede: primùm quidem respondebimus, quòd nō dixerit, Iussit, uerùm Dixit: deinde ne ipsum expertem principij uel causę existimes, B
eam ob causam uerba psalmi sic figurata sunt.

Tanto melior angelis effectus, quanto excellentius præ ipsis nomen hæreditauit.] Principio quidem prophetis comparabat eum, ob auditorū imbecillitatem: iamuerò in procursu angelis ipsum anteponit, paulatim auditores ad ueritatem admouens.
Ioan.1. Effectus autem dixit, pro demōstratus, sicut et diuus Ioannes præcursor ait, Qui post me uenit, ante me factus est: hoc est, honoratior me demōstratus est. non enim de substantiæ natura hic loquitur. Carnis autem causa omnino dictū est, Hæreditauit. Nam
Ibidem. ut Deus uerbum hoc nomen semper habebat, hunc ad modū & nos de homine & sublimia et humilia loquimur, ueluti si dicamus magnū hominem, à potiori totum istud appellamus, aliquando uerò ab his quæ sunt carnis.

Psal.2. Cui enim dixit aliquando angelorum, Filius meus es tu, hodie genui te.] Vnde, inquit, perspicuū quòd melior sit & præstantior angelis: ex nomine. nomē enim filius, germanitatē indicat: hoc est, quòd ex patre sit genitus. Quòd si ex gratia filius est, minor est angelis. Quod igitur ait, Ego hodie genui te, nihil aliud significat, quàm quòd
Exod 3 sit à principio, & ex quo pater est. Quemadmodū enim qui est, dicitur à præsenti tempore, illud enim potissimum ipsi cōuenit: sic & hodie. Nonnulli autem, Hodie genui te, non de ea quæ omnia secula præcessit, æterna nimirum, sed de ea quæ est secundū carnem natiuitate, dicta esse acceperunt. Nam & ipsa à supernis fuit, ex spiritu enim sancto, & patris beneplacito.

2.Reg.7 Et rursum, Ego ero ipsi in patrem, & ipse erit mihi in filium.] Hoc propter carnem apertè dictum est. postquam enim hanc attigit Paulus, intrepidè reliqua deinceps loquitur. Assumpta itaque natura, genuinum ac germanū filij nomen, quod uerbum ipsi naturæ unitum habebat, hæreditauit, quippe quæ in illo subsistat: quēadmodum
Luc.1. & angelus dixit, Et quod nascetur sanctum, uocabitur filius Dei. Et iterū, Erit autem magnus, & filius altissimi uocabitur. Hoc autem nemini angelorum cōuenit. Etiam si autem iustorum quidam sint filij Dei, ex gratia tamen sunt, nō natura. Cum Domino autem Christo sese res aliter habet, sed in subsistenti identitate, filij nomen ob carnem assumptam est inditum.

Iterum autem cum introduxit primogenitum in orbem terrę, dicit.] Christus sanè
Mat.13. aduentum suum in carnem exitum uocat, ut quum ait, Exijt qui seminat, seminare. &

A &iterum, Ego à patre exiui, idque non immeritò, nam extra Deum eramus, ac egressus ad nos ueluti legatus, & conuersatus nobis, nósque mundans, reconciliauit regi. Diuus autem Paulus egressum istum introitum nunc nominat, à metaphora hæreditatem adeuntium, uel distributionem quandam aut possessionem assumentium. Hoc enim significat quod ait, Introducit, quando tradit filio terrarum orbem pater. tum enim ipsum possedit, uoluntariò subiectum, quando & cognitus est. Introducitur autem non aliter quàm in carne. Vt enim Deus uerbum, in mundo erat, Ioan.1.
& mundus per ipsum factus est. Patrem autem facit introducere filium, ut gratum & acceptabilem faciat sermonem. Gregorius autem Nyssenus ac diuus Cyrillus sic introducere ipsum intellexerunt, quoniam ante incarnationem nihil commune habebat cum creatura, ut qui Deus esset carne uacans. Quãdo uerò carnem assumpsit, tum communicans creaturæ, quatenus id quod creatum erat sibi ipsi uniuit, introductus esse increaturam dicitur.

Et adorent eum omnes angeli Dei.] Eum, scilicet qui carnem assumpsit. Indicat Psal.96.
autem hic quanto sit ipsis præstantior, quanto uidelicet dominus seruis est potior. uelut si quis in domum introducẽs quempiã, prælides eius illico iubeat adorare ipsum;

Et ad angelos quidem dicit, Qui facit angelos suos spiritus, & ministros suos flam Psal.103.
mam ignis.] En maximum inter illos discrimen, quoniam illi quidem sunt creati, hic uerò increatus. Nam quod ait, Qui facit: signficat ex nõ esse ad esse productionem. Non ad angelos autem tantùm excellentiam habet, uerumetiam erga omnem ministrantem uirturem. Non dixit autem, Qui fecit: sed, Qui facit, hoc est, conseruans uer Psal.32.
bo, per quod facti sunt. Huiusmodi est quod & in euangelio dicit, Pater meus usque Ioan.5.
modò operatur: hoc est, continet quæ facta sunt, & effecta iam, & custodit perinde ac facta sunt.

Ad filium autem, Thronus tuus Deus in seculum seculi.] Angeli quidem, inquit, Psal.44.
B creaturæ sunt & opera, de ipsis itaq; dictum est, Qui facit. Filius autem non est creatura: non enim de ipso etiam dictum est, Qui facit, sed rex, Dominus, ac Deus. Thronus enim ei tribuitur, qui regni est indicium, ac thronus æternus. Hoc autem est aduersus Paulum Samosatensem, qui simplicem hominem introducit eum qui Deus re uera sit, rexq; æternus: & aduersus Arrium.

Virga æquitatis uirga regni tui.] En rursus aliud regni symbolum.

Dilexisti iustitiam, & odisti iniquitatem.] Hæc ceu incarnato Deo uerbo aptantur, ceu carne humilia recipiente.

Propterea unxit te Deus Deus tuus oleo exultationis prę participib. tuis.] Hoc aduersus Iudæos & Sabellium Marcellũ pugnat, tanq; duas personas indicãs, Deum & Deum: & contra Marcionistas, qui non putant filium assumpsisse carnem, quoniam diuinitas non ungitur, sed humanitas. Ait igitur, Deus, hoc est, ô Deus, unxit te Deus tuus, hoc est, pater quidem tuus secundum diuinitatem, Deus uerò secundum carnem: oleo exultationis, id est spiritu sancto, prę alijs hominibus. Non enim ex mensura spiritum sanctum accepit Christus. neq; ut is qui per spiritum operatur mirifica, ue Ioan.3
rùm inunctus est præsentia, adeoq; toto unguento, ac toto inungente. Participes autem eius sunt omnes spirituales, ut qui eius participatione sint sanctificati. Nam & q in lege perfecti & spirituales erant, per fidem in Christum spiritum sunt assecuti: ob quam causam & Christi, hoc est uncti, appellati sunt. ut, Nolite tãgere Christos meos, Psal.104.
At qui in gratia sunt Euangelij, apertius longè Christi sunt participes, ut qui mortis ipsius sint facti consortes per baptisma, & uncti spiritu, qui oleum exultationis dicitur, ut qui à peccatorum nos tristitia ac crudelitate liberauerit, ac futurorum bonorum spe nos gaudere fecerit. Quòd uerò Deus, sit pro ô Deus, testis est fide dignus, hostis Symmachus, hunc ad modum interpretans: Propterea unxit te, ô Deus, Deus tuus oleo lætitiæ præ socijs tuis. †Obserua autem q ὁ θεὸς, Deus, per articulũ scriptum, de filio dicatur, propter eos qui dicunt q cum Ioannes scribat καὶ θεὸς ἦν ὁ λόγος, & Deus erat uerbum, cum sine articulo ὁ, dictio θεὸς illic ponatur, non propriè ipsum uerum Deum indicat.

† ὁ θεὸς, Deus, cum articulo de filio dicitur, ut tantũ sit quod de articulo omisso, Ioan. primo, cauillantur.

Et tu in principio Domine terram fundasti, & opera manuum tuarum sunt cœli.] Ne cum suprà audiueris q primogenitum introducat in orbem terrarum, existimes

tanquam donum esse quod ei postremò datum sit à patre, cõmonstrat eum ipsius orbis simul conditorẽ fuisse, nõ in nouissimis tẽporibus, sed iam olim à principio. Hoc ipsum est aduersus pariter Paulum Samosatensem. Affirmat enim & probat Paulus apostolus, aduersus Samosatensis opinionem uanam, Christum ante uirginẽ Mariã fuisse, quippe qui & autor sit creationis & cõditor. Contrauenit etiam Arrio, Christũ ipsum ministrũ & instrumentũ facienti: propterea & suprà memoratum est, Per quẽ et secula fecit. Ecce enim hic ipse creator & conditor introducit. Obserua autem quo modo complicentur qui est de increata Christi natura sermo, & qui de diuina dispensatione qua incarnatus est. Aliàs enim sublimia propter diuinitatẽ, aliàs uerò humilia propter humanitatem de Christo seruatore nostro proferuntur.

Ipsi peribunt, tu autem permanes, & omnes ut uestimentum ueterascent, & uelut amictũ uertes eos, & mutabuntur: tu autem idem ipse es, & anni tui nõ deficient.] Maius quiddam quàm sit creatio, hìc aperuit apostolus, transfigurationem uidelicet mundi, Mutabũtur, inquit. mutabuntur enim à corruptione ad incorruptibilitatem: & adeò facilè, ut si quis amictum circunuoluat. Quòd si transfigurationem & innouationem, ad perfectiorem formam, & mundi creationem adeò facilè operatur, in minori opere alterius indigebit adiutoris: Porrò haud parum solaminis præbet fidelibus in hoc mundo oppressis, nouisse eas res & opera quæ nunc uident, non ita duratura perpetuò, cæterùm acceptura mutationẽ: tum eum quem ipsi deuenerentur & colant, in sempiternum permanere, semperq; uiuere. Anni enim tui non deficient.

Psal. 109. Ad quem autem angelorum dixit aliquando, Sede à dextris meis, quoad usq; ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum?] En rursus animũ illis addit, ac omnis mali casusq; leuamen tribuit. Siquidem futurum erat ut ipsorum hostes prosternerẽtur, & ipsorum hostes ijdem essent qui & Christo aduersarentur. Neq; tanquã Christus imbecillior hoc nõ posset, pater dicitur subijcere hostes. qui enim in extremo die iudicaturus est omnes, quanto potius etiam interea tẽporis reddiderit cuiq; pro suis operibus? uerùm ut ostendat quo honore pater filium prosequatur. Patrem enim indignari hostibus filij, quî non cedat in gloriam & summum decus filij? quomodo nõ sit magnæ patris in filium dilectionis symbolum? Dictum autem est fusius hac de re in priore ad Corinthios. quæ illic ergo annotata sunt, require.

1. Cor. 15. Nónne omnes sunt administratorij spiritus, in ministerium missi propter eos qui hæreditatem capient salutis?] Auscultantium mentes erigit atq; attollit, in gentẽ Dei erga nos curam in medium promens: quandoquidem angelos excellentiores nobis spiritus, ordinarit ut ministrent ac inseruiãt nobis in rebus ad salutem pertinentibus. Videtur autem quosdam perstringere, qui angelis nimirum intenti erant, potissimùm uerò Hebræos in uniuersum omnes, legi per angelos traditæ planè affixos, eorumq; ministerijs quæ in lege deprehenduntur, adeò ut hos etiam Christo præferant. Ne igitur ipsis, inquit, intenti sitis, nam & conserui nostri sunt. Obserua porrò quî non perinde multum discriminis faciat inter creaturas. Quanquam multum sit discriminis inter angelos & homines, nobis tamen eos proximos statuit. creaturæ nãq; à creaturis parum distant. Ministrarunt aũt angeli & in ueteri testamento multa, atquee tiam in nouo. Nam in nouo Ioseph per insomnium responsum dant, pastoribus euangelium annunciant, & in monumento sedentes resurrectionem prædicant. Et in ascensione seruatoris nostri docebant sic reuersurum, quemadmodum ascendisset. Hunc ad modum ad Cornelium uenit angelus, ad Philippum uenit angelus, ad Petrum etiam in carcere, ac simpliciter innumera huiusmodi. Considera hìc angelicum esse, inseruire saluti mortalium, imò ipsius etiam Christi. proinde haud uenit negligendum eiusmodi ministerium.

Act. 7. Gal. 3. Luc. 2. 24. Ioann. 20 Act. 1. 10. 8. & 12.

CAPVT II.

PRopterea abundantius oportet obseruare nos ea quæ audiuimus.] Quia, inquit, tanta est excellentia filij qui locutus est nobis, qua excellit prophetas, & angelos ueteris testamenti ministros, maiore cura nobis obseruanda sunt quę dicit, quàm quę lex loquitur: attamen palàm hoc non dicit, ne principio eos feriat aut exasperet: uoluit autem ut ex consequenti hoc colligeretur. Nec uerò comparans ueteri nouum testamentum, hæc dicit, haudquaquam: uerùm aduersus opinionem eorum qui

A qui plurimum de ueteri gloriabantur, nouum contemnentes, hæc adducit.

Ne quando pereffluamus.] Hoc est, ne excidamus, ne pereamus. Accepit autē dictionem hanc ex parœmijs. Fili, inquit, ne per effluas, ut ostendat lapsus facilitatem et interitus grauitatem. Nam quod pereffluit ac præterfluit, haud facilè redit. Ecc. 1.9.11

Si enim qui per angelos dictus est sermo factus est firmus.] En reuelat hîc uoluntatem suam. Per sermonē aūt per angelos enunciatum, uel decalogus intelligendus est. Verisimile est enim angelos tum affuisse, quibus gens Hebræa cōmissa fuerit, qui & tubas faciebant, idq; genus alia, ut ignem, caliginē, perinde ac in epistola ad Galatas, Ordinate per angelos. & iterum: Accepistis legem per dispositiones angelorum. Vel per sermonē omnia iussa per angelos in ueteri testamēto dispensata, accipienda sunt, ut in † ploratu, in iudicibus, in Sampsone. Eam ob rem nō dixit lex, sed sermo, ut iam commemorata indicet. Omnia igitur hæc firma, hoc est, uera sunt facta, & ad opus interminationes sunt perductæ. neq; quicquam horum excidit. Exod. 19. 20. & 15. Galat. 3. Act. 7. Iud. 6. 9. 13. † ἐπὶ τῇ κλαυθμῶνι, uetus Chrys. interpres habet, in Loth.

Et omnis præuaricatio & inobedientia accepit iustā mercedis retributionē.] Non hæc, inquit, transgressio repensationem accepit, illa uerò non item, sed omnis, neq; quicq; inultū permānsit. Pœnā autem mercedem appellat, etsi uocabulum μισθαποδοσία, merces in bonam partem accipiatur: at non perinde uocum gerit curam Paulus.

Quomodo nos effugiemus si tantam neglexerimus salutem?] Illic sermo est, hic uerò salus. Quod si illic etiam salus fuerit, non adeò tamen magna erat: siquidem ex hostibus liberabantur, bonaq; terræ accipiebant. Hic uerò magna prorsus salus est, propterea dixit tātam. mortis enim destructio, dæmonum interitus, ac cœlorum regnū, omnia hæc per ea quæ nobis Deus loquutus est, fiunt.

Quæ quum initium accepisset, enarrauí per Dominum, ab eis qui audierunt in nos confirmata est.] Fidem uerbis suis firmans, & autoritatem concilians, Salus, inquit, hæc non per prophetas aut angelos est promulgata, uerùm ab ipso uniuersorum Domino, ab ipsóque fonte principium sumpsit, deinde transiit & ad nos firmiter atque fideliter per eos qui ipsi fuere uerbi spectatores & ministri, id quod & Lucas ait. Nam ipsi nos certos reddiderunt ac firmauerunt. Quomodo igitur alio in loco sese non ab hominibus audiuisse dicit. Quia illic arduum erat & necessarium, quo urgebatur confirmare se non esse hominum discipulum. Calumniabantur enim eum, ceu Dominum non audiuisset. Quare periculum erat ne prædicationi & uerbo eius apud discipulos suos non adhiberetur fides. Nunc autem non est tanta eius confirmationis necessitas. Neq; enim Hebræis prædicauit, neq; apud istos malè audiebat, tanquam hominū discipulus esset, & non Christi. Vel quia & hîc inferens Deum sibi testimonium reddere per signa & prodigia, innuit quòd non ab hominibus hæc, sed à Deo acceperit. B In prologo euāgelij sui.

Contestante Deo signis & portētis.] Cum dixisset, Cōfirmata est, indicat iam quā nam isthuc ratione factū sit. Ne enim dicat aliquis, Qui audiuerunt, finxerūt: Deus, inquit, testimonium simul reddit. non enim testimonium daret, si figmenta fuissent. Testantur enim ipsi, Deus uerò simul testimonium illis exhibet, non uocem aliquam edens, sed per signa & prodigia confirmans atq; stabiliens quæ dicunt. Deo itaq; credimus, non hominibus.

Et uarijs uirtutibus.] Charismatum copiam indicans, dixit uarias. nunq; enim tanta tamq; eximia signa facta sunt. Quoniam autem & præstigiatores multa edunt, adiecit, Et uirtutibus. Illa enim miracula non sunt uirtutes, sed imbecillitas, & apparentia siue imaginatio, ac planè uana sunt eorum facta.

Et spiritus sancti distributionibus secundum suam uoluntatem.] Atq; hoc propter eandem causam intulit. Quæ enim præstigiatorum sunt, non spiritus sancti sunt, uerùm immundorum dæmonum impostura. Clàm autem & aliud innuit. Verisimile erat haud multos esse apud Hebræos, qui charismata haberent, defecerant enim propter eorum torporem. Vt igitur uel in hoc consoletur eos, Distributiones, inquit, spiritus sunt, iuxta ipsius uoluntatem: ipse nanq; nouit quid cuiq; conducat, sicq; donū suum partitur & gratiam. Sæpe uerò ob impuram uitam aliquis non accipit donum seu charisma: rursus cui pura est uita, sepæ item non accipit, ut non attollatur: propterea & humilibus & simplicibus magis dabantur charismata.

Non enim angelis subiecit orbem terræ futurum.] Demonstrans adhuc filij excellentiam, qua angelos exuperat: Non his, inquit, subiecit terrarum orbem, uel mundũ hunc, sed filio. Futurum autem dicit, quia filius Dei semper erat, orbis uerò terrarum producendo erat, qui antea uidelicet non fuerat. Quantum igitur attinet ad sempiternam filij Dei essentiam, orbis futurus erat, & uniuersitas rerum. A

De quo loquimur.] Hoc est, de quo suprà diximus, Quum introducit primogenitum in orbem terræ: ne igitur alium orbem inquirat mens tua errans, ac seducta. Nonnulli per futurum orbem, post fata secuturum mundum hic intellexerunt. De quo, inquit, omnis est nobis sermo. Tum enim angeli ut serui assistent, filius autem ut iudex in throno suo sedebit.

Testificatus est autem quidã alicubi dicens, Quid est homo quòd memor es eius? aut filius hominis, quoniam uisitas eum? minuisti eum† paulo minus ab angelis, gloria & honore coronasti eum, & omnia subiecisti sub pedibus eius.] Non explicat nomen autoris sacri, ut qui disputet cum scripturarum gnaris. Hæc quidem generatim de uniuersa humana natura sunt dicta, speciatim tamen Christo secundum humanitatem quadrant. Nam filius Dei humanam naturam, quæ nihil erat, uisitauit: qua assumpta, sibiq; unita, cunctis superior est demonstratus.

† βραχύ τι id est, parum quid dã, uel breue quid, ut intelligamus paululo minorẽ uel ad breue tempus inferiorem fuisse angelis.

In eo enim quod omnia ei subiecit, nihil dimisit non subiectum ei. Nunc autem nondum uidemus ei omnia subiecta.] Quia persecutionibus illi obnoxij erant, ac aduersa patiebantur, ne obijciant, Quî dicis Deum omnia subiecisse, quum nos persecutionem patiamur, atque exagitemur miserè ab hostibus ipsius? Itaque nondum subiecti sunt ei, sed decipis nos: propterea, inquit, ne tumultuare, neque pusillanimis esto, futurum est enim ut omnia ipsi subijciantur. Propterea enim scriptura dixit quòd subdiderit, quod omnino euenturum est, etiamsi nondum contigerit, quasi iam euenerit, ponens. Ne igitur mœreas quasi acerba tristiáque patiaris. Nondum omnia superauit prædicatio, nondum tempus adest ut perfectè subijciantur, subijcientur tamen omnino. B

Eum autem qui modico quàm angeli minoratus est, uidemus Iesum per passionẽ mortis gloria & honore coronatum.] Conatur ostendere, ea quæ dicta sunt, Christo conuenire. Et ait, Etiam si illud, omnia subiecisti, nondũ uideatur ipsi quadrare, atqui monstrauimus omnino hoc euenturũ. Illud certè, parum quiddã ab angelis imminutum esse, huic cõuenit, aut nobis. Etenim triduum apud inferos cõmoratus ut homo, paululum inferior factus est angelis, quandoquidẽ illi prorsus non sint obnoxij morti. Nos uerò qui plurimũ siue multo tempore corruptioni sumus obnoxij, haud parum certè, sed omnino multum ab angelis sumus imminuti. Gloria porrò & honore coronatum esse propter passionẽ, illi magis cõuenit, quàm nobis. Dicens autem passionem mortis, ueram mortem indicauit. non enim uana mortis apparitio fuit, sed efficax afflictio & cruciatus. Meminit autem mortis & crucis, ut persuadeat eis generose ferre afflictiones, ad præceptorẽ Christũ oculos defigendo. Quinetiam gloriæ illi crux fuit, proinde & uobis ærumnæ & cruciatus in gloriam cedent. Quid igitur resilitis ab his quæ coronam & palmam pariunt? Ille pro te seruo passus est, tu uerò nõ sustines pro ipso domino tuo affligi?

Vt gratia Dei pro omnibus gustaret mortem.] Non debebat nobis Deus quicquã, sed ex gratia filium suum nobis dedit in mortem, nõ pro fidelibus tantum, sed pro uniuerso terrarum orbe. Etsi enim non omnes sunt seruati, ipse tamen quod sui officij erat, impleuit. Pulchrè autẽ dixit gustaret. ut enim re uera gustauit, sic modica in morte facta mora, protinus resurrexit: unde & secundum hoc præstantior est angelis, quoniam superior morte demonstratus est. Perinde ac medicus animaduertens ægrotũ metuentem præparatos sibi cibos & pharmaca degustare, ipse prior degustat, ut persuadeat ægro quò confidat sumere audacter pharmacũ. Hunc ad modum Dominus uidens nos metuere mortem, gustauit eam prior, cum non esset ei necessarium. Non enim hoc illi ex debito incumbebat, quòd mortem nimirũ gustaret, sed totum isthuc ex gratia egit, ut cum ostendisset eam nihili esse, persuadeat etiam nobis aduersus illã confidere. Nestoriani autem depraurantes scripturam, dicunt, ut absq; Deo, pro quouis gustaret mortem, ut cõstituant in crucifixo Christo non adfuisse simul diuinitatẽ,

ut

ut quæ ſecundum ſubſtantiam ei unita non fuerit, uel perſonam, ſed ſecundum habi-
A tum. Quorum inſipientiam orthodoxus quiſpiam ridens ac ſubſannãs, Eſto, inquit, habeat ſcriptura ut dicitis, pro nobis tamen uel ſic erit quod dicitur. Abſq; enim Deo, ſiue, dempto Deo, pro quouis alio mortem obijt Dominus, pro angelis etiam ipſis, ut inimicitiam eorum erga nos ſolueret, ac lætitiam ipſis acquireret.

Decebat enim ipſum, propter quem omnia.] Hoc eſt, patrem. propter ipſum enim omnia, hoc eſt, ipſe eſt autor omnium.

Et per quem omnia.] Animaduerte (per quem) patri attribui. nec enim ſi imminutionis eſſet, ſoliq; filio conueniret, patri apponeretur. Quid autem ſignificat per quẽ? Diſce quia dixerat, propter quem omnia: ne quiſquam abſurdum quidpiam intelligeret, quaſi omnibus ipſe indigeret: quandoquidem & præpoſitio propter, tale quiddam ſignificet, ueluti ſi dicamus, propter hominem producta eſt & condita creatura, conditusq; mundus, eam ob cauſam intulit, per quẽ, interpretans illud propter quem, ſic intelligendum, quaſi per ipſum, hoc eſt, ab ipſo facta conditaq; ſint omnia. Hunc ad modum igitur & de filio ſi dicat per quem, accipe pro à quo. *Per quem, etiam patri tribuitur.*

Qui multos filios in gloriam adduxerat, authorem ſalutis eorum per paſſionem † cõſummare.] Adhuc illius gloria & honore coronaſti eum, hîc meminit. Quod aũt ait, eſt eiuſmodi: Digna honore & ſplendore ſuo pater tranſegit, primogenitum omnium filiorum, qui gloriæ eius participes futuri erant, clariorem & ſplendidiorem omnibus cõmonſtrans per paſſiones, ut oſtendat etiam aliis quomodo ſit certandum. Principem autem ſalutis appellat, hoc eſt, autorem & cauſam. Obſerua autem quantum ſit diſcrimẽ, ipſe filius eſt, & nos filij ſumus: ſed ipſe quidem ſaluos facit, nos uerò ſalui efficimur: copulamur ipſi & coniungimur, & rurſus diſſeparamur ac diſtamus. Per illud quod ait, Qui multos filios in gloriã adduxerat, ipſi cõmunicamus. per iſtud uerò, authorem ſalutis ipſorum, diſtamus ab ipſo. Obſerua autem paſſiones aut afflictiones eſſe conſummationem & cauſam ſalutis: & qui pro quopiam patitur, non illũ
B ſolum adiuuat, uerumetiam ipſe clarior redditur & perfectior. Conſummationem autem hîc intellige gloriam qua glorificatus eſt, atq; hanc ſecundum humanitatẽ intellige. Vel quia naturaliter quidem habebat gloriam, cæterùm quod ad nos attinet, hoc eſt, apud homines, inglorius erat, tanquam non agnitus. Quia uerò poſt crucem cognitus eſt, & glorificatus, accipere dicitur gloriam, quam tamen natura habebat, etiamſi à nobis ei non deferretur. Diuus autem Cyrillus perfectionem immortalitatẽ dicit, quæ deerat Chriſto ſecundum hominem. Compleuit autem hanc ipſi pater per reſurrectionem. Poſtquam enim reſurrexit, non porrò in eum mors dominatur. Quin & uniuerſam naturam in ipſo hac perfectione dignatus eſt. † τελειῶσαι, *id eſt, conſummare, actiuè ſ. id eſt, docebat ut pater cõſummaret authorẽ ſiue principem ſalutis &c.* *Afflictionũ utilitas.*

Qui enim ſanctificat, & qui ſanctificantur, ex uno omnes.] En rurſus indicat nos eſſe fratres Chriſti, tantoq; affectos honore. Qui enim ſanctificat, hoc eſt Chriſtus, & qui ſanctificantur, hoc eſt nos, ex uno omnes, hoc eſt, ex patre: at ille quidem ut genuinus & germanus filius & è ſubſtantia patris, nos autem ueluti creaturę. Animaduerte autem & in dictionibus excellentiam. nam ille ſanctificat, nos autem ſanctificamur. Proinde & ſimilitudo eſt, ſiue identitas & excellentia.

Propter quam cauſam non erubeſcit fratres eos uocare.] Hoc etiam loco excellentiam obſerua. Per hoc enim quod dicit, non erubeſcit, indicat hoc non eſſe naturæ rei, ſed amoris, paterníque affectus, eius qui non erubeſcit aut confunditur. Etſi enim ex uno ſimus, multum tamen eſt interualli: quantum uidelicet inter creatorem & creaturas.

Dicens: Nunciabo nomẽ tuũ fratribus meis, in medio eccleſiæ laudabo te.] Carne induta, induit ſimul fraternitatem, ac ſimul coijt fraternitas. Rurſus autem inde excellentia prodit. Denunciabo enim, inquit, ijs qui tenebris circunſepti ſunt & ignorantibus. Non eſt diſſimile ei, Nomen tuum hominibus manifeſtaui. *Pſal. 21* *Ioann. 17*

Et iterum, Ego ero fidens in eum.] Per hoc itidem indicat ſe hominem fratremq; noſtrum factum eſſe. perinde enim ac quilibet hominum, ſic & ipſe confidit in eum, hoc eſt, patrem: ſimul monſtrans nobis, ut in ſolum Deum confidentes ſimus, quandoquidem ipſe qui filius ſit, & nihil indigeat, in patrẽ tamẽ cõfidere ſeſe dicat. Nonnulli uerò ſic intellexerunt, quia ſuprà Chriſtũ fratrem dixit, infrà aũt patrem, in me- *Pſal. 17*

dio declarat illa quidem esse nomina dispensationis postremis temporibus patefactę. A

In solũ Deũ proprie cõfidendum. Sempiternũ autem nomen eius, quod omnia secula præcesserit, Deus est. Quis enim in alium propriè cõfidit, quàm in Deum? Perinde quasi dicat, Ne cum & fratrem & patrem eum esse auditis, existimetis eum esse unum ex multis, uel uulgarem aliquem: Deus est, inquit, in quem fiduciam esse collocandam scriptura testatur, ut sermo non sit ex persona Christi, sed prophetæ potius dicentis, Ero fidens in ipsum Christum, ut

Esa. 8. Deum. Enimuero huiusmodi intellectus non quadrat.

Et iterum: Ecce ego, & puri, quos mihi dedit Deus.] Hîc patrem nostrũ facit Christum. dedit autem, accipiendum ob bonam uoluntatem patris, quam in incarnatione filij exhibuit. nisi enim placuisset incarnari filium, nequaquam ei liberi fuissent.

Quia ergo pueri communicauerunt carni & sanguini, & ipse similiter participauit eisdem.] Pudeant igitur qui per calumniam asserunt & nugantur per imaginationem & apparentiam eum hîc affuisse. Non dixit autem solùm quòd particeps fuerit carnis & sanguinis sicut pueri, Hoc est reliqui homines. Atqui etiamsi hoc dixisset, satis fuisset ad confirmandum quòd uerè incarnatus esset, uerùm & ὁμοιοπαθῶς, id

Deut. 3. Mich. 6. est similiter, adiecit, ut à nostra nihil differentẽ et ueram incarnationẽ nobis exhibeat.

Vt per mortem destrueret eum qui habebat mortis imperium, hoc est, diabolum.] Causam reddit diuini consilij, quur sit incarnatus. Vt per mortem suam, inquit, quam suscepit (ut carnis & sanguinis uidelicet particeps) aboleret ac destrueret diabo

Rom. 5. lum, qui imperium tenebat mortis. Quomodo imperium habebat mortis? per peccatum. Quia enim peccare faciebat homines ex prima illa inobedientia, ipse fuit qui mortem condidit, qui ipsa ueluti milite ac fortibus armis utitur aduersus humanam naturam. Hac ipsa igitur Christus etiam usus est aduersus satanam. Quod reuera multæ potẽtiæ ac sapientiæ fuit iugulare hostem ijs armis, quibus ipse multos ingulabat. Quidam autem sic intellexerunt, eum qui habebat peccatum, hoc est, diabolum. peccatum enim est fortitudo roburq; mortis. B

Et liberaret eos qui timore mortis per totu uitam obnoxij erant seruituti.] Hoc est ut liberaret homines, qui serui erant mortis, metuebantq; sibi ab ea, illiq; obnoxij erant, hoc est detenti seruitute quæ sub ipsa erat, ut quæ nondum erat destructa. Vel quia in timore continuo uiuebant prisci mortales, semper sese mox morituros expectantes, ac præ tanta formidine, nullius uoluptatis sensum accipere potuerunt. Hoc

Mortis metus maxima seruitus. enim adumbrauit cum dixit, Per totam uitam. Obnoxij itaq; erant seruituti, hoc est, semper tremebant ceu serui Dominum, amaram ipsam mortem, nullam planè uoluptatem ex aliqua re percipientes. Collige hîc, quòd mortem metuens expers est libertatis, omniumq; seruus est. Consolationi hoc est fidelibus qui affliguntur, siquidem acti illi ac carceribus mancipati et uincti liberius uiuunt, ac suauiorem uitã ducũt ijs qui olim summis in delicijs uitã ducere uidebant, quando uigebat mors & uires suas obtinebat. Nam illi mortis metu cõcussi, serui erant, uos aũt abeo metu liberati estis.

Nusquam enim angelos apprehendit.] Hoc est, non angelorum naturam assumpsit neq; eam gestauit. Hoc autem multam erga humanum genus charitatem Dei indicat. quod enim angelis non donauit, hoc hominibus dedit, ut ex ipsorum natura carnem assumeret.

Sed semen Abrahæ apprehendit.] Non dixit, suscepit, sed apprehendit, ut ostendat quòd fugientem naturam nostram, & longius à se remotam insecutus sit, & anteuertens apprehenderit, complexusq; sit, sibi uniens & copulans, ac sistens ipsam à fuga qua ab ipso fugiebat. Nõ dixit autem naturam hominũ, sed semen Abrahæ: simul cupiens eos attollere, ac generis ipsorum splendorem commonstrare: tum quòd in eo sint gentibus excellentiores, quatenus ex ipsis est Dominus. Semper enim ipsis quoad citra offensam licet, gratificatur. Simul autem promissionem eis ad memoriã

Gen. 13. reuocat, Tibi & semini tuo dabo terram hanc.

Vnde debebat per omnia fratribus assimilari.] Quia placuit ei semel nostram apprehendere naturam, consequens erat prorsus per omnia ipsum nobis assimilari, hoc est, ut nasceretur, ut aleretur, ut crescceret, omniaq; pateretur quæ oporteret eum pati, tandem ut moreretur: hoc enim est per omnia assimilari.

Vt misericors fieret, & fidelis pontifex in ijs quæ sunt ad Deum.] Nullam aliam ob

A ob causam carnem nostram accepit, inquit, q̄ ut nostri misereretur, ac erigeret depressos. Qua isthuc ratione? pontifex noster factus, ac offerēs carnem hanc quam ex nobis assumpsit, pro alio quopiam sacro, ut à peccatis nos mundaret, ac mediator noster esset apud Deum. Hostes enim eius eramus. Fidelis autem pro uerus dixit, ut qui posset pontificis opus persequi & perficere, hoc enim est ueri pontificis, à peccatis liberare eos quorum est pontifex. Vel quia gratus est Deo in suis ad eum intercessionibus. *Pontificis munus.*

Vt repropitiaret delicta populi.] Planū fecit quid sit fidelis in his quæ sunt ad Deū: hoc est, ut placet atq; expiet peccata populi. Id enim ingens argumentū est charitatis suæ, q̄ omnia fecit ut peccatum tolleret. Cur autem non dixit peccata orbis, sed populi? Quia antea rationem gerebat Iudæorum Dominus, qui populus eius erant, propter quos in primis uenerat, ut his conseruatis & alij salui fierent: etiamsi diuersum factum sit. Vnde & angelus ad Ioseph ait: Ipse seruabit populū suum à peccatis. Claritudinem itaq; gentis hîc Iudaicæ indicat, quod ad genus attinet, & quanto in precio fuerint apud Dominum. *Matt. 1*

In eo enim in quo passus est ipse & tentatus, potest eis qui tentantur, auxiliari.] Humile quidem hoc, & uile, Deoq; indignum uidetur. Cum enim Paulus de carne disserit, & tractat, omnia humilia loquitur, nihil tamē indignum carne dicit. Neq; hoc mirum cuipiam uideri debet: quādoquidem & de patre non incarnato pleraq; ad hominem pertinentia & humilia scriptura loquatur, ut: Dominus de cœlo prospexit, & uidit filios hominum. ac, Descendam & uidebo, innumeraq; alia hoc genus. Multo potius igitur de Christo incarnato, & in carne passo, præsertim uerò ut certiores redderentur auditores, & propter ipsorum imbecillitatem multa dicta sunt, etenim homines experientiam omnibus alijs certiorem firmioremq; arbitrantur. Quod autem dicit, est eiusmodi: Non ueluti Deus tantùm nouit, uerumetiam ut homo nouit per experientiam. Caro autem Christi haud pauca tolerauit, nouit quid sit afflictio, nouit
B quid sit tentatio. Itaq; potest auxiliari, hoc est, promptus est & pronus ut manum porrigat, afflictis condolescens. *Psal. 13. Gen. 18.*

CAPVT III.

VNde fratres sancti uocationis cœlestis participes.] Vnde hoc est? postquā talem ipsum pontificem esse dixi, nimirum fidelem, & qui propitius esset peccatis nostris, & posset nobis auxiliari: cōsiderate isthuc, & inuenietis omnino sic sese habere. Vocationis autem cœlestis dixit participes, hoc est, ad cœleste regnum uocati sumus, nihil ergo hîc quæramus, illic merces est, illic retributio.

Considerate apostolum & pontificem† confessionis nostræ, Iesum Christū.] Propter carnem omnia sunt humilia, ut dictum est sæpius. Apostolus itaq;, siue legatus, ideo dicitur, q̄ sit ablegatus ad oues domus Israel. Pontifex autē confessionis nostræ, hoc est, fidei. non enim legalis cultus pontifex est, sed nostræ fidei. *†ὁμολογίας id est confessionis uel professionis.*

Qui fidelis est ei qui præfecit illū, sicut & Moses in tota domo eius.] Christum Mosi antepositurus, in medium protulit pontificatū, uel summi sacerdotis functionem, & huic & illi populum commissum inquiens: maiora tamen Christo quàm Mosi concredita fuere. Principio tamen statim non indicat eam excellentiam, ne resilirent, etiamsi nāq; fideles erant, omnino tamen adhuc adhærebant Mosi: interim tamē Dominum illi adæquat, inquiens: Fidelis est ille patri, qui fecit eum pontificem et apostolum. Non enim hîc de essentiæ ratione sermo est, uerùm de commissione & officio. Fidelis igitur, hoc est beneuolus, curam gerens eorum quæ sunt patris, non sinens ea corrumpi perdiue, sed salutem potius eorum conquirens ac tuens, quemadmodum & Moses in tota domo eius, hoc est, in populo. Domum enim populum uocat, perinde ac nos cōsueuimus dicere, Ille ex hac domo est. Cæterùm, Eius, siue Dei, siue Mosis. Nam & Mosis dicebatur populus. ut: Populus tuus peccauit. Tanquam procurator & œconomus domus, sic erat Moses in populo. *Mat. 15. Num. 12. Domus populus. Exod. 32.*

Ampliori enim gloria, iste præ Mose dignus est habitus, quanto ampliorem honorem habet domo, is qui fabricauit illam. Omnis nanq; domus fabricatur ab aliquo. Qui aūt omnia creauit, Deus est.] Ecce hîc est excellentia qua Dominus Mosen exuperat. Fidelis, inquit, erat & ille in tota domo, hoc est in populo, ueruntamē & ipse erat unus ex domo. Homo enim & ipse perinde ac cæteri erat (etiāsi sanctus) & cōser-

uus

uus ipſis erat, ut & in ædibus procuratores. etiamſi enim cæteros præcellant, alijs tamen conſerui ſunt. Quoniam igitur & ipſe pars domus erat, conditus eſt & ipſe à quopiam, & qui condidit ipſum, excellit eum omnino. Condidit autem eum filius Dei, qui carnem accepit. & pontifex per eam conſtitutus eſt. excellit itaq; eum. Animaduerte itaque quomodo ceperit comparationem à carne, conſcenderit autem ad diuinitatem. ubi incomparabiliter conditorem & autorem operibus præſtantiorem eſſe demonſtrauit. A

Et Moſes quidem fidelis erat in tota domo eius, tanquam famulus in teſtimonium eorum quæ dicenda erant: Chriſtus uerò tanquam filius.] En aliam hîc præſtantiam adducit. Moſes, inquit, fidelis erat ueluti miniſter, propterea conſtitutus, ut loqueretur, atque explicaret Domini ſui iuſſa & uoluntatem reliquis famulis, atque ut eſſet Deo in iudicio teſtis eorum quæ dicta eſſent. Si enim etiam cœlum uocet teſtes ac
Deut. 32. terram, quemadmodum illud, Audi cœlum, & auſculta terra: & ualles, ut in eo loco,
Mich. 6. Audite ualles fundamenta terræ, multo magis hominem. Chriſtus autem fidelis eſt, ut filius genuinus & hæres res paternas adminiſtrans, ſecundum patris uoluntatem. Magnum autem & omnino incomparabile interuallum eſt ac diſcrimen inter talem dominum & ſeruum.

In domo ſua cuius domus nos ſumus, ſi fiduciã & gloriationẽ ſpei ad finẽ uſq; firmã re tineamus.] Domus ipſi Moſæ erat populus, cuius pars & ipſe erat: Chriſtus etiã domũ habet, nos uidelicet: at ſi ad finem uſq; perſiſtamus, neq; decidamus. Hîc autem adhortatur eos perſeuerare in afflictionibus, & non labefactari. Hac enim ratione erimus domus Dei, perinde ac erat Moſes. Celebrat autem eos uehitq; præconijs, oſtendens q; incæperint quidem, uerùm oportere eos ad conſummationem ſui opponere finem. Pulchrè autem dixit fiduciam & gloriationem ſpei. firmiter enim quiſpiã ſperans futuram compenſationem, gloriatur inde iam, ceu quæ ſperarit, præſtò ſint: nec ſupprimitur, nec animo deijcitur, ſed fiduciam potius habet ſiquando affligatur propter amatum ac dilectum ſibi Chriſtum. B

Pſal. 94. Quapropter ſicut dicit ſpiritus ſanctus, Hodie ſi uocem eius audieritis, nolite obdurare corda ueſtra, ſicut in exacerbatione ſecundum diem tentationis in deſerto,
†ὡς ὤμοσα, id eſt, ſicut iuraui, uel adeò ut iurarem. ubi tentauerunt me patres ueſtri, probauerunt me & uiderunt opera mea quadraginta annis, propter quod infenſus fui generationi huic, & dixi, Semper errãt corde: ipſi aũt nõ cognouerũt uias meas, † ſicut iuraui in ira mea, ſi introibunt in requiẽ meam.] De ſpe hîc diſputauit, nimirum q; oporteat firmiter expectare mercedem quampiam illic & requiẽ pro laboribus quos hîc toleramus: atq; hoc è propheta oſtendit, qui inquit q; uenturi ſint in requiem fideles, quemadmodũ qui non crediderunt, non ingrediẽ
Num. 13. tur, ut neq; olim illi. Cum enim pertranſiiſſent mare rubrum Hebræi, ac innumera Dei erga ſeſe curæ & potentiæ indicia & ſigna accepiſſent, decreuerunt ſpeculatores mittere, qui terræ naturam explorarent, ad quam ingreſſuri erant. Iſti uerò qui profecti fuerant, reuerſi ſunt, naturam quidem terræ admirantes, ſed aſſeuerantes inexpugnabiles eſſe homines qui eam terrã inhabitarẽt. Populus igitur cum debuiſſet expendere Dei inſuperabilẽ uirtutem atq; potentiam, conſternati potius ſermonibus hiſce, murmurabant, atq; in Aegyptum reuerti oportere cenſebãt. Indignatus itaq; Deus, q; adeò celeriter tot admirabilium operũ ſuorum memoriam repuliſſent, iurauit non ingreſſuram generationem illam quæ murmuraſſet, in terram promiſſionis: unde o-
Num. 14. mnes etiam perierunt in deſerto, præter Chaleb & Ieſum. Quia igitur Dauid poſt generationem illam loquens, dixit: Hodie ſi uocem eius audieritis, ne obduretis corda ueſtra, ne eadem patiamini quæ maiores ueſtri, ac orbemini requie uidelicet, quaſi alia quædam ſit requies quam debeamus obtinere, hæc dicit. Nam ſi re uera recepiſſent requiem, quam ob cauſam diceret, Hodie ne induretis corda ueſtra, patrum ueſtrorum inſtar, ne, ut iſti, non ingrediamini in requiem. Quæ igitur alia eſt requies præter regnum cœlorum, cuius imago fuit ſabbatum, atque typicè factus ingreſ-
Quietes tres. ſus in Palæſtinam per incredulæ generationis filios? Tres autem ſunt quietes, pri-
Gen. 2. ma eſt ſabbati, in quo Deus quieuit ab operibus ſuis, de quo nunc haud uidetur dicere Dauid, ut quæ olim ſit facta. Altera eſt, ingreſſus ipſe in terram promiſſionis, in quam ingreſſi Iudæi ceſſaturi erant, ac quietem habituri à prælijs & errore.

Neq;

A Neque de hac nunc dicit. Palæstina enim omnino tum occupabatur ab Hebræis, temporibus Dauidis. quomodo igitur de hac dicturus erat, tanquam relicta? Videtur igitur alia quæpiam requies esse, in quam Iesus filius Naue non potuit introducere populum. Quæ igitur hæc tertia requies alia fuerit, præter eam quæ est in cœlis? Date ergo operam, ne ab hac excidatis propter incredulitatem, perinde ac maiores uestri. Hæc ergo huius loci sententia est, quæ ad multum usque spacij protenditur, inquirenda autem sunt singula speciatim. Noueris autem, à Deo non esse exigendam rationem, sed siue tueatur aut non tueatur, credendum ei. Nam & ideo eos accusat, quòd tentauerint se, hoc est, haud citra hæsitationem in ipsum sperauerint, ut qui omnia posset. *A Deo rationē exigere nō debemus.*

Videte fratres, nequando sit in aliquo uestrûm cor malum infidelitatis.] Terrentis hoc uerbum est. Verisimile est enim illic fuisse, qui non crediderint esse uera quæ de retributione dicebantur, & propterea experimētum sumere cupiebant, diuinæ ergà se potentiæ atq; prouidentiæ in ipsos in tentationibus quibus quatiebantur. Propterea igitur munit eos, ad memoriam eis reuocans quæ olim sint passi increduli. Nec enim futura terriculamenta atq; pericula pleroscp adeò cohibent, quantum quæ præterierūt, omnibuscp iam sint cognita. Obserua etiam hîc, ab incredulitate quempiam deuenire, ut & praua cogitet, eademcp peragat.

Vt deficiat à Deo uiuente.] Non enim aliter inuenit aditum incredulitas, nisi quis à Deo desciscat. Quandiu enim Deo adhæserit, atq; in ipsum spem suam collocarit, tanquam in eum qui omnia possit, nihil arbitratur impossibile.

Verùm adhortamini uosipsos per singulos dies, donec hodie uocatur.] Hoc est, ædificate uos mutuò, & confirmate ac fulcite ne cadatis. Sin & quisquam ceciderit, attollite & corrigite ipsum quoad uixerit. hoc enim significat quod ait, Donec hodie uocatur. Spes enim est melioris uitæ in eo qui cecidit. In primis igitur non sit prauũ
B in quopiam cor. sin fuerit, ne cadat propterea in desperationem, uerùm adhortamini ipsum, & suscipite.

Vt ne induretur quis ex uobis fallacia peccati.] Hoc est, ne ex desperatione in excecationem ueniat, & callum inducat, atq; incurabilis maneat. Quemadmodũ enim obdurata & qui callũ induxerũt corpora nõ cedũt medicorũ manibus, hũc ad modũ induratæ animæ non cedunt uerbo Dei. Fallaciam aũt peccati uocat, uel deceptionem diaboli, nimirum non sperare futuram retributionem. Vel indolentiam, qua dolore & sensu sui mali caret. Dicere enim, Peccaui prorsus, relapsus sum deinceps in peccatum, nulla mihi spes ueniæ: impostura est reuera peccati. Decipiens enim peccatum, & ad sese te pertrahens, talia cogitare facit, iuxta id quod dictum est: Impius cum in profundum malorum inciderit, cõtemnit. Qui autem contemnit, is neq; credere sustinet. ex peccato igitur incredulitas. Dixerunt enim: Non uidebit Dominus, neq; intelliget Deus Iacob. & rursus: Dixit enim in corde suo, non exquiret, & oblitus est Deus. & quæcunq; sunt huius generis alia. *Prou. 18.* *Psal. 9.*

Participes enim Christi effecti sumus.] Hoc est, unũ facti sumus nos & ipse: & sic participamus ei, ut corpus capiti. Hic autẽ spem eis facit perinde quasi sic dicat: Qui nos adeò dilexit, ut nos suum corpus faceret, haud sinet nos à se diuelli siue abrũpi: si modò nos uelimus. Simul aũt & illud tacitè indicat, quod & alio in loco memoratũ, Si sustinuerimus, & conregnabimus. Earundem enim participes facti, quarũ & Christus, adflictionum uidelicet, studeamus etiam tum consortes esse gloriæ.

Si tamen initiũ substantiæ ad finem usq; firmum retineamus.] Hoc est, fidem. per ipsam enim subsistimus, & diuina necnon spirituali essentia fundati sumus. atq; regeneratione. Hic ergo firmiter nos ad finem usq; in fide persistere exigit à nobis.

Dum dicitur, Hodie si uocem eius audieritis, nolite obdurare corda uestra, quẽadmodum in exacerbatione.] Quomodo ad finem usq; dixerit, hîc confirmat. Hoc significatur, inquit, per hoc quod ait, hodie: nam hodie semper est, sicut & suprà etiam dixit, Adhortamini uos mutuo donec, hodie uocatur. Vel quod & potius iudicandum, quemadmodum & diuus Ioannes Chrysostomus censet, per hyperbaton dictũ est. Cum dicit, hodie si uocem, & quę deinceps ad eum usq; locũ, Timeamus ne quando relicta promissione, & quæ deinceps sequuntur. *Hodie pro semper.*

Quidam

Quidam enim audientes exacerbauerunt.] Audita, inquit, promissione Dei ni- A
mirum: Dabo uobis terram Chananæorum, non adhibuerunt quidam ei fidem, cæ-
terùm exasperarunt Deum per incredulitatem suam. Videte igitur ne & uos incredu
li sitis promissis. Non enim proderit uobis audire solùm, nisi & crediderítis, perinde ac
neq; illis profuit audisse. Quin potius ob id iustius interierunt, quoniam Dei sermo-
nibus haud crediderunt.

Sed non uniuersi qui profecti sunt ab Aegypto per Moysen.] Chaleb enim & Ie-
sus non fuerunt increduli, eam ob causam adsecuti sunt promissionem, ingressiq;
sunt Palæstinam.

Num. 14 Quibus autem infensus est quadraginta annis? nónne ijs qui peccauerant, quo-
rum membra prostrata sunt in deserto?] Per interrogationem sermonem texit, quòd
ita clarior sit, minusq; contradictionis habeat. interrogationes nāq; in confessis atq;
certis ponuntur. Proponit autem & pœnam. Prostrata sunt enim, inquit, in deserto
ipsorum κῶλα, hoc est, magna coxæ aut femoris ossa. A parte autem tota corpora si
gnificauit.

Quibus autem iurauit non intraturos in requiem suam, nisi illis qui increduli fue-
runt? Et uidemus quòd non potuerunt introire propter incredulitatem.] Pauloantè
dixit, ijs qui peccauerant, nunc autem ijs qui non crediderunt. Videtur igitur indica-
re fidelibus ex Hebræis, quòd in alia etiam peccata non pauci eorum sint lapsi, præter
hoc q̃ pusillanimes sint, nec credant futuris. Videmus igitur et apertè cernimus q̃ ino
bedientes & infideles non sint ingressi in requiem, hoc est, ob oculos nobis posita est
& in confesso ipsa peccati pœna.

CAPVT IIII.

TImeamus ergo nequãdo relicta pollicitatione introeundi in requiem eius.] Hic
est redditio eius quod suprà ait dum dicitur, Hodie si uocem eius audieritis, &
quæ sequuntur. Metuamus ne & nobis eadem contingant cæterum Ergo ideo posi B
tum est, quòd longius sit dilata oratio priusquam redditio sequeretur.

συγκεκραμένους id est, admixtis scilicet incredulis qui non sunt fide admixti ijs qui audiuerãt. Alij legũt in nominatiuo singulari, συγκεκραμένος, admixtus, scilicet sermo.

Videatur aliquis deesse.] Hoc est ne quo modo deficiat, ac frustretur ingressu in re
quiem hanc promissam. Hilariorem autem & minus molestam orationem faciens,
non dixit, Ne deficiat, sed ne uideatur deficere uel frustratus esse.

Etenim & nobis nunciatum est, quemadmodum & illis, sed non profuit eis sermo
auditus.] Annunciatum est, inquit, perinde nobis de futuris bonis, atq; illis, typicè, de
terra: uerùm id simpliciter nobis non proderit, nisi etiam credamus; omnemq; pusil-
lanimitatem deponamus, ut neq; illis profuit audiisse. Animaduerte autem quomo-
do de nobis loquens, rem ipsam εὐαγγελισμὸν, hoc est bonã nũciationem appellauit,
tanquam uerorum bonorum promissionem, quæ ueluti à trophæis & uictoria den-
tur. Cum de illis autem loquitur, sermonem auditus dixit.

Non † admixtis fide ijs qui audierant.] Hoc est, nõ unitis neq; consentien ibus de
fide cum ijs qui audiuerant, sed ab ipsis auullis. Mirè autem non dixit consentienti-
bus, sed non admixtis, ut summam unionem significet. Qui audierant eos hîc dicit,
qui crediderant. illi enim re uera audisse dici queant. Diuus autem Ioannes Chryso-
stomus, non admistos, intellexit Chaleb & Iesum. illi enim extra seditionem permã
serunt: neq;, inquit, cæteris commixti sunt tumultuantibus. neq; simul insurrexerunt
& cõsumpti sunt cum alijs seditiosis, & unam cum omnibus sententiam habentibus.
Quibus autem his? nimirum his qui audierũt, nec ullam utilitatem receperunt. Hoc
uerò iuxta magnam & profundam suam sapientiam diuus ille Ioannes dixit, mihi
autem indigno non dedit intellectum quo modo illud dixerit.

Psal. 94. Ingrediemur enim in requiẽ q̃ credidimus quemadmodũ dixit, Sicut iurauí in ira
mea, si introibunt in requiẽ meã.] Vnde perspicuũ est q̃ ingrediemur in requiem nos
qui credidimus? ex eo quia dicit Deus nõ ingressuros eos qui nõ crediderũt. è cõtra-
rio enim hoc & oppositione intelligitur, & quemadmodũ nõ credentibus compensa
tionem incredulitatis dedit non ingredí in requiem.

Et quidem operibus ab institutione mundi perfectis. Dixit enim inquodam loco
de die septima sic: Et requieuit Deus die septima ab omnibus operibus suis. & in
isto rursus: Si introibũt in requiem meam.] Videtur oratio hîc esse non admodum
conse-

A consequens, sed secus est. enimuerò hoc dicit, quòd non possit aliquis affirmare Dauidem de sabbati requie loqui. Quî enim de hac loqueretur, cum ea iam olim præterierit: nimirum cum mundus esset conditus primùm. Sed manifestum est quòd de alia quapiam quiete Dauid uerba faciat, nempe ingressus in cœlorum regnum, quæ requies & in futurum inclinata est, tanquam deberent nonnulli post hæc ingredi. Ac quemadmodum sabbatum requies dicitur in scriptura, & nihil impediuit quo minus post hac introitus in terram promissionis etiam diceretur requies: sic iam nihil prohibet post hanc rursus requiem uocari futuram, regnū uidelicet cœlorum, in quod, qui non crediderunt, non ingredientur. *Sabbatū requies.*

Quoniam ergo superest introire quosdam in illam, & ĩ quibus prioribus annunciatum est, nō introierunt, & quibus prius nunciata erat, propter incredulitatem: iterum terminat diem quendam hodie in Dauid dicendo post tantum temporis, quemadmodum dictum est, Hodie si uocem eius audieritis, nolite obdurare corda uestra. Nam si eis Iesus requiem prestitisset, nunquam de alia loqueretur posthac die.] Vniuersum hoc conatur ostendere, quòd Iesus filius Naue non potuerit introducere in hanc requiem, de qua Dauidi est sermo, nobisq; nūc, Quoniam ergo ille non introduxit, Dauid autem rursus post tot annos dicit, Ne induretis corda uestra, quemadmodum patres, qui propter incredulitatem non sunt ingressi, datq; nobis è contrario intelligere, q; si crediderimus, ingrediemur, illa uidelicet requies futura est, eaq; nos expectat. De Palæstina enim utique non promittebat Dauid, eam enim tum occupabant: sed neq; de seriis aut quiete septimæ diei loquutus est, nam ea à constitutione mundi fuerat. Tertia igitur quies est regnum cœlorum in quod nos uerus introducit Iesus, adeoq; fides in ipsum.

Itaque relinquitur sabbatismus populo Dei.] Non dixit requies, sed sabbatismus, proprium nomen ponens quo gaudebant, & ad quod accurrebāt. Sic autem appel-
B lat regnum cœlorum. Quēadmodum enim in sabbato ab omnibus operibus carnalibus crassis abstinere lex iubebat, ac sacerdotes ea sola pficere mandabat, quę ad cultum Dei pertinebāt, & quęcunq; animę cōmodabāt: sic tum omnia spiritualia erūt ac diuina: nihil carnale, nihil laboriosum, ubi aufugit dolor, mœror, atque gemitus. Audi iam quid ipse dicat. *Exod. 20* *Apoc. 21*

Qui enim ingressus est in requiem eius, etiam ipse requieuit ab operibus suis, sicut & à suis Deus.] Interpretatur quomodo sabbatismum nominarit cœlestem illam requiem. Propterea q; cessabimus & nos ab operibus nostris, quemadmodū & Deus post quā quieuisset ab operibus suis in condēda mundi machina, sabbatū diem illam appellauit. Hic quidē etiā iustis multum laboris & certaminis imminet, cùm propter alia, tum propter uirtutis sudores: illic uerò in requie sempiterna, ne uirtutis quidem moralis operatio est, sed Dei inexplebilis fruitio siue usurpatio. Quod igit audire experebant, uidelicet q liberandi essent à laboribus huius æui, hoc iam dixit, refocillās eos ac fulciens.

Festinemus ergo ingredi in illam requiem.] Quia demōstrauit tertiam quandam esse requiem, deinceps adhortatur eos, ut in illam introeant. Pulchrè autem dixit, festinemus siue adnitamur, non enim fides ipsa per seipsam sufficiens est ut introducat in illam, nisi proba pariter conuersatio adeoq; uita affuerit. *Fides sola ad beatitudinem non perducit.*

Vtne in idem quis incidat incredulitatis exemplum.] In idem cū Israelitis. Quomodo nanque illi plurimum itineris emensi, & multa sanè aduersa perpessi, propter incredulitatem tamē exciderunt: sic & uos uidete ne quo modo post tot tantaq; quæ sustinuistis certamina, cadatis, quippe si ad finem usque non uos uiros fortes geratis, hoc enim est reuera cadere.

Viuus est eīn sermo Dei & efficax, & penetrabilior omni gladio † ancipiti.] Quēadmodum, inquit, non bellum, non ensis eos perdidit, sed Dei uerbum: per se enim, sine ui extrinsecus illata, decidebant: sic nobiscum etiam euenisset. Idem nāque uerbum quod eos puniuit, & nos afficiet supplicio. uiuit enim semper, & nunq; extinguitur, nec extingui deleriue potest. Dixit etiam aliam ob rationem uiuus, ut quū sermonē siue uerbum audis, non existimes leue basiq; carens uerbum. Viuum enim est, hoc est, subsistit & efficax est, & in quam inciderit animam, in ea grauia uulnera efficit, *† ἀίσομον ancipiti, utrinq; incidenti. aciem enim gladij os uocant Græci quòd ea pte mordeat.*

efficit. Animaduerte quomodo sese captui nostro attemperet. Nam ensis & sectionis meminit, quæ nobis sunt consueta & cognita, ut ex hisce excellentem eius potentiam demonstret. A

Et pertingens usque ad diuisionem animæ & spiritus.] Horrendum quiddam dicit: uel quia spiritum ab anima diuidit, ac relinquit eam desertam à sanctificatione huius, quam Dominus in euangelio diuisionem nominauit. Perinde nanque ut rex principi cuipiam peccanti cingulum adimit, ac priorem dignitatem, tumque punit: hūc ad modum hic spirituali primùm dignitate uiduatur homo, deinde supplicio afficitur. Nōnulli autem sic acceperūt hunc sermonem, sententia certè meo iudicio ab apostolico scopo haud aberrante: Verbum Dei simulatq; animam ingressum fuerit, diuidit animæ partes, ut ipsa susceptrix & capax fiat mysterij. Sicut enim sagitta carnem diuidens, sic in eam ingreditur: ita & uerbum, nisi communitas animæ partes dissecuerit, haud certè in ipsam ingredietur. Matt. 24

Compagum quoq; ac medullarum.] Ne audiētes animæ hîc mentionem fieri, torpeant, cogitantes obscuram & occultam esse pœnam, apponit etiam quæ sunt corporis. Quæ enim manifestiora sunt, magis feriunt.

Et discretor cogitationum & intentionum cordis.] Diuinitatem hîc uerbi innuit, Dei enim est iudicare, hoc est, explorare ac nouisse cogitationes. Scrutans enim, inquit, corda & renes Deus. Psal. 7

Et non est ulla creatura inuisibilis in conspectu eius.] Non solùm, inquit, hominū explorat corda & scrutatur, uerùm etiamsi angelos dicas & archangelos, & Cherubim & Seraphim, omnia illi sunt perspicua. Nihil adeò est quod oculum eius latêre possit.

Omnia autē sunt nuda & aperta oculis eius.] Vt clarius patefaciat quomodo sint omnia nuda & aperta corā Deo uerbo, dictione usus est per metaphorā ad pecudes quibus sit pellis detracta, pertinente. Vt enim illis † ceruicatis, hoc est, cultrū per ceruicem recipientibus, & mactatis atq; iugulatis, detracta dehinc pelle omnia interiora reuelantur: sic & Deo cuncta sunt perspicua. Quidam autem τετραχηλισμένα quæ nuda uertimus, quasi dicas ceruicata, ex collo uel potius de collo pendentia intellexerunt. Alij autem τετραχηλισμένα, pro humi seu in terram spectantia, adeoq; ceruicem inclinantia acceperunt, eo q̄ non possent defigere oculos in gloriam atq; splendorē iudicis & Dei nostri Iesu Christi. Tu uerò quod primum est amplectere. B

† τραχηλιάζοντων. q. d. ceruicatis. τράχηλος enim ceruix est, aut spina illine descendens, aut collum.

Ad quem nobis * sermo.] Ipsi, inquit, daturi sumus rationes & pœnas transactarū à nobis rerum. Animaduertis quomodo rem exaggerauerit. Ne enim quum audis dicentem apostolum, In eodem exemplo incredulitatis, arbitreris eandem pœnam esse & nobis & Israelitis, ostendit per hæc, nostra longè esse horribiliora.

* λόγος, sermo ratio.

Habentes igitur pontificem magnū, qui penetrauit cœlos, Iesum filium Dei.] Ceu quodam interrogante, Quomodo igitur non cadamus, neq; pusillanimes desperemus? quæso da mihi consilium: Poterant, inquit, ea quæ dicta sunt, erudire nos timore, atq; securiores reddere: uerumenimuero præter hæc magnus est nobis pontifex, qui nobis esse auxilio queat, si teneamus confessionē. Non enim est paruus aut uulgaris quispiam, cæterùm magnus & præclarus: filius enim Dei est. Nec talis est, qualis Moses, ille enim neq; ipse ingressus est in illam requiem, neq; populum introduxit. Hic autem cœlos pertransiēs considet apud patrem, potestq; nobis in cœlos ingressum dare, atque promissæ quietis hæredes facere. Deut. 32 & 34.

Teneamus confessionem.] Non totum pontifici tribuit, uerum etiam nostra requirit, potest quidem ille, sed si nos etiam digni fuerimus. Qualem autem confessionem hîc dicit? Quòd credamus resurrectionem, & retributionem in extremo die: tum q̄ innumera sint illic reposita bona, & q̄ Christus sit Deus. Hanc confessionem teneamus, neq; sinamus ipsam defluere à nobis: uerùm quæ confessi sumus in principio fidei, hæc firmiter retineamus, tum omnia terribilia pessum ibunt. Confessio nobis tenenda.

Non enim habemus pontificem qui non possit compati infirmitatibus nostris.] Admonens eos ut confidant, orationi suæ fidem conciliat, inquiens: Non est pontifex qui ignoret nostra, quod genus multi sunt pontifices, qui nec nouerunt quidnam sit adflictio: quare neque proni sunt ad succurrendum adflictis, uerùm pontifex

A sex noster omnia sustinuit: & postquam tolerasset, ascendit, ut posset nobis compati.

Tentatum uerò per omnia pro similitudine absq; peccato.] Hoc est, persecutionē passus est, consputus est, calumniā sustinuit, actus est & pulsus, ac tandem crucifixus. Omnia hæc sustinuit pro similitudine nostra, hoc est, simili nobiscū ratione, citra tamen peccatum. Neq; enim simpliciter peccatum fecit, neq; quum hæc pateret, quicquā fecit uel dixit peccabile, seu peccatū redolens. Itaq; potestis & uos in afflictionibus sine peccato perseuerare. Quomodo igitur soluti ac remissi estis? Nonnulli sine peccato sic intellexerunt, quòd hæc passus sit, non luens peccatorum pœnas.

Adeamus ergo cum fiducia ad thronum gratiæ.] Quia peccatis uacantem pontificem habemus, qui ipse mundum debellarit atq; deuicerit (Confidite nāq;, inquit, ego uici mundum) debemus cum fiducia accedere, hoc est, non prauam habere conscientiam, nec hæsitare, sed in pontificem confidere. Etsi enim nos peccatum habemus, ipse tamen absq; peccato est, insuper thronus est gratiæ, non iudicij. Proinde oportet nos cū fiducia accedere, confidentes eum daturum nobis quæ cupiamus. Duo enim throni sunt, præsens quidem dum hic uiuimus est gratiæ, ad quē accedentes accipiunt per diuinam gratiam à peccatis suis liberationem: alter autē secundi aduentus thronus, non est gratiæ. Nemo cū tum accipiet remissionē, sed iudicium. Throni autem meminit, ut ne audiens pontificem, existimes eum stare. Nam etiamsi dicatur pontifex ob gratiā erga nos * & submissionē, super diuino tamen throno sedet. Ioan. 16

Vt misericordiam consequamur, & gratiam inueniamus in auxilio opportuno.] Nunc enim si accesserimus, misericordiam inueniemus & gratiam. opportunè enim accedimus. Si uerò tum in extremo iudicio, non inueniemus gratiam, quia tum gratiæ thronus nō est. Nunc sedet ut rex clemens, & gratiam impertiens: tum uerò excitatur ad iudicium. Ait enim, Surge, Deus, iudica terram. Throni duo. *συγκατάβασιν, cōdescensionē si uerbū uerbo reddas. Psal. 39

CAPVT V.

B OMnis enim pontifex ex hominibus adsumptus, pro hominibus constituitur in ijs quæ sunt ad Deum.] Vult deinceps ostendere nouum testamentum esse longè præstantius ueteri. Ac primùm orditur comparare sacerdotia & functiones tum eas quæ sunt ueteris testamenti sacerdotum, tum eam quæ Christi est. Interim uerò, quia ipsi aduersabatur, quod multa quę sacerdotibus adesse debēt, Christo non cōpeterent (neque enim ex tribu sacerdotali erat, neq; super hanc terram sacerdos, neque ab hominibus electus in pontificem, neq;, ut semel dicam, aliquam corporalem speciem habebat forma sacerdotij eius, ueluti tintinnabula & laminas, sed omnia spiritualia erant) primùm recenset quæ sint communia Christo cum reliquis pōtificibus, deinde excellentia quædam ponit. Tum enim reuera excellens per comparationem quispiā ostenditur, quando in alijs quidē cōmunicauerit, in alijs uerò excellentior fuerit. Ex hominibus itaque assumi, commune est Christo cum reliquis. nam & ipse homo quum esset, factus est pontifex. Tum quòd pro hominibus constituitur in ijs quæ ad Deum attinent, hoc est, ut pro nobis interpellent, ac mediatorem agat, & isthuc est commune ipsi.

Vt offerat munera & sacrificia pro peccatis.] Interpretatur quid sit ab hominibus constitui in ijs quæ sunt ad Deum, nempe pro peccatis nostris placare Deum. Et hoc igitur commune est Christo cum alijs, sed non totum. nam ipse seipsum obtulit, illi uerò alia quædam. Munera autē & sacrificia quodammodo, si exactam speciem rationem discrepant. In scripturis autem sine discrimine ponuntur, ut deinceps disces.

Qui * condolere possit ijs qui ignorant & errāt.] Hoc est, qui posset moderatè affici, compati, se accommodare siue condescendere ac condonare ijs qui ex ignorantia peccassent. Animaduerte omne peccatum ex ignorantia & errore nasci. nam etiam si uideatur quis nouisse quid malū sit, tempore tamen transactionis peccati tenebris circunfusus, ignorantia & errore languet, uoluptatis leuore ac illecebris præcipitatus. * μετριοπαθῆσαι, moderato esse affectu, condolescere.

Quoniam & ipse circundatus est infirmitate.] Simpliciorē ac ueriorem sententiā esse hanc opinor, propterea uidelicet condolere ignorātibus pontificē, q; & ipse infirmitate sit amictus, ut qui humanæ imbecillitatis mensurā ex se ipse nouerit: unde & ueniā admetit, ac largit. Nōnulli tamē sic acceperūt, quod in hoc solo discrepat à populo pontifex, q; condonet, quandoquidē ipse in alijs nō aliter ac reliqui, infirmitate circunfusus sit.

Et propterea debet, quemadmodū pro populo, ita etiam & pro seipso offerre pro peccatis.] Hæc omnia non habet communia Christus cum reliquis, uerùm in his excellit. Neque enim infirmitatem habebat peccatorum, Dominus: neque pro se ipse obtulit, sed pro reliquis hominibus. A

Nec quisquam sumit sibi honorem, sed qui uocatur à Deo.] Aliud pontificis indicium ponit, quod peræquè Christo conuenit, nempe quòd non ipse ad pontificatum assiliat, sed uocetur à Deo, atque ita acceperit. Perstringit autem hîc Iudæorum tum temporis pontifices, qui ipsi assiliebant ad honorem, emptitium istum possidentes, & gemęq; corrumpentes.

1. Par. 23 Quemadmodum & Aaron.] Etenim Aaron primùm à Deo per Mosen uocatus,
Leuit. 8 sic functus est sacerdotio, neque ipse adsiliit. Ac rursus quando uirga floruit, cōmon-
Num. 17 stratum est quòd diuinitus uocatus sit, & quādo ignis deuorauit eos qui sacerdotium per se inuasissent.

Sic & Christus non seipsum glorificauit ut fieret pontifex, sed qui locutus est ad i-
Psal. 2 psum, Filius meus es tu, ego hodie genui te. quemadmodū & in alio loco dicit, Tu es
Psal. 109 sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedec.] Quod Christus passim di-
Ioan. 8 cebat, Missus sum à patre, & à meipso non ueni, hoc & Paulus nunc indicat quòd à Deo missus sit. nec ipse glorificauit seipsum, sed qui locutus est ad eum, hoc est, ille glorificauit eum. hoc enim est repetendum. Quia igitur Aaron multa indicia sensibilia habebat quòd à Deo missus esset, ut dictum est, Christus autem nihil sensibile huiusmodi uel externum habebat, quin potius qui aduersabantur ei, & occidebant, in precio tum erant, & pro arbitrio agebant ac uersabant omnia: producit iam maius testimonium ex prophetia, quod testetur eum à Deo uocatum. Videtur autem inconueniens esse è secundo psalmo prophetia ad institutum. Propositum enim erat ut demonstraretur Christum pontificem esse à Deo uocatum & electum, testimonium autem à patre natum asserit. Maximè autem à Deo natum esse, præmuntio & præparatio est ad hoc, ut à Deo etiam electus sit & ordinatus. Insuper et hoc tecum reputa, quòd postquam in centesimonono psalmo dixerit, Ex utero ante lucíferum genui te: deinde paulopòst intulit, Tu es sacerdos in æternum secundum ordinē Melchisedec: coniunxit hîc Paulus, & in unum redegit, quæ in utroque psalmo de generatione dicuntur. perinde ac si dicat, Ne existimes de alio quopiam dici, Tu es sacer-
Ante lucíferum. dos in æternum, nisi de eo qui natus est ante luciferum: Is porrò non est alius, quàm
Hodie. qui in secundo psalmo dicitur, Hodie genitus esse. Quod enim ante luciferum ait, æternitatem designat temporis expertem. Hodie uerò, à principio significat, hoc est, ex quo pater erat. Porrò planum est quòd secundus psalmus totus ad Christum pertineat, omniaq; ad ipsum referat. De Christo itaque etiam dictum est quod ait, Tu es sacerdos in æternum. Dicant igitur Iudæi nobis, quisnam fuerit alius sacerdos secundum ordinem Melchisedec, præter Christum? Nónne omnes sub lege fuerunt? nónne omnes sabbatum celebrabant, & uictimas offerebant? Manifestissimè igitur de Christo hoc dictum est. solus enim ille pane & uino sacrificium cōsecrauit, perin-
Gen. 14 de ac Melchisedec. Qui uerò dixit in æternum? Quoniam etiamnum unà cum corpore quod pro nobis immolauit apud Deum & patrem intercedit, hoc est, quas pro nobis pertulit afflictiones, ut multum commoueat, proponit etiam sine uoce, reipsa nimirū patri loquens: Pro humana natura filius tuus ego sustinui hæc, miserere igit horū, pro quibus ego pati & mori sustinui. Vel quia quæ in singulos dies fit & futura est in perpetuū oblatio per Dei ministros, ipsum habet pontificē & sacerdotē Dominum, atque adeò ipsam hostiam, qui seipsum pro nobis sanctificat, & frāgitur, & di-
1. Cor. 11 stribuitur. Quoties enim hæc fiunt, mors Domini annunciatur. B

Qui in diebus carnis suæ.] Per dies carnis suæ, tempus quo hîc uixit, uel dies quos in uita hac carnali transegit, significat: non quòd non carnem deposuerit, nequaquam, retinet enim eam, sed incorruptibilem ac superiorem carnalibus & inculpabilibus passionibus, nimirum fame, siti, labore, idęq; genus alijs. Hanc autem lo-
Psal. 114 quendi formulam Apostolus à Dauide desumpsit, ubi dicit psalmo centesimo decimoquarto, Et in diebus meis inuocabo. Totum enim psalmum ad Christum refert apostolus.

Preces

A Preces & supplicationes, ad eum qui posset illum saluum facere à morte, cum clamore ualido & lachrymis offerens.] Hæc de carne dicta sunt. non enim iam ut Deus precabatur. Esto autem quòd precaretur, non tamen cum clamore & lachrymis: ista enim non sunt Dei. cęterũ irrefragabiliter humanę naturæ unius Christi hęc tribuenda sunt, partim quidem ut assumptæ naturæ ueritas demonstretur, partim uerò ut & cura ipsius erga nos ac dilectionis excellentia indicetur. Pro nobis enim hęc orabat, quod nostrum est sibi uindicans, ut in seipso naturę humanæ formidinem qua mortem metuit, absumeret. Reputa enim tecum, quòd nusquam in euangelijs scriptum sit quòd orauerit pro excitatione ac resurrectione sui, sed diuersum potius inuenitur, nempe quòd ex potentia sua dixerit apertè: Soluite templum hoc, & excitabo ipsum: &, Potestatem habeo sumendi animam meam. Ioan. 2 & 10.

Et exauditus pro reuerẽtia, tametsi filius esset.] Hæc etiam propter carnem & auditorũ imbecillitatem dixit. nondũ enim magnam de eo opinionẽ habebant. Quod igitur dicit, ad hunc sese modum habet: Tanta ipsius est reuerentia, ut eius potius opus esset, quàm gratiæ Dei, quòd exaudiretur ipse: atque ex hac reuerentia reueritus est eum Deus, et ueluti pudore motus exaudiuit eum, quanquã filius esset, haberetq; erga ipsum naturalem fiduciam: adeò magna erat & pudore digna. Ne igitur desperetis, quum Dominum habeatis, qui à patre exaudiatur. Si igitur quicquam ipsum petieritis, dabit uobis: quod & ipse Christus discipulis in euangelio ait, Si diligeretis me, gauderetis utiq;, quoniam ego ad patrem uado, quoniam pater meus maior me est. &, Quæcunque petieritis in nomine meo, dabit uobis. Ioan. 14 & 16

Didicit ex ijs quæ passus est, obedientiam.] Didicit, inquit, Deo & patri suo obedire, ex afflictionibus illud edoctus. Apparet autẽ simpliciter absurdum quod dicitur. Qui enim didicit obedientiam ex ijs quę passus est, quum priusquã pateretur, patri esset adeò obediens, ut calamitates illas & afflictiones ex obedientia susciperet? factus est enim, inquit, obediens ad mortẽ usq;. Disce igitur q; quũ isti uiderent repugnare ex pusillanimitate, hæc abiecta & humilia de filio Dei loquaꝰ, ut ex abundanti persuadeat eis obtemperare uoluntati Dei, nec statim ad tribulationũ insultus fastidire & animũ despondere, cæterùm supernũ auxiliũ expectare. Nam et filius, inquit, quũ sustinuisset passionẽ, ꝓpter obedientiam exauditus est à patre, atq; erepta est anima ipsius ex morte. Atq; hinc perpetuò morẽ gerere didicit Deo, quippe quia obedientia multũ posset. Si igitur ille commodũ ex calamitatũ tolerantia necnon afflictionibus retulit, multo potius uos. Animaduertis quî ob auditorum commoditatẽ Paulus huc descenderit, ut ueluti absurdi quippiam uideatur asseuerare. Audi uerò & quæ sequuntur. Philip. 2

B Et consummatus.] Consummatio igitur fit per afflictiones. Quomodo igitur uos ægro estis animo in malis, quæ uos consummatos reddunt? Consummatio per afflictiones fit.

Factus est omnibus obtemperantibus sibi, causa salutis æternæ.] Hoc est, nedum ipse seruatus est, uerumetiam alijs salutem conciliauit: neque eam temporariã, perinde ac ex bellis paratur, sed æternam. Quibus hisce? obedientibus. Quomodo igitur uos inobedientes estis, adeò ut à salute uos excidere periculum sit? Vídesne uniuersam hanc orationem ita formatam esse propter auditorum pusillanimitatem. Attamen hîc rursus fastigium & sublimitatem orationis intuere. †Autor, inquit, sine causa salutis factus est: quod sanè diuinitatis est solius. Nemo enim alius huiusmodi salutis esse autor potest præter Deum. †αἴτιος.

Appellatus à Deo pontifex secũdum ordinem Melchisedec.] Quia passus est, propterea appellatus est pontifex, ueluti semet ipse offerens. Ac etiamsi sanguinem obtulit, isthuc tamen non fecit iuxta ordinem Iudaicorum pontificum, uerùm secundũ ordinẽ Melchisedec. Vt enim ille ab homine non est inunctus, sic neq; Christus, sed à Deo, per eiusdẽ secũ essentiæ spiritũ. Quo modo enim ille non ex lege sancita sacra uel uictimas obtulit, sic neq; iste. Porrò perinde ac ille rex est, sic & hic, & innumera alia.

De quo multus est nobis sermo, explicatuq; difficilis, postquã segnes facti estis auribus.] Perducturus orationem ad sacerdotij discrimen, prius ipsos obiurgat, indicãs quòd propter infantiã ipsorum adeò humilia protulerit, atq; immoratus sit in oratione de carne et humanitate Christi. Nisi enim infirmi fuissent, iamdudũ sublimiorum rerũ meminissent. Ob uestrum igitur torporẽ, inquit, haũd facilè explicabilis est sermo

de eo, quomodo Christus sit pontifex secundum ordinem Melchisedec. Et quia non
1. Cor. 3 intelligitis uos, propterea non cõmodè interpretari possum. Corinthijs quidem apostolus ait se non posse loqui de spiritualibus, ut qui æmulationes & contentiones inter se fouerent, propterea & carnales eos uocat. Hos autẽ, quia discendi difficultas ex afflictionibus obuenerat, non carnales eos, uerùm segnes & torpidos nominat. Quũ ait, facti estis, ostendit ipsos primùm bene ualuisse, post hæc uerò tales factos. A

Etenim quum deberetis esse doctores propter tempus.] Accusationem encomio miscet, inquiens: Aliorum uos debebatis esse doctores. Ostendit enim iam olim illos credidisse, arcanaq; religionis audisse. Ambo autem hæc laude digna: si modò ad socordiam non essent prolapsi, tempus fortiores potius reddit. Vos autem frustra abusi estis, dissoluti ac deficientes.

Rursum indigetis ut uos doceamini, quæ sint elementa exordij sermonum Dei.[Elemẽta, ea quæ sunt de humanitate Christi, uocat. Vt em̃ in externis literis prima rudimenta discenda sunt, hunc ad modum hîc primùm doceri oportet de humanitate Christi, atq; humilibus assuescendũ: deinde accedendum est ad ea quæ sunt deitatis, quæ solidiore intellectu opus habent. En palàm iam didicisti ex Paulo, quam ob causam in humilibus oratione sua demoratus sit. Rarò autem sublime quiddam dicit, & quòd ob infirmitatẽ auditorũ ista faciat. Ecce igitur & hæc epistola humilibus est referta. Si autem aliquid sublime habet, breuiter hoc & paucis transigitur.

Et facti estis, quibus lacte opus sit, non solido cibo.] Non dixit opus habetis, sed fa-
1. Cor. 3 cti estis, hoc est, uosipsi uosipsos eò perduxistis, uestra sponte tales facti. Lac autem humilem orationem appellat & hîc, & in epistola ad Corinthios: solidum uerò alimentum, perfectiora & altiora. Non oportebat igitur, inquit, nunc introducere legalia, & ab his comparationem facere incomparabilis Christi, nimirum quòd sit pontifex, quòd sacrum fecerit, quòd cum clamore precatus sit, ac supplicationes fecerit: attamen quia uos hisce alimini, præpono hæc. Obserua quòd quæ nũc à nobis exhibentur, ea tum alebant illos, & quòd uerum sunt alimentum, eloquia Dei. Dabo, inquit, B
Amos 8 famem illis audiendi uerbum Domini.

Omnis enim qui lactis est particeps, inexpertus est sermonis iustitiæ: paruulus enim est.] Iustitiam hîc uel exactam uiuendi rationem appellat, tantũ non hoc dicens, quòd imperfectus, inexpertus est supernę philosophiæ, nec potest recipere summã et
Matt. 5 exactam uitã. Quod et Christus exigebat, dicẽs: Nisi abũdauerit iustitia uestra plus q̃ scribarum & Pharisæorũ. Vel iustitiam, Christum ipsum uocat, hoc dicens, Qui particeps est humilitũ, de Christi incarnatione sublimes ac dignos sermones non recipit, ceu infans, qui non sit horum capax.

Perfectorum autem est solidus cibus.] Hoc est, sublimes institutiones ac disputationes de diuinitate Christi. Vides infantiam alteram, quæ & in grandæuis & senibus est, mentium uidelicet: ac perfectionem, quam & iuuenes habere nihil impedit.

Qui pro ipsa consuetudine exercitatos habent sensus ad discretionem boni & mali.] Habitudinem siue consuetudinem hîc consummationem & firmitatem morũ nominat. Qui igitur moribus uitaq; firmus est, is etiam animæ sensoria habet exercitata in diuinis scripturis, ad dijudicationem humilium & sublimium dogmatum, sanorũ item et corruptorum. Non enim de uita hîc loquitur, eam enim unusquisq; dijudicat, ac nouit quod res praua sit malitia: & res bona uirtus. Animaduerte autem opus esse exercitatione & meditatione & peritia scripturarum, si dijudicaturi simus quisnã sit hæreticus, & quis non. Nec simpliciter omnibus accommodare aures debemus: guttur enim cibum gustat, anima uerò probat sermones.

CAPVT VI.

QVapropter intromittentes inchoationis Christi sermonem, ad perfectionem feramur.] Pauloante dixit, Segnes facti estis, & infantes, atque ad eam translati estis necessitatem, ut iam sitis de integro in fidei elementis instituendi: nunc uerò, Oportet, inquit, uos deinceps ceu perfectos sapere, ac transilire sermonem primordij Christi, hoc est, prima fidei rudimenta: & ad perfectionem ferri, hoc est, altiorum esse capaces. Vel hunc ad modum hunc locum intelligere poteris. Quia claudicare illi in uitæ conuersatione uidebãtur, uerba iam eis facit de uita irreprehensibili. perinde

quasi

quasi hoc dicat, Non oportet nos semper circa principia uersari, hoc est, de fide docere, ceu qui simus infantium præceptores, enimuero ad perfectionē etiā nobis est pergendū, hoc est, ad optimā uitā. perfectus em̄ ille q̄ cum fide uitā etiā habet rectā. Nā principiū & fundamentū fides est, citra quā nihil erit solidū, perinde ac neq; sine elementis quispiam gnarus fiat literarū. Atqui non semper circa elementa nos uersari oportet, neq; semper in fide institui, ut infantes & imperfectos. Sin quisquam priorem sententiam recipere malit, hanc uerò reijciat, ut quæ sit inconsequens ijs quæ à Paulo præmemorata sunt, nouerit quòd moris sit ipsi de alijs dicēti, ad alia tranſilire & progredi, ut in epistola ad Corinthios, de cœnis & conuiuijs loquens, in sermonē de mysterijs incidit. Hanc ad rationē etiam nunc in principio obijciens eis segnitiem et imbecillitatem, qua non possent perfectiora accipere, in sermonem de moribus & conuersatione fertur, imperfectos eos uocans, propterea q̄ fidei suæ uitā non adiecerint.

Fides, fundamentum est.

1. Cor. 12

Non rursum iacientes fundamentum pœnitentiæ ab operibus mortuis, & fidei ad Deum.] Hoc est, non rursus ex integro facientes quæ faciebatis quando baptismate abluendi eratis, ut pœnitētiam ē mortuus operibus, hoc est, reiectionem operum Satanæ. Qui enim Christo accedit, planum est q̄ pœnitentia ductus prioris dogmatis & uitæ, sic accedat. nisi enim condemnarit priorem, quomodo nouam uitam ordietur? Eam ob rem infert, & fidei in Deū. pœnitentiā enim à mortuis operibus fides sequitur. Ait itaq;, Non oportet iam uos in fide institui, tanquam iam primùm Christi religionem amplecteremini. iampridem enim credidistis. Indicat autē per hæc clanculum, quòd uacillabant in fide & concutiebantur, quare fundamento indigebant.

Et baptismatum doctrinæ.] Non ceu multa sint baptismata, multitudinis numero hoc Paulus dixit, unum em̄ est baptisma, sed quòd uelut ex cōsequenti hoc cōtingat. Si enim iterum eos in primordijs religionis instituēret, & rursus baptizaret, & postq̄ denuo lapsi essent baptizaret, atq; iterum, per huiusmodi reiterationē essent baptismi multi necessariò, uerùm hoc est absurdum. Nō oportet igitur uos reiterare baptisma, sed in priori baptismate perseuerare. Fortasse autem & illi, ut qui legi adhuc affixi erant, multos baptismos Iudaico more etiam in gratia prædicabant. Obserua autem q̄ pœnitentiam baptismus excipiebat. postquam enim pœnitētia ipsa per sese non possit puros reddere, propterea baptizamur, ut uniuersum hoc sit gratiæ Dei.

Ephe. 4

Pœnitētia.

Impositionis quoq; manuum.] Per quā spiritū accipiebant, ut ꝓphetarent, & miracula ederēt. Nam cū imposuissent illis manus Paulus, acceperūt inq̄t spiritū sanctum.

Act. 9

Et resurrectionis mortuorum.] Hoc enim & in baptismate efficitur per figuram immersionis in aquam, & in confessione confirmatur. confitemur em̄ credere resurrectionem mortuorum.

Confessio.

Et iudicij æterni.] Quod impertit uel bona, uel pœnas atque supplicia. Hæc autem dicere uidetur, postq̄ uerisimile erat eos uel concuti, qui iam olim etiam crediderant, uel minimè Christianè uiuere, ac segniter. Vigilate, inquit, & sobrij estote. Non enim affirmare aut statuere licet, quoniam si segniter uiuamus, aut ex fide excidamus, rebaptizari nobis dabitur, aut peccata denuò abluere poterimus, ac eadem cōsequi quę prius. Erratis enim hæc existimantes.

Baptismus nō iteratur

Et hoc faciemus, si quidem permiserit Deus.] Hoc faciemus, quale? ut ad perfectionem accingamur, si etiam Deus, inquit, uelit. Hoc autem dixit, nō tanquā Deus hęc non permitteret, uerùm perinde ac dicere solemus, Si Deus uelit, hoc faciam. Simul autem docet nos omnem rem ex ipsius uolūtate ac nutu dependēre, neq; etiā in confessis & apertis bonis, proprio fidere iudicio atque potentiæ. Hoc autem apertè ipse etiam * Iudas apostolus admonet.

** Forte Iacobus legendum ut sit quod habetur*

Impossibile enim est eos qui semel sunt illuminati.] Non dixit, inutile ac indecorū, sed impossibile, ut ad desperationem eos inijciat, ne omnino sperent se denuo baptisma posse consequi.

Iacob. 4

Gustauerunt etiam donum cœleste.] Hoc est remissionem peccatorum: nemo enim talia dare potest, nisi unus Deus.

Et participes facti sunt spiritus sancti.] Post dimissionem peccatorum, tum est participatio spiritus sancti. non enim habitat in corpore subdito peccatis. per impositionem autem manuum dabatur, ut & antè memoratum.

Sap. 1

Gustauerunt́q; bonū Dei uerbum.] Non dixit apertè quid sit hoc, interim tamen nos colligere facit se de omni spirituali doctrina loqui. A

Et uirtutes futuri seculi.] Vel miracula facere sic appellat, uel angelicè uiuere, ut nullo præsentiū indigeat aliquis: sed ad futura respiciat, ac futuræ uitæ arram habeat, si præsentem impollutā & ueluti à materia rebusq; crassis semotā et spiritualē ducat.

Et prolapsi sunt, rursus renouari ad pœnitētiam.] Hoc est, per pœnitentiam. Quid igitur? eiecta est pœnitentia? Haudquaquam, sed per secundum baptisma renouatio est reiecta. Renouare nanque sōlius est lauacri, perinde ac propheta dicit, Renouabitur ut aquilæ iuuentus tua. pœnitentiæ autem est, à uetustate liberare, ac firmos fortesq; facere: ad illum tamen splendorem ducere non licet relapsos, illic enim totū & gratia erat. Ad pœnitentiam igitur eam dicit, quæ est ex baptismate. Primùm enim quispiam ducitur pœnitentia ob transactam uitam, deinde baptizatur, sicut & ipse prædixit, pœnitentiæ ab operibus mortuis. Manifestum autem est ex sequentibus, q̄ baptismatis reiterationem prohibens hæc dicit. *Psal. 102*

Rursum crucifigentes sibijpsis filium Dei.] Baptisma crux est. Simul enim crucifixus est uetus noster homo, ac simul insiti sumus similitudini mortis eius: & rursus, Consepulti sumus ipsi per baptisma. Perinde nanq; ut mortuus est ille in cruce carni, sic & nos in baptismate mortui sumus peccato. Qui igitur secunda uice baptizatur, quantū in se est, rursus cruci Christū affigit. Atqui hoc absurdū est. semel eñ mortuus est, & resurrexit, & mors in eum porrò nō dominat. Nō igitur est secundū baptisma, quandoquidē neq; secunda crux sit. Quid enim prohiberet, si secundum permitteretur, quo minus tertium & quartum concederetur, ad infinitum usq; facto procursu? Non dixit aūt rursum crucifigentes, ac destitit loqui: sed adiecit sibijpsis, ut ostendat quòd segniter & ignauè uitā nostrā trāsigamus. Nam sic omnia agimus, quasi secundum baptisma præstò sit, uanam ita in nobsipsis opinionem constituentes. *Rom. 6* *Ibidem.*

Et ostentui habentes.] Hoc est, triumphantes, ignominia afficientes. Hoc autem bifariam intelliges: uel quia qui tum crucifixerunt Dominum, ad ignominiam eius talem mortis rationem excogitarūt, maledictam uidelicet & contumelioſam, ac sceleratis destinatam. Vel quia Christus semel cruci affixus, immortalis deinceps creditur. Qui igitur recrucifigit ipsum, mendacium hoc facit, quod Christo contumeliam affert, quippe qui post mortem suam quam semel sustinuit, immortalitatem deinceps gustauerit. Duabus itaque rationibus rem impossibilem esse dicit: altera quidem, quòd indignus est qui tantis bonis donatus sit, ac omnia ea perdiderit, rursus ijsdem frui: altera uerò horribiliore multo, quòd uidelicet impossibile sit filium Dei rursum crucifigi. B

Terra enim sæpe uenientem super se bibens imbrem.] Terram quidem animam, imbrem uerò doctrinam uocat, ut & alio in loco dicit: Mandabo nubibus, inquit Deus, ne pluāt imbrem in uineam. & rursus, Fluuius Dei impletus est aquis. hoc est, qui à Deo ut alios doceat gratia donatus est, impletus est supernis aquis, siue donis. Innuit autem istos & suscepisse & imbibisse sermonem, & quum sæpe ipsum essent adepti, ne sic quidem ipsos profecisse, quod & suprà dixit: Quum deberetis esse doctores propter tempus. *Esa. 5* *Psal. 64*

Et germinans herbam opportunam.] Hoc est, uitam uirtutibus comptam. Nihil enim adeò est opportunum, hoc est, conueniens & aptum, ut uitæ puritas.

Illis, per quos & colitur.] Herbam, inquit, hoc est, bonam conuersationem illis parit terra, per quos & colitur, atque illis conueniens est ipsa. nam illi ipsi qui uirtutem colunt, fruentur etiam ea. Quidam autem Illis, ad doctores retulerunt: etenim per illos optima politia, siue uitæ conuersatio exercetur, ut qui & ipsi discipulorum suorū uirtutis sint consortes.

Terræ fertilitas Deo referēda accepta.

Accipit benedictionem à Deo.] Hic tacitè ferit Græcos, uirtuti terræ frugum prouentum adscribentes. Neque enim colonorum manus sunt quæ fructus faciant, uerùm totum, inquit, Deo referendum est acceptum. ipse benedicit terræ, ac fertilitatem largitur.

Proferens autem spinas & tribulos.] Non dixit germinās siue gignens, ut suprà de herba, perinde ac dicat aliqs, ebulliens, ac ueluti superfluitatem abijciens. Spinæ aūt ac tri-

A ac tribuí sunt solicitudines uitæ, ac impostura diuitiarum, ac simpliciter omne peccatum. sicut & Dauid dicit: Conuersus sum in ærumna, dum infigitur mihi spina. Non enim simpliciter accedit, sed infigitur: ac nisi totam eruamus, sed parum quiddam remanserit, cruciat, atq; opus est cura ac diligẽtia. Insuper tribulus est huiusmodi, ut ubicunq; tum attigeris, feriat ac pungat, & ex omni parte sit iniucũdus, cùm hic ignominiam pariens, tum in futuro seculo potissimum. Psal. 31

Reproba est, & maledicto proxima.] Bonæ terræ benedici dixit à Deo: infrugiferam autem non dixit simpliciter execratam, cæterùm execrationi uicinam, ut ne desperemus. Nam qui prope execrationem est, poterit & longè remoueri.

Cuius consummatio in combustionem.] Hoc etiã adiecit, ut ne desperemus. Non enim dixit, quæ comburentur, sed cuius finis ad combustionem: hoc est, si ad finem usq; in sterilitate perseuerarit. Potest itaq; deficere à sterilitate, atq; spinas compescere probata item reddi, atque benedictionis consors.

Confidimus aũt de uobis dilecti meliora & uiciniora saluti, tametsi ita loquimur.] Quum eos abunde satis carpsisset, ac perterrefecisset, rursus mitigat & medetur, ut ne omnino supinos laxosq; reddat. Nam qui segnem prorsus ferit ac obiurgat acriter, segniorem reddit. Ait ergo, Non quasi uos dãnarim ac de uobis malè iudicem, hæc dico: nõ enim quòd plenam spinarum conscientiam uestram censeam, sed metuens ne hoc fiat. Nec dixit, De uobis expectamus: sed, Confidimus siue persuasi sumus, id est, certi ac firmati sumus q̃ non sic habetis, sed melius, & q̃ uestri ipsorum salutis curam geritis, etiamsi ad eum modum loquuti sumus per obiurgationem. Vel igitur de conuersatione & moribus eorum hæc dicit, quoniam uos non estis huiusmodi spinosi: uel de compensatione in extremo iudicio obuentura, q̃ non estis execrationi proximi, neq; in combustionẽ, sed alia quædam uobis merces est reposita. Expende autẽ quod sequitur.

B Non enim iniustus Deus, ut obliuiscatur operis uestri.] Animaduerte quomodo ipsos erexerit & confortarit, ut sperent meliora, reuocans eis ad memoriã priora, ac iustitiã Dei. Si enim iustus est Deus, non obliuiscetur operis uestri, hoc est misericordiæ, fraternæ dilectionis, sed retribuet uobis. Proinde ne despondeatis animum, nec sitis pusillanimes, cæterùm omnino meliora sperate, quandoquidẽ & omnino Deus iustus est. Non igitur de uobis dixi, quæ mordentia & obiurgatoria dixi: noui enim quòd uos non sitis digni execratione.

Ac dilectionis quam ostendistis in nomine eius, qui ministrastis sanctis, & ministratis.] Magna eis tribuit non solum opera, uerumetiam opera cum alacritate & animi promptitudine ministrare nãq; promptitudinis est indicium. Per dilectionem autem eleemosynam intelligit, quam impertierunt, neque in fratres, sed in nomen Dei. Animaduerte maximam * consolationem siue adhortationem, q̃ non hominibus, sed Deo faciamus eleemosynã, perinde ac Dominus in euangelio etiam inquit, Mihi fecistis. Qui enim propter nomen Dei, fratri egenti prospicit, Deo istuc facit. Sanctis, hoc est fidelibus. omnis enim fidelis sanctus est, etiamsi in mundo fuerit. Sanctificatus est enim uir infidelis in uxore, & sanctificata est uxor infidelis in marito, fides igitur hîc sanctificationem facit. Ne igitur erga eremitas tantũmodo curam impendamus, tanquam sanctos, uerumetiam erga mundanos. Sancti quidem illi sunt & fide & uita: sancti autem & populares siue laici fide, plerique autem etiam uita. Obserua porrò quomodo eos leniat ac mitiget. Non enim dixit, Qui ministratis, & ita fixit gradum aut quieuit: uerùm adiecit, Et ministratis, hoc est, eadem hodieque facitis.

* παρακλησιν. Matt. 5

1. Cor. 7.

Mundani etiam quidam sunt.

Cupimus autem unumquenq; uestrûm eandem ostendere sollicitudinem ad expletionem spei usque in finem.] Perinde ac si quis dicat, Quam ob causam ô Paule hæc dixisti, si noluisti nos ferire & increpare: Hæc dixi, inquit, cupiens ut in futurum etiam rectè curratis, non q̃ priora & præterita uestra condemnẽ, uerùm q̃ de futuris metuam. Nec dixit, Volo, quod erat præceptoriæ autoritatis: sed, Cupio, quod est paterni amoris & affectus. Non eñ uerbis tantùm hoc desidero, sed animus meus pro uobis ardet & æstuat. Tale enim quiddã intellige per ἐπιθυμοῦμεν, cõcupiscimus ardenter: nec simpliciter pro uobis, sed pro unoquoq; uestrũ. Adeò omnium siue maiorum

siue

siue minorum cura tangebatur, omnesq; norat. Vt sitis soliciti, inquit, ad expletionẽ spei, hoc est, ut plenam & perfectam fidem ostendatis, nec atigemini uel concutiamini in ea. Reputa hîc Pauli prudentiam. Non apertè ferit, neq; dicit, Desperastis, recolligite uos deinceps: uerùm tantum non hoc dicit, Equidem uolo te semper solicitum esse, & ut qualis fuisti antehac, talem etiam in posterum te exhibeas. A

Vt non segnes efficiamini.] Hoc itidem ad curam & mitigationem eorũ dicit. ad futurum enim tempus hoc ducit. Atqui suprà dixit, Postquam segnes facti estis, sed auditu, ad auditum enim usq; segnitiem statuit: iam uerò desidero, inquit, ne animũ uestrum segnities attingat. Vt enim corpus torpor & ocium & immobilitas lædit, sic & animam à bonis operibus cessatio & ocium, supinam magis & laxam efficit.

Verùm imitatores eorum qui per fidem & longanimitatem promissiones hæreditate capiunt.] Suprà commonefecit ipsos eorum quæ antea ipsi gesserant, domesticum ipsis exemplum proferens: nunc uerò ad patriarcham eos subuehit. Ne existiment enim se nullo esse numero dignos, ac ueluti contemptos sese à Deo relictos esse, planum facit iam quòd isthuc maximè sit fortium uirorũ tentari. Vel quod magnos & præclaros uiros sic exercuerit Deus. Si enim aduenienss tatim daret quod promisisset, fides eorum haud demonstraretur. Nunc autem differt Deus, nec protinus largitur dona sua, ut fides ipsorum per patientiam inclarescat. Tum enim planum fit quempiam credere ei qui promisit, quando multo temporis lapsu & effluxu non accipiens, credit tamẽ se accepturum tandem, nec ideo torpet. Propterea igitur hæc dura & obiurgatoria uobis dico, ut excitem uos, ut connumeremini inter hæredes promissionis per fidem & longanimitatem. Quinam uerò sint illi, posthac exponet. Obserua autem qui primo loco fidem collocarit, deinde longanimitatem, quoniam ex fide est longanimitas. Nisi enim credat aliquis omnino daturum eum qui promisit, nunquam erit longanimis.

Promissa sua quare Deus differat.

Abrahæ nanque promittens Deus, quoniam neminem habeat per quem iuraret maiorem, per semetipsum iurauit, dicens: Verè benedicens benedicam te, & multiplicans multiplicabo te.] Quum pleriq; alij essent qui per fidem hæreditarint promissiones, alios quidem nunc prætermisit, recondens eos tantisper dum alios posthac sit denumeraturus: solius Abrahami autem meminit, ob personæ dignitatem, quòd hic præ cæteris promissione dignatus sit, eamq; sit consecutus. Per hoc pariter indicat nõ esse desperandum nobis, sed Deum potius expectandum, cui in more est non statim præstare quæ promisit, sed post multum temporis. Quando autem iurauit per seipsum Deus? Vel ipsis uerbis quibus ait, Permemetipsum iuraui, forsan autẽ & particulam ἢ μὴν quispiam dixerit iuramentum Dei per sese. Nam ἢ μὴν, uere, uel reuera significat. Quod nihil sanè est aliud, quàm confirmatio quædam ueritatis. Veritas autem, quisnam alius fuerit præter Deum? Sic & in euangelio Dominus, Amen, amen, dicens, idem iuramentum iurat, quum non possit per maiorem iurare, per seipsum iurans, perinde ac pater. Nonnulli tamen dicunt filium tum cum Abrahamo colloquutum. ait enim scriptura, Dixit autem ad Abraham angelus. Neque enim pater angelus esse poterat, sed filius, magni consilij angelus. *Gen. 22.* B

Et sic longanimiter ferens, assequutus est promissionem.] Quî igitur in fine epistolæ dicit, Illi omnes non acceperunt promissiones, sed eminus eas intuiti sunt & salutauerunt: hic uerò ait Abrahamum consequutum esse promissionem? Non de ijsdem hîc & illic loquitur, uerùm hîc de ijs quæ in uita ei promissa erant loquitur, quæ Abraham sanè est adsequutus longo pòst tempore: illic autem de cœlestibus, quæ nondum erat assequutus. Vtraque autem, & quòd consecutus sit, & quod nondum sit cõsecutus, ad consolationẽ pusillanimibus inseruiuit: alterum quidem, quod & nos, si spe longanimi perduremus, assequemur: alterum uerò, quod si ille nondum est assecutus, qui ante tot annos cõsummatus ac Deo dilectus uixit, admodũ insipiẽtes nos sumus, quũ ægrè ferimus nos nondũ assequi. Obserua aũt quomodo dixerit, per longanimitatẽ eum consequutũ promissionem, ut ingentem lõganimitatis uim atque potentiam ob oculos ponat, & quòd promissio sola totũ hoc non effecerit, sed etiam longanimitas. Hîc autem etiam terret eos, ex contrario significans promissionem abscindi per pusillanimitatem. Atque hoc contingit populo olim in deserto *Infrà 11.*

qui

A qui in pusillanimitatem lapsi, nulla ratione sunt assecuti promissionem. Dicat igitur quispiam, Ecquo modo sancti qui tamen longanimes fuerunt, non sunt assequuti? ut sub epistolæ finem dicit. At uerò assequerentur omnino, uerùm qui ex populo murmurarunt, neque assequuti sunt, neque assequentur. *Pusillanimitas promissionem abscindit.*

Homines enim per maiorem iurant, & omnis controuersiæ ipsis finis est ad confirmationem iuramentum.] Hoc est, ex iuramento soluitur omnis contentionis controuersia. Etenim dicuntur quidem multa, & cõtradicuntur utrinque: sedenim iusiurandum postremò accedens, ac stabiliens, cuncta dubia soluit.

In quo abundantius uolens Deus ostendere pollicitationis heredibus immobilitatem consilij sui, interposuit iusiurandum.] Hoc est, postquam sic habet res, ut hominibus iuramentum omnem fidem afferat, ob eam rem Deus etiam iurat. Vel in quo, hoc est, quia iurauit per seipsum Deus, ex abundanti monstrauit nobis, quòd omnino & impermutabiliter facturus sit quæ nobis promiserit. Erat enim operæpretium ut uel citra iuramentum crederetur Deo, propter nos tamen demittit sese, nec suam dignitatem contemplatur, uerùm ut nobis persuadeat, indigna etiam de seipso ut dicantur sustinet. Nos enim fideles, promissionis sumus hæredes, qui in semine eius qui Christus est, benedicti sumus. Animaduerte hic quomodo etiam tum filium dicat mediatorem Dei & hominum fuisse: per ipsum enim tanquam uerbum iurauit Deus & pater. *Gal. 3*

Vt per duas res immobiles in quibus impossibile mentiri Deũ.] Quales et cuiusmodi? quòd simpliciter diceret ac pmitteret, tum q̃ iusiurandũ promissioni apponeret. Postquam enim apud homines hoc uidetur esse firmius, iusiurandum uidelicet, propterea ipse illud apposuit. In quibus posuit, pro ex quibus his duabus rebus, certissima demonstratur promissio, ac impossibile est mentiri Deum. Quemadmodum igitur iurat propter nos (nam indignum erat ipso iurare) sic &, didicit ex quibus passus
B est, intellige. Etenim homines id existimant esse credibilius & certius quod experientia comprobatum est.

* Fortissimum solatiũ habeamus, qui cõfugimus ad tenendã propositam spem.] Hoc est, magnam admonitionem & adhortationem. nõ enim magis propter Abrahamum, q̃ propter nos, hoc dictum est. Qui confugimus ad eam, hoc est sperauimus. Quòd autem habemus adhortationem? ad hoc ut teneamus propositam spem, hoc est, ut ab illis quæ sunt Abrahamo data, de ijs etiam quæ ad nos pertinent, certiores reddamur, neque quicquam ambigamus de futuris adeoq̃ cœlestibus bonis quæ speramus, sed firmiter ac tutò retineamus hanc spem, nec dimittamus ipsam. Etenim quæ Abrahamo facta est promissio, ad nos etiam spectat, ac propriè ad nos qui Christo credimus, ut in superioribus dictum est. ** ἰσχυρὰν παράκλησιν, ualidũ solatium uel fortem adhortationẽ.*

Quam sicut anchoram habemus animę, tutam ac firmam.] Quam spem habemus ueluti anchoram. Nam perinde ut illa naues tempestatis tempore firmas constituit: consimilem ad rationem spes agitatos & concussos tentationibus, stabiles & persistẽtes efficit. Non simpliciter autem anchoram dixit, uerùm tutam ac firmam. Est enim & anchora quæ non conseruet scapham inconcussam, si putrida & marcida fuerit, & quando plus æquo læuior. Meritò autem non fundamenti meminit, sed anchoræ, eo quòd fundamentum in ualde solidis ac sapientibus ponitur: anchora uerò in ijs quæ tempestate quatiuntur, quales fuerũt isti qui tentationibus agitabant & fluctuabant.

Et incedentem usq̃ ad interiora uelaminis.] In superioribus dixit, Expectate: euenient enim quæ sperantur. Iam perfectius certos faciens ait, uel nunc ea habemus in spe. Ipsa nanq̃ ingressa in cœlum fecit iam nos esse in promissis bonis, etiamsi adhuc infrà in terris simus, etiamsi nondum acceperimus. Tantum ineſt uirium spei, ut terrestres cœlestes etiam faciat. Quemadmodum uerò in ueteri testamento uelamen diſiunxit sanctum à reliquo tabernaculo: sic & cœlum nobis uelamẽ est, diſiungens inferiora à diuinioribus & supercœlestibus. *Exod. 26*

Vbi præcursor pro nobis introijt Iesus.] Quum spem nostram cœlos ingressam dixerit, confirmat quod dictum est, per res ipsas hoc stabiliens. Etenim Christus ille ingressus est: nec simpliciter, sed præcursor ingressus est, tanquam & nos uidelicet debeamus ingredi. Præcursor enim, quorundam sequentium est præcursor, *Præcursor noster Christus.*

cursor, nec omnino multum est interualli ac distantiæ inter præcursorem ac sequentes, quemadmodum neq; inter Ioannem & Christum multum temporis interfluxit. Ne igitur ægrè feratis, mox ingressuri sumus in eum locum, in quo præcursor noster est. Nec contentus fuit dicere, Præcursor: sed apposuit, Pro nobis, ad maiorem confirmationem. perinde quasi hoc dicat: Ipse non habebat opus eò ingredi: quomodo enim quum Deus esset? Atenim sicut carnem propter nos assumpsit, sic et propter nos interius cœlum subijt, ut nobis patefaceret & pararet iter. Necessariò itaque ingrediemur & ipsi. Vel pro nobis, est, p eo quod est, ut intercedat pro nobis ad patrē, quoniā et pontifex ingrediebat in sanctū semel in anno, ut pro populo interpellaret. A

Secundum ordinem Melchisedec, pontifex factus in æternum.] Hæc maxima etiam nobis est consolatio, siquidem pontifex noster est in supernis, ac multo præstantior ijs qui sunt apud Iudæos, primùm secundum modum, nō enim iuxta eorum ordinem, sed secundū ordinem Melchisedec: deinde loco & tabernaculo præstat pontifici Hebræo, suprà enim in cœlis est: postea testamento, in melioribus enim & perfectioribus bonis: tum duratione, sempiternus enim, & non temporarius: postremò persona, filius enim Dei est. Proinde ne langueatis animo. Hæc autem omnia propter carnem dicta sunt, secundum hanc enim factus est pontifex.

CAPVT VII.

Gen. 14 HIc enim Melchisedec, rex Salem, sacerdos Dei summi, qui obuiauit Abrahę regresso à cæde regum, & benedixit ei, cui & decimas omnium diuisit Abraham.] Consilium est apostoli, commonstrare discrimen ueteris & noui testamenti: Suprà 1 atque hoc statim in exordio indicauit, quum diceret, Patribus quidem loquutus est Deus per seruos, prophetas: nobis autem qui sumus in nouo testamēto, loquutus est per filium. Quia uerò infirmi erant auditores, quippe qui languido essent animo & pusillo in tentationibus, illorum pusillanimitatem interim reuocillauit & erexit, & deinceps, quum abundè eos erexisset, rursus de excellentia noui testamenti, qua B uetus exuperat, inducit sermonem. Considera uerò hîc sapientiam diui Apostoli. Ostendit Melchisedec, qui erat typus Christi, excellentiorem Abrahamo. nisi enim fuisset præstantior, non benedixisset ei, nec decimas ab eo accepisset. Quoniā uerò ab Abrahamo deducebātur sacerdotes legis, & hos itaq; Melchisedec excedit. Tanquam & ipsos benedicens, ac decimas ab eis accipiens, quandoquidem & progenitori eorum benedixerit, ac decimas ab eo sumpserit. Quòd si figura Christi Melchisedec, tantùm excellit sacerdotes legis, quanto potius uerus Melchisedec Christus? Hæc quidem est sententia totius loci huius. Concidens autem de Melchisedec narrationem, subinfert contemplationem, mysticè & spiritualiter historiam ad allegoriam transferens.

Primùm quidem ex interpretatione dicitur rex iustitiæ.] Declarat hoc loco quanam ratione Melchisedec sit figura Christi: ac primùm quidem ab ipso nomine discę exactam rationem. Melchi enim rex, sedec autem iustitiam ualet. Quis autem alius est rex iustitiæ, præter ipsum Dominum nostrum Iesum Christum?

Deinde autem & rex Salem.] Ab urbis nomine id etiam planum est. Salem enim pacem ualet, si interpreteris. Quis autem alius pacis rex est præter Christum, qui pacificauit ea quæ sunt in cœlis, & quæ super terram? Nulli mortalium conuenit iustitiæ pacisq; esse regem, præterquam uni Christo.

Coloſ. 1 Sine patre, sine matre, sine genealogia.] Aliam hîc similitudinem habes. Quemadmodum enim Melchisedec sine patre est & sine matre, non quòd nō habuerit patrem, aut matrem, habebat enim ut ipse mortalium unus: sed quia generis eius ratio ac deductio non est contexta apud scripturam, neq; introducitur nomen parentum eius: hunc admodum Christus sine patre est secundū inferiorem & humanā generationē, ex sola nanq; diua uirgine Maria genitus est, quatenus ad carnē attinet. Citra matrē aūt est secundū supernā natiuitatē diuinę naturæ: ex solo eñ patre ante omnia secula ineffabiliter & incōprehensibiliter generatus est. Præterea † genealogia etiam uacat, nam generationem eius quis enarrabit? quandoquidem et qui superne in cœlis genuit eum pater, sit etiam inexplicabilis, atq; adeò ipse modus generationis. Porrò et quæ infernè in terris eum peperit mater sub rationem non cadit secundū modū

† ἀγενεαλόγητος, *sine genealogia, et cuius generis origo reddi non potest.*

generatio-

A generationis, nimirum quomodo genuerit uirgo, quomodo sine doloribus, ac similia. Christus igitur reuera sine patre ac sine matre est: Melchisedec uerò sine patre & sine matre non reuera, fieri enim hoc nõ potest, sed quatenus haud inserantur scripturę eius parentes. Itaq; quod ait, Sine genealogia, ueluti interpretatur quid sit sine patre ac sine matre, perinde quasi Apostolus diceret: Hanc ad rationem Melchisedec dixi patre ac matre uacare, quòd genealogia eius in scriptura non exprimatur, nec mentio generis eius in scriptura fiat.

Neq; initium dierum, neq; uitæ finem habens: assimilatus autem filio Dei, manet sacerdos in perpetuũ.] Hoc etiam perinde intelliges, ut præmemorata. quatenus enim homo erat, habebat prorsus Melchisedec cùm principium dierum, tum finem uitæ: uerùm quatenus nesciamus quando natus sit aut mortuus, quod attinet ad nostram cognitionem, neq; principiũ neq; finem habet. Christus tamen reuera, ut Deus, neq; initium dierum habet, principio enim caret, iuxta principium quod à tempore dicitur, etiamsi patrem habeat principium, tanquam causam: neq; finem, immortalis enim est, atq; ut summatim dicam, sempiternus. Vbi sunt igitur Arriani? audiant filium principium non habere. Hanc ad rationem Paulus nos instituit quomodo sit diluendum quòd quispiam etiam dubitare possit, quomodo Christus sacerdos sit in æternum secundum ordinem Melchisedec, quandoquidem Melchisedec mortuus est, nec factus est sacerdos in sempiternum. Diluemus igitur hinc, dicentes Christum, cum æternus sit & immortalis, reuera semper esse sacerdotem. Nam & nunc quidem semper seipsum pro nobis offerre creditur per ministros suos, alioqui & tanquam interpellans patrẽ pro nobis, ac tum quidem perfectiora offerret patri & sacratiora, seipsum nobis in cibum & potum proponens, nouo quodam modo omnem ingenij captum exuperante. Melchisedec autem sine carens, adeoq; immortale & æternum habere sacerdotium dicitur, non quòd uiuat semper, mortem nanq; obierat: uerùm quia non traditur in scriptura finis eius, ut inde possimus cognoscere quando sacerdotium eius cessauerit.

B Quemadmodum igitur in nominibus, in illo sanè solæ appellationes fuerunt, Melchisedec, & rex Salem, in Christo autem rerum ueritas: sic & quòd neq; principium neq; finem habuerit, in illo quidem erat, quia sacris literis nõ esset insertum, figura enim erat. In Christo autem secundum ueritatem. Si enim undiq; futura erat similitudo, non iam figura essent ac ueritas, uerùm aut utraq; typus, aut utraq; ueritas. Nónne autem & in illius hoc imaginibus cernimus? Etenim hic umbratilis pictura ad perfectam iam imaginem habet simile quiddam, quatenus per lineas obscurè adumbrat & effingit nobis formam. habes etiam dissimile, quatenus imago per colores magis perspicuã necnon euidentiorem formam suscepit.

Intuemini autem quantus sit ille, cui & decimas dedit † de spolijs Abraham, patriarcha.] Posteaquã figuram ueritati adaptauit, uel quæ sunt Melchisedeci, Christo, confidenter iam deinceps demonstrat, typum ipsum, hoc est Melchisedecum, ipsis apud Iudęos ueris sacerdotibus splendidiorem esse: nec ipsis solis, uerumetiam patriarcha ipso. Si autem typus illis est præstantior, quãto potius uerus pontifex Christus istis erit præstantior? Videte igitur, inquit, quantus sit iste, & quantum excellat, cui dona offerebat, non uulgaris certè homo, sed Abraham talis tantusq; patriarcha. non enim citra rationem Patriarcha apposuit, uerùm ut attolleret personã: & de spolijs, hoc est exuuijs præstantiorum, & honoratiorũ. Nec dici potest, q; ueluti ei qui unà bellũ gesserit cũ eo: ac auxiliatus sit ei, diuiserit compensationẽ laboris, sed domi residenti. Eam enim ob rem & suprà prædixit q; occurrerit Abrahamo reuertenti à cæde regum. Si aũt ipso patriarcha maior est, quod ipsa decimarũ datio sanè indicat, multo magis sacerdotibus legis.

† ἀκροθινίων, id est, primitijs frugũ, uel spolijs, quo in sensu accipit post Chrys. hic Theo.

Nu. 18.

Et quidem de filijs Leui sacerdotium accipientes, mandatum habent decimas sumere à populo secundum legem, hoc est, à fratribus suis, quanquam & ipsi exierint de lumbis Abrahæ. Cuius autem generatio non annumeratur, in eis decimas sumpsit ab Abraham.] Cõfirmat iam & ostendit quomodo sit maior Melchisedecus Abrahamo, inquiens: Qui ex Leuitica tribu sacerdotio fungebantur, decimas sumebant à populo. Hinc planum est, q; tanquam qui præstantiores & honestiores atq; honoratiores essent propter sacerdotij dignitatẽ. Cuius enim rei gratia qui ex populo uarijs laboribus fatigantur & ærumnis affliguntur, sacerdotibus non laborantibus neq; agrum colen-

tibus decimas offerunt ex omni genere? nónne ueluti omnino diuinioribus, maioríq; operi uacantibus? Tanta est sacerdotij dignitas, adeoq; qui eo funguntur, sublimiores sunt propríjs fratríbus, atq; íjs qui ex íjsdem lumbis sint egressi. Melchisedec igitur postquã decimauit Abrahamum, cum tamen ex eo nõ denumeraretur ei genealogia, id est cum non esset ex eius genere, alienigena enim erat, potior ipso est & sublimior. Quomodo enim alienigenæ dedisset decimas Abrahamus, ní multo honore ac dignitate floruisset? Quòd si Melchisedec ipse figura, sublimior est, & quidem ipso Abrahamo, multo magis Christus uerus pontifex excellet sacerdotes legis. A

Gen. 12. & 15. & 17. & 22. Et hunc qui habebat repromissiones benedixit.] Quia sursum ac deorsum & omni no præcipuum istud Abrahamum, magnum & splendidum reddebat, q promissiones à Deo accepisset: apponit hoc nunc, quòd tantũ ac talem, qui diuino colloquio dignus fuisset habitus, quíq; haberet debitorem Deum, hunc, inquã, figura Christi benedixit.

Sine ulla autem cõtradictione, quod minus est, à meliori benedicitur.] Dixit tantũ ac talem Abrahamum ab ipso Melchisedec benedictũ fuisse. Omnes autem palàm & sine contradictione scimus q benedicens maior est ac præstantior eo cui benedicitur, potior itaq; est Melchisedec Christum præfigurans, ipso patriarcha.

† μαρτυρούμενος, participiũ medium, testimonium dans, aut habens siue accipiens.

Et hîc quidem decimas morientes homines accipiunt, illíc autem† testimonium habens q uiuat.] Aliud est argumentum, quo demonstrat maiorem sacerdotibus legis Melchisedecum. Hîc enim, hoc est in lege, decimas accípientes moriuntur: illíc autem, hoc est in causa secundum Melchisedecum, decimas accepit, cui testimonium scriptura dicit quòd uiuat. Tu enim, inquit, sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedec. Viuere autem semper Melchisedecum, sic intellige perinde ac suprà memoratũ est, hoc est quòd scriptura non faciat mentionem obitus eius. Nonnulli uerò mori Leuitas, & uiuere Melchisedecum etiam sic intelligunt, quòd modus quidem sacerdotij, Leuitarum mortalis erat, abolitus est enim: ratio autem sacerdotij Melchisedeci, seu uitæ secundum Christum, uiuit & manet, spémperq; durabit.

Psal. 109.

Atq;, ut ita dicam, per Abrahamum & Leui qui decimas accipit, decimatus est.] Ne dicere queant legales sacerdotes, Ecquid ad nos si Abrahamus decimatus est? Quoniam per Abrahamum, ut medium, Leui etiam decimas dedit. Princeps porrò sacerdotij apud nos est, qui decimas accipit. Nónne igitur & Leui Melchisedecus est melior tanquam qui ab ipso etiam decimas accipere uisus sit, per intermediatorem Abrahamum? Quod autem ait, ὡς ἔπος εἰπεῖν, uel hoc significat, ut breuiter dicam, uel, ut sic dicam. Quia enim audacius dictum uidebatur, affirmare quòd Leui priusquam in mundũ productus esset per natiuitatem, decimas dederit Melchisedeco, correxit hoc. B

Adhuc enim in lumbis patris erat, quando obuiauit ei Melchisedec.] Quánam ratione Leui decimatus sit, astruit. Cũ enim progenitor eius decimatus esset, ipse potentia pariter decimatus est, quippe qui tum in lumbis Abrahami erat, ac ex semine eius nasciturus, & in mundum proditurus, etsi nondum natus esset. Nec dixit Leuitæ, sed Leui, ut excellentiam ostẽdat. Papæ, quantũ ausus est? foràs eiecit Iudaica, eamq; ob rem in superioribus prædixit, Segnes facti estis: quia talia dicturus erat, ne resilirent. præparatis igitur ipsis atq; præmunitis ut uolebat, sic iam dicit quæ uult. Non enim quemadmodũ terra recepto semine auget ac crescere illud facit, sic anima uerbũ continet, & alit, & fouet. Illíc enim natura est quę stabilitatem ac constantiã habet: hîc aũt uoluntas, res innumeris modis uaria, & facilè mutabilis. Quare oportet doctorẽ aut præceptorem multum circunspectum esse, & prouidum dispensatorem.

Supr. 5.

Si ergo consummatio per sacerdotium Leuiticũ erat (populus enim sub ipso legem accepit) quid adhuc necessarium fuit secundum ordinem Melchisedec alium surgere sacerdotem, & non secundum ordinem Aaronis dici?] Iam ante abundè satis Melchisedecum in sacerdotum ordine longè præstantiorem etiam ipso Leui fuisse factum ostendit: nunc rursus aliud argumentũ adducit, ostendens q sacerdotiũ secundum Christum longè sit excellentius Leuitarum sacerdotio: & quod Christi sacerdotiũ sit perfectum, illorum autem imperfectum. Nam si perfectum erat sacerdotium legis, secundum ordinem Aaronis oportebat exurgere sacerdotem, nam Aaron ex tribu Leuitica erat. Atqui non secundum ordinem Aaronis, uerùm secundum ordinem Melchisedeci dicitur exurgere sacerdos. Reliquum est igitur, ut ueluti imperfecto illud, aliud quoddam

quoddam introducatur. Porrò hæc particula ἔτι, id est adhuc, siue præterea, magnā habet emphasim. propemodū enim hoc dicit: Si Christus secundū ordinem Melchisedeci fuisset antea, ac deinde lex esset data, non immeritò quis diceret quòd ueluti imperfecto sacerdotio secundum Melchisedec, datum sit sacerdotiū secundum legem, Aaronis nimirum. Nunc autem posterior est Christus, & aliam sacerdotij formam accepit. Perspicuū est igitur ꝙ ueluti imperfectiore existente sacerdotio Aaronis, aliud introducitur. Quid autem est, Sub ipso populus legem accepit: hoc est, nō potest quispiā dicere ꝙ perfectum quidem sit sacerdotiū secundum Aaronem: alijs uerò datum est, non ipsis Hebræis: sed enim omnino populo datum est, atq; sub ipso sacerdotio populus legem accepit, hoc est finitū est, ut uteretur ipso, sicq; incederet, atq; per ipsum omnia ageret. Cur igitur eiectum est: ꝙ nimirum inualidum erat.

Translato enim sacerdotio, necesse est ut legis trāslatio fiat.] Ostendit iam legem abolitam esse, & ex consequenti ac meritò aliud testamentum surrogatum. Si enim sacerdotium translatum est, necesse est legem etiā aliam esse. sacerdos nanq; absq; testamento & legibus & præceptis non est. Translatū est autem sacerdotium non solum ritu & modo, hoc est, ut non sit porrò secundum ordinem Aaronis, sed secundum ordinem Melchisedeci, uerumetiam secundum tribum. Etenim à tribu sacerdotali Aaronis ad regiam tribu Iuda est transpositum. Considera hîc mysterium. Primùm erat regia, sicq; facta est sacerdotalis: perinde ac Christus semper quidem rex, postremò autem pontifex factus est, quando carnem accepit, quando uictimam obtulit.

In quem enim dicuntur hæc, de alia tribu est.] Quomodo sacerdotium quo ad tribum translatū sit, monstrat. Christus, inquiens, in quem, hoc est, de quo dicuntur hæc, & in quem euenerunt, alterius est tribus, nempe Iuda.

De qua nullus altario præstò fuit.] De qua tribu Iuda, nullus præstò fuit, hoc est, astitit altari, curamq; gessit sacerdotalium operum.

Manifestum est enim ꝙ ex Iuda ortus est Dominus noster.] Grauis est & insignis dictio ἀνατέταλκε, id est, exortus est, ex Balaam prophetia desumpta, dicentis, Orietur stella ex Iacob: & ex Malachia, solem iustitiæ appellante ipsum. Per quæ ostenditur ad illustrationem mundi aduentum Domini factum esse. *Num.24. Mal.4.*

Ad quam tribum nihil de sacerdotio Moses locutus est.] Omnia enim quæ ad sacerdotium pertinebant, ad Leuiticam tribum retulit: ad tribum uerò Iuda, quæ rei bellicæ imperium spectabant.

Et amplius adhuc manifestum est, si secundum similitudinem Melchisedec exurgat alius sacerdos.] Quid est manifestū: discrimen utriusq; sacerdotij, uel differentia: quod immutabitur sacerdotium & testamentum, nō solum ex hoc indicatur ꝙ ex alia tribu sit qui exurgat sacerdos, & non ex Leuitica, uerumetiam ex hoc quod dicemus, amplius demonstratur. Siquidem iuxta ordinem Melchisedec, & quæ sequuntur, hoc est, quandoquidem secundum ordinem Melchisedec exurgit sacerdos.

Qui non secundum legem mandati carnalis factus est, sed secundum uirtutem uitę indissolubilis.] † Qui Melchisedec non legalium sacerdotum instar factus est, illi enim accipiebant sacerdotium à lege carnalia mandata habente. Circuncide enim carnem, inquit, & ablue carnē, & ociare carni, consequerisq; bona carnalia. Melchisedecus aūt non sic, sed diuina uirtute factus est sacerdos, ut uiuat semper, ac indissolubile sit ei sacerdotium. Viuere autem, ut suprà memoratum intellige, nimirum ꝙ non sit cognita eius mors. Vel relatiuum (qui) de sacerdote accipe. perinde quasi dicat, Qui sacerdos alius, hoc est Christus, non iuxta legale mandatum, carnale accepit sacerdotium, sed per potentiam patris, uel propriam suam, ac indissolubile isthuc sacerdotium retinet. Consectarium autem erat, post carnale, spirituale subsequi ac introduci. Quomodo igitur intulit, Secundū uirtutem uitæ indissolubilis: Propterea quòd, per carnale, temporarium quid & breue significauit: & congruè ad temporarium hoc & breue subiunxit, uitæ indissolubilis, hoc est propria uirtute ac potentia uiuit Christus.

† *Qui Melchisedec, uel qui alius sacerdos ad utrūuis enim referri posse ait. Chrysostomus uerò posteriorē probat constructionem de sacerdote Christo.*

Contestatur enim, Tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedec.] Explanat quî dixerit, Indissolubilis uitæ: quoniam scriptura dicit, in sempiternū eum esse sacerdotem. Quidam uerò nō hoc eum efficere intellexerunt, cæterùm qui nō sit factus secundum legem mandati carnalis. Nam si secundum legem factus esset, ope-

ræprecium erat eum secundum ordinem Aaronis dici sacerdotem. Nunc verò post- A
quam secundum ordinem Melchisedec scriptum est, planum est ꝙ non secundum le-
gem, sed secundum aliam diuiniorem quandam rationem factus sit.

† οὐδὲν γὰρ, nullũ siue nemi- nem, in ma lúno ge- re habet ex Basi licosis, uti & Theo- phyl. legisse uidetur. alij in neutro.

Reprobatio quidem fit præcedentis mandati, propter infirmitatẽ eius & mutilitatẽ: †nihil enim ad perfectum adduxit lex.] Legis translationem fieri dixit: quo demonstra to, inquirit deinceps causam. homines enim nos tum tandem quiescimus, cum causam didicerimus. Ac dicit propter hoc facta esse reiectionem, hoc est immutationẽ & eiectionem præcedentis mandati, hoc est prioris testamenti, eo quòd inuentum sit infirmum & inutile. Quid igitur? Nemini profuit lex? profuit quidem: uerùm ut perfectos faceret, non profuit. Infert igitur: Nullum enim ad perfectum adduxit. Quomodo autem erat infirma? Quòd solis denũciaret literis, Hoc fac, isthuc prętermitte, nihil autem uirium subministrabat, quibus mandata perficerentur: quod nunc cõtingit nobis per spiritum paracletum. At verò insultant hîc legem calumniantes hæretici: Ecce, asserentes, diuus etiam Paulus legem reprehendit. Atenim non dixit eam prauam, ô insipientes, uerùm & inutilem & infirmam, ad consummandum uidelicet. Quemadmodum enim lac utile est infantibus pro ea ætate, adultis autem & perfectis inutile: haud secus lex imperfectis Iudæis erat utilis, abducens eos ab idolis, & uero Deo adducens, conuenientiaq; mandata eis tradens. Perfectiorum autem indigis non porrò utilis est. carnales enim præcipiebat cùm uictimas, tum purificationes, quibus spirituales non indigent: propterea nunc reprobata est. Reprobatio autem est regnantiũ reprobatio. Lex itaq; regnabat olim, cum tempus ei relictum esset.

Iudæorum spes.

Introductio autem melioris spei, per quam proximamus ad Deum.] Reprobatum est, inquit, præceptum legale: superinducta verò est spes, non qualis erat Iudaica. sperabant enim & illi, cum Deo placerent se obtenturos promissam terrã, hostibus item superiores se futuros, adeoq; omnino incorporalia bona sperabant. Nostra verò spes nõ est eiusmodi, sed multo potior. cœlum enim speramus, ac ut uicini simus Deo, atq; assi- B
Suprà 6. stamus ac ministremus ei unà cũ angelis. In superioribus sanè dixit, Ingredientem in interiora uelaminis: nũc autem, Per quam appropinquamus Deo. Spes enim nos ducit ad ipsum diuinum thronum, atq; cum Cherubim collocat.

Et quantum est non sine iureiurando.] En aliud discrimen noui sacerdotis & ueterum, & utriusq; testamenti. Non enim simpliciter promissum est Christi sacerdotium,
Ibidem. sed cum iureiurando: ut abundè satis uerbum Dei ratum & firmum redderetur: quod & suprà dixit, Iurauit Deus Abrahamo, ob maiorem certitudinem.

Psal. 109. Alij enim sine iureiurando sunt facti sacerdotes, hic verò cũ iureiurando, per eum qui dixit ad illũ, Iurauit Dominus, & nõ pœnitebit eum, Tu es sacerdos in æternũ secundum ordinem Melchisedec.] Sacerdotes, inquit, legis absq; iureiurando constituuntur. de nullo enim inuentus est iurasse Deus, Tu eris sacerdos secundum legem: Christus aũt cũ iureiurando quod factum est per Deum dicentem ad eum, Tu es sacerdos, nouo quodam modo. Non enim secundum Aaronem, sed secundum Melchisedec Christus est sacerdos.

In tantum melioris testamenti sponsor factus est Iesus.] Hoc est, quatenus iurauit semper ipsum fore sacerdotem, nõ enim iurasset, nisi maior esset. Proinde nouũ quoq; testamentũ ueteri est præstãtius. Quid aũt est ἔγγυος, sponsor? fideiussor, mediator.

Et alij quidem plures facti sunt sacerdotes, propterea quòd morte prohiberentur permanere. Hic autem eo quòd maneat in æternum, sempiternum habet sacerdotiũ.] Excellentiã hîc etiam indicat quã Christus habet supra legis pontifices: Illic, inquiens, multi sunt, eo ꝙ mortales sunt: hîc verò unus est, eo ꝙ sit immortalis. Habet igitur sacerdotiũ ἀπαράβατον, sempiternũ, hoc est, quod non præcidatur, nec successionẽ recipiat. Animaduertis tanto maiorem esse Christũ, quanto immortale prestantius est mortali.

Vnde & saluare in perpetuum potest accedentes per ipsum ad Deũ.] Quia, inquit, immortalis est, potest omnibus præesse ac seruare in perpetuum. hoc est, non temporariam salutem impertiri, sed enim perpetuam, tam hîc q̃ in futura uita. Siquidem in ueteri testamento pontifex etiamsi præclarus & omnibus admirationi esset, illo tamen
1. Reg. 7. & 9. et 16. solummodo tẽpore offerebat, quo pontifex erat, uelut Samuel, & qui illiusmodi: post hac autem non item, morte nanq; impediebantur. Hic autem sempiternus, ac nunquam

quam non uiuens est pontifex: igitur perpetuò etiam seruare potest hoc est semper accedentes per ipsum, hoc est per fidē in ipsum. Nam qui in filiū credit, omnino ad patrē accedit, nam ipse est uia ad patrē: quā qui apprehenderit, ad patrē diuertit & hospitat. Ioan. 14.

Semper uiuens ad interpellandum pro ipsis.] Propter carnem adeò humiliter hoc dictum est: secundum carnem enim pontifex est sanè. quatenus autem pontifex est, eatenus intercedere dicitur. Nam qui mortuos excitat & uiuificat instar patris, quomodo iam ubi conseruare eum conuenit, interpellat: Qui omne iudicium habet, quomodo intercedit: Qui emandat angelos, ut hos quidem in caminū iniiciant, illos uerò conseruent: Propter humanam igitur naturam hoc dictum est, ꝙ intercedat. Condescendens enim atq; attemperans sese auditoribus Paulus, Ne metuatis, inquit, neq; dicatis, Nec amat quidem nos, & fiduciam habet ad patrem, sed non semper potest curam gerere nostri. ne hoc dicatis. Viuit enim: & semper pontificium opus pro nobis perficere potest. Quando autem humanitatem dixero, nō segrego ipsam à diuinitate, una enim enim utriusq; est persona uel subiectū. Do uerò auditoribus, ut quę utramuis naturam deceant, intelligant. Præterea illud ipsum ꝙ Christus carnem ferens patri assidet, intercessio est pro nobis, tanquam caro pro nobis exoret patrem, ut quæ ob hoc ipsum omnino sit assumpta, nimirum ob nostram salutem. Ioan. 5. Matt. 13.

Talis enim decebat ut nouus esset pontifex, sanctus, innocens.] Perspicuum est ex his, ꝙ & hæc de carne loquatur, & quæ antehac dixit. Quis enim de Deo talia dixerit, & non erubescat incomprehensibili illi naturæ hæc apponere? Sanctus igitur est qui nihil eorum quę facere debet omittit. ἄκακος aūt, hoc est dolo & malo carens. Non enim inuentus est, inquit, in ore eius dolus. ἔσιος quis. ἄκακος quis. 1. Pet. 2.

Impollutus.] Neq; has quispiam dixerit Dei esse laudes: naturam enim habet ut nō polluatur. Atqui perspicuum est quòd de humanitate unius Christi hæc dicat.

Segregatus à peccatoribus, & excelsior cœlis factus.] Pontifices legales, inquit, etiāsi cætera fuerint sancti, ut homines tamen aliquid uitij attrahunt, nec omnino seiuncti sunt à peccatoribus. Quî enim hoc fieri possit, cum & ipsi peccatis sint obnoxij? Præterea nemo ipsorum in cœlis fuit: noster uerò hic pontifex, præterquam ꝙ plenus sit omnis uirtutis, & à peccatoribus segregatus, altior etiam ipsis cœlis factus est, super paterno solio sedens. Cum factus ait, rursus planum fit ꝙ de Christo loquatur secundum carnem. Vt Dei enim uerbum, semper erit cœlis altior.

Qui non habet necessitatem quotidie quemadmodum pontifices prius pro suis delictis hostias offerre, deinde pro populi.] Nostrum pontificem à peccatoribus seiunctum esse cum dixisset, dilatat nunc, & fusius isthuc commonstrat. Adeò liber est à peccatis, inquit, ut & uictimam uel hostiam offerens proprium corpus, non pro semetipso hoc obtulerit, quomodo enim, qui peccatum non fecerat? sed pro nobis. Insuper & aliud colligitur. Legis Mosaicæ pontifices quotidie offerebant, ut qui non possent semel purificare. Noster autem pontifex huiusmodi obtulit sacrificium, quod adeò præclara potuerit, ut semel per ipsum uniuersum mundū purgarit. Quare & in hoc excellit illos Christus.

Hoc enim fecit semel se offerendo.] Quale hoc? ut offerret pro populi peccatis, non pro semetipso. semel, inquit, sacrum fecit, postea uerò ut Dominus sedet. Ne enim cum audis eum esse sacerdotem, existimes eum perpetuò stare, ac ministrum esse, ostendit quòd per dispensationem factus est sacerdos: dispensatione autem transacta, proprium rursus decus & fastigium recepit.

Lex enim homines constituit pontifices, infirmitatem habentes.] Ne intellīgas ꝙ semel quidem obtulerit, uerumetiam pro semetipso: astruit nunc quòd non pro propriis obtulerit uictimā peccatis: lex enim †nudos & simplices homines pontifices facit infirmitati obnoxios, hoc est, ꝙ nō possint obsistere peccato, sed qui ceu infirmi impingant, & in errores & peccata ruant. Hic uerò qui adeò potens est ut filius, quomodo peccatum habeat? peccato aūt nō infectus, cur offerret pro seipso? Sed ne pro aliis quidem sæpenumero, sed semel tantum. Cum enim potens esset, sufficiebat per oblationem quæ semel fieret, totū ac uniuersum perficere. Per infirmitatē aūt, ipsum pariter peccatum intelliges, perinde ac sæpenumero Paulus hic dicit: uel ipsam adeò mortē. Nam cū mortales essent legales pontifices & infirmi, neq; ipsi peccatis caruerūt, neq; a- †ψιλὸς, nudos, diuinitate carentes. Rom. 5. & 14. & 1. Cor. 8. & 11.

lios ab ijs mũdare potuerũt. Noster uerò immortalis est & fortis. Audi uerò & reliqua. A

Sermo autem iurisiurandi quod post legem est, filium in æternum perfectum.] Observa contraria. Illic lex, hîc sermo uerò iurisiurandi, hoc est, certissimus, ueritimus: illic homines serui omnino, hîc uerò filius, Dominus uidelicet: illic infirmi, hoc est, impingẽtes, peccatis infecti, morti obnoxij: hîc uerò in sempiternũ pfectus, hoc est, potẽs, sempiternus, nõ nũc solũmodo impeccabilis, sed semper. Si igit perfectus est, si nunquã peccat, si semp uiuit, quomodo igitur pro seipso obtulit, aut alioqui pro alijs frequẽter?

CAPVT VIII.

Caput quid dicitur.

CApitulum autem super ea quæ dicuntur, Talem habemus pontificem, qui consedit in dextera sedis maiestatis in cœlis.] Capitulum siue caput semper quod maximũ est, & summa rei dicitur, & siquando quispiam quod præcipuũ est, se paucis comprehensurum dicit, in summa sese uerba facturum dicit. Vt enim caput, licet paruum sit, præcipua tamen corporis pars est: ait igitur etiam nunc apostolus, Caput autem, eorum quæ dicuntur, hoc est, ut dicam quod maximum est & præcipuum, breuibus, Deum habemus pontificem, considere enim, nullius est alterius, quàm Dei. Obserua autem quòd quum alia multa humilia dixisset, quod genus sunt, pontifex, intercedere ad patrem, & quæcunq; humanitatis sunt, in altum ascendit, & ad id quod deitatis est nempe sedere. Facit autem hoc semper, sicut & præceptor eius in euangelio, ut per parua & humilia manuducat auditorem ut uerbum recipiat, alioqui enim non assequitur auditor, nisi paulatim ascendat: per sublimia autem discces quòd illa se demittendo & ad captum humanum se accommodando, dixerit. Thronum autem maiestatis, patrium dicit, uel quòd pater etiam ipsa maiestas dicatur: uel quòd simpliciter thronus maiestatis, sit thronus maximus.

Sedere deitatis est.

Sanctorum minister.] Quemadmodum terreni pontifices ingredientes in sancta sanctorum ministrabant, hunc ad modum reuera sanctorum, ac uerorum arcanorum, supercœlestium nimirum, est minister. Videtur autem sibi ipse hîc aduersari Paulus. in primordijs enim epistolę dixit, Ad quem angelorum dixit, Sede? &, Nónne omnes ad ministratorij spiritus sunt? quasi uidelicet administer sedere non deberet. Hîc uerò posteaquam asseruisset eum sedere in dextera throni, rursus inducit eum ministrum. Quî igitur isthuc sit? Aut ut omnino indulgeat auditoribus, atq; humilia summis permisceat, hæc dicit. Vel ut nonnulli intellexerũt, minister sanctorum, pro sanctificatorum ab ipso hominum. Noster enim, inquit, pontifex est.

Supra 1. D

Ac tabernaculi ueri quod fixit Dominus, & non homo.] Hîc excitat eos qui ex Iudæis crediderant. Quia enim uerisimile erat eos dubitando dicere, Tabernaculum huiusmodi non habemus. En maius, inquit, tabernaculum hîc & uerum, cœlum ipsum. Vetus nanquè tabernaculum figura erat huius, & illud quidem homo fixit, uel Beseleel, uel Melchisedec, hoc autem Deus. Hinc obserua secundum diuum Ioannem Chrysostomum, quòd cœlum neq; moueatur, neq; rotundum sit, utraq; enim tollit quod ait, fixit.

Exod. 4.

Cœlum beatorum neq; mouetur, neq; rotundum est.

Omnis enim pontifex ad offerendum munera & hostias constituitur, unde necesse est & hunc habere aliquid quod offerat.] Quia dixerat eum sedere, ne imposturam arbitreris dicere eum sacerdotem esse, etiamsi, inquit, sedeat, propterea tamen non amisit ut sit pontifex. omnia namque quæ sunt pontificum, habet, ac quemadmodum illi offerunt, sic & ipse obtulit semetipsum. Sedere nanque dignitatis est ipsius: pontificatu autem fungi, multæ magnæq; est clementiæ. Quin & aliter intelligere licet. Quandoquidem inquirerent nonnulli quur mortẽ subijsset, si filius Dei ac sempiternus erat, diluit hoc, inquiẽs: Postquam sacerdos erat, sacerdos autem sine hostia nõ est, necessarium erat habere quiddam & hunc quod offerat. Hoc autem nihil erat præter ipsius corpus. necessariò itaque mortuus est. Inter donum siue munus, & hostiam siue uictimam, si exactam spectes rationem, aliquid est discriminis. θυσίαι, uictimæ uel hostiæ sunt, per sanguinem & carnem oblationes: uel quod exactius est, omnia, quæ per ignem sacrificantur. θυσία enim, id est uictima, propriè est à uerbo θύειν, quod est θυμιᾶσθαι, hoc est adolere, uel suffitum edere. Dona autem sunt, ut fructus, & quæcunq; alia incruenta & igni carentia. Interim tamen & indiscriminatim in scriptura usurpata inuenitur. ut, Respexit Deus ad Abel, & ad dona uel munera eius, fuerant aũt ex primogenitis

Donum & uictima differunt.

Gen. 4.

mogenitis & ex ouibus. Ad Cain autem & uictimas eius non attendit, atqui à fructib. terræ erant. Sin quisquam explanare & adæquare conetur hoc frigidis dilutionibus, quas ne ipsi quidem ignoramus, seipsum tamen nescio quomodo absoluet, ne insimuletur indiligentis scripturarum lectionis. Sæpe nāq; alibi indiscriminatim hæc sunt posita. Posset, ut innumeros locos innumeris conferre & apponere, nisi ineptum hoc uideretur negocium: attamen sufficiet nobis hic ipse Apostolus, qui simpliciter quæcunq; offeruntur, sic appellare consueuit in sequentibus, & audi.

Nam si super terram esset, non esset sacerdos, cum sint sacerdotes qui offerant secundum legem munera.] Adhuc illud cōfirmat. Etiamsi non sit infrà super terram, sed suprà in cœlis, non prohibetur tamen propterea, quin sit sacerdos. Animaduerte autem hic sapientiam. Ex quo enim magis quispiam colligeret eum nō esse sacerdotem, nimirum quòd non habeat locū super terrā, in quo pontificatus munere fungatur, ex hoc ipse potius confirmat quòd sit sacerdos. Propter hoc ipsum, inquit, sacerdos est, quòd in terris locum nō sit nactus. Si enim super terram esset, sacerdos non esset. erant enim alij in terris sacerdotes, & ad factionem res ista pertinere uideretur. Iam uerò cū ipsum cœlum habeat locū, & illuc corpus suum transtulerit, illic interpellat pro nobis ad patrem: itaq; quia in supernis est, propterea magis est sacerdos.

Qui exemplari & umbræ deseruiunt cœlestiū.] Hic excellentiam ostendit sacerdotij quod hic infernè gerimus: uetus quidem exemplar & umbram nominās, nostra uerò, cœlestia. Quādo enim nihil terrestre, sed omnia sint spiritualia quæ in mysterijs trāsiguntur & sacramentis, ubi hymni angelici, ubi claues regni cœlorum, peccatorumq; remissio, & rursus nexus & ligatio, quando nostra conuersatio in cœlis est, quomodo non cœlestia, quæ sunt apud nos? Horum igitur figuræ fuerunt & exemplaria, hoc est, obscuræ picturæ, quæ in ueteri testamento submonstrata sunt Mosæ.

Sicut responsum est Moysi cum consummaturus esset tabernaculum. Vide enim, inquit, omnia facito secundum exemplar quod tibi ostensum est in monte.] Exod. 25.

Postquàm ea quę oculis nostris cernuntur, magis deprehendimus, q̄ quę per auditum discimus, propterea Deus Mosi monstrauit omnia, non solùm constitutionem tabernaculi, uerum etiam quæ ad sacrificia & aliam culturam pertinerent.

Nunc autem excellentius assecutus est ministerium.] Ab illa sententia hæc dependent, nimirum: Si enim super terram esset, non esset sacerdos. Iam uerò cum super terram non sit, sed cœlum habeat sacerdotio suo locum, excellentius assecutus est ministerium, hoc est, non est ei ministerium tale, quale est pontificum super terram, sed cœleste, tanq; locum habens proprij sacrificij cœlum.

Quanto & melioris testamenti est mediator.] Cum extulisset Christi sacerdotiū à loco, à sacerdote & uictima, sic & testamenti excellentiam ponit. Atqui dixit quidē etiā prius imbecille esse & inutile uetus testamentū, propter infantiā & imbecillitatē auditorū, sed ptinus ab ea discessit disputatione. Nūc aūt hac de re disserēdo diutius immoratur, cōmonstratq; nouū testamentū esse præstantius ueteri, hoc est euangeliū, cuius & mediator ac dator est Christus. Ipse namq; nobis Euangelij minister factus est, serui forma accepta, quemadmodum legis mediator erat Moyses. Suprà 9.

Quod in melioribus repromissionibus sancitū est.] Quod potissimùm eos qui ex Iudæis crediderāt fideles refocillabat, hoc ponit, nempe quòd testamenti nostri meliores sint & prēstātiores promissiones. Nō enim terrę bona, prolisq; fœlicitas, & liberorū abūdantia, sed cœlorū regnū Euangeliū seruantib. ꝓmissū est. Ne igitē sitis pusillanimes, excellentiores sunt euāgelij promissiones. Stultū est aūt potiora habentes defatigari. Deut. 28.

Si enim primum illud erat irreprehensibile, non utiq; secundi locus inquireret.] Cōsidera ordinem. Dixit melius esse testamentum secundū Christum, ueteri. Vnde hoc planum fit: quoniam, inquit, in melioribus promissionibus sancitum est. Nā si potiores sunt promissiones, & retributiones, perspicuū est quòd melius sit etiā testamentū, ac promissa diuiniora. Vnde aūt liquet q̄ prēstātiores sint promissiones? Quia illud quidem reiectum & abrogatum est, inquit, hoc uerò surrogatum. Propterea nanq; nouū testamentum regnat, & primatum obtinet, quia melius & perfectius. etenim si illud esset irreprehensibile, hoc est, si irreprehensibiles faceret, nequaquā alterū introduceret. Vel perinde ac peculiariter consueuimus dicere, Nō est irreprehensibilis domus, ꝓ eo

quod est, defectum habet uel putredinem: sic & uetus testamentum dicit non esse irre prehensibile, non quòd prauum sit, uerùm quòd non possit consummare, ut quod par uulis traditum sit. A

Incusans enim eos dicit.] Nõ dixit, Incusans ipsum, uidelicet testamentum: sed, Eos, hoc est Iudæos, qui non potuerunt consummari per legis præcepta.

Hier. 13. Ecce dies uenient, dicit Dominus, & cõsummabo super domum Israel, & super domum Iuda testamentum nouum.] Apertius hîc demonstrat uetus testamentum esse antiquatum & abrogatum. Deum enim per Hieremiam inducit loquentem. Aliud nouum fœdus disponam, hoc est, nuper omnino institutum, non quemadmodum intelli-

Esdras. gunt Hebræi, quòd Esdras renouarit scripturam. non enim per eum noua facta est scriptura, sed rursus uetus mansit, etiamsi ab illo recollecta sit.

Non secundum testamentum quod feci patribus eorum, in diebus quibus apprehendi manum eorũ, ut educerem illos de terra Aegypti.] Ne quis suspicetur fœdus ac testamentum illud eiectum esse, quod pepigerit Dominus cum Abrahamo, adiecit, In

Exo. 32. die qua apprehendi manum eorum. Fœdus enim, inquit, quod est in Exodo, ejicere

Gen. 22. uolo, quod datum est in monte Sina patribus uestris qui uitulum fecerant. Testamen-

Galat. 3. tum enim seu fœdus ad Abrahamum factum, in Christo cõsummatum est. In semine, inquit, tuo benedicentur omnes gentes. In semine tuo, qui est Christus.

Quoniam ipsi non permanerũt in testamento meo, & ego neglexi eos, dicit Dominus.] Viden' primùm à nobis mala initium ducere? Ipsi, inquit, non permanserunt, propterea & neglexi eos. Bona quidem & beneficia ab ipso ordiuntur & originem ducũt. Quasi ergo se defendat, causam ponit ob quã derelinquat eos: propter ipsorum, inquit, inconstantiam.

Quia hoc est testamentum quod disponam domui Israel post dies illos, dicit Dominus.] Post dies illos, quales? Nonnulli dicunt dies exitus, in quibus data est lex Mosaica. Mihi autem uidetur de illis diebus loqui, de quibus pauloantè dixit, Ecce dies uenent. Cũ ergo uenerint dies illi, huiusmodi testamentũ disponã, quale deinceps audies. B

Dans leges meas in mentem ipsorum, & in corda eorum inscribam illas.] Ostendat hîc quæso Iudæus quando legem sine scriptis acceperit. Etenim post reditum è captiui

2. Esdr. 8. tate Babylonica, literis mandata est ab Esdra. Apostoli uerò nihil scriptum acceperũt:

Act. 2. enimuero in cordibus suis acceperunt legem spiritus. Hinc Christus dixit, Paracletus

Ioan. 14. ubi uenerit, suggeret uobis omnia, ac docebit uos omnia.

Et ero eis in Deum, & ipsi erunt mihi in populum.] Hoc transactum est per euangelium. Qui enim antea idola colebant, nunc uerum Deum agnoscentes, populus eius facti sunt.

*τὸν πολίτην ciuem: alij legũt τὸν πλησίον proximum.

Et non docebunt unusquisq; * ciuem suum, & unusquisq; fratrem suum, dicens, Cognosce Dominũ: quoniam omnes scient me à paruo ipsorũ usq; ad magnum ipsorũ.] Doctrinam hîc laboriosiorem institutionem dicit. Ecce enim palàm cernimus quòd nõ multis uerbis apud mentis cõpotes indigeamus ut persuadeamus eis ut Christo fidẽ adhibeant. Iudaica quidem legislatio in unũ angulum concluſa erat, paucíq; hanc norãt: Apostolorum autem sonus in omnem terram est egressus. Et aliter: Cum Deus super terram in carne uersatus esset, naturãq; nostram per assumptionem deificasset, resplenduit in omnium animis ueræ cognitionis Dei lumen, ac ueluti quædam aptitudo insita est humano ingenio per gratiam, ut Deum uerum agnosceret.

Quia propitius ero iniquitatibus eorum, & peccatorum eorum & iniquitatum eorũ non memorabor amplius.] Per baptisma abluens nos à sordibus præteritorũ peccatorum, non amplius meminit eorum quæ antea fuere abluta.

Cum dicit nouum, antiquauit primum.] Interpretatur propheticum uocabulum, inquiens: Quia hoc ipsum quod omnino nouũ nominauit, indicat primũ uetus uideri.

Quod autem antiquatur & senescit, prope interitum est.] Accepta à propheta libertate & fiducia, deinceps legem taxat, ostendens nostra nunc florere. Ex propheti-co autem dicto uetustatis uocabulum adeptus est, à se ipso autem senectutis adiecit, ac deinceps necessariò intulit obscurationem quæ debeatur legi. perinde quasi dicat: Non importunè nouum uetus repulit, siue cessare fecit. propter ipsum senium enim & uetustatem eius hoc factum est: hoc est, propter imbecillitatem & inutilitatem.

perinde

perinde ac alio in loco dicit: Nam quod impossibile erat legi, in quo infirmabatur per carnem. Rom. 8.

CAPVT IX.

HAbebat quidem prius iustificationes culturæ.] A sacerdote, à sacerdotio, à testamento cõmonstrauit quòd prius illud finem esset habiturũ: iam & ab ipsius tabernaculi forma idem commonstrat. Tres enim fuerunt loci, exterior quidem omnibus, & Iudæis & Græcis destinatus: deinde erat uelamen, intra quod ingrediebantur sacerdotes quotidie sacrũ facientes. Hic aũt locus appellabat Sancta: quæ typus fuerunt ueteris testamenti, uictimarum uidelicet & oblationum quæ per sanguinem illic peragebantur. Sancta uerò sanctorum nostri mysterij siue sacramenti figura fuerunt. Habebat igitur primum, hoc est uetus testamentum, iustificationes, hoc est, symbola, instituta, legislationes. Atenim tum habebat, nunc uerò non habet: cessauit enim.

Et sanctum * seculare.] Mundanum uel seculare appellabat, quia omnibus ad id patebat aditus, eratq; locus cõspicuus & apertus in ea domo, ubi Iudęi, Nazaræi, proselyti, Græci. Quia igitur & Græci in illud ascendere poterant, seculare appellat. * κοσμικὸν mundanum

Tabernaculũ enim factum est primũ, in quo erant candelabra, & mensa, & propositio panum, quæ dicitur sancta.] Primùm appellat hoc, respectu eius loci qui dicitur Sancta sanctorum, quia medium erat hoc. Ante ipsum autem erat æreum altare holocaustorum sub dio constitutum: deinde uelamine extenso, imò uero attractorio potius, * medium hoc erat tabernaculum, in quo erant candelabra, & mensa, & panum propositio. Exod. 40. * Medium hoc dicetur si sanctũ seculare primum uoces.

Post secundum autem uelamen, tabernaculum quod dicitur sancta sanctorum.] Animaduertis hic primum fuisse uelamen, quod ἐπισπαστὸν, hoc est attractorium scriptura appellat, ueluti quod cõuoluatur & attrahatur, quod dirimebat aulam siue locum illũ subdialem, in quem ingrediebantur omnes communiter, in quo & sacrificabant super æreo altari, à tabernaculo undiq; capiente sacerdotes sacra ministeria perficientes. Hoc ubi transisses, erat rursus alterũ uelamen, & intra hoc tabernaculum quod dicitur Sanctum sanctorum, in quod nemo alius introibat præter solum pontificem, idq; semel in anno. Tabernaculum autem ubiq; uocat, quod illic Deus habitaret ac ueluti tabernaculum siue tentorium poneret. Exod. 30.

Aureum habens thuribulum, & arcam testamenti circumtectam ex omni parte auro.] Arcam testamenti seu fœderis appellat, ut quæ tabulas haberet quæ legem complectebantur.

In qua urna aurea habens manna, & uirga Aaron quæ fronduerat, & tabulæ testamenti.] Hæc omnia Iudaicæ ingratitudinis erant monumenta. Urna quidem habens manna, eo quòd murmurarint aduersus isthuc, cum nouo isto cibo diuinitus ac cœlitus alerentur, & in posteros memoria Dei benignitatis, & illorum amarulentiæ transmitteretur. Virga autem Aaronis, propter contradictionem aduersus illum excitatam. Tabulæ uerò testamenti, quandoquidem primas confregerant per idololatriam. Quæras hîc, Quî ergo in libris Regum scriptum sit quòd non erat aliud quiddam in arca præter tabulas, nunc uerò & urnam apostolus, & uirgam Aaronis huc repositam asserit? Fortasse igitur ut qui optimè institutus erat in rebus Iudaicis à Gamaliele, ex traditione hoc habebat, postquam hodieq; Pharisæorum sectam ex Hebræis tuentes, adsentiuntur rem ita sese habere. Veruntamen primùm non fuit, cæterùm quãdo erat occultanda arca temporibus Hieremiæ, forsan, inquiunt, reposita sunt & hæc in arca. Exod. 16. Num. 17. Exod. 25. 3. Reg. 8. Act. 22.

Supra ipsam autem.] Videlicet arcam.

Cherubim gloriæ.] Vel quòd celebria essent Cherubim, uel quòd ministrarent Deo, & ad gloriam eius pertinerẽt. Hæc aũt studiosè attollit, ut nostra ostendat esse maiora.

Obumbrantia propitiatorium.] Propitiatoriũ dicebatur operculum arcæ, ut ex ipsa scriptura exactius discès: nec decipiaris quorundam uerbis, ut aliud quiddam esse putes. Significabat autem Christũ, qui propitiatio factus est pro peccatis nostris. Obsignauit autem omnia quæ erant in ueteri testamento, atq; communiuit Christus. Propitiatorium. Rom. 9.

De quibus non est modò dicendum per singula.] Indicat hîc non fuisse sola hęc quę cernerentur, sed ænigmata quædam fuisse, quorum consideratio & explicatio longiori cùm tempore tum spacio indigerent.

His

His uerò ita compositis, in primum quidem tabernaculum semper ingrediuntur sacerdotes sacrificorum officia consummantes.] Erant quidem hæc, sed non perceperũt ea Iudæi, præ arcente uel disseparante eos uelamine. Nobis autem seruabantur hæc, quibus præfigurabantur. A

In secundum autem semel in anno solus pontifex.] Obseruas figuras iam præcessisse. Ne enim dicant, Semel tantùm per Christum facta est hostia, & quomodo omnes sanctificauit? commonstrat hoc antea significatum esse, quandoquidem sanctior erat magisq; tremenda in ueteri etiam testamento semel à pontifice oblata uictima.

Non sine sanguine.] Quia hostiam appellauit crucem, neq; ignem habentem, neq; ligna, quæ nec sæpe etiam offerretur, indicat ueteris testamenti hostiam etiam talem fuisse. semel enim in sanguine offerebatur. Quæsierunt autem nonnulli, quomodo in Exodo scriptum sit: Quoniam faciet suffitum super aureum thuribulum (quod uidelicet in sanctis sanctorum erat) Aaron, ex incenso confectionis subtilis manè: manè quã do apparauerit lucernas, faciet suffitum super ipso: & quando tetigerit Aaron lucernas ad uesperam, uaporem faciet ex thymiamate assiduitatis. Proinde quolibet die bis ingrediebatur, inquiunt, pontifex in sancta sanctorum, ut faceret suffitum ubi erat aureum thuribulum. Quomodo igitur apostolus hîc dicit semel in anno ingressum? Diluunt autem hoc, nempe quòd cum sanguine quotannis semel ingrederetur, cum thymiamate uerò bis in die. Noueris tamen quòd perperam dubitarunt & inscienter. nõ enim aureo thuribulo bis in die uaporem & bonam fragrantiam faciebat Aaron, sed super aureo altari: hoc uerò non erat in sanctis sanctorum, uerùm in medio tabernaculo, in quo erant candelabra & mensa: quandoquidem cum aureo thuribulo semel ingrediebatur in anno in sancta sanctorum. aliud enim thuribulum, aliud altare erat. Apposui autem dubitationem, ut ne ab alijs audiens qui hęc legerit, in errorem inducatur, existimans eam dubitationem esse sanam. xo. 30.

Quem offert pro seipso, & populi ignorantijs.] Rursus pro seipso, inquit. Pontifex enim legalis pro seipso offerebat, Christus autem non pro seipso: quomodo enim, qui segregatus erat à peccatoribus? Itaq; magnum est discrimen inter hunc & illum. Ignorantijs autem dixit, non peccatis, in maiorem metum conijciens & ueteres Iudæos, & omnes, ac comprimens fastum & superbiam. Etiamsi uoluntarius non peccasti, ignorans tamen peccasti, à quo nemo est purus. Quidam existimarũt quòd hinc discrimen ostendês sacrificij Christi & legis oblationum, sic dixerit: Legis oblationes & sacra, ex ignorantia admissa delicta remittebant: Christi autem sacrificium, peccata etiam scienter commissa, dimittit & condonat. B

Peccamus etiam ignorantes.

Hoc significante spiritu sancto, nondum propalatam esse sanctorum uiam, primo tabernaculo adhuc habente statum.] Orditur deinceps anagogicè, ac diuiniori quadã ratione contemplari quæ de tabernaculis dicuntur: Quia, inquit, sancta sanctorum in accessa erant reliquis sacerdotibus, quæ figura sunt cœli. Nam primum tabernaculum, hoc est quod erat post exteriorem æream aram, primò statim occurrens, perpetuò ipsis quidem patebat, symbolum cum esset cultus & rituum legalium, typicè significabat, quod quandiu consisteret tabernaculum: hoc est, tantisper dum lex floreret & regnaret, perficerenturq; secundum eam culturæ & sacra, in sancta sanctorum non pateret aditus, hoc est, in cœlum ingressus talia sacra perficientibus, uerùm non conspicuus esset hisce, sed occlusus, soli autem uni pontifici Christo segregata fuit hæc uia, & destinata.

Quæ est parabola temporis instantis, in quo munera & hostiæ offeruntur, quæ non possunt iuxta conscientiam perfectum facere seruientem.] Quod præmemoraui, illud nunc apostolus ait, Tabernaculum illud in quod semper ingrediebantur sacerdotes, erat parabola, id est figura & adumbratio secundum legem instantis temporis ante aduentum Christi. Quo tempore eiusmodi sacrificia offeruntur adeò imbecillia, ut non possint secundum conscientiam, hoc est, interiorem hominem, consummare talia offerentes. corporum enim sordes, non animarum purgabant. non enim adulterium aut sacrilegium remittere potuerunt.

Tantũmodo in cibis & potibus & in uarijs baptismis & iustificationibus carnis, ad tẽpus usq; correctionis imposita.] Tantũmodo, inquit, imposita hominib. qui tũ uiue-

bant

Abant, & iniuncta de cibis & potu. Hoc enim, inqt, uescere, hoc uerò ne uescaris. Quomodo autem dixit potum? Atqui de potu dicit, quod sacerdos non debuerit bibere uinum quãdo ingressurus esset in sancta. Vel de his dicit qui uota, hoc est, promissiones faciebant de uini abstinentia, sicut & Nazarei: uel ut simpliciter uilescere faciat huiusmodi ordinationes & ritus, atque ut eos perstringat, hoc dixit. Varij aũt baptismi apud eos erant. nam si mortuum attigisset quispiam uel leprosum, & si semine fluxisset aliquis, abluebatur, eaq; ratione uidebatur mundus reddi.] Hæ autem iustificationes fuerunt carnis, hoc est, mandata carnalia carnem purgantia, adeóque carnaliter iustificantia eos qui secundum carnem impuri censebantur. Non tamen ad finem usque talia mandata ceruicibus eorum imminere debebant, cæterùm ad tempus correctionis, hoc est ad Christi usq; aduentum, qui hęc emendaturus erat, ac uerum & spiritualem Dei cultum introducturus. Quia uerò lex graue iugum erat, meritò dixit Imposita. perinde ac in Actis apostolorũ memoriæ proditum est: Quid tentatis imponere iugum super ceruices discipulorum, quod neq; patres nostri baiulare potuerunt?

Leuit. 10. & 11.

Num. 19. Iudæorũ baptismi.

Act.

Christus autem accedens pontifex futurorum bonorum.] Veteris, inquit, testamenti cultus non introijt in cœlum: Christus autem accedens, semel ingressus est in sancta, ad eum enim usq; locum redditur sententia. Non dixit autem factus, sed accedens pontifex, hoc est, in hoc ipsum ueniens. Non prius accessit, & deinde casu ita eueniente, factus est pontifex: sed scopus quur in terram ueniret, pontificatus erat. Nõ dixit autem eorum quæ mactantur & sanctificãtur pontifex, sed enim futurorum bonorum: tanq; non posset sermo exhibere uniuersum exactè, simpliciter & indefinitè bona uocauit quæ nobis conferuntur. Futura uerò dixit, conferendo ad legis tempus. Vt enim illud instans uocauit, sic quæ Christi sunt, futura appellat, ad comparationem illius, uel reuelandorum etiam nobis in futuro seculo mysteriorum.

Per amplius & perfectius tabernaculũ.] Carnem dicit hîc maius esse tabernaculum, B quatenus & Deus uerbum, & omnis spiritus operatio demoratur in ipsa. Non enim ex mensura impertit Deus spiritum. Perfectius autem, tanquã perfectiora transigens.

Non manufactũ, id est non huius creationis.] Hîc insultant hæretici, dicentes cœleste esse corpus & æthereum. Atqui si cœleste putasset apostolus & æthereum, quomodo dixisset non huius esse creationis? non enim extra creaturas cœlum est. Quid igitur est quod dicit? Quoniam uetus tabernaculum manus Beseleeli artificis fecerunt, Dei autem uerbi tabernaculum spiritus constituit: propterea dixit ipsum non esse huius creationis, id est harum creaturarum, cæterùm spirituale & diuinum. Creaturarum enim nulla habet in sese Deum uerba secundum substantiam, caro autem Christi secundum substãtiam unita & coniuncta erat huic. Secundum materiam igitur corpus Domini nostro erat simile, & eiusdem nobiscum essentiæ, nempe ex immaculatis sanguinibus diuæ uirginis compactum: secundum modum uerò cõstitutionis supra nos fuit, & quia secũdum * substantiam unitum fuit Deo uerbo. Vel quia materia ueteris tabernaculi ligna & pelles fuerunt, & aurum & argentum, & æs, ac texturæ quædam, ad hæc respiciens dixit apostolus quòd non sit huius conditionis, qua indiguerit taberna culum uetus. Omnino enim per comparationem effert orationem. Christi excellentiam demonstrans. Vocat aũtem corpus Domini & tabernaculũ, ueluti hîc quòd commoretur in eo unigenitus Dei filius: & uelamentum, eo quòd cõtegat diuinitatem. Vocat & cœlum ijsdem his nominibus, tabernaculum, quòd illic sit pontifex: uelamen autem, ueluti sanctis per ipsum communitis ac defensis.

Exod. 36. Luc. 1.

* ὑπόστασιν.

Exod. 36.

Neq; per sanguinem hircorũ aut uitulorum, sed per proprium sanguinem.] En omnia sunt diuersa. Quanta uerò est excellentia sanguinis diuini ad sanguinem animalium cum quibus pontifex ingrediebatur?

Introijt semel in sancta.] Hoc est, in cœlum.

Aeterna redemptione inuenta.] Non temporaria purgatione, ut erat illorũ, sed æterna, libertate uidelicet animarũ à peccatis. Vel quia semel ingressus per unũ introitũ, æternũ nobis beneficiũ cõtulit. Vide aũt q̃d ait, inuẽta. Ceu prẽter expectationẽ facta re, sic hac dictione usus est. libertas enim nobis dubia erat, uerùm ipse nobis hãc inuenit.

Si enim sanguis taurorũ & hircorum & cinis uitulæ aspersus, inquinatos sanctificat ad

Leuit. 16.

ad emundationem carnis.] Quia fortasse plerisq; ut creditu difficile uidebatur, per obla A
tionem unam & sanguinem unius, redemptionem æternam exhibere: confirmat hoc, indicans hoc ueri simile & creditu facile ex ipsorum Iudæorũ opinione, & sua. Si enim uos, inquit, credebatis mundari consperſi sanguine uitulæ, ac rursus cinere aqua mixto (seruabatur enim cinis ad purificationem prophanatis ac pollutis) quomodo Christi sanguis non purgabit animas? Animaduerte prudentiã. Non dixit q; purgarit sanguis hircorũ, sed sanctificarit: nõ q; legalia glorificet, sed ut efficiat quę uelit. Si enim sanguis hircinus præstitit sanctificationem, ut creditis: multo potius credere debetis Christi sanguinem sanctificationem præstare. Quòd enim hæc nõ dixerit ut Iudaica extollat, uide quomodo apposuerit, Ad emundationem carnis. sanctum enim erat, nõ quòd animas purgaret, sed carnem.

Quanto magis sanguis Christi, qui per spiritum æternum seipsum obtulit immaculatum Deo.] Non pontifex quispiam obtulit Christum, sed ipse seipsum: & non per ignem, ut ipsæ uitulæ, sed per spiritum æternum, ut iam & gratia & redemptio sint æterNum. 19. na. Et immaculatum, hoc est, peccati expertem. Nam & in ueteri Testamẽto uitula exigebatur quæ careret omni macula.

Emundabit conscientiam nostram ab operibus mortuis.] Illic quidem dixit sanctificare, adijciendo tamen, quo ad emundationem carnis: hîc uerò cum dixisset, Emundabit, protinus excellentiam demonstrauit. Adducit enim quòd conscientiam mundabit, hoc est, interiorem hominem, quæ conscientia nimirum illic non erat. Et illic quidem qui attigisset mortuum, mundabatur: hîc uerò puritas datur à mortuis operibus, quæ uerè coinquinare possunt, & à Deo abducere.

*καὶ ἀληθι- νῷ, & uero. Sic habet quidem codex Basilienſis, ſed apud alios iſta non habentur.

Ad seruiendum Deo uiuenti * & uero.] Proinde qui mortua opera attingit, nõ seruit Deo uiuenti & uero, sed opera quæ deligit & præfert pro Deo habet. Sic helluo & gastrimargus ex uentre suo Deum facit, sic auarus idolorũ cultor est. Huiusmodi aũt opera mortua sunt appellanda, non solum quod à sempiterna uita aliena sunt, uerũetiã quòd dum peraguntur, execrabilia sint, atq; adeò uana & mendacia, ut quæ nos inescant, & suauia uidentur, cum minimè sint tamen. B

Et ideo noui testamenti mediator est.] Quod non paucos imbecillíorum turbabat, mors uidelicet Christi: Si enim mortuus est, inquiunt, quomodo dabit quod promisit? huic iam Paulus medicinam adhibens, ostendit propter hoc ipsum ratum & firmũ esse testamentum, quia mortuus est Christus. in uiuentibus enim testamentum nõ dicitur. Eam ob rem, inquit, mortuus est, ut nos mundaret, ac in testamento reliquit nobis condonationem noxæ, & paternorum bonorum fruitione, mediator factus patris nostri. Pater enim noluit dimittere nobis hęreditatem, sed irascebatur ut filijs contumacibus, & abalienatis. Christus itaq; mediator factus, reconciliauit nobis ipsum. Quomodo? Quod nos oportebat pati (mori enim debuissemus) hoc ipse pro nobis sustinuit, nosq; dignos testamento reddidit, atq; deinceps testamentum stabile redditum est per mortem filij, ut quod non ad indignos hęreditatẽ transmittat. Etenim testamentũ quosdam
Ioan. 17. hæredes habet. Audí itaq; testamentum Christi, Volo ut ubi ego sum, & illi sint: Alios autem exhæredes. Non pro omnibus uerò rogo, inquit, sed pro ijs qui per uerbũ ipso-
Ioan. 5. rum credunt in me. Testamentum porrò testes habet. Testatur autem de me qui misit
& 15. me, ac paracletus testimonium mihi dicet, & uos testes mei estis.

Vt morte intercedente in redemptione earum præuaricationum quę erant sub priori testamento.] Animaduertis Christi mortem ob nostram redemptionem factã esse? quomodo igitur eã imbecillitatis esse putas, cũ adeò potens fuerit, ut & quę in lege erãt præuaricationes sanarit? Quomodo igitur ad legem confugis, quæ adeò est infirma & impotens, ut neq; præuaricationes quæ in ipsa fiunt, corrigere emendareúe potuerit? Non quia praua erat, sed quia infirma.

Promissionẽ accipiant, qui uocati sunt æternæ uitæ & hæreditatis.] Nisi enim mors Christi liberasset nos à peccatis quibus patrem prouocauimus, atq; hostem nobis fecimus, quomodo accepissemus cœlestem hæreditatem? Vocati autem hoc significat, quòd primùm quidem erga nos, ut pater erga filios, Deus affectus erat, uocatiq; eramus ad hæreditatem: ipsi autem nosipsos per peccata indignos nos fecimus illa.

Vbi enim testamentum, mors necesse est intercedat testatoris. testamentum enim in

mortuis

A mortuis firmum est.] Ne igitur turbet uos mors Christi: nisi enim mortuus esset, ne testamentum quidem condidisset, ut nos hæredes essemus. Est enim extra omnem cõtrouersiam, testamentum post mortem esse ratum: neq; omnino digni essemus hæreditate, si inimicitia nondum esset soluta.

Alioqui nunquid ualet dum uiuit qui testatus est?] Per interrogationem hoc lege, & intellige.

Vnde nec primùm quidem sine sanguine dedicatum est.] Non solum à communi consuetudine firmauit quod dixit, uerumetiam ab ijs quæ in ueteri testamento cõtigerũt, quod uehementius Hebræos perpellebat. Vnde, inquit, hoc est, quia necessariũ est mortem præcedere testamentum, propterea primum testamentum non citra sanguinem dedicatũ est. Sanguis autem mortis est indiciũ. Sed illic quidem agni sanguis, typus enim erat: hîc uerò ueritate refulgente, filius Dei secundum carnem mortuus est pro nobis. Quid autem est * dedicatum siue initiatum est: hoc est, principium constitutionis & confirmationis accepit. Nõ enim aliàs principium accepisset operandi, & ut esset efficax, nisi sanguinis effusio præcessisset. Exod. 24 * ἐγκεκαίνισται.

Cum enim pronunciatum esset uniuersum mandatum secundum legem à Moyse omni populo.] Secundum legem, id est, perinde ac Dominus lege sanxerat, ut mandata eius pronunciarentur ad aures uniuersi populi: uel uniuersum mandatum quod lege continebatur, uel lege cautum fuerat.

Accepto sanguine uitulorum cum aqua & lana coccinea, & hyssopo, ipsum quoq; librum & omnem populũ asperſit.] Quamobrem liber aspergebatur & populus? Vel ut preciosus Christi sanguis antea prefiguraretur, quo nos cõsperſi sumus, & corda nostra, ipsa enim, sunt libri, perinde ac suprà memorauit, Dans leges meas in corda ipsorũ. Aqua autem, baptismatis symbolum fuit. Hic aũt assumuntur sanguis & aqua. Vel quòd ex latere Christi profluxerit sanguis & aqua. uel etiam quòd baptisma, cuius aqua symbolum est, mortem Domini annunciet, cuius sanguis est indicium. Hyssopum autem assumebatur ob uim retinendi propter densitatem. Lana uerò similiter. Vel quia ouis esset Christus: ac propterea coccinea uel purpurea lana erat, ut ipso colore sanguinis præ se se formam ferret. Suprà 8. Ioan. 1. Esaiæ 53.

Dicens, Hic est sanguis testamenti, quod mandauit ad uos Deus.] Christus uerò ait: Hic est sanguis noui testamenti in remissionem peccatorum: illic autem neq; nouum est, neq; remissio peccatorum. Obseruas igitur quî sanguinem testamentum nominauerit: ut adeò necessariò mors intelligatur, ubi testamentum dicitur.

Etiam tabernaculum & omnia uasa ministerij, sanguine similiter asperſit.] Et hæc sanè figura fuerunt. nos enim sumus tabernaculum, iuxta illud: Inhabitabo in ipsis, & inãbulabo. Et uasa magnę domus Dei, alia quidem aurea, alia uerò argentea. Consperſi itaq; sumus uero sanguine Christi, sanctificatiq; sumus in mortem ipsius baptizati. Leuit. 26. 2. Tim. 2. Rom. 6.

Et omnia penè in sanguine secundum legem mundãtur, & sine sanguinis effusione non fit remissio.] Cur Penè appositum? Quia illa non erant perfecta mundatio, neq; perfecta remissio: quomodo enim, cum peccata non remitterentur?

Necesse est igitur exemplaria quidem cœlestium his mũdari.] Cœlestia nostra dicit, adeoq; illa quæ ad ecclesiam pertinent. Dictum est autem in superioribus, quomodo cœlum sit ecclesia. Horum igitur exemplaria, & figuræ fuerunt res Iudaicæ. Hinc & purgabantur sanguine uitulorum, ac cinere iuuencæ, alijsq; usqueadeò uilibus.

Ipsa autem cœlestia.] Hoc est, quæ sunt Ecclesiæ quæ nostra sunt.

Melioribus hostijs quàm istis.] Quandoquidem enim meliora sunt nostra Iudaicis, quantum terra cœlum est altius & præstantius. (Etenim illi bona terrestria expectabant, nostra uerò hæreditas cœlum est) non immeritò & præstantiori & magnificentiori sacrificio opus habebant, sanguinis nimirum filij Dei, qui mundauit nos perfectius. Mors igitur Christi non solùm fuit ut stabiliret testamentum, uerumetiam ut ueram purificationem efficeret, animæ uidelicet. Hanc ob causam & mortis beneficiorum meminit, eo quòd multis ignominiosissima uidebatur, maximè uerò mors in cruce tolerata.

Non enim in manufacta sancta introijt Christus, exemplaria uerorum, sed in ipsum cœlum, ut nunc appareat uultui Dei pro nobis.] Admodum superbiebant templi no-

Tẽpli Solomonis præstantia.

mine Iudæi. neq; enim huiusmodi delubrum in alijs terris erat, quod uel pulchritudinis nomine, uel sumptuum magnitudine cum hoc cõferri posset. Quia enim rebus corporalibus trahebantur Iudæi, præcepit Deus magnificentissimè isthuc apparari: unde & à finibus orbis terrarum ad illud ueniebant. Quid igitur Paulus? Itidem ut in oblationibus fecit, diruens eas & auferens, surrogata in eorum locum morte Christi: sic hoc loci, templi uice cœlum statuens, discrimen ob oculos ponit. Alij quidem pontifices in manufacta sancta ingrediebantur, quæ fuerunt exemplaria uerorum, hoc est, cœli figura fuerunt, illud enim uera sancta: Christus autem in ipsum cœlum introijt, etsi omnia implet, & ubiq; adest: sed propter humanam naturam hæc dicit. Non solùm autem per hoc differentiam demonstrat, uerũ etiam per hoc quod ostenderit pontificem nostrum Deo uiciniorem redditum. Veteres pontifices per symbola quędam cernebãt Deum: Christus autem ipsum Deum uidet, ipsius uultui apparens. Atq; hoc per indulgentiam humani captus dictum est, & propter humanam naturam. Quid autem est quod ait, Pro nobis? Cum oblatione, inquit, ingressus est, quæ posset placare quidem patrem, imò & angelis nos reconciliare. siquidẽ & ipsi infensi nobis erant ceu Domini sui hostibus. Nunc igitur pro nobis apparet, hoc enim indicat nũc, quòd ingressus est ueluti pontifex. propter nostram enim reconciliationem est ingressus.

A

Neq; ut sæpe offerat semetipsum.] Neq; introijt nunc in cœlum, ut & aliàs posthac ingrediatur, seq; ipsum offerat.

Quemadmodum pontifex intrat in sancta per singulos annos.] Animaduerte Christi excellentiam. Legis pontifex quotannis ingreditur, Christus uerò semel.

In sanguine alieno.] Et hoc ad excellentiam pertinet. Ille, inquit, in sanguine alieno taurorum & hircorum, Christus autem in proprio.

Alioqui oportebat eum frequentius pati à constitutione mundi.] Quia, inquit, si sæpe oblaturus erat se ipsum, oportebat eum & sæpius mori, quandoquidem per propriũ sanguinem esset oblationem facturus.

Nunc autem semel in consummatione seculorum, ad destitutionem peccati per hostiam suam apparuit.] Hîc & arcani quiddam reuelat, cur in consummatione seculorũ post multa peccata apparuerit. Si enim principio mortem subijsset, quando peccatum non perinde effusum fuisset, & deinde nemo credidisset, nónne oportuisset eum denuò mori: inutilia fuissent omnia. Iam uerò postquã extremis temporibus ingens peccatorum copia erat, meritò apparuit Deo in consummatione seculorum, ut destituat, hoc est dejciat peccatum, eiq; fiduciam & potestatem adimat per hostiam suam, hoc est per mortem carnis suæ. Tale quiddam & alio in loco dixit: Vbi exuberauit delictum, superexuberauit gratia. Quomodo autem fiducia & potestate orbatum est peccatum? Eo quòd qui illud commiserãt, impunes sint dimissi. peccati enim * fiducia & libertas est supplicium adducere. Quæsiuit etiam & Gregorius Nyssenus in Sermone catechetico, & in concione de natalitio Christi, de hoc ipso, quurnam in consummatione seculorũ incarnatus sit filius, ac in hunc modum diluit: Quomodo infiniti medici, intus adhuc febri corpus succendente, cum per morbum facientes causas adhuc accenditur, nullum adhibent ægroto ex cibis auxilium, expectantes tantisper dum malum hoc ad summum increuerit: sic & nobiscum actum est. Expectauit animarum medicus, donec uniuersa malitię ęgritudo panderetur, ut nihil iam abditorum incuratum maneret, medico solummodo quod patet uisui, curante. Fusius autem disces quæ dicat diuinus uir, si tibi placuerit eius Conciones legere.

B

Christus cur in fine seculorũ passus.

Rom. 5.

* παῤῥησία.

Et quemadmodum statutum est hominibus semel mori, postea autem iudicium.] Causam iamnunc exprimit quare Christus semel sit mortuus, quòd unius mortis factus sit precium. decretum enim erat hominibus semel mori. Semel itaq; mortuus est pro uniuersis. Quid igitur? nunc ergo non morimur? Næ, sed non ita morte detinemur, ut antehac, sed per spem resurrectionis, cuius dux & princeps factus est qui pro nobis mortem subijt Christus. Sed ne mors quidem est mors ista, uerùm somnus. Quia igitur mors omnes detentura erat, propterea mortuus est, ut nos liberaret. Vel nõ hoc nunc uoluit indicare Apostolus, quòd mortem quæ debebatur nobis in supplicium, ipse persoluerit, uerùm quia uerè homo erat Christus præter hoc quòd Deus esset: & sicut homines semel moriuntur, deinde iudicium, sic & ipse semel est mortuus. Audi

Semel cur mortuus Christus.

autem

A autem quæ sequuntur. Sic & Christus semel oblatus.] A quo, ipse à seipso. Etiamsi enim pontifex, est tamen etiam sacrificium, & uictima.

Vt multorum * offerret peccata.] Quemadmodum in sacro ministerio offerimus peccata, dicentes, Siue inuiti siue uoluntarij peccauimus, condona, hoc est, memini mus eorum primùm, ac deinde condonationem petimus: haud secus & ipse loquutus est patri p ipsis, Ego sanctifico meipsum. Vel ἀνήνεγκε, obtulit, uel sustulit, peccata, hoc est, abstulit ea ab hominibus, & obtulit patri, ut ipsa dimittat. Quur autem dixit Multorum, & non omnium? Quoniam non omnes crediderant. Mors enim eius fuit æquivalens, adeoq; remedium omniũ interitus: acquantũ in ipso est, pro omnibus mortuus est. Non omnium autem peccata sustulit, eo quòd noluerint ipsi: proinde inutilem sibi ipsi filij Dei mortem fecerunt, quæ res est sanè horrenda. Hæc diui Ioannis Chrysostomi est sententia. Reperi autem apud eum Euangelij locum, Vt animam suam in redemptionem daret pro multis, annotationem quorũdam, qui intelligerent multis pro omnibus. omnes enim etiam multi sunt.

* ἀνενεγκεῖν sustollere, uel tollere. offerret etiam. ut ret. Ioan. 17. Ma

Secundò sine peccato apparebit expectãtibus ipsum in salutem.] Obijt, inquit, baiulans peccata nostra, & offerens patri, ut ea obliteraret, pro quibus & mortuus est. Eum enim qui nõ norat peccatũ, inquit, peccatũ fecit, pater, ut qui nostra sibi uẽdicaret. Apparebit aũt secũdò haud porrò peccata afferens, neq; secũdę mortis propterea indigus, uerùm ut iudex ad salutem expectantibus ipsum, hoc est, credentibus in ipsum, & sperãtibus eius aduentũ: perspicuũ aũt est quòd & dignè aduentu ipso uiuentibus. Atqui non simpliciter ueniet, uerumetiam ad supplicium infidelium & peccatorum aderit: at tamen quod gratiosum erat, dixit. 2. Cor. 5.

CAPVT X.

VMbram enim habens lex futurorum bonorum.] Hoc est, cum sit typus bonorũ noui testamenti quæ Christus ijs qui istud reciperent communicaturus erat.

Non ipsam imaginem rerum.] Hoc est, non ipsam ueritatem. Rerum autem, quaB lium: sacrificij, remissionis. Vmbratili nanq; picturæ similia erant uetera, ut quæ planè obscura essent: noua uerò, imagini, hoc est, ueritati, ut quæ clarè subsistant & perfecta sint. Hunc ad modum diuus Ioannes Chrysostomus intelligit. Haud ab re autem fuerit in medium afferre quæ Theologus Greg. Nazianzenus in hũc locum tradit, quod quidẽ & in alijs locis, præcipuè tamen in concione de paschate memoriæ prodidit, nimirum quòd pascha legale, audeo & dico, typi typus fuerit obscurior. Dat itaq; intelligere, umbram quidem legem dici apud apostolum: imaginem uerò, quæ nunc in ecclesia sacra perficiuntur, quæ sanè aliorum perfectiorum bonorum significationes sunt, in futuro seculo dignis impartiendorum. quæ & res Apostolus nũc uocat. Perinde igitur ut imago distat nonnihil à primo exemplari, consimilem ad modum præsentia mysteria distant à perfectioribus futuri seculi rebus. Quemadmodum porrò umbratilis pictura uel prima delineatio est inferior imagine ipsa, hunc ad modum lex testamento nouo est inferior.

Per singulos annos eisdẽ ipsis hostijs, quas offerũt indefinenter, † nunq; possunt accedẽtes perfectos facere.] Huius loci sententia est huiusmodi. Si robur habuissent uictimæ legales, non perpetuò neq; assiduò offerrentur. semel enim oblatæ, emolumento & fructu prolato quieuissent. Iam uerò quia quotannis assiduò & continuò offerebãtur, planum est quòd infirmiores essent, quàm ut possent quenquam perfectum reddere. Atque hanc ob causam post primã uictimã uel oblationem alia quędã offerebatur: quemadmodum inter pharmaca ea ualida habentur, quæ uel semel imposita, curant: quæ autem sæpius reiterantur & imponuntur, hoc ipso ostendunt esse minus fortia. Suboritur hîc quæstio. Num & nos hostias incruentas offeramus? Cui respondemus, omni no: cæterùm memoriam facimus mortis Domini, estq; una ipsa, non multæ, quandoquidem semel oblatus est. Nam eundem semper offerimus, imò potius memoriam illius oblationis facimus, qua se ipse obtulit, ceu iamnunc facta sit. Proinde unum est sacrificium. Nam quod ad quæstionem attinet, postquam multis in locis offertur, num igitur multi Christi erunt? nequaquam, sed unus est ubique, & hîc plenus, & illîc plenus & perfectus, unúmque corpus. Quemadmodum enim in multis locis oblatus Christus unum corpus est, & non multa corpora, sic & unum sacrificium. Nam illam

† δυνανται possũt. Alij legunt δυναται. in singulari. Christiano rum sacrificiũ unũ est.

hostiam offerimus, quæ tũ est oblata. illîc autem alius erat qui heri oblatus erat, agnus fortasse, à uictima quæ hodie offertur, nec ueluti commemoratio erat hesternæ oblationis, qui hodie offerebatur agnus, sed ipse per seipsum sacrificium perficiebat. Quomodo igitur hîc ait Apostolus, ijsdem sacrificijs? Eadem sacrificia fuerunt, quandoquidem eædem species offerebantur, ueluti agnus hodie, & in crastinum agnus. alia autem numero offerebantur. Nonnulli easdem has uictimas esse dixerunt modo oblationis, hoc est, quòd uel per cædem uel cremationem fieri iuberentur: specie uerò diuersas, ut oues, boues, turtures, columbas. Porrò etiamsi exemplaria quædam διάνυτου scribant cum υ, ut sit pluralis numeri, possunt: inueni tamen adnotationem, uerbum isthuc sine υ scribendum esse, ut sit διάνυτου, potest, in numero singulari, censentem, ut sit sententia: Vmbram enim habens lex futurorum bonorum, nunquam potest accedentes perfectos facere. Ac uerè quidem, quatenus iuxta grammaticæ exactam rationem sic oporteat hunc locum habere, ne solœcismus emergat. Quia uerò non perinde magna est cura scripturæ artium subtilitatis, sic etiam isthuc intelligamus, sicut exemplaria habent. Nunquam enim possunt, offerentes uidelicet, perfectos facere accedentes.

Alioquin, nónne cessassent offerri, quòd nullam haberent ultra conscientiam peccatorum cultores semel purgati?] Per interrogationem lege. Si enim peccata remouissent, nónne hostiæ etiam desijssent offerri? quippe ijs abunde satis adiutis, qui earum commoditate indigerent, neque ullam porrò peccati conscientiam habentibus, hoc est, nihil sibi conscijs alicuius rei quæ cura opus habeat, propterea quòd sint curati, purgati semel.

Victimarũ usus.

Sed in ipsis commemoratio peccatorum per singulos annos sit.] Nihil aliud, inquit, efficiunt uictimæ & oblationes, quàm quòd solummodo peccatorum commemorationem faciant, hoc est, indicium & reprehensionem. Non enim remissionem præstant, uerùm enim per assiduam istam oblationem demonstrant indissolubilia esse populi peccata. Si enim remissa essent peccata, quid opus erat sacrificijs? Insuper quum B dixit commemorationem, dedit tibi intelligere quòd uictimæ istiæ & sacra non obfutura insequentiaúe peccata perficiebantur, uerùm ob præterita, ut quæ non essent condonata uidelicet. * Age dicamus, per singulos enim annos offerebatur pro populo sanguis uituli: nónne igitur quasi eadem peccata essent, idem sacrum offerebatur? Nequaquam autem sequentia peccata eadem erant cum præcedentibus. Itaque perspicuum est quòd præterita scelera insolubilia permanebant, eámque ob causam idem semper sacrificium: quemadmodum & pharmacum quod semper admouetur idem, significant eandem assiduò ægritudinem interturbare laborantem.

* φέρε εἴπωμεν.

Impossibile est enim sanguine hircorum uel taurorum auferri peccata.] Firmiorem ac stabiliorem facit rationem suam, à uilitate rerum quæ offerebantur, & à magnitudine morbi. Quemadmodum si quis peritus artis suæ medicus, uidens laboranti elephantiasi adhiberi linozostin, quæ ita appellatur, herbam, dicat, Fieri non potest ut ab elephantiasi liberet linozostis.

Ideo ingrediens mundum, dicit.] Christus in mundum ingressurus in corpore, dicit per Dauidem. Scopus autem apostolo hîc est eiusmodi: Quia demonstrauit infirmas & inutiles esse uictimas, ne quis ipsi dicat, Quî ergo ea Iudæi perficiunt? tum enim templum eis adhuc stabat, omniaq; legalia perficiebantur. Quomodo uerò non cessarunt: hæc iam indicat, inquiens: Cessarunt quidem ac desierunt legalia, quantum ad Dei uoluntatem pertinet: Iudæi uerò ut contentiosi, qui nunquam non spiritui sancto repugnant, adhuc hodie legalibus occupãtur. Ostendit præterea quòd ante etiam Domini incarnationẽ, huiusmodi legis sacra & uictimæ reiectæ fuerint apud Deum. Considera autem id apostolum hîc uelle. Nõ enim dixit ingressus, sed εἰσερχόμενος, ingrediens siue ingressurus in mundum, ut ostendat quòd priusquam ingrederetur in terrarum orbem, ea oderit.

Psal. 39. Hostiam & oblationem noluisti. Per] legem uidelicet mandata. Oblatio autem hîc ab hostia siue sacrificio differt, & aliud quiddam hîc significat. opinor autem per iduos eis significari exanguia sacra, & sanguinis expertia.

Corpus

A Corpus autem aptasti mihi.] Hoc est, corpus meum consummatum & perfectum sacrificium fieri decreuisti.

Holocautomata & pro peccato non placuerunt tibi.] Neq; holocautomata placuerunt tibi, hoc est uoluisti, accepta putasti, neq; ea quæ pro peccatis offerũtur. Varia aũt fuerũt nomina sacrificiorum, iuxta uarias nimirum causas. alia enim pro peccato, alia salutis, alia propitiationis, alia uotorum, alia purificationis. Omnia igitur sublata sunt, postquam sacrificium & oblationem nolueris. *Leui 3.*

Tunc dixi, Ecce uenio: in capite libri scriptum est de me, ut faciam Deus uoluntatem tuam.] Animaduertis hîc legis sacrificia ante Christi etiam incarnationem esse reiecta? Cum enim repulisset Deus ista sacrificia, tum dixi ego Christus, Ecce uenio, ut faciam uoluntatem tuam. Voluntas autem Dei patris est, quòd filius pro mundo immoletur & ut homines iustificentur, non in sacrificijs legis, sed in morte filij sui. Annunciaui enim, inquit, iustitiam tuam in ecclesia magna. deinde immoletur ut homines iustificentur, In capite libri scriptum est de me. hic enim hîc syntaxis est ordinanda. Caput autem libri, legis uolumen dicit, seu ueteris testamenti librum. In ea igitur scriptura proditum est memoriæ de meo aduentu, & quomodo sim pro mundo sacrificandus. Vel caput libri, principium ueteris testamenti librorum dicit. Etenim in primo Mosis uolumine, in Genesi, cũ dicit, Faciamus hominem ad imaginem nostrã, cognitionem diuinitatis Christi statim prædicit ac reuelat. *Gene.*

Superius dicens, Quia hostiã & oblationem & holocautomata & pro peccato noluisti, nec placidæ sunt tibi quæ secundum legem offeruntur, tum dixit, Ecce uenio, ut faciam Deus uoluntatem tuam.] Ipse Paulus interpretatur Dauidicum dictum. Ambigere autem hîc possis, ac quærere, Quid igitur? sacrificia secundum legem, non fuerunt uoluntas Domini? Voluntas quidem fuerunt. Cæterùm duplex est uoluntatis significatio. Vult enim quis aliquid præcellenter & in primis, ut cum Paulus, Volo, inquit, omnes homines esse ut meipsum, hoc est, extra matrimonium. Vult etiam quispiam quiddam per permissum, ut cum Paulus inquit, Volo iuniores uiduas nubere. Hæc est uoluntas permissoria & indulgens. ut ne enim libidinentur aduersus Christũ, propterea obsecundat eis. Hunc ad modum Deus primo & præcipuo scopo non uoluit nidores holocaustorũ & sanguines: quia uerò uidebat Hebræos dæmonibus sacrũ offerre, atque eorum sacrificijs supra modum occupari, obsecundando permisit eis ut in suum quidem honorem sacrificia & uictimas istas offerant. Quam uerò ob causam diuus Paulus hoc testimonij protulit, quum haberet innumeros alios locos? propter impudentiam Iudæorum. Quandoquidem enim illi ueterem rempublicam & conuersationem dicerẽt esse abolitam, non propter imperfectionem eius, sed propter peccata eorum qui offerrent sacrificia: ac proferrent in medium quòd & Esaias peccata ipsorum reprehendat, dicens, Manus uestræ sanguine plenæ sunt. tum & Dauid ipse quum dixisset, Non accipiam ex domo tua uitulos, ac reliqua quæ illic sequuntur, infert, Peccatori dixit Deus. Quum igitur hæc loquerentur contentiosiores Hebræorum, producit testimonium Paulus, in quo ipsa per sese uetus politia, reiectitia apud Deum reputatur propter imperfectionem eius, non peccatorum causa, quibus populus infectus erat. Nusquam enim in trigesimonono psalmo, ex quo testimonium ipsum depromptum est, peccatorum populi mentionem fecit Propheta. Quòd enim ea de causa memorato testimonio sit usus, ex eo quod sequitur planũ fit. *1. Cor. 7.* B *2. Tim 5.* *Sacrificari sibi eis uoluerit Deus.* *Esaiæ 1.* *Psal. 49.*

Aufert primum, ut secundum statuat.] Quale est primum hoc? sacrificia. Quale secundum? uoluntas patris, hoc est, per crucem corporis Christi sacrificium. Eiiciuntur enim illa, ut statuatur & confirmetur per Christi cædem oblatio quã uoluit pater. Quo circa non ob peccata offerentium reiecta sunt ueteris legis sacrificia, sed propter sui ipsorum imperfectionem.

In qua uoluntate sanctificati sumus, qui per oblationem corporis Christi semel.] In qua uoluntate patris sanctificati sumus, qui per oblationem corporis Christi semel factam sanctificati sumus. hoc enim subaudiendum est. Nos enim qui credidimus nos esse sanctificatos per oblationem unigeniti, in uoluntate patris sanctificati sumus. Proinde haud legalia sunt uoluntas Dei, sed oblatio Christi. & per hanc sanctificatio.

Et omnis quidem sacerdos stat quotidie ministrans, & easdem sæpe offerẽs hostias,

Sedere. Stare. quæ nunquam possunt auferre peccata.] Stare igitur, signum est seruitutis & ministerij: sedere autem, perinde ut Christus, signum dominatus, cui ministerium exhibeatur. A

Ipse autem una pro peccatis oblata hostia in perpetuum.] Ipse autem Christus unam, inquit, obtulit hostiam, corpus suum, pro peccatis nostris, in perpetuum nobis sufficientem, ut secunda non indigeamus.

Sedet in dextera patris, de cætero expectans donec ponantur inimici eius scabellum pedum eius.] Itaq; non est tantùm pontifex, sed Deus etiam. Completo nanque opere propter quod & pontifex diuina quadam prouidentia est appellatus, sedet deinceps ut Deus, & expectat ut ponantur hostes eius subter pedes eius. Hostes autem huius sunt & omnes infideles, & dæmones, qui & ipsi subijcientur: hoc est, inefficax eorum malitia manebit, qui inextinguibili igni tradentur. Interim autem Paulus præcipuè hostes dicit infideles Hebræos, consolationem præbens ijs qui ex Iudæis Christo nomen dederant, atq; innumera mala ab illis paterentur. Ne sitis pusillanimes, inquit. Subijcientur, imò quod maius est, pedibus proterentur, qui nunc insurgunt aduersum uos. Atq; hoc indeliquet, quòd Christus à dextris patris sui sedeat. Postquã enim hoc factum est, & illud continget, iuxta illud quod in psalmis dictum est. Quomodo igitur non statim positi sunt sub pedes, hoc est sublati ex medio? propter eos qui ex ipsis procreandi sunt fideles.

Vna enim oblatione consummauit in sempiternum sanctificatos.] Perfectè, inquit, à peccatis liberauit sanctificatos, & sanguine ipsius perunctos, quòd baptizati
Rom. 6. sint in mortem eius. Omnes enim qui baptizantur, quum simul fiant insiti similitudini mortis eius, perspicuum est quòd in sanguine ipsius sanctificantur.

Contestatur autem nos & spiritus sanctus.] Quid contestatur? Quòd perfectè nos liberauerit à peccatis per unam oblationem, ut non opus habeamus secunda.

Hier. 31. Postquã enim dixit, Hoc est testamentum quod testabor ad illos post dies illos, dicit Dominus, dans leges meas in corda ipsorum, & in mentes eorum inscribam eas, & B peccatorum eorum & iniquitatum eorum non recordabor amplius.] Obseruas testari Deum, quòd peccatorum remissionem dederit? Tunc autem dedit, quando nouum te
Supra 8. stamentum dabat. Nouum autem testamentum per mortem filij sui tum dedit, tum stabiliuit, sicut antea demonstratum est.

Vbi autem horum remissio, iam non est oblatio pro peccato.] Si enim peccatorum remissio data est per unam hostiam, quid posthac opus est altera hostia? Demonstratum est itaque quòd per unam oblationem Christi consummati simus, precatorum remissione accepta, neque porrò indigeamus alia hostia. Superuacaneæ itaque sunt Iudaicæ, etiam quæ per contentionem perficiuntur oblationes, quum iampridem inutiles fuisse coarguuntur.

Habentes igitur fratres fiduciã.] Monstrata pontificis nostri excellentia, qua ueteres exuperat, ac testamenti ad testamentum, oblationis ad oblationem differentia & excellentia demõstrata, atq; etiam oblationis Christi, super legales hostias, quodq; per ipsam à peccatis liberati simus, desistit iam ab institutoria huiusmodi oratione, respirationem dans auscultatori. Ad moralem autem transit admodum opportunè. Cum enim sedulò mentionem fecisset remissionis peccatorum, adhortatur deinceps ne in eadem relabamur, inquiens, Habentes igitur fiduciã ex hoc quòd nobis dimissa sint peccata. Vt enim scelus admissum, pudorem & uerecundiam incutit, ac fiduciam aufert: sic dimissio noxæ confidere facit.

Ad introitum sanctorum.] Etenim dimissis nobis sceleribus, fiduciam habemus ut introeamus in sancta, hoc est in cœlum.

In sanguine Iesu.] Hoc est per sanguinem. Per crucem enim & sanguinem Christi noxæ condonatione donati, fiduciam accepimus.

*ἐνεκαίνισε σφ initiauit, innouauit, dedicauit, unde encænia dedicatio.

Quam * initiauit nobis uiam recentem & uiuentem.] † Quem introitum sanctorũ, ipse nobis uiam initiauit, hoc est, nouam uiam fecit, ut qui hanc primus orsus sit & confecerit, adeoq; primus fuerit. Recentem porrò pro noua dixit, quippe quæ nostris temporibus apparuerit. Hæc autem nobis gloriationis ansam præbent haud exiguæ. nam quibus

†ἔντινα, aptius græce, quod εἴσοδος, introitus, illis fœminini sit generis.

quibus ne Abraham quidem donatus est, nos donati dignatiq; sumus, nuncq; nobis cœlũ est apertũ. Viuens aũt, q; prima uia letalis & mortifera erat, ad sancta uidelicet legis ducens. Illa enim amplius locũ nõ habet, sed suscipientibus ipsam mortis causa extitit. Hęc autem adeò ad uitã ducit, ut & ipsa uiuat & æterna sit. Viuentem etiam perinde intellige atq; recentem, pro uiua & florente, ad discrimẽ introitus ad uetera sancta. mortuus enim ille ac planè extinctus est.

Per uelamen, hoc est carnem suam.] Initiauit & innouauit nobis uiam hanc ad cœlos ducentem, per carnem suam: quando in crucem caro sublata est, & in cœlum recepta, tum reuelauit nobis cœlestia. Propterea & opportunè uelamen eam appellauit. illud enim proprium est uelamenti, ut cum remotum fuerit, reuelet quæ sint interna.

Et sacerdotem magnum super domum Dei.] Habentes uidelicet sacerdotem Christum. Domũ, uel nos fideles, iuxta illud: Inhabitabo in ipsis, & inambulabo in eis. uel quod reor esse potius, cœlum: illud enim sancta appellat: & in eo pontificem ministrare dicit, pro nobis uidelicet intercedendo.

Accedamus.] Ad quid? ad fidem & spiritualem cultũ: uel ad cœlum, ubi noster est pontifex.

Cum uero corde.] Hoc est, experte doli, non fucato erga fratres, uel nihil hæsitante, nihil ambigente, neq; quicquam uacillante de futuris, ac propterea in pusillanimitatem recidente. Infert igitur*

In † plenitudine fidei.] Docet nos quo pacto non simus desponsuri animũ, nempe si fidei plenitudinẽ siue certitudinem habuerimus, hoc est, fidem consummatã & perfectam. Nam fieri potest ut quisquã credat, citra tamen certitudinem, quemadmodũ nõnulli dicũt quorundam futurã resurrectionem, quorundam uerò nõ futurã. Hæc sanè nõ est plena neq; certa fides, sed imperfecta. In plenitudine igitur fidei accedamus. Quandoquidem enim nihil oculis nostris subiectũ est, neq; templum ipsum cœlum, neq; pontifex Christus, sed abdita sunt, sicut & in ueteri testamento pontifex ingressus in sancta occulebatur: propterea opus est fide perfecta & indubitata.

† πληροφορίαι. plenitudine, plena & certa persuasione, certitudine.

Aspersi corda à conscientia mala.] Cum de fide locutus esset, planum facit hîc, non solam fidem, uerumetiam uitam uirtutibus redimitam requiri. Iudæi quidem corpore cõspergebantur, nos uerò corde, ut nihil mali nobis conscij simus. Conspergemur autem & ipsa uirtute & gratia spiritus, qui remisit nobis in baptismate peccata, & confortauit nos, ut si animum aduerterimus, non porrò in ea recidamus.

Et abluti corpus aqua pura.] Aqua, baptismatis scilicet: pura uerò, uel q; puros facit, uel q; nõ habeat admixtũ sanguinẽ ut olim cinis ille. Etsi enim gratia in baptismate animas purget, uisibile tamen hîc uisibili Paulus cõiunxit. Siquidem in ipso usu baptismatis, corporis causa aqua assumitur, cum enim gemini simus, gemina etiã purificatio est. Nu. 19.

Teneamus spei confessionem immotam.] Hoc est, quam professi simus spem, eam retineamus stabilem. Speramus enim in principio fidei, q; & ipsi cœlum ingressuri simus: & professi sumus, quando fœdus fidei feriebamus, resurrectionem mortuorum nos credere, & uitam æternam. hanc igitur confessionem retineamus.

Fidelis enim est qui promisit.] Vires scilicet ille suppeditat. Quomodo spem firmã cõtinebimus? Si intellexerimus dignitatem eius & ueritatem qui promisit. Fidelis est, hoc est, uerus ipse Christus, qui dixit: Vbi ego sum, & minister meus erit. Ioan. 12.

Et consideremus nos mutuò ad prouocationem charitatis & bonorum operum.] Consummationem adijcit iam, charitatem. Consideremus, inquit, alter alterum: hoc est, inspiciamus, si quis uirtute insignis, ut hunc imitemur, nõ ut inuideamus ei, sed potius ut incitemur, ut eadem cum ipso opera perficiamus. Prouocatio aũt hæc & incitatio charitatis est, non inuidiæ. Vt enim ferrum ferro exacuitur: sic anima animæ cõmorans, ad eadem ipsam incitat, ueruntamen in charitate. Vel cõuerseminí mutuò ut incalescatis, & accendamini ad dilectionem mutuam, ut & diligatis, & diligamini.

Non deserentes collectionem nostram.] Compertum habet conuentum mutuum dilectionem generare. hinc admonet eos ne intermittant inter sese congregari, neq; separationes & conciliabula praua moliri. Vbi enim sunt duo uel tres cõgregati in nomine meo, illic sum in medio eorum. Quinetiam ecclesiæ oratio Petrum à uinculis resoluit, & à carcere liberauit. Matt. 18. Act. 21.

Sicut consuetudinis est quibusdam.] Hîc accusat eos qui ab ecclesiæ collectione A
separarentur.

Sed consolantes uosipsos.] Hoc est, ut mutuo alter alteri, sitis solatio, admonentes uos uicissim, ac docentes, & consolantes, ac leuamen malorum impartientes. frater enim à fratre adiutus, quasi ciuitas firma.

Ac tanto magis, quanto uidetis appropinquantem diem.] Consummationis nimirum. Propediem separabimur à mundo hoc, quid est q̃ nos ipsos alter ab altero dissepa remus dissociemusq̃? Id uerò consolationi eis erat, à tentationibus nempe defatigatis, perinde ac alio in loco dicit: Dominus propè est, nihil sitis soliciti.

Volũtariè enim peccãtibus nobis.] Adhortatus est ab his quę grata magis & placida essent, q̃ fiduciam habeamus, q̃ peccatorum condemnatione donati simus: nunc à tristioribus terret. Obserua hîc quomodo ueniæ locum relinquat. Voluntariè enim, inquit, peccantibus, hoc est, permanentibus in peccato citra pœnitentiã. Nam si nõ permaneamus, sed uitæ in melius permutatæ specimen exhibuerimus, ueniæ certè locus est. Vbi sunt igitur qui hîc pœnitentiam tolli clamant?

Post acceptam notitiam ueritatis.] Christi, uel omnium dogmatum.

Iam non relinquitur pro peccatis hostia.] Haud pœnitentiam auferens hæc dicit, ut quidam intellexerunt & suspicati sunt: sed ostendit nõ esse locum secundo baptismati, quandoquidem neq̃ secunda uel alia sit mors Christi futura. Hostiam enim eam appellat, ut posthac uidebimus. una enim hostia consummauit in perpetuũ. Nostrum enim baptisma sanè mortem Christi effigiat, & repręsentat. Vt igitur mors Christi una, sic & baptisma unum. Quid igitur adeò intrepidè peccas, cum non sit spes amplius te per baptisma denuò feliciter, sine labore delere posse admissa crimina? Bona igitur opera tibi uendica.

Baptisma nostrũ, mortis Christi figura.

Sed terribilis quædam expectatio iudicij, & ignis æmulatio, quæ consumptura est aduersarios.] Terrificũ iudiciũ & ignis æmulatio nos excipit. Animaduerte aũt quomodo ueluti animauerit ignem: atq̃ uitã & uires ei tribuerit. Perinde enim ut bellua exacerbata non desistit tantisper dum apprehenderit quempiã, quo deuorato exaturet cupiditatem suam: sic & ille ignis pro transgressione mandatorum sæuiens, ac propter illa efferatus, quencunq̃ apprehenderit, deuorat semper. Non enim dixit mãducatura, sed consumptura, siue deuoratura, in sempiternũ uidelicet. Aduersarios aũt non solos infideles, uerũ ipsos etiã fideles quidem, indigna tamen mandatis Dei opera patrantes. B

Irritam quis faciens legem Moysi.] A minori argumentans, ostendit iure futurum supplicium, ut plus fidei orationi suæ conciliet. Legem autem Mosis dicit, quandoquidem multa eis ipse iniunxerit.

Deut. 17. Sine ulla miseratione, duobus aut tribus testibus moritur.] Constructio est: Si quis legem Mosę reiecisset, sub duobus aut tribus testibus sine ulla miseratione moritur, hoc est, si confessum & probatũ fuerit à duobus tribúsue testibus q̃ præuaricatus sit legem.

Quanto magis putatis deteriora mereri supplicia, q̃ filiũ Dei cõculcauerit, & sanguinem testamẽti pollutũ duxerit?] Ipsis iudiciũ permittit, quod in ualde apertis facere solemus, ut adeò auditores iudices & arbitros faciamus. Quid aũt est qui conculcauerit? hoc est, qui cõtempserit. Vt enim conculcatorũ nullam rationẽ habemus, sic & Christi nulla ratione habita ad peccandũ uenimus. Et sanguinẽ testamenti pollutũ, siue cõmune duxerit, hoc est, nihil ab alio cruore differre putarit. Testamenti aũt, quod per ipsum stabilitũ sit erga nos testamentũ, quod bonorũ nobis hæreditatẽ impertit, ut suprà memorauimus. Hæc aũt de sacramento cœnæ Dominicæ dicta sunt. Quando enim assumentes impollutũ corpus & sanguinem Christi, cœno ac luto corporalis impuritatis carnem nostrã quæ illud assumpsit, inuoluimus, nónne filiũ Dei cõculcamus? Lutũ terræ nõ adeò indignũ est corpore diuino, q̃ indigna est carnis tuæ impuritas. Vtêris aũt hoc loco aduersus etiã Nestorianos. Nam illi nudum & merũ hominem existimantes Christum, sanguinem eius cõmunem censuerunt, neq̃ quicquam à reliquis differre.

Supra 9.

Eucharistiam indignè sumentes.

In quo sanctificatus est.] Stupiditatẽ & ingratitudinẽ hîc ostendit. Oportebat enim sanctificationem reuereri, qua donati sumus in sanguine.

Et spiritui gratiæ contumeliam fecerit.] Qui enim collatam in se beneficentiam Dei non rectè administrarit, iniuria afficit eum qui contulit. Fecit te filium Dei, tu uerò ser-

A rò ſeruus efficeris affectuum. Venit ut in te habitaret, tu uerò ſuperinducis tibi diabolum. Hæccine contumelia eſt ſpiritus?

† Noui enim eum qui dixit, Mihi uindicta, ego retribuã, dicit Dominus. Et iterum Dominus iudicabit populum ſuum. Horrendũ eſt incidere in manus Dei uiuentis.] Hæc dixit ex cõſequenti, ut oſtendat Dominũ ultionem ſumpturũ de peccatis. Nam id per prophetã dixit. Conſolatur autem puſillanimes, qui à Iudæis afflictiones & tentationes perpetiebantur. propemodum enim hæc dicit, Ne deſpondeatis animum, habetis qui uos ſit uindicaturus, ac compenſaturus ueſtros labores, uiuentem, quem nulla ratione effugient affligentes uos. Vos quidem in illorum manus incidiſtis, qui ſunt homines, & morti obnoxij: iſti uerò in manus Dei incident ſemper uiuentis, quem propterea effugere haud poterunt.

† οἶδα γὰρ τὸν εἰπόντα, ἐμοὶ ἐκδίκησις, ἐγὼ ἀνταποδώσω, λέγει κύριος. καὶ πάλιν, κρινεῖ κύριος τὸν λαὸν αὐτοῦ. φοβερὸν τὸ ἐμπεσεῖν εἰς χεῖρας θεοῦ ζῶντος. est noui enim eum qui dixit, Mihi uindicta, ego retribuã, dicit Dominus. Et iterum, Iudicabit Dominus populum ſuum. Horrendum eſt incidere in manus Dei uiuentis.

Rememoramini autem priſtinos dies.] Non ſanè fruſtra eſt quod dicimus, Mihi uindicta: etenim hoc clanculum ad conſolationẽ eorum inducit. Ecce enim clarius nunc illis diſſerit, adhortans eos ne deficiant à patientia. Proinde ne alios, inquit, imitemini, ſed ipſi uos ipſos. Principio enim fidei ueſtræ certaſtis hoc certamen, quod ſemper uobiſcum expendite, ne ea quæ primùm rectè certando & fortiter aſſecuti eſtis, per ſocordiam & torporem amittatis. Contemplare autem hîc ſpiritualem ſapientiam. Quum antea concuſsiſſet illorum mentes per gehennæ commemorationem, nunc per encomia lenit, non adulans eis, ſed per hæc ipſa eos exhortans. facilius enim perſuadet, qui cuipiam conſulit ut ſeipſum imitetur, & quæ antea perfecit opera.

In quibus illuminati, magnum certamen ſuſtinuiſtis afflictionũ.] Vel de baptiſmate dicit illuminati, uel de cognitione ſimpliciter myſterij, ac de excepturis fideles bonis. illuminati enim cognitione futurorum bonorum ſic ſuſtinuiſtis. Non dixit autem tentationes, ſed certamen, quod ingenuitatis & fortitudinis eſt indicium, & iſtud quidem magnum.

Partim quidem opprobrijs & tribulationibus ſpectaculũ facti.] Obſerua encomia. Generoſa profectò anima menteq; opus eſt ut opprobria perferas, ſicut & propheta teſtatur: Factæ ſunt mihi lachrymæ meę, cum diceretur mihi, Vbinam eſt Deus tuus? Et: Si hoſtis conuiciatus eſſet mihi, ſuſtinuiſſem equidem: &, Opprobrium inſipienti dediſti me. Quinetiam diuus Iob ægro ferebat animo opprobrium, cætera adamantis inſtar fortis & conſtans. Quòd ſi apertè palàm, adeoq; coram multis conuiciũm & contumelia fiat, eo magis opus eſt ingenua tolerantiq; mente. Quod & hîc denunciauit, ſpectaculum facti inquiens, hoc eſt, ueluti in theatro. Obſerua hîc quàm fuerint magni iſti, qui tum gloriam tum opes propter Chriſtum deſpexerint, iniuriam aũt paſſi à utilibus fortaſſe, & nullius momẽti hominibus, idq; animo forti, & malorum toleranti.

B

Partim uerò ſocij taliter conuerſantium effecti.] Nedum, inquit, ueſtras afflictiones quæ per uim inuitis uobis uidebantur adduci, ſuſtinuiſtis, ſed adeò ſtrenui fuiſtis, ut ex ſocij facti ſitis apoſtolorum, taliter conuerſantium, hoc eſt, in calamitatibus & opprobrijs, & ueſtra ſponte ſubieciſtis uos ipſos, ut unà cum illis aduerſa ſuſtineatis, ac cõſortes afflictionum eorum efficiamini. Non dixit aũt, ſocij facti eſtis mei ſolius, ſed communiter omnium, ut encomion eorum eo ſit amplius & magnificentius.

Nam & uinculis meis compaſſi eſtis.] Non ſolùm in ueſtris calamitatibus non indiguiſtis conſolatione, uerumetiam alijs facti eſtis leuamen mali, cuius rei ego ſum teſtis.

Et rapinam bonorum ueſtrorum cum gaudio accepiſtis.] Speciatim dixit quomodo aliorum ſocij eſſent effecti, nunc rurſus dicit quomodo afflictiones ipſi ſuas tolerauerint. Nam bonis exui, & ſpoliari facultatibus, næ res eſt ardua. Quia enim credidiſtis, ideo ſpoliati eſtis. Atqui potuiſſetis omnino à fide alieni permanere. Quod ait, accepiſtis uoluntariam eorum patientiam ſignificat, & q; libenter acceperint. Porrò q; cũ gaudio accepiſtis, id uerò apoſtolis uos adæquat, qui reuerſi ſunt gaudentes q; pro nomine Chriſti contumelia affecti eſſent.

† Codex Baſil. habet ἑαυτοῖς, id eſt nobis ipſis, alij q; ἑαυτοῖς, et alij ἑαυτοῦς.

Cognoſcentes habere † uos meliorem ſubſtãtiam & permanentem.] Et hoc, inquit, faciebatis cum iudicio, deliberatione, ac fide. Agnoſcebatis enim q; meliorem ſubſtantiam & manentem habeatis, quæ non periret nec decipi poſſet, ut hæc.

Ne abijciatis igitur confidentiam ueſtram.] Cum dicit, ne abijciatis, oſtendit q; nondum ex-

dum exciderant, opus tamen haberent confirmatione & munitione. Fiduciam autem A
dixit, quòd qui talia propter Deum sapienter tulerint, magnam habeant confidentiã.

Quæ magnã habet remunerationẽ.] Vos enim estis testes ipsi, qui agnouistis præstantiora uos bona habere in cœlis.

Patientia enim uobis necessaria est.] Nulla re porrò indigetis alia, præterquam sola patientia: cætera habetis omnia, neq; opus est quicquam addere.

Vt uoluntatem Dei facientes, reportetis promissionẽ.] Voluntas Dei est ad finem
o. usq; sustinere. Qui enim, inquit, perseuerauerit ad usq; finem, hic saluus erit. Adhortatur autem hisce eos Apostolus, perinde ac si quis cernens athletam, qui omnes aduersarios debellauerit, ac certando uicerit, deinde moræ impatientem, quum uideat eos qui uictoriæ coronas largiuntur, tempus protrahere, meditari fugam, quòd diutius sitim ac æstum ferre nolit, cum his uerbis alloquatur: Qui omnia grauiter transegisti, expecta paulisper, ac referes coronas. Certa etiam aduersus ipsam coronarũ dilationem & cunctationem, uince & hanc forti tolerantiq; animo.

ἔτι γὰρ μικρὸν ὅσον ὅσον, ὁ ἐρχόμενος ἥξει καὶ οὐ μὴ χρονίσει. Adhuc enim modicũ aliquantulumq;, & qui uenturus est ueniet, & non tardabit.] Producit prophetam Habacuc dicentẽ quòd propè sit iudex, qui redditurus est cuiq; mercedem. Quòd si Habacuc tunc dicebat, Modicum aliquantulum, & qui uenturus est ueniet: nũc uidelicet est uicinior. Quod uerò ait, μικρὸν ὅσον ὅσον, quod ualet, parum quantum quantum, ualde parum significat.

† ὑποστείληται, *substraxerit se, uires & animum amiserit, formidauerit.* Iustus aũt ex fide uiuet. Quòd si † substraxerit sese, non oblectatur anima mea in ipso.] Oportet igitur nos credere, si iusti futuri simus. Sin autem substraxerit se iustus, id est, ambiguitatẽ quandam patiatur uel hæsitationem, uel substraxerit, id est tentationibus succubuerit, nõ habet oblectationem in eo anima mea. Cuius autem animam? Dei, iuxta modum loquendi scripturæ: ut in eo, Ferias uestras odit anima mea, uel Christi.

† ὑμεῖς, *id est, uos, alij legũt in prima persona nos.* † Vos autem non estis substractionis in perditionem, sed fidei in acquisitionem animæ.] Quia perterrefecerat eos cum diceret, Anima mea non habet oblectationem in ipso: adserit iam eos non esse ex ijs qui pereant propter substractionem, aut propter ace B
diam uel hæsitationem, sed ex ijs qui in fide persistant stabiles, ut acquirant suas ipsorum animas, hoc est possideant, custodiant, & seruent. Acquisitio enim est possessio & occupatio.

CAPVT XI.

Fidei descriptio Est autem fides, sperandarum substantia rerum.] Describit nobis posthac fidem, inquiens: Fides est essentia eorum quæ nõ sunt, subsistentia eorum quæ nondum subsistunt, ut resurrectio nondũ subsistit, sed fides statuit eam, obq; oculos nobis ponit.

Argumentum non apparentium.] Argumentum, hoc est demonstratio & manifestatio rerũ quæ nõ sunt cõspicuæ. facit enim fides, ut ista mente nostra cernamus haud secus ac si præsentia essent. Si igitur talia potest fides, quid cupitis ea bona re ipsa uidere, ut excidatis à fide? Quod sanè nihil est aliud quàm excidere à iustitia, ne sitis iusti. Iustus enim ex fide uiuet. *Habacuc 2.*

In ipsa enim testimonium consecuti sunt seniores.] Hoc est, in ipsa fide testimoniũ assecuti sunt omnes ueteres à Deo, ac probati sunt quòd eum coluerint.

Fide intelligimus aptata esse secula uerbo Dei, ut ex inuisibilibus uisibilia fierent.] Postquam fides reprehenditur apud non intelligentes uirtutem ipsius, qui asseuerant eam esse rem indemonstrabilem, adeoq; manifestam impostu ram, ostendit q; maxima quæq; per fidem transigantur, & non per rationes, aut ratiocinationes. Nam q; Deus uerbo, ea quæ sunt, ex ijs quæ non sunt, creauit, quæ demonstratio nobis exhibuit? nulla sanè, sed sola fides. Fide igitur intelligimus aptata esse secula, hoc est facta est uerbo Dei. Cur fide? quia q; ex inuisibilibus, & ex ijs quæ non uidentur, facta sit quæ uidentur, fide opus habeat. Vel sic intelligas licebit: Verbo Dei, quo factum est ut producerentur ex ijs quæ non sunt, ea quæ sunt. Cum audis secula, ea simul intellige æterna quæ istis continentur: uidelicet tempora, adeoq; cuncta temporaria, inusitatiore loquendi modo seculis etiam tempora significantibus. Nam propriè seculum siue æuũ aliud quiddam quàm tempus est: & unum, non sunt multa.

ἀιὼν, *æuũ siue seculũ quid sit.*

Gen. 4. Fide copiosiorem hostiam Abel quàm Cain obtulit Deo.] Quia magna fides, generosa etiam indiget anima, Hebræi aũt fide elanguerant, ac primùm quidem fidem demonstra

A monstrarunt, deinceps uerò ob afflictionum frequentiam & continuationem pusillanimes reddebantur, ac tantum non despondebant animum, adhortatus est & consolatus eos à rebus per eos præclarè gestis, & à scriptura, dicens q̃ iustus ex fide sit uictu- *Habac.a*
rus, & à ratiocinationibus, inquiens: Fides est eorũ quæ sperantur, subsistentia. Nunc uerò à magnis & priscis uiris etiã argumenta profert. Cum enim homo inuenerit participes aduersitatum, sedatus respirat. Producit igitur Abelum, inquiens, Fide obtulit uictimam maiorem: hoc est, preciosiorem, quàm frater. Quem enim sciebat alium ante sese: patrémne aut matrem? at illi impegerãt aduersus Deum. At fratrem? uerùm & is Deum non coluerat candidè. Fide ergo sola perductus est ut offerret Deo, & ex. melioribus quæ habebat, credens se mercedem accepturum.

Per quam testimonium consecutus est, q̃ esset iustus, testimonium perhibente Deo super donis eius.] Cum enim ad Cainũ dixisset Deus, Non rectè offers, nec rectè diuidis: testimoniũ perhibuit Abelo, quòd & rectè obtulerit, quatenus datori Deo obtulit quæ ex illo habebat: ac rectè diuisit, quatenus meliora ceu Domino suo separauit. Fertur etiam q̃ ignis è cœlis descendens absumpserit sacrificiũ, atq̃ inde agnouit Cain sibi antelatum esse Abelum. Vnde enim aliàs habuisset compertum? Hinc & quispiam eorum qui Hebræa in Græcam linguã transtulerunt, sic uertit: Intutus est in uictimas Abeli Dominus, & incendit.

Et per illam defunctus adhuc loquitur.] Hoc est, per fidem adhuc loquitur, id est, fides fecit eum hodieq̃ uiuere, ac doctorem omnibus cõstitui, loquentem propemodũ, Imitamini me mortales, ac beneplacete creatori iustificati. Loquitur igitur, hoc est cum glorificatur, prædicatur, cum memoria eius instauratur, loquitur: perinde ac cœlum loquitur, cum à nobis solummodo cernitur. Non enim tantum sermo perficit, quantum illius afflictio. Hoc autem dixit, ut ostendat infirmis quòd iustus quadantenus etiam hîc fruatur honore, itaq̃ & uos fruemini. Quædam exemplaria λαλεῖται habent, non rectè, opinor. *Loqui quomodo dicatur Abel.*

B Fide Enoch translatus est, ne uideret mortem, & non inueniebatur, quia transtulerit eum Deus. ante translationem enim eius testimoniũ habuit quòd placuerit Deo.] Hic maiorem fidem quàm Abel demonstrauit. Nam quæ Abelo contigerunt, potuerunt ipsi esse scandalo, quòd Abel iustus cum esset, permissus sit occidi à fratre. Quid enim prodest punitum esse occisorem? quid inde commoditatis retulit Abel, cum iam antea è medio esset sublatus? Magnam itaq̃ fidem demonstrauit Enoch, credens Deũ retributorem nostrum fore in futuro seculo, perq̃ eam fidem placuit Deo, ac beneplacens translatus est. Fide igitur translatus est: hoc est, fides in causa fuit cur in cœlũ transferretur, per quã placuerat Deo. Animaduerte hîc quomodo per Abelum mortis sententiam demonstrauerit Deus esse ueram & certam: per Enoch autem indicauit temporariam eam sententiam, nec in sempiternum duraturam, cæterùm abolendam olim mortem. Proinde quòd uiuens translatus sit, & quòd uiuat, scimus: ubi autem, & quomodo, incertum, scriptura hoc non patefaciente. *Gen.5.* *Enoch.*

Sine fide autem impossibile est placere.] Nisi enim crediderit quispiam compensationem esse bonorum & malorum, non beneplacebit Deo. Quomodo enim laboriosum uirtutis iter ingrediatur, non persuasus in futuro seculo multiplices ac stabiles esse retributiones? Audi porrò sequentia.

Credere enim oportet accedentem ad Deum, quòd sit, & quòd inquirentibus se remunerator sit.] Deum esse, ac retributorem fieri, per fidem tenemus: quidam etenim à casu esse omnes res censent: quid uerò sit Deus secundum substantiam, incomprehensibile prorsus apud sapiẽtes quidem. Quid uerò est exquirentibus ipsum? hoc est, uita beneplacere ei nauantibus operam, non curiosis humana & externa sapientia. Cõsidera Pauli sapientiam, quomodo subterserat undiq̃ Deum esse retributorem, ob uacillantes fideles Hebræos, & pusillanimes.

Fide Noe responso accepto, de ijs quæ nondum uidebantur metuens, aptauit arcam in salutem domus suæ.] Noe, inquit, à Deo responsum accepit: hoc est, edoctus est de rebus obscuris & ignotis, & non fuit incredulus. Quin etiam cum esset serenitas, & omnes uoluptatibus ac delicijs indulgerent, neque quicquam periculi expectarent (neque enim ullum tale cernebatur) attamen ille credens Deo, metuit *Gen.6.*

tuit inundationem uel diluuium, conſtruxitq; arcam, qua conſeruauit omneis qui ex A
ſua domo erant. Obſerua hîc, quòd oraculum edat Deus, & oraculum edat ſpiritus ſan
Luc. 2. ctus, perinde ac ſcriptum eſt de Simeone, Reſponſum acceperat à ſpiritu. Deus igi-
tur eſt ipſe ſpiritus.

Per quam damnauit mundum.] Hoc eſt, commonſtrauit eos dignos eſſe ſupplicio, qui cum uiderent tantam extrui à Noe arcam, neq; ſic tamen adduci potuerunt ut crederent futurum diluuium.

Ac iuſtitiæ, quæ eſt per fidem, hæres eſt inſtitutus.] Hoc eſt, lucratus eſt ſeu nactus eſt ut iuſtus uideretur apud Deum: quod iuſtitiæ nomen, fides ei largita eſt.

Fide uocatus Abraham, obediuit in locum exire quem accepturus erat in hæreditatem.] Poſtquã & ad hunc & reliquos patriarchas defigerent oculos Hebræi fideles, tanquã qui innumera beneficia & bona à Deo accepiſſent, oſtenſurus eſt q; nullus unquam quicquã dum mercedis retulerit. Ait ergo: Fide Abraham obſecutus eſt, iuſſus relinquere patriã. Quem autem ille conſpexerat, quem imitaretur? Pater ei idololatra erat, prophetas nõ audiuerat. Proinde fidei erat, obedire ceu uera loquenti Deo de ijs quæ pollicebatur, ac relinquere ea quæ in manibus erant.

Et exijt neſciens quò iret.] Atqui etiamſi ſciuiſſet, quiſnam cogebat eum, ut omiſsis paratis, & quę in promptu erant, ea perſequeretur quę nõ eſſent in promptu? Enimuero nec ſciebat quidem omnino quænam eſſet terra illa in quam uocaretur.

Gen. 5. Fide demoratus eſt in terra promiſsionis, tanquam in aliena.] Terram, inquit, illam quam promiſerat Deus ſeſe daturũ illi & ſemini eius, incoluit tanquã alienam. Quo-
Gen. 23. modo alienam? Nam & Sarrhæ ſepulchrũ emit, neq; tamen dubitauit, neq; dixit, Mentitus eſt Deus: ſed credidit quòd haud dubiè daturus eſſet hanc, is qui promiſerat.

In caſulis habitando.] Adeò tanquam in aliena terra illic habitabat, ut ne propriam quidem domum haberet, ſed in tentorijs habitaret, quod peregrinorum eſt aliàs ad alios fines tranſeuntium, quandoquidem nihil proprij poſsideant.

Gen. 26. Cum Iſaac & Iacob cohæredibus promiſsionis eiuſdem.] Iſaac, inquit, & Iacob per- B
32. & 33. inde incoluerunt eam, ut alienam. Nam Iſaaco inuidebant Philiſtiæi adeò, ut puteos ei auferret Abimelech & coniugem ipſam, qui & ſubinde ad alium atq; alium tranſibat locum. Iacob autem non ſolùm à fratre Eſau perſecutionem patiens ſibi metuebat, uerumetiam ex Meſopotamia reuerſus, emit locum in quo fixit tabernaculum. Etiam quidem in Bethel, iam uerò in Ephrata tranſibat, nullo loco certus manens, inſtar aduenæ & inquilini. Interim tamen & ipſi promiſsionis hæredes fuerunt, ut pater. Tibi enim dabo, inquit, & ſemini tuo. Attamen non fuit incredulus.

Expectabat enim fundamenta habentem ciuitatem.] Eam ob rem, inquit, erant aduenæ, & cõmorabantur in tabernaculis fundamentum nõ habentibus, quòd expectarent cœleſtem urbem, quæ uera fundamenta habeat, quæ ſemper conſiſtant, neq; unquam marcida reddantur. Propterea & Deus animaduertens eos aſpernari terrenas promiſsiones, diſtulit eas, maiores ipſis præparans, quibus illi digni erant, & non terreſtribus. Itáne ergo illi prommiſsionem terreſtrium accipientes, eam contemnebant, ac cœlum expetebant: uos autem ô fideles, cœleſti promiſsione accepta, terram expetitis: ecquî non eius uos pudet?

Cuius artifex & conditor Deus.] Papæ, quantum eſt urbis iſtius encomion, architectum habere Deum?

Gen. 17. & 18. Fide & ipſa Sarrha, ſterilis cum eſſet.] Ruborem iſthuc nonnihil elicit quod ait, Et ipſa Sarrha. perinde ac dicat: Fœmina credidit, & uos non erubeſcitis, ſi muliere in animi magnitudine inferiores deprehendamini? Quî uerò credidit, quę riſit? profectò credidit, etiamſi riſerit. poſtea enim reprehenſa perterrefacta eſt, quod fidei erat indiciũ.

†παραβολὴν, conſtitutionẽ, molitionem, demiſsionẽ, ſiue deiectionẽ, aut ſubſtructionẽ. Planum enim eſt quòd magnum iſtum arbitraretur, adeoq; ſupra hominis eſſe naturam eum qui ſecum loqueretur.

Virtutẽ ad †conceptionẽ ſeminis accepit.] Hoc eſt, cõfortata eſt ut reciperet ac cõtineret deiectũ in ipſam ſemẽ Abrahami. Vel quia affirmãt naturæ indagatores philoſophi & medici, mulierẽ etiã ueluti ſemẽ quoddã à ſeſe cõferre, forſan ſic accipiendũ eſt, ad deiectionẽ ſeminis, pro eo quod eſt, ut & ipſa ſubminiſtraret & ſubſtrueret ſemen.

Ac præter ætatis tempus peperit.] Paulo antè eam ſterilem dixit; nunc adijcit quòd

& præter

A & præter tempus ætatis pepererit. Itaq; duplicem habebat defectum, unum naturæ, quòd sterilis erat: alterum senectutis.

Quia fidelem credidit eum qui promiserat.] Fidelem, id est uerum. promiserat enim, Circa illud tempus ueniam, & erit Sarrhæ filius.

Propter quod et ab uno orti sunt, eoq; emortuo, tanq; sidera cœli in multitudinem, et sicut arena quæ est ad oram maris innumerabilis.] Non hoc tantum effecit fides ut nascerentur, uerumetiam ut tot nascerentur, quot ne à fœcundis quidē mulieribus. Itaque duo hic sunt miracula. Quomodo autē fuerunt innumerabiles? Nam haud ratò eos numero comprehendimus. Siue igitur hoc hyperbolicè dictum est, iuxta scripturæ consuetudinem, ut illud, Vidimus urbes ad cœlum usq; eductas: siue quòd semper N
nascantur alij, ideo propter istam posteritatis in numerum nō cadentis successionem continuam & propagationem, innumerabile dixit.

Iuxta fidem defuncti sunt omnes isti nō acceptis repromissionibus.] Duo hic quęruntur, Quomodo quum de Enoch memoraslet, Translatus est ne uideret mortem, nunc dicat, Mortui sunt isti omnes? Ac rursus quî dixerit nunc eos non accepisse promissiones, quum Abelū tamen adhuc loqui affirmarit, quandoquidē apud cunctos celebretur? Deinde ipsum Enoch translatum esse. Noe uerò mercedem recepisse, ut Gen. 5
conseruaretur ipse cum tota pariter domo sua, & iustus uocaretur. Abrahamū etiam liberos procreasse ex Sarrha. Proinde quod ait, Mortui sunt isti omnes, intellige, Mortui quidē sunt, excepto eo qui mortem non uidit. Enimuero quòd non acceperit promissiones, uerè de omnibus dictū est. Non enim per hæc tantùm magnifica donans Deus, persoluit magnorum fidei laborum mercedes, Abelo quidē per gloriam & celebritatem apud homines, Enoch uerò per translationē, tum Noe ipsi per conseruationem ex diluuio, deinde Abrahæ per filij procreationem: uerùm perspicuū est hæc esse ueluti gustus quosdam & arrhabones uerarum promissionum, propter pusillanimes &
B infirmos nos sanctis prius tradita, ut ab his edocti, de illis etiam in fide firmemur. Alia porrò quædam ingentia, quæ in cor hominis non conscenderunt, parata sunt eis, quæ nōdum acceperunt, sicut & Dominus dixit in euangelio fore ut centu- Matt. 19
plum in hoc seculo reciperent, & uitam æternam in futuro possiderent.

Sed à longe eos aspicientes & salutantes.] Hic clam indicat, eos de regno cœlorū & resurrectione & ineffabilibus bonis mysteria adeoq; arcana tum uidisse tum salutasse, hoc est sensisse. Sumpta metaphora à nauigātibus & procul cernentibus urbes desideratas, quas prius q̄ ingrediantur in eas, prę uenientes familiariter salutant, sibiq; cōpellatione asciscunt. Vel Abrahamū cum sua sobole intelligit, nam ipsi non acceperunt promissiones de terra, à longe autē præuiderunt eas, hoc est ante quatuor generationes, quòd posteri eorum ex Aegypto ascendentes, hæreditatē eius terræ adirent. Hæc autem enarratio non sequitur ad prædicta, nempe ad hoc quod ait, Isti o- Gen. 15
mnes, tanquam soli Abrahamo eiusq; nepotibus conueniat.

Et confessi q; peregrini sint & hospites super terram.] Nō solùm super promissam, uerumetiā super uniuersam. Propterea haud æquum censebant istam accipere. non enim ipsa digni fuerunt patres illi, sed cœlo. Posteri autem eorum acceperunt eam, nam illi terra fuerunt digni. Peregrinum aūt & aduenā se esse Abrahamus apud Che Gen. 23
tæos palàm est confessus. Quinetiā omnes tales fuerunt, ut Dauid testatur, Aduena Psal. 38
ego sum, dicens, sicut & omnes patres mei.

Qui enim hæc dicunt, significant se patriam inquirere. Et siquidem ipsius meminissent, de qua exierunt, habebant utiq; tempus reuertendi. Nunc autem meliorem appetunt, hoc est, cœlestem.] Confitentes, inquit, seipsos hospites, indicant se patriam inquirere. Videamus igitur qualē patriam inquirant: terrestrémne quam reliquerāt, ut Abraham Mesopotamiam? At quî licebat ei reuerti ad eam. Quoniā uerò reuersus non est, manifestum est q; neq; huius meminerit, neq; hæc fuerit patria eius: cæterum aliam expetebat meliorē, nempe cœlestem, in quā nondum opportunum erat ei conscendere.

Ideo non confunditur Deus, uocari Deus eorum.] Ob huiuscemodi, inquit, eorū uirtutem Deus adeò eos magnifacit, ut quum sit totius mūdi Deus, hoc est uisibilis, & eius qui sub uisum nostrum nō cadit, non erubescat peculiariter uocari eorum Deus,

perinde quasi ipsi omnibus creaturis sint æquiparandi. Potius quidem uisibilis huius A
mũdi Deus dicitur tanquam conditor ac Dominus: qua ratione ethnicorũ etiam est
Deus horum autem ueluti amicus, quod maius est.

Parauit enim illis ciuitatem.] Adeò non pudet eum, Deũ se illorũ uocari, sed adeò
familiariter eos sibi iũctos habet, ut et urbem quã in cœlis desiderabant, parauerit eis.

c. 22 Fide obtulit Abraham Isaacum, quũ tentaretur.] Maior omnibus in fide est Abra-
hamus: hîc enim nõ sola natura pugnabat, sed uerbum Dei cum mandato diuino. Is
enim qui dixerat, Tibi & semini tuo dabo terram: is imperat, Macta filium tuũ. Pro-
pterea dicitur tentari Abrahamus, nõ q̃ Deus opus haberet discere uel experiri ei us
uirtutem, uerùm ut nos experientia ipsa & operibus discamus uirtutẽ eius. Obser ua
hîc adeò esse commodas tentationes, ut nedum ab alijs Deus permittat eas superindu
ci fidelibus, uerùm ipse etiam tentet, ut probatiores ostendat.

Et unigenitũ offerebat, qui promissiones acceperat, ad quem dictum erat, In Isaac
uocabitur tibi semen, arbitrans quòd et à mortuis suscitare potens sit Deus.] Hoc sanè
ualde est admirandum, quòd quum alium non haberet filium, per quem promissio-
nem felicem euentum habituram speraret & expectaret, sed hunc solum, & eum ta-
men obtulerit. Vnde hoc? ex multa & ingenti fide. Credidit enim quòd posset Deus
post cædem, ex mortuis ipso suscitato complere promissionem, ac per ipsum rediui-
uum, multiplicare semen. Quomodo autem unigenitus erat Isaac, quũ & Ismaelem
haberet? At quatenus ad promissionem pertinet, unigenitus erat: ille nãq̃ propriè
semen erat, nam in Isaac uocabitur tibi semen, inquit scriptura.

Vnde & ipsum in parabola accepit.] Quid est quod ait, In parabola, id est, in figu-
ra, ad demonstrationem mysterij quod in Christo erat. Vt enim tum Isaac dimissus
est, aries autem cæsus: sic unus Christus qui Deus est & idem homo, secundũ huma-
nam naturã pro nobis immolatus est, deitas uerò expers passionis permanebat. Quin
& aliter Abraham fuit typus Dei & patris, Isaac uerò filij Dei. Quum igitur magnum B
Ioan. 3 hoc & humanum ingenij captum exuperans mysterium Deus dispensaturus esset, ut
filium suum daret pro nobis, supra modum clemens & humanus neq̃ hoc uoluit ceu
donum suum proprium ex gratia dare, sed ueluti debitum reddere. Perinde quasi
dicat, Nihil noui humanæ naturæ impertio, filium meum pro ipsa immolans: Abra-
ham enim pro me & in mei gratiam filium suum immolare sustinuit. Itaque debitum
reddo, non gratiam do. Vel in similitudine, hoc est in ariete tulit ipsum Abrahã, hoc
Gene. 22 est in permutatione arietis: qui aries figura erat Isaaci, hoc est, figura Isaaci in eius lo
cum mactata est.

Fide, de futuris benedixit Isaac Iacob et Esau.] Vnde promisisset filijs suis tanta bo
na, ipse in peregrina terra cõsidens, nisi credidisset Deũ impartiturũ promissa? Quid
uerò est quod ait, de futuris? Vel qa de ijs quę contingẽt in futuro seculo, resurrectio-
nem eñ norant, et spirituales fuerunt promissiones: uel de terrę bonis quę ipsi acce-
pturi erant, uel ex ipsis nascituri, originémue ducturi. Præfert autem Iacob ipsi Esau,
ceu eũ q̃ uirtute clareat, et qui primogenita acceperit, ac in omnib, dignũ ut præferreẽ.

ἐπὶ τὸ ἄκρον id est, ad fastigiũ. Fide Iacob moriens singulos filiorũ Ioseph benedixit, & adorauit * ad fastigiũ uir-
gę eius.] Filij Ioseph, Manasses & Ephraim, Manasses quidẽ prior erat, Ephraim ue-
rò posterior, attamẽ Ephraim Iacob maioribus benedictionibus benedixit, dextręq̃
Gene. 27. manus pertransuersum impositione, ac in tantũ credidit euenturas benedictiones de
regno tribus Ephraim, ut & operibus ipsis cõmonstrauerit. Adorauit eñ Iosephum
totius populi adorationẽ denunciãs. Quomodo aũt adorauit? ad summitatem uirgæ
eius, hoc est, innixus & incumbens uirgæ ob senectutem. Nonnulli uerò ad summi-
tatẽ uirgæ Ioseph adorauit, inquiunt regni sceptrũ significari per uirgam adorandũ.

Gene. 50 Fide Ioseph moriẽs, de exitu filiorũ Israel memoratus est, ac de ossibus suis manda
uit.] Adeò, inquit, credidit liberãdos Israelitas ex Aegypto, ut & adiurarit ipsos ut ós-
sa sua secum asportarent. Hoc autem fecit, non quòd tanta sepulchri cura duceretur
(quî enim adeò sapiẽs ignorasset Domini esse terram?) uerumenimuero ut perfectã
certitudinẽ populo daret, omnino promissionẽ Dei felicẽ successum nacturã euentu
ramq̃. Et quod tantopere Deo placeat, ut in Aegypto ipsi non permaneãt, propter il
lorum impietatem, ut ne ipsi quidẽ placuerit ut uel ossa ipsa in Aegypto reconderent.

Fide

Fide Moses natus, occultatus est mensibus tribus à parentibus suis eo quòd uidissent elegantem infantē, & nō timuerūt regis edictū.] Enumeratis magnis uiris qui fide transegerint ea quæ fecerint, de parentibus etiam Moſe obscuris quibusdā loquit, ruborē eliciens infirmis illis, & pusillo animo imbutis, quandoquidē huiusmodi uiris inferiores sint. In progressu scorti etiā mentionē faciet, ut pudorem maiorē inducat. Quam ob causam igitur abdiderunt ad trimestre spacium, quum mandatū regis publicatum esset, masculos Hebræos è medio tollendos? qui nō metuerūt? Planū est credidisse eos à Domino puerū conseruandū. Vnde crediderūt? Quoniā conspexerunt puerū ἀστεῖον, id est, elegantem & gratiosum aspectu, crediderunt̄q; à Deo ista amabilitate eum donatū statim in primis lasciis, adeō̄q; in cunabulis uitę. Nam ut aiunt, abiecturi eū erant, cęterùm quū blandè arrisisset, dimiserunt: adeò omnia ipsi diuina erāt. Exod

Fide Moses grādis factus, negauit se esse filium filiæ Pharaonis, magis eligens potius affligi cū populo Dei, quàm temporariam peccati habere iucunditatē.] Peruenit ad familiarissimum, ac maximè proprium exemplum, Mosen uidelicet: propterea immoratur, fusius illud tractans & amplificans. Constructio autē est huiusmodi: fide Moses renuit dici filius filię Pharaonis. Quando? magnus factus, hoc est, quum in uirum iam creuisset. perspicuum enim est eum maiora expectasse recepturū sese. Verbū negauit uel recusauit, intensum odium significat, ac propēsam eius erga regiam Pharaonis abalienationem. Animaduerte hīc, quomodo peccatum nominarit, non affligi unà cū fratribus. Hoc per prophetas obiecit Deus. Nihil quicquā, inquit, patiebantur super contritione Iosephi. & rursus,* Non est egressus ad plangendū. Domū habemus ipsis. Ac super ingemiscentes in Ezechiele datum est signum. eos uerò qui nihil huiusmodi haberent, angeli iubentur excindere. Quòd si qui uolūtariè non simul affliguntur & compatiuntur aduersa tolerantibus, peccatum admittūt, quid quęso de ijs cogitandum qui & mala faciunt, & in malis detinēt? Per temporariā peccati iocunditatem regiarum deliciarum communicationē & participationem declarat. F

*οὐκ ἐξῆλθεν ἐνὰς κόλπους οἶκον ἔχομεν ἐν αὐτοῖς

Locus iste quæratur si uel inueniri possit.

Maiores diuitias existimās Aegypti thesauris improperiū Christi.] Non dixit quę in cœlis reposita sunt bona, uerùm uirtutem Mosę demonstrans, & illos refouens atque erigens, improperium Christi dixit. Quemadmodum enim postea Christū contumelia afficiebant, qui ab eo beneficia acceperant, ac tandem cruci affixerunt, sic & antea Mosen ignominia notabant ij in quos beneficia contulerat. Qui em̄ ab Aegyptio per Mosen liberatus erat Hebræus,* ille ipse postero die dixit ei, Quis te constituit principem & iudicem super nos? nunquid me occidere uis, perinde ac interfecisti Aegyptium? Vniuersaliter enim à domesticis & beneficio affectis iniuriam sustinere, uel contumelia affici uel affligi, Christi est opprobrium. Quinetiam omnis propter bonum aduersus agentem istuc facta contumelia, et simpliciter temerarius insultus, Christi est opprobrium. Sic enim & Dominus diffamabatur, dicebaturq; publicanorum amicus, quòd cum illis cibum caperet propter eorum salutem. Vt igitur deliciæ & relaxatio sunt peccati, sic improperium est Christi. Ne igitur ægreferatis uos si à cōtribulibus affligamini, ad Mosem uerè celebrem & inclytum respicientes: & quod maius est, in ipsum Christum defigentes lumina. Sic contumelia Christi erat, apud petram contra Mosen factum populi murmur: siquidem Christus erat petra. B

* Expende num potius alius fuerit Hebræus.

Luc. 7

Aspiciebat enim ad remunerationem.] Fidei nimirum oculis.

Fide reliquit Aegyptum, nō ueritus indignationem regis.] Ecquid ais? In Exodo tamen scriptum est, Perterrefactus est autem Moses, quia res ista hæc patefacta erat. cæterùm non ueritus, hīc intellige de eo tempore quo rursus in Aegyptum redierit, atq; principatum Hebræorum susceperit. Perterrefacti enim erat omnino non reuerti, neq; ea tentare quæ antea. Quia uerò reuersus est, indicauit se fidem adhibere Deo. Quomodo autem non mansit in Aegypto, sed reliquit eam, si non metuebat nec perterrefiebat? Quoniā in priora se pericula conijcere ipsum, ac dicere, Fortasse me seruabit Deus, explorātis est ac tentātis Deū, ac planè diabolicū, sicut & Satanas Dño dicebat, Mitte te deorsum. Vel non ueritus indignationē regis, hunc ad modum intellige, nempe quòd fugerit credens quòd sit euasurus, neq; persecuturū regē, tanquā succensentem ipsi, nec etiamsi persequat̄, apprehensurū intercepturúmue. Cuius rei signum est, quòd in uicinia morari selegerit, atq; ibi latuerit: proinde fidei & hoc est. Exod. Exo. 4 Mat. 4

Inuisibilem enim tanquam uidens, sustinuit.] Perinde quasi uideret Deum secum A
conuersantem, sic omnia constanter tolerabat. Plurimum enim ad patientiã confert,
Psal. 15 habere semper in mẽte Deum. perinde ac Dauid inquit, Præuidebam Dominum in
conspectu meo, & quæ sequuntur.

Fide celebrauit pascha & effusionem sanguinis, ne qui uastabat primogenita, tangeret eos.] Haud paucis in locis diuus Paulus in trãscursu mysterium ac sacramentũ interserit, ut hoc loci, inter consolandum, paschatis sacramẽti meminit. Effusio enim sanguinis illius, hoc est, inunctio postiũ, Domini Christi sanguinem indicabat, quo peruncti fugimus in nocte uitæ huius exterminantem non perunctorũ primogenita. Moses igit quũ tum credidisset sanguinis inunctionẽ conseruaturã primogenita, demãdabat populo hoc facere. Et quãuis ille agni sanguis esset, attamẽ quatenus sanguinis Christi figura erat, tantã uim & uirtutẽ demonstrabat. Vos aũt uero sanguine peruncti, non cõfiditis isto cõmuniri: Porrò pascha sanè perfecit, hoc est, escam agni, & azymorum, & lactucarũ agrestium Moses, & credidit populũ ex Aegypto digressum conseruatũ iri. Erat autem ratio cœnæ illius itineri accommoda.

Exod. 14 Fide transierunt mare rubrum, tanquam per aridam.] Ne dicant, Vt quid profers in medium uiros inimitabiles? protulit & populum in exemplũ. Imitamini, inquit, ipsum adeò uulgus & multitudinem populi, qui crediderunt sese haud submergẽdos aqua, sicq; ausi fuerunt, cõfidentes Deo q; ueluti per aridam sint pertransituri. Adeò quæ sunt impossibilia, fides possibilia efficit, & quomodo uos diffiditis?

Quid experti Aegyptij deuorati sunt.] Ne quis dicere possit imaginem quandam uel inane spectrũ fuisse, aquã non fuisse, demonstrarunt Aegyptij isti quòd mare fuerit. Quum enim tentassent pertransire Aegyptij, absorpti sunt ab eo. uasto enim impetu contra eos mouebatur, quod iam antea in traiectu Hebræorum instar muri erectum constiterat: perinde ac postea flamma aduersum treis pueros parata commonDan. 3 strauit. flamma nãq; erat, quum Babylonios depasta sit. Sic leones Danieli parcẽtes, B
Dan. 6 naturam pòst suam in delatoribus eius quos laniabant, ostenderunt.

Iosue 6 Fide muri Iericho corruerunt circundati ad septem dies.] Quum enim Deus hoc mandasset, non hæsitarunt in fide sua Iosue et populus, nec dixerunt, Ecquid hoc est? num tubarum sonitus naturã habet deijciendi lapides & munitiones? sedenim crediderunt sic fore, & sic factum est.

Iosue 2 Fide Rhaab meretrix non perijt cum inobedientibus, excipiens exploratores in pace.] Ecce, quod & suprà dixi, contumeliosissimam personam producit, ut pudefaciat eos, quum tali muliercula inferiores esse uideantur: ac simul fidei uirtutem atq; potentiam ob oculos ponat, quæ certè ingens est, quandoquidem in contemptis & damnatis etiam talia efficiat. Fidem igitur ipsa submonstrauit, quũ abderet uiros qui quærebantur ceu exploratores. Nõ occuluisset autem, nisi credidisset urbem esse intercipiendam. Sic enim dixit: Compertum habeo quòd capietis hunc locum: audiuimus enim opera uestra. Et ipsa quidem auditis credidit: qui uerò Dei mirandis rebus gestis non adhibuerunt fidem, perierunt.

Ecquid adhuc dicam?] Quum in meretrice differendi finem fecisset ac abundè satis eos à personæ qualitate notasset, ac pudorem induxisset, deinceps compendij gratia sigillatim omnes alios non explicat, ne ineptus esse uideatur: uerùm nec omnino tamen reticet, sed uisus prætermittere non prætermittit. Sic neq; auditorem mœrore afficit, ac nihilominus pluribus quæ uult conficit & construit.

Deficiet em̃ me renarrantẽ tempus.] Quale tẽpus? uel, uniuersum. Dictum aũt est, ut solemus nos loqui, hyperbolicè: uel tempus quod epistolæ tribui solet.

De Gedeon, Barac, Sampson, & Iephth, Dauid, Samuel, & prophetis.] Quærunt nõnulli, qua de causa hic Iephthe & Sampson & Barac ponat. Quid ais? Qui scortũ posuit, hos prætermitteret? Nec enim est quòd aliam eorum uitam mihi recenseas, sed num in fide resplenduerint, hoc tecum reputa. Non enim uitarum explorationẽ facit, sed fidei indicationem.

Iud. 6 Qui per fidem uicerunt regna.] Hi scilicet qui cum Gedeone militarunt.

Operati sunt iustitiam.] Quinam? illi ipsi, & Sampson. Etenim hostes congenerũ
Iud. 15 & contribulium suorum ulti sunt, domesticis et amicis suis humani & clementes uisi:

aduersus

aduersus autem uim inferentes hostes, insurgentes. Iustitiæ porrò isti huc munus est, cuiq; tribuere quod se dignum est.

Adepti sunt promissiones.] Vt Dauid. Iurauit eñ, inquit, Dominus Dauidi, De fructu uentris tui ponam super sedem tuam. Quod sensibiliter quidem in Solomonẽ euenit, spiritualiter autem ad Dominũ Iesum pertinet: is enim uerè Solomon, id est pacificus, re ipsa enim pax est. Id enim Solomon ualet, si interpreteris, pax uidelicet. *Psal.131*

Obturauerunt ora leonum.] Daniel & Sampson. D

Extinxerunt impetum ignis.] Tres pueri. Non dixit autem, extinxerunt ignẽ, sed uim ignis, quod maius est. Etiamsi enim accenderetur, uirtutem tamẽ urendi aduersum ipsos non habebat. *Iud.* *Dan*

Effugerunt aciem gladij.] Hi quoq; tres pueri, uel ut rectius & magis propriè dicamus, Elias gladium Iezabelis, & ipse Dauid Saulis. 1 1 E 4. R

Confortati sunt ab infirmitate.] Ex captiuitate Babylonis reuersi. nihil enim ab ossibus mortuorum differebãt, ut apud Ezechielem dictum est, Quinetiã Ezechias ægrotans, uitæ appendicem accepit. *2.Esd.4*

Fortes facti sunt in bello, castra uerterunt exterorum.] Hæc & illi ipsis à Babylone reuersis quadrant. Nam finitimas gentes semper inuidentes eis, ac insurgentes tum magis quàm antea, Dei tamen uirtuti confidentes, per fidem debellarunt. Conueniunt etiam Sampsoni potissimum.

Acceperunt mulieres ex resurrectione mortuos suos.] Sareptana per Eliam, & Sunamitis per Elisæum. *3.Reg.17* *4.Reg.4*

Alij autem distenti sunt.] Hoc est, decollati sunt, ut Ioannes præcursor, ut Iacobus filius Zebedæi. Quidam autem distendi, pro fustibus uerberari acceperunt. *Matt.14* *Act.12*

Non suscipientes redemptionem.] Hoc est potuissent non reprehendere quos reprehendebãt, ac liberari, ab eo quod ipsis inferebatur supplicio, uerùm noluerũt hoc.

B Vt meliorem resurrectionem assequerentur.] Meliorem, non talem, qualem pueri illorum mulierum: uel meliorem respectu aliorum mortalium. Sancti enim ad occursum Domini clari & splendicantes in nubes attollentur, quod alio in loco ἐξανάστασιν, id est, exurrectionem dicit: Et aliter, Quia in uitam æternam. Reliqui autem infrà manebunt & ad supplicium æternum ipsis erit resurrectio. *1.Thes.4*

Alij uero ludibria.] Quemadmodum Elisæus illusus à pueris, uel Sampson ab alienigenis, quum effodissent ei oculos. *4.Reg.2* *Iud.16*

Et uerbera experti.] Et multi prophetarum, & Petrus postea, & Ioannes. *Act.4.5*

Insuper uincula & carcerem.] Vt Ieremias, Michæas, & apostoli postea. *Hier.20*

Lapidati sunt.] Vt Nabuthe, ac Stephanus dehinc. *3.Reg.22*

Secti sunt.] Vt Esaias à Manasse, quem et lignea serra aiunt serratum siue sectum esse, ut eo tristius & acerbius esset supplicium: quum ita supra modum cruciaretur. *3.Reg.21* *Actuum 7*

In occisione gladij mortui sunt.] Vt Michæas, & Zacharias, & Iacobus, & Ioannes. Animaduerte aũt quomodo alij quidẽ per fidem ora gladij euaserint, alij uerò in occisione gladij obierint mortẽ. Huiusmodi eñ res fides est, quę & magna perficiat, & magna patiatur, & nihil tamen se pati æstimat. Quî igitur uos nihil dum tale passi, mœretis, ac tristes estis? *2.Par.24* *Actuum 12* *Mat.14*

Circumierunt in melotis, in pellibus caprinis.] Vt Elias, & qui cũ eo erant. Quia enim nondum tantam de apostolis opinionem conceperant, postquã illorũ mentionẽ fecisset ad inclytum prophetam qui in cœlum sublatus est, uenit. Quod aũt ait, Circuierunt, eos persecutionem esse passos indicat, & in uno non potuisse firmos morari loco: adeò nihil facultatum possederunt. Melote autem, pecudis uel ouis est pellis.

Egentes.] Vt ille ipse Elias & Elisæus. Mulieres enim eos alebant. *3.Reg.17*

Angustiati, afflicti.] Haud parũ enim Eliam Iezabel persecutione sua afflixit. *4.Reg.4* *2.Reg.19*

Quibus dignus non erat mundus.] Non potestis dicere, inquit, q̃ peccatores quũ essent, hæc sint passi: uerùm tales fuerũt, ut & ipso mundo honoratiores & præstãtiores essent. Mundum autem, & hominũ multitudinem, et mundi structuram scriptura appellat. Vtraq; aũt hîc accipiuntur. Si uniuersam, inquit, mundi structuram cum hominibus qui in eo sunt opponas hisce, nõ inuenies tamẽ quod illis dignitate respõdeat. Hîc aũt excitat eorũ corda, ut nihil quærant eorum quæ sunt in mundo: siquidẽ

mundus est indignus sanctis. Iniuria enim tua est, si hic acceperis mercedem. Monstra A
sti teipsum nullius esse precij, quum mundana spiras. Si igitur uniuersus mundus nō
est dignus uno sancto, quid partem quæritas.

cg. 18 In solitudinibus errantes, & montibus & speluncis, & cauernis terræ.] Vt Elias, et qui clanculum prophetæ ab Abdia in spelunca alebantur. Neque solitudinem, inquit, immorari citra pauorem permittebātur, uerùm inde etiam metu abigebantur, & aliàs alibi errabant. Attamen credebant sese consolationem æternam acceptures â Deo, & sufferebant hæc.

Et hi omnes testimonio fidei probati non acceperunt repromissionem.] Quid, inquit, pusillanimes estis, q̄ quum in certamine sitis, nondum acceperitis præmium, & laboris compensationem? Præmemorati omnes sancti etiamsi testimonium haberent quòd placerent Deo, nondum tamen assequuti sunt cœlestium bonorum promissiones. Inferas q̄idem adeoq̄ terrestres nonnulli promissiones adepti sunt, ut Dauid. Cæterùm id non erat quod quærebatur, sed quę in cœlis sunt, hæ reuera sunt promissiones.

Deo de nobis melius aliquid prouidente, ut non sine nobis consummarentur.] Melius aliquid, hoc est, ad honorem nostrum. Ne uideantur enim nobis esse potiores si primi coronentur, unum omnibus coronarum tempus statuit. Nec dixit, ut non coronarentur, cæterùm ut non consummarentur. Proinde tunc perfecti uidebūtur. Præterea iam nunc arrabonem & pignus honoris habent. Vnde enim eis potestas esset ut succurrere queant inuocantibus se? unde ipsis q̄ fiduciam habent intercedendi? Perfectionem autem & consummationem tum accipient. Nónne igitur iniustus est illis Deus, si nos anteuerterint laboribus, in coronis autem nos expectent? Minimè, nam & illis hoc amplectendum uenit, ut cum fratribus coronentur. Corpus unum omnes sumus. Maiorem igitur corpori uoluptatem præbet, si communiter secundū omnia membra sua coronetur. Pater amoris affectu exuberans erga sua pignora liberósue Deus, uarios sanè filios habet, quorum alij quidem redierūt ex agris celerius perfectis operibus suis, alij uerò persistūt illic operantes. Dedit igitur ijs qui primùm laborarūt, præguſtationē quandam, dicens ac mādans eis, ut ad perfectū usq̄ conuiuium fratres expectēt, q̄ humani quū sint, læti expectāt, ut in cōmune exhilarentur.

Sanctorum inuocatio et intercessio.

B

CAPVT XII.

ADeoq̄ & nos tantam habentes circūpositam nubem testium.] Non dixit sublatam & in sublimi pendentē super nos, sed circumpositā, hoc est, undiquenos continentem. Testes aūt non eos tantùm uocat qui sunt in nouo testamento, sed qui
Dan. 3 in ueteri etiam. Nā & ipsi testimoniū præbuerunt Dei magnificentiæ, tres pueri, Daniel, & omnes prophetæ. Non dixit aūt multitudinē, sed nubem, proprio maximè usus uocabulo ad præsens argumentum. Postq̄ enim ipsi afflictionum æstu premebantur, instar nubeculæ cuiuspiam memoria testimoniorū resocillabit uos, ex omni uos parte cingens & complectens.

Deponentes omne pondus.] Hoc est, terrestrium negociorum sarcinam, & curas illis admixtas. nihil enim aliud sunt quàm uana sarcina. Quid igitur ægrè fertis ab hac liberari?

Et facile circunstans peccatum.] Vel quod facilè nos circūsteret, uel quod facilè circunstantiam & deuictionem pati possit. facile enim est, si modò uelimus, uincere peccatum. Vel propter quod facilè quisquam in circumstantias & pericula incidit. nihil enim adeò periculosum, ut peccatum.

Per patientiā curramus propositū nobis certamē.] Nō dixit pugillatū exerceamus aut luctemur, sed quod omniū facillimū erat, de cursu uidelicet in medium deprompsit. Neq̄ dixit, Addamus cursui: uerùm in illo ipso sustineamus ac patientes simus. Alij sanè per continentiā, alij per eleemosynā, alij per aliam uirtutem currere debent, uos autem per patientiam: huius eīm uobis est necessitas, ut iam antea memoratū est.

Aspicientes in authorem fidei & consummatorem Iesum.] Hoc est, si uelimus discere quomodo per patientiam sit currendum, ad Christum respiciamus, quemad-
Mat. 11 modum qui artes discunt, præceptores suos intuentur. Quod etiam ipse dixit, Disci
Matt. 10 te à me, & rursus, Quòd si patrēfamiliās Beelzebul appellarunt, quanto potius uos domesti-

domesticos ipsius: &, Non est discipulus supra magistrum. Quid autē est quod ait, * authorem, & consummatorem: hoc est, ipse & fidem nobis ab initio imposuit, Nō enim uos me, inquit, elegistis, sed ego uos elegi, ac finem etiam & consummationem ipse apponet, ut uos eam perfectissimam sitis habituri. Ioan. 15 * ἀρχηγὸν ducem, tij auth.

Qui pro proposito sibi gaudio sustinuit crucem, ignominia contempta.] Licebat ipsi non mori, & poterat non pati. Quum eīm peccati omnis expers esset, morti haud subiacebat: quod & ipse ait, Venit mundi princeps, & in me nō habet quicq̄. Si igitur noluisset, non esset crucifixus, quod & ipse dixit, Potestatem habeo ponendi animam meam. Attamen crucem sustinuit, hoc est, non simpliciter mortem, sed contumeliosam & opprobrijs obnoxiam, aspernatusq̄ est ignominiam inde prouenientē. Non dixit autem, Tristitia contempta: neq̄ enim cum tristitia ista ferebat. Ioan. Ioan.

Atq̄ in dextera sedis Dei sedet.] Animaduerte hîc, finem patientiæ, de qua & alio in loco ait, Propterea Deus etiam superexaltauit eum: de carne loquens. Atq̄ potest uobis mercedem rependere pro afflictionibus suo nomine toleratis, Cathedra enim & sedes ad dextram, æqualitatem cum patre significat. Ph.

Recogitate eīm eum q talē sustinuit à peccatoribus aduersum se contradictionē.] Quòd si quispiā conseruorū suorū reputet afflictiones, abundè consolationū recipit: quanto magis si Domini sui, qui tantam cōtradictionem pertulit, afflictiones secum expendat: hoc est, risus, subsannationes, conuicia, in faciem uerbera, quanta contradicebant doctrinæ eius, clamores apud Pontium Pilatum, postremò crucem ipsam. Plena eīm significantię est dictio, Talem, hoc est, ad mortem usq̄ perducentem, cui latrones simul adiudicati erant, idq̄ à peccatoribus, ethnicis uidelicet, ipsisq̄ Iudæis.

Vt ne defatigemini animabus uestris deficientes.] Christum enim ante conspectū uestrum statui, mentibusq̄ uestris præfigi, cōsortabit animas uestras, & uires ac neruos addet: nec sinet deficere, nec in afflictionibus desperare.

B Nondum ad sanguinem usq̄ restitistis aduersus peccatū repugnantes.] Duę sunt adhortationis & consolationis species inter se contrarię: altera quidem, si cuipiam dicas, Magna equidem passus es, memento illorū, altera uerò, si dicas, Nihil dum arduī passus es. Hisce duabus nunc utitur Paulus ad Hebræos. Quū eīm suprà dixisset, Multum certamen sustinuistis passionū, adhortatusq̄ esset ut seipsos imitarentur: nunc diuersum ostēdit, eos nondū quicq̄ ratione dignū sustinuisse, ut ne extollant. Obserua hîc sapientiā. Posteaq̄ meminisset priscorū sanctorū, q magna sustinuerāt, atq̄ adeò Dñi ipsius, tūc ostendit eorū afflictiones nullas esse. Nondū eīm ad mortē usq̄, inqt, puenistis, sed ad pśecutiones usq̄, et usq̄ ad rapinas: Christus aūt usq̄ ad mortē uenit. Porrò quū restitistis inqt, ostēdit peccatū uehemēs quiddā spirare, essecq̄ eis oppositū, ipsos aūt stantes et cōtranitentes, nondum tamen in letalibus, uerùm in leuioribus. Supra 10

Et obliti estis * adhortationis.] Adeò, inquit, remissi estis et in segnitiem resoluti, ut & adhortantium uos ad fortitudinem sermonum sitis obliti, atqui nondum magni quicquam passi estis. Ingentes enim ac dignæ ratione aliqua afflictiones, obliuionē sæpenumero incutiunt rerum necessariarum. * παρακλήσεως adhortationis uel consolationis.

Quæ uobis tanq̄ filijs loquitur: Fili mi noli negligere disciplinam Domini.] Non enim proprijs filijs loquebatur Solomon, sed omnibus qui audire poterant, & uobis omnino: propterea particula ὡς, tanquam, est apposita. Prouer. 3

Neq̄ defatigeris dum ab eo argueris.] A Deo igitur tentationes adducuntur: q̄ si à Deo, ad commoditatem omnino nobis cedent. Aut enim ipsi inprimis placet & præcipuus est, qui nos tentat, ut à peccatis liberemur: aut nos tentari permittit, ad probationem, utq̄ plures consequamur coronas.

Quem enim diligit Dominus, castigat: flagellat aūt omnem filium quem recipit.] Fieri nō potest ut quispiā inueniatur dilectus Deo citra afflictiones. Nónne igitur latrones et fures flagris cæduntur: filiine & illi sunt: Minimè gentium: non enim dixit, Quisquis flagellatur, est filius, sed omnis filius flagellatur. Latrones igitur non filiorū instar flagellantur, uerùm ut scelerati puniuntur. Hîc autē quum prius dixisset, Castigat: intulit postea, Flagellat: ut nō ueluti sceleris ultionem, sed ueluti eruditionē & institutionem intelligas flagellationem filij quem recipit, quem admittit, hoc est, quē approbat, quem præ cæteris assumit, & familiarem amicum sibi conciliat.

Si castigationem sustinetis, tāquam filijs offert se uobis Deus. Quis enim est filius quem non castigat pater? Quod si extra * disciplinam estis, cuius participes facti sunt omnes, ergo adulterini & non filij estis.] Ex quibus illi putabāt sese à Deo derelictos, ex ijs ostendit eis q̄ fuerint curæ Deo. Si, inquit, afflictionibus caruissetis, nothi fuissetis, illegitimiq̄ filij, & non genuini. Cui enim parentum, nothorum institutio & ornatus curæ est? Quia uerò affligimini, ex his aūt obueniat uobis, ut ornatè atq̄ moderatè uiuatis, perinde ac omnes præmemorati, uidelicet iusti, qui & filij Dei uocati sunt planum est et irrefragabile q̄ uobis ut filijs sese offerat Deus, atq̄ uestri curam gerat, ut ne uacantes institutione praui euadatis, atq̄ hinc uos hæreditate abdicet.

* παιδέα. castigatē, disciplinam siue institutionē eorum; insectans.

Deinde patres quidem carnis nostræ habuimus eruditores, & reuerebamur eos: num multo magis obtemperabimus patri spirituum, & uiuemus?] Ex rebus eorum demonstrat rursus q̄ oporteat eos patientes esse. Si enim quum carnales patres nos castigabant, non audebamus resilire, sed pudore suffundebamur, & patienter sustinebamus quæcunque nobis inferebant: quanto potius nunc Deo nos castigante & erudiente? Animaduerte autem. Non dixit, quanto magis sufferemus, sed obtemperabimus, ostendens q̄ sit cōtranitentis & aduersantis Deo, non sustinere afflictionē. Patrem autē spirituū, uel donorū, uel incorporearū uirtutū dixit: uel quod magis proprium est, animarum. Ad discrimen enim carnalium parentū, spiritualem posuit. Viuemus adiecit, ut submōstret inobedientē nō uiuere. alienus ēm est à Deo q̄ est uita.

Et illi quidem tempore paucorū dierū.] Neq̄ enim possunt omnino nos erudire, ut perfectos reddant. Aut enim obitus patris, uel ætas prouectior & durities filij sistit institutionem siue castigationem, Deus aūt castigās semper perfectos potest efficere.

Secundum uoluntatem suam erudiebant nos.] Nō autem omnino quod patri uisum est, commodat etiam filio. plericq̄ enim turpes etiam docent artes.

Hic uerò ad id quod utile est in recipiendo sanctificationem eius.] Deus ad commoditatem nobis inducit institutionem siue castigationem, non ut quicquam à nobis accipiat, uerùm ut impertiat nobis potius sanctitatem, hoc est, puritatem suam, ut simus, inquit, nos capaces bonorum eius. Igitur eruditio & castigatio, participatio mœroris, quum sit sanctitatis est, & nō immeritò. conuertit enim animam ad Deum sanctum, non sinens eam ad humanum quiddam torqueri deuoluiue.

* παιδεία

Omnis autem * disciplina in præsenti quidem non uidetur esse gaudij, sed mœroris.] Rursus à uulgari opinione, adhortationis occasionē accepit, & ait: Omnis disciplina siue castigatio, tam diuina quàm humana, nō uidetur esse gaudij, sed mœroris. Pulchrè aūt uidetur ait. non enim uerè est mœroris: quomodo enim propriè fuerit mœroris, quū sit lætitiæ mater? Sed nostri respectu, qui ægrè ferimus disciplinam, & castigatio nemuidetur, dictum est.

Postea uerò fructū pacatū exercitatis p eā reddit iustitię.] Quid est pacatū? hoc est, turba uacantē, læuem, suauē. Qui ēm contristat, conturbatur: qui uerò lætatur, læuorem quendā habet, ac tranquillitatē. Fructus aūt ille iustitiæ est, quandoquidē iustus est Deus, qui in hoc seculo turbatos, illic refocillat. Obserua autē, q̄ exercitationem uocet disciplinam, quippe quæ confortet fideles, ac uelut quosdam athletas & robustiores faciat. Quid igitur eam auersamini quæ animas uestras confirmat?

Propterea remissas manus ac dissoluta genua erigite.] Veluti ad pugiles quosdam & certatores differit. Ex Esaia hunc sibi desumpsit locū, indicās ex trāslatione præcipuarū partium, q̄ toti sint soluti animo. Manus ēm operationis, pedes uerò motionis sunt symbolū. Mœrētis igitur ac desperantis inprimis animæ instrumenta, deinde & corporis ex consequenti sunt remissa, ac uiribus destituta.

Esaiæ 35

* τροχιὰς, gressus, orbitas, uias, cursus.

Et * gressus rectos facite pedibus uestris, ut ne quod claudū est aberret, magis autē sanetur.] Hic ueluti ad cursores differit. perinde ac in superioribus dictū: Per patientiam curramus. Ait ergo, gressus rectos. τροχιὰ uerò est uel uestigiū rotæ currus, quod terræ imprimitur, uel subiectus locus currentium pedibus. Sint igitur orbitæ uel uiæ uestræ læues, planæ & æquales. hoc est, nihil asperum uel triste uel inæquale sit in animabus uestris: uerùm æqualiter & planè & citra mœrorem currite, ut ne claudicātes, hoc est, natura pusillanimes & inualidi, Iudæorū in morē (huiusmodi ēm gens est Hebræa) Vel etiam claudicantes circa fidē futurorū, adhuc offendatis & illidatis, aberrentq̄

aberrentq; pedes uestri, hoc est, omnino obliqui & peruersi fiant. Qui enim naturali, ad quæ principio ei accidit, pusillanimitati se submittit, non cohibens seipsum, sed dedens potius, paulatim impendens omnino excidit in desperationis profunditatem ac præcipitium, adeò ut inde uix reuocari possit. Date autem potius operam, ut quod in uobis claudum est, curetur: hoc est, etiamsi hactenus incredulitatis nõnihil habuistis, corrigite potius: ubinam enim esset in patiente incredulitas. Animaduerte aũt quomodo manifestè inducat pœnitentiam, atq; id obserua propter Nouatianos.

Pacem persequimini cũ omnibus.] Quod suprà dixit, Non deserentes collectionẽ nostram, id nunc etiam agit, ad dilectionẽ congregans: nec solum erga amicos ac familiares, uerumetiam erga hostes pacem habere ac sectari admonẽs. Cum omnibus enim, inquit, & Græcis, & Iudæis hostibus. Quantũ em̃, inquit, in uobis est, cũ omnibus hominibus pacẽ habete. Si huiusmodi propositũ habueritis, nõ desperabitis, nec eritis pusillanimes in afflictione. Reputa etiam quod dixit Persequimini, hoc est, pacem etiam remotã, ac quæ procul est, studete cõprehendere, ad uos ipsos attrahentes. Si

Et sanctimoniam.] Hoc est puritatem, siquidẽ innuptus quispiam est, custodiẽs uirginitatem: si autem matrimonio quispiam iunctus est, huic per sanctificationem temperantia hîc denunciatur: non q; nuptiæ sint sanctificatio, sed quia incõcussam seruãt sanctificationem siue sanctimoniã à baptismate partam, per legitimã mixtionẽ. Honorabile quippe connubium, non autem sanctum, sed sanctificationis custos. *Matrimonium pretiosa res, sed nõ sancta.* 1. Cor. 6

Sine qua nemo uidebit Dominum.] Neq; enim fornicatores, neq; mœchi, neque molles, neq; masculorum concubitores regnum Dei hæreditabunt. Ac Dominus in euangelio, Beati, inquit, mundo corde, quoniam ipsi Deum uidebunt. Matth. 5

Considerantes, ne quis desit gratiæ Dei.] Perinde quasi longũ iter sint emensi quidam cũ multo comitatu, dicit, Videte ne quis remanserit. Nõ enim hoc quæro solùm ut uos assitis, enimuero ut & alios obseruetis, & contemplemini: hoc est, uisitetis, cognoscatis, perdiscatis, quod est de infirmis: & si uel unus tantummodo posterior fuerit, ne hunc quidem neglexeritis. Gratiam autem Dei, fidem dicit, & optimam uitæ rationem, adeoq; futura bona. hæc enim omnia sunt Dei gratiæ. B

Ne qua radix amaritudinis sursum germinãs interturbet.] Hoc in Deuteronomio habetur. Est autem metaphora à plantis sumpta. Quod uerò alio in loco scribit, Modicum fermenti totam massam fermentat: isthuc & hîc dicit, Ne quis prauus ad plurium perniciem relinquatur. Excinde, inquit, amaritudinis radicẽ, hoc est peccati, ut ne germina proferat, hoc est ne alios tales faciat. Quòd autem amarũ sit peccatũ, imò uerò nihil ipso amarulentius, nouerũt qui post commissum flagitium conscientia macerantur. Obserua hîc q; nõ dixerit radicem esse amaram, sed amaritudinis radicem. potest enim amara radix bonos fructus proferre. Amarulentiæ autem radicem, hoc est, fontem & propositum siue causam, non est possibile dulcem proferre fructum. Deut. 29 Ad Gal. 1. Cor. 5 *Peccatum, amarũ est.*

Et per illam inquinentur multi.] Qui enim petulantes uident, ad æmulationẽ eorum incitantur, & ueniunt segniores, ipsorumq; animi inquinantur. Itaq; huiusmodi radices excindantur.

Ne quis fornicator, aut prophanus ut Esau, qui propter unam escam uendidit primitiua sua.] Non hoc dicit, q; fornicator Esau fuerit, sed eò usq; iste, ne quis fornicator in uobis sit. Indicat autem obscurè, tales apud eos quosdam fuisse. Neq; tamen eos uult palàm arguere, sed ignorantiam simulat ut emendent. Deinde ab alio principio dic, neq; prophanus ut Esau, hoc est, gastrimargus, helluo, uorax, mundanus, spiritualia prophanãs & cõculcans. Datũ enim à Deo honorem primogenitorum uendidit, idq; pro una esca. Hæc uerò est prophanatio, contemptus nimirũ diuinarũ rerũ. Hic autem demonstrat ipsis quantum sit mali, segnities, quoniam prior factus est posterior animo deficiens, neq; quicquam aduersus escæ cupiditatem resistens. Gen. 25

Nouistis enim, q; & postea cupiens, hæreditare benedictionẽ, reprobatus sit.] Reprobatus est à patre dicente ei, Si ipsum Dominum tuum feci, tibi uerò quid faciam filii? Quidam autem reprobatus est à Deo, dixerũt. Primùm igitur à Deo reprobatus est. Deus em̃ in causa fuit quur deceptus Isaac Iacobo benedixerit. Quòd uerò posthac quum benedictionem quæreret, reiectus sit, de patre est intelligẽdum. Vel tũ etiã ab utrisq; planum est enim, q; & pater secundum Deum, ipsum reprobarit. Gen. 27

Non

Non eñ inuenit pœnitentiæ locum, quanquam cum lachrymis inquisisset eam.] A
Nunquid igitur reiecit hîc pœnitentiam Paulus? Haudquaq̃. Quō igit dicit q̃ pœnitentiæ locum non inuenerit, etiamsi cum lachrymis eam inquisierit? Primùm igitur hoc accipe, q̃ eam, non pœnitentiam oporteat intelligere, sed benedictionem: deinde ueluti per parenthesin, pœnitentiæ enim locum non inuenit. Deinde & pœnitentiam quęsiuit quidē, non tamē ut oportet. Qūo enim pœnitētiæ est dicere, Appropinquent dies luctus patris mei, & occidā fratrē meum? Itaq̃ propter hoc nō inuenit pœnitentiā, postquā non ut oportuit eam quæsiuit. Etiamsi enim lachrymas haberet, nō fuere tamen pœnitentiæ lachrymæ, sed inuidiæ & amarulentię eius, qui nō sustineret
4 neq̃ amplecteretur amanter reprobationem. Quēadmodum neq̃ mœror Caini, pœnitentiæ mœror erat, sed inuidiæ, & indicauit etiam cædes fratris eandem. Aut igitur est quod dixi, aut quod sapientissimè Paulus eos qui nondum exciderunt, perterrefacit inquiens, magnis peccatis non esse relictum pœnitētiæ locum, ex industria hoc faciens, quatenus per metam cōseruet eos ut ne cadāt. Quū uerò nōnullos cecidisse con
Gal. 4 spexerit, iterū eos reuocat, ut ne desperēt, quemadmodū ad Galatas, Filioli mei, inqt, quos iterum parturio, donec formetur in uobis Christus. Non igitur reiecit hîc pœnitentiam Paulus, sed munit eos qui ex Hebræis crediderant, ut ne cadant.

Exod. 19 & 20 Non enim accessistis ad montem tractabilem, & accensum ignē & turbinē & caliginem & procellam, & tubæ sonum.] Ob oculos ponit, eos maioribus esse obnoxios malis, si nō sustinuerint, sed diffidant ei qui promisit, q̃ qui ueteris testamenti tempore uixerint. Expende uerò qua ratione comparationem faciat. Posteaq̃ exhibuit excellentiam noui testamenti supra uetus multis nominibus, ut hactenus est cognitum, ardua nunc profectò & longè clarissima apud patres ueteris testamenti facta ponit, & admiranda, quæ in monte Sina contigerunt, atque ostendit ea esse exigua, nec habere rationem uel pondus quo adæquari nouo queant. Illic enim multæ erant rerum imagines ad externationem puerilis istius populi. Ignis enim, ut significaretur B
punitio quam illaturus erat legislator, adiectus est, & tremendus protinus uideretur, turbo & caligo significabant adumbrationem ueteris instrumenti. Quum enim figura esset uetus illud, quousque aduenisset ueritas, obscuri sanè typi extiterunt, quū non agnoscerentur quidnam portenderent aut significarent. Inuisibile autem Dei indica-
Psal. 17 batur per hæc. Caligo enim, inquit, sub pedibus eius. Socordes autem Hebræi quum essent, procella excitauit, ut attenderent. Tubæ autem ueluti præsentis sunt regis. id enim & in secundo Christi aduentu aderit.

†παρητήσαντο, de precati sūt, deuitarunt, recusarūt. Exod. 20

Et uocem uerborum, quam qui audierunt † excusauerūt se ne eis fieret uerbum.] Deus enim audiebatur loquens, ut authoritas & fides legislationi conciliretur, neque existimēt Mosis esse uerba: omnino eñ Dei uox terrifica erat, Mosis uerò exilis. Unde deuitarunt illi Deum, dicentes Moysi, Loquere ad nos, & ne loquaī nobis Deus.

Non enim portabant quod dicebatur.] Hoc est quod à Deo dicebatur, non potuerunt auribus suis ferre, adeò terribile horrendumq̃ erat. Proinde ipsi fuerunt in causa quur Deus per carnem illis uisus sit apparueritq̃, ut possent eum capere.

Et si bestia tetigerit montem, lapidabitur, & ita terribile erat quod uidebatur.] Per hoc pariter noui testamenti excellentiam indicat. Vetus enim etsi nihil adeò magnū haberet & nouū, terribile erat, neq̃ belluā montem attingere licebat, hoc est, iumentum aliquod eorum quæ populus habebat. Nouum autem omnia perfecta habens, nihil præ se fert terrificum, sed omnia blanda.

Moses dixit, Exterritus sum & tremebundus.] Si Moses autem qui caliginem erat ingressus qui magnus et mirificus pietate, metu ita pculsus est, quāto potius populus?

Sed accessistis.] Illi non accesserunt, sed procul steterunt: uos uerò accessistis. Viden' excellentiam?

Ad montem Sion, & ciuitatem Dei uiuentis, Hierusalem cœlestem.] Pro Sina habemus Sion montem spiritualem, & urbem spiritualem Hierusalem, hoc est, ipsum cœlum, non solitudinem, illorum instar.

Et ad innumerū angelorū conuentū.] Pro populo, inquit, habemus nos angelorū myriadas, adeoq̃ pro pauore gaudiū. hoc eñ per conuentū significatur. Vbi eñ panegyris, hoc est, solennis totius populi conuentus est, ibi est lætitia. Panegyris igitur ipsa in myriadibus angelorū consistit.

Et

Et ad ecclesiam primogenitorũ qui conscripti sunt in cœlis.] Primogenitos appellat fideles, consecratos Deo ac sanctificatos, quorũ nomina sunt in libro uitæ, perinde ac Dominus etiã discipulis dicebat: Vestra aũt nomina scripta sunt in cœlis. Postquã aũt cõmunis est pater omniũ Deus (omnes enim homines sunt filij eius cõmuniter) primogeniti horum sunt fideles, adeoq; digni adoptione filiorũ, quæ est secundũ electionẽ. Vel oẽs quidem credentes filij sunt: primogeniti aũt, qui Deo bene placẽt, & præclaris donis ob sermonem & uitam probam apud Deum digni sunt iudicati. *Primogeniti.* *Lucæ*

Et iudicem Deum omnium.] Hic etiam perterrefacit eos. Omnium enim, nõ Iudæorum tantùm, cæterùm & fidelium iudex est: metuite autem hunc. Ostendit autẽ quomodo & ueteribus excellentiores sunt. Siquidem illi ne nuda quidem uerba sustinebant, neque audebant appropinquare monti, uos autem ipsum iudicem adijstis Christum. Pater enim non iudicat quenquam, sed iudicium omne dedit filio.

Et ad spiritus iustorum perfectorum.] Hoc est, ad animas eorum qui clari & perfecti sunt uisi apud Deum, per fidem uidelicet, ut demõstrauit, quibus etiam adiungendi estis, si modò illos fueritis imitati.

Ac testamenti noui mediatorem Iesum.] Non seruum Moysen adijstis, sed enim Iesum Dominum nostrum.

Et sanguinem aspersionis.] Hoc est purificationis. Sanguis enim Christi conspersus super nos, purgauit nos & sanctificauit.

Melius loquentẽ, q̃ Abel.] Sanguis igiẽ Abeli loquutus est: omnino. Vox eñ, inq̃t, sanguinis fratris tui clamat ad me. Vel q̃d et antehac prẽmemoratũ est, loquit̃ nunc, quũ celebratur et palàm fit apd̃ omneis mortales. At Christi sanguis splẽdidiorẽ uocẽ edit et significantiorẽ, et clariorẽ, p̃ res ipsas clamãs, quoniã oñeis sanctificauit. Quin et aliter: Illic loquit̃, ubi inuenerit mentẽ syncerã, excitat eñ eã, et facit loqui. Spiritus eñ loquit̃ gemitibus inenarrabilibus. Diuus aũt Cyrillus sic intellexit, q̃ sanguis Abeli damauerit aduersus occisorẽ, Christi aũt sanguis pro nobis loquitur ad patrem. *Gen. 4.* *Suprà 11* *Rom. 8*

Videte ne recusetis loquentẽ.] Quã nõ creditis eius p̃missionibus, sed desperatis. Quis autem est qui loquitur? nõne Christus? Quòd si sanguis eius loquitur, multo potius ipse uiuit.

Si eñ illi nõ effugerũt, recusantes eum qui super terrã *loquebat̃.] Quid nõ effugerũt? suppliciũ, pernicie. Eũ aũt qui super terrã tamẽ oracula reddebat, Moysen intelligit uel Deũ ipsum. è cœlis eñ descẽderat, super terrã tamẽ oraculũ edebat p̃ Mosen. In mõte nãq; Sina ἐχρημάτισε, hoc est, cõuersatus est, loquutus est, disseruit, ordinauit. *χρηματίζοντα, qui ad populũ referebat oracula siue responsa dabat.

Multo potius nos, qui de cœlis loquentem nobis auertimus.] Hoc est, Christum à cœlis *loquentem, id est, qui post assumptionem suam, legem nobis dedit per spiritũ. Non autem ueluti alius sit nunc, alius uerò tunc, hoc dixit, cæterum modus legislationis differt. Tum enim super terram agens, & res ordinans, legem sanciuit: nunc uerò in cœlum assumptus, terribilior esse possit. Quòd enim haud alius fuerit tunc, alius uerò nunc, audi quæ sequuntur. *χρηματίζοντα, oracula edendum.

Cuius uox terram tũc mouit.] Animaduertis eũ tũ quoq; fuisse qui loquereṫ, q̃ hodie è cœlis nobis responsa edit. Vox eñ eius tũ legislationis tempore terrã concusit.

Nunc autem promisit dicens, Adhuc semel, ego *concutio non solum terrã, sed et cœlum.] Duos motus aut concussiones ex scriptura tenemus factos. Prior erat terræ cõmotio, quum in monte Sina lex sanciretur. Terra enim, inquit Dauid, mota est. Alter est motus quum in carnem Christus uenisset. Mota est enim, inquit, uniuersa Hierusalem. &, Concutientur idola manufacta Aegypti. Concussa sunt eñ, hoc est, à statu sublata sunt ne suos fallant cultores, ac deiectũ est robur ipsorũ. Quod ergo ait, adhuc semel, tertiam concussionẽ significat, quę post secundã est euentura: uel eam quę in mundi cõsummatione futura est, innouationẽ, quando cuncta immutabunt̃ à corruptibilitate ad incorruptionem alteranda. Aggæi autem prophetæ hoc dictum est. *σείω, moueo, siue cõcutio. Alij σείσω, mouebo.* *Psal. 95* *Matth. 2* *Esaiæ 19*

Quod autem adhuc semel dicit, declarat mobilium translationẽ, tanq̃ factorum.] Hoc est, corruptibilis creaturæ transmutationem, cui natura est ut moueatur, ut quæ facta sit, id est, principium acceperit essentię, ac necessariò finem habeat. Omne enim quod factum est, exordium habuit: unde quatenus ad naturam eius attinet, finẽ etiã habiturũ est. Nam angeli secundũ naturã quidem non carent fine, quandoquidẽ ne principio *Angelorũ natura.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

Angelorum natura.

principio quidem uacent: gratia autem diuina, ꝙ fine careant, fintq; immortales, acceperunt. A

Vt maneant ea quæ ſunt immobilia.] Hoc eſt, futura bona. Quum enim mutata fuerint hęc corruptibilia, omnia tũ iuſtis euentura erunt incorruptibilia & inconcuſſa, nulli ſeu translationi ſeu permutationi obnoxia.

Itaq; regnum immobile ſuſtinentes, habeamus gratiam.] Quandoquidẽ inquit, talibus ornandi ſimus bonis, quæ non permutentur nimirum, ſed incõcuſſa ſint & ſtabilia, ac tale tantumq; regnum accipimus, hinc iam arram & pignus eius ſumentes, ſpiritualia nempe chariſmata, habeamus gratiam: hoc eſt, non doleamus, neq; decidamus animo, ſed gratias agamus, ei qui talia cùm dedit, tum daturus eſt poſthac.

Per quam ſeruimus, placentes Deo.] Per quam gratiarũ actionem, inquit, Si eñ grati fuerimus, tum & ita Deũ colimus, eiq; inſeruimus, ut bene ei placeamus, ac uelut ſciẽtes qualem quantumq; Dominũ habeamus. Niſi enim gratias egerimus tum pro rebus quietis & tranquillis, tum pro afflictionibus, neque eum ita colimus, ut ei placeat & gratum ſit. Quis enim ſeruus, qui murmuret aduerſum dominũ (Murmurat enim, qui ei non ut decorum eſt ſeruit) gratum hero & acceptum exhibet miniſterium? Propterea & hic ipſe alio in loco dicit, Nolite murmurare. & iterũ, Omnia facite ſine murmurationibus. Iſraelitę uerò in deſerto ceciderunt, ut murmuratores.

1. Cor. 10. Philip. 2. Num. 16.

Cum reuerentia & religione.] Hoc eſt, nihil impudens loquamur, nihil inuerecundum, quinetiam exterior facies uerecundiam habeat erga homines, & religionem erga Deum.

Deut. 4.

Etenim Deus noſter ignis conſumens eſt.] Quoniam ueteris teſtamenti res horrificas oſtendit, noui uerò nihil huiuſmodi habere, ut ne deſpicatui habeãt mansuetudinem, cum reuerentia & religione, ait, Vel gratias agamus Deo. animus enim in afflictionibus non eſt pudens ſi deſperet. Vel quia ſeruitus noſtra cum reuerentia & religione fieri ſolet: nam Deus noſter ignis eſt, ac oportet religioſos eſſe nos, ne conſumamur perinde ac contemptores, & ſui nullam rationem habentes. Reuerentes eñ, inquit, facite filios Iſrael. Porrò iſtuc conſolationem eis præbet, ſiquidẽ eiuſmodi habeamus Deum, qui poſsit aduerſarios noſtros conſumere. B

CAPVT XIII.

CHaritas fraternitatis maneat, hoſpitalitatis ne obliuiſcamini.] Non dixit, Comparate fratrum charitatem & hoſpitalitatem, habebant enim has, ut uidetur: uerùm quia ob continuas ac frequentes afflictiones periculum erat ne circa has uirtutes languerent & flacceſcerent, Charitas, inquit, fraterna maneat, ſtabilis cõſiſtat, ne ſinatis eam effugere uos. Ac date operã, ne hoſpitalitatis obliuiſcamini. tanquam eñ ſpoliati facultatibus ſuis, fortaſſe parcius ſe erga fratres gerebãt. Vel in futurũ eos munit.

* Ἔλαθον ξενίσαντες q. d. latuerunt hoſpitati, id eſt inſciẽtes hoſpitio acceperunt.

Per hanc enim * latuerũt quidam angelis hoſpitio receptis.] Adeò ingẽs & præclara res eſt hoſpitalitas, quoſuis ſimpliciter ſuſcipere, nec de tribu uel familia, ex qua quiſpiam ſit, iudicare. Proinde Abrahamo & Lot ea fuit occaſio ut angelos exceperint hoſpitio. Latuerunt autem eſt pro ignorauerunt: neſciuerũt enim angelos eſſe, quos hoſpitio receperãt, attamen amanter & honorificè eos tractarunt. Quæ res magnos eos facit. Nam ſi ſciuiſſent, nihil magni feciſſent.

Mementote uinctorum, tanq; ſimul uincti.] Qui enim cuipiam connexus eſt, etiamſi obliuiſci uelit, haud poteſt.

Afflictorum, tanq; & ipſi in corpore morãtes.] Afflictorum, uel carcere, uel fame, uel alia quapiam calamitate. Qui enim ſecum reputat ſe ueſtitum eſſe corpore ijſdem afflictionibus obnoxio, illos defendet, tum quòd condoleſcat, tum quòd metuat ne & ipſe in ſimilia mala incidere permittatur propter inhumanitatem ſuam.

Honorabile connubium in omnibus, & thorus immaculatus.] Expende quanta ſit ei ratio temperantiæ & continentiæ. Nam ſuprà ſanctimoniæ mentionẽ faciens, de hac dicebat, ac rurſus poſt hæc de fornicatoribus & mœchis dicet. In omnibus igitur, non in ſolis prouectioris ætatis hominibus, in iuuenibus autem non item, uerùm in omnibus, uel in omnibus modis ac temporibus: non in afflictione quidem, in relaxatione autem non item: non in hac quidem parte precioſum & honoratum, in illa uerò ſecus, ſed totum per omnia precioſum ſit. Hîc rubor elicitur hæreticis, qui matrimonium

Suprà 12.

A trimonium calumniantur. Ecce enim preciosas nuptias honorabile matrimonium nominat, quod in temperantia hominem conseruet.

Fornicatores autem & mœchos iudicabit Deus.] Hîc etiam cum adiuncta mulcta, fornicationis est prohibitio. Iudicabit enim Deus, hoc est condemnabit. Nec immeritò, si enim matrimonium est permissum, iure fornicator & mœchus puniuntur.

Sint mores sine auaritia.] Non dixit, Nihil possideatis: sed si habueritis facultates, ne redigamini earum in seruitutem, sed rectè eas habete, ut si quando contingat uobis ex ijs excidere, non ægro animo feratis. quod & suprà dixit: Rapinam possessionum uestrarum cum lætitia excepistis. Deinde quia haud pauci postquam res suas amiserint, eas recuperare moliuntur prætextu eleemosynæ in alios conferendæ, dicit, Sint mores alieni ab auaritia. Propterea etiam infert: Sup

Contenti præsentibus.] Modum depromit quo ab auaritia alieni esse possimus. Si nihil uidelicet præter id quod ad usum & necessitatẽ pertinet inquiramus. Qui enim plura quàm habet quærit, planum est eum auaritiæ affectu laborare.

Ipse enim dixit, Non te deseram, neq; te derelinquam.] Quia uerissimile erat nõnullos dicturos, At quid faciemus, si necessaria nobis non suppetant? Nihil, inquit, hoc, nihil profectò est. Deus enim per Esaiã dicit, Quoniã te haud deseram, neq; quicq̃ mentitur. Vel illos ipsos etiam ex Hebræis fideles uerisimile erat dicere, Et qualibus præsentibus cõtenti erimus, exuti bonis rebusq; nostris, adeò ut nihil nobis superfit? Dicit igit: †Num potestis ijs quę supersunt, quantũuis pauca fuerint, cõtenti esse? Deus eñ dixit, Nõ te deserã, hoc est, nõ te omittã. Ac etiãsi Apostolus fortasse de ad uictũ & alimentũ necessarijs rebus acceperit, de omni tamẽ causa atq; negocio accipies hoc Dei dictum. Iosue Esai. 41. † Forte ẽ, nam, abundat, ut sine interrogatione affirmetur, ut et Porsenna legisse uidetur.

Vt confidentes dicamus, Dominus mihi adiutor, non timebo quid faciat mihi homo.] Quandoquidem hæc Deus dixit, certa omnino sunt. Deinceps igitur confidentes dicimus, q̃ diripientes bona nostra, nos haud in angustias protrudent.

B Mementote præpositorũ uestrorũ, qui locuti sunt uobis uerbũ Dei.] Ad hoc Thessalonicenses quoq; adhortabat, ut eos abundantius honore afficerent. Ac quẽadmodũ illi uerbũ impertiunt, sic illi cõtrà succurrãt eis in externis corporis necessitatibus. Hoc eñ latenter indicat per hoc quod ait, mementote. Vel ad imitationẽ eorũ hos inungit. 1. Thess. 5.

Quorũ intuentes exitum conuersationis, imitamini fidem.] Hoc est, exactius considerantes. Ac quemadmodum discipuli picturas ad primum exemplar conferũt, sic & uos nunquam nõ defigentes oculos ad exitum, hoc est ad finem ipsorum conuersationis, id est morum & uitæ, q̃ bonum finem nacta sit uita, imitamini ipsorum fidem. Ex fide enim uita pura nascitur. Si enim futuris fidem non adhiberent, sed dubitarent, nõ suscepissent immaculatam uiuendi rationem. Rursus autem pusillanimitatem eorum curat, uel fidem dogmatum dicit. Infert igitur:

Iesus Christus heri & hodie idem, & in secula.] Apparet nonnullos extitisse qui fidem suffoderint, ac labefactarint, dicentes: Alius ueniet, quem hodie usq; expectãt Iudæi. Ait igitur, Idem est Christus heri, id est, omni præterito tempore, & hodie, hoc est, præsenti tempore, & in secula futura, adeoq; infinita: nec ueniet alius. ne erretis igitur. Vel quemadmodum præpositos uestros non deseruit, sed in omnibus suscipit & adiuuat eos, hunc ad modum uos suscipiet. idem enim est.

Doctrinis uarijs & peregrinis ne circunferamini.] Varijs, id est aliàs alijs, & ab alijs, atq; alijs, sed & peregrinis siue alienis à recta doctrina. Potest enim uaria esse doctrina, quæ tamen non sit peregrina, ac propterea ne reijcienda quidẽ. Quando aũt & uariæ fuerint, hoc est, ut ab hoc illud doceatur, & ab illo aliud: & peregrinæ, hoc est alienę à ueritate, tum necessum est ut præcaueamus nobis. Veritas enim simplex & unius est formæ, & ad unum respicit. Obserua autem Circumferamini, ceu de quibusdam leuibus, qui facilè huc & illuc circunferantur.

Bonum est enim gratia stabiliri cor, non escis, quæ nõ profuerunt ambulantibus in eis.] Hæ sunt peregrinæ doctrinę. Latenter aũt carpit eos qui Iudaicã obseruationem ciborum introducebant. Ait igitur, Gratia, hoc est fide, stabiliri nos oportet, ac certos reddi, quòd nihil sit immundũ, sed omnia credenti sunt munda. fide igitur, non ciborum opus est obseruatione. In cibis enim obambulantes, hoc est, in ciborum obseruatione uersantes semper, animæ suæ nihil commodarunt, quippe quia fides absit, ipsiq;

legi inutili inseruiant. Alioqui quid emolumenti habebant ex ciborum obseruatione, quandoquidē adeò polluti fuerint, ut ne participes quidem esse potuerint sacrificiorū? A

Habemus altare, de quo nō habent edendi potestatem, qui tabernaculo seruiunt.] Quoniā dixerat nō esse obseruandos cibos, ne uideantur nostra despicatui habenda, q̄ obseruatione careant: Nos, inquit, obseruationē habemus, uerū haud eam quæ sit in huiusmodi cibis, sed super altari, siue incruēta hostia uiuifici corporis. Huius ēm ut sint participes, ne pontificibus quidem legalibus permittit̄, tantisper dum tabernaculo seruiunt, hoc est, legalibus umbris & figuris quæ transeunt ac dissoluuntur. tale quiddam enim tabernaculum erat. uel mundo huic, perinde ac legalium uictimarum & sacrificiorum uulgus ut indignum haud erat particeps.

Quorum enim animaliū sanguis infertur pro peccato in sancta per pontificem, horum corpora cremantur extra castra. Propter quod & Iesus, ut sanctificaret per suum sanguinē populum, extra portā passus est.] Demonstrat, ea quę præclara apud Iudæos fuerunt, rerum nostratū figuras extitisse, nullius asserens precij fuisse ea sacra, quorum non potuerit esse consors populus, adeoq̄ ipsa multitudo. At nostri sacrificij ne legis quidem pontifices cōsortes esse possunt. siquidē nostri sacri, illæ oblationes typi erant. Vt enim animaliū quæ pro populi peccatis offerebantur, sanguinē quidem intulit in sancta pontifex, corpora uerò extra castra cremabantur: hunc ad modum Christus pro mundi peccatis passus, sanguinē quidem suum in sancta intulit patri tanquā pontifex, corpus aūt palo affixum est extra castra. Memoriā itaq̄ illius hostiæ aut sacrificij perficientes nostri pontifices, sanguinem Domini in nostra sancta ad altare tanquā in cœlum ferunt. Hanc ob rem legis pontificibus non licet ex hoc altari edere, tanquam alie nigenis, & qui supra mundum hunc non sapiant, nos autem alio sumus spiritu imbuti.

Exeamus igitur ad eum extra castra, improperium eius portantes.] Quia extra portam Christus passus est, egrediamur & nos extra portam ad ipsum, hoc est, extra mundum, improperium eius ferentes, hoc est, eadem cum ipso patientes. Ipse instar condemnati ac latronis, cruci est affixus foris. ne igitur & nos pudeat mundum egredi, eiusq̄ splendida & præclara, etiā si ignominia hoc uideatur, rursus autem eos adhortatur ferre quæ à Iudæis inferuntur ipsis, etiamsi uel iniuriæ uel rapinæ fuerint. B

Non enim habemus hîc manentem ciuitatem, sed futuram inquirimus.] Cōfirmat & ostendit hîc necessariū esse ut egrediamur extra portam, hoc est, mundum. non habemus enim participationem quandam in mundo, quandoquidem neq̄ maneat. Debemus igitur fugere extra hunc, & ad futuram urbem accurrere, hoc est, ad cœlum.

Per ipsum igitur offerimus hostiam laudis semper Deo, id est, fructus labiorum confitentium nomini eius.] Per ipsum ceu pontificem, secundum carnem, offerimus patri hostiam laudis, hoc est gratiarum actionem. Gratias enim agimus patri, qui filiū suum dederit pro sanctificatione nostra. hoc autem propter infirmos. Nam q̄ filij sit gratia, planum est ex eo q̄ sit æqualis ei cum patre honos. Vt enim omnes, inquit, filiū honorent, quemadmodum honorant patrem. Ipsa igitur gratiarum actio, fructus est labiorū confitentium, hoc est laudantiū nomen eius. Itaq̄ neq̄ huius sacrificij possunt esse participes legis pontifices. non possunt enim gratias agere pro sanguine Christi, qui neq̄ omnino per ipsum sanctificati sunt, q̄ permaneant in incredulitate. Animaduerte aūt, quî rursus eos ad gratiarum actionem impellat, ut neq̄ murmurent, neq̄ asperū quiddam ac temerarium loquantur præ pusillanimitate aut desperatione.

Beneficentiæ uerò & cōmunicationis nolite obliuiscī.] Vbi sunt qui prætexentes egestatem, eius nomine nihil impertiri uolunt? Audiant hîc, q̄ pauperrimos, quibus facultates direptæ erant, adhortetur Paulus ne eleemosynæ obliuiscantur. Hanc autem communicationem nominat, quam ob causam ita nominet, sæpe diximus.

†Θυαρεσκεῖται, *promeretur, cōciliatur.*

†Θυαρεσκεῖται Talibus enim hostijs† promeretur Deus.] Gratiarū actionis, & beneficentiæ. Qui enim gratus est adeoq̄ gratias agit, planū est eum ad impertiendum propensum esse, ut qui sciat quantis bonis sit donatus.

Obedite prepositis uestris.] Episcoporū mentionem facit, eosq̄ hic intellīgit. Cum autem prius eos laudibus euexisset, fideles eos appellando, ac dignos quos imitarentur ij qui eos contemplarentur, & ob oculos ponerent: tunc infert, Obedite. Quid igitur cuiuisne principi aut magistratui obtemperandum, etiamsi prauus & sceleratus fuerit?

A fuerit: quomodo dicis malum: Si citra fidem, fuge eum, etiamsi angelus de cœlo fuerit. Si autem in moribus malus sit & uita peruersus, obtempera ei. Omnia enim quęcunq; dixerint uobis ut faciatis, facite: secundum aũt opera eorũ nolite facere. De ijs qui circa fidem erant corrupti ait: Doctrinis uarijs & peregrinis nolite circumagi. Quid ita? Nam male agens, haud alijs consulet ut malè uiuant. nam & ipse talia perpetrans, rubore suffunditur, & pudet eum suorum scelerum: quod uel inde liquet, quia conatur omni ratione occultare quod perpetrat. Qui uerò in fide peruersus fuerit, populo etiam suam opinionem & uirus promulgare ac denunciare cupiuerit. Matt. 23.

Et subiacete.] Intensam hic obedientiam per uerbum ὑπάκουε indicat, ut si operibus etiam eis seruiendum sit, non detrectent.

Ipsi enim uigilant, pro animabus uestris tanquam rationem reddituri.] Audiant hic præpositi. Perinde nanq; ut populum morigerum esse cõuenit, sic sacerdotem esse excubitorem pro populo, ut qui rationem sit pro peccatis eius redditurus.

Vt cum gaudio hoc faciant, & non gementes. hoc enim non expedit uobis.] Si cesseris, inquit, & morem gesseris præposito siue duci tuo, onus quod ex cura tui ille gerit, ei leue reddis ac facile, ut qui gaudeat propter obedientiam tuam. Sin impudens sis & inobediens, ipse quidem etiam sic uigilabit pro anima tua: ueruntamẽ nisi correxeris inobedientiam tuam, ingemiscit aduersus te ad Deum, quod sanè tibi inutile futurum est. Expende autem quod præposito, siue episcopo nõ aliter uindictã permittat, quàm per gemitũ. Quæ res mãsuetudinẽ in eo sanè conciliat: ei uerò qui in inobedientia sua perdurat, neq; uitæ suæ impũræ mores in melius mutat, maiorem pœnæ ac supplicij pyram accendit, acrius uindicem & punitorẽ Deum permouẽs. Quocirca ne asperneris, etiamsi solum gemitũ habeat episcopus tuo nomine aduersus peccatum inobedientiæ tuæ, tu qui præsidi haud obtemperas: quin potius metue, quia Deo te tradit.

Orate pro nobis, cõfidimus enim q; bonam conscientiã habemus in omnibus.] Ca-
B lumniabantur nõnulli Apostolum, q; defectionem à lege doceret: eam ob rem pleriq; ex Hebræis fidelibus, non perinde credebant aut obtemperabant ei. Hanc ob rem ne nomen quidem suum in epistolæ huius principio posuit, quandoquidem illud aures ipsorum nõ ferrent. Nunc ergo sese defendens & excusans apud eos, primùm quidem rogat ut ipsi pro sese ad Deum preces fundant, quod ab amantibus nostri solemus eflagitare: deinde se innocentem monstrat. In omnibus enim, non solùm apud gentes, sed ne apud uos quidem quicquam per simulationem aut fucũ egimus, sed conscientia nostra pura est. Nec sumus conscij nobis q; insidias uobis struxerimus, aut mali quiddam aduersum uos designarimus, aut uos calumniati simus. Suprà 7.

Bene uolentes conuersari.] Hoc est, cupientes citra offendiculum uitam ducere, citraq; scandalum. Etenim hoc ipsum q; dico legem abrogatam esse, nõ est inimici neq; hostis. etenim completionem potius legis illam demonstro, adeoq; adumbrationem illam consummationem iam tandem accepisse. Quomodo igitur defectionem hanc dicetis: ecqui non potius ego benefactor uester iudicor, ad perfectionem uos totos dirigens, ac omnino transferens uos ab umbra & infantili affectu?

Amplius autem deprecor uos hoc facere, quo celerius restituar uobis.] Hoc ualde amantis est ipsos, qui ita ardenter & ex animo pro sese illos precari cupiat, & cum omni diligentia, ut celerius restituat ipsis. Simul aũt ostendit sese conscientiæ suæ fidere, ac eã ob rem ad eos accurrere: quod sanè haud feciſſet, si sibi alicuius mali fuisset conscius.

Deus aũt pacis.] Cum primùm ab ipsis petijsset orationes apud Deum, eosq; hac in re honore affecisset, pro ipsis etiam deinceps hoc modo preces ad Deũ fundit. Quando quidẽ, inquit, Deus pacis est, nõ oportet uos dissidere à me, idq; ex tenui famæ aurula.

Qui reduxit ex mortuis pastorem ouium illum magnũ.] De resurrectione ipsis uerbum & prædicationem confirmat, ex Esaiæ uaticinio locum adducens. Tanquam ue- Esa. 26.
rò & alij pastores quidem sint, sed parui, magnum dixit. Multi nanq; prophetæ docto- & 36.
res sunt, sed unus præceptor omnium Christus.

In sanguine testamẽti æterni.] Hoc est, excitauit ipsum ex mortuis qui mortuus fue- Matt. 26.
rat, & sanguinẽ suum effuderat, ut daret nobis testamentũ haud ullis seculis dissoluendum, neq; sic abolendum, ut legale dissolutũ est & abolitum, uerùm quod in sempiternum duret. Vel hunc ad modum intelligas: Excitauit ipsum ex mortuis cum sanguine

testamenti æterni. excitato enim ipso, sanguis eius nobis donatus est in testamentū a- A
deoq; fœdus. Nisi em excitatus esset, sanguis eius in testamentū haud obtigisset nobis.

Perficiat uos in omni opere bono.] Innuit q; opera quidem bona sint exorsi, opus
uos autem habeant in ipsis consummari, quod & optat uotis ipsis euenire. Hic †expende
icit primùm oportere nos ordiri, deinde consummationem ipsam à Deo petere.
ti-
Vt faciatis uoluntatem eius.] Nam in omni opere bono consummatus, ille facit uo-
luntatem Dei, non qui ex dimidiata parte quod bonum est tentarint.

Faciens in uobis quod placeat coram se, per Iesum Christum.] Itaq; quando feceri-
mus quod bonum est, Deus facit hoc in nobis per Iesum Christum, hoc est, utitur illo
mediatore efficiente. Qui enim principio nobis salutem est operatus, quid mirum si in
operatione etiam uirtutum mediator sit, ac paternā in nobis uoluntatem impleat ipse
nos confortans, & robur inspirans ad bonorum operum transactiones? Porrò cum di-
xisset quod placeat, adiecit coram se. Tum enim reuera ei placemus, cum coram Deo
boni apparemus ac reddimur, non quando ab hominibus tales iudicamur. Quod &
Ipsa. 17. propheta Dauid inquit: Secundum puritatem manuū mearum coram oculis eius, &
Esa. 1. Esaias, Auferte malum è conspectu oculorum meorum.

† παρακλήσεως, *id est, consolationis uel exhortationis.*

Rogo autem uos fratres, sustinete uerbum †consolationis.] Animaduertis quod ne
minī scripsit, hoc istis scribit. Non dicit autem admonitionis, sed παρακλήσεως, hoc est,
consolationis, siue exhortationis ad tolerantiam: quandoquidem ad afflictos ac ten
tationibus agitatos ei sermo sit.

Etenim paucis scripsi uobis.] Cum tot tantaq; in hac epistola dixisset, breuia tamen
& pauca dicit, respectu eorum quæ dicere cupiuit. Propemodum autem hoc eis dicit:
Etsi, inquit, pusillo & afflicto animo estis, sustinete me. non enim quisquam de prolixi
tate dictorum conqueri potest, quod in despondentibus animum fieri cernimus. Ta-
lium enim est haud sufferre prolixum sermonem.

Cognoscite fratrem Timotheum absolutum.] Erga Timotheū non erant infenso B
animo, propterea ipsum primum produxit. dimissum autem, unde? Vel ex carcere in
quo erat, ac dimissus est: uel Athenis dimissus est: illic enim erat.

Cum quo, si celerius uenerit, uidebo uos.] Hoc satis est ut persuadeat eis quò desi-
stant ab odio, uel hostili aduersus ipsum animo, siquidem paratus est uenire cum disci-
pulo. forsan uerisimile est hoc ita contigisse. Potuit enim proficisci in Iudæam ex Ro-
Act. 28. ma. Absolutus est enim prima defensione sui apud Neronem Cæsarem, perinde ac in
2. Tim. 4. huius epistolæ præfatione diximus.

Salutate omnes præpositos uestros & sanctos.] Expende hîc quanto eos honore affi
ciat. Siquidem per ipsos, præpositos etiam salutat. magis enim conueniebat, ut præposi
tis scriberet, & per illos, subditos salutaret: ipse uerò prudētissimè infirmos & imbecilles
curat ac fouet.

Salutant uos qui sunt ab Italia.] Adeò, inquit, amore uestri ego teneor, ut non solus
ego salutem uobis impertiā, uerùm ut & alijs inseram tale tantumq; uestri desideriū,
ut per tantū à uobis diuisi interuallū, uos illi uideant, & propterea saluere uos iubeant.

Gratia cum omnibus uobis. Amen.] Postquam cōmune quiddam est gratia, com-
muniter hanc ipsam & præpositis & subditis imprecatur & exoptat. Quæ autem est il
la gratia? Remissio peccatorū, purificatio, spiritus parcaleti assumptio. Quomodo au-
Gratia Dei quandiu nobiscum maneat. tem fuerit uobiscum? si eam non iniuria affeceritis, si non indignè ea uiuatis. Perseue-
rat enim apud nos, quādo opera bona habemus. auolat aūt à nobis, quādo secundum
mandata eius qui hanc nobis impertijt, non uiuimus. Faxit autem Christus, ut gratiam
illam & quāta per illam acceperimus, non agnoscentes, non cum iniuria eius qui tan-
ta nobis bona largitus est, uiuamus. sedenim per bona opera glorificātes illum, adeoq;
commonstrantes quòd non in ingratos ac beneficij immemores gratiam suam repo-
suerit, teneamus haudquaquam diminutam in animabus nostris, in ipso Christo bene
factore animarum nostrarum, cum quo patri sit gloria unà cum sancto spiritu, nunc &
semper, & in secula seculorum. Amen.

Scripta est ex Italia per Timotheum.

Enarrationum in epistolas diui Pauli per Theophylactum, finis.

Theophy-

THEOPHYLACTI BVL GARORVM ARCHIEPISCOPI COMPENDIARIA IN HABACVC, IONAM, NAhum, & Oſee prophetas Enarratio, D. Ioanne Lonicero interprete.

VNT qui dolenter admodum ferant, cum ſceleribus obnoxios, & iniquè agentes, felicē tranſigere uitam cōſpicentur, Et alij quidem ambigunt, num humanarū rerum cura tangatur Deus. Rurſum eſt reperire, qui credant quidem eſſe prouidentiā, ac interim tamen addubitent, num eam ad rationē cunctas res, omniaq; negotia Deus, ſummus ille Vniuerſi cōditor, diſpenſet. Poſteriorum itaq; perſonam aſſumens propheta Habacuc, hæſitat ſanè, ueluti cauſam, cur omnia ſic contingant, diſcere geſtiens. Dilutionem ergo infert, quam diuini ſpiritus ei ſuppeditauit gratia. Non enim ut nonnulli ſuſpicati ſunt, ipſe uates hoc in ſeſe affectu laborauit, elanguitue, cæterùm ab alijs cùm cogitata, tum dicta in medium promit, deq; quæſitis ac dubijs inſtitutionem adfert. Quod ipſum Dei ſpiritu imbutus Dauid etiam egit: ſiquidem & ille perſonā induit indignatione æſtuantem ob ſecundiores impiorū hominum fortunas, dum, Mei, inquit, ferè pedes cōcuſsi ſunt, ac greſſus mei penè ſunt effuſi. Nam excandui planè aduerſum ſceleratos, dum pacem ita peccatorū ac ſceleroſorum cernā. ac talia pleraq; adijciens. Quæſtionē huiuſmodi dilutionē ſubmonſtrauit, dum ſubdit: Hoc enim eſt labor coram me, id me ualde angit, uſq; dum fuero ingreſſus in ſanctuarium Dei, & ab ipſis remotiſsimè habitauero. Porrò inſtitutus à ſpiritu gratiæ, ſimul intulit: Veruntamen propter impoſturas ipſorū, decreuiſti eis mala. & quæ deinceps ſequuntur. Poſtea docens nos haudquaq; curioſos diuinæ diſpenſationis indagatores eſſe debere, uerū enim ſimplici eam animo reuereri ac ſequi: Factus ſum, inquit, inſtar pecoris apud te, egoq; ſemper tecū. Quemadmodum enim iumentū ſeſe ducentem ſequit, nihil anxiè inquirens quónam uadat: ſic & me tuos comitari ſermones cōuenit. quod ſi fecero, nunquā non tecum ero. Quod uerò huiuſmodi Dauid quæſtiones poſuerit, non eſt quod ipſe de prouidentia Dei dubitauerit, ſed quod aliorū eum ad modum ratiocinationes adduxerint, Pſalmi principium planum facit, ubi ait: Quàm bonus Iſraeli Deus, ijs qui recto ſunt corde. Iam qui Deum bonū eſſe confitetur, ſimul eum bonorum datorem fateatur neceſſum eſt. Id genus non pauca uel in alijs Pſalmis & apud alios prophetas inuenietis. Quibus equidem haud diſsimile eſt diuini Habacuc uaticiniū. Videtur enim pendere animi, qui fiat. quod proſperiore fortunæ aura, temerarij & arrogantes, ſibiq; placentes homines, adflentur, quàm manſuetudine & probitate conſpicui: Ecquur è ueſtigio ſupplicium non ſequatur ſceleratos. ut hac ratione hæſitans, deinde autem ſolutionem adducens, hunc modum ægrotantibus, diuinæq; prouidentiæ obmurmurantibus, medicinam adhibeat. Pſal. 72.

Quidam per aliā quandam rationem, uerba hæc facere prophetā uoluerunt. Cum enim prophetas horrenda ſemper uaticinari, Iſraelitæ grauatè ferrent, ut qui perpetuò afflictiones & calamitates à uatibus ſibi ſuis imminere audirent: breuiter eis oſtendit propheta, quod digni ſint talia pati, qualia prophetę prænuncient, quandoquidem uarijs modis flagitia deſignent. Quare inducit ſeſe ipſum ſuccenſentem Deo, ob tantā uitiorum copiam, quærentemq; ultionem uti demonſtret adeò eſſe praua ipſorū opera (etiamſi illi non perſentiſcant) ut & Deus ab eo uituperetur, quod nō celerem propter hæc uindictam adducat. Præterea poſtquā ſatis ea ægro animo tuliſſet, prædicit quod contemptores uerbi Dei, non ſint euaſuri diuinam ultionem. Vt uerò & Iſraelitis animum addat, Babyloniorū iuxtà uaſtationem uaticinatur, Iſraelitarumq; libertatem & reditum per Cyrum eis obuentura. Ac obſcurè uniuerſalem humanæ naturæ redemptionem indicat, quæ nobis per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum obtigit, quam

& beatus hic propheta celebrans, in fine prophetiæ huius Oden pandit, cui & diapſal A
mata inſunt, perinde ac, Deo auxiliante, ad eum locum profecti, demonſtrabimus.

CAPITIS PRIMI, VATICINII HABACVC, PER *Theophylactum Explicatio.*

LEmma quod uidit Abbacum propheta.] Lemma, id eſt captio, ipſa prophetia nominatur, ſiue quod accipitur ex Deo tradita, ſiue propter propheticæ mentis acceptionem, ac propter ab humanis ad diuinas reuelationes translationē. Quod ſi igitur non humanitus loquitur, ſed à ſpiritu captus uaticinatur, ſatis perſpicuum fit, ipſum uam de prouidentia Dei nihil dubitare: cæterū ambigentes hunc curare uelle, aut Iſraelitis perſuadere, quod non iniuria patiantur, quæ ſacri prophetæ eis pronuncient. Vbi etiam dolenter fert planè, quod non celerius Deus uindictam eis adducat adeò delinquentibus. Quod ſi Abbacum patrem excitationis ſonat, ſi quis interpretetur: quis quæſo alius ille pater fuerit, atq; princeps uitæ noſtræ, primogenitus ex mortuis, & primitiæ eorū qui dormierunt, & pater futuri ſeculi, qui per excitationem & reſurrectionem hæreditatē ſuam accepit, & ſortem partitus eſt? Hic ſecundum humanitatē, accipiens à Deo patre ſuo, ſancti ſpiritus gloriā & honorem, ex perſona humanæ naturæ luget iniuriā, qua ipſa à dæmonibus diuexata, adficitur. Vide iam & uoculam, Prophe
Deut. 18. ta, hoc eſt, ille à Moſe prænunciatus, qui dixit: Prophetam uobis excitabit Dominus Deus, ipſum audite. Perinde atq; Ioannem Phariſæi interrogabant: Prophetáne tu es? Proinde quicunq; non ipſe tantum excitatus à caſu peccati, uerùm etiam alios in tali excitatione erudire poteſt: quæ uidet, nō humana cogitatione uidet, ſed à Deo illa acci
1. Cor. 15. pit, ut cū diuo Paulo dicere queat, Non ego, uerùm gratia Dei, quæ mecum eſt. Et ite-
Rom. 1. rum: Per quem accepimus & gratiam & muneris Apoſtolici functionem. Et, Suffi-
2. Cor. 3. cientia noſtra ex Deo.

Quouſq; Domine uociferabor & non exaudies?] Perſonā circūuenti fingit prophe B
ta, & inquit: Sæpenumero ad te clamaui, precans ut nequitiā ſceleraq; extirpes, & nō ſum exauditus. Quandiu ergo longanimis eris? Hoc aūt dictum eſt, ut oſtendat Iſraelitis Deum accuſantibus, quod eis ſemper pœnā interminetur, Deum propterea patientem eſſe ac longanimem, ut prauorū oſores, nimirum pios ad indignationem permoueat, ut ægreferant, quod non celerius ultionem & ſupplicia adducat.

Cur oſtendiſti mihi labores & defatigationes, ut intuear in calamitatem & impietatem?] Miſerationis affectu permoti, atq; adeò compatientes exiſtentes ſancti, propter utroſq; lugent, cùm læſos, iniuriáue preſſos & afflictos, tum lædentes & ad calamitatem perducentes. Et fortaſſe propter iniurios maiori mœrore conficiuntur, quanto magis ad animam, precioſiſsimam rem, noxa pertinet. Dicit igitur: Cur mihi oſtendiſti labores ac defatigationes iniuſtè oppreſſorum hominum, ut intuear in ærumnā ipſorum & impietatem iniuſtè agentiū cum eis? Quo pacto uerò Deum aſſeuerat hæc ei cōmonſtrare? An quia ueluti ſecedat Deus, propter longanimitatem eius talia fiunt, nec excinduntur? An ne qui ceu uitam eius prorogat ut huiuſmodi uideat? Nam ſan-
Ionæ 4. cti animis exacerbati, reſolutionem percupiunt, ut Ionas: Et nunc accipe, inquit, animam meam à me. Dixerit autem quiſpiam, quod ipſa iniuria, defatigatio & labor fit potius iniuſtè agentiū: & impietas atq; calamitas, impia patrantiū. Nihil enim ſcelere laborioſius, & nihil impietate imbecillius. Proinde obſerua, quomodo impietatem uocat ipſam iniuſtitiam: uel toruum inſpiciendo iniuſtè agentes: uel terrendo etiam ob ſermonis amarulentiam. Ac ueriſimilem fortaſſe hic ſenſus rationem habe-
Matt. 25. re queat. Etenim ſi qui minimum fratrem non reficit epulis, Deum non reficit: in quantum enim non feciſtis uni ex minimis hiſce, neq; mihi feciſtis: conſequitur (ne pluribus agam) quod qui inopi iniurius eſt, Deo uim inferat. Iam iniuria in Deum, ipſa, ut opinor, eſt impietas. Præterea humana natura, ob mandati tranſgreſsionem, in ſudore faciei uiuere condemnata, & in mœroribus párere liberos, hæc luget, quærens liberationem, quam filius Dei donaturus ei erat. Ad hæc, accepta gratia ut excitet peccatores, Deum rogat uates, ne ſibi porrò oſtendat in operibus iniquitatis occupa-
Heb. 10. tos, & in hoc ipſum incumbentes, ut impij ſint in Deum. Tales enim filium Dei proculcant,

culcant, & sanguinem testamenti prophanant, per quem tamen sanctificati sunt, & spi
A ritum gratiæ contumelia & iniuria afficiunt.

Iudicium aduersus me statuitur, & iudex accipit.] Innuit hic propheta, quod non su
per sese ipse, uerùm ob diuini mandati contemptum, ac pro fratribus iniqua pasis do
leat. Aspiciente me, inquit, iudex munera accepit, legemq; transgressus est, dicentem:
Non accipies personam in iudicio. Nam iudicium Dei est. D

Propterea dispersa est lex, & non perducitur ad finem iudicium, quoniam impius
uim facit iusto, & aduersus eum potens est, eam ob rem egredietur iudiciū peruersum.]
Quia, inquit, iudices munera accipiunt, & quia iniustus potentior est eo qui iusticiam
amplectitur, dispersa est lex, id est reiecta est, confusa est, genuinam naturam non ser-
uat, neq; conueniens iudicium rebus adhibetur. Enimuero sæpe, etiam si cœperit iu
dex rectum iudicium facere, non educet hoc ad finem usq;, à muneribus alio abdu-
ctus. Qui quidem & eam ob causam fortasse incipit iudicare iustè, ut ubi potentē con-
sternauerit, ceu sit eum condemnaturus, plura ab eo munera capiat. Propter hoc igi-
tur, quia potentia clarus est iniustus, iustoq; superior est, iudicium prauum egreditur.
hunc ad modum iudicium etiam eorum, qui Dominum nostrum cruci adfixerunt,
peractum est aduersus ipsum. Etenim in re ipsius iusticiæ uera, iudicium isthuc iniu-
stum, aduersus Christum erat. Et iudex ipse Pilatus gloriam hominum accepit, quam
uehementius dilexit, quàm gloriam Dei. Eam ob rem impius populus ui suppressit iu
stum, & exijt iudicium aduersus eum planè peruersum. Pro eo quod debebant eum
ceu benefactorem suum præconijs & laudibus uehere, turpi morte condemnarunt
eum. Reprehendebat autem Dominus Iudæos & alias, quod non rectè iudicarent,
quando ipsum, quia paralyticum curasset in sabbato, increparent. Dicebat enim: Si Ioan. 7.
circuncisionem accipit homo in sabbato, cur mihi indignamini, quod totum homi-
nem in sabbato sanauí? Ne iudicate secundum faciem. Fit etiam peruersum iudi-
cium, in humano iudiciario foro, nempe cuiusq; suo, quando mens nostra ueluti mu-
B nus, ipsam è passibilibus sensibus uoluptatem capiens, sensibilibus uincentem, calcu-
lum adiecerit: tum & hostis noster uerè impius, tanquam desertor Dei, rationem no-
stram ui deijcit, quæ iusticiam secum per uerbum Dei habet. Est autem iustum, uisibi-
lia & sensibilia, ab inuisibilibus & intelligibilibus uinci. Nam quæ uidentur, tempora
ria sunt: quæ non uidentur, æternum durant.

Videte contemptores, & intuemini, & admiramini mirabilia, & obscuramini.]
Enarrans, quæ de transgredientibus legem in Hierusalem explicuit (nam qui in Sa-
maria erant, iam tum captiui abducti, Babylonem habitabant) succensentis personæ
præpositis sermonibus, responsum ceu à Deo acceptum edit: medelam ita admouens
prouidentiæ diuinæ obmurmurantibus, perinde quasi lento admodum gressu proce-
dat. Adhæc Israelitis pariter subindicat, quod quæ ipsis mala Deus adducet, iure ad-
ducet, tanquam præuaricatoribus, cōtemptoribusue sui: citra trepidationem enim de-
linquebant, nō solum legi non obtemperantes, uerùm ne prophetis quidē animū ad-
uertentes, qui frequentius eis interminabantur. Ad hos iam oculos defigere præcipit,
hoc est, iubet ut aduertant animis quæ dicantur, inq; ea intueantur, id est, ut consideré-
rent cum instantia & sobrietate: tum ut obstupescant, & formident minas. Admiranda
enim quædam, inquit, facturus sum uobiscum. Etenim gentem sanctam, primogeni-
tum meum filium, nimirū uos, traditurus sum hostibus, ut nulla non dira duraq; ab eis
patiantur. Quid uerò est, Obscuramini? pro cōtegimini, occultamini, timore & pudo
re perculsi. Aut obscuramini, seu mali nunc este, ut boni efficiamini. Domino enim
malus est obtectus, donec bonus esse, si sese exerat, cœperit: quemadmodū quāto exte
rior homo corrumpitur, tanto interior renouatur. Quia uerò omnis qui aspernatur
Deum, non uidet: nec enim tantum bonum aspernaretur: propterea contemptricibus
in peccante cogitationibus, neq; nō ratiocinationibus, in mandatis dat cernere, quod
uerè bonum Deus sit, ac in ipsum dirigere lumina nostra, oculosq; flectere, nec decipi
fallaci rerum quæ uidentur pulchritudine, néue demiremur quæ nullam admirationē
mereantur in hoc uitæ nostræ cursu. Etenim quę uerè admirāda, sunt nempe cœlestia.
Et obscuramini, inquit, ab humana anima uos contemptricia cōsilia, ut econtra subin-
grediantur, omnia subtimescentes cogitationes per reuerentiam, metuentesq; eum

quí poſſit & corpus & animam tradere geennæ, eamq; ob rem à malo declinantes. A

Nam rem ego arduam perficiam in diebus ueſtris, cui haudquaquam adhibebitis fidem, ſi quis recenſeat.] Non longo pòſt tempore, inquit, ſed in diebus ueſtris tradam uos prǽuaricatores hoſtibus. Ea eſt res, hoc opus, quod perſequar. Ac noui quidem, quod contemptores uos minimè credetis, ſi quis annunciet uobis. Ante rerum nanq; experientiam & euentum, interminationes uos nauci ducitis, ceu uanas exiſtentes: attamen quod mea intereſt faciens, ut bonus & iuſtus, citra præſcientiam iudicare uos non ſuſtineo. Sedenim incredulis futuris, prædictiones & uaticinia adfero, ac iuxta medicinam: quæ qui non accipiunt, eis pœnas & ſupplicia certè apporto.

Hic fortaſſe & unigenitus Dei filius intelligi queat dicere, ad humanæ naturæ oppreſſores, Deiq; contemptores dæmones: Quoniam opus ingens operabor, rem arduam perſequar, nimirum carnem aſſumendo, idq; in diebus, hoc eſt, in tempore felicitatis ipſorum: Nam & ſcriptura diem felicitatem appellat, ut eo in loco: Ab altitudine diei non terrefiam. Et, Diem hominis non deſideraui. Quando igitur ſcelus ueſtrũ orbem terrarum occupauerit, ut adeò corrumpantur omnes, & in exitium uergant, ut ne unus quidẽ iuſtus relictus ſit, tum carnẽ ego accipiã, faciamq; admiranda, cũ alia, tum ea quæ de me palàm prophetæ uaticinati ſunt, ejiciens uos ab hominibus. Videte igitur hæc & obſcuramini, nõ amplius poteſtatem ueſtram in aëre exercendo gloriantes, ſed ſub terram ſubeuntes.

Propterea ecce ego excito Chaldæos gentem amaram & celerem, proficiſcentem ſuper latitudines terræ, ut hæreditatem adeat habitaculorum quæ non ſunt eius.] Cum dixiſſet, Quia in diebus ueſtris: cum & hoc latitudinem habeat, adijcit: Quoniam ecce, inquit, non tardabo, ſed en ego, qui omnia poſſum, excitabo: ego inquam, qui neminem metuo. Terrificus profectò ſermo. Quis enim ſufferre queat à Deo excitatum? At natura etiam acerbi ſunt: & hoc ad intentionem & exaggerationem facit. Prǽterea celeres ſunt Chaldæi: equites enim ſunt, ut ne tantillum uobis temporis permittant, B quo ueſtras in eos copias armare poſſitis, uosúe ad fugam parare. Adhæc aſſueti ſunt bellis, & in ijs educati. Nam proficiſcuntur ſuper latitudines terræ, hoc eſt, ſuper uniuerſam terram, non Palæſtinam tantum: atq; hoc eſt ipſis opus exequendum. Nec enim dixit gentem profectam, ſed proficiſcentem. Nec alienas tantum regiones diripiunt, ac deinde reuertuntur, ut in ſpem ueniatis, uos patriam ueſtram denuò receptu ros: uerùm hic eis ſcopus, hæc mens eſt, ut hereditariò terras occupent, utq; inhabitent ſedes antehac non ſuas. Porrò Dominus incarnatus Magos excitauit. Chaldæos, qui amari antea exiſtentes & crudi, & ueloces ad effundendum ſanguinem, ac per latum iter facientes, ceu uoluptatum, auriq; amantes, uenerunt ad Chriſtum ut adorarent ipſum, & cœleſtia habitacula hæreditarent, quæ antea ad ipſos non pertinebant. Imò & uniuerſas gentes, quæ per Chaldæos accipiuntur, ad fidem excitauit incarnatus Dominus, magnum iſthuc opus operatus. Apertè palàm enim magnum eſt pietatis myſterium, Deum manifeſtatum eſſe in carne. Proinde iſti amari, ceu uenenum ſerpentis habentes propter & impietatem, & alia peccata, ueloces ad reſipiſcentiam trãslati ſunt, animi ſui ſententia permutata: & profecti ſunt per latos ſcripturæ diuinæ campos, uel eccleſiæ, non ad unam tantum perſonam cultum Dei anxiè torquentes, uerùm ad tres homouſias, hoc eſt, eiuſdem ſubſtantiæ participes, dilatantes: non iuxta literam ſolummodo, uerũ & ſecundũ ſpiritũ ſcripturas intelligentes, ut tripliciter iuxta prouerbij mã
Prouer. 22. datum deſcribantur, & ita cùm legem, tum prophetas in hæreditatem accipiant, in quibus gratia ſpiritus recubabat, quæ antea ad eos non pertinebant. ſolis enim Iudæis tra
Pſal. 147. dita fuere. Manifeſtauit enim, inquit, iuſtificationes & iudicia ſua Iſraeli: non fecit ſic omni genti, & legem ſuam non aperuit eis. Aliâs uerò, gens amara & atrox eſt ipſe ſatanas, & qui ſub ipſo ſunt dæmones: quos excitat Deus per eum, qui iuxta Paulum peccantes tradit hiſce, ad internecionem carnis, ut ſpiritus ſeruetur. Qui ubi inuenerint anguſtum iter, & conſtrictam portam, non eò proficiſcuntur, neq; ingrediuntur: ubi uero reperiunt mortuæ prudentiæ uitæq; remiſſæ & apertæ latitudinẽ, illuc eunt, & hæreditate ueluti occupant habitacula & corpora hominum, quæ ceu figmenta & opera Dei, ipſorum non erant.

Terribilis & conſpicuus eſt.] Quiſnam ille? Omnino fortaſſe rex Chaldæorum Nabuchodonoſor.

A bychodonosor, qui Israëlem cepit & incendit. Is igitur uel operibus ipsis terribilis erat atq; conspicuus, hoc est, illustris, celebris, glorioſus & insignis, adeò ut uel sola fama per terrefacere omnes qui audirent posset.

Ex ipso iudicium eius est.] Hoc est, non legibus innititur, ut secundum illas sententiam ferat, hoc nempe amplectendum, illud uerò reijciendum esse: cæterùm secundum quod quicquam ei uisum est, iudicat: & quod cogitauerit, isthuc ei legis uice fungitur.

Et lemma eius ex ipso egredietur.] Chaldæis in more erat ante bella consilium ex uatibus petere, & magos arte tentare, ut prædiscerent prælij euentum. Ai ergo quod lemma eius, hoc est prædictio & uaticinium de bello, non ex alienis uatibus ei obueniet, ex longinquo accitis, sed ex ipso: hoc est, ex indigenis & suæ patriæ magis, qui præ cæteris gentibus de futurarum rerum prædictione gloriantur. Hunc ad modum Balaam à Mesopotamia accersitus est à Balac. Vel sic accipi etiam poterit, quod iudicium uocet ultionem, quam contra Israëliticum populum Deus decreuit: unde infit, quod iudicium ipsius, hoc est Israelitici populi pœna, ad quam condemnatus est, propterea quod concitauerit ad iram Deum: & lemma eius, id est, prædicta aduersus ipsum sententia, ex ipso egredietur, Babyloniorum uidelicet rege, hoc est, finem accipiet, & efficaciter consummabitur. Quinetiam gentium populus terribilis est & conspicuus in posterum dæmonibus, ceu signatus lumine faciei Dei, aque supernis habens splendorem, per, quæ omnibus hominibus illuxit, gratiam Dei. Et quum neque legem, neque prophetas audijssent, per sese domi iudicarunt, quod bonum esset, & fide accurrrerunt. Et lemma, seu consilium (quo à
B Christo capti sunt, accepti in eius ecclesiam) eorum uoluntatis erat. Quinetiam satanas assumptis peccatoribus ad castigationem, terribilis est & horrendus, & conspicuam propriam malitiam ostendit, adeò abutens diuino figmento seu creatura, per hoc suam animi erga conditorem iracundiam & inimicitias prodens. Ex hoc igitur ipso, condemnatio ipsius est: & homo, quem ad castigationem suscipit, ex ipso egredietur, hoc est, non porrò ei subijcietur: castigatur enim omnino, ut ab operibus eius desistat, & spiritu seruetur. Sic hostis uirtutis, & ultor uirtute præditi, satanas constituitur.

Equi ipsorum, pardos saltu uincent, eruntque celeriores lupis Arabiæ.] Quum dixisset celerem esse gentem Chaldæorum, docet iam quomodo sint celeres, idque per equorum uelocitatem, quos & pardos saltu exuperare confirmat. Quoniam autem pardi saltus non ita in longum peruenit, adijcit & alteram comparationem, inquiens equos Babyloniorum celeriores esse Arabiæ lupis. Fertur enim lupos Arabicos celerrimè, quod fortè occurrerit, corripere, ac dum persequatur eos quispiam capi non posse, id quod in pardis non contingit.

Et equites eius accingentur equitatu suo itineri, & accelerabunt cum impetu è longinquo, & uolabunt instar aquilæ expetentis cibum.] Per hæc robur iuxtà ac celeritatem ob oculos ponit, quodque ex altioribus in ipsos deferentur. Vt enim aquila inter uolatilia & fortis est & uelox, præsertim quum famelica expetuerit alimoniam, exq; altioribus locis delata, cum impetu suo irruens intolerabilis sit: sic & Chaldæorum equites, nedum potentes sunt & robusti, sed ueloces etiam propter equos, alacresq; & cupidi ad depopulandum, deuorandum & absumendum urbes, ex alto nimirū ingruentes. Ego enim, inquit, excitabo ipsos. Insuper equestris antea populi gentiū disciplina, superbusq; fastus, exiliet ex errore, saltuq; suo uincet Iudæorum principes, qui pardi & lupi Arabiæ uocati sunt, ueluti efferi & sanguine gaudentes. Præterea equites talis populi apostoli sunt, qui sederunt super irrationali

Universidad de Deusto
Biblioteca

nali ipsorum fremitu fastuúe, ipsumq; sibi subiugarunt. Vehemente impetu current, A
& accelerabunt à longe. ab Israël enim ad gentes secessérunt: & uolabunt instar aquilæ, qui Christus est, cuius cibus est salus hominum. Sed & peccantium, & eorum qui erudiuntur equi, hoc est mulierosæ & uæsanæ ratiocinationes, exilient à tali affectione, ut etiam spirituales pardos, dæmones ipsos, saltus celeritate exuperent, nec ab ipsis porrò comprehendantur. Equites talium equorum sunt mens & ratio, qui ascendérunt concupiscibilem partem, longè remouebuntur à prioribus affectibus, ac temperantiæ & castitatis alis leuigati ac in sublime leuati, in cœlos usq; ubi Christus est, uolabunt, ut superna tantum cupientes, cúmque illo agentes, alacriter ferantur ad ligni uitæ esum.

Consummatio ad impios perueniet, resistentes faciebus suis ex aduerso.] Talibus, inquit, Chaldæis existentibus, quales eos hactenus descripsit, consummatio ad impios qui in Hierusalem Deo resistunt, & in faciem impudenter ei aduersantur, perueniet: siue quod Chaldæi illis proderunt, qui ipsis in faciem belligerando reluctabuntur: ultrò enim accedentes & transfugas, ac suapte sponte seruitutem sub illis subeuntes, uita donabunt. quod & ab Ieremia discimus. Præterea & super Iudæos consummatio & finis peruenit, qui impij extiterunt in unigenitum Dei filium, restiteruntq; ipsi, non quidem clàm, sed apertè palàm magna loquendi fiducia & libertate, ut adeò dicerent: Tolle, tolle, crucifige ipsum. Ad hæc, in singulos dies peccãtibus delinquentibusq; eatenus parcit Deus, quatenus parcius etiam uitia & flagitia perpetrauerint. Quando uerò perfregerint, & ad scelera adeò proruperint, ut liberè, cumq; fiducia impiè agant, tum demum adducit eis Deus finem, & perdit eos.

Et colliget ueluti arenam captiuitatem.] Postquam Israelitæ posthabito Deo, eiusq; auxilio, propria multitudine confiderent, ait: Et si tantæ copiæ uestræ totq; fuerint, ut uel arenæ numerum adæquetis, Babylonius tamen ille rex captiuos uos ducet. Quin etiam gentium populus, in Christo consummati, & alter alterius doctiores facti, non B
paucos capient ad obedientiam Christi.

Et ipse in regibus deliciabitur, Tyranniq; ludicra ipsius erunt: & cuicunq; munitioni illudet, & aggere congesto, obtinebit eum.] Quia Israëlitæ proprijs regibus fidebant, ac finitimis etiam accurrebant: siue reges essent, hoc est iustis legibus reipub. præessent: siue tyranni, hoc est iniquè & uiolenter, præter ius & fas sceptris potirentur, eorumq; uiribus & socialibus armis inniterentur, neq; quicquam auxilio Dei: subiungit, quod omnium illorum dominabitur Nabuchodonosor, omnibus superior erit, omniumq; uictor, cunctisq; facile præstabit, delicias arbitrabitur, citra sanguinem etiam quo ad suas copias, cunctas superabit. Hũe enim ad modũ Iechonian uinctũ abduxit, & Sedeciã oculis orbauit, Aegyptoq; admodũ molestus fuit. Quãuis aũt ciuitates munitæ fuerint, & propugnacula quæ non facile capi expugnariq; possint, hæc tamen obtinebit, ludens magis quã seriò agens. Nã aggerẽ tantũ uocat, quẽ contra mœnia excitet, quod ad opus ne bellicosis quidẽ uiris eget, sed enim armigeris, & pro mercede operã suã alijs seruilẽ elocare suetis. Sic iam Tyrũ Babylonius ille cepit. Hæc & de diabolo intelligi quidẽ possunt, qui Israelitas, arenã existentes & domos, in falso huius uitę salo, ceu diligentes gloriã hominũ magis quã gloriã Dei, cepit captiuos: & illusit primoribus sacerdotibus, & reliquis eorũ principibus, qui regibus æquiparati, quod legitimũ tenerent imperiũ, tyrãni tamen moribus suis uixerunt. horũ munitionibus illusit Satanas, persuadens eis ut scripturas perperam intelligant: siquidem scripturarum cognitio ipsis est munitio. At illi tulerunt clauem cognitionis, nec ipsi ingrediebantur, alios tamen ingredi uolentes arcebant: proinde hęc munimenta, egesto aggere, Satanas deiecit. Aggere inquam, hoc est abiecta, terrestri, inq; imo iacente falsa interpretatione, quæ nihil sublime neq; cœleste spiret. bonorũ nanq; terrestriũ solũmodo fructũ, & corporales pœnas, & omnia id genus alia sacerdotes intelligunt. Reges etiam & tyranni sunt, qui dominãtur affectibus, propterea quod regant & cogant naturam. Postquã enim uiolentum est regnum cœlorum, & uiolenti rapiunt illud, omnes uirtutem amplexi, reges dici queant & tyranni: partim quod hic regnantes illic etiam regnaturi sint perfectius, quando Christus manifestatus fuerit, uita nostra: partim quod ueluti tyranni deprimant, uimqúe faciant naturæ. Quando igitur uirtute armatus semper

pugnam

A pugnam cõmittens, aliquem animi motum prosternere ualuerit, delicias in hoc habet, eiq; illudit: epulæ enim eius tales sunt lautæ & electæ: ac maximè huiusmodi animi perturbationes ad desperationẽ adigit, perinde atq; infelicem Iudã: omneq; munimentũ occupat educto aggere. Etenim aggerem terrestriũ curarũ iaciens & excitãs, egerens ue oblidet humanam mentem, & capit: quę mens à Deo conditum est munimentum.

Tunc permutabit spiritum, & pertransibit, & egredietur.] Quando, inquit, hæc omnia demonstrauerit Babylonius, & omnia uidebitur uicisse, tum permutabit Deus spiritum, hoc est, uehementem indignationem, qua flagrabat aduersum impios: & perget seu pertransibit, hoc est eminus remouebitur ab ijs qui puniuntur, non porrò ipsis astans, & obseruans ipsorum opera, pœnamq; exigens: & propitius eis erit. Hoc autem dixit, non quod Deus retrogradus sit, ut qui facile permutetur: enimuero quod decente pœna exacta, ac ægrotis alternantibus & sufficientibus pharmacis adhibitis, in posterum cesset à medica disciplina. Præterea Israelitas, cum uiderit à diabolo captiuos factos, non repellet Deus, populum nempe suum quem præsciuit: cæterùm placatus erit Iudæis meliorem mentem induentibus, baptisatisq; in nomen Domini Iesu. Hæc autem maximè ex Actis disces. Tria millia enim uidebis & quinq; millia, & multas myriades, quas Paulo Iacobus monstrat. Porro hoc ipsum frequenter contingit. Nemo enim à diabolo uictus desponde at animum. Quando enim ad extremũ malitię perductus fuerit, tum spiritum in eis prauũ Deus permutabit in bonum, & pertransibit seruantem uiam, abducentemq; à uitio ad uirtutẽ, aq; terra in cœlũ: & egredietur ad Deũ per resipiscentiam, quia præsciti à Deo imbuuntur. Non enim implacabilis est Deus, sed miserator est, & propitius erit peccatis, & non perdet. Act. 2.

Ipsa est fortitudo Deo meo.] Demiratus propheta Dei benignitatem, exclamat: Quoniam talis uirtus sic castigandi, ac rursum miserandi, conuertendiq; punitionem in oleum, nemini alij, quàm tibi Deo meo conuenit. Tu enim es qui mortificas & uiuificas. Hæc etiam iuxta electionis consilium dicere queas, demirans quomodo quos reppulit, rursus suscepit: & propter eos, qui ab extrema malitia gradum retroflectunt, quando uideris eos ad cacumen uirtutis recurrere. Nec enim humanæ uires talia possunt, cæterũ diuinæ sunt hæc re uera uirtutis & gratiæ, humanã uoluntatem accipientis. Loquente nanq; te dicet: Ecce adsum: tacente uerò te, Aperi, inquit, os tuum & implebo illud. Tu primùm aperi, deinde ego implebo. B 1. Reg. 2.

Nónne tu ab initio Dominus Deus sanctus? & ne moriamur.] Etsi enim nos præuaricati sumus, tu multis tamen retro seculis, & à principio, patrum nostrorum Dominus eras Deus sanctus, qui nihil immundum recipis, & propterea nos ceu immundos repulisti. Postquam igitur te priscũ Dominum nostrũ habemus, ne quæso moriamur, hoc est, ne obsecro penitus excindamur, neq; interitum funditus sustineamus. Vide aũt quomodo ueteris Deum proprietatis suæ cõmonefaciat, quod & Paulus de Israelitis adfirmat: Quoniam hostes inquit, propter Euangeliũ, dilecti aũt propter patres. Hæc etiam ad Sermonẽ & Deũ in principio & à principio existentem, trãsferri queãt. Qui sanctus meus factus est, hoc est pro me sanctificationem & oblationẽ sese ipse obtulit, morti corpus tradẽs, perinde ac etiam dixit: Et pro ipsis meipsum ego sanctifico. Propterea & nos mortui sumus, morte quæ est in Adam. Nã ipse unus pro omnibus mortem obijt, ut à morte nos liberaret. Præterea qui à uirtute excidens, ad ipsam fuerit reuersus, dicet: Nonne tu ab initio eras Dominus meus? Quare recurro ad ueterem herum sanctum meum, relicto immundo tyranno ne moriar ueluti desperans. Ioan. 17.

Domine ad iudicium ordinasti eum.] Quem eum? Vel Babylonium, ut iudicet & castiget Israelem: uel populum Hierosolymis constituisti ad condemnationem. Quin etiam Dominum Iesum in iudicium ordinauit, ut ipse ait: In iudicium ego in mundum ueni, ut non uidentes uideant, & uidentes cæci fiant. Hominem etiam constituit Deus, ut bonum à malo dijudicaret atq; secerneret, & ne promiscuo uetitoq; ligno uesceretur, quod est uoluptas: pulchra quidem & bona apparẽs, reuera aũt mala existẽs. Ioan. 9.

Et finxit me Deus, ut arguã institutionem.] Commemoratã inquit pœnã decreuit contra Israẽlem, me aũt prophetam finxit, id est, posuit & segregauit, ut arguerem, hoc est, indicarem pœnã hanc contra ipsos decretã. Dominus itidem Iesus dicere queat: Quoniam formauit me Deus pater, finxitúe in uirginis matrice, ut arguam legem,

&

Mat.5. & demonſtrem eam eſſe imperfectam. Eam ob rem etiam aiebat: Dictum eſt ueteribus, non mœchaberis. Ego uerò dico uobis, qui intutus fuerit mulierem, ut appetat illam, & quæ ſequuntur. Lex enim erat inſtitutio, qua utebatur Deus, ac diſciplina, tradita imperfectis, quibus in ea habitus etiam dum imperfectus erat. Hinc & Dominus: Moſes, inquit, ob duritiam cordis ueſtri, de diuortio legem ſcripſit. Arguit igitur legem, æquè atq; ſol fulgore ſuo, lucernam. Neq; enim glorificatum eſt, quod glorificatum eſt, propter excellentem gloriam. Ac magnus ille Petrus, de prophetico ſermone ait: Cui benefacitis attendentes, tanquam lucernæ ardenti in ſqualido loco, uſquedum dies irradiet, & lucifer oriatur in cordibus ueſtris. Inſuper ſcribæ & phariſæi inſtitutio erant opuli, quos arguens dicebat: Væ uobis ſcribæ & phariſæi hypocritæ, quoniam hæc & hæc committitis. A

Purus eſt oculus tuus ne cernat mala, & intueri in labores non poteris. Vt quid intueris in contemptores?] In quibus ſuprà dubitauit, eorum ſoluta eſt etiam dubitatio. Iam nunc uerò propter Chaldæos pendet animi. Neq; hoc fit, perinde quaſi ipſe uates dilutionis indigeat. Quî enim indigeret, qui alijs ut indicet & inſtituat, formatus eſt? At enim quia animaduertit apud pleroſque de hiſce naſcituram quæſtionem, ideo adducit. Ambigent enim, quam ob cauſam Chaldæis longè nequioribus, Iſraelitas minus impiè agentes Deus tradiderit: huius rei gratia hæret eius animus, & ad Deum: Noui, inquit, quod purus eſt oculus tuus, ut qui nolit intueri in praua opera, nec poſſit inſpicere labores, quibus ſcelerati, uitijs perditi, & flagitia deſignantes, ſimpliciores & imbecilliores adfligunt. Ecquur igitur contemptores, hoc eſt arrogantes, oſtentatores, & legum tuarum deſpectores Chaldæos intueris? Quur mitiore & manſuetiore in eos affectu imbueris? Quur lætos dies illos tranſigere ſinis?

Conticeſces interim, dum impius deuorat iuſtum.] Deuorat, inquit, impius Babylonius iuſtum Iſraelitam, tuq; interim ſiles. Quare hoc fit? Iuſtum autem dicit Iſraelitam reſpectu Babylonij, quaſi dicat iuſtiorem. Peccauerunt quidem Iſraelitæ, cæterùm in comparatione ad Babylonios, ſunt iuſti. B

Et facies homines, tanquam piſces maris, & reptilia quæ duce carent.] Ex longanimitate hac, inquit, & ex hoc quòd ſceleratiſſimi quiq; pro ſuo merito non puniuntur, ſed ipſis potius minus mali in pœnam abs te traduntur, nihil diſcrepare facies mortales à piſcibus, quibus neq; leges ſunt, neq; iudices, cæterùm cibi loco potentioribus imbecilliores obijciuntur. Propterea reptilibus, ſeu uenenatis ſerpentium generibus ſimiles reddis, quæ ob naturæ ſuæ amariciem, neq; duces habent, ceu exortia mixturæ & ſocietatis, & mutuo inter ſeſe odio ſæuientia. Nam animantia ſub ducem conſtituta manſuetiora ſunt, cõtubernij & ſocietatis amantem, tum gregis & armenti ſequacem naturam & indolem per hoc indicantia. Porrò contemptores etiam in ſuperioribus dicti ſunt dæmones, ad quos conticeſcens Deus, temporibus nondum diſpenſati euangelij, faciebat homines prorſum piſcium inſtar uiuere, ab omni ratione alieniſſimos, maximè brutos, & omni uoce deſtitutos, ac planè mutos: neq; enim in eis pietatis erat ſermo, neq; honorificentiæ uox ad Deum: mutua inter ſe cæde alius erga aliũ graſſantes, & in turbido ſalſoue uitæ mari ſeſe multiplicantes progenerantesq;. Atq; hęc eorũ uitę ratio amarulenta erat, ut diceretur uenenum aſpidum ſub labijs eorum eſſe, ac animus eis, per ſimilitudinem, ſerpentis.

Conſummationem in hamo euulſit. Traxitq; ipſum in reti, & congregauit ipſum in ſagenis ſuis.] Quum dixiſſet, quod deuoret impius iuſtum, quodq; homines adſimilentur marinis piſcibus, demonſtrat iam quo de hæc pronunciet, nimirum de Babylonio. Is enim tantam habet uim, ut omnes gentes (id enim indicat conſummatio) extrahat, euellat, ueluti hamo quodam, hoc eſt proprio robore, trahatq; ipſum, pro ipſam, conſummationem, (Hebraica enim conſuetudo, maſculinis pro fœmininis utitur) in reti ſuo, hoc eſt, duris compendijs & ſtudijs: Et collegit in ſagenis, hoc eſt, bellicis uiribus. Porrò diabolus totum etiam uenatus eſt hominem, & attraxit eum inobedientiæ hamo ad guſtus illecebras, ipſa Dei æqualitate propoſita: collegitq; ipſum, & proprijſſimum ſibi fecit in ſagenis multiplicium & uariarum uoluptatum. Sic hodieq; facit. Primùm mentem uenatur, auellens ipſam à Domino cui agglutinata erat, hamo uoluptuoſæ cupiditatis. Deinde trahit ipſam reti conſœderationis & adſenſus, utrinque

A que ipsam tenens, cùm cogitando & cupiendo malum, tum adsentiendo & consœderando. Postea congregat ipsam, & ueluti in sinum recipit, sagenis operum: ubi enim semel ei persuaserit facere malum, tum proprium ipsi etiam satanas exequitur, perducēs eam illò ut abutatur propriis cupiditatibus suis, ad desperationem iuxtà compellens, ceu iam à Deo repulsa sit.

Propterea exhilarabitur & gaudebit cor eius.] Babylonij cor summas delicias, maximam uoluptatem capiet ex gentium pernicie: harumq; interitum, lætitiam & oblectationem putabit esse. Diaboli etiam cor super mortalium internitione gaudio reficitur, ceu multos acquirat lapsus sui à Deo consortes.

Eam ob rem sacrum faciet sagenæ suæ, & suffitum incendet reti suo, quoniam per ipsa pinguem reddidit partem suam, & epulas suas electas.] Ampla enim & locupletia regna sibi subiecit. Quam eius ostentationem & fastum, Danielus etiam ante conspectum nobis statuit, dum inquit: Qui erexit imaginem auream, quam adorare, & cui diuinum exhibere honorem præcepit omneis sibi obedientes, & principes & subditos, & optimates & inferioris sortis uniuersos. De hoc ipso diuinus uates Esaias inquit: Dan. 3.
Ascendam super nubes, super astra ponam thronum meum, relinquam terram seu nidum, & ueluti relicta oua tollam. Deinde supplicium etiam quo afficietur adfert: Super te sternent putredinem, & reliquiæ tuæ uermis. Esai. 14.
Quinetiam diabolus, non tantam hamo gratiam habet, hoc est cogitationi, uoluptatem inescationis uice obijcientem, quantam reti, hoc est adsensui, & sagenæ affectus. Reti ergo suffitum, ceu magis apparentem nempe adsensum, cupiditatis respectu, ac subtiliorem, effectus respectu: sagenæ uero attribuit sacrificium, ceu maius quippiam. Effectus enim & opus mali plus corporis & spissitudinis habet, æquè atq; sacrificium lucidius quippiam est ipso suffitu. Posteaquā aūt plerosq; sanctorū & electorū Dei, dirus hic, uehemēs & uaser hostis irretit sagena sua, salsi turbidiq; huius maris piscator, meritò dictum est cibos eius esse lautos electosq;. Tales enim in primis uenari studet. Hunc ad modum Iudam quidem elegit Dominus: ipse uerò satanas, sagena auaritiæ multa congreganti, eum sibi uendicās ac sui iuris planè faciens, sibiq; subdens, cibum suū fecit. Perinde enim ut hominum cibus est, salus à Deo parta: sic epulę satanę, hominū est interitus. Quinetiā Israelitas, qui pars Dei erāt (pars enim Domini, populus eius Iacob, funis hęreditatis eius Israël.) adeoq; portio præclara, sibi subdidit: ac eos, qui electi Dei erant, permutauit in deicidas & occisores Dei. Deut. 32.

Propterea rete suum circumcirca eijciet, & omnino gentes interficere non parcet.] Cū paulòātè dixisset, quòd splendidas lautasue partes colligat, electaq; fercula: quodq; orsus sui prosperos successus, uoluntati eius nemine aduersante, experiatur: subiungit eum etiam gentes inuasurum, necq; quicquam cessaturum, quo minus propria sua potentia, tanquam reti utatur. Quemadmodum necq; diabolus pepercit omnes gentes per peccatum interimere, ubi semel agnouit, stimulum mortis, & animorum & corporum, peccatum esse.

CAPVT II.

SVper custodiam meam stabo, & ascendam super petram: & contemplabor, ut uideam quid loquatur in me, & quid respondeam ad redargutionem mei.] Consuetudo tenet apud sanctos Dei, ut si quid ex Deo discere cupiant, omni custodia seruare cor suum à mundanis sollicitudinibus, & ad solum Deum intentos esse, ascendereq; ueluti super rupem quandam mentis, hoc est, ad, à terrenis rebus, exaltationem. Nam sublima corda quærit Deus. Itidem ut Dauid inquit: Fortes Dei à terra admodum subleuati sunt. Et iterum: Pulli uulturis ad alta uolant. Consimilem ad modum uates Abbacuc, dubius animi, & in iam commemoratis hæsitans, ueluti ex persona talia inquirentium, allaturus horum dilutionem, non ex humanis argumentis, cæterùm ueluti à Deo eam sese prolaturum ait. Propterea etiam dicit: Super prophetiæ meæ excubias stabo, & spiritualis contemplationis, intellectum meum & mentem à mundanis curis impermixtam custodiens & incontaminatam. Sistamq; me super petram solidā & inconcussam, altum uidelicet ad Deum recursum, supra quem & Mosen Deus collocauit. Vt enim excubitores, excelsum quempiam locum scandentes ita speculantur, non dissimiliter & ego speculabor, quid loquatur in me Deus, de ijs Pſal. 46.

Universidad de Deusto
Biblioteca

rebus ob quas propter Babylonios dubitaui: quî fiat, quod non pœnam luant ob commissa sua, ut possim scire quid respondeam uolentibus me super hisce interrogare, ac discere diuinæ administrationis consilium. redargutionem enim hic interrogationem nominat. Obserua hic quomodo non dixerit quid loquatur extra me, sed quid loquatur in me, ut indicet Deum non forinsecus uerba facere ipsi, ut neq; alijs prophetis, sed intrinsecus mente eius cõtacta. Sic dicitur loqui Deus in prophetis. Humanus sermo ab extra primũ aures circũstrepens, dein ad mentẽ peruenit: diuinũ uero colloquium intus fit, mentisq; auriculas ferit, attingitq;. Per petram ipsam, fidem intelliges. Qui enim credit, Deum nihil in omnibus suis operibus citra causam perficere, ille solus inconcussus persistit, non turbatus ab inæqualitate euentuum. A

Et respondit mihi Dominus, & dixit, Scribe uisionem apertè in buxum, ut persequatur legens ipsa. Nam uisio ad tempus usq; suum durabit, & perficietur tandem, & non erit uana.] Imperat Dominus prophetæ scribere uisionem, hoc est reuelationem, quam reuelauit ei super ijs quibus de ambigebat. Quæ uerò sit reuelatio paulummodo progressus dicet. Interim uerò literis mandare hanc uisionem præcipit, neq; id obscurè, iuxta propheticam & opacam planè rationem, sed enim perspicuè, ut plana sit & clara. Nec in chartam scribere iubet, uerùm in buxum, hoc est in tabellum ex buxo, ut sit eo permanentior scriptura: ut nedum hodie spiritum ducentes in hac terra eam legant, sed & in posterum legens persequatur, hoc est, inquirat finem reuelationis, quo sint complenda hæc. Visio enim illa iam non perficitur, sed indiga est temporis. Tu uerò caue hæsites, etiamsi eam nunc non euenire cernas. Eueniet enim omnino tandem, & non erit uacua neque uana, maximè Deo eam reuelante, qui est ipse uerus & plenus. Quî ergo mendacium & uacuum seu uanum hic locum habere queat?

Si moram nexuerit, præstolare ipsum, quoniam ueniens ueniet, & haudquaquam æquo tardior erit.] Hæc est reuelatio, quam mystice prophetæ reuelauit Deus, eam ob rem nominatim nõ demonstrauit, quisnam ille sit quem expectari conueniat, etiamsi moram nexuerit, atq; tardauerit. Dicat ergo quispiã, quod ad Deum hæc pertineant. B Quum conquereretur Abbacuc, quod non statim post peccata etiam pœnas adducat Deus, neq; Babylonios celeri supplicio adflixerit, eius dubij nunc dilutionem adijcit, dicens, quod ueniet quidem omnino Deus, quem ceu lentum accusauerat, uerumtamen suo tempore: quare si moram trahat, tardiorq; plus æquo uideatur, sustine, expecta. Quorundam est opinio, quod hæc de Cyro dicat, aduersus Babylonem uenturo. Nam ille ueniet & Babylonem uiribus suis exuet, iniuriamq; perpessos uindicabit, liberabit, uerùm non iamnunc. Quomodo uerò quum dixisset, si moram nexuerit, subintulit mox, non tardabit: proinde moram nexuerit, ad pusillanimitatem, non tardabit uero ad patientiam refert. Ac si dicat: Si ex pusillanimitate sua uidetur tibi lentior esse, patiens esto, expecta. Siquidem patientia tibi persuadebit, ne causeris quod tardus fuerit. Verè enim, ut pusillanimitas nostra, ueluti intolerabilia & plane difficilia uidetur efficere, quæ tamen & tolerabilia & facilia sunt: sic & quæ celeria sunt, lenta nobis facit, Ediuerso magnanimitas difficilia factu, facilia: & tarda, uelocia reddit.

Si trepidauerit, non oblectatur anima mea in ipso. Iustus autem meus ex fide uiuet.] Suprà dixit, scribe uisionem, ut legens eam persequatur, hoc est, inquirat quid sibi uelit ea uisio, tanquam sperans hoc euenturum: nunc ait, quod si trepidauerit ille lector, hoc est, in diuersa raptus hæsitauerit, & non adhibuerit fidem, non placebit mihi: neq; anima mea sese ipso oblectabit, non quiescet super ipso. Quemadmodum autem dormire dicitur Deus & uigilare, & manus habere & pedes humano more, sic & anima iam illi tribuitur. Est igitur anima uerbi Dei, quod ad nos in terram descendit, & caro factum est. Super incredulo ergo & formidante, ut nominet ipsum filium Dei, uerumq; Deum, non capiet uoluptatem. Qui uerò trepidationis exors est, citra hæsitationem ipsum confitens, iustus factus ex fide, habet uitam, siue futuram, siue illam ipsam iustitiam. Ex operibus enim legis nulla iustificatur caro. lex enim iram operatur, si quis eam transgressus fuerit, & interemit præuaricantes: fides autem per gratiam soluens delicta, iustificat. Eam ob rem etiam dictum est, ut quædam exemplaria habent: Iustus autem meus, hoc est per gratiam meam iustus factus. Buxus uel tabella buxea,

A xea, est omnis anima fortis, robusta, & leuigata, politaue, hoc est, mansueta, nihil habēs asperitatis, nihil ruditatis, propheticas de Christo reuelationes in sese recipiens, ac firmiter custodiens promissiones, cùm de priore eius aduentu, tum posteriore. Quare dum uidet iustitiam languentem, & iniustitiam ualentem ac robustam, ægro isthuc animo fert: at interim expectat occasionem, hoc est, commodum & opportunum tempus exacti iudicij, ac compensationem persolutionemq; operum, quæ quisq; per sese in hac uita gessit. Ac iustus cum sit, à iustitia non desistit, cæterùm præsentem uitā prouehit ex fide in futura bona, impermutabilis perseuerans, & in Christo uiuens, iusti iudicij Dei spebus exhilaratur. Talis erat qui dixit: Vidi impium ualde exaltatum & subleuatū, & præterij, & ecce non aderat: siquidē in hac uita ad finem fortasse felicem rerū cursum obtinet. Idem propheta, cum hoc loco cōsonat dum ait: Nequiter agentes & sceleratè, subitò, ceu fœnum exarescent. Præterea in futuro seculo conuenientem pœnā luet, & non erit, qui sic exciderit ab eo qui uerè est: iuxta Paulū enim Deo sumus. Sic & alio Re
in loco ait de Deo: Qui uocat ea quæ nō sunt, tanquā sint: hoc est, eos qui extra ipsum Rom
sunt, & propterea non existentes, faciens in ipsis ut ipsius sint, & eam ob rem sint.

At fastu inflatus, contemptor & ostentator, nihil planè perficiet.] Quum prædixisset uenturum eum qui tristia ac dura solueret, liberaretq; contritos ab omni calamitate, meminit posthac Babylonij Nabuchodonosor, inquiens, quod fastus & arrogantiæ spiritu refertus, contemnensq; Dei, nihil perficiet, hoc est, non ad finem usq; felicitatem inconcussam assequetur, etiamsi principio inflatus fuerit: id quod & ab Daniele discemus. Etenim priusquam Cyrus armaret copias suas, excidit è regno uæsania correptus, ac ueluti malo spiritu agitatus circumibat deserta, foris dēmorans, aëris uarietati expositus, & omni ope destitutus, ut adeò corporis etiam sui formam, ferina, feroci, & effera quadam specie alteraret. Habes igitur dilutionem eorum in quibus dubitasti, præcipuè uerò qui de diuinæ prouidentię ratione hęsitasti. Ecce enim uidisti finem impij, hæc & hæc facientis.

B Qui ampliauit, tanquam infernus animam suam, & ipse ueluti mors, quæ non impleri potest. Congregabit ad sese omneis gentes, & accipiet ad seipsum omneis populos.] Quod suprà dixit propheta, quod consummationem hamo attraxit, & quod penitus occidere gentes non parcet, ueluti sigillo nunc obsirmat Deus, malitiam & ueri Nabuchodonosor, & eius qui mente concipitur, hoc est, spiritualis magis ac magis exhibens. Nam propheta sagenæ, reti, & hamo, mores eius & potentiam comparauit, ac Deus illum minimè saturari ait, ut qui instar inferi Plutonis animas accipiat & non impleatur, quiq; mortis in morem corpora susciptat & non exatietur, omneis præterea mortales sibi subijciat, suiq; iuris faciat, nec sibi à sua cupiditate tamen temperet. Pro priè autem turgidus ille fastu & contemptu, pater est superbiæ: qui & si humanam naturam occiderit, per peccatum per Adam perpetrato, ac dilatauerit seu latè aperuerit animam suam, non tantum contra peccatores procedens, uerumetiam contra iustos, adeoq; infantes, (regnauit enim mors super eos qui non peccauerant) tamen in finem Rom. 5.
usque non perducet: Christus enim pro nobis impeccabilis, & sine peccato apparuit, ac dissoluit peccatum in nos per Adam transfusum. Propterea & iniustè mortuus, & excitatus ex mortuis, eo quod non erat possibile teneri à morte principem uitæ, simul etiam nos excitauit & sedere fecit in supercœlestibus. Et ille quidem per idolorum cultum, & alia praua opera cunctos sibi subiecit: Christus uerò mundauit nos ab operibus mortuis, ut seruiremus Deo uiuenti & uero.

Nonne hi omnes de ipso similitudinem sument, & propositionem quam ei denarrent?] Prudentes, inquit, similitudinem edent, hoc est, oden uel canticum, & problema, id est sermonem popularem, qui omnibus passim sit in ore, ut pro omni alia narratione, de ipso uerba faciāt. Vel parabolam dicens, hoc significat, quod quoties mentionem sint facturi alicuius ceu infortunati, hanc sibi sumant similitudinem dicentes: Aequè infortunio succubuit, atq; Babylonius.

Ac dicent, Væ qui multiplicat sibi, quæ sua non sunt. Quousq;? & solidè ponderosum reddens colli sui ornamentum.] Hæc, inquit, canent, lamentantes Babylonium. Væ qui nihil se decentibus manum iniecit, & colli sui ornamentum, siue onus imperij sui grauius constituit subditis suis, quod grauia tributa & uectigalia imponat.

In medio autem exclamauit luctu: Quousq; inexplebilem eius & insatiabilem cupiditatem demonstrans, ut quæ finem non nouerit, quæ tamen non diu duratura sit, sed enim propediem cessatura, quantum nunquam antea. Graue autem & onerosum reddidit collare suum, eo quòd grauius sibi supplicium ex Deo ipse parauit: quandoquidem in malitia semper sua perrexit. Porro calumnians spiritus, etiam quæ sua nõ sunt colligit, nimirũ homines Dei existentes, ab eo nihil differentes, nimirũ ad imaginem eius creatos, sibi mancipans. quos tamẽ Deus uirtute euãgelij Christi liberat. Vnde & grauius sibi collare, hoc est maiorem pœnam quidem apparat, qui ne in aduentu quidem Christi à malitia destitit. Atqui considera hic commodissimam potentiam. A

Quoniam repentè exurgent mordentes ipsum, & expergiscentur insidiatores tui, eriscq; in direptionem ipsis.] Iam antea dixit, Quousq; ueluti ægreferens & commotus: pro eo quod est, quamdiu hoc facies? Deinde ueluti interroganti cuidam, quomodo hoc intelligis: Quoniam, inquit, inuitus ab iniuria & iniustitia desistet. Nam ueluti è somno exurgent subitò, & ex improuiso lancinantes seu mordentes ipsum ceu dentibus, belli nimirũ insultibus, exedentesq; uires eius bellicas & absumentes, nempe sub Cyro, Persæ, Medi, & Elamitæ, ac ueluti ex ebrietate, ac alta in soporem delatione, expergefacti, sobriam mentem, & liberam ratiocinationem recipientes, non porrò ferent tantam tuam degrauationem, uerùm omnibus modis insidiabuntur tibi, diripientq; regnum tuum. Insurrexerunt etiam aduersus satanam apostoli & martyres: qui docentes & confitentes ore Christum, mordebãt corpus eius, siue eos qui quæ sata næ sunt sapiũt. Vt enim corpus Christi sunt fideles, sic corpus diaboli sunt infideles. Et qui antehac idololatræ fuerunt, insidiatores eius constituentur, abolituri ipsius opera. Euigilarunt enim & uiderũt lignum, lignum inquam & aliam materiam, qualis esset: quam antea, ceu temulenti, colebant. Porrò qui à peccato deflectit, itidem exurgit, iacens enim reflecti non posset: & confidens mordet diabolum ore suo quo confitetur. Et expergefactus ex alta in soporem delatione, qua detinebatur à uoluptate, insidiatur iam per ieiuniũ, corporis humi cubantis castigationem, precationem, diripiens ipsum, & alios ad salutem ducens, & uerbo & exemplari quod in sese exhibet. B

Quia deprædatus es gentes multas, deprædabuntur te omnes relicti populi, propter sanguinem hominum, & impietatem terræ & ciuitatis, & omnium inhabitantium ipsam.] Multos, inquit, tu deprædatus, ueruntamen à paucis extra tyrannidem tuam relictis destrueris, quos neq; sperabas tibi renituros. Adeò diuinitus plaga tibi infligetur, ut qui abs te contempti fuerint, te excellant, ueluti Deo prorsum illos confortãte, indeq; robur. Patieris autem hæc propter uictimas & cædem, quam edidisti, hominum: & propter impietatem & flagitia quæ commisisti, omnem terram omnemq; ciuitatem uastans, ac suis habitatoribus orbans. Proinde à Cyro hæc passus est Babylonius, siue imperium eius. A sanctis uerò satanas, qui spolians homines per seducentem uoluptatem, per illos rursum spoliatus est, aque Christo ingresso in domum eius, siue in mundum, in quo habebat robur, diripienteque uasa eius, quibus utebatur ad omnem propriam efficaciam suam & operationem. Spoliatus est etiam per apostolos, qui ex reliquijs electorum Israelitarum existentes, omnes satanæ subiectos liberabant.

Væ qui auidè possidet facultates malas domui suæ, ut ponat in altitudinem nidum suum, ut contegatur manu malorum.] Indignatur Babylonio tanquam auaro & circumscriptori. Dicere autem queas, quod & lugeat ipsum. Etenim uerè miser est, & luctu dignus, qui plura appetit. Proinde & ille auidè expetebat facultates malas domui suæ: uel auarus erat auaritia mala domus suæ, hoc est, propter imperium suum & regnum, ut hoc eximium, altum & præpotens constitueret, ut nullo tentari malo posset: uel ut domum suam regiam splendidã faceret, & auro præclaram, utq; sublimem ipsam extrueret, ut ita undiq; tutus & insidiarũ exors fieret. Dixit autem nidum ex metapho ra auium, nidos suos in alto collocantium, ut ne facile pulli earum intercipi queant per insidiatores. Subindicat iuxtà mentis eius sublimitatem & elationem. Est etiam bona excellentia, seu plura habendi cupiditas, quando in uirtute quispiam superior esse uoluerit, & quando pauca huc impenderit, plura inde recipere cupiat.

Consuluisti in ignominiam domui tuæ.] Altitudo, inquit, hæc quam adeptus es

ex

ex auaricia domui tuæ, regnoq; tuo, ad maiorem ignominiam uertetur tibi. Quo enim præclarior es, hoc in maiorem tibi contumeliam cedit, quo à tanto taliq; splendore excidas. Hæc ad omneis quidem auaros dicta sunt, & circumuenientes alios. Atq; utinam hæc audiant, & cõmoditatem ex eis capiant. Hæc etiã dicta sunt de spiritu desertore, qui Deo maior esse gestijt, ac humanam sibi subdidit naturam. Qui posuit quidem in altitudinem domũ suam, & nidum, hoc est, peccatũ. in ipso enim quiescit. Nidũ uerò, instar auis habere dicitur, propter principatũ & potestatem quæ ei est in aëre, ac propterea quod ostentationem, fastũ, & ardua spiret. Atqui huiusmodi domui suæ contumeliã decreuit & acquisiuit. Quando enim peccatum ad fastigiũ perduxit, ac ad summam malitiã peruenire persuasit, nimirũ alios homines ad nullam nõ peccati speciem impellens, ac Israëlitas ut complerent mensurã patrum suorũ, & eorum qui & prophetas & Christum occiderant, tum ignominia est affectus & pudore suffusus.

Confeciſti populos multos, & deliquit anima tua,] Hoc est, consummasti, uel funditus cum summa pernicie perdidisti: quod suprà dixit, consummationem in hamo extraxisti, Neq; destitisti à peccando, uerùm hodie delinquit anima tua, ad maiorem plura habendi cupiditatem progrediens. Vel quod post confectionem populorum multorum, superbia languisti, ut uel contra Deum rabidus esses, id quod uerè est animæ peccatum. Præterea uani doctores circunueniunt circunuentione mala, auellentes à sana doctrina discipulos post sese, ut ædes suas, & non Dei (quas ecclesias uocant) altiores & præclariores reddant, eo quod turgida loquantur: quibus tamen sibi ignominiã struunt, ecclesia, quæ reuera est domus Dei, fortiorem sese monstrante, quando & conficiunt tales populos multos, ecclesiæ anathemati ipsos obnoxios constituentes, qui est finis & exitus omnis hæretici, nimirum separatio à Deo.

Hanc ob causam lapis ex pariete clamabit, & cãtharus ligneus uociferabitur.] Consueuit scriptura inanimis & sensu uacantibus & ratione, uocem attribuere, non quod sonare uerba queant, uerùm quod ueluti per ipsas res tantumnon clament. Hanc ad rationem Esaias ait: Erubesce Sidon, dixit mare. Et, Cœli narrant. Et quod præsenti loco magis est accommodum, Dominus dixit Iudeis quum pueri eum commendarent: Amen dico uobis, si conticuerint illi, lapides clamabunt. Proinde ad Babylonium ait: Nedum sermonis participes, uerùm & inanimi lapides, & irrationalia, ut cantheri, uociferabuntur aduersus tuam dementiam & insaniam. Et quî hoc fiat, dicemus. Nabuchodonosor Iudeæ domos & urbes uastabat, diruebat, incẽdebatq;: necessario igit lapides decidebãt & ligna, scarabæos paruos (nã illi κάνθαροι uocãtur) uel tineas habẽtia, uel teredines, ex quibus & ædiũ & ciuitatũ uetustas constabat. Hæc igitur suffossa, igniq; succẽsa, propheta uociferatura dicit aduersus eius crudelitatẽ. Animaduertendũ quod pro uoce, cantharus, Symmachus connexionẽ lignorũ posuerit. Fortasse igit ueteres, trabiũ complexũ culmina sustinentiũ, Cantharos nominabãt, quia sibi superpositũ tectũ ferrent. Adhęc omnis lapis ex Iudaico templo sublatus, clamabit Dei potentiã. Iam qui peccati simo hactenus uolutatus fuerit, ubi lignũ crucis apprehẽderit, clamabit: Absit à me ut glorier, nisi in cruce Domini mei Iesu Christi, per quem mihi mundus crucifixus est, & ego mundo. Et illud: Christus etsi ex infirmitate mortuus est, uiuit tamen ex potentia Dei.

Esai. 23. Psal. 18. Luc. 19. Galat. 6. 2. Cor. 13.

Væ qui ædificat ciuitatem è sanguinibus, & parat urbem per iniuriam. Nónne hæc sunt à Domino omnipotente?] Luctibus & lamentis uerè dignus est, qui ex iniustis uictimis & cædibus, regnum suum amplificat: qualis & Babylonius fuit, è sanguinibus & prælijs extruens urbem Babylonem, uel totam ciuitatem sibi subiectam, altiorem & opulentiorem faciens, atq; parans, autumans sese firmam eam, ac nullis turbationibus expositam redditurum, adeoq; inuictam, per hoc quod iniustas opes & potentiam colligeret. Hæc autem non sunt à Domino, hoc est, non imperauit ista, neq; lege sanciuit ea Dominus, neq; ipsi placent. Aedificauit ciuitatẽ satanas in sanguinibus, quando instituit rempublicam & administrationem sacrorum, idolis destinatorum: parauitq; urbem in iniuria, quando persuasit hominibus degere sub auaritia & circumuentione, ac simpliciter uiuere in uoluptate ac delicijs, quę est iniuria & iniustitia, dum qui melior est inter nos, iniuriam patitur à peiore.

Et defecerunt populi plericq; in igne, & gentes multæ exanimatæ sunt.] Planum

fam facit, quomodo ædificarit Babylonius in sanguinibus & iniurijs. Etenim populos multos, inquit, incendisti, ciuitates eorum & regiones comburens: & gentes multas pusillanimes reddidisti: hoc est, ut ob calamitates quibus per te adfligebant, renunciarent potentiæ suæ, & uires suas reijcerent. Defecerunt ergo gentes multæ in igne, quo accendebant & comburebant uictimas ipsis idolis. Atqui destituuntur etiam uiribus in igne indignationis & furoris, qui à potentissimo Babylonis rege uincuntur. A

Quoniam Implebitur terra cognitione Domini, ueluti aqua multa cooperiens maria.] Quædam exemplaria habent, impleta est: quod ipsum etiam pro implebitur intelliges. Postquam igitur suprà dixit, Væ: nunc causam adducit, & infit: Propterea Væ dixi, quoniam cognoscetur in te potentia Dei, & uniuersa terra cognoscet Dominum, ceu iustè iudicantem. Et quemadmodum copiosa lympha contegens maria, hoc est, mundans & superbulliens, in omnem hinc inde locum effunditur, consimili ratione cognitio Domini exuberabit, & super omnes fundet. perinde ac Dauides ait: Cognoscitur Dominus iudicia faciens, in operibus manuum suarum comprensus est peccator. Quum enim peccator in illis ipsis, quæ perpetrat, deprehensus fuerit, tum Dominus iudicia faciens omnibus innotescit. Prædicit autem uenturã etiam per Christum, super uniuersum terrarũ orbem cognitionem Dei, itidem ut ipse Dominus ad patrem
Ioan. 17. inquit: Manifestaui nomen tuum hominibus. Prius enim solis Hebræis cognitus erat, neq; illis interim ut pater filij, neq; ut productor spiritus: uerũ simpliciter ueluti Deus, & autor uniuersorũ. Per Christum autem cunctis mortalibus manifestatus est, etiam ad ultimos usq; orbis terræ fines, per etiam perfectam gloriam, tanquam filij & spiritus principium. Maria itaq; gentium ob incredulitatem amara, inundare fecit & contegi aqua (quæ bibi queat) diuinæ cognitionis, adeò ut in ipsam transmutarentur. Porrò Dominus ipse in scripturis fluuius dictus est, imò & torrens appellatur, ut eo in loco:
Esaiæ 66. Ecce ego super illos affluam, ut fluuius, & quasi torrens inundans gloriam gentium.

Væ ei qui bibere dat proximo suo mixturam turbidam, & inebriat, ut intueatur in spelæa ipsorum. Saturitatem ignominiæ post gloriam bibe.] Rursus Babylonium calamitosum reddit, dum inquit: Bibere dabas supplicia & pœnas proximo, id est, omnibus hominibus ex eodem luto conditis, uel contribulibus & cognatis tuis: mixturam seu peruersionem turbidam, hoc est, turbidum potum, ceu fontis inuersionem passi, siue conturbati. Et inebriabas eos per punitiones, ut subindicarent tibi spelæa, id est occulta loca, in quibus defossos seruabant thesauros, ut inspiceres eos. Eam obrem & ipse iam bibe potum ignominiæ, adusq; saturitatem, non enim leui contumelia afficieris, sed ingenti planè. Ratio est in promptu: quod ex ingenti gloria, ad ignominiam lubricè casurus sis. Tradunt Hebræi, quod Nabuchodonosor abducens gentium duces in suam terram, introduxerit iuxtà in suam regiam, atq; illic forti parato & permixto potu, eos inebriatos ad saltandũ compulerit. Qui dum mouerentur ac interdum caderent, occultaq; corporis, ut uerisimile est, nudabantur, miras inde delicias & uoluptatem capiebat, & in risum soluebatur Nabuchodonosor. Corporis secreta, spelæa nominauit propheta. Alij interpretes, pro spelæis nudationem reddiderunt: ut intueatur in nuditatem ipsorum. Præterea diabolus hominibus, qui proximi eius sunt, quantum attinet ad rationalem naturam, propinauit permixtionem turbidam, conturbans mentem ipsorum, & peruertens atq; commiscens noticiam, quam eis à natura Deus indidit, boni & honesti: inebriansq; uoluptatibus, ut corda ipsorum ueluti spelunce istius latronis facta eum pro ephoro & obseruatore suo habeant, attendentem sedulò & obseruantem, ne qua ratione, bona cogitatio uel ratiocinatio ingrediatur. At postquam aqua cognitionis Dei super terrã exuberauit ac torrens deliciarũ, nempe Christus, prædo iste abundè ignominiarũ retulit, satisq; cõtumelia deturpatus est. Siquidem ex omni potẽtia sua excidit, ut nullus usquam idolorum cultus remaneat, nec amplius iste latro, ceu numen malis feriat. perinde atq; Esaias ait: Ablegabit Dominus ad ho-
Esai. 10. norem tuũ ignominiã. Hæresiarchæ item potionem miscent appropinquantibus sibi discipulis, turbidã nimirũ inuersionem, inuertentes genuinũ scripturarũ intellectũ, ut in speluncas suas, siue synagogas uel cõuentus intueant. Iam & corda ipsorum spelæa dici queant, Euangelij Christi cognitionis lucem non accipientia, qui sol est iustitiæ, ut quæ serpentibus & reptilibus referta sint, hoc est, prauis & uenenatis cogitationibus. B

Et tu

A Et tu cor concutere, atque mouere.] Cordi Babylonij hæc loquitur. Quoniam tam antea per te multi consternati sunt, nunc igitur tu, qui nunquam speraſti ut aliquo terrore tentareris, utue à felicitate tanta excideres, quã perpetuò inuiolabilem arbitrabare, ac propterea induratus eras: nunc inquã, corde concutiare, hoc est, intellige quod felicitas tibi tua exciderit, ac sensum aliquem accipiens eorum quæ aduersum te euenient, ab arrogantiæ statu concutere, ac trepida tremore quodam, & mœrorem assumens, & animi in meliorem statũ permutationẽ. Quod uero minimè pauci in felicitate rerumq; copia constituti, nullo unquam tempore sese quassandos & commouendos existiment, Dauid testimoniũ profert, inquiens: Ego autem dixi in exuberantia mea, haudquaquam cõcutiar ullo unquam tempore. Nec reputaui mecũ, quod tu decorem meum & splendorem confortasses, ac stabilem hactenus esse feceris. Non quod ego dignus forem, cæterùm quia tu uolueris. Domine, inquit, iuxta uoluntatẽ tuam, præbuisti splendori meo uires. Auertisti aũt faciem tuam & factus sum conturbatus. Proinde hortatur Babylonium, ut turbationem perferat, ac felicem illum, qui dum à Deo flagellatur, & concutitur à malicia: nec dicit, Fortis ego sum, ista non curo.

Gyrũ duxit super te, poculũ dextræ Domini.] Eapropter, inquit, moneo te ut commouearis ac trepides, quod iusta Dei uindicta super te uenerit. hanc enim calicem diuinæ dextræ nominat. Sæpe aũt aliàs multis in locis pœnæ calix dicitur, aut poculum. Iam qui biberit & perfusus temeto fuerit, cõcutitur. Quid uerò est, gyrũ duxit: hoc est, circumtulit, uel circumlatũ est à dextra, ut effugere illud nõ possis. Vel quod æquè atq; cyathus in sympoſio ad omnes compotores per circuitũ transit, sic diuina sese ultio gerat. Antea nanq; alia regna pertransijt, puniens illa & inebrians dextra illa calamitatibus: circulo autem perfecto, ad te usq; etiam tandem peruenit, ut te iam ebibere oporteat hoc poculum, quod dextra tibi Domini propinat. Nec fieri potest, ut hic præterfugias. Manum enim eius excelsam quis auersabitur?

Et collecta est ignominia ad gloriam tuam.] Quemadmodum quando felix eras, B undiquaque gloria tibi cumulabat, & à diuitijs, & à fortitudine & intellectu, & multitudine subditorũ, ac id genus consimilibus: sic nunc ignominia colligetur tibi à paupertate, à metu, ab ignorantia, à defectione subditorum, ac talibus omnino simpliciter. A quibus enim celebris, magni æstimatus est, ab ijs nunc dehonestatur, ab illis destitutus. Quia uerò Dominus in corde terræ triduum apud inferos demoratus est, ad hoc ipsum cor ait: Concutere & cõmouere. primũ quidem motu facto, dum exhalaret animam, quando & monumenta sunt aperta: deinde quod ueluti totus inferni principatus sit cõcussus, ac æreæ contritæ portæ. aduenit eñ captiuis prædicare dimissionẽ. Adfert igitur: Quoniam circundedit te poculum mortis, quod bibit dextra Domini, ipse uidelicet Christus Iesus. Quare quos, dum tibi integrę uires starent, deuorasti, rursum expuisti: & factus iuxtà inglorius, per gloriam Christi, qua humanam naturã retinuit conseruauitq;. Destructus est nanq; extremus hostis, gloria mali, & iactatio malitiæ, iuxta illud: Quid gloriaris in malicia? Quando uerò indignè tulerit, malitiæ & uitio se obnoxium, collegeritq; sese, tum ignominiam putat priorem gloriam. Pſal. 29.

Nam impietas Libani cooperiet te.] Libanus mons Phœnicíæ syluosus & odorus, preciosis arboribus exuberãs. Assimilat igitur scriptura mõti huic urbẽ Hierosolyma, ceu maximã, & eam quæ cunctis anteferatur, ac multa bona fragrãtia, propter sanctos homines, refertã, perinde ac Dauid ait: Cedri Libani quas plantasti, illic paserculi nidulabunt. Quilibet enim sanctorũ cedro similis est, eo quod in altũ tollat, eosq; suscipiat, qui ab eo institui uolũt, eisq; fiat protectio. Quia ergo Hierusalẽ incendit unà cũ diuino tẽplo Babylonius, Impietas, inqt, in Libano, quæ est Hierusalẽ, cõmissa, cõteget te. Pſal. 103.

Et calamitas bestiarum perterrefaciet te.] Bestias, Cyri copias & exercitus uocat, ferinum in morem sese gerentes, ac bestiarum instar sæuientes. Proinde adflictio calamitasq; quam Cyrus adducet tibi, trepidationem tibi iniijciet: hoc est, humilem, timidum, & inaudacem reddet. Olim etiam re uera multa erat in Libano impietas, idola propter, quorum illic uigebat cultus. Altiora enim montium iuga scandebant dæmonibus addicti, ut illic facilius dæmonibus conuersarentur. Eius cultus causa diabolus coopertus est abysso, adeoq; inferno traditus, ac quæ sub ipso sunt bestiæ & uenenata, hoc est, mali spiritus, adflicti sunt & flagellati uidelicet Christi nomine.

Propter ſanguinem hominum,& impietatem terræ, & ciuitatis, omniumq; in ipſa commorantium.] Rurſus iure ultionem à Domino imminere oculis ſubijcit, quodq; haud citra rationem, aut iniuſtè hæc patiatur, uerùm propter ſanguines, inquit, & impietates quas faciebat, omnem terram & ciuitatem ciuibus & incolis exuens. Hæc etiam Domini interemptoribus conueniunt, ſanctorumq; hominum, qui ignominia adfecti ſunt, & calicem iræ Dei biberunt, & ad ærumnã à beſtijs, Romanis nimirum militaribus copijs, redacti ſunt, propter ſanguinem prophetarum, tum Domini, eiusq; diſcipulorum. Siquidem iſti interemptores impij fuerunt in Libanum, benefragrantem nimirum eccleſiam, quæ terra Dei eſt & ciuitas. A

Quid prodeſt ſculptile ei qui ſculpſit ipſum? Finxerunt ſibi conflatum quippiam, nimirum apparentiam uanam. Confidit in fi[illegible]i ſuo, qui finxit illud, dum facit idola muta.] Babylonij, Cyro aduerſum illos belligerante, ad idola & preſtigia & incantationes conuerſi ſunt, eam ob rem deridet eorum propheta dementiam: quandoquidem ueri Dei templum flammis tradiderant. Confidebant autem idolis, quæ ipſos ab hoſte uindicare non poterant. Idolorũ autem, quæ ex metallica materie parata erant, quædam ſculpta fuere, quædam fuſa & ducta: omnia tamen per conflationem ignis. Etſi ſculptilia peculiarem quandam formam haberent, cuncta tamen in ſeſe plena & ſolida extiterunt, nihil in ſeſe uacui admittentia. Fictilia uerò ſunt commiſſa & connexa, intrinſecus alia materie referta, ut pice, uel cera, uel luto. Fiebãt & ſculptilia lignea, & lapidea, & conſuta. Sunt & quæ pictorum manus coloribus informabant. Cum igitur ſpeciatim ſculptilium & ductilium mentionem feciſſet, generatim iuxtà intulit, ut faciat idola muta. Per dictionem enim facere, omnia comprehendit, quomodocunq; & ex qualicunq; materie facta. Fortaſſe autem finxit & fictile, hoc ſignificat, ueluti ſi dicamus: Fecit Deus terrã. Et rurſum: Aridam manus eius finxerũt. Eſt autem ſententia huiuſmodi: Fiduciam collocat qui finxit, in fictile ſuum, ac propterea imagines faciunt: quo plures fecerint, hoc ſe maiorem commoditatem aſſecuturos ſperantes. Dicens phantaſian, hoc eſt, imaginem quæ apparet: appoſuit, Vanã, eo quod & uera ſit apparitio: ſiue quando quę uiſa ſunt alicui, denuò prodeant & oriantur apud ipſum, qualia fuerint antea: uel quod ſcriptura apparitionem, ſplendorem appellet etiam. Cum igitur multi ſplendores ſubſiſtant, ut qui ſint rerum exiſtentium, ipſe idolorum ſplendor nõ ſubſiſtit, ut qui ſit rerũ non exiſtentiũ, propterea imaginẽ ſeu apparitionẽ mendacẽ dixit. B

Væ qui dicit ligno, Euigila & excitare: & lapidi, Exaltare, cum ſit apparitio tantũ.] Luget eos propheta, qui in extremis calamitatibus non ad eum qui ſeruare queat, confugiunt, ſed ad ligneas & lapideas imagines currant: precenturq; ut ueluti ſopitæ expergefiant, & exurgant aduerſum hoſtes, uires ſuas eximias & inuictas demonſtrantes. Obſerua hic, ut non dixerit ligneum uel lapideum idolum, uerùm ſimpliciter lignũ & lapidem, ad maiorem contumeliam. Quanquam enim ſpeciem gerat hominis, attamen lignum manet & lapis: ſpecies autem ſeu figura quam præ ſe fert, noua eſt apparitio, ut paulo antè cõmemorauit. Nec enim opus erat repetere.

Hoc aũt eſt ductile auri uel argenti.] Obſcurum uidetur hoc. Cum enim dixiſſet lapidem & lignum, ſubintulit: Hoc uerò eſt ductile, ex auro & argento. Proinde lapis & lignum, ductile eſt auri & argenti? Haudquaquam. Sedenim hunc ad modum intellige. Aliæ quidem imagines ſunt ligneæ & lapideæ, hoc uerò eſt ductile: pro, aliud uerò eſt ductile, ſeu idolum ductum ex auro & argento, uel fuſum.

Et omnis ſpiritus non eſt in ipſo.] Pro, nullus ſpiritus eſt in ipſo, neq; naturalis, neq; ſenſibilis, neq; rationalis.

Dominus autem in templo ſancto ſuo, metuat ſibi à facie eius uniuerſa terra.] Imagines, inquit, mutæ ſunt & imbecilles, neminem iuuare poſſunt: Dominus autem ueluti templum quoddam habet ipſum cœlum, & in illo commoratur, ceu ſanctus in ſancto. Demoratur etiam in templo Hieruſalem urbis: quod, qui in idola ſua ſpem locat, incendit, pro quo maleficio pœnã luet. Quod ſi in cœlis habitat, omnis terra uereatur faciem eius, hoc eſt, præſentiam eius, & conſiderationem noſtrorum operum: & nemo ſit contemptor Dei, neq; arroganter agat, ad ea quæ Babylonio contigerunt defigens oculos. Templum Domini etiã corpus eſt, quod è ſancta uirgine ſibi ipſi compaginauit, quod etiamnum templum immoratur. Omnes igitur terrena ſpirantes, metuant,

tuunt sibi à facie ipsius, secundi opinor aduentus, quando terribilius quàm antehac, uenit uisitare opera nostra, non in rectum transferre, non emendare.

PRECATIO HABACVC PROPHETAE CVM *cantico.* CAP. III.

DOmine audiui auditum tuum & cõterritus sum: intellexi opera tua & obstupui.] Transformans & figuris illustrans admirandus uates, sermonis sui characterem, nempe interrogatione & responsione, ac quærens cur non puniat Deus cõtemptores: ubi ergo didicit quod pœna non sit perpetuò defutura, neq; semper differenda, enimuero Iudæos quidem per Babylonios, Babylonios uerò per castigandos esse Persas: ad laudem cum cantico sermonem transfert, precans simul & celebrans, & admirãs Dei iustitiã, inenarrabilesq; Dei ordinationes. Orationis autem & precationis habitu, interim futura etiam uaticinatur. Ait ergo: Audiens ego quæ dixisti de transgressoribus in Hierusalem, quod Babylonio tyranno tradentur, ac de illo ipso impio quod Persis dedetur, perterrefactus sum, quod adeò peccatores ad interitum funditus tradas. Nihil eorum quę abs te fiunt Domine, citra rationem fit. Obstupesco considerans iudicij tui iusticiam. Poterunt etiam hæc de Christi mysterio dici, Postquã enim meminit Babyloniorum abolitionis, quam Cyrus efficiens, Israelitas liberauit, deinceps ad generaliorem & secretiorem, quam Dominus noster Iesus Christus nobis peperit libertatem & liberationem recurrit, liberans nos à satanâ potestate. Tum ita uates ad patrem uerba facit: Audiui pater, Domine mi, te reuelantem mihi incarnationem unigeniti filij tui, & perterritus sum & admiratus. Quomodo terra capiet illud, quod nusquã capitur? Porrò reputãs apud me intimius & exactius opera tua quę facturus es, corpus ipsi effingendo ex uirgine per spiritũ sanctum, & signa, & id genus alia, quæ ipse per tuũ nomen faciet, obstupui. Ad hæc, ad filium ita dicere queat: Quoniam audiui de te famam quandam. supra enim dixit: Audiam omnino quid loquatur in me spiritus: & intellexi opera, per quæ operaberis salutem humanæ naturæ, præterea & crucem & mortem, & resurrectionẽ & assumptionem: Et obstupui planè, demiratusq; sum, quomodo contraria conuenire possint, nempe corpus cum incorporeo, mors cũ uita, cum morte resurrectio, quomodo corpus in cœlis collocabitur, hæc enim omnia prorsum plena sunt stuporis admirationisq;.

In medio duarum uitarum cognosceris.] Duę uitæ sunt, & præsens & futura, quarũ medius ipse Deus iustus iudex demonstratur: alios quidem hic puniens, uel etiã glorificans, alios uerò meris supplicijs in futuro seculo uenturis, uel quietudinibus etiã recondens atq; destinans. Quidam hic non uitas, sed animalia per prophetam dici intellexerunt, Cherubim uidelicet gloriæ, quæ obumbrabant propiciatorium, alterum quidem à dextris, alterum à sinistris: è quorum medio diuina uox egressa, principi sacerdotum Dei uoluntatem indicabat, quando in penetrale ingrederetur. Est autem & Dominus Iesus assumpta humanitate propitiatorium nostrum factus, ut Apostolus testatur, tanquam animam suam pro nobis ponens, nosq; Deo patri reconcilians. quia uerò Deus sub Cherubim stipatus manet, ideo dicit: O Domine tu uerè nostrum propiciatorium eris. Te enim præsignificabat, in medio duorum Cherubim stans lega le illud propiciatorium. Alij per duo animalia, Babylonios & Iudęos intellexerunt, quorum in medio iustitiam facere cognitus est. Nouimus & alias allusiones, à quibus obsaturitatem abstinebimus. ζώων. ζώων. Rom. 3.

Dum appropinquauerint anni, agnosceris: cum aderit tempus demonstraberis.] Et omnibus demonstraberis, quod iustus sis & uerax. Hæc de Domino nostro Iesu Christo etiam dicit. Appropinquant anni consummationis, ac prædefinitum incarnationi tuæ tempus iam adest: quod tum erat, cũ uitia ad summũ fastigium peruenissent, & nihil intentatum satanas reliquisset. Verùm cum omnes peccassent, orbatiq; essent gloria Dei, & ne unus quidem iustus relictus esset, tum agnosceris ac demonstraberis, qui nunc in umbris & figuris prædiceris.

Dum turbatur anima mea ira, misericordiam recordaberis.] Humanæ naturæ personam induens propheta, Cum turbata, inquit, fuerit anima hominis, per iram tuam castigati, tum misericordiam denuò recordaris, perinde ac Israelitarum Babylonijs traditorum rursum es misertus, Humana natura turbationem etiam passa

est, dum

est, dum ob præuaricationem mandati & inobedientiam ei succenseret Deus, adeò ut A
tor. mortalitati subijceretur, sicut Dauides etiam ait: Auertente te faciem tuam turbabuntur, & in ipsum reuertentur puluerem. Atqui rursus es misertus eius, & incorruptibi-
1. lem in te & immortalem demonstrasti. quemadmodum idem rursus ait: Emittes spiritum tuum, creabuntur, & renouabis faciem terræ.

Deus à Thæman ueniet, & sanctus à monte umbroso & aspero.] Thæmã alij quidem austrum, alij uerò Africum interpretati sunt. Vaticinatur autem propheta, quod ex Bethleem ueniet Christus, quæ ad australem & Africam plagam respectu Hierosolymorum sita est. Montem uerò opacum seu umbrosum, ipsam eandem Hierusalem appellat. Asperum seu hirsutum, ac intonsum ideo quod ueluti diuinis donis & uirtutibus sanctorum in ipsa recubantiũ spirantiumq; floreat: opacum uel umbrosum, quod ueluti nebula, ac iuxta diuina gratia, super eam & in ea umbram faciat, illam ceu umbra circundet, ac tanquam in protectione cœli commoretur. Porrò deipara uirgo mons est etiam asper, ut in quam ferrum cogitationis, sordidum uirus habentis, non ascenderit: neq; humanæ manus uel operationis, ut uirginitatem eius resecet. Opacus & umbrosus mons illa ipsa etiam uocatur, quod spiritus sanctus descenderit super ipsam, & uirtus altissimi eam obumbrauerit.

Diapsalma.] Diapsalma uox est, quam Græci interpretes reddiderunt, pro Hebræa dictione Sela. Significat autem (ut peritioribus Hebræis placet) quandam peculiarem obseruationem eius rei, qræ illic per spiritum prophericum dicitur. quasi dicat: Res nõ est parua, quare imis eam sensibus reponite. Et quia hæc est prophetia de incarnatione filij Dei, pulchrè apponitur Sela, græcè diapsalma.

Operuit cœlos uirtus eius, & laudis eius plena est terra.] Etsi factus est homo unigenitus Dei filius, & per hoc angelis minor uisus & inferior, attamen uirtus eius, hoc est, gloria & maiestas, supra cœlos est, hoc est, supra angelos, qui in cœlis sunt. Ad quem enim horum dixit: Filius meus es tu, sede à dextris meis? Vel quod splendidior ipso cœlesti est lumine. Præterea uniuersa terra, tum uberius agnouit eum Dominum & herũ, B
quando incarnatus: euehitq; ipsum præconijs, ceu unigenitum, & eiusdem cum patre essentiæ filium. Deinde quando cum carne supra nubes conscendit, operuit cœlos obtexitq;, tumq; ipsum uberius terra Deum cognouit.

Et splendor eius, tanquam lumen erit.] Splendor, inquit, quem demonstrabit nobis Christus, cognitionem Dei & uitam Deo placentem intelligens, ceu lumen erit, hoc est, non obscurũ, neq; imbecillum, ut Mosaicũ, illud enim umbram habebat: sed merũ
Esa. 6. lumen & immixtum. Propterea & propheta dixit: Illumínare Hierusalem, uenit enim lumen tuum. Et, Populus sedens in tenebris, uidit lumen magnum. Præterea carnis ipsius fulgor, tanquam diuinitatis lumen erit in monte Thabor. siquidem in carne Deitas effulgebat.

Cornua in manibus ipsius, & posuit dilectionem fortem roboris sui.] Non solum, inquit, lumine doctrinæ usus, ueritatem demonstrauit & uita sua & institutione, uerũ etiam plurimas uires, admiranda multa faciẽs, exhibuit. Cornu autem omnino potentia multis in locis dicitur. Cornua enim animantibus sunt armorũ & scuti uice. Tandem pro nobis etiam mortem obijt, quod maximę eius potentiæ signum est: quoniam per mortem, mortem aboleuit. Vtraq; hæc fecit, ut suam erga nos dilectionem & fortem & magnam ostenderet. Maiorem enim hac dilectionem nemo habuit, quàm ut animam suam impendat pro amicis suis. Quia uerò cornua & de rege accipiuntur, ut
1. Reg. 2. eo in loco: Exaltabit cornu Christi siue uncti sui. ac de fastu, ut cum ait scriptura: Ne le-
Psal. 74. uate in altum cornu uestrum: adseuerant quidam uatem hic dicere, quod regna dæmonum & superbiæ in manibus eius sint, hoc est, in potestate eius, perinde ac in eo loco
Psal. 30. manus pro potestate accipitur, ubi scriptura inquit: In manibus tuis sortes meæ: pro eo quod est, in potestate tua. Quoniã autem dæmones subuertit & subiugauit iam tum, cum diceret: Iudicium est mundi, nunc princeps mundi eijcietur foràs: impendens animam suam pro nobis, fortem suam erga nos dilectionem monstrauit. Porrò dilectio ipsa non imbecillitatis, sed roboris erat. Non enim ceu imbecillis passus est, sed uoluntarius, qui in crucem etiam sublatus propriam ostendit potentiam, solem obscurãs, terram concutiens, monumenta aperiens.

Ante

A Ante faciem eius proficiscetur sermo.] Non carebit, inquit, testibus, uerùm stabilem testabilem habebit propheticum sermonem. Ante enim incarnatam eius dispensationem, propheticus ipsum sermo prædicabat. Ioannis item prædicatio dum Mat
inquit: Veniet fortior me post me. Dein cum natus esset, uenerunt magi, ac multa de eo fama fuulgata est. Posthac exijt nomen eius in uniuersam Syriam. Tum ad omneis dominos, subditos, sermo progreditur, & nihil est absque sermone & uerbo Dei. Quia uerò & facies Domini terribilis eius præsentia dicitur, ut illhic: Facies Domini super facientes mala: intelliges & considerabis, quod antea testificatur nobis, & prius quænam sint agenda subindicat, deinde præstò est cuilibet, iuxta laborem persoluens. Nisi enim uenissem, & locutus eis fuissem, peccatum non haberent.

Et egredietur pedibus suis ad institutionem.] Postquam præmisit uerbum ad eruditionem & institutionem hominum, ipse tandem etiam uenit, pedibus prophetici sermonis. Vel quod erudiat & castiget tandem nos, qui ijs quæ per uerbum suum nobis antea prædixit, & testificatus est, non obtemperauimus. Alij sic legerunt: Egredientur in campos pedes ipsorum, uoculam ωδὴν per ε tenue scribentes & ι, intelligentes omnia esse permeanda incarnato Deo, ueluti arua tam supina, quàm ea per quæ equi aguntur, & campos, nihilq; ipsi impossibile esse, Poterint autem & humiles corde, arua intelligi, qui ex cœlis semen accipientes, fructum ferũt ad centum, sexaginta, & triginta, de quibus Dauid ait: Arua tua implebuntur pinguedine, & ualles abundabunt fru- Psal. 64.
mento. Deinde ostendens, quod de rationis consortibus campis & uallibus uerba faciat, ait: Vociferabuntur & laudabunt. camp. ωδολεῖα institutio eruditio.

Stetit & mota est tellus, aspexit & liquefactæ sunt gentes, confracti sunt montes ui, liquati sunt colles perpetui, profectiones eius perpetuas pro defatigationibus uiderũt.] Omnipotentiam Dei ostendit, ut quæ nemini sufferenda sit. Simul enim stetit, & concussa est terra: intuetur, & simul liquefiunt cæræ instar omnes gentes: & montes franguntur à ui potentiæ eius: & colles æterni, hoc est, iam inde ab initio prædicati, ob altiB tudinem & magnitudinem suam: & profectiones eius & uias quas ab æterno facit, undecunq; in hostes suos motus, uidentes, tolerabiles uiderũt, cæterùm planè laboriosas & adflictionis plenas, adeò terribiles erant. Considerabis etiam, quod steterit in cruce, & mota quidem sit terra, montes autem ueluti petræ confracti sunt: liquefactæ sunt autem gentes aut copiæ dæmonum, & colles idololatriam accipientes dissolui sunt. Has profectiones eius & motus & operationes, quas ab æterno prædefiniuit propter labores, quos in cruce sustinuit, factas, uiderunt crucifigentes ipsum. Laborauit enim uerè, & defatigatus est pro nobis cruci adfixus, & languit propter iniquitates nostras. Sed & terra, siue terram inhabitans natura hominum stetit in eodem, & concussa est. A magnitudine quidem passionum concussa prius, stetit ueluti in posterum non concutienda. Commota est autem ueluti translata è statu uitiositatis, & infractæ quidem sunt oppositæ uires duræ & superbæ. Liquefacti sunt autem colles, hoc est, primorum principum & scribarum & pharisæorũ dignitates à seculo celebratæ qui profectiones Domini, quas faciebat in Iudæa, æternas & perpetuas existentes: hoc est, ad seculi usq; consummationem memorandas: uel mandata quæ dabat æterna existentia, & indissolubilia, (profectiones enim seu itinera mandata sunt, iuxta illud: Viam mandatorum tuorum cucurri.) pro labore inspexerunt, hoc est, onerosa omnino & intolerabilia existimarunt, cum tamen ille dixerit: Tollite iugum meum super uos, iugum e- Matth. 11.
nim meum commodum est, & onus meum leue. Et agite adeste. Et ego refocillabo uos defatigatos ac depressos duris legis sermonibus, cuius iugum neq; patres eorum baiulare potuerunt.

Tentoria Aethiopum terrebuntur, & attegiæ terræ Madiam.] Post salutares afflictiones, tentoria Aethiopum, non eorum qui re uera Aethiopes, sed qui mente concipiuntur, caliginosam deliberationem habentium: mortalium dico animæ, in quibus tenebrarũ tentorijs morabantur, perterrefactę sunt, & submissę sunt, uerbo Euangelij: Et attegiæ terræ Madiam, amantes uidelicet fornicationis & uoluptatis affectus. Israel enim Madianiticis puellis fornicatus est, quando stetit Phinees, & placatus est Dominus, & cessauit quassatio. Porrò Madianæus, ualet, si interpreteris, condemnatum.

Pulchrè

Universidad de Deusto
Biblioteca

Pulchrè autem tentoria & attegias dixit. Nam animæ mortalium temporaria dæmonum habitacula fuere: præterea uoluptatis effectus & operationes facilè dissoluuntur & transeunt, uti tentoria. Insuper Apostoli etiam uerè Aethiopiam uiderunt, & Madianiticam regionem uisitarunt, diuinum annunciantes uerbum. A

Nunquid in fluminibus iraſceris, uel in amnibus indignatio tua, uel in mari profectio tua? Quoniã ascendes super equos tuos, & equitatus tuus salutẽ adfert. Intendens intendes arcũ tuum super sceptra.] Postquã suprà dixisset, quod in cruce stans montes conterit, & gentes liquefacit: nunc ait, quod nõ hominibus succensens hæc facias Domine, neq; ut perniciẽ ipsis adducas & funditus perdas, siquidem amnes & mare, mortalium congregationes & uarias gentes appellauit: quin potius communi saluti prospiciens, has passiones seu adflictiones demonstrauit. Etenim Apostolis, quasi quibusdam equis uectus, per uniuersam terram equitabis, non ut punias, sed ut serues. Non enim ueniſti ut iudices mundum, sed ut mundus seruetur per te. Atqui credentibus equitatio tua cedet in salutem. Quod uerò ait, Arcum tuum fortiter & indubitanter intendes, ad tribus Israeliticas, quæ non crediderunt pertinet: eas enim sceptra nominauit. Quod uerò equi portantes Christum sint Apostoli, perspicuũ fit ex eo quod Paulus ipse à Deo audiuerit dicente: Quoniã uas electionis mihi est, ut ferat nomen meũ coram gentibus & regibus & filijs Israel. Illud uerò, Intendens intendes arcum tuum, non est dissimile his quæ Dauid habet: Intende, inquit, & prosperum successum nancisce re. Et, Sagittæ tuæ acutæ in corde inimicorum regis. Quidam, Nónne in fluminibus iraſceris? sic intellexerunt: Scopus, inquiunt, prophetæ est, ostendere quæ in nouo Testamento contigerint, quæ sunt longè diuiniora & magnificentiora ijs, quæ in ueteri sunt gesta. Propterea etiam ait: Non ut in ueteri Testamento, amneis in sanguinem conuertisti, aut mare exiccasti, ut liberares populum tuum ab sensibilibus inimicis tuis, sic nunc facies: sed conscendes super equos, ipsos nimirum Apostolos, ut sceptra dæmonum destruas atq; comminuas.

Act. 9.

Psal. 44.

Fluminibus rumpetur terra.] Quemadmodum coloni, in fossas & subterraneos meatus, & euripos, diuidunt aquas, irrigationem terræ ita instituentes: sic tu, inquit, Domine, terram præparabis ad susceptionem intellectualium fluuiorum, qui sunt Apostoli, ut sit quod dicitur: Propter flumina scindetur terra. Sunt qui iuxta textum, terram fluuiorum ipsam Mesopotamiam acceperint, mediam inter duo ingentia flumina, Euphratem & Tigretem. Mystice ipsum peccatum est, quod mediũ est inter udam & remissam uitam. Mesopotamia itaq; rumpetur, hoc est deijcietur, cadet, ceu murus existens Babyloniorũ roboris. Peccatum quoq; rumpetur scindeturq; ense, quem uenit Dominus iacere super terram. Fluuiorũ tellus, ipsa etiam est Hierusalem, quæ multos iam tum sanctos continebat, quos amnes nominauit. Vt enim uerum existens lumen, Dominus ipse, per participationem Apostolos fecit lumen mundi, sic & sancti dicuntur pariter flumina. Proinde ait, quod terra iam olim fluuios habens quibus irrigetur, nunc rumpetur, ac ueluti sitibunda fathiscet, ut quæ non susceperit propheticũ sermonẽ, neq; crediderit Christo. Nã si credidissetis, inquit, Mosi, credidissetis etiã mihi. B

Ioan. 7.

Videbunt te, & ueluti in partu mœrebunt populi.] Hoc duplicem intellectum habet. Aut enim hoc accipies, quod qui crediderunt populi uidebunt tuum lumen, & ueluti in partu dolebunt: hoc est, cupiditatem & desiderium uehemens habebunt, ut uideant regnum tuum, & parturient tuum timorem, ut spiritum salutis pariãt. Vel quod infideles populi, intuebuntur gloriam tui præconij, & mœrore necnon labore confi-

Ioan. 12.

cientur præ inuidia, quales fuerunt qui dixere: En mundus sequitur eum.

Spargens aquas itineris.] Aquæ itineris, sunt spiritualis & Euangelici uerbi gratiæ. Nam aqua profectionis, qua ad nos usq; unigenitus Dei filius porrexit, spiritus est, quem dedit credentibus in se. Postquam igitur uarij sunt spiritualis doctrinæ modi, una aqua multæ fiunt, quæ dispergitur ac diuiditur cuilibet pro sua habitudine. Nam diuisionem esse donorum discimus, eundem autem spiritum. Deinde proficiscens in uicos & ciuitates Dominus, aquã doctrinæ sparsit illis profectò ad quos dicebat: Si quis

Ioan. 7.

sitit, ueniat ad me & bibat. Multi habent aquas sermonis, sed non sunt profectionis, sed status, spirantes uitiosum odorem & inuidiam: in seipsis enim isti bonum habent, ipsum non in alios diffundentes, qui & assimilantur ei qui talentum defoderat. Porrò

qui

qui bonum habet, & in alios effundit, is aquas profectionis habet: & similis est, qui
A nummularijs talentum suum locat, quique opulentiorem dominum suum facit.

Abyssus dedit uocem suam, in altitudine apparitionis suæ.] Permansit in assumpto tropo, sensuumque consecutionem obseruauit. flumina enim sacrosanctos apostolos appellans, mare gentes nominat, incredulitatis amarulentiam retinentes. Perinde ergo ut fluuiorum in pelagus ingruentium, exonerantiúmue, ingens sonitus & strepitus editur, marinis fluctibus cohibentibus arcentibusque insultum et influxū: hunc ad modum diuinis apostolis gentes circumeuntibus, salutareque euangelij Christi præconium adferentibus, turbæ aduersum ipsos mouebantur, & seditiones ab infidelibus ipsis contradicentibus, extinguereque tentantibus istam promulgationem: quemadmodum Ephesi argentarius Demetrius fecit, Corinthi uerò alij, & Hierosolymis Iudæi, quando & Romanis Paulum tradiderunt. Proinde abyssus turbationis gentium, dabat altitudinem apparitionis & eleuationis fluctuum eius. Quidam hic, per abyssum, multitudinem credentium acceperunt, è fluminibus & aquis supradictis consistentem. Ipsa igitur abyssus, & altitudo apparitionis eius, hoc est, alti in ipsa, & diuitiarum & gloriæ & autoritatis aspectum habentes, dederunt uocem, confitentes Dominum Iesum Christum ore suo.

Eleuatus est sol, & luna stetit in ordine suo ad lumen.] Sol iustitiæ in altum sublatus est in cruce, & nox facta est, in qua luna ordinem suum obtinet, ut luceat: siue quod Domino crucifixo ex gentibus ecclesia refulsit, & stetit in ordine suo ad lumẽ, hoc est, proximè lucens apparuit, seruans ordinem proprij orbis. Sic centurio gentilis existens, filium Dei confessus est crucifixum, & qui cum ipso erant. Iam & Dominus ipse dixit: Quando exaltatus fuero, omneis traham ad meipsum. Sin autem sol Ioan.12
est euangelium, uide quando sublimatum est euangelium, & radij eius extensi sunt, tum & luna, hoc est lex, stetit ad lumen. Tum enim apparuit spiritualis lex, quan-
B do spiritus ipsam interpretatus est. Sic et per allegoricum intellectum apparuerunt, Agar & Sarra. Sic & illud, Non colligabis os boui trituranti: de doctoribus ecclesiæ, apparuit in lege scriptum & latum esse. Eum ad modum cordis circuncisio demonstrata est, non corporalis quidem particulæ. Hanc sanè ordinationem & antea quidem habebat lex, cæterùm occultabatur, ceu umbra circa ipsam foret. Quãdo uero uenit lumen mundi, tum stetit & ipsa in ordine suo.

Iacula tua proficiscentur, ad splendorem fulguris armorum tuorum.] Diuos Apostolos iacula uel sagittas appellat, quæ profectæ sunt ueluti à forti quapiam & potenti manu missæ, ut figerentur in corde inimicorum regis, dæmonum uidelicet, æquè ac Dauid ait: Tanquam sagittæ in manu potentis, sic & filij excussorum. Excussi Psal.126
sunt quidem & proiecti à facie Dei, ipsi Iudæi. Horum filij sagittæ fuerunt potentis Christi, qui est uirtus Dei. Illi porrò ad splendorem fulguris uerborum, hoc est, armorum Christi profecti sunt. Arma uerò Christi sunt, quibus Paulus nos induit dicens: Induimini armatura Dei, quæ est thorax iustitiæ & galea salutis, & gladius spiritus. Ephe.6
Atque hæc arma sunt splẽdida & coruscantia. lucet enim uirtus in eo qui eam induit, etiamsi occultetur. Luceat nanque, inquit, lux uestra coram hominibus. Apostoli igi- Matt.5
tur profecti sunt, docentes omnes gentes, ut ostenderent omnibus splendorem coruscationis armorum horum.

Interminatione imminues terram, & in indignatione confringes gentes.] Iudaicam, inquit, terram desolari & uastari facies per Romanos, tanquam incolæ eius in te impij fuerint: & confringes, hoc est, humiliabis Israelitas, qui gentium erga re sæuitiam & impietatem imitati sunt. Vel operationes terrestris prudentiæ imminues per iacula apostolorum tuorum: & gentium prudentiam, consilia humiliabis, deijcies, subiugabisque.

Existi ad salutem populi tui, ut seruares unctos tuos.] Quum dixisset antea, quoniam imminues Iudaicam terram, rationem nunc eius reddit: Nam tu, inquit, exijsti ad salutem populi huius. Non enim uenisti nisi ad pecudes quæ interierant domus Israelis. Propterea et Iesus uocatus es, & aduenisti huc, ut serues unctos sanguine tuo, & spiritu sancto tuo. At enim ipsi noluerunt, propterea eos minuisti, ac alium tibi populum uendicasti, qui & uncti sunt per baptisma, in mortem tuam baptisati, un-

Universidad de Deusto
Biblioteca

ctiq́ue oleo exultationis, ſpiritu nempe ſancto. Vel cauſam adducit, quur terreſtris A
prudentia diminuatur: Propterea, inquit, imminues terram, quod eam ob cauſam
exieris ut ſeruares, Aliter enim ſeruare non licebat, ni terrenæ res primum immi-
nutæ eſſent.

Proieciſti in capita iniquorum mortem.] Eos qui crediderunt, inquit, & unctos
& participes factos, ſeruaſti. In iniquorum uerò Iudæorum capita, hoc eſt, in prin-
cipes & eminentiores mortem iaculatus es, per Romanos qui eos perdiderunt.

Excitaſti uincula uſque ad collum in finem.] Hoc eſt, ligaſti iniqua Iudæo-
rum capita, propriorum peccatorum cathenis: non ita quidem ut ex parte cincti
eſſent, uerùm ut per totum corpus, & uſque ad ceruicem. Nam peccata ipſorum
excitata contra ipſos, quando Deus uoluit, ligarunt ipſos, adeò ut Romanis ipſos
ſubijceres, ut ceruix eorum elata humiliaretur, conficereturq́. Hoc enim ſignifi-
cat, quod ait: Ad finem. Sunt & charitatis uincula, quæ credentibus injiciens Do-
minus, ceruicem ipſorum proprio iugo ſubmittit. Excitauit & alia uincula Chriſtus
aduerſus Iudam, quæ ſuæ ceruici circumponens ille, finem reperit per ſtrangu-
lationem.

Diapſalma. Amputaſti in defectione capita potentium, concutientur in ipſa. A-
perient frenos ſuos, tanquam mendicus clanculum comedens.] Stuporem, inquit,
& defectionem patiuntur potentes Iſraelis, deficientes à recta prudentia, furentes
& inſanientes aduerſum te: eam ob rem reſecuiſti eos à tua proprietate, à tuo iure,
quum antea pars tua eſſent. Vel quod alium aliò diſperſeris, id quod Dauid ait: Di-
Pſal. 16 ſpartias eos in uita ipſorum. Non immeritò autem capita ipſorum intellectus capa-
cia, reſecta ſunt à ſocietate, quæ illis cum uerbo fuit, quoniam pro uerbo non ſapue-
runt, ſed uerbo potius reſtiterunt. Siue quod te ſigna exhibente, ipſi obſtupeſcent,
ac animo deficient. Concuſſionemq́ facient conturbati, ac diſcindentur, alij qui-
Ioan. 7 dem dicentes: Quoniam ſeducit turbam: alij autem: Quoniam nunquam ſic quiſ- B
quam locutus eſt, ut homo ille. Occultè quidem capita, ipſi principes obmurmura-
bunt tibi, aperientes labia & dentes quæ ſunt frena oris: æque atque mendicus non
audens propalam accipere cibum uelato eum ore intus comminuit. Timebant e-
nim uulgus, Ieſu Chriſto beneuolum atq́ fauens, propter miracula. Quin etiam a-
poſtoli, antea non audentes loqui, uerùm concluſi in cœnaculo ſuperiore clancu-
lum edentes credentium ipſis ſalutem: tanquam equi aperientes frenos oris, hoc eſt,
humanos timores abijcientes, cum fiducia & libertate prædicabant uerbum. Forſan
& ad Deum propheta inquit: Quoniam in defectione quadam & ſuccenſente affe-
ctu conſtitutus Domine diſcidiſti eos. Reuera enim ita eos diſcidit, ſi modò punit
Sap. 1 Deus. Atqui ipſi noſipſos punimus: cui rei teſtimonium dicit, qui ait: Deus mor-
Iacob. 1 tem non fecit. Et rurſum alius: Tentat autem Deus neminem. Quilibet autem ten-
tatur à propria cupiditate.

Ac duxiſti in mare equos tuos, turbantes aquas multas.] Seruauit rurſus ſermo ſuũ
in mutatione ſchema. Frena eñ recordatus, nunc equos ipſos apoſtolos uocat, quos
in huius uitæ mare Dominus perduxit: qui gentes aquas exiſtentes, propter udam
& diſſolutam uitam ſuam turbant, dum docent futurum eſſe iudicium, operumq́ in
præſente uita tranſactorum reddendam perſolutionem. Hoc modo Paulus Atheni-
Act. 17 enſes turbauit, quum diceret: Tempora ignorantiæ poſthabens Deus, iam nunc o-
mnibus annũciat, in melius permutare animi ſententiam ac reſipiſcere. Nam ſtatuit
diem in qua iudicaturus eſt terrarum orbem. Turbabant etiam alio modo apoſtoli,
quando propter prædicatum uerbum, ipſos inter ſeſe mutuò diſſidere ſanguine iun-
Luc. 12 ctos faciebant. Quod & Dominus adfirmauit: Non ueni mittere pacem, ſed gladiũ.
Multæ uerò aquæ ſunt gentes, reſpectu Iſraelis, qui unius ueluti gentis inſtar habet.
Matt. 10 In principio ſanè Dominus dixit: In uiam gentium ne abieritis. At ubi eleuatus eſt
Matt. 28 in cruce & reſurrexit: Docete, inquit, omnes gentes.

Obſeruaui, & conterritum eſt cor meum, à uoce precationis labiorum meorum,
& ingreſſus eſt tremor in oſſa mea, & ſubter me turbata eſt habitudo mea. Quie-
ſcam in die tribulationis meæ, dum aſcendero ego ad populũ peregrinationis meæ.]
Cuſtodiam uocant prophetæ, mentis ſuæ obſeruationẽ & attentionẽ, quam faciunt,

dum

dum ſpiritus eis inſonat futurorum cognitionem, æquè atque ſupra dixit: Super cuſtodiam meam ſtabo. Ait ergo: Quia ueluti cuſtodiui mentem meam à terrenis curis, in te mentem meam figens, reuelaſti mihi quænam ſint paſſuri, qui ex Iſraël non crediderũt, ac eam ob rem concidit cor meum: etenim ceu compatiens, triſtor ob contribules & fratres meos. Vel, quia quæ reuelaſti orãti mihi, cuſtodiui, hoc eſt, conſiderauí & ſeruauí apud meipſum, quæ etiã poſthac proloquutus ſum orans: ac ideo conterritum eſt cor meum, tremorq; apprehendit oſſa mea, & ſubter & ex profundo turbata eſt tota habitudo & cõſtitutio animæ meæ. Deinde mox ſpiritu imbutus ait: Quoniam non uidebo hæc quæ Iſraëlitis contingent. Tum eñ quando inſtiterit dies affuturæ calamitatis, quæ eſt mihi dies tribulationis, quieſcam, hoc eſt, ultimum uitę diem claudam. mors enim homini eſt requies & ceſſatio. Et aſcendam in ſupernam urbem, ubi eſt populus ſanctorũ, uitam hanc peregrinationem eſſe exiſtimans, quod & ipſe ego conſimiliter puto. Sic & Dauid ait: Aduena ego ſum & peregrinus, itidẽ ut omnes patres mei: patriarchas omnino clanculum & obſcurè ſignificans, alioſq; qui eos conſecuti ſunt, ſanctos. Quædam hic exemplaria habent: Ad templum peregrinationis meæ. Tum ſic intelliges: Aſcendam in templum cœleſte, à peregrinatione mea hac: Deſideransq; reſolutionem ex mortali corpore dicit, Requieſcam. Quũ enim præcognouiſſet, quæ generi ſuo & genti euentura eſſent, animo conturbato dixit: Tum ego requieſcam ab adflictione, ſi diſſoluar à peregrinatione hac.

Eo quod ficus non proferet fructum, nec erunt germina in uitibus: olea negabat opus ſuum, & arua non producent cibum.] Adflictionis ſuæ cauſam exhibet, quam propter ſit turbatus, dicens: Quoniam idcirco mœreo, quod ficus non porro proferet fructum, ipſa nimirum Hieruſalem. Etenim ubi ad ipſam ueniſſet Chriſtus, nullum *Mar. 11*
in ea fructum repperit, præter ſola folia, externam uidelicet demonſtrationem & apparentiam, ac ſimulationem pietatis. Quemadmodum & rurſus in parabolis dixit:
B Ficum quiſpiam habebat, quam ob ſterilitatem execare uoluit. Agricola uerò pauxil- *Luc. 13*
lum temporis ficui donari precatus eſt, ut uel fructum ferret, uel radicitus extirparetur. Sed neque uinea ipſa fructum protulit. Vinea uero eſt populus, ut Eſaias ait: Vinea *Eſa. 5*
Domini, inquit, exercituum, domus Iſraël eſt, & domus Iuda, plantula dilecta. Oleam uerò nominat Phariſæos & Sadducæos, qui iuſtitiæ quidem nomine cõſpicui & graues uideri uolebant, interim tamen eiuſdem fructibus uacabant, & nudi ab ipſis erant. Quod uerò olea pro imagine iuſti aſſumatur, Dauid etiam teſtatur: Ego *Pſal. 51*
ueluti olea fructifera, inquiens. Vniuerſa pariter ſynagoga olea eſt, ut Ieremias ait: Oleam umbroſam ſpecie, uocauit Dominus nomen tuum. Ipſa itaque opus ſuum mentita eſt, negauit, fraudauit. Inſtituti enim, ac puerorum inſtar ducti ad Chriſtum per legem & prophetas, non acceſſerunt eum: propter hoc ipſum fracti ſunt rami eius, & inſiti ſunt, ad oleaſtrum pertinentes infideles antea gentes. Præterea arua nõ proferent cibum, ſeu fruges in alimoniam, hoc eſt, tenuiores & inferiores in populo, ad quos dicitur: Nouate uobiſipſis noualia, nec ſeminate ſuper ſpinas. Iſti ergo adeò à *Hier. 4*
uentorum turbine perierunt, nullum diuinum fructum operantes, ut ne quãtum ad cibum ſufficiat, parare poſsint.

Defecerunt pecudes præ cibi penuria.] Simpliciores & minus aſtuti, ſiue uitijs uacantes, probiores, ac digni ut à plura intelligentibus regantur, defecerunt, eo quod non haberent cibum. Nec enim erat, qui cibum eis apponeret, perinde ac propheta dixit: Adducam famem ſuper terram, non famem panis, neque ſitim aquæ, ſed famẽ *Amos 8*
audiendi uerbi Domini.

Et boues non erunt apud præſepia.] Boues ſunt legis doctores, leuitæ, ſacerdotes, & ſacerdotum principes. Nam et apoſtolus illud, Non alligabis os bouí trituranti, ad doctores retulit. Siquidem illi cognitionis cibum, obſcuritatis literæ operimentis tectum, dedignati ſunt nudare, alijſq; præponere, ut perſpicuus fieret, & commodè intelligeretur. Accipiebant quidem & ipſi à populo oblationes, primitias dico & decimas, & quæ è ſacrificijs ad aras, ueluti ad præſepia adferebantur. Neque igitur præſepia & aræ exiſtent, neque huiuſmodi boues. Quia uerò quædam exemplaria adſcriptum hic habent, Ex ſanatione ipſorum: intelliges ita, quod ſanatio ipſorum fuerit Chriſtus: quem ſimulac non ſuſceperunt, ex Chriſto ipſis contigit ut defice-

Universidad de Deusto
Biblioteca

rent. nam is tradidit eos funditus ad interitum. Sunt qui hunc locum sic acceperint: Quod postquam propheta meminerit dissolutionis, in posterum de constitutione et conditione, quæ illic sit, uerba faciat, utpote ubi non sit opus ijs quibus hic egemus, neque corruptibili fructu, neque animantibus. A

Ego uerò in Domino exultabo, lætabor in Deo seruatore meo.] Contristatus sum, inquit, propter cognatos meos secundum carnem, talibus ac tantis malis tentandos. Attamen reputans ego mecum gloriam Dei, omnibus hominibus manifestandam, lætor & exulto, hoc est, exilio præ gaudio. ἀγαλλιῶ enim est idem quod σκιρτῶ id est saltare, quod est gaudij quædam intensio. Intellige autem, quod ueluti ex persona fide iustificatorum hæc oratio proficiscatur. Tantummodo enim talia dicit: quod quidam ex Israel operibus expectãtes iustificationem, sic repulsi sint: ego uerò ethnicus non ex operibus iusticiæ, quæ feci, sed secundum ipsius misericordiã, & per eius gratiam seruatus, in ipso exultabo. Simile est ei quod ab apostolo dicitur: Quoniam gentes ex fide inuenerunt iusticiam. Israel autem persequens legem iusticiæ, nõ prærom. 9 uenit: propterea quod non ex fide, sed ueluti ex operibus legis. Et iterum: Gentes pro misericordia glorificarunt Deum.

Domine Deus meus, potentia mea.] Imbecilla quidem est humana natura, inquit, Phil. 4 sed hanc sibi unitam, potentem efficiet Dominus Deus. Sic & Paulus: Omnia possum, ait, in eo qui me confortat, Christo. Ac Dauid: Quoniam gloriatio potentiæ Psal. 88 ipsorum tu es.

Et ordinabit pedes meos ad cõsummationem.] Hoc est, ad securitatem statuet pedes meos, ut stem ego solidus in fide, ac calcare queam, & ambulare super serpentes & scorpios. Consummationem enim alij interpretati sunt, securitatem. Videtur autem ueluti de quodam cursore hæc dicere. Cursum inquit curro: Deus igitur ordina- 2. Tim. 4 bit pedes meos, ut cursum perficiam, ueluti cum Paulo dicat: Cursum perfeci. Currunt multi, sed inordinatè, quales sunt qui in stadio certant athletæ, non legitimè tamen. Deus igitur pedes nostros collocat, si quando eius leges non prætercurramus, neq; doceamus quippiam præter scripturas, neque uirtutẽ etiam aggrediamur, citra mandata eius: ueluti faciunt, qui nuptias execrantur, & creaturas Dei bonas. B

Ad alta perducit me, ut uincam in cantione eius.] Terra, inquit, me superiorem facit, ac sublimia me sapere docet: ut ceu ex editiore loco debellem hostes. Infrà enim constitutus, & terræ adiacens, quomodo uincam spiritualia nequitiæ in cœlestibus? Victoria obtenta, non immeritò tum canã ei. Nec enim speciosa laus est in ore peccatoris. Qui ergo uicerit principatus & potestates, ille etiam canit Deo spiritualiorẽ & puriorem cantilenam, citra instrumentum proloquutionis, sola mente cum Deo colloquens, & ore ad os loquens. Quod siquidẽ iam & in hac uita fiat, nouerint quo modo fiat, qui tali uictoria diuinitus decorati sunt. In futura profectò uita indubitanter hoc continget, quando non porrò caro & carnalia supererunt, quando Deus omnia in omnibus erit. Sic et Moses quum Aegyptij in mare submersi essent, ipse quidem cum suis canit. Musica uerò & tympanum strepit: hymni enim eorum qui nõ omnino fortes sunt, corpus magis spirant, eiusdem secum genij instrumenti, indigentes. Vel non hoc dicit, quod post uictoriam carmen pangam, uerùm in hoc ipso cantu, & glorificatione Dei, ac inuocatione nominis eius, uictoria potiar: In nomine Psal. 19 eũ, inquit, Dei nostri magnificabimur. Perinde atq; apostoli in nomine Domini uirtutes faciẽtes, magnifiebãt à populo, et hostes suos uincebãt. Animaduertendũ quod quidã precationẽ hanc Habacuc, historicè intelligentes, de reditu ex Babylone hæc prophetã dicere confirmarũt. Aduersum quos Paulũ nos proferemus dicentẽ, illis in figura talia cõtingere, nobis aũt pro re uera scripta esse. Nisi enim umbratilis pictura præcederet, imago non perficeretur. Præterea pleraque alia in hac precatione dicta, nõ conueniũt omnino ijs quę historicè transacta sunt. Cęterũ de ijs, qui uolet, pro suo arbitratu iudicet. Isthuc uerò cunctis est perspicuũ, quod spiritus Dei qui scripturas locutus est per omnia omnes iuuare uult & per ea quę historicè dicunt, & per ea quę spiritualiter intelliguntur. Non enim sic se habent res nostræ, ut res Græcorum, ut allegoria amplitudinẽ & splendorem teneat: ipsum uerò scriptum, & id quod per uerba dicitur, grauitate & honestate careat, atq; splendore, sed plenum sit deformitate.

Nam

A Nim & scriptum hic sanctum est, animabusq; commodans, in ijs qui recte audiunt. Quorum in numero faxit Deus ut & nos simus, per spiritū sanctū: cui aperta loquenti, & occultas sententias retegenti, & per utraq; sanctificanti, gloria in secula, Amen.

HABACVC PROPHETAE VITA ET INTERITVS.

HAbacuc propheta ex agro Bexzochar è tribu Simeon oriundus. Quum antè expugnationem prospiceret captiuitatem Hierosolymæ, tam, ut qui maximè luxit, quum super ciuitatem, tum super populum eius. Appropinquante autem Nabuchodonosor Hierosolymis, ut dissiparet eas, fugam dedit ille in Ostracinam, & manebat illic incola in terra Israel. Ast ubi Chaldæi Hierosolymis soluentes, remearent in patriam suā, cum exuuijs atq; captiuis, & reliquiæ urbis Hierosolymæ in Aegyptum descenderent, Antistes ille reuersus in patriam, ministrauit messoribus sui agelli. seminauerat eñ ordea. cæterùm statim ut esculenta præparauerat, uaticinatus est suis, dicens: Proficiscar ipse in longinquam terram, & reuertar ocyus: uerumtamen si cunctauero diutius, apponite nostris messoribus quod manducent. Et translatus repentè in Babylonem, exhibuit prandium Danieli, qui erat in cauea cum leonibus. Deinde egressus astitit messoribus dum iam cœnarent, neque communicauit cuiquā uel tantillū de eo quod contigerat. Annunciauit præterea Habacuc, paucis pòst diebus postliminio ex Babylone Hierosolymam populum remeaturū. Obiecit porrò ostentum ijs qui Iudæam habitant, Quod scilicet uisuri essent in templo grande lumen lucidè micans, & ita contemplarentur gloriam Dei. Prædixit item de consummatione templi, quod à populo occidentali foret deuastatio eius Hierosolymis: Tum carbasus, inquit, Dair in duas findetur particulas. Geminarū item columnarū capitella seu epistelia è medio auferentur. Neq; quisquā cognouerit, ubi sint, quóue peruenerint: sed in desertum efferentur ab angelis, ubi nuper compactum erat mar-
B tyrij tabernaculum. Et in illis cognoscetur in cōsummatione Dominus, quod illuminabunt persequutos à serpente tanquā ab initio. Et seruabit eos Dominus ab umbra mortis, eruntq; in tabernaculo sancto. Hic propheta de aduentu Domini non pauca uaticinatus est: atque ante biennium quàm populus à Babylone redijsset, mors prophetam occupauit, & magnis honoribus in agro suo sepultus est.

VITAE HABACVC PROPHETAE FINIS.

THEOPHYLACTI BVLGARORVM ARCHIEPISCOPI COMPĒNDIARIA IN IONAM PROPHETAM Enarratio.

PRAEFATIO.

POSTQVAM omneis homines, cunctarū rerum autor Deus, condidisset, omnium iuxtà peræquè curam gessit, etiamsi maiorē habere Israelitarū prouidentiā uisus sit: hoc ipsum aūt in cōmune mortaliū beneficiū faciebat. Vt enim Israeli cōuenientem curam gerens, non cuilibet differens, neq; cum quouis colloquia miscens, quid agendū foret demonstrabat: cæterū præstantissimū quemq; ex omnibus eligens, iam magnū quidem illum Mosen, nunc uerò Iesum filiū Naue, aliàs Samuelē, ac alio tempore Eliam: & per unumquemuis horum, uel legem sanciens, uel miranda ostendens, uel adhortationes adferens, uiam ad salutem sternebat: Sic Israeliticū populum ab alijs gentibus secernens, sedula cura, & frequentibus apparitionibus, & inenarrabilibus miraculorū exhibitionibus, cæteris gentibus iter ad Dei cognitionē indicabat. Quod & per diuinū uatem Osee nos docuit: Speculator, inquit, Ephraim cum Deo propheta. Velutí enim metam quādam proponebat populū alijs gentibus, cùm in cōmoditatē, tum salutem. Non dissimilem ad rationē per hęc Aegyptus ineffabilem Dei potentiā didicit. Etenim in istorum perniciem, ad omneis homines fama perducens, cunctos demirari fecit, diuinæ prouidentiæ iusticiā. Hinc Rhaab scortū, cognitionis Dei splendore accepto, Cecidit, inquit, ad exploratores, timor uester; Ioſue 2

Universidad de Deusto
Biblioteca

& tremor ueſter ſuper nos. Audiuimus ẽm quomodo Domínus Deus ueſter, exic- A
cauerit ante conſpectum ueſtrum mare rubens, uoſq; perduxerit. Quoníam Domi-
nus Deus ueſter, Deus in cœlo, & ſuper terram infrà. Sic multo etiam pòſt tempore,
conſpecta arca, uociferabant alienigenæ cum trepidatione & horrore: Hic eſt Deus
qui percuſsit Aegyptum, quíq; tot Aſsyriorũ myriades ante mœnia Hieruſalẽ traie-
cit, ac regem ipſorũ Senacherim terga uertere cogẽs, cunctis mortalíbus ſuam poten
tiam conſpicuã reddidit: qui & in Babylone Danielẽ à leonũ ferocia illæſum ſerua-
uit, inq; ardenti camino tres illos pueros retinuit, ac arrogantẽ iſtum regẽ Nabucho-
donoſor dementauit, omnesq; illi ſubiectos docuit, quod ſolus Deus Iſraelis ſit uerè
Deus. Cyri denicq; temporibus celebratiſsimũ reditum populo ſuo donans, ac Hieru
ſalẽm priſtinæ felicitati reſtituens, ut & templum ſplendídius quàm antea fuerit, ex-
ueretur: omnibus tam longè quã propè ſitis cõmonſtrauit, quod ſolus ipſe abundè
poſsit & curam & præſidatũ ſuorũ agere. Porrò & in Macedonibus non ſemel uires
ſuas per Macchabæos oſtendit. Præterea per ꝓphetas miracula exhibentes, ac futura
prædicentes, gentiũ pleraſq; ad ueritatẽ duxit. Hinc magnum Eliſæum Syri metue-
runt, tum cæcitate ab ipſo percuſsi, tum Neeman leproſi curationẽ contemplati, tan-
ta uerò hunc ſunt reuerentia proſecuti, ut ubi rex ipſorum in ægritudinẽ incidiſſet,
Azaelem ad eum legarent, quẽ & propheta ille Syrus in regem unxit. Deinde fatidi
cum Hieremiã tanto honore dignatus eſt Babyloniorũ rex, ut optionẽ illi habitatio-
nis daret. Quumq; alios omneis et reges et príncipes, captiuos abduxiſſet, huic ſoli po
teſtatẽ dedit ſecedendi quò uellet. Beatũ itaq; Ionan non diſsimilẽ ad modum in pro-
phetam Nineuitarũ ſelegit. Eſt aũt urbs Nineuitarum ampliſsima, règis Aſsyriorum
regiam complexa. Quum enim unigenitus Dei ſermo per humanam naturã homi-
nibus appariturus eſſet, omnesq; gentes diuinæ cognitionis lumine illuſtraturus, an-
te etiam incarnationem ſuam, diuinã ſuam ipſis ſollicitudinẽ ſubindicat, ut per hęc, B
futura accipientes ſtabiliat, doceatq; in uniuerſum omneis, non Iudæorum tantum-
modo, uerumetiã gentiũ eſſe Deum: utq; ueteris & noui teſtamenti cognationẽ ob
oculos ponat. Si enim nulla gentium ſiue cura ſiue prouidentia tactus eſſet Deus ar-
te incarnationẽ, alium ipſum Iudæi Deum ſuſpicari potuiſſent, ut qui díuerſa transi-
gat ab eo qui legẽ tuliſſet. Siquidẽ ille Iudæorũ ſolum rationẽ habebat, hic uerò cun-
ctorum hominũ tangatur cura. Qua opinione infectus fuit execrabilis Marcion, aliũ
noui teſtamenti, q; ueteris Deum eſſe adfirmans, quum Dei erga omnes homines
in ueteri teſtamento prouidentiam non obſeruaſſet. Proinde hanc ob cauſam Deus
Ionam Nineuitis prophetã adlegauit, imò propter quaſdam etiã excellentiores & ſe-
cretiores rationes. Atqui nedum Nineuitis, uerùm & ipſi Iſraeli multa futura prædi-
xit, contẽporaneus Oſeæ, Amos, & Micheæ. Et quanq; nullum aliud eius literis man
4. Reg. 24 datum uaticiniũ circumferaẽ, in quarto tamẽ Regnorũ planum fit, quod & alias pro-
phetias ediderit. Dicit ẽm ſcriptura de Hieroboàm, non ílle filio Naba, qui peccare
fecit Iſraelem, ut adoraret uitulas aureas, cæterũ de alio, qui ex Ieu deſcendẽs, decem
tribuũ rex extitit, filius Ioas. Nã ille reſtituit terminos Iſrael ab introítu Imath ad ma-
re uſq;, uerſus occidentẽ, iuxta uerbum Domini Dei Iſrael, quod locutus eſt in manu
Iona filij Amathi prophetæ ex Gethephra oriundi. Præſens aũt prophetia ſola, tum
diuina diſpenſatione memoriæ prodita eſt, tum ad inſtitutionẽ pariter & adhortatio-
nem noſtri, ad quos fines ſeculorũ deuenerũt, ut ne deſpondeamus animũ, etiamſi in
ipſum uitioſitatis barathrũ deciderimus, ſedenim ſciamus clementẽ nobis eſſe Deũ:
ideoq; ad uitæ noſtræ & animi ſententiæ emendationẽ reflectentes, genuinè & uerè
ipſam aggrediamur, neq; ſegniter, neq; diſſolutè illã ipſam ſimulemus, exempli uice
ethnicos iſtos Nineuitas nobis proponentes. Scripta ſunt ẽm iſta, ad correptionẽ Iſ-
raelis. Quî ẽm non rubore ſuffundant, ſi iſti homines Barbari, & magna potẽtia flo-
rentes, & in delicijs ducentes uitã, qui nullo unquã tempore aliquẽ prophetã audiue-
runt, adeò celeriter & ſponte obediuerũt prædicationi: ipſi uerò lege Dei inſtituti ab
ineunte ætate, & populus Dei eximius exiſtentes, eos interim, qui ipſis ſalutem an-
nunciabãt, interfecerint, uſq; adeò ut et filiũ Dei neci dederint, qui & ſeruator & re-
demptor ipſis aduenerat: Cuius ſepulturæ & reſurrectionis myſterijs in præſenti hac
Matt. 12 ꝓphetia adumbraẽ, perinde atq; Dominus ipſe Iudæis colloquẽs dixit. Generatio iſta
ſignum

signum inquirit, & signū ei non dabit, nisi signū Iona prophetę. Vt ēm Ionas in aluo ceti fuit treis dies ac treis noctes, sic et filius hominis erit in corde terrę, treis dies ac totidem noctes. Enimuero, quod ad reprehensionē et condemnationē Iudęorū scriptura tradita sit, testat Dominus in Euangelio, quū ait: Viri Nineuitæ exurgent et condemnabūt generationē hanc, quoniā resipuerunt ad prædicationē Iona. Et ecce plus ęs Ionas apud uos est. Quō maiora sunt in Christo, quàm in Iona? Quoniā ille interminatus est tantūmodo Nineuitis subuersionē: Dominus aūt ille noster nedū prædicauit, cæterū & innumera signa fecit, per quę par erat ipsos ad fidē trahi: sed increduli permanserūt. Significat igitur in Iona, tanq; in figura, de Christo mysteriū. Attamen non per omnia necessum est quærere similitudinē: neq; ēm à nobis postulandū est, ut omnino quæ sunt historiæ, ad spiritualē contemplationē uertamus. Nam ut generatim exempli uice dicā, quū aliquē priscorum sanctorū figurā Christi dixerimus fuisse, non opus est per omnia quærere similitudinē. Veluti Mosen dicimus typum fuisse Christi, seu legislatorē et mediatorē. Loquere ēm, inquit, ad nos tu, & ne loquatur Deus ad nos, ne quādo moriamur. Hunc ad modū Christus, ambo hęc, nimirū nouę nobis legē ferens, & mediator Dei et hominū factus, & uoluntatē patris sui nobis denuncians, ipsiq; reconcilians, nō tamen impeditioris linguę fuit, neq; gracilis seu exilis uocis, ut Moses: nec titubauit labijs suis, nec terrę promissionis exors fuit. Rursum Aaron typus Christi fuit, ceu summus sacerdos, qui in sancta sanctorū ingrediat, & populi peccata diluat, quę et omnia Christo conueniunt. Siquidē insignis pontifex factus, sese ipse obtulit: ac in cœlū cōscendens, peccata nostra in se trāstulit & abstulit, chirographo dirupto. Atqui Aaron nō caruit noxa et reprehēsione, ut qui aduersus Mosen cū Maria murmurauerit, ac eos qui in solitudine uitulos cōflauerunt, nō prohibuerit: in Christo uerò nihil huiusmodi deprehendit. Peccatū enim nullū fecit, nec est inuentus dolus in ore eius. Eam ad rationē hic, amandatus est quidē Ionas, ut nunciaret uoluntatē Dei Nineuitis, ac ad eā prouinciā haud erat pronus, sed in fugā sese conijciēs, illā declinabat: Christus uerò à patre missus, obediēs factus est. Porrò quod ppheta uoluntarius in pelagus projicit, et à ceto deuorat, et tertio die ab eodē denuò euomit, tandemq; ad Nineuitas proficiscit, omnia Christo sunt cōmunia. Nā & ille sponte mortē obijt, et morte uerè absorptus est, tertia die uitę restitutus, ac in Galilæā profectus, initium prædicādi euangelij, apud gentes sumendū præcepit. At Ionas seruatis Nineuitis turbabat, Christo uerò salus gentiū ualde iucunda fuit et grata. Decerpentes igit ex hac prophetia, quantū satis est ad Christi mysteriū, quantumq; est commodū, cætera litterę permittemus ut typus huius prophetię, quatenus per omnia cum Christo cōueniat, sit penes recta iudicātes, nō penes ipsam figurā uel adumbrationē.

CAPVT I.

ET factum est uerbū Domini ad Ionan filium Amathi.] Cuius rei gratia sic quæso orsus est? Emphasim enim & latentem quandam uim habet uerbum illud, Et factum est. Apparet enim, quum multus esset sermo de Nineui, quumq; fama eius reliquas urbes omnis exuperaret & regna, nimirum quod & opibus & potentia prægnans, multis flagitijs obnoxia esset atq; peccatis, per consecutionem dictum, Et factum est uerbum Domini. Vel quia Israelitæ ex confesso non obsequebantur uerbo Dei, hunc ad modum auspicatus est. perinde ac si dicat: Quoniam Israelitæ sese perperam diuinis in rebus gesserunt, non obtemperantes uerbo, igitur in posterum factum est uerbum Domini ad Ionan, ut ad gentem Nineuitarum mittatur. Adiectum est autem nomen patris prophetæ, propter nominis æqualitatem. Est enim haud absimile uero, alios sic appellatos, qui tamen ex eodem patre non fuerint propagati.

Dicens: Surge, proficiscere in Nineui, ciuitatem magnam.] Maximum est indicium posteris, de gentium ad cognitionem Dei assumptione, ipsa Ionâ ad Nineui urbem legatio. Est autem ciuitas Assyriorum eximia, ut in præfatione commemoratum est quam Assur extruxit. Assyrij uerò increduli & fidei omnino sunt exortes. Hanc urbem seruatum iri uolens Deus, ceu locum existentem tum temporis, idololatriæ, & omnis effascinationis & incantationis, ac prophetam idcirco pœnitentiæ (quæ est animi in meliorem sententiam permutatio) præconem ipsis mittens, ostendit, quod suprà etiam diximus, quod non sit Iudæorū tantum Deus, sed et gentium:

& quod non sit personarum apud ipsum respectus, uerùm in omni gente, quisquis ipsum desiderauerit, & iusticiam exercuerit, ei gratus est uel acceptus, quemadmodũ
Act. 11 & Petrus in Cornelio hoc uerè, ipsaq; re aggressus demonstrauit. Valde autem accelerantia uerba sunt, Surge & proficiscere. Nolens enim mortem peccatoris, quin potius cupiens ut conuertens sese ad bonũ uiuat, prophetã celeriter destinat ad promulgationem pœnitentiæ. Hinc etiam apponit, Ciuitatem magnam, ut magis ipsum inflectat, ac permoueat accelerare profectionem. Non enim est, inquit, exiguus locus, non uile oppidulũ, sed ciuitas non una ex multis, cæterũ magna, quare non est quod ipsam aspernéris. Si enim ne quantulacunq; quidem aliqua contemnenda est ciuitatula, quanto minus ingentes & præclaræ sunt posthabendæ urbes?

Et concionare in ipsa, quod clamor flagitiorum eius ascenderit ad me.] Quia, inquit, non sentiunt proprias suas iniquitates & impietates, ideo tu sis eis præco, ac doce eos quod talia tantaq; crimina perpetrauerint, ut ad cœlum usq; ipsorum magnitudo peruenerit, ac tantũ nõ uocem ediderint, aduersus perpetrantes, clamantem, nihil enim eorum ignorat, quamuis sit minimũ, qui cuncta nouit priusquã fiant. Enimuero quia clemens existens Deus, non ob parua quædam delicta pœnam adducit, sed quando ingentia, & numero digna peccata commissa fuerint, quæ eius mansuetudinem ad iracundiam prouocent, tum exurgit ad uindictam. Eam ob rem etiam dicit, clamorem criminum ad se usq; peruenisse, ceu multiplicatis ipsis, & accersentibus
c ad sui excisionem & ultionem. Sic & Abeli sanguis clamat, contra Caini cædem: sic & Sodomitarũ turpis opatio uociferata est cõtra ipsos. Verè itaq; in summis opibus uiuentes Nineuitæ, nullum non uitiorũ genus admiserunt, cætera lasciuijs, ueneficio & incantationibus uacantes: quibus in rebus Chaldæi præ alijs exuberabant, perin-
Naum 3 de ac Naum dicit: Scortum formosum & iucundũ, ducatum præstans ueneficis. Eapropter & Dominus prophetam ad hanc urbem legauit, & si longissimè ab Iudæa sita esset, ut cunctis mortalibus ostenderet, quod et laqueis erroris constricti, ut qui omniũ maximè atq; in uniuersis sceleribus primatum obtinentes, cognitionẽ Dei sint recepturi, sinibusq; foturi suis. Nec eñ sermo Dei est inefficax, cæterũ magnipotens,
Hier. 5 & magnarum uirium, ut & ad Hieremiã dictum est: En dedi uerba mea in os tuum,
Ibidem 23 ignẽ, et populũ tuũ ligna. Et iterũ: Nónne sermones mei uelut ignis ardẽs, dicit Dñs, & ueluti securis cędens petram? Intuere porrò clamoris uocẽ positã ut in Sodomitis.

Et surrexit Ionas ut fugeret in Tharsis à facie Domini.] Ambigunt hic non parum multi, quur quum propheta sit fugiat, ceu Deum latêre queat: hoc autem nemo alius, ne mediocrium quidem, unquam putasset, quod Deum effugere possit, qui et cuncta
Psal. 138 explet, & nullo loco capitur. Nónne Dauidẽ audijt, si ipse ignorasset, dicentẽ: Quò proficiscar à spiritu tuo, & à facie tua quò fugiam? & quæ deinceps sequuntur. Videtur itaque absurdè dictum hoc, uel ipse absurdus & monstrosus quispiam homo esse, qui à Deo fugiat. Dicendum igitur, quod apertè quidem & plus quàm alij, ceu propheta nouerit, quod uniuersorũ Dominus ubiq; præstò sit, quodq; nullus locus eius prouidentiæ & gubernationis expers sit. Cogitauit autem manifestiores suas apparitiones, in sola Iudæa ipsum facere, unde si ab hac longè remoueatur, sibi non porro appariturum Deum, ut ad hoc ministeriũ eum mittat. Hoc enim signat, à facie Domini, hoc est, declinauit magis perspicuam, adeoq; clariorem Dei apparitionem & functionem legationis, quæ illi ex ipso imminebat. Quod enim prisci sancti in locis quibusdã separatis apparere Deũ autumarint, et Iacob testat, quãdo uidit scalas, et
Gen. 28 angelos ascendẽtes et descendẽtes, inquiẽs: Dominus est in loco hoc, ego uerò ignorabam. Sic Dauid: Selegit, inquit, Dominus Sion, secreuit ipsam in habitationẽ sibi.
Psal. 131 Porrò & nos perfectiora sapere docti, ac per ista spiritum diuinam gratiam magis adumbrare credentes, ipsum locum accedamus, ceu sanctificãdi, & diuinum quoddam donum decerpturi, relaturiq;. Subterfugit autem functionem illam, non tanquã non credens Deo, uel segnis: utraque enim prophetæ sunt indigna, nihil ei conueniunt: atenim simul compertum habens, Nineuitas diuinam benignitatem & mansuetudinem, si resipiscant, consecuturos, hinc q; euenturũ ut ipse pro uano uate reputetur, quod omnino indecorũ est prophetæ & incõueniens, nimirũ quod uanus existimari debeat. Forsan et Nineuitæ malo in eũ affectu concitabunt, ceu talẽ q falso et menda

citer

A citer eos in pœnitentiæ adflictiones coniecerit. Hanc autem ipsi suspicionē peperit, quod uideret nihil graue Nineuitas passuros. Atq; hoc est argumentum prædicationis. Ratiocinatus est enim secum, quod Deus uerbum illis suum non prænunciasset, si perire eos uoluisset: sed perspicuū est, quod ad pœnitentiā sit adhortatio, ipsa pœnæ & supplicij interminatio. Præterea & Iudæorum accusationem fore cogitauit, Nineuitarum obedientiam, ut qui ignoto et alienigenę fidem adhibuissent uiro, quū ipsi contribulibus prophetis non crederent, qui prophetias suas cum miraculis etiam confirmarent. Hanc ob causam imperatum sibi non statim executus est, sed fugere Tharsis usq; est conatus. Hanc regionem quidam Tarsum esse aiunt, quæ & Ciliciæ metropolis, sub radicibus montis Tauri sita. Alij regionem quandam Indię Tharsis appellari tradunt. Ex Tharses enim Salomonem quoq; precioſos lapides, dentes etiā eburneos unà cum simijs mercatū. Hæ aūt aliunde quàm ex India non perferuntu bimatus spacio, tanto enim tempore nauis Solomonis in libro Regnorum redire dicitur. Atqui errant talia dicentes. Si enim ad Indiam fugiebat, non erat opus ad Ioppen descendere, quæ est maritima Palæstinæ, adiacetq; mari ad occidentem uergenti. Per hoc pelagus nemo naui trajciens, in Indiam peruenerit. Inter enim nostrum & Indicum mare, multum telluris est & habitatæ & inhabitabilis, montesq; & multi & magni, sinus item ruber, quem deinde Indicus contingit. Præterea diuina scriptura testimonium dicit, Tharsis nō esse ex urbibus Indicis, neq; etiā Tarsum, sed Africæ esse. In Esaia enim iuxta Septuaginta editionem legitur: Lugete nauigia Carche donis, quoniam interijt munitio uestra. Aquila tamen & Symmachus Tharsis pro Carchedone uerterunt, quum & Ezechiel memoriā Carchedonis fecerit: in Ebræo uerò & Syro exemplaribus, Tharsis inuentum sit. Vnde liquet non in Indiam, sed Africæ Carchedonas Ionan profugisse. Esa. 23

Descenditq; in Ioppen, & repperit nauim euntē in Tharsis, ac dedit naulum suum, B descenditq; in ipsam, ut nauigaret unà cum illis Tharsis usq;, à facie Domini.] Per mare fugam adornat, ratus quàm celerrimè sese à ministerio prophetiæ erga Nineuitas liberandum. Dedit autem & nauigationis mercedem, ut ne uel hinc si non daret, esset quod remoraretur eum quo minus fugeret. Omnia nanque ipsi facilia uidebantur, patriæ priuatio, maris pericula, mercedisq; abiectio, modò ab graui & molesta prophetandi functione illa eripi queat.

Et Dominus excitauit uentū uehementē in mari, & exorta est tempestas magna in mari, & nauis periclitabatur ut contereretur: conterritiq; sunt nautici, & clamabant quisq; ad Deum suum, feceruntq; iactum uasorū nauis, ea in mare ejciētes, ut leuior ipsa fieret.] Ionas quidē sic effugere posse diuinū illud ministeriū arbitrabat: at enim terræ marisq; Dominus, suscitat aduersus nauim tempestatē, fluctuumq; nexus naui gio circumijcit, ut discamus diuinā functionē subterfugere nos nō posse, neq; renuere debere, si ad opus Deo bene placēs aduocemur. Docemur iuxtà hinc, quod nihil citra Dei prouidentiā gerat, uerùm tempestates etiam diuina uoluntate, & nō fortuitò, uel naturaliter fieri: Dominus enim, inquit, excitauit spiritum magnū. Dicat fortasse aliquis, frequentissimè procellas maris naturæ quadā ratione oriri, nempe siderum cōuentibus, et secessionibus: quandoquidē hunc Deus ordinē, mundi motui indiderit. Cui respōdemus: Excitant etiā sæpe, natura nō postulante, tempestates, Dei admirādo consilio et uoluntate: qui & naturā cōdidit, idem eandē etiam alterare, secundum quod sibi uisum fuerit, undelibet potest. Vtroq; autem modo illi seruant uel pereūt, quos diuinus calculus uel seruari uel interire iudicauit. Quod uerò terrefiant nautæ, signum est magnitudinis periculi, quādo & maris peritissimi sibi metuerunt: signum est euidentissimū, quod animū desponderint, & idcirco electionem uasorum fecerint, ut leuaretur nauis. Supplicabat autem quilibet dijs suis: scriptura hæc non frustra enarrante, uerùm uti doceat, utraq; esse necessaria, & nostra facere, et diuinum implorare auxiliū: neq; sic totum negocium Deo permittere, ut nos interim segnes planè & ignaui sedeamus, (inanimatorū enim & omni motu uacantium hoc rerum est) neq; nostris omnino nos confidere consilijs & institutis. hoc enim rursus impiorum hominū est, quibus reproba mens est. Asseuerant hic quidam, quod circa istam solā nauim tempestas sæuierit, Neq; enim, si cōmunis tēpestas erat, conati essent sorte

exquirere,

Universidad de Deusto
Biblioteca

exquirere, eius turbationis maris autorem. Enimuero, quum alios uiderent citra periculum sulcare pelagus, secundisq; uentis agi, suam uerò onerariam nauim, submergi propemodum ea periclitatione, inquirunt quisnam inter sese eius maris sæuitiæ sit autor, quæue origo. Atque hæc opinio nō erit absimilis uero, si reliqua nauigia extra periculum sint acta. A

Ionas autem descendit in aluum nauis, & dormiuit & stertuit.] Nunquid adeò ignauiæ & secordiæ deditus erat propheta, ut tanto periculo suscitato ipse dormiret, nec simpliciter dormiret, sed in altū adeò soporē deferretur, ut sterteret? quod maximæ securitatis argumentum erat. Atqui ante subortam tempestatem & periculum sopore correptus est, fortasse ex nimia fugæ tristicia & defatigatione. Porrò quod in aluum nauis, hoc est, in infimum locum descenderit, prophetæ hoc moribus conuenit. Separatim enim & solitarium degere propheticum est. Hinc et Dauid: Solitarius sum, inquit. Et Hieremias: Bonum est homini ubi iugum suum tulerit, ab iuuentute sedere solum. Et iterum: Non sedi cum concilio illusorum eius. Solus & separatim sedi, quoniam amaritudine repletus sum.

Et accessit ad eum proræ gubernator, dicens ei: Tu quid stertis? Surge, inuoca Deum tuum, si fors nos seruet Deus, & non pereamus.] Nautica multitudo, aliàs prorsum negligens decori, & intellectu carens, hic adeò formidine & pauore erudítur, & intelligens redditur, ut proræ obseruator, non ipse tantummodo preces fundat, uerùm Ionan adiens, eum etiam ad precādum excitet. Adeò necessitas, quid deceat, bellè docet. Obserua hic, quod etiamsi uarios deos inuocauerint, eam tamen cognitionem habuerint, unum esse quempiam Deum, cæteris omnibus maiorē præstantioremq;. Non enim dixit, ut seruent nos dij, sed Deus: Vel quod unum existimauerint, Iona cum omnibus illis peculiarem suum Deum adorante: Atq; unum fortasse ex multis in auxilium uocauerint qui eos exaudiret, ac incolumes cōseruare posset, forsan Neptunū, uel Nerea, seu Thetin, seu alium quempiam marinum Deū iuxta Græcum errorem. B

Dixit porrò quilibet ad proximū suū: Agite iaciamus sortes. Et cecidit sors super Ionan.] Obtēperauit Ionas proræ obseruatori, et orauit. Quanq; enim hoc scriptura nō expresserit, intelligit tamen: quādo neq;, quod è somno surrexerit, indicauit, nemo tamen ambigit ipsum expergefactū surrexisse. At precibus suis ad Deū fusis nō est exauditus. Neq; em̄ par erat inobedientē Deo, exauditum iri. Iam et fuga eius à Deo, fiduciam ad Deū ademerat. Quum igitur auxilia ex precibus uana tum dijudicarent̄, ad sortem cōfugiunt, cui gentes adsueuerāt. Nouerant em̄ naturæ quodā ductu, peccantibus esse adiectam pœnā, ac digna nos ob peccata nostra supplicia ferre, nec huiusmodi expertia esse curæ Dei, proinde credebāt quod prouidentia illa per sortis iactum, manifestaret sibi autorē: iamq; hoc arbitrabant̄, quod quē fortuita sors probasset, uel etiā prodidisset, apprehendendū, ceu sortis oraculo expetitū. Cęterū nos intelligamus, quod Deus quemlibet à proprijs, à domesticis, à cōtribulibus, cognatis et cognitis, ad se adducat: perinde ac tenemus Magos stellæ ductu pductos ad cunas Christi, & Azotios in ueteri testamēto per symbolū boum arcam perferentiū tandem seruatos, quū quid in posterū fieri uellet, subindicasset. Sic Dominus noster repertis piscatoribus, Agite, inquit, sequimini me, faciam ex uobis piscatores hominum: consuetum ipsis nomen prætendens. Quum igitur nautis consuetum esset ceu ethnicis sorti ri, condescendens & consentiens ipsis Deus, per minimè obscurum ipsis indiciū, tempestatis ipsis autorem notū reddidit. Præterea sortem non esse spiritualem rem, apostoli indicant, qui sorte, priusquam spiritu perfusi essent, usi sunt: post spiritus paracleti accessionem, haudquaquam sortem admittentes. Quidam uerò neque apostolos tali sorte usos adfirmant, sed enim diuinioribus quibusdam signis, quæ indicarent eis, quinam à Deo electus esset.

Et dixerunt ad ipsum: Denuncia nobis, quam ob causam isthuc mali nos apprehenderit. Quæ tua negociatio est? Et unde uenis? Et quò proficisceris? Et ex qua terra, quóue populo tu es?] Intuere hic Barbarorum hominum æquitatem. Non enim statim ut agnouerunt Ionam esse autorem turbinis & tempestatis maris, agrestibus in ipsum moribus ferebantur, cæterum blandè & mansuetè interrogant, cuius causa

causa malum hoc, id est, adflictio ista, ex quo peccato abs te commisso, nos accesserit, super nos uenit. Percontantur autem, ut ubi didicerint delictum, experiantur expiare & emendare. Scrutantur autem & quam operationem exerceat, hoc est, quale uitæ suæ studium & artificium habeat, & ex qua gente sit, & uiam, unde & quò uadat, tanquam ex studijs ipsius, & ex communibus gentis moribus uel opificijs, & ex itinere quod ingreditur, uitam eius obseruare queant, sicq; tandem Deum placent, in quem impegerat. Existimabant enim quod si turbatum ab ipso numen, marinum fortasse, reconciliassent, hanc tempestatis ipsi noxam effugere possent. Imitemur igitur & nos horum nautarum mansuetudinem & mitiorem animum, si quando excellentiora longè quàm ipsi deposcamus.

Qui respondit ipsis: Seruus Domini ego sum, ac Deũ cœli ego colo, qui fecit mare & aridam.] Hoc, inquit, studium, hæc mea negociatio est, seruire Deo uero, per mea opera & actiones, etsi nunc illi non obtemperauerim: & colere ipsum, per fidem in ipsum. Multi quidem colunt Deum, sed non sunt serui eius, ut qui non faciant opera ipsi placentia. Per hoc autem mox etiam ex quánam terra sit demonstrauit, nimirum Iudæa: nec enim alia gens, hunc Deum colebat. Admiratione autem dignus est propheta, ut qui morti proximus existens, prædicet Dei potentiã, & nauticis creaturarum & idolorum cultoribus reuelet magnificentiam eius, conditorẽ omnium ipsum adpellans, hoc est, cœli, & eorum quæ sub cœlo sunt. Per hoc enim quod ait, Qui fecit mare, ansam illis simul præbet ratiocinandi, quod quandoquidẽ maris creatorem colat, planum sit, quod aduersus eum impingens, tempestatẽ hanc excitarit.

Timuerunt itaque pauore magno conterriti, dicentes ad ipsum: Quur hoc fecisti? Cognouerunt enim uiri, quod à facie Domini fugeret, quoniam denunciauerat eis.] Ex hoc, inquit, agnouerunt quod aduersus Deum delinquens, à conspectu eius fugeret, quod confiteretur ipsis, seruum Dei se esse. Simulatq; enim dixisset, quod
B uerum Deum colat, intellexerunt eum Iudæum esse. Iudæis autem non licebat exteris & alienigenis admiscere sese, neque applicare se urbibus idolorũ cultricibus. perspicuum itaque erat quod in Deum suum deliquisset. Fortasse etiam cogitarũt, quod uitam, quæ in lege præscribatur declinans, ac Græcorum moribus sese admouens, fugiat à facie Iudæorum Dei. Terrefacti sunt igitur, quandoquidem arbitrarentur potentem illum Deum esse, è cuius manibus quisquam euadere non posset: iuxtà metuentes, ne unà cum transfuga isto intereant. Porrò quod non liceret Iudæis decreto legis suæ, gentibus adiungere sese, ex ueteri testamento constat, tum ex euangelio quoque. Dicente enim Domino Iudæis, Quò ego uado, uos uenire non potestis: re- Ioan. 13
spondebant illi imprudenter, Quó nam iturus est, ubi nos eum nõ inueniemus? Nun quid ad dispersionem Græcorum iturus est, & docturus Græcos?

Dixerunt ad ipsum: Quid faciemus tecum, ut cesset à nobis mare?] Et hic demirari dignum est, nauticorum hominum mansuetos & mites adeò mores. Neque enim insurrexerunt in ipsum, neque dixerunt: O sceleste & omnium sceleratissime, propter te perimus: sed ipsum iudicem faciunt, ut pronunciet quid secum faciundum sit. Siue ergo antea clementes adeò extiterunt & æquabiles, digni sunt quos æmulemur: siue præ pauore ad mansuetudinem tralati sunt, uel sic etiam imitandi sunt: ubi sæpenumero nos in calamitates incidentes planè efferamur, nedum aduersum calamitatum autores solos, uerùm et cõtra ipsos familiarissimos nostros in calamitatibus consolatores. Proinde nautæ illi tales sunt. At sententias suas partiuntur. Nec enim audent morti adiudicare, maximè quum seruum eum esse Iudæorum Dei audiuissent. Horribilis autem ille Deus iam olim ipsis ex fama innotuerat. Nec rursum præsens periculũ despicere possunt, quare ipsum ceu Dei seruũ hortanter dicere, qd oporteat secum agi. Perspicuũ enim uidebat eis, qd minimè ignoraret eius mali medicinã.

Nam mare ibat, & excitabat uehementius tempestatem.] Post sortem, inquit, uehementior, impetuosiorq; tempestas exorta est. Mare enim ibat, hoc est, plus agitabatur & intumescebat. Quædam hic exemplaria pro ibat, admodũ concitabatur, habent, hoc est, horrendum strepebat, tremendum murmur edebat, quasi fluctus inter se mutuo naui illisi essent: atq; hi post sortitionem magis tumultuati sunt, Deo palàm indicante, per quem ista prouenerit adflictio.

Quibus

Quibus Ionas reddidit: Tollite me & inijcite in mare, tum ceſſabit mare, uoſq; deſeret. Cognoui enim ego, quod mea cauſa tempeſtas illa magna uos petiuerit.] Talem ſeſe gerit bonis conſilijs prædita anima. Cognito peccato ſuo, rubore quidem ſuffunditur propheta quod deliquerit, non morem gerens Deo: non ignorans autē quod mare obtemperet, ſeruiens diuino mandato, ſi quod acceperit, ſeipſum inobedientem Deo morte cōdemnat. Atqui nos haudquaq; tales ſumus, quin potius aperte palàm ſcientes crebrò, peccata noſtra ſupplicijs digna, ubi magnam aliquam adflictionem ſuſtinuerimus, aduerſus Dei prouidentiam murmuramus, tanquā impeccabiles eſſemus, tantum abeſt, ut digna nos pœna condemnemus. A

Et ui conabantur nautæ ad terram appellere nauem, & non potuerunt. Mare enim ibat, & excitabatur magis ſuper ipſos. Et clamauerunt ad Dominum & dixerunt, Nequaquam Domine pereamus, propter animam hominis huius: & ne des ſuper nos ſanguinem iuſtum. Quoniam tu Domine, ut uoluiſti, ſic egiſti.] Humaniſſimi, et manſuetiſsimorum morum homines illi, ut diximus. Etenim Ionam, qui ſeipſe in mortem tradiderat, adhuc ad terram remigio uſi, traducere moliuntur: atenim nequicquam laborabant. Nam mare uehementius creſcebat excitaburq;. Neque ſic tamen quicq; aduerſus prophetā aggrediuntur, quum id iure poſſent, ſimulatq; ſeipſe condemnarat: cæterū omnino tali eius uoluntati obſecundare, ſanguinolentum iudicant, ac cædem ſpirans: propterea in præcedentibus precant, ut à tempeſtate illa & cōmoto mari liberentur, neq; pereant eo quod fouerint animā prophetæ, ſed concedat Deus eum, ſeſeq; uiuere. Sin autē neceſſariū eſt hunc mori, nequaq; ſuper nos ſanguinem iuſtum, hoc eſt, ſanguinem eius, ne ad condemnationem, precamur, noſtram, ſanguinem illum iuſtum, ceu ſerui tui, cedere, facias. Non enim hunc tanquā latrones, aut ſanguinolenti homicidæ occidimus, cæterùm tuæ obſequentes uoluntati. Tu em̄ ut uoluiſti, ſic feciſti hæc. Hic Barbaros cōtemplare, quomodo nō contra hæc ogganniant: Igitur cruentus & ſanguinis auidus ille Deus eſt, ſanguine igit̄ gaudet: uerùm Dei uoluntatem amplexantur, diligunt & uenerantur, non curioſe indagantes cauſas, quur iſta ſic fiant. B

Acceperuntq; Ionam et iniecerūt ipſum in mare, et ſtetit mare à commotione ſua. Ac timuerunt uiui timore magno Dominum, & ſacrificarunt ſacrificia Domino, & uouerunt uota.] Vix tandē audent opus aggredi: quo peracto, ſtatim tranquillū mare redditur. Illi uero cognoſcūt Dominū perfectius quàm antehac: nec parū ipſum metuunt, ut cui ſeſe nemo ſubducere queat, qui acriter in ipſum peccātes adoriri poſsit: ac quæ ad diuinū cultum pertinent, exhibuerunt. Sacrificarunt em̄ ſacrificia, fors ubi in terrā appulſi fuere. deſtiterat em̄ ſæuitia maris. Vouerunt aūt & uota, hoc eſt, promiſerunt ſe talia quædā & talia facturos, ubi in patriā remeauerint. hac ratione illi in melius permutati ſunt. Et qui antea quiſq; pro ſeſe multos putabant eſſe Deos, tempore motus maris, nūc unum agnoſcentes, dominantem potentiæ maris, concuſsio nemq; fluctuū eius pacantem, ipſi ſacrum faciunt, & uota edunt. Viden hic diuinam diſpenſationem atque conſilium? Fugit Ionas ut ne ſeruentur Nineuitæ: & ecce ſeruantur nautici, dein & ipſe, & exuberantius bonum perficitur. Sic & noſtris diuina prouidentia delictis ad bonum uſa eſt.

CAPVT II.

ET imperauit Deus balenæ magnæ deuorare Ionam. Eratq; Ionas in aluo balenæ, treis dies ac treis noctes.] Imperauit, hoc eſt, uoluit à ceto deuorari prophetā. Non enim quemadmodum hominibus aut angelis præcipit Deus, in mentem ipſis inſonans, quid agendum ſit, ſi ceto iam nunc demandauit: ſed uelle aliquid Deum, lex eſt & mandatum neceſſariò complendum. Atque hic obedientiæ modus eſt inexplicabilis quidem nobis, ipſi uerò cognitus. Deuoratur ergo à ceto Ionas, treisque dies ac totidem noctes in eo permanet uates: quæ res omnem excedere fidem audientibus uidetur, maximè ijs qui ex Græcorum ſcholis, ſapienteq; doctrina, ad hanc hiſtoriam accedunt. Quos equidem non ſatis demirari poſſum, quî fiat quod hęc nō intelligant, quum ſuis ipſorum alis capiant̄. Apud ipſos em̄ nonnihil tale de Hercule narrat, nempe quod & ipſe à balena deuoratus, incolumis remāſerit, niſi q̄d tantummodo depilatus redierit, idq; ob ingenitam & internam beluæ calliditatem. Autigi-

tur

A tur nostra susciṗiant, aut sua reiiciant. Atqui quum non oporteat à græcarum fabularum putredine, nostrę ueritatis soliditatem commendare, cogitandum primùm, Deo uolente & præcipiente, nihil non fieri posse. Deinde hic considerandа sunt, quę circa in utero materno fœtum miranda contingant, ubi fœtus naturali quidem innatat humiditati, estq; ueluti absorptus & obrutus prægnantis aluo, uiuit tamen & conseruatur, Dei, humanum ingenij captum excedente, nutu & consilio. Neque enim ulla humana ratio ista percipere potest, credit tamẽ, ut quę ubiq; cõspiciantur ita sese habere, req; ipsa rata sint & indubitata. Proinde neq; Ionæ euentui fides detrectanda est, uerùm enimuero, ita factum ut scriptura nobis tradit, citra ambiguitatem credendum: estq; in maioris adeoq; diuinioris sacramenti uel arcani figuram suscipiendum. Fugit enim & humana natura à facie Domini per inobedientiam, & occultata est, ne uideretur, ut ideo Adamum Deus uocauerit: Vbi es? quò te proripuisti? Iniecitq; ipsam uitæ huius mari, corpore, nauis loco usam: cui & naulum dedit, ministerium uidelicet, quo ipsi obsequuta est, curam eius & prouidentiam ad omnem cupiditatem faciens. Ventis igitur & spiritibus nequitiæ, mare isthuc turbantibus, fluctus uoluptatũ insurrexerũt, corpusq; unà cum animo merserunt. Necessarium igitur fuit, mortem obire quempiam ex ijs qui in eo nauigio erant: corpore dico. Proinde naturam nostram induens Dominus, unus ex nobis factus, & nauim nostrã ingressus, hoc est, corpus humile ferens, & inter nos demorans, in similitudine carnis peccati: moritur per sortem, hoc est, iuxta prædefinitionem, quam prædefiniuit atq; decreuit pater: Qui hoc sortitus est, atq; ante omne æuum, ante cuncta secula decreuit, constituit, proposuit, ut filius ille suus pro nobis moreretur, perinde ac Petrus & Paulus dicunt. Animaduertite hic Ionæ nomen, si interpreteris, ualere, altissimo laborante, uel columbã significare. Altissimus igitur pro nobis laboribus defatigatus est, & pro nobis luget, angitur, dolet: uoluntarius quidem. Nec tamen sese ipse iugulat, cæterùm per manus
B iniquorum adfigitur cruci, quemadmodũ & Ionas. Qui etiamsi seipsum ad mortem condemnaret, non tamen seipsum proiecit, sed proiicitur: docente nos hoc uerbo, ne nos temerè in pericula cõiiciamus, neue incautè & stolidè in mortes incidamus. Mortuo itaq; Christo, ac omnia deglutienti balenæ tradito, spirituales nequitiæ cessarunt, procellæ uoluptatum prostratæ sunt, tranquillitas tota & pax in uita uersata est, & animis & corporibus, æquè ac ipse dixit: Pacem relinquo uobis. Et rursum à resurrectione discipulis suis salutem impertiens: Pax inter uos sit, ait. Quinetiam sic quidam hic inquiunt, prophetam esse figuram Christi, nauim esse typum Iudæorum synagogæ, proræ obseruatorem esse Mosen, nautas esse prophetas, mare, adflictiones quæ à nobis debebantur, sortem, uoluntatem patris, secundum quam Christus in mare ærumnarum precipitatur, & aluum ingẽtis ceti, hoc est, mortis ingreditur, ubi triduũ commoratus resurrexit, gentibusq; euangelium annunciauit, ex quibus credentes conseruati sunt.

Et orauit Ionas ad Dominum Deum suum ex uentre ceti, dicens: Clamaui in tribulatione mea ad Dominum Deum meum, & audiuit me: ex uentre inferni, auscultasti clamori uocis meæ.] Nihil damni passus à ceto uates, sed ueluti pro domo ceto usus, neq; corporis, neq; mentis iactura facta, Dei præsentem opem sentit. Non ignorans autem quod offenderit Deum, per hoc quod ministerio legationis noluerit fungi, conuertitur ad precationem. Quiq; olim in sola Hierusalem Deum apertè apparere arbitrabatur, nunc ipsum in aluo ceti pręsentem repperit, gratiasq; agit illi, quod se seruauerit, ac preces suas susceptas esse ait: siue tanquam propheta spiritu hoc intelligens, siue per uerisimile hoc dicens. Non enim usq; nũc uiuus, inquit, permansissem, nisi exaudisses precationem meam. Inferni porrò uentrem, ipsam ceti aluũ nominauit: tùm quod belua sit letalis ac mortifera, tùm quod ex natura facti mortuus esset, ui ueret autẽ sola Dei gratia. Aliàs ceu typus Christi, qui in corde terræ treis dies ac treis noctes egit, non immeritò se in uẽtre inferni fuisse ait. Intuere hic rem admirandam. Qui uerè gustauit mortem Christus, prædixit in corde terræ se tridui & trinoctij spacio futurum, neq; mortem, neq; infernum recordatus. Hic uerò in umbra mortis constitutus Ionas, non uerè mortuus, inferorum mentionem facit: Vt discas Domino nostro, tanquam Deo, mortem fuisse ultroneam, & suæ uoluntatis, ac resurrectionem in

ipſius poteſtate uel arbitratu fuiſſe: eam ob cauſam cor terræ dixit, nõ mortẽ, neq; Plutonis regiam. Ionæ uerò nõ erat in propria poteſtate uita, propterea ueluti apud inferos exiſtens, quantum attinet ad naturã eius facti ſui, alui Plutonis meminit. Clamauit etiam Dominus in tribulatione ſua in cruce ad patrẽ, Pater dimitte illis peccatũ, & omnino exauditus eſt. Dimiſſum eſt enim peccatũ iis, qui in incredulitate ſua non permanſerũt. Forſan & aluum inferni dicere quis crucem poſsit: illa enim pro noſtra ſalute Domini mortem peperit. A

Deieciſti me in profunda cordis maris, & flumina circumierunt me.] Cor maris audiens, memento Domini dicentis ſe futurum in corde terræ, uideq; typum ueritati conſonantem. Variis autem modis uates, quod ſecũ contigit, enunciat, magnificans Dei gratiã quæ ſibi obuenit: iuxtà indicans potentiã Dei, ut qui ex quouis malo ſeruare poſsit, etiamſi terribiliſsimum fuerit. Nõ enim ſimpliciter dixit in profunda, ſed appoſuit etiam cordis. Quum enim cor uideatur eſſe intimum animantis, & præcipua pars, hyperbolen hic oſtendens, in profunda cordis dixit, pro intimis, ac ſi dicat: in maris intima me deieciſti (balena enim in profundo moratur,) ipſius balenæ me intima comprehenderunt. Flumina uerò dixit, fluctuũ inſultus, ſiue quod flumina ſeſe in mare exonerent. Iam qui à mari cingitur, à fluminibus certè circumfluitur iuxtà.

Cunctæ ſublimitates tuæ ſuper me tranſierunt.] Quando, inquit, in naui erã, ſublimitates habebam, ceu naui à fluctibus in altum ſublata. Tuæ uerò iſtæ ſublimationes fuerunt & fluctus, ueluti ex tuo mandato ſuſcitati.

Egoq; dixi: Depulſus ſum ex oculis tuis. Proinde tentabóne ego intueri in templum ſanctum tuum?] Tum, inquit, quum in medio periculorum eſſem, cogitabam me ab oculis tuis, à uiſitatione, ab inſpectione proiectũ eſſe, ac hęſitabã: Viuamne, & poſthac apponã, hoc eſt, conabor, deſiderabo, cupiã intueri templũ ſanctũ tuũ Hieroſolymis? Sunt qui ſic intelligant: Noui equidem in aluo ceti exiſtens, quod me miriſi cè præter opinionem etiam meam ſeruaris, ueruntamen dubito num hinc ſim egreſſurus, reuerſurusq; in lucem, ut uel in ipſum diuinum templum perueniam, incq; ipſo glorificem te. Acceſſerunt & ad Dominum ſublimationes, umbræ uidelicet ſublimis, & arrogantis, & incõſiſtentis ſynagogæ: & fluctus, hoc eſt, uariæ adflictionis ſpecies. Quæ cùm iuxta patris conſilium ipſum inuaſerint, ipſius eſſe dicuntur. Vnde tum etiam dixit: Vt quid me dereliquiſti? Quod ſimile eſt huic, quod hic ait: Proiectus, ſeu depulſus ſum ab oculis tuis. Atq; hoc humano more prolocutus eſt. Homines enim ubi in tam grandia pericula inciderint, ſe derelictos aiũt. Quod igitur ueriſimile erat alios homines de ipſo dicere, ipſe hæc de ſeſe loquitur. Quare ad hanc ueluti ſententiam dicit: Reſpiciámne adhuc ad corpus, quod templum tuum ſanctum eſt, tanquã abs te apparatum extructumq; mihi? Seu ueluti te in me etiam capiens, & recipiam ipſum rurſus ex reſurrectione mea? Nemo autem hic inſurgat ſermoni, Dominũ ceu ignorantem, num ſit reſurrecturus nécne, introducenti: uerùm animaduertat quæ ſuprà memorauimus, quod talia iuxta humanas cogitationes dicta ſint. B

Circunfuſa eſt mihi aqua uſq; ad animam meam, abyſſus extrema me circundedit, ſubijt caput meum ad rimas montium: deſcendi in terram, cuius uectes detentiones æternæ.] Gratiam Dei erga ſeſe propheta uariis modis celebrans, ab aqua ſe circumfuſum ait: cui, aquæ dico natura eſt auferre animam & uitam, ſeq; ab ultima abyſſo cinctum, & in fiſſuris montium fuiſſe inquit: per quod ſubobſcurè ceti magnitudinem exhibet. Montes dein & ſpelæa nominat, quæ ueriſimile eſt ſubire balenam: huiuſmodi enim in mari pleraq; ſunt, quibus illiſæ ſcaphę pereunt. Quod peritiores nautæ formidantes, petras ſub mari extantes declinare ſtudent. In terram autem ſe Ditis deſcendiſſe ait, nõ quod illuc deſcenderit: nec enim uerè mortuus erat: cæterùm quod periculi magnitudo expoſceret, ut mortuus ille uideretur, & ad ipſum Plutonem atq; infernum, perueniſſe: ad quem qui deſcenderit, ceu à quibuſdã noctibus detinetur. Illi porrò ſunt detẽtiones æternæ, hoc eſt, in æterna ſecula eos qui inciderint retinentes. Vel æternæ, hoc eſt, firmiter & ita ut infringi nequeant radicatę, atq; nemine iaminde à principio diſſolutæ, neq; ullo unquam ſeculo à propria ſede uel manſione motæ. Abyſſus extrema Domino mors eſt, quam poſtremam pro nobis ſuſtinuit, poſt innumeras inſidias. Subijt autem caput eius ſepulchri ſpelæum.

Et aſcendat

A Et ascendat ex corruptione uita mea ad te Domine Deus meus.] Per hoc quod in ceto seruatus est, incipit credere, quod uitam denuò sit recepturus, eamobrem hoc etiam exoptat: non utiq; exoptaturus, nisi ex illo hoc peræquè Deo possibile credidisset. Quum enim ambo sint impossibilia, qui hoc potest, alterũ itidem potest omnino. Vita igitur mea in ceto, ab hac corruptione qua iam interijsse uideor, ascendat ad te, hoc est, ad templum sanctũ tuum in quo cerneris & glorificaris, ut uel in hoc ego gratia tua fruar. Sic & Domini uita, non ex corruptione sui, quam nullam uidit, sed ex corruptione mortis, ascendit ad supercœleste templum, perinde ac dixit: Ascendo ad patrem meum.

Quum deficeret anima mea à me, Dominum recordatus sum. Et ueniat, obsecro, oratio mea, ad templum sanctũ tuũ.] Non abeunt sanctis tribulationes, citra lucrũ. Hinc & Dauid: In tribulatione, inquit, mea, inuocaui Dominũ, & exaudiuit me ad P latitudinem. Et Esaias: In adflictione, inquit, tui mentionem feci. Tum Paulus: Tribulatio patientiam efficit, patientia uerò probationem. Consimilem ad modum Ionas, quando anima eius periculi magnitudine deficeret, non ad conuicia delapsus est, sed Dominũ recordatus sum, ait: hoc est, inuocaui ipsum, ut esset adiutor meus. Vel memini equidem Domini, quod amico erga mortaleis affectu est, ac negligat peccatum quod patraui, non obtemperans ipsi: propterea & precatus sum ipsum, ut posthac sim dignus quo perueniat ad te oratio mea, quam faciam ad templum sanctum tuũ, quando prorsus reuixero. Si enim uitam recuperauero, ueniã ad templum Hierosolymorum, & preces meas ad te fundam. Vel hæc ipsa precatio, qua etiamnum te precatus sum, ut ascẽdat uita mea ex corruptione, & ueniat ad te, siue ad templum sanctum tuum, siue supercœleste, siue illud quod in Hierusalem est. In eo enim solo, ut in præfatione dictum, credebãt perspicuas Dei uisiones & adparitiones fieri, omniumq; in eo orationes susci pi. Dominus etiam, quum animam exhalaturus esset, meminit patris B sui, dicens: Pater in manus tuas depono spiritum meum. Ascendensq; in cœlum corpore interpellat pro nobis apud patrem, corpore legationis uice obtinente, quod prò magnæ supplicationis symbolo ostendit patri, ut nostri misereatur ipse: cuius rei gratia à filio quoq; assumptum est. Ascensus itaq; cum corpore, ad diuinum & supercœleste templum, oratio intelligetur eius, qui pro nobis, ut commemoratum est, per corpus intercedit.

Custodientes mendacia & uana, misericordiam suijpsorum reliquerũt, ego autem uoce laudis & confessionis sacrum tibi faciam. Quæcunq; uoui reddam tibi ad salutem meam Domino.] Alij sanè, inquit, uana & mendacia idola sectantes, & seruientes ijs, qui non sunt Dij, misericordiam abs te non postulant. Vel, misericordiã à te cõsecuti, & liberati à calamitatibus, non celebrant, neq; magnificiunt misericordiã quã fecisti cum ipsis. Vel, te misericordiam ipsorum reliquerunt: per tuam enim misericordiam uiuunt. Nam si tu iniquitates obseruaueris, quis sustinebit? Atenim ego seruatus, tibi uictimas & sacrificia adducam cum gratiarũ actione: ac quæcunq; uoui, hoc est, promisi propter salutem meam hanc, reddam tibi. Fuerunt autem & in lege sacrificia salutaris: propterea & exemplaria quædam ad salutare habent. Quidam sic accipiunt: Illa, inquit, reddam tibi, quæcunq; salutem mihi conciliant, & animam meam iuuant. Hæc autẽ sunt obedire tibi, & prophetici ministerij opus perficere. Iam & Dominum custodientes, uanè & frustra obseruabant, qui misericordiam suijpsorũ, nempe arcanum resurrectionis, pro uniuersa humana natura peractum, adeoq; pro ipsis custodibus omnino, quandoquidem & ipsi homines, reliquerunt, nolentes credere quod resurrexisset ab ipsis custoditus. Porrò Dominus etiã ipse misericordia ipsorũ erat, uerùm noluerunt eum. Ego uerò, inquit, filius tuus, sacrum tibi faciam: hoc est, autor ero, ut tibi in mundo sacrificetur sacrificiũ spirituale, reddamq; tibi salutem hominum, quam tibi mea incarnatio promisit. Insuper & ante adflictionẽ suam & crucem, orauit: Pater serua illos in nomine tuo, ut & ipsi unum sint. Ioan. 17.

CAPVT III.

DAtumq; est à Domino mandatum ceto, & eiecit Ionam super aridam. Factumque est uerbum Domini secũdò ad Ionam, dicens: Surge & uade in Nineui ciuitatem magnam, & concionare in ipsa iuxta priorem concionem, quam ego locu-

Universidad de Deusto
Biblioteca

tus ſum ad te.] Præcipitur per diuinã potentiã balenæ, quæ ſtatim inexplicabili qua A
dam ratione, ad diuinæ maieſtatis uoluntatẽ mouetur, eóq; lateribus & uentre ſuo, incolumẽ atq; illæſum uatẽ reddit. Qui ex ea paſsione ſua lucratus erat, ut diſceret obtemperare Deo. Iniuncto enim ei, ſecunda uice proficiſci in urbem Nineui, & prędicare iuxta priorem prædicationem, quæ erat, quod aſcendiſſent flagitia eius ad Deũ, non tergiuerſatur, ſed illico ſurgit, non corpore ſolum, ſed animi etiam promptitudine, & reſurrectione mentis: ſibiq; demandatum perficit. Hunc ad modum non diſſimiliter, tribulationes magna ſunt eruditio animaduertẽtibus, ut quæ diuinæ uolũtati placuerunt, perſequant. Atq; hic contẽplare, qui res geſtæ ſeruatoris noſtri Ieſu, cũ Ionæ hiſce factis conueniant. Siquidẽ Ionas priuſquã pateretur quę eſt perpeſſus, fugit, ne Nineui peruenireț: ſic Dominus ante crucem & paſsionem ſuã cunctabatur gentibus annunciare æternum regnũ, unde diſcipulis ſuis etiã præcipiebat: In uiam gentium ne eatis, Ite autem potius ad oues, mandabat, quæ in domo Iſrael perierunt. quandoquidem neq; ipſe aliò, præterquã ad has ſolas miſſus eſſet. Vbi uerò ab adflictione & morte ſua in corde terræ triduũ & trinoctiũ egiſſet, tum alia, quorumcunq; Ionas typus extitit, ſuſcepit. Siquidem aſcendit & prodijt ipſe ex interitu uita: prædicat deinde gentibus per apoſtolos, iuxta priorem prædicationem. non enim alia Iſraelitis ante paſsionem ſuam, alia uerò gentibus poſt paſsionem tradidit; ſed enim unum ſuper omnes euangelium eſt, una fides, idem baptiſma.

Nineui autem urbs ingens erat Deo, ueluti tridui iter complexa.] Grandis erat Nineui magnitudine, ac propterea apud Deum quoq; ingẽs erat, plurimiq; faciebat eius ſalutem, ut qui non parum multos in ea homines finxiſſet, quos omnes ſeruatum iri uellet. Quod ait, Velut iter profectionis trium dierum, aliqui ſanè de ſpacio urbis intellexerunt, ceu trium dierum interuallo tota urbs circumiri potuerit.

Orſus eſt ergo Ionas ingredi in urbem, ceu profectionem itineris diei unius, & cõcionatus eſt, & dixit: Poſt treis dies Nineue ſubuertetur.] Non rectà per urbem B
iter faciens concionabatur, ſed per forum, uicos & plateas ingrediens. Ingens autem miraculum erat, uirum Ebræum ex alia terra uenientem, nemini cognitũ, per urbem ingredi & uociferari: Adhuc tres dies & Nineue ſubuertetur. Sed quęrat hic aliquis, quomodo Deus, iuxta priorem concionem prędicare iuſſerit. Licet igitur hic dicere, quod prophetæ hoc tantummodo breuiter nobis enarrent, quod miſsi ſint. Nõ enim omnia uerba quæ Deus ad ipſos, & illi ad ipſum fecerunt, expreſsè & planè annunciant. Proinde & in principio uaticinij huius uidemus prophetam hunc ad Deum nihil loquutum eſſe, & interim tamen inueniemus dicẽtem: Domine, nónne hi ſermones mei, quum adhuc in terra mea eſſem? propterea præueni ut fugerem in Tharſis. Cognoui enim, quod tu miſericors & miſerator eſſes. Nihil igitur mirãdum, dictum fuiſſe à Deo in principio ad ſubuatem hunc: Adhuc tres dies & Nineue ſubuertetur: nec tamen ab ipſo ſubuertendam. Obſeruandum hic quod reliqui interpretes, quadraginta dies pro tribus dixerunt, ac quoſdam ceu conuenientem numerum hũc recepiſſe. Siquidem in tribus diebus ille primùm totam urbem circumiuit, deín laboriosam illam pœnitentiã Nineuitæ Deo obtulerunt: poſtea ante portas urbis ſedens propheta, prophetiæ ſuæ finem expectauit: hinc & quadraginta dierum ſpatium uerius eſſe dicunt. Atqui ueriſimile eſt Septuaginta primũ, quadraginta poſuiſſe dies, ac eos qui principio deſcripſerunt erraſſe: poſtea & in cuncta exemplaria errorẽ eſſe tranſfuſum. Attamen uide, quod neq; treis dies accipientibus, aliquid abſurdi obueniat. Neq; enim totã urbem circumire prophetam neceſſum erat, uerùm ſimul unius diei iter profectus eſt prędicans, ut iſta prædicatio od omnes perferretur, atq; ad ipſum uſque regem peruenìret. Atq; ut grauis iſta & anxia Nineuitarum pœnitentia demonſtraretur, aq; Deo ſuſciperetur, ſufficiebant poſt prædicationem dies, ſiue treis illas ſtatuamus, ſiue duas. Quandoquidem una dies ſatis fuiſſet, oſtendere homines germanè reſipuiſſe, et meliorem induiſſe mentem. Sedit autem ante portas urbis Ionas: ſiue ne intueretur in eos adeò ad pœnitentiam conuerſos: ſiue poſt primam ſtatim prædicationis diem, ſeu poſt tridui completionem, cognoſcẽs quod propitius eſſet illis Deus, & non ſubuerteret, hoc eſt, funditus perderet: ueruntamen expectabat fortaſse leniorem aliquã pœnam illis adducendã. Diximus quæ nobis uiſa ſunt, ne reijciatur de

tribus

tribus diebus uetus scriptura. Qui hæc nostra legerit, quæ iudicabit meliora, seligat.

A Et crediderunt uiri Nineui Deo, & indixerunt ieiuniũ, & induti sunt sacco, à magno ipsorum usq; ad paruum.] Significanter dictum est, Viri Nineui, hoc est, nihil non absurdi antea facientes, uenefici & incantatores, dæmonibus agitati, crediderũt uero Deo: omnibus delicijs & lasciuijs referti, ieiunio se macerarunt: molles & delicati, sacci induerat habitum. Neq; tale studium à tenuioribus & pauperioribus initium duxit: uerùm à magnis & opulentioribus exordio sumpto, ad tenuiores etiam perue nit & minores. Obserua autem hic simpliciter contingens, quod à magnis nempe uiris, ad paruos, hoc est, ad infantes usq; pœnitẽtiæ indicia sint exhibita. Sic illi, qui neq; unquam animæ commodantem sermonẽ audiuere, discipuli sunt facti hominis pauperis & ignoti: Iudęi uerò, & Mosen & prophetas deridentes, tandem & ipsi Deo mi nimè obsequentes, deicidæ, ut ita dicam, facti sunt.

Et appropinquauit sermo ad regem Nineui, surrexitq; à solio suo, & deposuit stolam suam à sese, & amictus est sacco, & sedit in cinere. Et promulgatum est, & indictũ in Nineui, à rege, tum proceribus eius, dicentibus: Homines & iumenta & boues & oues, non gustent quicquam, neq; pascua carpant, & aquam non bibant.] Postquam magnates primi orti sunt pœnitentiã, meritò celeriter etiam ad ipsum usq; regem per ducta est fama prædicationis. Ac uide hic prudentem hominẽ, & propria mala agnoscentem. Non incredulus fuit, neq; subsannauit sermonem, nec ægretulit duram istã interminationem: ac cognoscens quod malè uixisset exacto tempore, (natura enim ita comparatum est, ut conscientia peccatum indicet) desilit quidem à throno in quo sederat prius, multaq; non optimè iudicauerat, mandauerat q;, sedet in cinere & puluere ac auro interspersam, & gemmis glutinatam, delicatamq; uestem exuit, aspero induto sacco, uirosum & intolerabilem odorẽ præbente. adeò planè fit philosophus, seueram uitam assumendo, omnibusq; ostendit, nequicquam eos consuetudinẽ pro

B ponere, ut quæ uincire ipsos possit etiamnum ac perdere. Diuulgatq;, ut & bruta pecora simul ieiunent: non ueluti Deus hoc inquirat à iumentis, sed ueluti illis magnitudinem alacritatis circa ieiunium ostendentibus, propterea & bruta & ieiuna manere animalia cogunt. Norant etiam aliàs, quod conferret eis ad maiorem & operosiorem mentiũ suarum correctionem, iumentorum etiam adflictio. Cogitant autem secum in animo, quod si animantia peccati expertia ieiunent, multomagis sese idem facere debere, ut qui peccatis sint obnoxij. Simul etiam hoc ratiocinabantur: quod irrationalibus animantibus fame pressis, alijs quidem balantibus, alijs uerò mugientibus, & quibuslibet naturali usis uoce, ipsi ad uberiores ardentioresq; lachrymas, præ compassione, permoueantur: Deus autem eo promptius misertus, suam bonitatem impertiat. Quidam hic per iumenta efferos homines, aq; ratione alieniores, monstrosè putarunt.

Circumieceruntq; saccos homines & iumenta.] Per saccos, adflictionem illam intellige. Neq; enim iumenta saccis amiciebantur.

Et clamauerunt ad Dominum extensè.] Si clamauerunt accipias, ut communiter hominibus & iumentis tribuas, (etenim & famelicorum animantiũ uoces, ceu quædam supplicatio fuerunt erga Dei benignitatem) extensè intelliges pro impensè, hyperbolicè. Sin hominibus tantum accõmodes, intellige, quod extensis manibus clamauerint. Natura em̃ ueluti nobis adhæresc it, expassis manibus supplicare, ceu accepturis quicquã ab eo, cui supplicamus, ac uelocius sumpturis id quod ab eo petimus.

Ac reuersus est quisq; à uia sua praua, aq; malo, quod erat in manibus ipsorũ.] Nõ tantum ieiunio & sacco, uel macerationesui utentes, Deum supplices precabantur, cæterùm & mores suos, & uitæ rationes correxerũt, quæ ueræ est pœnitentiæ finitio, ueluti in Esaia dicit: Non hoc ieiunium elegi, nec diem, quo humiliaret homo animã *Esaiæ 58.* suam. Enimuero solue omnem iniquitatis & iniuriæ copulam. Et iterum: Discite benefacere. Pauperiores ergò à uia praua reuersi sunt, nimirum ab ebrietate, mẽdacio, *Ibid. 1.* lasciuia, iniuria, ac talibus. Potentiores autem ab iniquitate discesserunt, quæ in manibus ipsorũ erat, quam uiolenter & iniustè, freti potentia sua, peregerunt. nam manus uim significant. Sic & in consueto & familiari colloquio dicimus: Quidam manu sua hoc egit. Iam qui iniustè iudicat muneribus corruptus, in manibus habet iniquitatẽ,

iniustum calculum ponens: sic qui ex rapina ditescit, in manibus iniquitatem seu iniuriam tenet. At quando alius sententiam fert legitimè, & alius amicè & humaniter obtinet, reuertuntur ab iniuria sua, quæ in manibus ipsorum erat. A

Dicentes: Quis nouit, si mutet sententiam & concilietur Deus, & auertat se ab ira indignationis suæ, & non pereamus?] Vide prudentes homines. Non ad desperationem proiecerunt se, sentientes magnitudinem peccatorum, sed iudicis mansuetudinem simul considerarunt, quod sententiam mutabit, hoc est, aliud deliberauit, & transmutabit minas, & adhortationē admittet: hoc est, tranquillus erit & mansuetus, pacabitur. Atqui Israelitæ tales non sunt, sed quid dixerint, audi: Iniquitates, inquiunt, nostræ super nos sunt, & nos in ipsis liquescimus. Et quomodo uiuemus? Hæc autem dixerunt, nolentes auertere sese à prauitate, sed in ea se oblectantes ac studiosè ex desperatione opponētes immedicabilem partem, nulla in se pharmaca quicquam posse autumantes. Deus tamen eis hunc in modum loquutus est: Reuertimini efficaciter à uia uestra praua. Et quur mortem obitis domus Israel? Sic igitur nos Nineuitarum instar uitā nostram corrigere par est. Quanto maiora mala habemus, tanto magis Domini mansuetudinem reputantes, quam nullis uerbis exprimere licet, quanta mensura exuperet multitudinem peccatorum nostrorum.

Et reuertatur ab ira indignationis suæ, & non pereamus.] Indignatio quidem est iudicium, quod tristia quædam adducat ei qui demeruerit. Ira uero est labor iam & ipsa punitio, quæ ab iusto iudice adducitur. Perinde ac medicus, simul ac flammantem & sanie refertam partem latentem, tamen obseruauerit, iudicat necessariam esse sectionem, hocipsum scriptura indignationem nominat: post hoc iudicium, insequitur sectio, cruciatum parans in eo qui scinditur, atq; isthuc ira nominata est. Auertetur igitur, inquit Deus, ne laborem & pœnam super nos ducat, quæ indigna
Psal. 29. tionis eius effectus est. Consimilem ad modum Dauid inquit: Quoniam ira in indignatione eius. B

Respexit autem Deus opera ipsorum, quod reuersi essent à uijs suis prauis.] Ieiunium ipsorum non aspexit, sed opera ipsorum uidelicet bona, quæ fecerunt, eo quod declinassent à uia scelerosa. Declina, inquit Dauid, à malo & fac bonum. Proinde ieiunium non fuit per sese sufficiens ut propitium redderet, ut placaret Deum, nisi & mores correxissent, & bona opera exhibuissent.

Alterauitq; sententiam super malo, quod loquutus erat ut faceret eis, & nō fecit.] Super pœnitentia Nineuitarum, & ipse Deus alterat institutum animi sui: non quod æquè atq; nos, eum alicuius rei pœniteat (non enim iam hoc, iam illud uult) sed permutationem minarum, & ut suprà dictum est, μετάνοιαν, hoc est, sententiæ animi alterationem propheticus sermo nominat. Si enim Deus, hominis instar mutaretur, iam tum non interminatus fuisset, sed enim statim puniuisset. At quū salute mortaliū gaudeat, interminatur horrenda, ut ne eadem tandem adducere occasionem sumat. Malum autem hic, seu maliciam audiens, non intelliges prauitatem: non enim uitiorum operator est Deus, qui uitiositatis est destructor: uerùm per maliciam hic sermo propheticus adflictionem indicat, quā Deus ipsis antea interminatus, non erat super eos
Amos 3. ducturus, ut qui resipuerint, itidem ut in alio propheta dictum est: Non est malum in urbe quod Dominus non fecerit. Et alio in loco: Appone eis mala Domine, hoc est, adfligentia & perturbantia. Ac præter hos, paulo infrà dicit de ipso Iona & cucurbita scriptura, ut umbram præberet ei à malis, hoc est, ab adflictione eius.

CAPVT IIII.

COntristatus est igitur Ionas tristitia magna, & confusus, orauit ad Dominum, ac dixit: Domine, nonne hi sermones mei, quū adhuc essem in terra mea? Propterea anteuerti, ut fugerem in Tharsis. Quandoquidem cognouissem te esse misericordem & longanimem, & multæ miserationis, mutantemque animi sententiam super malo.] Treis dies completi fuere, post quas subuersio Nineui, iuxta uatis Iona minas secutura erat. Deo uerò nihil tale adducente super Nineuitas, amare pœnitentes, seq; ipsos punientes uehementissima adflictione, mœrore adficitur Ionas: non tanquam seruatis inuidens, neq; tanquam interminationibus hominum uoluptatem capiens, (procul enim hæc à bono & mansueto spiritu, cuius domicilium & habitaculum

erat

erat ille) cæterùm, quia periculum erat, ne ipse etiam mendax reputaretur, quicq; ceu
A prestigiator aliquis frustra turbauerit, non ex ore Domini loquutus, sed ex concauita
te uocum, hinc & apud clementem Dominum sese defendens: Nónne, inquit, hæc
dixi, quum adhuc in terra Israelitide eram, quod tu miserator es? Videbam nanq; te
Israeli multam magnanimitatem exhibere, atq; experientia, tua misericordiæ uiscera
cognoscebam, eamq; ob causam prophetæ functionem fugiebam: quandoquidem
agnoscerem te mutare sententiam super malis, hoc est, adflictionibus, ut eas non in-
duceres super eos qui sedulò commeruissent.

Nunc itaq; Domine Deus, accipe animam meam à me, quoniam satius est mihi
mori, quàm uiuere.] Antea, inquit, quum essem à balena deuoratus, precabar ascen
dere ex corruptione uitam meam: nunc cõtrarium desidero, nempe obire diem, hoc
enim melius est, quàm uiuentem mendacem reputari, ac prophetiæ donum uitupera
ri. Forsan cuipiã pusillanimis propheta uideri queat, qui Deo sua iudicia non permit-
tat. Neq; hoc fors mirandum foret: homo enim erat, idq; ueteris testamẽti, ubi & qui
perfecti uidebantur, imperfecti erant. Attamen non sic fortasse pusillanimis est, ut a-
nimũ despondeat: non enim hoc pro sua gloria, sed pro gloria Dei facit. Siquidẽ illius
gratia & donũ prophetia est, qua intercidẽte, Deus Israelis à gentibus uituperaretur.

Dixitq; Deus: Nónne tu uehementer cõtristatus es?] Conturbatum prophetam
refouet Deus, interrogando num sit contristatus. Interrogatus enim, terrere ipsum
uidetur, ceu nõ rectè mœrore affectum. Atq; hoc apertius Symmachus. Dixit enim:
Nunquid iure contristatus es? Et, Num rectè contristatus es? hoc est, considera pe-
nes teipsum, an iustam habeas mœroris ansam: hicq; ipsum sibi medicum constituit,
excitans considerare, quod iniustè conturbatus sit, ac à desperatione ita cesset. Quæ
dum propheta non intellexit, ipse tandem Dominus causam, quur minimè tristari de
beat, manifestissimè ipsi exhibet, & scitè admodum & ualde sapienter cucurbitam
B producens.

Egressus Ionas ex urbe, sedit ex aduerso urbis, fecitq; sibi attegiam, ac sedit sub ea,
usquedum uideret, quidnam obuenturum esset ciuitati.] Hoc primò factum, ut qui-
dam dicunt, postremò posuit propheta. Explicata enim Nineuitarum correctione
animi, huic simul diuinam clementiam annectere uoluit, ac mœrorem ex eo sibi fa-
ctum, eaq; uerba quibus Dominum conuenit: quocirca eum posterius narrare appa
ret, quæ prius contigerunt. Ionas concione sua peracta exijt urbem: fixoq; taberna-
culo, expectauit concionis suæ euentum. Perspicuum enim, quod ista præ animi tur-
batione acciderint. Exactis enim definitis diebus, nihil eorum quæ minatus erat, eue
nire contemplatus, nec interire urbem, dolet animum. Hanc igitur ex mœrore ad
Deum precationem facit, ueluti cum Deo expostulans. Alij sunt diuersæ sententiæ:
nimirum, quod ista ex aduerso sessio, post animi desponsionem siue luctum contige-
rit, eo ordine quem hic præ se fert scriptura. Quum nanq; uidisset propheta Nineui
urbem non subuerti, mente languit: dein egressus urbem ante ipsam sedit, non porrò
euersionem sperans, cæterùm aliam quampiam mitiorem uindictam expectans, per-
inde ac suprà commemorauimus. Neq; enim credere uatem aiunt, ipsam urbem in
triduo delere posse tantos delictorum libellos.

Porrò mandauit Dominus Deus cucurbitæ, ascenditq; super caput Ionæ, ut um-
bram præberet capiti eius, ipsumq; obumbrando refocillaret à malis suis. Gauisus est
ergo Ionas super cucurbita gaudio magno.] Consolationem ac refocillationem ua-
ti machinatur Deus, datq; mandatum cucurbitæ æque atq; ceto, hoc est, uult cucurbi
tam crescere, ac statim prodit germinans, ac hirsutam comam ex latis foliis extendẽs,
demonstransq;, ut opacam umbrã Ionæ capiti subministraret, eumq; refoueret à ma-
lis, hoc est, adflictione solaris æstus. Atqui turbari prophetam ob salutem Nineuita-
rum, gaudere uerò super oleris germinatione, simplices hominis mores demonstrat,
ingeniumq; puerorum adeoq; infantium ἀκακίαν, hoc est, uitiorum ignorantię, quę in
pueris dum est, proximum. Pueri enim facile, qualicunq; etiam occasione aduenien-
te, ad gaudium & dolorem transmutantur.

Mandauitq; Deus uermi matutino in crastinum adfuturo, ac percussit cucurbitã,
& exaruit. Exorto dein sole, datoq; negocio à Deo, uento per æstum comburẽti, uer-

Universidad de Deusto
Biblioteca

berauit ſol caput Ionæ,adeò ut uiribus deficiens,ac uitam perоſus diceret: Melius eſt A
mihi mori,quàm uiuere.] Vermem matutinum erucam nominat, quod ex rore ſub auroram decidente,generationis ſuæ principium ducat. Datur autem & ipſi mandatum(diuina uoluntate præcepto,ut dictum eſt,appellato)ut cucurbitæ radicem arrodat. Factumq; eſt hoc,& exaruit olus. Iubet porrò,ac ſtatim oritur uentus urens. Nedum enim ſol flammis æſtuabat,cæterùm & uentus urens excitabatur, æſtum ipſum maiorem reddens:uerberaturq; caput Iona à ſole,& urente illo ſpiritu. Is uerò animo æger,uitam ſuam deponere auet. Hæc autem ſapientiſsimè diuino ita conſilio gerun tur,ut diſcamus humanam imbecillitatem,neutiquam omnibus in locis,circa ſermones ab Deo factos curioſam eſſe debere.

Dixit ergo Dominus ad Ionam: Vehementérne contriſtatus es ob cucurbitam? Qui reſpondit: Vehementer ego Domine,etiam aduſq; mortem contriſtatus ſum. Cui Dominus: Tu miſericordiæ affectu tangeris erga cucurbitam, cuius tamen cauſa nihil duri perpeſſus es,neq; educaſti ipſam, quæ ut ſub noctem nata eſt, ita ſub noctẽ perijt. Et ego nulla miſeratione mouebor erga Nineui urbem magnam,in qua plura quàm centum uiginti milia hominum commorantur,qui neq; dextram,neq; ſiniſtrã agnouerũt:tum iumẽta multa?] Mœſtitia grauatũ prophetã, interrogat peccatores curans,& iuſtorum rationẽ habens. Dominus,ánne ualde contriſtatus ſit:non ueluti ignorans,uerũ enim ceu docturus ipſum,nõ oportere eũ eſſe mœſtũ. Quum enim laſſus eſſet ſeſe adeò perturbatum,ut uel mortẽ expetat: Te,inquit, Deus,iudice utar. Reputa ergo tecũ,num iure propter cucurbitam doleas, cuius nõ fuiſti cultor:neq; enim plãtaſti,neq; rigaſti,ſed ſub diluculũ nata, poſtero die rurſum ſub diluculũ uermibus cibus facta eſt. Me uerò noluiſti ulla miſeratione tangi erga talem tantamq; urbem, quæ eſſe ſuum à me acceperit? Admirare igitur benignitatẽ meam atq; clementiã, ut que commodè ſeſe habeat,neq; animo langueas,perinde quaſi prophetia intercidat. Quod aũt non agnouerunt dextram ſuam uel ſiniſtrã, quidã de ſimplicitate Nineuitarum dictũ putarunt. Videtur aũt hoc ipſum magis de infantibus, qui ſunt in urbe dici: ex quo urbis frequentiam ratiocinari licet. Si enim ſoli infantes & pueri duodecim myriades excedunt,reliqua multitudo quanta? Ac ſcopus eorum quę à Domino dicta ſunt,ad hanc nos perducit ſententiam. Si enim non oportuit ſuſcipere pœnitentiam à peccatoribus,decebat tamen miſeratione permoueri in tot myriades infantiũ, qui propter puerilem ætatem ignorant qualis dextra,quæue ſiniſtra,ac propterea,neque peccati rei,non omnino luere pœnam debuerũt,uel interire. Similiter & iumentis parcendum erat:neq; enim ipſa pœnam peccatorum nomine debuerunt. Si igitur iuſtus Deus miſeratur animas iumẽtorum, quanto potius conditor horum, propriæ ſuæ poſſeſsioni parcet? Quemadmodum igitur iumenta appoſuit, ut oſtenderet iure ſeruatam urbem:ſic & immaturam ætatem præpoſuit,ceu neq; horum, neq; illorum ſupplicia pro peccatis iuſtè exigantur. Proinde huius prophetiæ hic eſt finis: Nos uerò benignum Dominum noſtrum celebremus, qui nolens mortem peccatoris, uult ut conuertatur & uitam ducat: qui interdum bene placentes ipſi ſanctos contriſtare ſuſtinet,contraq; ipſorum uoluntatem aliis miſericordiam impertit. Sic quum Helias omnino pluuiam cohibuiſſet, ad ſeruum ipſe tanquam legatus accedit:& uade, inquit ad Achaab,daboq; pluuiam ſuper faciem terræ. Hunc ad modum Nineui unà cum iumentis ſeruata eſt. Sic & Chriſtus, dans ſe precium redemptionis omneis conſeruauit,ſapientes & inſipientes,diuites & pauperes. Ad quem à Dauide etiam dici,
Pſal. 35. nihil dubitamus: Homines & iumenta ſeruabis Domine. Quoniam multiplicaſti miſericordiam tuam Deus,filij hominum in protectione alarum tuarũ ſperabunt. Porrò cætera quę in hac ſunt prophetia,digna ſunt admiratione:maximè uerò ipſius prophetæ mores,adeò placidos, & ueros,hic mirari par eſt,ut omnia citra tegumentum apertè dicat,ſuósque defectus denudet, nimirum inobedientiam, fugam, puſillanimitatem:nec horum ipſum,quo minus aperiret, puderet,quin potius literis mandaret,ad noſtram commoditatem. Tales certè omnes fuerunt ſancti, non quod ſuum erat quærentes,ſed quod multorum,ut ſeruarentur. Sic Dauid proprium quoq; memoriæ prodidit peccatum, ut poſteris utilitatem operaretur, quinquageſimo pſalmo exarato,omni quidem compunctione referto, bonas autem ſpes deſperantibus

fugge-

A suggerente: nempe, nullum peccatum adeò esse grande & multum, quod lachrymis non deleatur. Etenim in hoc ipso psalmo in quo peccatū luget, de magnis adeoq; cœlestibus mysterijs uaticinatur supernæ illius Sion, & altaris quod illic erat, atq; sacrificiorum secretiorum ac ineffabilium, neq; non ipso dignorū: abundè ostendens, quod non delictorum tantummodo condonationem, animi correctio siue pœnitentia effi ciat, uerùm & donorū communicationem. Nec hic ignoranter prætereundū, quod quidam hanc Iona inobedientiam & fugam, cæteraq;, uerè citraq; dolum contigisse. ut historia habet, susceperunt, sed enim allegoriam adijciendo: postquam uidebat, inquiunt, Israelis ruinam, lapsum, ac transeuntem ad gentes propheticam gratiam sentiebat, eapropter cedit prædicationi, non exequitur, & reijcit mandatum: ac dimissa gratiæ contemplatione (hoc enim Hebræis Ioppe ualet) uetere altitudine dico & dignitate, in tristiciæ pelagus sese ipse proiecit, suisq; cogitationibus & mente tempestatem & luctam sustinet, & periclitatur in naui, hoc est, fluctuat: reputans secum, quomodo filium primogenitum, sacerdotium regale, eximium populū declinet spiritus, & ad immundos canes, gentes nempe, uadat. Deinde indormiscit Ionas, id est, ambigit omnino, ac proprios sensus sedat, ut qui non amplius cogitare possit, quomodo hoc fiat. Quandoquidem & Paulus ob illam ipsam rem exclamat: O profunditatē di- Rom. 11.
uitiarum, sapientiæ & cognitionis Dei, quàm inscrutabilia iudicia eius, & imperuestigabiles uiæ eius. Atqui prorę obseruator expergefacit ipsum, omnia scilicet prospiciens uerbum, quod ipsi prædemonstrauit, deicidas quidem fore ipsos contribules eius, iure itaq; ab ipsis gratiā decedere. Hinc sub sortem cadit uates, delectui uidelicet obnoxius, à supernis aduenienti: iustoq; Dei iudicio, quod purum sanctumq; spiritum, immundis Dei crucifixoribus dari, non iustū arbitratur. Deinde & à balena quidem deuoratur, uerùm nō capitur continetur ue. Intellige enim lapsum Israelis in incredulitate remanentis, deinde perpende etiam salutem reliquiarum, secundum ele-
B ctionem. Non enim repulit populum suum, quem prædefiniuit. Et en rem mirandā, tertio die unà cum Christo redditur à balena, & in lucem redit: credit enim quod qui per lauacrum regenerationis, in Christum tertio die resurgentem baptizati, reuiuiscent, nihil damni passi à balena secundæ incredulitatis. Posthac prædicationem certiorem præuidet ad gentes euntem, easq; resipiscentes, suorumq; peccatorum dimissionem à Deo accipientes. Turbatur itaq; non quod seruentur illæ, cæterùm quod sui contribules & cognati reijciantur. Nec hoc mireris, postquam & Paulo mœror & incessabilis dolor cordi eius sit, Israelis elapsio. Præterea adumbrans Ionas, & typum gerens eorum qui temporibus apostolorum adhuc lege tenebātur, qualis & Petrus erat priusquam sindonem uideret, illicitum esse ratus homini Iudæo gentibus adsociari, adhærescere ue: urbem egreditur, gentium dico ecclesiam, eas ad fidem non recipiendos iudicans, nisi Iudaismum assumant: ac sub tabernaculo sedēs iuxta uiam, isthuc applicans testamento, oportere circuncidi gentes ratus, & Mosem seruare legem: ac quiescit sub umbra cucurbitæ, quam esse legem discimus, sub nocte natā, quando scilicet nox peccati sceptris potiretur: quippe quia lex transgressionum causa lata est. Eademq; sub nocte perijt: siquidem destructa est, quando non potuit extra dictam peccati noctem ueniente luce permanere. Quum enim ex operibus legis, non potuerit iustificari quisquam, per ipsam eo magis exuberabat delictum. nam sine lege peccatū est mortuum. Quomodo uerò perijt: Per efficaciam uermis matutini, hoc est, potentiam Dei magnam, per gratiam illustrantis & lumen præbentis Iesu, qui super nos resplenduit, ac auroram cognitionis Dei rectæq; uitæ peperit, ubi ait: Ego aūt sum uer Psal. 21.
mis & non homo. Ipsa inquam Dei gratia legem percussit & aboleuit. Tumq; Ionas perfectius discit sacramentū siue arcanū hoc, quod gētes iure & assumanē & seruentē. Nónne & in actis apostolorū, & alij & ipse Petrus ad gentes secernūtur prius: Deinde Petrus quoq; ex uelo, gentiū puritatē discit, aliosq; docet, quod iugū nominē lex, quod neq; ipsi, neq; patres ipsorum gestare potuerūt. Hæc oīa ceu per ænigma adumbrans Ionas, hanc ad rationē, hanc suam digessit prophetiā. Præterea & in cæteris ex hac prophetia cōmoditatem capere queamus, discēdo, amarā esse retributionē transgressionis iussuum Dei. Quia enim Deo resistimus, tradimur tentationibus atq; periculis maris, cumq; tempestatibus luctamur: ac uidetur quidem balena omnia uorās,

nos in

nos in tentationes traditos, deglutire, perderecq;, quod uituperemus, forsan & obmur- A
muremus diuinæ prouidentiæ: ueruntamen integros nos conseruemus. Hoc autem
continget, si precemur eum, qui ex interitu poterit reducere uitam nostram, ac polli-
ceamur ei sacrificia spiritualia, operationes ad salutem nostram dico. Si enim ita nos
gesserimus, non obseruabimus mendacia & uana, quod patiuntur illi, qui misericor
diam Dei relinquunt, & ad blasphemias se conferunt. Hi enim uerè sunt uani, neq; à
tribulationibus propter blasphemiam se liberantes, Deumq; magis exacerbantes, ac
grauiora super se flagra prouocantes, quum misericordiam potius Dei inuocare de-
buissent. Nónne & in hoc mũdo serui, quum ab heris suis castigati rebellauerint, uel
conuicia in eos regesserint, uehementius herilem iram accendunt? at uerò qui dicũt,
Miserare me, eandem sedant, pacant, mitiorem reddũt, maioraq; supplicia effugiũt?
Eum in modum prudentes animæ, & in eum qui pro nobis supplicium subijt, defi-
gentes oculos, tertio die suscitatum, & ipsi nos excitabimur triduani, fidem, spem, ca-
ritatem, tria hæc illuminantia nos, in adflictionum nocte habentes, Fidelisq; Deus di
centes, qui non sinet nos tentari: ac propterea sustinentes, probationem ex patientia,
& ex hac spem accipientes, spes autem prorsus nõ afficit contumelia, non pudefacit.
Sicq; tandem ad dilectionem patris miserationum uenientes, intelligendo id quod
Heb. 12. in prouerbijs dicitur: Quis est filius, quem non castigat pater? Et, quem diligit filium
Rom. 8. pater, hunc castigat. ut adeò ipsum amore prosequamur cum eo qui ait: Quis separa-
bit nos à dilectione Dei, quę est in Christo Iesu? Si hęc ritè perfecerimus, & præcones
erimus alijs, & seruabimus eos per exemplum nostrum, tum extra urbem habitabi-
mus, mundũ uidelicet hunc, perinde atq; Paulus hortatur, præcipiens egredi, impro-
Hebr. 13. perium Christi ferentes, hoc est, omnem ignominiam & omnem maliciam. Sic & in
tabernaculo requiescemus, non stabiliter quidem, sed obiter & transitoriè commo-
rando, quemadmodum Abraham & reliqui patriarchæ, cohęredes promissionis, qui
in attegijs peregrinati sunt, ueluti urbem fundamenta habentem, expectantes. Proin B
de & umbra cucurbitæ, hoc est, gloriæ huius mũdi (siquidem omnis gloria hominis,
Esa. 40. sicut flos fœni) refrigerare nos uidetur, in hoc adflictionũ æstu, ideoq; à nobis expeti
tur. Enimuero feriat eam uermis matutinus, ipsa nimirũ conscientia nostra, cui nihil
eorum quę nostra sunt, tenebricosum aut obscurũ est. Hinc & uermis est, nunquã nõ
peccatorũ nobis sensum exhibens. Ipsa enim sensibilis tinea ossiũ, cordisq;, ob oculos
nobis ponens nostra scelera, docens iuxtà nos uel grauioribus pœnis dignos, peccato
Michæ 7. rum nostrorũ causa: feriet cupiditatẽ gloriæ, persuadebitq; dicere cum propheta: Irã
Domini sustinebo, quippe quia peccaui ipse. Et paulopòst: Eo quod peccaui, cæsus
sum flagris. Gratiã igitur habemus & agimus spiritui, per omnia nos adiuuãti, ac my
steria quidem per literæ considerationem reuelanti, non minimè uerò & per literam
animaduertentium animas dirigenti. Vt igitur statim ex uno totũ exhibeamus: quod
ait propheta, Adhuc treis dies, & Nineui subuertetur: secretiore quodam modo, per
sepulturã, in qua Dominus noster triduũ quieuit, excidium prauí & opponentis sese
regni, quod olim uiguit ac præpotẽs fuit, perinde atq; Nineui inter gentes, significat.
Aduersus quod pugnabat lex, sed imbecilla erat. unde & dictũ est: Adhuc treis dies,
& extrema sequẽt euersio, quippe quia exuet planè principatus & potestates, trium-
phans eas in cruce, qui per mortem suam destructurus est eũ, cui est imperiũ mortis.
Quinetiã seruatore Iesu in terris agente, ipsum adeò dęmonũ imperiũ dissoluebatur:
spoliabat nanq; fortẽ, direptis armis eius, dæmonibusq; obsessos curabat. Attamẽ no
uissima subuersio prauorũ spirituũ tyrannidis, per triduanã istã resurrectionẽ cõsum
mata est. Præterea per triplicem in baptismate submersionem re uera diurnam & luci
dam, peccatum subuertitur: quæ hic etiam mysticè indicantur, dum ait: Adhuc tres
dies & Nineui subuerteretur. Atqui neq; litera nobis inutilis est, discentibus ex ea no
bis non desperandum esse, sed Domini clementiæ & benignitati confidendũ, ut qui
propter trium dierum pœnitentiam, multorum annorum uitia neq; non flagitia ne-
glexerit, ipsi gloria in secula seculorum, Amen.

IONAE PROPHETAE VITA.

IONAS, si interpreteris, ualet altissimo laborante, siue columbam. Hic ex terra fuit
Cariathierim, ut quidam aiunt, prope Azotum urbem maritimã. Eiectus è balena
profectus

A profectus in Nineui, illic concionatus est, ac postea in terram suam reuersus illuc manere noluit: cæterùm assumpta matre sua, peregrinus fuit in terra Assur, regione alienigenarum gentium. Dixit enim: Hoc pacto auferam opprobrium meum, quippe quia mentitus sum, prophetiam cõtra Nineui edisserens ciuitatem magnam. Porrò Elias propheta castigans regem Achaab, accersita super terram fame aufugit. Vbi ergo uenisset Sarephta, repperit uiduam unà cum filio suo, neq; enim cum incircumcisis ducere spiritum potuit: beneq; illi precatus est, Deiq; bonam uoluntatem & benignitatem ei impetrauit, hospitalitatis nomine. Hinc & filium eius uita defunctum (qui hic Ionas fuisse memoratur) resuscitauit ex morte, uita illi restituta. Hic itaque Ionas in Iudæam uenit, ubi mater ipsius diem suum obijt, quã & iuxta glandem Deboræ tumularunt in usa: commoratusq; est tandem in terra Saraam, ac extremũ ibidem fati diem sustinuit, funeratus in spelunca Cenez. Deditq; prodigium multũ Israeli ac uniuersæ terræ, inquiens: Quando uiderint lapidem clamantem miserabiliter, ac ligni uermiculum ad Deum edentem uocem, tunc appetet ipsa salus, tumq; uidebunt Hierusalem obscuratam & extinctam ad fundamenta usq; penitus, ac in ipsa omnes gentes adorabunt Dominũ, transponentq; lapides occasum solis uersus: ibiq; adorabunt Deum, qui relicti fuerint, eo quod Hierusalẽ execrabilis facta sit, cùm per bestias, tum omnem impuritatem uastata. Tum Demũ ueniet finis uniuersi spiritus.

VITAE IONAE PROPHETAE FINIS.

THEOPHYLACTI BVLGARIAE ARCHIEPISCOPI COMPENDIARIA IN NAVM PROPHETAM Enarratio.

B PRAEDICAVIT ad mirandus ille Ionas Nineuitis, cùm interitum, tum perniciem sui, nisi resipiscant, sanctioribusq; moribus imbuantur. Erat autem Nineui eximia Assyriorum ciuitas. Persuasi autem à uate, perq; uitæ suæ correctionem diuinam iram auertentes, nihil malorum quæ Ionas interminatus erat sunt perpessi. At postea, ex humana imbecillitate, ut fit, desidiosi facti, ad priorem omnino prauitatem reuersi, innumera alia flagitia patrarunt, adeò ut & aduersus Israelem mouere copias, eumq; expugnare sint ausi: quo in prælio Thaglathphalasar, & Salmanasar, decem sibi tribus subiugantes captiuas abduxerũt. Sic aduersus tribum Iuda Sennacherim bellum faciens, pleriscq; ciuitatibus captis, ipsaq; Hierusalem obsidione cincta, contra sese linguam Dei concitans, una etiam nocte tot tantasq; suas chiliades amisit: ipse uerò eam plagam, diuinam uidelicet ultionem fugiens, domum redijt, ut illic diuinam potentiam euulgaret, eius enim rei gratia seruatus est: ubi & à proprijs liberis in regia captus iugulatur. Paulopòst ad Persas & Medos translato regno, funditus Nineui interijt, quandoquidem & Cyrus Israelitas liberos dimisit. Proinde hęc quæ in manibus nostris est prophetia Naum, hanc Nineuitis perniciem prænunciat: cunctos mortales pariter docens, quod iustus existens Deus, nihil extra suam prouidentiam relinquat, sed quibuslibet merita supplicia imponat. Eam ob causam Israelem negligentem Dei tradidit Assyrijs, eos autem rursum Persis, quod assumptum ex captiuitate Israelem ceu feras tractauerint. Non enim tanquam diuinæ iræ inseruientes, contra Israelem belligerati sunt, sedenim suam auariciam perditumq; quæstũ explentes, ac omnium planè dominari uolentes. Deus itaq; tum illis ceu tortoribus & lictoribus, neq; nõ carnificibus contra Israel usus est. Enimuero, ne arbitrarẽtur se proprijs uiribus transegisse quæ fecerant, tot millia Sennacherim perdidit: tandem & ipsam Nineui unà cum Assyriorum regno Deus sustulit. Deus enim populum suum peccatis deturbatum, hostibus quidem tradit, non uult autem istos penitus implacabili ira, aduersus diuinum templum grassari. Quocirca si uiderit istos carnifices acerbius quàm par sit, infligere pœnam, super ipsos etiam suam iram effundit, ut uel experientia discant, quantum sit mali sęuicia. Sin quis hic obijciat, quur Saul reiectus sit, qui Amalecitis tamen clementem se omnino ac mitem exhibuerat, illi audiant.

Primùm

Primùm quidem, quod Amalecitæ non fuerint populus Dei, uerùm desertores & hostes: nos uerò hic de populo Dei uerba facimus, quem Deus, ut pater filium, castigare quidem uult, sed non extirpare. Deinde nouerit, quod palàm Sauli præceperit Deus exterminare Amalecitas, quare non oportuit ipsum apertũ Dei mandatum transgredi: præsertim, quum Saul Amaleco non propter mansuetudinem pepercerit, sed auaritiã potius. Docet itaq; uates Naũ omnes homines, curã ac prouidentiã Dei in omnibus esse. Peculiariter autem Israelitis bonam spem facit, ut ne desponsis animis, à spe in Deum excidant, sed in ipsum intuentes, fide in eum armati, consolationem habeant, ab eo tantummodo se redimi posse: tanquam Assyriĩ pœnã sint daturi Cyro, per quem & ipsi à captiuitate sint absoluẽdi. Nanq; desperatio in causa erat, quur gentes accederent, illorumq; moribus associarentur. Est igitur tale præsentis uaticinij argumentum. Præterea & de Christo seruatore nostro sacramentum siue arcanum altè huic prophetiæ insitũ hic intelligit. Quod intueri donet illeipse, qui illuminat omnẽ hominem uenientem in hũc mundum: simul & uitam nostram dirigens, per bonum rectumq; spiritum, cuius prophetia opus est.

A

CAPVT I.

LEmma Nineui.] Spiritus paracleti gratia, uarijs modis in prophetis operabatur. Nam alios quidem uidere faciebat futura, ut Esaiam, Micheam, Danielem, & Zachariam. Alijs uerò quẽdam, ut uolebat, inspirabat: uidebanturq; audire ueluti à differente quopiam, uaticinia. Sic, Audiam quid loquatur in me, Et, quid respondeam interroganti mihi, inquit Abacuc. Perinde ac Dauid: Animaduertam quid loquatur in me Dominus, id quod & in iã cõmemoratis prophetis est uidere. Porrò quosdam derepente spiritus apprehẽdebat gratia, eosq; detinens, & ab humanis separãs, per ipsos futura loquebatur. Hanc igitur repentinã mentis detentionem, Lemma uocauit Naum, perinde quasi hoc dicat: Arrepta mens mea à spiritu, præuidit quæ Nineui essent obuentura. Obseruandum quidem omnem prophetiam, communi uocabulo lemma dici posse, hoc est, acceptionem: etenim ex Deo hanc prophetę accipiebant. Insuper & uisio ueluti commune uaticinijs uidetur esse. Siquidem in omnibus prophetiæ formis, mens, spiritus lumine illustrabatur. Audi igitur quid hic adferat.

B

Libellus uisionis Naum Helcesæi.] Hoc, inquit, Lemma, id est, hæc contra Nineui prophetia quam uaticinor à spiritu apprehẽsus, uel quam à Deo accepi, libellus est continens uisionem, quam ego Naum uidi à uico Helcasai aduenies. Quippe quia futura præuidi, ut hæc præuidi, sic loquor. Sunt qui Lemma Nineui, sic intellexere, quasi dicat uates: Lemma, hoc est, in manus acceptum mihi argumentum urbs est Nineui, de qua sum facturus uerba. Liber autẽ hic est uisionis Nahumi. Fortasse ex Hieremiæ prophetia hic intelligi queat, quid significet hic lemma. Videtur enim illic lemma appellare iram Dei cum zelo, ex eo quod fortior apprehẽdit imbecilliorem, ut diaaniet. Cui uacat, legat partem illic prophetiæ Hieremiæ. Proinde & hic, postquã Deus indignatur urbi Nineui, eamq; apprehensurus est, & ab imperij altitudine deiecturus, lemma, iram Dei in Nineui appellauit. Quia uerò Naũ consolationem, si interpretetur quispiam, ualet: & ipsa Nineui si in propria sua significatione accipiatur, pro peccatrice cõscientia: cuius regiam ille princeps obtinet, cui tradita est potestas & imperium in mortem. Consolatio itaq; est Dominus noster Iesus Christus, secundũ Ioannem dicentem: Si peccauerimus, cõsolatorem seu aduocatum habemus Dominũ Iesum. Lemma uerò contra Nineui, est ipsa caro quam assumpsit, ut condemnaret peccatum in carne: quæ etiam est liber, ueluti uerbũ Dei accipiens, in ipsa commorans. Quoniam autem idem sermo, lumen uerũ est, quod illuminat omnem hominem uenientem in hunc mundũ: & qui sequitur ipsum, non ambulat in tenebris: ac propter hoc uenit ut uidentes non uideant: meritò eius caro liber est uisionis. Multi, inquit, reges & prophetæ, ante incarnationẽ istam uidelicet expetiuerunt uidere ista quæ uos cernitis, & non uiderunt: uestri autem beati oculi. Et si quis, ut Barnabas, uir bonus, plenus spiritu sancto & fide, potest consolari omnes, ut ex proposito cordis apud Dominum perseuerent, dicetur etiã ipse filius consolationis. Habebit & is lemma aduersum Nineui, ueluti apprehendens & captiuans omnem intellectum ad obedientiam Christi, ac librum uisionis impartiens sedentibus in tenebris & umbra mortis. Vide autem

Hiere. 23.

1. Ioan. 2.

Lucæ 10.

A autem quod primùm lemma Nineui, deinde librum uisionis dixerit. Nisi eñ quis-quam uitia spoliet, & sub iugum mittat, ad librum uisionis non perueniet, qui est contemplatio. Vtraq; hæc consolationis sunt, siue ad opus consolatoris pertinent. Nam sermo sapientiæ per spiritum datur, & operationes uirtutum in eodem spiritu.

Deus zelotes.] Aduersum Nineuitas hæc dicit. Postquã eñ in rabiem acti, contra Israelitas ferociter grassati sunt, ac in Deum conuicia iactarunt, existimantes sese non illius permissu, cæterùm propriis uiribus uincere, uel imperiũ obtinere, dicit nunc ipsis: Videte quò ferimini, Deus zelotes est, hoc est, zelum suum in iniquè agentes & fastu inflatos exhibet. Zelum eñ iustã iram cũ feruore factã nominat. Infert ergo:

Vlciscitur se Dominus cum indignatione: ultionẽ sumit Dominus de aduersantibus sibi.] Aduersarij eius sunt, qui & idolorũ cultura, & alijs in rebus commiserunt, maximè uerò hostes eius superbi, siquidem Dominus superbis resistit. Aduersum illos copias suas armat.

Auferens ipsos suos aduersarios.] Hoc est, è medio tollens, exterminãs. Atqui hoc significãter dictum est: Ipse enim, inquit, magnus & multus, & fortis. Perinde ac demonstraturus aliquis, urbem quampiã funditus perijsse, dicat: Iste uel talis rex contra hanc bellum fecit, ac cum omni exercitu suo ueniens diripuit. Simile huic: Horrendum est incidere in manus Dei uiuentis. Forsan & ad Israelitas tum temporis ægreferentes Dei gubernationẽ, accusantesq; Deum, hæc dicit uates, ostendens quod iure Babylonijs traditi sint. Idola enim coluerunt, quum essent populus eius electus & peculiaris, maiore autem in Deum indignatione filij & posteri ipsorum commoti sunt: quocirca iratus Deus, quod se reliquerint, hostibus eos tradidit, quemadmodũ & in cantico Mosis dixit: Ipsi prouocauerunt me in non Deo, concitauerunt me ad iracundiam in idolis suis: & ego prouocabo eos in non gente, super gente insipiente irritabo eos. Gens autem insipiens Babylonij, & ueluti arrogantes, & ijs qui non sunt

B dijs seruientes: iam arrogante, idolorumq; cultore, nihil insipientius.

Dominus longanimis, & magnum robur eius, & innoxiũ sine noxa nõ dimittet.] Non statim, inquit, Dominus uindictam adducit, sed plurima longanimitate erga delinquentes utitur, ut quos à peccatis reuerti uelit. Cui rei uos ô Nineuitæ testimonium dicere potestis, qui ad meliorem uitam per resipiscentiã trãslati, deinde rursum multa prauitate languentes, pœnas tamen istorũ scelerum uestrorũ non dedistis. Atqui Dominus longanimis & patiens super iniquitates peccantiũ, ob imbecillitatem hoc non facit: ingens enim robur eius est, puniturusq; eos qui non resipuerunt, uehemens ac graue supplicium adfert: sine noxa enim existens, non est citra noxam: uel innoxiũ, sine noxa non dimittet, (nam duplex hic lectio, duplicem intellectũ parit) hoc est, communẽ omnibus perniciem adfert. Quamuis enim sine damno quod inferat esse uideatur, non omnino tamẽ à supplicio abstinet. Vel iuxta proprietatẽ scripturæ hoc dictum est: expers supplicij, sine supplicio non erit. itidem ut hoc, Videns uidi afflictionem Israelis. Hic igitur dicturus, quod non sit citra ultionem, ingeminauit dictionem. Proinde & eos qui filium eius occiderant, ultus est cum indignatione, pœnam exigens ab ijs qui non sunt perducti ad pœnitentiã, eosq; ex Hierusalem abstulit, ira æstuans, ob iustum suum, cuius interfectores extiterunt. Præterea quilibet secundum carnem uiuens, est hostis Dei: nam affectus carnis, est inimicus Deo. De tali igitur inimico se ulciscitur Dominus, protinus eum tentationibus tradens in hac uita, ut hostilis affectus ex tali homine tollatur. Sin hic longanimis fuerit, ut sæpe consueuit, ut per mansuetudinem suam ad se peccantem trahat, in extremo tamen iudicio, sine supplicio non erit, etiamsi hic non asper extiterit. Hæc autem ceu sponsus quispiam facit, æmulationẽ habens pro animabus, quas quum condidisset, ut ipsi coagmentarentur uirgines castæ, hosti ac desertori satanæ uidet adglutinatas, pudefacientes ita claritudinem generis sui, quam ex natura uerbi sortitæ erant.

Dominus in consummatione & in concussione uia eius.] Viam appellat, motionem, quam facit Deus in punitione eorum, qui supplicium commeruerunt. Ipsa igitur motio non simpliciter pœnas adducit, sed consummationem, hoc est, perniciem & interitum: concutitq;, hoc est, turbat, miscens ac permutans res. Hanc ergo ad rationem in Nineuitas feretur. Quapropter posthac ne despondeatis animũ Israelitæ,

Universidad de Deusto
Biblioteca

qui miſeris modis accepti ab illis eſtis. Veniet nanque ſuper eos quoque conſummatio, hoc eſt finis, uaſtatio, exterminatioq;. A

Nubes ſunt puluis pedum ipſius.] Haud inconuenienter puluerem itineri appoſuit. Homo igitur, inquit, iter faciens puluerem excitat. Deus uerò adeò magnificè incedit ac mouetur, ut nubes & nebulas excitet. Sic & contra Nineuitas motus, nubes malorum undiq; adducet. Porrò & unigeniti Dei filij ad noſtra cõfinia iter, quod in conſummatione ſeculorum fecit, cõcuſsit principatus & poteſtates. Ad hæc translatio à lege ad euangelion, concuſsio intelligi queat. Mentales autem nebulæ, hoc eſt, prophetæ, aduentum eius nunciarunt, perinde atque currentes excitatus puluis nunciat. Nubes uerò iſtos appellat, ceu caliginoſiore, nec admodum perſpicuo ſermone uſos: attamen ſpirituali aqua prægnantes, ſuoq; tempore dignis præbentes ſpiritualium intellectum. Ambulat porrò & in nobis Dominus, quum iter honeſti, adeoq; uirtutis ingreſsi fuerimus. Extinctis itaq; uitijs, atq; eiectis ex anima noſtra, ſtirpitusq; euulſis ſiue motis, nec ulterius ſtabilitatem ſeu firmam mãſionem in ea habentibus, iter Domini locum inuenit. Ex hac deinde uita & motione, quod craſſum in nobis eſt ac terreum, ſubtile ac aëreum & ſpirituale redditur. Hinc & ſublime raptum, in nubes transfertur, quæ alijs etiam imbrem mentium adſtillare queant.

Minans mari, & arefaciens ipſum, omniaq; flumina deuaſtans.] Docet nos omni potẽtem eſſe Deum, qui facile quicquid uoluerit faciat: qui ſi uelit uniuerſum mare exiccet, omniaq; flumina deleat. Atque hoc perſpicuum eſt ex admirandis eius factis, quæ temporibus Moſe, dum rubens mare, ac Iordanem fluuium, temporibus Ieſu filij Naue exiccauit. Hinc & Nineui urbem arefaciet, ueluti uaſtum quoddam pelagus exiſtentem, cùm gloria, tum opibus altum, bellorum motibus fluctuans: ac gentes ſub ipſo, ceu amneis quoſdam in eam ſe exonerantes & influentes quibus intumeſcat & impleatur, deſolabit. Mare, huius uitæ eſt amaritudo, quam inſipientes nos ceu flumina appetimus. Hanc Dominus exiccauit, ac quod in ea potioni accommodum uidebatur, obliterauit, inſtituens nos, quod in mundo adflictionem nos ferre oporteat: ſin iugum eius tulerimus, inueniemus requiem animabus noſtris. Præterea ſi quiſquam in tentationibus fuerit, in mari eſt, & in fluminibus. Ad eum igitur tentato confugiendum eſt, qui interminatur mari, amnesq; exiccat. B

Diminuta eſt Baſanitis & Carmelus.] Hoc ipſum etiam diuinæ potentiæ ſignum eſt. Aiunt enim, Baſaniten regionem Paleſtinę fertiliſsimam, tum Carmelum Iudææ montem, à gentibus habitata fuiſſe pugnacibus & moroſis, attamen Deus eas euertit, ac Iſraelem eò introduxit: quocirca non eſt fidei abſonum, Deum etiã ipſam Nineui ſubuerſurum.

Effloreſcentia Libani defecerunt.] Libanus mons eſt Phœniciæ. Effloreſcentia huius, principes & reges appellat regionis Libano monti ſubiectæ, quos & ipſos debellatos, Iſraelitis ſubiecit Deus. Poteris etiam hęc in futuro accipere. quaſi dicat propheta: Dominus ille adeò potens eſt, ut ſi uelit, imminuatur Baſanitis etiamſi ſit populoſiſsima, ob fertilitatem ſuam: deinde Carmelus & Libanus, montes nemoroſiſsimi, & exuberantiſsimi materia ſua, deficient tamen, quamprimùm ille uel nutu decreuerit. Conſimilẽ ad modũ cætera quę ſequunt, intelligere poteris de futuro dicta.

Montes moti ſunt ab ipſo, colleſq; ſunt concuſsi, ac ſublimata eſt terra à facie eius uniuerſa.] Quia enim quidam ſuſpicabantur ipſum in Iudæa tantũmodo potentẽ eſſe, unde & dicebant: Deus montiũ Deus Iſrael, & non Deus uallium, ait etiamnũ: Quoniã non ſolùm omnes montes ab ipſo commouebunt, hoc eſt, à ſolo nutu eius, cæterùm ipſa etiam terra: nedum hæc uel illa, ſedenim uniuerſa ſubleuata eſt à facie eius, hoc eſt, horruit, uel tranſpoſita eſt, eq; ſua ſede dimota, ipſo eam intuente acrius. 1. Reg. 20

Et omnes habitantes in ipſa.] Si ipſum elementum commoueat, multo magis habitantes in ipſa, homines & animalia cætera. Atqui diminuta eſt etiam Baſanitis & Carmelus, quando Iudæi propter crucifixũ ab ſe Dominũ gloriæ, traditi ſunt Romanis. Deindé per Baſanitin, in moribus & operibus uerſans reſpublica, per Carmelũ uerò dogmatũ altitudo indicatur: quæ cum multa eſſent, diminuta ſunt, in conciſum & cõſummatum ſermonem Euangelij ſummatim congeſta. Quoniã uerò Libanus, idololatriç erat officina, defecerũt in eo prius florẽtes idolorũ cultus ſpecies, uel Græcorum

eorum sapientia, quam subleuauit, hoc est, insatuauit, in supernis ingrediens Deus.
A Concussi sunt autē & in cruce montes, ac natura nostra, terra antehac existens, sublimata est, ad superna iter faciens, ac professionē ad cœlos instituens, omnes iuxtà in ipsa commorantes terrenæ cogitationes, diuinæ adeoq; cœlestes factæ sunt. Insuper si quis fructū ferat in uitiositate & in ipsa floreat, imminuitur nunc & deficit ab ipsa. Quando Deus talem inspexerit, aliā illi eamq; meliorē mentē indens, tum montanū durumq; eius cor, terrestria spirans, concutit et cōmouetur à statu, qui in eo est, mali.

A facie iræ eius quis subsistet?] Etiamsi in plerisq; scripturæ locis, facies Dei, de supplicium adferente potentia usurpet, interdū tamen lætioribus rebus etiam accommodata reperit. ut in eo loco: Ostende faciem tuā & seruabimur. &, Faciem tuam quur p
auertis? Quare quū hic dixisset, à facie, adiunxit, iræ. Quis inquit subsistet, si quando faciem suam iræ plenā nobis ostēdat? Videt igitur & unigenitus Dei filius, facies esse patris, tanq; character & forma substantiæ eius, ipsiusq; manifestator, idem punire et seruare. Ille nanq;, inquit, positus est in ruinam & resurrectionem multorum. Lu

Et quis opponet sese iræ concitati animi eius?] Epitasin quandam hic exhibet, iræ concitati animi eius, dicens: Forsan ideo, quod secundum aliquos θυμὸς, id est, concitatus animus seu furor, sit principiū quidē perturbationis, quæ fit ex inflammatione uel suffumigatione feruētis sanguinis circum cor: Ira uerò sit animus uel impetus irarum, ad efficiendū quicq;. Propterea hic dixit, In ira indignationis eius: hoc est, quū indignabūdus & ira æstuās animus etiā opa facit, quibus ultionē sumat, hostesq; suos cōturbet. Quis tum opponet sese, ut auertat manū eius, & pœnā imminentē auferat?

Impetus animi eius liquefacit principatus, petræq; contritæ sunt ab ipso.] Amplissima, inquit, imperia subiugata sibi, quæ rupium habere robur putabantur, cōterit & dissoluit cōcitatus animus eius: eademq; liquefacit, ut ceram ignis. meritò igitur nemo illi resistet. Quinetiam principatus tenebrarū ac potestates dissoluit animus eius,
B quando demisit eos in abyssum. Iudaicos item magistratus diruit, ꝓpter scelus, quod Dominum crucifigendo patrarunt. Deinde petræ etiam contritæ sunt: partim re uera petræ sensibus obiectæ, temporibus supplicij in cruce Domini nostri: partim duris cordibus existentes gentes, uerbo euangelij accepto. Porrò quum in nobis intellectus uel mens dominatur, unus est ille principatus, unicum imperiū, propterea ipsum non liquitur. Quando uerò impetus & ardor animi, unà cum cupiditate potitur sceptris, en multi in nobis dominatus, multa imperia, quæ liquefacit Domini cōcitatus animus, seu indignatio in mentem nostram accepta, dicente Domino interdum ad
eos qui noluerunt eum regnare super se: Adducite & mactate. Interdum uerò dissecabit talem mentem, & portionem eius cum hypocritis ponet: illic est fletus & stridor dentium. Confringuntur etiam petræ à tali indignatione seu impetu Domini, ipsi nimirum graues admodum, anxij & seueri in uitijs habitus. Luc. 19 Matt. 24

Benignus est Dominus expectantibus ipsum in die tribulationis.] Postquam horrenda commemorauit, ac impetus seu ardores animi, & iræ Dei meminit, multæq; atrocitatis: ut ne durū quempiā & prauum, peruersumq; quidam arbitrētur Deum (id quod Simonis & Marcionis sectatores passi sunt) quæ ad mansuetudinem & benignitatem eius pertinent nunc adducit, & ait: Etiamsi ingentem quampiā & intolerabilem Domini indignationem dixerim, hostibus tamē eius huiusmodi indignatio segregata, definitaq; est: siue illis qui nedum mala operantur, uerumetiam iniquo animo ferunt castigationem, qua propter talia crimina sua puniuntur, atq; uituperāt Deum, conuicijs lacessunt, ac fastidiunt eius dispensationem. Etenim expectantibus ipsum in die tribulationis, hoc est, castigationem ab ipso adductam placida mēte sustinentibus, tolerantibusq; ipsum ceu castigantē patrem, talibus inquam benignus, mansuetus, clemens est. Vel expectantibus ipsum, pro, diuinā ipsam ab eo consolationem excipientibus, & ad ipsum tantummodo defigentibus oculos, nec ad alia uel dęmonū uel hominū auxilia respicientibus. Tale est quod propheta inquit: Expectās expectaui Dīm. hinc subdit, Et attēdit mihi. Et reduxit me è loco miseriæ. Quisquis ēm ipsum præstolat auxiliatorē, exaudit, ipsiusq; benignitate fruit. Et, cognoscit Dīs colētes ipsum, hoc est, diligit, et in suū ius & curā accipit deuenerātes eū, ac propterea non delinquētes: seu piè, cumq; timore et reuentia accipiētes, quę illis adlegat Deus.

Universidad de Deusto
Biblioteca

In diluuio profectionis, finem faciet cum excitatis aduersus ipsum.] Quũ demonstrasset quod Deus pijs sese offerret, adeoq; suis cultoribus, nũc rursus suum erga impios excursum etiam enarrat, inquiẽs: quod Deus excitatis erga se, hoc est, duræ ceruicis hominibus, ac ueluti prauis seruis insurgentibus contra diuinam eius legem, finem faciat, hoc est, funditus perdat, perniciem eis faciat: in diluuio profectionis suæ, id est, dum iter facit, & mouetur aliqua ex parte contra ipsos, quemadmodũ aqua uiolenta per decliue seu præceps acta, submergens ea quæ sibi subiecta repperit. A

Et hostes eius persequentur tenebræ.] Hoc proprium calamitatis est, quod qui in tribulationibus & adflictionibus sint, mẽte obfuscent̃, quadã caligine obducti, ut etiã in di[illegible] ueluti in nocte agant. Porrò unigenitus Dei filius, perpetuò in se insurgentes, & ab se deficientes dæmones confecit exterminauitq;, diluuio profectionis suæ, hoc est, baptismate quo baptisatus est, ꝓfectus è sinu patris ad nos usq; : hos et tenebrę persequent̃, exteriores nimirũ ipsis paratę. Insuper pharisæos, scribas & id genus, cæteros, in ipsum cõcitatos, inobediẽtes, huiusmodi tenebræ ad interitũ usq; apprehenderũt, mẽtes illorũ excæcãtes, q̃d non audiuerint dicentẽ, Ego sum lux mũdi. Et, Vsque dũ lumen habetis, in lumine ambulate, ut ne tenebrę uos apprehendãt. Ad hęc in nobis etiã ipsis lachrymarũ est diluuiũ, habẽs profectionẽ seu iter, hoc est, motũ in uirtutibus: q̃d intra nos dæmonẽ spirantes cogitationes excitatas cõficiet, delebit, exterminabit. Inimicos aũt Dei persequent̃ tenebrę, ipsum nẽpe peccatũ, cõscientię caliginẽ ac tenebras inducẽs, tũ sua deformitate tantũ nõ cõpellens ad formosa uirtutis opera.

Quid cogitatis aduersus Dominum?] De Deo interrogat hunc ad modum: Qualem ipsum habere potentiam existimatis?

Consummationem ipse faciet: non bis ultionem sumet de eadem re, in tribulatione.] Quum interrogasset, ipse sibi respondet. Talis est, inquit, potentia Dei, ut si aliquem punire pro meritis uelit, hoc ipsum simul cumulatè una plaga perficiat, nec altera uindicta opus habeat, semel quadãtenus ipsum conficiens. Quidam sic legerunt: Quid ratiocinamini, quid cogitatis erga Dominum? An ne quod ipse sit finem nobiscum facturus? Hactenus per interrogationem. Deinde respõdet: Non sumet ultionem bina uice, idem ob delictum, per tribulationem. Affirmant ergo hæc ad Israelitas dici. Postquam enim Salmanasar decem tribus captiuas duxisset, captis unà ab eodem aliquot Iudææ ciuitatibus, metuerunt sibi admodum relicti passim, ne ad sese fors reuerterentur Babylonij, hinc ad finitimas regiones aufugerunt, atque cum gentibus polluebantur. Consolatur itaque eos propheta dicens: Quid cogitatis Dominum inhumanũ esse, ipsumq; uos extincturum, ac in perniciem traditurũ? Haud fiet hoc. Non enim bis sese uindicabit ob eandem rem, secundas super nos inducens tribulationes. Semel, inquit, uos puniuit, quare nõ iterabit plagam. Ad gentes igitur ne accedite, sed Dominũ expectate, qui expectantibus se, & bonus & benignus est. B

Quoniam usque ad fundamẽta sua diruetur.] Vel à Deo punitus, uel ipsa Nineui. Ab hoc enim loco apertè palàm de ipsa & ad ipsam uerba facit. Ait ergo: Quod subrutis fundamentis, ac solidis illis mœnibus, splendidisq; ædibus, solo æquabitur, hoc est, planè desolabitur ciuitas ista magna, neque ad habitandum cõmoda propter uastationem: neq; ad agriculturam, propter ruinas ædificiorum, collapsumq;.

Et ueluti smilax expãsa comedet̃.] Smilax plãta est hederę similis, perpetuò sursum tendẽs, subtilib. ramis, quę ꝓximè astant plãtas cõprehendẽs, maximè uerò paliuros, adeò ut illos quidẽ feriat, ipsa tamẽ suo etiã tẽpore pereat. Huiusmodi sanè erat Babylõ, nũq; nõ ad altiora scãdere uolẽs, ac undiq; potẽtię suę retia extendẽs, ut deprimerent̃ et suffocarent̃ ab ipsa cõprehensi, nec pauca regna dissoluerent̃. Comedet̃ itaq; ipsa à Persis et Medis, Cyro ipsorũ impatore mouẽte bellũ, id ẽ, obscurabit̃, regno uiduata.

Et ueluti stipula ariditate referta.] Propterea et igni hostiũ tradet̃ in comestionem.

Equo egredietur cogitatio cõtra Dominũ praua consultãs & contraria.] Ad ipsum Nineui uerba faciens, causas deuastationis eius subindicat: Quia, inquit, Deo tradente in manus tuas Israelitas, non ipsi erexisti trophæum, non retulisti ei acceptam uictoriam, sed tuæ potentiæ imputasti: Deum uerò imbecillum esse cogitasti, ut
1. Par. 32 qui non posset seruare confidentes ipsi. Vnde & Sennacherem Ezeciæ, inquit, dicite: Hæc dicit rex magnus, Ne te decipiat Deus tuus, eo q̃d fiduciã in ipsum colloces.

Nam

A Nam nō eripiet Iſraelem ex manu mea. Huius etiam dux & ſubimperator Rhapſaces, talia pleraq; blaſphemauit. Hanc itaq; eius arrogantiam ſubmonſtrans Deus, per prophetā inquit: Viſitabo ſuper intellectū, magnū nempe regem Aſsyriorū. Ac rurſum docens ipſum, quod non propria uirtute geſſerit quæ geſsit, ſed Dei permiſſu: Ne glorificetur, inquit, ſecuris, citra ferientem per ipſam. Nonne exaltabitur ſine trahente ipſam? Diruta eſt etiam, Dominū occidens ſynagoga, ad uſq; fundamenta: id eſt, uſq; ad ſacrificia, & omnē legalem cultum uel obſeruantiā: in his enim uidebant ambulare. Atqui circumeuntes mare & aridam ut unum aliquem proſelytum faciāt, ac poſtea ipſum filium gehennæ conſtituunt, ſmilax fuerunt expanſa ſuffocans ſub ſe comprehenſos: ac ueluti arida ſtipula, neque ſuſceperunt deſcendentem pluuiam, neq; aquam ſalientem in uitam æternā. Cogitauerunt autem contra Dominū praua & aduerſa, ut uidelicet pro beneficijs quæ acceperāt, ipſum neci darent, eam ob rem comedentur ab igni Romanorū, & poſtremò & perpetuò daturo. Smilaci præterea æquiparant, qui caritatem ſimulantes, & complectentes per blandicias proximū, ac interim quæ ad perniciem eorū faciant meditantes, conſulentesq; : ex his egreditur ratiocinatio contra Dominū praua et contraria. Rectus enim Dominus, ipſi uerò diſtorti: ac Dominus caritas eſt, ipſi uerò caritatis hoſtes. Fraudulenta & iniuſta deceptio item ſmilax eſt cuncta apprehendens, cogitans aduerſus Dominū praua, nimirum q̄d nulla noſtrarū hoc in mundo rerū cura tangat. Neq; em̄ fraudi, turpiq; quæſtui nimiū inhiās, plura ſemper poſsidere meditās, uerè credit eſſe prouidentiā: quod etiāſi fingat, diuerſum tamē operibus oſtēdit, eo q̄d iuſtus quidē Dñs & iuſticiā dilexit, auarus aūt circunſcriptor, iniuſtus & iniuſticias diligēs. Abſumetur igitur tandē talis ſmilax ipſa à ſeſe: alter enim impoſtor ab altero fraudulentiore capitur.

Hæc dicit Dominus imperans aquis multis, & ſic ſeparabuntur.] Aquas multas Perſas & Medos appellat, qui contra Nineui bellum geſſere, quorum Dominus etiā imperator fuit, ducens illos aduerſum eam urbem. Qui & à Domino diuidentur, id
B eſt, in ordinem digerentur & ſeparabuntur, ceu ab imperatore quodam, ut hunc locum illa quidem pars obſideat, illum uerò iſta.

Et fama tua poſthac non audietur amplius.] Celebris enim antea exiſtens propter potentiam tuam, non porrò auditum & famam talem habebis. Vel quod non ulterius obedient & ſeruiēt tibi, qui antea obedierunt & ſeruierunt. Dominatur autem aquarum multarum Dominus, quæ ſunt baptiſmatis, quas ſic diſponit & ordine digerit ut ubiq; ſint: Docete enim, inquit, omnes gentes, baptiſantes eos: ut ita multa *Matt.28*
ſint baptiſmata, quorumlibet puta & ſingulorum ubicunq; degentiū. Siquidē unum baptiſma dictū eſt, æquè atq; una fides, propter dogma nempe in ſacris, unum exiſtens in omni eccleſia, quę acceperit baptiſmum per inuocationem trinitatis mortem, ita Domini & reſurrectionē exprimendo, per trinam illam demerſionē & extractionem. Et quia ſemel cuiuis fidelium datum eſt, dicere queat aliquis, unū propterea dici. Sic baptiſmi quidem multi ſunt, quandoquidem & baptiſati multi. Aliās aquæ baptiſmatum hoc etiam modo à Domino diſſociantur: ut quum duplices nos ſimus, utpote ex animo & corpore, corporis quidem purgatio per aquam, animi uerò per ſpiritum perficiatur. Deinde ad ſatanan etiam iſta flecti queunt: Auditus tuus non audietur amplius, non enim amplius ſacra dæmonibus fiunt. Aquas præterea multas ſcriptura tentationes eſſe nouit, ut illic: Veruntamen in diluuio aquarum multarū, ad *Pſal.31*
eum nō appropinquabūt. Inundatio em̄ tentationū, etiāſi multę et alię poſt alias ſint, proxime tamē ſanctū uirū nō erūt. Inſit ergo, quod tentationibus imperet Dñs: Et enim ipſe diſpenſans noſtrā ſalutē et probationē, has ſuper nos duci permittit. Diſgregabunt aūt illę, hoc eſt, diſcindent, et cōtinuitas ipſarū diſtinctionē habebit, idq; diuino conſilio, non humana prudentia uel ſacrificio: ipſe nanq; ferit, & rurſum ſanat.

Nuncq; conteram uirgam eius ab te.] Ad Iſraelem cōuertit ſermonem: Regnum, inquit, Nineui & poteſtatem, hanc enim uirgam nominauit, conterā ab te. Vel uirgam ipſius Iſrael, qua caſtigatur, conteram abs te ô Nineui, ut eam porrò non teneas, quo per eam Iſraelem caſtiges. Ad humanam itidem naturam dicere Dominus poſſit, quod uirgam diaboli, peccatum dico, in quo interficiebat uos, confringā, ſtimulus enim mortis peccatum eſt. Conteram autem hoc abs te, hoc eſt, te induens, & per te

luctans aduersus principatus & potestates, easq; spolias et triumphans in cruce. Virga uerò diaboli sunt tentationes, per quas hominem permouet, ut conuicietur Deo, perinde ac in lobo contigit: quam uirgam conterit Dominus quum docet: Ne terreamini ab ijs qui occidunt corpus, animam aũt occidere non possunt. Et, In patientia uestra possidebitis animas uestras. Et, Quum maledicentia peteretur, maledicentiam non regessit: dum pateretur, nihil minatus est.

Et uincula tua dirumpam.] Ad Israelem hæc loquitur. Habuisti quidem potentã & tyrannidem Nineui urbis, ueluti quosdã nexus detinentes te, ut seruires ipsi, neq; quicquam libere transigere posses: hanc ergo potentiam, tale imperium dirumpam, radens ipsum Persæ. Quod si ad Nineui urbem hæc uerba fiant, intelliges uincula, nõ quibus detinebatur, sed enim quibus detinebat potius alias gentes, adeoq; ipsum Israelem. Grandes etiam nexus humanæ naturæ ipsa inobedientia injicit, detinens ipsam in terra. Propter ipsam enim audiuit à Domino: Terra es, & cætera. Enimuerò postquam cœlestis seruator noster forma serui accepta, factus est obediens usq; ad mortẽ, dirupit inobediẽtię ista uincula: exaltatusq; in cœlũ, omnia trahit ad seipsum.

Et mandabit de te Dominus.] Cyro mandabit de te ô Israel, ut dimittat te ab captiuitate. Quomodo autem mandabit? Certè non prophetas mittendo, sed animũ eius inuisibiliter, per sua quæ nouit iudicia contingendo, maximè quũ idololatra esset, & indignus quem per suos prophetas conueniret. Hanc ad rationẽ ceto demandauit, ut deuoraret Ionã: præterea cucurbitæ, ut præberet umbrã Ionæ: ac uermi præcepit, ut ferret cucurbitã. Adhæc ciuitati Nineui dicit: Quoniã de te Dominus Cyro imperabit, ut copias suas aduersum te armet. Mandabit etiam angelis suis Dominus de humana natura, ut ipsam in omnibus uijs custodiant: cuilibet enim, etiã ijs qui in ecclesia parui sunt, angelus segregatus attributusq; est, uti didicimus. Forsan & ad doctrinã seruatoris relationẽ, pphetia hęc habet, Postq; eñ naturã nostrã assumpsit, confortauitq; ipsam, et potentiorẽ reddidit, tantũ nõ hoc dicit: Legis mãdata ueteris naturæ fuerũt in Adã condẽnatę et imbecillis, de te aũt noua facta, per nouũ Adã, alia dabit in mandatis Dñs Iesus. Dictũ est ueteribus, Nõ peierabis. Ego aũt dico uobis, nõ esse iurandũ omnino, & cætera. Poterit etiã hęc dicere ad eum, q in tentationibus est cõstitutus: Quoniã mãdauit de te angelis, ut flagellũ nõ accedat ad tabernaculũ tuũ. Matt. 5

Non seminabitur amplius ex nomine tuo.] Siquidem ad Nineui sermo est, hæc poterit esse sententia. Semen alicuius mortaliũ posthac ex nomine tuo, nõ appellabit. Mos enim erat subditis, à maioribus dominãtibus nomenclaturas adipisci: Sic à Babylone Babylonij, à Cyro Persæ, ab Alexandro Macedone, Macedones, ab Romanis Romani sunt dicti. Secundũ hanc rationẽ, Paulus quoq; Romanus erat. Nõ igitur, inquit, posthac ita dominaberis, ut ex nomine tuo uocent subditi. Sin ad Israelẽ hęc dicant, accipies ita, nempe: Quod postq; liberatus fueris ab Cyro, non porrò ex nomine tuo, hoc est, Israelita quispiam disperget in captiuitatẽ. etsi eñ deinceps debellati fuerunt ab Antiocho, alijsq; confinibus gentibus, uniuersalis tamen ipsis non obtigit dispersio. Atq; cũ fiducia hoc affirmare queas, quod neq; unquã uerè Israelita dispergat. non eñ omes qui ex Israel, Israelitę sunt. Vnde et Dñs etiã dixit: Ecce uerè Israelita hic, quasi quidã falso Israelitæ forent. Proinde qui etiamnũ in uniuersum terrarũ orbem dispersi sunt, nõ sunt ueri Israelitæ, sed nothi, aliâs & ipsi unà cum Nathanaële dixissent: Tu es filius Dei, tu es rex Israelis. Ante Christi porrò aduentũ in carne, mortaliũ genus dispersum erat in multas & uarias, de uarijs dijs, opiniones: in Christo aũt unitũ est ad diuinã ueram naturã, ac uerũ Dei cultũ addidicit. Propterea dicitur, Non spargeť ex nomine tuo posthac, id est, homo (huius enim nomẽ ad nostram naturã pertinet,) nõ dispergeť in multas opiniones & uana spectra, Ad tentatũ etiam, & secũ ambigentẽ, quod lucrũ ex tẽtationibus me manebit? ait. Hoc lucraberis, q̃d nõ ultrà humana in te cogitatio spargeť. Hinc & Iob, post tentationẽ, Putaui, inquit, meipsum terram & cinerem. Abiecíq; meipsum, & liquefactus sum. quanto nanque magis exterior homo corrumpitur, tanto magis interior renouatur. Ioan. 1

Ex domo dei tui extirpabo sculptilia, et cõflatilia ponã sepulturã tuã.] Non pauci Israelitarũ, etiam post captiuitatẽ, idolis seruiebant, ne sic quidẽ ex ea captiuitate sobrij facti. Vnde admirandus ille Iosias omnia idola sustulit, uasaq; ipsorũ exusit, puluerẽ eorum

eorum in faciem monumentorum, ad sacra facientes ipsis pertinentium dispergens, disseminansq; . Atq; hoc est quod ait: Ponam seu faciam sepulturam tuã, puluerẽ deorum admiscendo puluere idololatrarum. Ad Nineui hæc uerba etiã transferri queãt hunc ad modum: Deos tuos ad perniciem, ad exterminationem tradam: unde tu metuens, nequando spolia hostilia fiant, defodies eos ueluti in sepulchris aggere congestis. Fortasse autem, quia idolorũ cultores in manus hostium à Deo tradebantur, ait: Hæc idola ponam sepulchrum tuum, id est, mortis conciliatores, autoresue, ipsaq; tibi sepulchrũ fient. Porrò spiritus calumnians diabolus, Deus erat humanæ naturæ. Talis Dei domus est uniuersus mundus, ex quo omnis idololatria per Christum exci sa est. Bella insuper est promissio, quam promittit, qui cuncta idola extirpat, naturæ nostræ, dum ait: Ponam sepulturam tuam, id est, occidam ueterem hominem: & tumulo te condam, ut renouem & resuscitem. nam mortui sumus & consepulti sumus Christo per baptisma. Ex mente itidem nostra, quæ domus Dei extructa est, extirpabuntur etiam sculptilia, rhetorica uidelicet splendidè dicendi uenustas: & conflatilia, hoc est, philosophorum opiniones, per demonstratiua, ut ipsi uocant, compendia uel artes, ceu quasdam incẽsiones exhibitas. Tum uerò tumulatur intellectus noster, siue mens, quando nihil sapimus proprium & humanum, perinde atq; Salomon etiam ait: Affectus hominis non est in me. Fides enim, est sepultura mentis, cui non permissum, ut moueatur, cogitet in animo, & uarijs curiosè sit dedita.

Quoniam ueloces ecce super montes pedes euangelisantis, denũciantisq; pacem. Propemodum in foribus existentia bona monstrat. Ecce enim, inquit, ecce ueniet nuncius annuncians Cyri contra Nineuitas expeditionẽ, & captionẽ urbis Nineui, quæ pax erat Israelitis. Liberabo eos ab captiuitate. Super mõtes dicit: siue quod ipsa uia à Nineui aduscq; Hierusalẽ sit montana: siue quod qui à montibus aliquid denunciant, ceu ex locis qui uideri planè nequeant, signa faciant, per quæ in imo agentibus suam denũciationem significant. Pedes Domini sunt apostoli, qui missi sunt ad montes, ad gentes ipsas, quæ sunt intellectualium ferarum habitacula, docẽtes eos. Atqui Dominus annũciabat pacem, ac per omnia quæ cùm docuit, tum fecit, pacem nobis apud patrem suũ peperit: Vt & ipsi in nobis, inquit, unum sint. Apertissimè autẽ mu- Ioan. 16.
tuam prædicabat pacem inter fideles, quũ diceret: Ab eo qui tua tollit, ne repete. Vo- Matth. 5.
lentiq; tecum apud iudicem delitigare, ac tunicam tuam capere, dimitte ei & palliũ. Annũciabat autem hæc, tanquam nihil à sese dicens, uerumenim quæ spiritus sancti essent, prædicans. Ioannis etiã baptistæ pedes ueloces fuerunt, super montes, pharisæos dico, concionantis uerã pacem, Christũ, quibus & dicebat: Generationes uipe- Luc. 3.
rarũ, parate uiã Domini, rectas facite semitas eius. Omnis uallis implebitur, & omnis mons & collis humiliabit. Nemo aũt prædicare pacẽ in terra infrà agens potest, dum terrenis rebus affixus est: propter enim huius terræ facultates, suscitantur bella. Quocirca si annunciaturus es pacem, & tibijpsi & proximis tuis, subleua te, erige te in altũ ab terra & boni eius, nimirũ à diuitijs & gloria. Ascende super montes cœlestes, quò Dauides etiã oculos suos tollens, sperabat inde sibi uenturũ auxilium. Huic & doctores aduertant animum, ut super montes altæ politiæ constituti, sic annuncient pacem populis: quod ipsis etiam per gradum & ascensionem cathedræ demonstratur.

Celebra Iuda festiuitates tuas.] Quum enim in captiuitate esses, prohibebaris celebrare festiuitates, lex enim in Hierusalem præcipiebat celebrare festa: Propterea & super flumina Babylonis suspenderunt olim organa ad salices, & non licebat eis cane re canticum Domini in terra aliena. Nunc liberatus à captiuitate, citra impedimentũ celebra ferias tuas. Hæc aũt uel propheta dicit, uel angelus prædicans, omnisq; qui mente intelligitur, Iudas, uel confitens Deum. Inquantũ enim est in Babylone, id est, confusione, in ipsa terra à Deo aliena, non potest celebrare festiuitates suas: neq; pascha, transitus & egressus illas ferias (non enim euasit neq; egressus est peccatũ:) neq; hebdomadarũ ferias, quæ est Pentecoste, nam extra spiritus sabbatismum est, non tollens Christi iugũ, apud quem inuenitur requies: neq; scenopegiæ, hoc est, attegiarũ sestũ. nõ enim ceu tabernaculũ peregrinationis, sed ueluti stabilem habitationem hunc mundũ inhabitat. Neq; resurrectionis & uitę, & post hanc futurę meminit, quando cuiuslibet uas nouũ & incorruptibile cõpaginabit. At ubi liberatus fuerit à seruitute

Universidad de Deusto
Biblioteca

confusi peccati, tum demum celebrare iubetur ferias suas, quas diximus. Tres autem illæ feriæ omnium in lege maximæ extiterunt. A

Redde uota tua.] Hoc est, promissiones quas promisisti, reple, sacra faciens, aliaq; legitima persequens. Promiserant enim quum in captiuitate essent, sese multam Deo reddituros gratiam, multaq; dona, gratitudinis symbola, si in patriam reuerterentur, perinde ac in psalmo sexagesimoquinto, & sexagesimosexto inueniemus.

Quoniam non amplius adijcient, ut pertranseant ad inueterationem.] Hoc est, non porrò hostes tui diu perseuerabunt, neq; stabilietur ipsis felicitas: cæterùm ipsi celeriter etiam interibunt, ac lætitia eorum & luxus perdetur simul. Vel quod confitentis Deum festiuitates non inueterascent, non peruenient ad inueterationem: semper enim de die in diem renouatur, iuxta imaginem conditoris sui.

CAPVT II.

COnfecta est, consumpta est.] Nineui uidelicet eiusq; princeps, ut non amplius tibi timor sit ex ipsis. Vel peccatum, uel impietas.

Ascendit insufflans in faciem tuam, eripiens ex tribulatione.] Ascendit, inquit, contra Nineui Cyrus, qui insufflans & uentulum faciens faciei tuæ, eripuit te ex adflictione. Insufflare autē ex Iudaica quadā consuetudine dixit, quibus dilacerare quoq; pallia in more erat. Sic & in languentiū uultus insufflabant, id quod exorcistæ potissimum faciebant. Sunt qui hæc ad Deum pertinere putant, qui proprio nutu, ceu flamine quodam seu flatu usus, uiuificauit denuò populum, ueluti mortuum, quemadmodum & Iezeciel ait, mortuis ossibus hos comparans: perinde atq; Adamo insufflans spiritum uitæ, creauit in ipso animam uiuentem. Ascendit etiā Christus ex mortuis submergens eum, cui mortis erat imperiū, Assyrium istum, qui mēte cogitatur,
Ioan.10. satanam. Inflauitq; discipulis in faciē, pacem illis exoptans: Gauisi sunt enim discipuli, dominum suum conspicati. Nam simulatq; Adam imaginem perdidit, quā per diuinam insufflationem acceperat, rectè & pulchrè Christus illam renouans, sacris suis B
tradidit apostolis, per ipsos cunctis credentibus.

Contēplare iter.] Ad Iuda hæc dicit, præcipiēs ipsi circūspicere per uias, & expectare nūcios, ac bonas ab illis accipere annūciationes. Vel ueluti reducēdo ex captiuitate hęc dicit populo: Contēplare, circunspice, quàm sit facilis & concisa breuisq; uia.
Iob.40. Constringe lumbos fortiter, confortare robore nimis.] Pro eo quod est, priorē de-
Eph.6. pone formidinē, & confortare lumbis tuis, eos circumcingens. Sic & Iobo Dominus ait: Succingere, ut uir, lumbos tuos. Et Paulus: Circuncingite lumbos uestros in ueritate. Proinde & hic eos fortes esse & cōfidentes iubet, priore metu depositō. Vel perinde est ac si dicat: Parate uos ad iter reditus. Lumborū enim dominari per zonam, eosq; circuncingere, iter facientium forma est: quippe quia diffluens tunica ad profectionē laboribus defatigat, aduersum quos succinctus fortiter perdura. Deinde cuilibet nostrūm dat in mandatis, contemplare uiam, Christum, ut in ipso circumambules. Vel adhortans nos ad considerationem mysterij de Christo, ait: Addisce uiam. Quia uerò per uitam actuosam ascendimus ad diuinarum rerum contemplationē, ac citra sanctificationem nemo Dominū uideat, inquit: Dominare lumbis, in quibus est cupiditas & libido. Porrò, quum natura nobis insita propemodū perturbatione, admoniti, dicere consueuimus: Non possum naturali affectui reniti, ostendit quomodo dominabimur: Valde, inquit, fortis esto, fortitudinem uirilē adsume, hoc est, ne moliter, ne laxè, sed acriter, sed uehemēter resistas, idq; in robore, hoc est, Christo, qui naturam nostrā confortauit, potentioremq; reddidit dum eam adsumpsit, deitatiq; uniuit. Nam etiamsi sine hoc fortis fueris, nihil tamē poteris. Hanc ob causam nemo inter incredulos uirgo est, non enim in robore Christo, confortantur.

Eo quod auertit Dominus iniuriam Iacob, quemadmodum iniuriam Israel.] Iacob quidem decem tribus appellat, Israel uerò duas in Hierosolymis. Decē enim prius captæ sunt à Babylonijs, duæ uerò postea, Nabuchodonosor Hierosolyma inuadente martijs copijs. Quādoquidem ergo Cyrus duodecim tribubus unà permisit reditum, quoniam, inquit, auertit Dominus iniuriam Iacob, hoc est, abstulit captiuitatē & seruitutem decem tribuū, æquè atq; duarum Israelis, ac in suā terrā transtulit & patriam. Nam iniuria erat liberis hominibus ex Abrahamo propagatis, seruitus, quę nō

decebat

decebat eos. Vel hunc ad modum intelligere licet: Posiquam nomen Iacob, ipsi patriarchæ à patribus impositum est, nomen uerò Israel à Deo, unde & hoc ipsum honoratius altero erat, nominat quidē hic uniuersum populū humano nomine, dicens, Quod iniuriam siue seruitutē Iacob, hoc est, totius populi auerterit Dominus, tanq̄ iniuria foret illius patriarchę, qui uirtutis ergò Israel agnominatus est: perinde atque ille iniuria adficiatur, qui omni honore dignus est. Huius gratia, posteris eius parsum est. Iniuria Iacob, hoc est, actiui, constituti ut supplantet adfectus, seruiendo turbanti & prauo alicui operi: quemadmodū iniuriā Israelis, hoc est, in contēplatione agentis, dum succumbit falso uanoq̄ dogmati. has iniurias auertit Dominus, operibus cōmodato Iacob mandata impertiens, quæ ipse faciens liber fiat: in contemplati uerò nectenti moram, illustrans mentem ad recta & firma ecclesiæ decreta.

Quoniam excutientes excusserunt eos, & palmites eorū perdiderunt. Arma potentiæ eius ex hominibus.] Quemadmodū, inquit, uitis excutientes palmites, fructū corrumpunt: sic & Persæ Babylonios infringentes, eorumq̄ regnū excutientes perdiderunt, quod erat fructus palmitum eorum. Quinam ueræ palmites fuerint, interpretatur ipse, dum inquit, Quoniam arma potentiæ eius non ex Deo, sed hominibus: humanis enim uiribus imperabant. Nam arma potentiæ seu imperij eius. Babyloniorum uidelicet populi, fortes armatos appellat. Subdit igitur:

Viros potentes, illudentes igni.] Vt nemo arbitretur Babylonios ceu imbelles à Persis deuictos, suprà quidem armorū potentiæ meminit: clarius aūt & apertius nūc dicit, Quoniā excusserunt eos uiros, potentes & fortes existentes, adeoq̄ temerarios & audentes, ut uel aduersus ignē attentare quicquā audeāt, ac ueluti lusum quempiā putent discriminibus & metui expositā: ideoq̄ nō propter eorum imbecillitatē Persæ prævaluerunt contra eos, uerumenim propter diuinū iudiciū tradens eos istis in perniciem & interitum. Excusserunt etiam ab Hierusalem Romani deicidas, antea
B quidem plantatos in uineam fructiferam & ueram, iam uerò cōuersos in amarulentiam: Vinum enim eorum, uirus draconū & uenenum aspidum: etenim Domino Deut. 32
sel dederant pro potione. Et palmites ipsorū extra urbē ad mare usq̄ expassos, perdiderunt: Omnes em̄ ferè in finitimis terris & locis deprehensos interemerūt. Quū deicidæ non habuerint arma potentiæ suæ ex Deo, (Quomodo em̄, quū filium Dei demisissent lethō) sed humanis auxilijs confidebāt, æmulatoribus eos deuastantibus. Illi igitur Domini interfectores, potentes fuerūt, ut qui in lege instituti essent. Fortes ergo fortiter explorabant, & illudebāt Dñm, qui ignis est propter diuinitatē: partim uelibet tentātes ipsum, partim uerò Romanis militibus tradētes ad illudendū. Excusserunt etiā mentales (ut ita dicam) Babylonios dæmones, sub Christo stipēdia facientes, ipsis longè à sese remotis, atq̄ seductione ipsorū repulsa: uitesq̄ eorū perdiderūt, diuinationes arbitror & incantationes, ex quibus uinum impostura generantes homines potabant, quemadmodū & in Osee dicit: Vinum & temulentiā apprehendit Osee 4
cor populi mei. Deinde de satana etiam inquit, Quoniam arma potestatis eius ex hominibus sunt: per nostrā enim desidiam atq̄ secordiam imperiū possidet. Sunt autē dæmones uiri potentes, carnis nimirū expertes, belligerātes nobiscum, qui carne sumus uestiti. Ludunt aūt in igne animi & concupiscentiæ. Vt uerò uite existente Domino, palmites sunt apostoli, & ubilibet cōstituti fideles corpus eius & mēbra: sic ex opposito, quum uitis fuerit Sodomitica, palmes per consequens ex Gomorrha, eo nimirum uitio excellentes, omnemq̄ turpitudinis & mali formam inde recipientes.

Habenæ curruum ipsorum, in die apparatus eius. Equites turbabuntur in uijs, & confundentur currus, & complicabuntur in plateis.] Babylonij, inquit, parabunt̄, ut ex equis opponant sese Persis: & habenę curruū eius, & Babylonij nimirū exercitus, in promptu erunt, atenim nihil proderunt. equites enim turbabunt̄ in itinere à multitudine aduentantiū præsentiumq̄ hostium. Curruū præterea confusio erit, hoc est, concussio complicatorum inter se uicissim, & collisorū inter sese: non in angustis locis, ut quis loci angustias accusет, sed in plateis, adeoq̄ latis itineribus, ut sit perspicuū à Deo debellari, & equites & curruū ductores. Currus uel plaustrū Domini cōditæ sunt animæ nostræ, quod ipsum, ueluti uerbam, baiulent: ac per ipsum motæ, ceu equis uehantur in contemplatione, omniū sermonū eius participes. Fiunt & currus

Babylonij

Babylonij principis, quando ad irrationales operationes animi nostri intuentur. Habenæ nostræ sunt naturales cogitationes & mandata Domini. Quum igitur ista ueluti habenæ in nobis parata fuerint, tum ueluti equitãtes in nobis dæmones turbant: & uarijs & diuersorũ errorum adeoq; uitiorũ itineribus quibus nos agitari persuaserunt, currusq; ipsorũ inter se mutuo collidunt, complicanturq; in plateis. Quod autẽ dico hunc in modũ se gerit. Vitium, quamdiu ipsum accesserimus, planũ quiddam uidetur, & æquale sibijpsi, pacíq; deditũ. Quando uerò habenas receperimus, naturaliter quod pulchrum & honestũ est speculati, à mandatis Dei eò perducti, tum conspicamur ipsum inæquale, sibijpsi cõplaudens, et cõplicatum. An nõ uides in plateis eoq; latis huius uitę uijs proficiscẽtes, neq; angustũ callem cœlestis, quę secundum Deũ est uitę, terentes, quõ interdum quidẽ felicitate ac prosperiore fortuna laxati, prę omnibus, supraq; omneis efferant? interdum uerò uel modica quadã circunstantia uel calamitate urgẽte, inuadẽteue, omnibus iuxtà ignobiliores neq; nõ efœminatiores reddunt, exiguo admodũ infortunio succumbẽtes, ac uitã suam planè perditã existimãtes? Hęc aũt tũ uidenti nobis, quando datas nobis, ut dixi, habenas receperimus, habuerimusq; eas in expedito in die, in lumine nostrijpsorũ conscientiæ constituti.

Visio ipsorum ut faces ignis, ac tanquam fulgura discurrentia.] Quia currus Nineuitarum & Babyloniorũ hæc & passuros retulit: nunc ait, quod nõ imbecilles fuerint, sed fortes & animosi, adeò ut uel ignem ex oculis emitterent, ac ueluti quibusdã lampadibus & coruscationibus terrerẽt subditos: attamẽ in hostiũ assultu, trepidatio eos continebit. Quidam autem hæc de Persis intellexerunt, tantum non corporalibus oculis uidente eos propheta, tanquam ignem aduenientes contra Nineui.

Et recordabuntur optimates ipsorũ, fugientq; in die, & languebunt in uia sua, festinabunt ad mœnia, parabuntq; propugnacula sua.] Nineuitarum, inquit, optimates, propter potentiam suam alta spirantes, superbientes, omneis cogitationes ciebunt, nullamq; non artem mente sua uolutabunt, ac fugere in die tentabũt, ueluti duris detenti calamitatibus, usq; adeò, ut neq; noctem expectent. Non prosperitatem tamen consequentur, in ea fugæ suæ profectione, sed rursum ad mœnia festinabunt ascendere, ab illis salutem inquisituri, ac suam in urbe custodiã curaturi. Vel cum dicit, Recordabuntur, sic intelliges, quod animo suo secum repetent adflictiones quas Israelitis intulerunt, blasphemaruntq;, quibus Deũ exasperarunt, scientes in posterũ quod Deum pro hoste suo habeant, ac eam ob rem terga fugę dabunt, non clanculum, sed in die: tanta eos apprehendet trepidatio. Est etiam dæmonum uisio seu aspectus instar lampadum per naturam. Videbam enim, inquit, Satanã de cœlo ut fulgur cadentẽ: forsan propterea quod transformatur in angelum lucis: uel quod fulgura & coruscationes discurrent in regione sub cœlo, tanq; illic prodeambulent: siue quod coruscationes non sint stabiles, sed discursantis naturæ, hoc est, facilè extinguantur: sic lumẽ Satanæ in quod efformat, citra cunctationẽ extinguitur, iuxta id quod dictum est. Lumen impiorũ extinguitur. Porrò legiones eius Satanæ, uel copiæ dæmonũ, recordabuntur potentiæ Domini, ut adeò dicant: Sine, quid nobis & tibi fili Dei? Debilitabunturq; in profectione sua, quando cũ porcis in mare præcipitatę fuerint: uel quod non ultrà potestas illis facta sit aduersum homines eundi. Festinabũt ergo ut crucem & mortẽ Domini efficiant: hæc enim ueluti mœnia & munimenta sibi rebant esse, perinde quasi Dominus ignobilis & flagitiosus esset futurus. Parauerunt aũt & propugnacula seu pręcustodias (sit uenia uerbo) siue cunctas istas ante crucem illusiones & opprobria: hęc enim ceu præcautiones quædã fuerunt & crucis & mortis: Siue excubias militum apud monumentũ. Sunt etiam in anima magnates, intellectus & ratio. Reuoluẽt ergo secũ propriam dignitatẽ, fugientq; seruitutẽ prauorum motuũ, simulac dies illis illuxerit: nec enim ut antea, sic posthac in tenebris iter faciunt. Et in priore fallaci itinere debilitabunt, non amplius in malitia facile adeò currentes. Accelerabunt itaq; ad muros, ipsa nimirũ mandata, quæ nos muri in morem cingunt, & parabũt sibi propugnacula, naturales ipsas cogitationes. ipsę enim ante mãdata canunt excubias. Præterea sacrũ baptisma & unctio, ingentia & solida sunt munimenta, ad quæ festinãt, religionis Christianæ nondũ imbuti sacris, simulac agnouerint eum qui seruare potest, Iesum. Nec simpliciter tamen. priusquam enim ad baptisma admittatur,

Luc. 10

Prou. 13

A tur, primum custoditur ut ieiunio intendat, seseq; castum & purum ut seruet illi imperatur, ut in habitum boni perueniat.

Portæ urbium apertæ sunt, regiæ deciderunt, & substantia reuelata est.] Nineuitæ, inquit, seu omnes illorũ subditi, ad muros & munimenta ascendent, ueluti ab illis custodiendi: at nihil illis cõmodabit. Siquidẽ portæ cùm ipsius Nineui tum reliquarum ciuitatũ, aperientur: & regia earum ad hostes trãsferetur, subiscieturq; eis gloria earum cadente, & sublata: ac uniuersa illarum substantia, siue thesauri conclusi et obsirmati, retegentur, ut nulli non sunt conspicui, exponenturq; in direptionẽ. Portæ urbium sunt sensus animarum, qui aperiuntur dum citra impostura rebus agendis inhiant, ac sine fraude negocia transigunt. Tum etiam regiæ peccati in mortali nostro corpore regnantis intercidunt, putridæ factæ, retegiturq; uirtutis substantia: tum enim manifestum fit peccatum carere bono, adeoq; non subsistere posse: uirtutem aũt re uera habere basin, eamq; subsistere. Quod ipsum & Dauidem sentire opinor, quũ ad Deũ inquit, Substantia mea penes te est. Quando eñ in Deo est homo, tum etiam subsistit: In ipso enim, inquit Paulus, uiuimus, mouemur & sumus. Nam qui esse habet, ut rationalis sit, tumq; in Deo est, quum iuxta rationem uiuit, meritò in Deo subsistit: ut ne dicam, quod in ratione nostra existentes, in Deo, qui est ratio, sumus. pars enim diuinitatis, nostra est ratio.

Ipsaq; ascẽdebat, & seruę eius ducebañ, quemadmodũ colũbæ gementes in cordibus suis.] Quasi intueaĩ propheta Nineui, quõ in captiuitatẽ abducatur, hęc dicit. Ascẽdebat, inquit, ueluti in Persidẽ abducenda, cumq; ipsa municipia, & subiectæ eius ciuitates: in cordibus suis gementes, hoc est, clanculũ murmur & gemitũ columbarũ imitantes. Quando substãtia uirtutis retegiĩ, ascendit anima ad diuinos gradus. Nec porrò ancillæ eius, potentię eam ducunt, sed ducunĩ ab intellectu & ratione, ipse motus & cupiditas. quocirca nõ iniuria sunt columbulæ spiritus. Neq; eñ concupiscen-
B tia tum humanũ diem desiderat, neq; animus temere irascitĩ fratri, cæterũ ipsa quidem porrò cõcupiscentia, corã Domino semper sistitur: Dñs aũt spiritus est, perinde atq; Daniel uir erat desideriorũ spiritus. Animus autẽ irascitĩ et non peccat, omnẽ uitiorũ bilem euacuãs: æquè atq; Moses omniũ mansuetissimus, armauit Leuitas contra idolorũ cultores: et Phinees et Elias æmulatores ꝓpterea uocati sunt. Ad hæc ipse mansuetudinis spiritus exacerbari diciĩ. Sic igitĩ acceptę columbæ gemũt citra ingentẽ stre pitum, cõtestanturq; Christi potentiã, per quã sunt deuictę. Porrò q Christi sunt, carnem suã crucifixerũt cũ cupiditatibus et passionibus. Apertę sunt etiã portæ urbiũ, et munimentorũ mortis, quãdo Dñs mortẽ pro nobis sustinuit: et regia inferni decidit, eiusq; potẽtia cui imperiũ mortis erat, diminuta ẽ. Diuina etiã uerbi substãtia retecta est, cũ sancta coagmẽtata aĩa, in tenebris et in umbra mortis sedẽtibus æreas portas cõterẽs, ueclesq; ferreos cõfringẽs, ac propriã uim demonstrãs. Aĩaq; eius pariter aderat apud inferos mirãda exercẽs, corporiq; in sepulchro, incorruptibile ipsum cõseruãs. Prętera Dñi aĩa ascẽdebat ex inferis, à Plutone (ut poẽtice loquar:) seruęq; eius, nẽpe sanctorũ aię, comitabañ eã ueluti colũbę simplices et integrę, rectitudine et syncerítate refertę, cõcinentes: Vbi ô mors stimulus tuus? Vbinã ô inferne uictoria tua?

Et Nineui ceu piscina aquæ, aquæ eius. & ipsi fugientes non steterunt, & non erat respiciens.] Peculiarẽ quandã significationẽ coniunctio, et, habet, pro, Atqui Nineui urbis aquæ, hoc est, inhabitantes ipsam & cõplentes, tot tantiq; fuerunt multitudine, ut piscinę comparenĩ aqua refertæ, ebullienti & eijcienti lymphas superfluas. Etenim multiplicato populo, coloniã non deduxerũt, sed tot tantiq; ex æquo ad fugam respicientes, non steterũt, sed in ea quæ ante sese essent, oculorũ aciem direxerũt, contemplantes ubi quóue fugiant. Gentiũ item ecclesia (quæ & ipsa est gentilis Nineui) baptismatis aquas habet, eiusq; habitatores, declinantes uitia, non figunt gradum, ut ne patiantur quod uxor Loti. Nec est inter eos qui retrospiciat: non enim admouentes manũ ad aratrum retrorsum post se tuenĩ, sed eorum quę sunt ponẽ & à tergo obliti, ad ea quæ sunt ante se & à facie, se accommodantes, sic currunt palàm.

Diripiebant argentum, diripiebant aurum, neq; finis erat mundi eius.] Priorẽ Nineuitarũ explicat iniuriam & circunscriptionem, quodq; ex rapinis eas collegerint. Neq; potest quisq; eorum dicere, quod propter penuriã uel egestatem ea diripuerint, tolera-

tolerabilius enim hoc fuisset malum: sed per iniuriã, & quia uoluerint habere diuersos eosq; preciosos ornatus. Non erat enim, inquit, finis ornatus eius. Effœminatè nanq;, seu fœminarũ instar, uiri, propter molliciem & stulticiam ornabantur. A

Grauata sunt super omnia uasa desiderabilia ipsorum.] Hoc est, ornatus quo exornabant corpora sua grande habebat pondus, hoc est, tumorem, opumq; & abundantiæ indicium, adeò erat exuberans & sumptuosus, super omnia uasa preciosa eorum, quæ & ipsa tamen desiderabilia erant, id est, superfluo luxu ad delicias parata. Mundus itaq; ille, siue ornatus ea uasa exuperauit. Vel sic etiã intelliges. Quæ ipsi preciosa Nineuitæ congregauerant, ac reposuerant ad thesaurũ, hostes accipient ipsis deuictis, inq; suam ea terram asportabunt, pondere suo grauantia ferentes ipsa. Porrò futurorum, quasi exacta sint mentionem facit, iuxta scripturæ proprietatem. Grauata sunt enim, pro grauabuntur dixit. Gentes itidem, quæ antehac idolorum fuere cultrices, nunc autem Christo credẽtium numero insertæ, cùm argentum, hoc est, legis oracula, tum aurum, hoc est, puram umbræq; expertem euangelij gratiam diripiunt, pulchra insatiabilitate languentes: propterea exornatur etiam ecclesia, adeò ut non sit finis mundi ipsius. Nam mundus siue ornatus eius est ipsum uerbi regnum, habitantis in nobis, cuius regni non erit finis. Talis proinde mundus etiam grauis est & ponderosus: non enim circunfertur omni uento doctrinæ, sed grauitatem & pondus habet, super omnia philosophica dogmata, quæ uasa fuerunt gentium preciosa. Præterea dæmones antea sanè argentum diripiebant & aurum, uerbum nempe in actione consistentis & speculatione uitæ, captiuantes, sapientia græcorũ non rite usi: nunc grauiora facta sunt, quàm cunctorum hominũ qui antea uixerunt, uasa ipsorũ apparata ad interitum. Puri enim redditi, uasa sunt honesto heri usui destinata. Siquidem ubi uenisset Dominus ille in domum fortis, ligauit ipsum, & uasa eius hæc diripuit. Dæmones autem cathenis caliginis traditi, in tartara præcipitati, turbatiq; sunt.

Excussio & succussio & eiectio, cordisq; tremor, & dissolutio genuum, ac dolores super omnem lumbum.] Quæ in motibus, cõcussa terra consueuerunt fieri, ea nunc hostium attribuit aduentui. Ipsi enim, inquit, quatient & concutient omnia. Corda uerò Nineuitarũ, quassabuntur conterenturq;, tanquã pauore traiecta. Genuum denicq; compages soluentur, parturientiumq; instar dolores habebunt, id est, intolerabiles dolores, ingentia mala progenerantes. Omnem lumbum, hoc est, omne uirile robur. Lumbũ enim de uiribus etiam scriptura usurpat, ut suprà est commemoratũ. Excutit itaq; tellus uel decutit, quando super ipsam stantia decutiũtur. Succutit uerò, quando fundamenta produxerit, ex imo in altum proijciens. Eijcit autẽ, quando ueluti cribro hinc inde permouens, inferiora secernit, & in altũ ducit, sæpenumero fontes dirumpens tam calẽtium quàm frigidarũ aquarum. quandoquidẽ treis etiam sint motuum species. Cyrus itaq; unà cum copijs suis, superna nemini non patentia, & infera humano aspectui abdita, cõmouebit: omnibusq; confusis & turbatis, nihil im motum suo in loco permanere sinet. B

Facies omnium ceu adustio ollæ.] Præmetu rigebit, inquit, sanguis: facies autem omnium liuidæ reddentur, quod in maximis frigoribus contingit, ut illi parti ollæ similes fiant, quæ igni admota & propterea præusta nigrescit. Hæc & Domini crucifixoribus obtigerunt, qui ex uetere patria sua excussi, dispersi sint in omnem locum. Excussa est pariter impostura dæmonum: succussus iuxtà est in altum homo, omni uitiositate per confessionem eiecta, effusaq; foràs ac dirupta. In confessione autem simul perpenditur cordis trepidatio: qui enim priorem uitam condemnauerit, apparet quasi conteratur, ductus pœnitentia eorum quæ patrauit. Cuius facies siue fiducia quam habebat, mala citra ruborem perficiens, obfuscatur nunc, contristati ob opera quę tum transigebat, quorum causa nunc uerecundia perfunditur. Laxantur etiam illi genua, quibus fulciebat stans in malitia: & lumbus in quo est concupiscentia, dolores ceu parturientis persentiscit, præ diuino pauore. quem cõcipiens per diuinũ spiritum, parit sanctificationẽ, citra quam nemo uidebit Dominum.

Vbi est habitaculum leonum, & pascuum catulorũ?] Leones appellat reges, habitaculum leonum ipsam Nineui: catulos uerò leonum, siue regum liberos, siue satrapas, regumq; subprincipes: pascuum horum, subiectas ciuitates, tributa pendentes, pecuniasq;

A pecunias q̃ adiẽtes. Fuerunt ergo pascuum & pabulum leunculorum, nutrientes eos: Nam pascua diuitum, ut scriptum est, sunt pauperes. Postquã igitur Nineui unà cum regibus, satrapis, atq; subiectis urbibus interierunt, ut nusquam appareret, Vbi est, inquit, talis ac tanta ciuitas, unà cum subditis sibi oppidis?

Quò abijt leo, ut ingrediatur?] Permanet in prophetia sua, ueluti illudens. Nónne, inquit, leo, id est, rex Nineui peregrè profectus est, ut aliam terram ingrediatur? & idcirco desertam reperientes urbem hostes, eam obtinuerunt.

Illic catulus leonis, & non erat perterrefaciens ipsum: rapuit quantum sufficiebat catulis suis, ac suffocauit leonibus suis, impleuitq; uenatione nidum suum, & habitaculum suum rapina.] Quia interrogauit quò abijsset leo, iam ueluti respondens ait: Non abijt, neq; peregrè profectus est, uerùm & ipse isthic erat & catulus leonis, siue filij eius & satrapæ, ducesq; belli: quos antea nemo perterrefaciebat, uacabant enim metu, neminem antehac formidantes: quin potius, leonũ in morem, aliorum regnorum pecunias rapientes, tributaq; colligentes, liberis suis prębebant alimoniam. Hoc enim indicat, quũ ait, Suffocauit leonibus suis. Quia enim bestiæ strangulare solent, à se comprensa animalia, tumq; ex ijs alimoniam capere: non dissimili ratione Assyrij, inquit, reges, alia dissoluentes regna, propriis leonibus, hoc est, pueris suis & regibus, illorum opes & undecunq; collecta uectigalia coaceruarunt: quemadmodum Samariam quidem Salmanasar, Hierusalem uerò Nabuchodonosor diripuerunt. Nineui ergo, quæ erat nidus ipsorum & habitaculum, impleuerunt uenatione & rapina. Nidum, ceu auium esset mentio, appellauit, propter leuitatem, altaq; affectantem mentem regum. Et quia hæc urbs facile citraq; sudorem à Persis capta, auolauerit abducta in Persidem, habitaculum leonum uocat, propter priorem qua floruit potentiam. Solet autem hic locus aliàs etiã hac ratione interstingui: Quò abijt, ut ingrediatur illic? Deinde ab alio principio, Catulus leonis, & quæ sequuntur. Tum hanc sententiã ha-

B bet: Vbi est Nineui, ad quam reges introibant, perseuerabantq; tutò, tanquam nulla populatione & expugnatione uastari posset? Præterea catuli leonum, hoc est, filij regum etiam ingrediebantur, tutò illhic permanentes, nec erat cuius gratia compauescerent, nemo terrebat eos. Nineui enim inhabitantes citra trepidationem uiuebant. Erat & Hierusalem habitaculum leonum, regum nimirum ex Dauid, ac reliquorum principum, qui diripiebant & strangulabant pauperiores populi. At ubi nũc est post Christi necem? In confitentiũ item animabus, morabantur intellectuales leones, quorum propagines prauæ cogitationes, depascebantur & insumebant diuinam in ipsis partem. Diabolus igitur leonis instar circumiens, quærens quem deglutiat, ubi nunc est? Quônam abijt? Illic enim ubi antea demorabatur. Iamnunc apud Iacob catulus leonis est ipse dominus, nec est in posterum qui hunc accipiens catulum exterreat. Nam abunde satisq; exactis temporibus rapuit leo iste syluestris, quæ rapuit, ac suffocauit eos quos spiritu sancto priuauit: impleuitq; infernum uenatione eorum qui in peccatis suis uita sunt defuncti: qui infernus etiamnum habitaculum ipsius est. Nec enim porrò in aere imperium habet, sed ad inferos detrusus est.

Ecce ego super te, dicit Dominus omnipotens.] Quandoquidem ô Nineui diripuisti omnia regna, ideo ecce ego protinus aduersum te exurgo, tametsi hactenus sim cunctatus. Est autem peculiari significantia adiectum, Omnipotens, omnia uincens. Quod si cuncta exupero, te superior etiam ero.

Exuram in fumo multitudinem tuam, leonesq; tuos deuorabit gladius.] Postquam methaphoricè suprà leonum, catulorum, uenationis & pascui meminit, meritò istorum etiam sublationem & interemptionem tropicè prædicit: quia enim in latibulis quibusdam abditas feras mouere sese nolentes, uenatores prodire cogunt, fumo spelæorum ori appositio, egressasq; excipiũt hastis & ensibus, leto ita demittentes, ait iam, Multitudinem populi tui exuram in fumo: hoc est, populosissimam hanc urbem flammis tradam, incendam, regesq; eius & principes mactationi dedam, perinde atq; iam Hierusalem incendio tradidi, seditiososq; in ea leones, tenuiores in populo ueluti deuorantes, exedit Romanorum ensis.

Disperdam quoq; ex terra uenationem tuam, neq; quicquam audientur posthac opera tua.] Hoc est, nequaquam porrò uenaberis, neq; diripies & gentes & regna:

neq; res tuæ bello gestæ, exq; ijs promanantes calamitates, quibus tibi subiugatos premebas, amplius audientur: desistes enim in posterũ talia perficere. Venabantur etiam Pharisæi animas accedentium Iudaismo, ab ipsis persuasorum, tum reliquorum Iudæorum, literam illos docendo: quam uenationem obliterauit ex terra humanæ naturæ Dominus, legem spiritus uitæ ei impertiens. Neq; porrò opera legalis administrationis audiuntur, quoniam neq; iustificabitur ex operibus legis omnis caro. Iam & ad diaboli potentiam Dominus dicere queat: En ego super te cum carne mea exurgens, multitudinem subter te constitutorum dæmonum exuram, in suffimento operationis spiritus, uel in præludijs futuri ignis: quæ enim torquebant dæmones, fumus erant iam inde à principio parati ipsis ignis. Gladius porrò, id est, euangelicus sermo, exedit leones ipsius, uel hos ipsos dæmones: uel sapientes & in oratione diserta ualentes plurimum. Ac seductio, errorue, quo uenabatur mortales, excisa est ex terra: & opera quæ in templis idolorum perficiebantur, non amplius audiuntur. A

CAPVT III.

O Ciuitas sanguinũ, tota mendax, plena iniustitiæ.] Nineui urbis conditionem, miserabiliter tragica seu acerba exclamatione luget, ciuitatem sanguinum eam appellans. Amantes enim bellorum Nineuitæ, & sanguine gaudentes erant. Tota mendax ideo uocatur, quod omnes planè idololatræ erant, uanos deos colentes, cũ pauperes, tum diuites, eo quod mendacio studuerunt, in uerbis suis dolum & fraudẽ committentes, quæ postea iniustitia sequitur. Omnis enim dolosus, & fraudulentus est & iniquus, si nulla alia in re, uel in hac tamen sola, quod proximo sit iniurius, cúm que in fraudem inducat. Videtur autem docere uates, unde facta sit Nineui ciuitas sanguinum, nempe ex mendacio & iniustitia. Nam ubi uanitas & iniustitia, illic ne speres deesse sanguinis effusionem. Hierusalem quoq; ciuitas est sanguinum, ueluti prophetas occidens, ac lapidibus obruens ad se missos: totaq; mendax fuit, ceu odio ueritatem prosequens, quæ Christus erat, falsa de eo dicens, quod Samaritanus esset, dæmonibusq; obsessus & impostor: ac plena iniustitiæ, ut quæ Dominum benefactorem suum adfixerit cruci, sanctumq; & iustum abnegauerit, necnon impleuerit mensuram patrum, qui prophetas occiderunt, per hoc quod ipsa deicida sit facta. B

Non attrectabitur uenatio.] Quod suprà dixit, Disperdam uenationem tuam, hoc iamnunc repetens, nõ porrò, inquit, abs te tractabitur uel attrectabitur uenatio: hoc est, non uincetur abs te aliqua ciuitas uel regnum, neq; uenaberis diuitias & tributa: hæc enim extitere uenatio tua. Venatio autem ueteris Hierusalem, omnes prophetæ fuerunt. Non igitur amplius in te uates erit, neq; quenquam prophetarum uenaberis, uel casibus tuis irreties.

Vox flagellorum, & motus rotarum.] Tanquam audire uideatur, & intuerí propheta imminentia belli mala, sic ea denarrat, perinde quasi iam præsentia essent. Veluti enim uocem uel sonitum exprimit flagellorum, quibus equi ad acriorem cursum excitantur: & motui rotarum adsimilari dicit strepitum.

Et equi persequentis.] Repete, Vox. Videtur enim audire equi insequentis hinnitum, qui animaduersa uelut uictoria, ceu pro epinicio, hinnitum edat: superbũ enim quiddam equus. Hic quum dixisset uox flagrorum, indicauit iuxtà quis esset qui flagris cæderetur, equus uidelicet, ut uehementius persequeretur.

Currusq; subsultantis.] Quum dixisset, Vox motus rotarũ, apertius iam monstrat, quod ea uox sit palustri sonitus, è cursus impetu succussi.

Et equitis ascendentis.] Vox inquit equitis ascendentis, hoc est, turbulenta & alacris uociferatio: quippe quia equites ascensuri uel equos uel plaustra, tumultuantur & uociferantur alacriter, sese inuicem adhortantes.

Fulgentis quoq; mucronis, et coruscantium armorum, ac multitudinis uulnerum, grauisq; lapsus.] Non amplius hic Vox subaudiẽda est, sed uisio. Videtur enim intueri in fulgentes gladios, thoraces, præterea & alia coruscantia arma: multitudinem etiam uirorum, partim uulnera infligentium, partim cadentium cum pondere armorũ. Talia & de ijs qui Hierosolyma obsederunt, depopulatiq; sunt, opportunè intelligi possunt. Multa enim contigerunt tum execratis Iudæis.

Nec erat finis gentibus ipsis, & debilitabunt corporibus à multitudine fornicationis.] Gen-

nis.] Gentes quidem multæ, adeoq; numero uacantes, Nineui urbi subditæ, uenient
A ut ei suppetias ferant: ueruntamen corporibus suis quibus cõfidebant, ceu bene ualen
tibus, ægrotabunt. Quam ob causam? Quia fornicationi planè studuerunt, uitæ condi
tione moribusq; fornicantes, ex omni uirtute, ipsa quoq; tẽperantia excidendo, abq;
uero Dei cultu ad idola dilabendo. Gentibus dein Hierusalem, hoc est, habitatoribus
eius gentium mores æmulatis, non aderat in copijs finis: conuenerant enim potiores
in ipsam, ut Iosephus tradit, debilitati sunt aũt corporibus suis, fame macerati. Quam
ob rem? Quoniam fornicati sunt & defecerunt à Christo, dicẽtes: Ne scribe, rex Iudę
orum. Atqui facile languore corripiuntur corpora nimiæ scortationis causa. Nemo
enim lasciuus, libidini deditus, robustum corpus habet. Quocirca si quis miles maxi-
mè fortis esse gestiat, temperatè uiuat, & à scortatione abstineat.

Scortũ pulchrũ & iucundũ. Corporali etiã fornicatione meretrix erat Nineui, ob
deliciarũ affluxũ impudicè uiuẽs. deinde propter idololatriã scortũ appellat. Pulchra
& iucũda ideo meretrix, quod excellentiæ, gloriæ, opũ, aliorũq; bonorũ causa prę-
clara sit, nec paucis amabilibus & urbanis rebus exuberet, ueluti aliarũ ciuitatũ regina.

Dux incantationum.] Hoc est, meretrix referta præstigijs, ac princeps aliarũ in
carminibus seu ueneficijs: magia enim & incantamentis, alijs Assyrij præeminebant.

Vendens gentes in fornicatione sua, & tribus in incantamẽtis suis.] Nõ satis erat,
inquit, propria impietate tibi, uerumetiam subditas tibi gentes, eadem tecũ agere co-
gebas: uenundabas eas, ac seruas cum fornicationi, tum ueneficijs faciebas. Vel, magi
suis effascinationibus usi, pollicebantur cunctis ad bellum egredientibus, se hostes suo-
os debellaturos, ac propterea mercedem accipiebant. Vendebant igitur gentes ac tri-
bus, mercedem dantibus per incantationes suas, promittẽtes uictoriam de hostibus.
Sic & Balaam regi Balaac promisit populum Israeliticum, sub iugum eius olim uen-
turum. Quod si intelligas hæc de Hierusalem, uidebitur Naum tantumnon eadẽ cũ
B Esaia dicere: Quomodo facta est meretrix ciuitas fidelis Sion? Atq; hic pulchra & iu Esa. 1.
cunda seu gratiosa Hierusalem dici intelligitur, quod acceperit legem, quę & ipsa gra
tia erat. Gratiam enim, inquit, pro gratia. Sed facta est scortum, quando defecerunt à Ioan. 1.
Domino, dicẽtes: Durus est sermo ille. Quis potest ipsum audire? Et rursum quando Ibid. 6.
dixerũt: Tu es discipulus illius, nos uerò Mosi sumus discipuli. Ac tandem quum si- Ibid. 9.
mul omnes clamarent: Non habemus regem præter Cæsarem. Eadem est dux uene- Ibid. 19.
ficiorum, ducibus, primatibus, & principibus eius, hypocrisi, falsis q; doctrinis intoxi
cantibus populum, ac uendentibus eum dæmonibus. Anima quoq; pulchra sanè à
Deo condita est, & gratiosa, blanda, iucunda, inspirationis gratiam accipiens: fit aũt
meretrix, quãdo ab uoluptate incãtata fuerit, effascinataq; ut à uero bono deficiat us-
queadeò, ut uel alijs ducatum præstet in ueneficijs uoluptatum.

Ecce ego super te, dicit Dominus omnipotens.] Ne putes, inquit, hominem Cy-
rum bellum aduersus te moturum, sedenim ego exurgo aduersum te, Dominus nimi
rum omnipotens: itaq; ingentem aduersarium accipe.

Et reuelabo posteriora tua in faciẽ tuã.] Verba facit, ueluti de muliercula loquere
tur amata, quę quantũ ad uultũ externamq; pulchritudinẽ attinet, digna intuentibus
eam, quæ ameẽ, apparet. Cæterùm, si quispiã ipsam nudauerit, corporisq; deformia
palàm demonstrauerit, omnino turpis erit. Quare hunc in modũ ait: Retegã ò Ni-
neui postrema tua: hoc est, quantũ deformitatis in te antehac occultatũ fuerit, nunc in
propatulũ collocabo, ut uideatur ante conspectũ tuũ, utq; contumelia pro gloria te cõ
prehendat: ac omnino iniquitatẽ tuam patefaciã, per supplicũ super te inducendum.

Ostendamq; gentibus dedecus tuum, & regnis ignominiam tuam.] Videbaris
quidem nullis non gentibus & regibus formosa esse, incantamentis tuis munita, illis-
que te plurimum aduersus hostes posse rata, me isthucipsum æquo animo ferente. at
nunc excitatus aduersum te, monstrabo gentibus quas uicisti, quod neq; tum tu fortis
fueris, quando eas subieceris tuo imperio, sed me ea uoluntate fecisse: ac regna quæ te
antea tanquam fortem deuenerata sunt, nunc imbecillitatis tuæ ignominiam agno-
scent. Hæc & ad futurum iudicium referri queant, quando cuilibet peccatorũ in fa-
ciem reteguntur, quæ ipse in tergum & clàm peregerit, hoc est, deformitas flagitiorũ
ab eo commissorum. Ostenditur etiam confusio & ignominia reliquis gentibus &

regnis, iuxtà ac iustis, qui unà cum Christo regnabũt, si modò hic compassi sint. Porrò quando diuinum uerbum animum usq; peccantis contigerit, ac ad sensum perduxerit prioris in malitia transactæ uitæ, talem tum ignominiæ reuelationẽ facit, iamq; prius abdita, per apertam promulgationem referat, panditq;. Cõmonstrat etiam uerbum Dei dedecus operum gentibus, hoc est, dæmonibus, dum agnoscunt mortales se propter opera, ipsorum ex instinctu promanantia, pudefieri, unde non amplius eos aceedũt. Iidem, dæmones dico, multa etiam regna dicuntur, ueluti multifariam in homine, per peccatum regnantes. A

Et inijciam super te execrationem, secundum impuritates tuas.] Hoc est, talem te faciam, ut omnes te uidentes execrentur. Deinde, ne quis dicat quod Deus alios quidem execrabiles, alios uerò celebres faciat, ac sic omnia iuxta diuinam dispensationẽ fiant, subintulit, Secũdum impuritates tuas: indicans quod iustè super te inducã execrationem, eo quod impuritates habeas. Impuro autem quid aliud conueniat, quàm ipsa detestatio? Quare nemo Deum accuset, si ipse homines execretur: cæterùm propriam impuritatẽ in iudiciũ uocẽt. Hoc pacto super Hebræos proiecit execrationẽ, propter impuritates ipsorũ, tum alias, tum eas quas ex interfectione Domini contraxerunt. Manus enim eorũ immunditie, uelut sanguine plenæ. Iuxta mensurã autem immũditiei cuiuslibet, inducit etiã abominatio æquè respondens, ut neq; maior neq; minor sit, Dñi & iudicis mansuetudine ac bonitate, hîc ita misscẽte, dispensanteq;. Insup in futuro iudicio, alius alio abominabilior erit, iuxta mensurã operũ impuritatis.

Et ponam te in exemplũ.] Hoc est, celebria reddã & diuulgabo supplicia tua, ut si quãdo ciuitas quæpiã, uel regio pereat, dicãt aliq: Interijt ea ciuitas eque, atq; Nineui.

Et omnis qui te uidebit, descendet ab te.] Defossa etenim te ac diruta, quisquis astiterit cadaueribus tuis & ruinæ, etiamsi antea tibi infensus fuisset, ægreq; tulisset potentiam tuam, inspecta iam uastitate tua ualde grandi, descendet à talibus ruinis ac populatione, desilietq;, ut qui tantam non possit intueri desolationem: uel metuens, ne & ipse huiusmodi aliquid patiatur incommodi tantam ob solitudinem. B

Dicetq;, ô miseram Nineui. Quis deplorabit ipsam?] O miseram & calamitosam Nineui, quis tantus luctus inuenietur, qui dignè ipsam lugeat? Siue quod ei non sit relictus quispiam è suis, qui eius infortunium defleat. Vnde etiam subdit.

Vnde quæram consolationem ipsi?] Cum cæteris urbibus sic quidem agitur, uel regionibus, ut mortaliũ pars intereant, pars seruentur, ac seruati quidã consolationis locõ sint: apud Nineui uerò nõ est inuenire cõsolationẽ, tota eĩ interitui est tradita.

Apta chordam, para te pars Ammon.] Ad Alexandriã hæc adhortatio pertinet, & si nondum sub id temporis eam habuerit nomenclaturam. Ipsa enim est, quæ uocatur On, siue Ammon, utpote quæ dicata sit Aũoni Deo, adeò celebri apud Græcos, ut minimè pauci ex Græcia, oraculorũ causa eò sint profecti. Quinetiam Alexander ipse Macedonum rex fertur ad hunc ueluti patrem suum se contulisse, oracula ab ipso accepturus. Postquã igitur uniuersa Aegyptus, deinceps ab Alexandro, Alexandria appellata, ab isto dæmone pependerit, uocat eam uates Naum partẽ Ammonis. Proinde malorum sanè plurimum & ipsa ab Nineuitis sustinuit: siquidem bellum gesserunt aduersus totam Aegyptum, unde inuentos illic Israeliticos transfugas, indignis admodum modis acceperunt. Præcipit itaq; iamnunc ipsi On, ut aptet chordam, paretq; citharam, tanquam uoluptatem capiens Nineuitarum ex pernicie, ideoq; festũ diem instituens: quemadmodũ & suprà demandabat Iudæ, ut ferias celebraret.

Habitans flumina.] Nili deriuationes, flumina nominat.

Cuius imperium est mare, & aqua muri eius.] Omni ex parte, inquit, Ammon tutam munitionem habet: ab septentrione mari firmata, ab meridie Mærotide palude, exuberans etiam Nili brachijs, ut mœnia sic paludes inaccessabiles efficiens.

Aethiopia robur eius & Aegyptus, & non est finis fugæ tuæ. Phud & Libyes auxiliatores eius. Auxiliatores & socios numerat, ostendens nedum ex loci positu cõmunitam, uerumetiã eorum qui socia arma iungant, potentia. Phud uerò nominat occidentem uersus sitos Libyas, qui nunc Aphri dicuntur. Quanquam adeò sis munita, inquit, pars Ammon, nimirum alueis & paludibus Niloe aquæ, mari, & amne Mæotide, iamq; cõmemoratis adiutoribus: in fugam tamen uerteris ipsa tu, nec finis erit

fugæ

fugæ tuæ. Pars Ammonis, ex gentibus etiam est constituta Ecclesia, quæ habitat fluuios, dulces nempe euāgelij gratię aquas: in cuius circuitu aqua est, spirituale dico baptisma, muniens ipsam undiq; . Hæc dominatur mari, id est, tentationem aduersātibus, huius uitæ fluctibus, marinisq; hæresibus siue capturis: nec uincit tamen à quapiā horū: etenim Ditis portæ non præualent aduersus ipsam. Eadē & sua post baptisma mœnia habet, aquā puta pœnitentiæ lachrymarū. Tum Aethiopia & Aegyptus sunt fortitudo eius: nam Aethiops Eunuchus primus ex gētibus baptismate tingitur. Ac Dominus Aegyptū primū uisitauit, quando à natiuitate sua statim illuc fugit. Nec exiguum robur est ecclesię prędonio, tales gentes ad ipsam accurrere. Prędterea Libyas etiā, qui in die pentecostes spiritus paracleti præsentiæ inciderunt, auxiliatores habet, qui ex linguarū dono testificabant, diuinā esse eam prędicationē. Huic fugere quidē semper conuenit, cùm ab impietate, tum ab semper persequente nos, per omnia & opera & sermones uidelicet satana, ut ne in fuga gradum figere deprehendatur.

Et ipsa ad transmigrationem proficiscitur captiua.] Alexandria uidelicet, ac tota Aegyptus. Etenim Nabuchodonosor depopulatus est hanc: à Cambyse uerò dehinc Cyri filio, regno eius dissoluto, Persis tributum pendere coacta est. Prędterea Alexander Macedonico imperio Aegyptum etiam subiugauit.

Infantesq; eius in terram præcipites dabunt, ab initio cunctarum uiarum eius.] Hoc est, tantam sæuitiam inimici eius demonstrabunt, ut uel infantes occidant, ipsorum capita terræ illidentes: hoc enim est in terram eos prędpitare, idq; facient in principijs uiarum, hoc est, in triuijs, ad maiorem trepidationem pertranseuntium, quippe qui uideant, quod neq; dignissimis uenia parcant.

Ac super omnia preciosa eius facient sortes.] Vt dissipentur citra prędium ingens & effœminatē, non solum facultates & pecuniæ, uerumetiam corpora celebria, ueluti uxores & pueri, ut seruiant ijs quibus sorte obtigerint.

B Omnesq; optimates eius ligabuntur manicis.] Adeò erūt miseri, inquit, ut neq; in bello occidantur, quod fortiū est uirorū: sed uinciātur mulierculārū ad modum, ignobiliumq; homuncionum instar, ut serui. Atqui optimates existentes abierūt in transmigrationem. Et synagoga eorum qui Dominū occiderunt, tum infantes synagogæ alumni, elementari & imperfecto legis enutriti lacte, in terram illiduntur, in eo perseuerantes, ut nihil sublime intelligere queant. Hoc uerò patiuntur à fastu, qui est principium omniū in præceps uergentium uiarum ipsi synagogæ, quæ Deum occiderat. Ac super omnia celebria eius, super ipsam nempe summi sacerdotij unctionem atq; uestem oblongam sacerdotum principijs & sacrificia, iactæ sunt diuinę in ecclesia sortes, à quibus & sortiti, uel electitij, Clerici uocantur. Non enim humana gratia, cæterum diuina sors, siue donum electorū huiusmodi uidetur. Illorū itaq; celebria Deus spiritualiter nobis sorte quadam impertijt. Optimates eorum Pharisæi, scribæq; manicis ligati sunt, nihil legalium efficere ualentes, eo quod Dominum uinciuerunt.

Tu ebria redderis, erisq; despecta.] De particula Ammonis hactenus memorata uaticinatus, rursum iamnunc sermonē ad Nineui transfert, inquiens: Hæc illa quidē patietur, tu uerò ceu tumulētia quadā traderis calamitati. Neq; à me Domino tuo, ut qui te adsperneī, seruaberis, quouis, ut antea, malo superior, peccatis eīm te tuis tradā.

Quæres tibi ipsa statum ex inimicis tuis.] Postquam temulentiæ meminisset, perseuerat in eodem tropo. Delata, inquit, & instabili gressu hinc inde nutans, temulentorum in morē, quæres tibi statū seu libertatē ex hostibus, sed nō inuenies, perpetuæ fugę intenta. Ebrij facti sunt animo suo etiam qui Dominum occiderunt: uirus enim draconum, uinum ipsorum: unde à Domino neglecti sunt, nunquam non & ipsos & familiam ipsorum intuente. Audierunt ergo, quod Solomon precatus est: Ecce relinquitur domus uestra deserta. Quærent stare denuò in Hierusalem, ut finis imponatur dispersioni & persecutioni, neq; tamen quicquam quod inquirunt, inuenient.

Omnes munitiones tuæ, ut ficus fructus habentes si quassatæ fuerint cadent in os edentis.] Munitæ, inquit, ciuitates tuæ hostibus tradentur. Vt enim ficus fructus habentes, hoc est, ficus tempestiuos & prorsum maturos, si à uento concutiantur, uel ab homine potius, uolente illis uesci, facile istos projiciunt à sese, quos arreptos homo comedit. Non dissimili pactione, citra sudorem urbes tuę habitatores suos ejicient, ut in

ora hostium incidant. Munimẽta synagogæ, sunt Pharisæi: deín obseruationes legis A
secundum literam, cum traditionibus ipsorum, quæ fructus quidem habent, dulcedinem tempestiuam & mollem præ se ferentes. Istæ Christi aduentu decussæ ceciderũt in os humanas semper traditiones deuorantis satanæ, ut in posterũ diabolici sint sermones, digní idcirco illius ori. Animæ quoq; peccantis munimenta sunt uoluptates. Nam per uoluptatẽ detinemur in peccato. Hę sunt, uoluptates dico, ficus maturas primo patri Adamo ostensas, habentes. Formosus enim aspectu erat & pulcher esu, qui illũ necí dedit fructus. Decutiuntur aũt à uerbo Dei quod in nobis est, ipsam instabilitatem prodente, nihilq; uberius atq; mœrorem easdẽ proferre indicante. Cadunt prius firmæ iudicatæ. Non enim resistere queunt uerbi motui, adeò ut qui antea tales manducauerít, aperto nunc ore diem illis dicat, tanquam deceptricibus, easq; planè cõtemnat. Ficus hoc pacto fuerunt, in Bersabee & Vrien peccatum, tempestiuo suo fructu demulcentes Dauidem. At uatis Nathan reprehensione cõcussæ, inciderũt in os, iucundè ipsis antea uescentis, describentisq; eas in psalmo quinquagesimo.

En populus tuus, ceu fœminæ in te.] Hoc est, fortissimi quiq; milites trepidatione constricti, nihil discrepabunt à fœminis. Hoc autem patiẽtur in te, hoc est, propter te & peccata tua, superbiamq; tuã. Strenui quidẽ sunt & fortes per sese, uerùm tu ipsos meticulosos reddidisti, ad irã cõmouens Dominum. Populus etiam tuus, ô Hierusalem reiecta, fœminarũ induerũt mentẽ: nihil uirile demonstrare possunt, contra errorem, quo sunt imbuti: cæterũ praua docentibus eos, restitutionemq; promittentibus animum aduertentes: idq; patiuntur in te, hoc est, propterea quod respiciunt ad te: te qúe ô Domine recipere sperant, non intelligentes aliam esse Hierusalem indissolubilem, ipsam ecclesiam, quæ mater est omnium Christo credentium.

Hostibus tuis apertæ, aperientur portę terræ tuæ, absumet ignis uectes tuos.] Portæ, inquit, urbiũ terræ tuæ, recludentur Persis, aliæ quidem citra laborem, tanquã obseruarent eas illi, ideoq; ultro admitterent: aliæ uerò obsessæ, ac repagula igní absumpta tenentes. Vel non tantũ de portis urbium hæc dicit, cæterùm indicare uult, totam terram tuam ad impugnationem, incursionem, & interitum traditam esse, quæ antehac adeò erat inaccessa hostilia audẽtibus, ut ueluti quibusdam portis munimina sibi præberet. Vectes tuos, hoc est, omnem potentiam tuã & munitionem, securitatemue: ignis, hoc est, hostium intolerabilis & flammea uis, insumet, perdet. Terra, ludæorum est respublica, iuxta literam legis traditionumq; in imo iacens. Ea portas habebat ad spiritum ducentes, quæ gentibus apertæ sunt: quas cùm inimicas tum execrabiles, qui ex circumcisione erant, reputabant. Ipsorum repagula, id est, munimina pharisaïcæ doctrinæ, ignis euangelici & spiritualis sermonis deuorabit.

Aquam circuitus attrahe tibi ipsa, occupa munimenta tua.] Hoc est, munito aquis propugnacula tua teq; ipsam. Nineuitæ, Cyro eos obsidione tincturo, metuentes captionẽ sui, fossis foris effossis, multũ aquæ partim eisdem immittentes, partim per reliquã planitiem ducentes, ut palustria fierent, arbitrabantur se inimicis ad urbem aditũ adempturos. Hoc igitur per ironiam inquit Deus: Munito te iamnunc per effusionẽ aquæ mœnia tua circunfluentis, ac præsidijs in propugnacula, turres, idq; genus alias munitiones locandis. Aqua circumcirca cingens Pharisæorum etiam doctrina erat, ambiens concludensq; legem, eamq; sibi uendicantes. Munitiones, ut sæpe dictum, sunt traditiones quas tenent. Dicat & quispiam ad delinquentem animam, igni uoluptatum perustam: Attrahe tibi ipsa aquam circuitus, hoc est, Dei continentis omnia, uel euangelij continentis iam terrarum orbem. Occupa munimenta tua. Dedit enim tibi ab natura Deus munitiones, intellectum & rationem: quam si tenueris, non facile ab inimicis tuis capieris.

Inscende in lutum, conculca paleas, obfirma te super laterem.] Perseuerat in ironia, uideturq; consulere ipsis, ut munitionum curam gerentes lutum fingant, stipulisq; paleis misceant, ut ita lateres faciant. Later enim dum coquitur, ad firmas structuras paratur. Ecquid dicam, para tibi lateres? immo laterибus quædam firmiora tibi compara, perq; talia munitionem tibi instrue, fortisq; esto.

Illic absumet te ignis, te funditus perdet ensis, deuorabit te uelut locusta, grauaberisq; in morem bruchi.] Illic, pro tum, intellige, Nihil, inquit, huiusmodi tibi cogitationes

A tiones proderūt. Nam si ipsam coctis lateribus muniueris, uel alia materie lapides co
ctiles illos firmitate sua uincente, tum te urbem hostilis exedet ignis, incensam unà
cum ædificijs tuis. Ciues & habitatores tuos absumet penitus gladius locustæ in mo-
rem depascentis fruges. Eriscp grauis ad fugam, ueluti bruchus, quando irrigatæ ipsi
fuerint alæ. Siue quod tu grauis sis futura, multisq; instructa copijs, auxilijs undicp ac
citis, ut bruchis innumerabilibus, copiarum tuarum causa equipareris. Verùm nihil
tibi commodabit. Tale est ergo quod subditur.

Multiplicare uelut bruchus.] Hoc est, accerse adiutores & auxiliatores, nec pau-
cas arma copias. Irridens aūt, ueluti in superioribus, hæc dicit. Lutū sunt legalia sacra,
tanquā corporalia. Palea est litera, fructū non habēs. Ridet igitur spiritus hæc sibi uen
dicantes, administrantesq;, monstrans ipsis, quod corporalibus quidē sacrificijs inser
uiant, qui tametsi alia iuxta literam accipiant, spiritus tamen ignē fortiorē fore, gladi-
umq; uerbi exterminaturū ipsos: quē & locustæ quidē æquat, celerē ob saltū eius, quo
modico uel temporis interuallo, super totā aliquā terram dispergit, perinde ac alio in
loco ait: Celeriter curret sermo eius. Quinetiā grauis eris, inquit, nimirū tu scriba, bru Pj.
chi in morem, ut non possis ad spiritualis contemplationis altitudinē exurgere, men-
tis tuæ alis uuida uita degrauatis. Vbicp deliciarū nomine malè audiunt Hebræi. Sic
apud Paulū, ubi ait: Quorū Deus uenter est. Præterea unicuiuis corporis amatori di- Philip. 3
cit ut in lutū cōscendat, hoc est, ut intueatur atcp perpendat propriū suū corpus, quod
lutū sit. Quid igitur lutū maiore, quàm margaritum, honore afficis? A tali limoso cœ-
no ereptus Dauid gratias Deo agit. Sed conculca, inquit, etiā paleas, hoc est, sterilia
opera, quæ cōburet uentilabrū dijudicationis habens uerbū Dei, igni inextinguibili.
Tum & ignis zelantis super preciosa re animæ tuæ absumet te, quā hostes ignobilem
fecerunt, suocp uiduarūt honore. Quia uerò locusta ipsa etiā magna Dei est potentia,
Christus aūt potentia Dei est, & idē sapiētia, ad Christū etiā minimè impio intellectu,
B locusta referri queat: quippe quia ipse omnē corporis uoluptatibus deditū comedens.
Qui, inquit, uult me comitari, abneget sese ipse, tollatcp crucē suam & sequatur me. Matth. 16.
Et iterū: Caro nihil quicquam prodest. Necp demireris, si locustæ Christum Dominū Ioan. 6.
equemus, quandoquidem & ipse se uermē nominet. Denicp grauaberis ut bruchus,
inserit, quando uidelicet uerbum euangelij descendens, guttę instar stillantis super ter
ram, inciderit alis eius, qui ad scelera, ad peccata leui uolatu ferri cōsueuit, tum grauis
sit ille, nec ob sui pondus facile ad corporis uoluptates transmoueri potest.

Bruchus impetu facto auolauit, exilijt uelut antellabus commixtus tuus.] Tu, in-
quit, multiplicasti auxiliatores tuos, commixtos uel confœderatos tecum existentes.
A multis quidem locis collegisti auxilia, ab illis tibi, obsidionis tempore, opem speras.
Attamen commixta illa turba, adiutrix tibi, bruchus propalàm uisa est. Cōfertim den
soq; agmine, pernici uolatu uenit, & euolauit, desilijtcp instar antellabi. Est autem An
tellabus locustæ species. Gentium populus brucho etiam similis est, extemplo à ma-
ioribus acceptam impietatem missam faciens. Sic proselytus commixtus Iudæis, desi
lijt ab legali errore.

Vt locusta quæ descendit super sepē in die glaciei. Sol ortus est ac desilijt, nec agno
uit locū suū.] Quemadmodū, inquit, locusta, cæteraq; id genus uolatilia, rore ac pruī-
na eorū alis superposita, sepibus insident atcp fruticibus, ut quæ uolare nequeant: sole
autem exoriente, absumentecp rorem, ipsacp animalcula calefaciente, expandūt alas,
& in alium transmeant locum: hunc in modum auxiliatrix tua turba, quandiu non
præsto sunt hostes, apud te permanent. Quamprimum uerò hostes ingruerint, pro-
priæ illi saluti consulent, teq; citra ullam opem derelinquent. Ascendebat etiam su-
per sepem legis potentia Dei, purificationes quasdam corporales perficiens, & mira
signa operans, uscp dum dies erat glaciei, hoc est, donec regnaret peccati ex Adamo
contracti hyems. Quando uerò secundus Adam peccati expers, sol iustitiæ existens
ortus est, desilijt diuina potentia ex legali sepe, ostendens ipsam infirmam esse, ut quæ
non posset mundam facere conscientiam, transijtcp ad fidem, quæ posset iustificare:
nec ulterius cognouit locum eius, quem antea occuparit, legis. Possunt & aliter hæc
omnia intelligi, ueluti si Deus ad corporis seruum dicat: Eia delicijs stude iuxta uo-
luntatem tuam: uolutare in luto, opera paleam redolentia facito: uerùm quid seque-

tur tandem? Ignis absumet te, gladiúsque te disperdet, uerbum uidelicet iudicans A
cupiditates & cogitationes cordis, quod ratiocinationes explorans, cuncta dissecabit, & alia quidem ad dextra, alia uerò ad sinistra collocabit, quando oneraberis pondere peccatorum, instar bruchi à pruina detenti, uictúsq; ad defensionē non transmeare ualens. Dein peccator haud desperans hic dicit, quod commixta ex omnis generis adflictionibus ratiocinatio tua, euolabit denuò, si modò uelis, tanquam bruchus, soluto errore. Porrò locusta quæ in te est, siue uerbi Dei potentia ascendens iamnunc, acquiescens in sepi, hoc est, in peccatis (sepes enim sunt illa, dissociantia nos, ut sæpe diximus à Deo) desiliet ab hac sepi, ubi à Christo calfacta fuerit.

Væ ipsis.] Veluti compatiens, luget Nineuitarū auxilia, Væ, inquiens, illis, qualia quantaq; patient? Vel tanquā miseratione tactus, hæc ait, quod socij isti uocati periculorū cōmunium in rebus bellicis, prodiderint eos à quibus acciti essent, curantes quæ ad suam securitatem pertinerent, ac propterea terga fugæ dantes.

Dormitauerūt pastores tui.] Hoc est, reges tui & satrapæ tui in soporē delapsi sunt, id est, in dissolutionē prioris suę potētiæ: uel in ipsā mortē ceciderūt, in p̄lio interfecti.

Rex Assyriorū sopiuit potētes tuos.] Cyrū intelligit Assyriū, ut qui ab Assyrijs & ipse deductus sit. Etenim Persas Assyriorū esse surculos, & ab ijs originē ducere aiūt. Ille, inquit, sopiuit potentes Nineui, in suprà memoratū somnū eos inducens. Pastores synagogæ, sacerdotes & reliqui principes sunt, quos dormitantes prę insania, qua contra Dominū laborabāt, sopiuit mentalis iste Assyrius, dormiētes somnū ad animę mortē. Quinetiā de unoquouis mortaliū hoc locū habet, quod quādo in soporē collocati fuerint pastores nostri, naturæ nimirū lex, et doctrinę uerbū, tū nos in soporē etiā delabi facit Assyrius ille, quē regnū nostrū strenuū efficit, quū seruus sit atq; desertor.

Abijt populus tuus super montes, & non erat qui exciperet.] Principibus & satrapis pereuntibus, reliquus populus ad fugam conuersus, super montes cucurrit, nec erat qui remoraretur eos, uel sistere eos gradum, ne porrò fugerent, faceret: cæterū semper ulterius fugiebant: uel, non erat qui eos à fuga colligeret, susciperetq;. Sic enim reliqui interpretati sunt. Populus etiam Hebræorum, ad montes, mentales feras continentes procurrens, non inuenit qui recipiat eum, uel errorem eius sistat. Qui enim re-
Osee 4. cipiat eum, quū dixerit: Repellam te, ne fungaris sacerdotio mihi? Deinde peccator ubi ascenderit ad montes arrogantiæ, elationisue, eoq; peruenerit, ut sese ne peccare quidem existimet, non habet qui ipsum resipiscentem susciperiat (Quomodo enim resipiscat, quomodo meliorem animi sententiam induat, qui sese haudquaquam peccare arbitretur?) ardens fastu, intumescenteq; cordis elatione, perinde ac sequentia planum faciunt. B

Non est sanatio contritioni tuæ, ardebat plaga tua.] Per metaphoram, ab excelso admodum loco decidentiū, & contritorum, ideoq; immedicabiliter æstuantium, hæc sunt dicta: Decidisti enim, inquit, & tu ab ingenti altitudine prioris potentiæ tuæ & & gloriæ: collisiq; sunt & contriti, commodissima tua, reges dico & satrapæ: plaga & uulnus tuum inflammatum est, tumorem ingentem præ se ferens, & incensionem ab materie multa. Quanto enim opulentior fuisti, tanto nunc inflammatio æstusq; doloris uehementior: quocirca non est sanitas, neq; curatio porrò: neq; quisquā de tua tam aduersa fortuna conquerens tui miserebitur, neq; priorem celebritatem & fortitudinem recuperabis. Synagoga etiam contrita, templo & urbe spoliata, nullam iam medicinam admittit: neq; amplius denuò ad pristinum statū reuocabitur, etiamsi errans, reuocationem sui tandem, assumptionemq; speret. Plaga enim qua percussa est, inflammationem nacta est. Materies autem inflammationis huius est Domini interfectio multa & magna existens.

Omnes qui audierint hanc de te famam, plaudent manibus super te. Quem enim non accesit adflictio tua semper:] Audientes, inquit, quæ de te passim diuulgantur, quomodo sis contrita, quidúe sis perpessa, recordati mala, quæ abs te acceperint, plaudent manibus super te, gaudentes propter adflictionem tuam. Nam tua antehac malitia, super omnes uenit, neminemq; non conturbasti. Non hoc tantū, uel illo tempore, sed semper. Quanto enim maiore felicitate, lætioreq; rerū successu fruebare, tanto acerbiorē & acriorē subditis tuis te exhibebas, ijsq; impendebas. Hæc omnes princi-

pes au-

A pes audientes, cogitemus Deũ iudicẽ, nostri in subiectos nobis affectus dispositionis-
que, astare: uellęq; ut nos mansueti simus erga obtemperãtes nobis, ut adeò nihil aspe
ri illis iniungamus, quod uires illorũ ferre nequeant: quinpotius quãdo res tales alijs
iniungẽdas, etiamsi ipsis impossibiles sint, dixerimus illis congruere, metuamus Dei
longanimitatẽ. Nec enim quod sibi talia placeant, contiscit, uerũ ut sinat nos osten-
dere, adeoq; proferre in medium nostram uoluntatem atq; consilium. Hinc est maxi
mè trepidandum, ut ne plaga incurabili percussi, uelut Nineui, discamus ipsi à nobis
quantum sit malum amarulentia, seueritasq;, ac multos deinde sortiamur adflictioni
bus nostris sese oblectantes, quos nos prosperitatis nostræ temporibus nunquã non
cruciantes, ceu diuini iudicij oblíti, decipiebamur: quum tamen iudiciũ illud Dei per
petuò excubias canens, dormitet quidẽ propter bonitatẽ ac mansuetudinẽ suam. At-
qui bene dirigat, bonaq; & mansueta reddat, cunctorũ principum et magistratuũ cor
da, bonus Dominus, donetq; ipsis hic per mansuetudinẽ gubernare sibi concreditos,
ut hic eius fruentes bonitate, nulla iuxtà amaritudine degustata, posthac cœlestibus
è dulcibus delicias percipiant, qui est ipse dulcedo, totusq; desiderium, resq; fidelibus
unicè expetenda, cui gloria unà cum sancto spiritu in secula seculorum. Amen.

VITA NAVM.

NAVM, si quispiam interpretur, ualet consolationem. Hic oriũdus erat ab Hel-
tasai trans Iordanem ad Bigabri, ex tribu Simeon. Post Ionan hic uates signũ dedit,
ab aquis dulcibus & igni interiturã urbem Nineui, quod & contigit. Ambiens enim
ipsam palus motu quodam eam demersit. Ignis item è deserto aduenies, altiorem ei-
us partem incendit. Mortuus est autem in pace, in terra sua.

THEOPHYLACTI BVLGARIAE ARCHIEPISCOPI COMPENDIARIA IN OSEE PROPHE-

B *tam Enarratio.*

CAPVT I.

SERMO Domini qui factus est ad Osee, filium Beeri, in diebus Ozię
& Ioathan, & Achaz, & Ezekiæ regum Iuda, inq; diebus Hierobo-
am filij Ioas regis Israel. Principium sermonis Domini in Osee. Di-
xit Dominus ad Osee: Vade, accipe tibijpsi uxorẽ fornicationis, &
liberos fornicationis, eo quod fornicãs fornicabit terra, relicto Dño
suo. Profectusq; accepit Gomer filiã Debilaim, & cõcepit & peperit
ei filiũ. Dixitq; Dominus ad ipsum: Voca nomẽ eius Iezrael. Paulò post ẽm ulciscar
sanguinem Iezrael super domũ Iehu, ac cessare faciam regnũ domus Israel. Eritq; in
die illa, conteram arcũ Israel in ualle Iezrael. Concepitq; adhuc & peperit filiam, & di
xit ipsi: Voca nomẽ eius, Non misericordiam consecutã: propterea quod nõ amplius
addam ut miserear domus Israel, sed opponẽs opponã me illis. Filiorum autem Iuda
miserebor, cõseruaboq; ipsos in Domino Deo suo. Nec seruabo eos in arcu, neq; gla
dio, neq; bello, neq; curribus, neq; in equis, neq; in equitibus. Ablactauitq; Non mi-
sericordiã consecutã. Et concepit adhuc & peperit filiũ, dixitq;: Appella nomen eius,
Non populus meus, nam & uos nõ populus meus, & ego non sum Deus uester. Erit
qúe numerus filiorum Israel, uelut arena maris, quæ nõ mensurabitur, neq; numero
comprehendetur. Eritq; in loco, ubi dictũ est ipsis, Nõ populus meus uos, uocabũtur
& ipsi filij Dei uiuentis. Congregabunturq; filij Iuda & filij Israel in idem, ac ponent
inter se imperium unum, & ascendent de terra, quoniam magnus dies Iezrael.

CAPVT II.

DIcite fratri uestro, populo meo, & sorori uestræ, misericordiam cõsecutæ: Iudica
mini cum matre uestra, iudicamini, quoniam ipsa non est uxor mea, egoq; non
maritus eius: adimãq; fornicationẽ eius ex facie mea, adulteriũq; eius ex medio ube-
rũ ipsius, ut exuam ipsam nudã, restituãq; ipsam tanq; in die natiuitatis eius, faciamq;
ipsam ueluti desertã, & collocabo eã ceu terrã uacantẽ aqua, interimamq; ipsam siti,
& filiorũ eius nõ miserebor, qm̃ filij fornicationis sunt, qm̃ fornicata est mater ipsorũ.
Rubore suffudit filios, ipsa quæ peperit, qm̃ dixit: Ibo post amatores meos, dãtes mihi

panes

panes meos, & aquã meã & pallia mea, & uela mea, uinũ meũ & oleũ meũ, & oia quę A
mihi conueniunt. Propterea ecce ego obturo uiam eius palis, & reædificabo uias eius, & semitam suam haudquaquam inueniet, sequeturq; amatores & non deprehendet eos: quæretq; ipsos, & non reperiet illos, & dicet: Ibo & reuertar ad priorem maritum meũ, quia melius mihi erat tunc, quàm nunc. Et ipsa non cognouit, quod ego dederim ipsi cibum, uinum & oleum, & argentũ multiplicaui ipsi: ipsa uerò argentea et aurea fecit Baal. Propterea conuertam, feramq; cibum meũ suo tempore, domumq; meam suo tempore, auferamq; pallia mea & uela mea, ne contegat deformitatem suam. Et nunc retegam impuritatem eius, coram amatoribus ipsius.

Hucusq; temporis edacitas Theophylacti in Osee primum & secundum capita deuorauit commentaria. Quæ sequuntur in undecimum usq; caput Enarrationes à blattis conseruatæ, noluimus perire, Christianæ lector, quo minus publicarentur: merentur enim tanti autoris insignes labores, sanctè exosculanda studia, Christum planè spirãtia monumenta, ne uel hæc eius minimè contemnenda fragmenta intercidant. Sunt enim huiusmodi, per quæ plurimum lucis Osee uati accedat, nec parum commoditatis sacrarum literarum alumnis adferatur. Textum hic iam inde à principio hactenus è Græcis bibliis adiecimus, ne acephalus diuinus hic prophetes prorsum esset. Insequitur porrò textus cum Theophylacti exegesi.

Et nemo eripiet ipsam ex manu mea.] Manum, diuinã potentiam, supplicia inferentem, nominat: quam etiam experti sunt Domini occisores, traditi Romanis. Peccantes etiam traditi satanæ ad interitum carnis, ut spiritus seruetur, iuxta eum qui Corinthi fornicatus erat, manũ Domini experiũtur. Castigantem etenim eos uim secundum diuinam dispensationem, uel permissionem Dei, manum uocabis. Sic & plagæ in corpore Iob, diuino permissu inflictæ dicebantur manus Domini.

Auertam quoq; omnia gaudia eius, festiuitates eius & neomenias eius, & sabbata, & omneis conuentus eius.] Nam ducti captiui Babylonem, neq; in cæteris rebus exhilarandi sese, neq; festa sua celebrandi opportunitatẽ habebant. Quomodo enim canemus, inquiunt, Canticum Domino in terra aliena? Quandoquidem neq; Deo B
purè seruiebant, neq; idolis, sed utroq; uersum inclinabantur. Nam Babylonijs traditi, neq; peragent festiuitates suas, siue sabbata & neomenias, neq; alias etiam ipsi Baal solennitates celebrabunt. Est aũt hic animaduertendum, festiuitates & conuentus græcè ἑορτὰς & πανηγύρεις, non esse idem. Siquidem panegyris esse potest, siue cõuentus, citra etiam ferias. Ἑορτὰι autem siue festiuitates, sine panegyri uel conuentu non sunt. Communior itaq; uox panegyris est. Hæc patiuntur etiamnum Christi Domini interfectores. Nec enim impijs gaudere licet. Vbi eñ hodie ipsis sunt feriæ, uel numeniæ, uel sabbatũ secundum legem? Præterea peccantes, qui lugere debebant & cõtristari, ac lauare in lachrymis stratũ, spiritali lætitia orbantur, neq; numenias habentes, hoc est, principium quoddã & generationẽ illustrationis spiritualis: neq; sabbata, siue diuinas ferias. Cõscientia enim non sinit eos bonã futuris de rebus habere spem.

Et exterminabo uineam eius, & ficus eius, de quibus dixit, mercedes hæ meæ sunt, quas dederunt mihi amatores mei.] Dixit, inquit, ab idolis accepi uitæ meæ commodantia, ut quæ præmium dederunt mihi cultus & adorationis, ut delicias percipiam ex bonis hisce. Perdam ergo, ait Dominus, ista: quandoquidem ea non mihi, sed idolis suis accepta referunt.

Ponamq; ea in testimonium, deuorabũt ea bestiæ agri, uolucresq; cœli, & reptilia terræ.] A uolucribus, bestijs, & serpentibus deuorata bona hæc, eo quod sit solitudo hominũ, testimonium dicent contra ipsos, quod non digni fuerint horum fructu. Ac propterea quidam illic interempti à Babylonijs, alij uerò captiui abducti, reliquerunt ea bestijs. Vel bestias Babylonios appellat, qui exedebant in agris bona, Israelitis propter obsidionem in urbibus cõclusis, & fame laborantibus. Poterint etiã per uineã & ficum lex & prophetæ intelligi. Vitem enim ueluti uinum, lætificans cor hominis, edunt, propter euangelicam administrationem, in qua operosi mandati causa etiam compressio est, nihilominus tamen etiam læta continet, propter cœlestiũ rerum promissiones. Nec enim dignæ sunt huius temporis passiones, ad futuram in nobis reuelandam gloriam. Omnino autem lex secundum spiritum intellecta, euangelij cùm gratiam tum conditionem in sese exhilarat. Hoc igitur pacto, lex & prophetæ sunt, uitis & uinea. Ficus identidem fuerunt, quoniam infanti Israeli dulces fructus proferebant,

rebant, terrestrium nempe bonorum promissionem. Si enim, inquit, audiueritis me, bona terræ comedetis. Asperitatem quoq; in foliis habebant ficus, hoc est, transitorijs & facile marcescibilibus rebus: non enim geennam interminabantur eis ac tenebras exteriores, uel quod ex cœlesti regno excidere deberēt, sed captiuitatem, seruitutem & mortem temporalem, talesq; id genus pœnas. Hæc igitur, nempe uitis & ficus, ablatæ sunt quidem ab Hierusalem, traditęq; sunt gentibus, quæ uolucribus cœli adsimilabantur, ob mentis suæ leuitatē atq; dementiam, eamq; ob causam, quod principi potestatis aeris subiectæ fuerint: bestijs uerò & reptilibus, propter efferos mores æquiparabantur. Hæ itaq; gentes Christum secutæ, qui factus est nobis sapiētia à Deo, ignorantiam suam, orbationemq; intellectus reiecerūt, ac sapiendo quæ superna sunt, ubi ipse Christus est, secus quàm antea institutæ, discentes ab ipso quod mansuetus sit, & humilis corde, morum suorum amaritiem correxerunt. Nam gentibus data est legis uitis. unde & Dominus in euangelio uitem suam elocabit alijs agricolis, genti uidelicet faciēti fructus suos. Vitis est etiam Dominus, qui dixit: Ego sum uitis uera. Ficus item, ceu dulcedo, ac totus desiderium. Sic reptilia gentes sumus, dum à Deo non excidimus per fornicationem, sed in Domino uoluptatē quærimus. Quando uerò peccatis coinquinamur, uolucres cœli facti, ob mentis ad alta spirantis affectionē, bestię uè agri, uel iumenta propter cū rationis nostræ tum animi feritatem (Animus enim, inquit, ipsis est iuxta similitudinem serpentis) tum diuinum in nobis uerbum, passionibus, motibusue subdidimus, à quibus abiumptum impastos nos relinquit. Matth. Ioan.

Et ultionem suam in ipsa, de diebus Baalim, in quibus sacra fecit ipsis. Apponebatque enotia sua & cathormia sua, & sequebatur amatores suos, mei uerò obliuiscebatur, dicit Dominus] Hæc, inquit faciam ipsi, propter dies illas, in quibus sacra fecit ipsis Baalim, hoc est, idolis Baal, illorumq; festiuitates celebrabat, omnigeno ornatu usa. Enotia igitur auribus imposita sunt ornamenta. Cathormia uerò, quæ ex collum ambiente ornatu dependent. Hormus enim colli, ceruicisq; mundus est. Itaq; ergo tali, ait, ornatu idolis ferias peragebat, mei uerò obliuiscebatur. Fortasse huiusmodi enotia & cathormia Hebræi gestant etiamnum, uanas Pharisæorum doctrinas auribus suis excipientes: quæ dum in corda illorum descenderint, cathormia etiam dici queant: quibus persuadentur, ut relicta denuò legali obseruātia, idolis festos dies instituant, siue figmentis opinione suæ, secundum quam templum, sacrificia, idq; genus cætera imaginantur. Proinde cum iuuenem conspexeris, lasciuiæ libidinisq; uerbis aduertentem animum, auribusq; talia excipientem, inq; cor demittentem potius, quàm temperantiæ, continentiæq; sermonibus auscultantem, ac idolis facientem sacrum (uoluptatibus dico, quæ uoluptates uerè non sunt, sed imagines potius uoluptatis, quod fructus, delectatioq; eorum temporaria tantummodo sit & uana, durantem uerò interim & æternantem, ut ita loquar, & uerum dolorem habeant) hæc prophetica ipsi recita.

Propterea errare faciam ipsam, constituamq; ipsam ueluti desertam.] Bifariam hoc intelliges, siue quod præparabo ipsam ut erret, deq; loco in locum transmigret, partim quidem quod fugiat, partim quod captiua ducatur, omnibusq; bonis suprà cōmemoratis ipsam priuabo: siue quod probè currentem in malitia, & ad simulacra abductam, ipsam declinare faciam, hoc est, eam transferam ab tali itinere, quod maximum sanè est beneficium. Aberrans enim à uia praua, hoc est, conuersus, ad bonum omnino iter traducitur. Faciam & ipsam desertam, siue aridam & inutilem planè idolis. Antea quidem uuida ipsis uidebatur, & inhabitabant in ea tanquam requiescentes ac omnino quieti dæmones: nunc uerò desertam eam reddam, nihil retinentem, quod idolis sit in delicijs, ac eam ob rem ipsis euitabilem. Sic & in euangelijs immundus spiritus transiens per aquis uacantia loca, non inuenit requiem. Sunt em̄ sanctæ Dei amantes aiæ, loca dæmonibus arida, aquaue carentia, ut quæ uitā ducāt, non placentē illis. Errare etiā fecit, passimq; uagari, Dñi interfectricē synagogā Deus, dispersis in uniuersum terrarū orbem Iudęis, neq; certam tenentibus patriā, unde tanquā desertos eos posuit. Huiusmodi & gentium antea multitudo erat, quæ deserta siccaq; dicebatur, de qua memoratū est, quod plures sint filij desertæ, quàm eius cui erat maritus. Vtinam autem unicuiuis ad uitia probè currenti contingat à tali itinere deflectere, Esa. 54.

ctere, uel transferri, & ab inordinatione seiungi, siue ordinatiorem uitam accipere, ut non porrò cupiditas & libido, rationi dominetur, quinpotius hæc sceptra super illas teneat. Hoc enim ordinis est, estq; desertam & aridã fieri concupiscentiam, si non habeat udam eã aquã, de qua Dauid precatur: Ne demergat me tempestas aquæ. Et alio loco: Nisi Dominus esset in nobis, aqua utiq; demersisset nos. Talis aqua tentationes satanæ esse poterint & insultus, in quibus non erigere sese, necq; natare ualentes animæ suffocantur.

Loquar etiam in cor eius, daboq; ipsi facultates suas inde.] Hoc est, efficiã ut ipsa sensum percipiat gloriæ necnon potentiæ meæ, propriorumq; suorum delictorum. Daboq; ipsi inde reuersæ à captiuitate uidelicet possessiones suas, id est, regiones ac terras, quas antea possedit, eiectis Chananæis: eorum enim terram hæreditariò inter se diuiserant Israelitæ. Aperte etiam hic gratiam per Christum cõmunicandam promittit, quando loquitur in cor eorum quos antea reiecerat Deus, perinde ac alio in loco ait: Dans leges meas in cor ipsorum, & in corda ipsorum inscribam eas. Erunt aũt omnes docibiles Dei: spiritum nempe Dei habentes, docẽtem eos omnia, Christumque habitantem in cordibus ipsorum. Impertit autem eis facultates seu bona ipsorũ, filiorum adoptionem, gratiam & gloriam, utq; unà cum Christo regnent. Quid uerò sibi uult, quod ait, Inde: hoc est, ab eo quod loquitur in cor ipsorũ. Inde enim talibus tantisq; bonis ditati sumus. Porrò cuiuslibet in Christũ baptisati facultates sunt, ipsa peccatorũ remissio, supernæq; in cœlis mãsiones, quas sibi quispiã obtinet, & acquirit, qualibet uia per hanc ad illam ducente. Quocunq; enim statu fuerit homo, quodcunq; iter uitæ ingrediatur, si seruari cupiat, necessum est, quod per uiam baptismatis & dimissionis noxæ, ad illud iter tandem proueniat, ad cœlestes habitationes ducẽs. Iam ut uariæ sunt illę mansiones, sic diuersæ ad eas uiæ, quæ tamen omnes per unum Christum eò tendunt. Huiusmodi bonis qui peccat orbatur, priuaturq;, quando uerbum Dei in eo conticuerit. At quando contacto corde eius, ad id loquetur, tum has illi facultates largitur inde, id est, ex corde. Regnũ nanq; cœlorum intra nos est, adeoque cor nostrum. Proinde uel aufert hæc à nobis bona Deus, uel donat nobis.

Et uallem Achor, ut aperiat intellectum suum.] Iesus filius Naue bellum faciens aduersus Hiericho, per præconem edixit, ne quisquam militum quicquam obtineret ex capta urbe spolij, ut quæ deuota & execrata esset: ei uerò qui aliquid retinuisset, mortem pœnam esse, tanquam sacrilego. Achor itaq; ex spolijs suffuratum aliquid ac deprehensum, lapidibus obruit uniuersus populus, imperante Iesu in ualle, quæ propterea cognominata est uallis Achor. Dicit igitur hic: Vallem Achor dabo eis. Dabo enim hic repetendum est, ut simulac intellexerint quid isthic Achor perpessus sit, & ipsi intellectum accipiant, aperta ipsis mente ne amplius transgrediantur, uel renitantur mandatis Dei, præsertim quum propter furtum Achor populus uinceretur. Post illius ergo mortem plorantes ac lugentes Deum sibi reconciliarunt. Proinde hic est prophetæ sensus: Quemadmodum ueteres illi propter ipsius Achor supplicium didicerunt, quantũ malum esset transgressio: consimiliter & illi captiuitatis nomine, sensum propriorum delictorum capient. Sic & Dominus Iesus, non morem gerentes mandatis suis, ac spolia huius mundi ad sese pertrahentes, nec reddẽtes quæ sunt Cæsaris Cæsari, quæ Dei Deo, in ualle perdidit. Est autẽ depressus locus siue uallis, ipsum peccatum: uallis quidem ceu humiles faciens & ad infera præcipitans: decliuis autem locus uel imus, eo quod nos à Deo dissociet. Achor uerò peruersio est: tantum enim, si interpreteris, ualet. Christus itaq; Hebræis per interrogationem ipsum tentantibus, ad eos unà ceu in uallem descendebat, eosq; sustinebat, interrogationes ipsorum difficilioribus solutu quæstionibus peruertens: nõ ut eos suspensos teneret, uerùm ut intellectum ipsorum aperiret, & ad ueritatis agnitionem perduceret. Quare quum sic eum interrogassent, Qualinam potestate facis hęc omnia? ex ipsis itidem percontatus est: Baptisma Ioannis ex cœlo erat, uel ex hominibus? Peruersio peccatum est, à naturali nos rectitudine subuertens. Nam Deus hominem rectum fecit, ipse uerò quæsiuit cogitationes conditionesq; & obliquas & multas. Quãdo igitur peccatũ in nobis uallem habuerit, uel humilitationem uel deiectionem: siue quando peccatum, uerbo Dei tangente conscientiam nostram, depressum fuerit, aperit nobis cùm intellectum

tum

A tum diuinarum rerum cognitionem. Dum enim penitus perdideris peccatores, in te cogitationes uidebis: hoc est, diuina cernes.

Humiliabitur illic, iuxta dies infantiæ suę, iuxtaq; dies ascensus sui ex Aegypti terra.] Quemadmodū, inquit, inseruierunt Aægyptijs, postq; egressum ex Aegypto, ascendētes ad Palæstinā in deserto adflicti sunt, tic illic, hoc est, apud Assyrios seruientes humiliabunt. Infantiam enim demorationem in Aegypto uocat, quod ibi populus multiplicari augeriq; primùm cœperit, quodque nondum lex illi sancita esset, sed liber esset. Legibus enim sancitis gubernari, uirorum est. Atqui beneficium est arroganti Hebræorum synagogæ humiliari, Christoq; subdi: perinde ac primū Mosi obtēperarūt, euocāti illos è terra Aegypti, ad libertatē. Deinde post egressum rursum ascēdentes obedierūt legē ferenti, Omnia, inquientes, faciemus, quæcūq; locutus est Ex
Deus, & morem geremus. Vt uerò ascendētes ex Aegypto, per mare transierūt, eoq; tandē pacto hæreditatē adierunt terrę: eandē ad rationem hodieq; ex ipsis credētes Christo, per baptisma in mortem eius transeundo, cœlorū regnum hæreditario accipiunt. Humiliet etiā quisquis iam renatus ex aqua & spiritu, in Christo infans est, eleueturq; super dono remissionis peccatorū, at dicat, Gratia sumus seruati, nō ex operibus iustitiæ nostræ quæ fecimus. Quod si ascenderit ex terra Aegypti, eoq; usq; perrexerit, in operatione uirtutum labors, ac peruenerit illò, ut dicere possit, Abundantius ipsis omnibus laboraui: adijciat ille, At non ego, sed gratia Dei.

Accidet etiam in die illa, dicit Dominus, uocabit me uir meus, & nequaquā appellabit me porrò Baalim, auferamq; nomina Baalim ex ore suo, nec mentionem ultrà facient eiusmodi nominum.] Non amplius, inquit, nomen meum, uel uocem illam Deus idolis suis apponent, neq; Deū dicēt esse Baal, in die illa, hoc est, in tēpore adflictionis, adeoq; captiuitatis: sedenim me agnoscēt Deū & sponsum suū iamolim ipsis aptatū, ac in posterū ne nominis quidē Baalim per idola Baal meminerint. Ad hæc
B cum ait, Tollam, eruā nomina Baalim: indicat quod hoc opus sum fuerit. Quomodo uerò ea exemit abstulitue? Nimirū dum iniecit eos in calamitates ac tribulationes. Et quum sol iustitiæ Christus effulsit, fecitq; diem, tēpus uidelicet aduentus sui, uniuersa idololatria sublata est, cùm ab Iudæis tum gentibus, ueriq; Dei cognitio omnibus communicat. Præterea in pœnitentibus, animiue sententiam in melius permutantibus, quādo lumen uerbi Dei refulgens diem fecerit, omnes imagines, simulacra, adfligentes ipsæ peccatorum uisiones uel spectra sanè auferuntur, nec ulterius uenter Deus fit, neque auaritia, quæ est idolorum cultus, unà cum alijs affectibus prauis & cupiditatibus locum isthic retinent.

Et feriam ipsis fœdus in die illa, cū bestijs agri, cumq; uolucribus cœli, & reptilibus terræ.] Vel hoc dicit, quod sicuti quū indignarer ipsis, tradidi fructus terræ bestijs & uolucribus & reptilibus, ita recōciliatis mihi ipsis, desistent feræ istę, tanq; & ipsæ persuasę, ut parcāt absumere fruges. Vel bestias et reptilia, excitatos insurgentesq; aduersum ipsos hostes intelligens, ait: Efficiā ut ipsi pacis fœdera sanciant cum Israelitis, ipsisq; familiarissimè & amicissimè utantur. Eam ob rem subdit:

Arcum etiam & romphæam, & bellum conteram super terram.] Vel in Iudæa, uel super uniuersam terram gestum. Pacem enim post Christi aductum in terra factam, hic sermo prænunciat. Atqui reuera, cunctis ferè mortalibus sub unum Romanorū imperium redactis, plerique motus quieuerūt. Præterea cum gentibus & Hebræorum synagoga Deus fœdus pepigit, uno ex ipsis ouili facto, ac utrisq; in unū coadunatis. Siquidē lapis angularis factus est, ut duos conderet extruerētue in unum nouū hominem, & per euangelicam legem inducta pace, & omnibus persuasis per ipsum, ut uel res corporis ipsius posthabeant, quas propter bella non pauca oriuntur. Qui enim dixit, Ab auferente tibi rem tuam, ne repete, idq; genus talia: pacem habere nos uoluit, quam & nobis reliquit. Hac pace fruitur, qui affectus suos prauos uerbo Dei subdiderit. At quando hoc fit? Quum interimens quispiam membra super terram testamentum fecerit. Testamentū autem in mortuis firmum est.

Et habitare te faciā in spe.] Non solum ab duritie captiuitatis te transferā, uerumetiam in patriā te collocabo, ac bonas tibi spes suggerā, persuadens tibi, ut cùm de præsentibus tum de futuris benè speres. Hęc ad ecclesiam quoque, ex gentibus & Iudæis

collectam dici puta, quam & nunc in domũ suam transtulit, ut illic commoretur, donansq; illi scelerum remissionem, simul sperare dedit cœlestia bona, cui & insequentia pulchrè conueniunt, quæ audi. A

Ac desponsabo te mihijpsi in æternũ.] Quid est mihijpsi? Vel, quoniã nõ per angelum, neq; magnũ natu aliquem, sed per se ipse Dominus nos seruarit. Patribus enim locutus est Dominus per prophetas, nobis autẽ per filium. Vel quia ueterẽ illam synagogam Mose desponderit, unde & ad ipsum: Populus, inquit, tuus iniquè egit. Credentem autem incarnato filij aduẽtui, ecclesiam sibi ipse despondit, quemadmodũ et
Ose. 2 Paulus testatur: Dico autẽ in Christo & ecclesia. Nec in æternũ sibi synagogam desponderat, nã temporaria erat legis seruitus: nunc uerò sibi in æterna secula despondet credentes. Ad animã pœnitentia quidẽ purgatam dicere etiam queat spõsus eius uerbũ, Habitare te faciam in spe: quando propter peccata ab ecclesia quæ est domus Dei uiuentis, illam segregãs, rursus eam conuersam recipit, inq; ea denuò cõmoratur, nec eam repellit ob impuram eius priorem uitam atq; superbiam: tum & melioribus eam spebus imbuit, quod cœlesti etiam sede recipienda sit, quãdo sponsus iam
Matth. 16 ipsi quoq; æternus obtingit, per uerbũ q̃d ait: Quæcunq; ligaueris super terrã, erunt ligata in cœlis: & quæcunq; solueris super terram, erunt soluta pariter in cœlo.

Desponsabo etiã te mihijpsi in iustitia, & iudicio, & in misericordia & miserationibus.] In iustitia quidẽ, quod perinde atq; per hominẽ mors, sic & per hominem resurrectio mortuorum. Homo eñ factus ipse, resurrectionẽ auspicatus est. In iudicio uerò, quod condemnauerit principem mundi huius. Quum enim in Christo non inuenisset princeps iste peccatũ, occidit eum Christus, hoc est, potẽtia spoliauit. Misericordiam uerò & miserationes erga omnes homines cõmonstrauit, quos non è suis operibus seruauit, uerùm per suam ipsius misericordiam, per lauacrum regenerationis & innouationis spiritus sancti.

Desponsaboq; te mihijpsi in fide, & agnosces Dominum.] Quoniam oportebat nos misericordia donatos, non segnes neq; desides ac inutiles esse, sed aliquid etiã adferre, dicit: Despõsabo te mihi in fide. Accedentẽ enim ad Deum credere necessum est. Nam illic in fide est agnitio Dei. Nisi enim credideritis, inquit, nihil quicq̃ intelligetis. Vide hic, quod non in sacrificijs, nec in legali cultu, sed fide desponsat Dominus, quos sibi desponsat, quare cessent etiamnum in lege ualde gloriantes. B

Eritq; in die illa, dicit Dominus, audiã cœlo, & cœlum audiet terræ, & terra exaudiet frumentum & uinũ & oleum, & hæc exaudient Iezraëlem.] Post cœlestium prędictionem bonorum, corporalia etiam illis dona pollicetur: Obaudiam, dicens, cœlo, id est, annuam cœlo, atq; permittam ipsi ut pluat. Quod etiam si naturam habeat, ut isthuc faciat, per iram tamen meam prohibetur, contrahitur. Tanquam enim ignominia adficeret cœlũ, quod consueta non faciat, ideoq; iam supplices ad Deum, ut facere illa possit, manus extendat. Exaudiam, inquit, cœlũ, ac tollam ignominiã hanc. Cœlum uerò obaudiet terræ, pro, implebit desiderio ipsius sitibundę ac pluuiæ indigentis, ueluti ipsa clamet propter siccitatẽ sui, quod conueniat solui squalorem suũ. Terra uerò placabitur frumentis. *

Desunt hic nonnulla.

Sapientiæ & cognitionis affluxibus, ac propheticorũ oraculorum irrigationibus, ipsos impinguat. Illi nanq; uerè prophetas habent, ipsisq; fruuntur, qui apud sese uaticinantes suscipiunt. Ad hæc, qui antea in terra egerunt, ac terrena spirarunt, habent frumentum & uinum, mysteriorum uidelicet acceptionem. Tum uerò demum ista capiunt, quando Iezraël fiunt & semen Dei, filij Dei facti, per regenerationẽ baptismatis in spiritu. Anima etiam usque dum peccat, nulla cœlestis super eam cogitatio cadit, sed enim terra facta, siue carne propemodum exuta, ac decarnata (ut ita dicam) arida est. Quando uerò desponsata fuerit uerbo, tum supernos adfluxus recipit atque cœlestia fluenta, ac producit frumentum, solidam nempe alimoniam & uiuificantẽ, ac uinum, diuinam nimirum lętitiam, & oleum, hilaritatem dico & mansuetudinem,
Gal. 6 ac erga infirmos tolerantiam patientiamúe, animaduertens Paulum dicentem: Si quis præoccupatus fuerit in peccato, uos spirítales corrigite hunc in spiritu mansuetudinis. infirmum autem in fide suscipite.

Et

A Et seminabo eam mihijpsi super terram, & miserebor nō consecutæ misericordiā: & dicam non populo meo, Populus meus es tu: ipseq; dicet, Dominus Deus meus es tu.] Hoc est, ipsam demōstrabo esse meam agriculturam, unde iustitiæ ac diuinæ cognitionis ac scientiæ semina in ipsam deijciam. Hæc aūt typicè tempore Zorobabelis contigerunt post reditū à captiuitate, secundum ueritatē autem post incarnationē filij Dei. Tum ēm qui crediderunt in ipsum, populus eius uerè appellati sunt, ipse uerò illorum Deus est dictus uerè ac purè, ac ueluti fœcundā sibijpsi seminauit terram filius Dei, animas uidelicet ad fidem accōmodas, quas & fructū proferentes iam cernens, quarum de numero animæ Samaritarum erant, dicebat discipulis: Attollite oculos uestros, & contemplamini regiones, quoniam flauescunt iam ad messem. Et rursum alibi: Messis quidem multa, hoc est, ad fidem parati multi: operarij aūt pauci, apostoli uidelicet, ipsos ad dicendū assumpturi, ac messem doctrina euangelij collecturi. Nemo deinde, cui Mammona & uenter Deus est, dicere potest uero Domino & Deo, Deus meus es tu. Ioan. Luc. 1

CAPVT III.

Dixitq; Dominus ad me: Vade, dilige uxorem, amantem praua, & adulteram, quemadmodum Deus diligit filios Israel. Nam & ipsi respiciunt ad deos alienos, amantq; bellaria cum uuis passis. Et conduxi mihi eam quinque ac decē argenteis, & modio hordei, & lagena uini. Dixiq; ad ipsam: Dies multos sedebis apud me, nec fornicaberis amplius, nec alteri uiro iungeris, & ego tecū ero. Eo quod dies multos sedebunt filij Israel sine rege, sine principe, sine sacrificio & ara, carentes denique sacerdotio & perspicuis.] Prior uxor quam accepit Propheta, figura fuit generationis prioris Iudæorum, fornicantis ac desciscentis à Deo ad idolorum culturam. Posterior hæc, quā nunc accipere uates iubetur, figura est captiuitate pressorū. Vt enim ipsa antea ab amatoribus seiuncta, prophetæ cohabitare uoluit, neque tamen ei admixtus sit propheta: sic illi primùm quidem existētes adulteri, tanq; ad idololatriam effusi, offerentes dæmonibus pemmata, hoc est, panes ex simila pistos, una cum uuis passis, (erat autem talis species oblationis dæmonibus grata, indicantibus offerentibus, quod ipsos habeant & frumenti & uini datores) abducti per captiuitatem, cessabunt quidem ab idololatria, & interim tamen neq; diuina uerè sacra facient, sed ociosi sedebunt & segnes, ut qui neq; sacrificare, neq; sacerdotio fungi queant, quandoquidem neq; altaria illis sint. Ablata autem sacerdotij functione, neq; perspicua erūt. Quid uerò hoc sit, iam disce. Sacerdotum principi dependebat in pectore quadrangula spithamæ longitudine texturula, siue textus panniculus, λογεῖον, id est, oraculi domus uel locus appellatus, duodecim lapides continēs, per quos futura denunciabantur summo pontifici, signis quibusdam diuinis in hisce factis: unde logeon hoc seu panniculus ille, manifestationem & ueritatem habere dicebat. Proinde eos non perspicuos fore dicit, id est, non habituros diuina signa, quibus futura cognoscant. Hæc quidem ad contextus explicationem pertinēt. Intelliges autem hic iuxtà, prius scortum typum esse synagogæ ante Christi aduentum, quæ & idolis dedita erat: at eam quæ nunc accipitur, esse figuram synagogæ post Christi in carnem aduentum, quæ & ipsa quidem à Deo adsumitur, propter eos qui ex ipsa secundum electionem gratiæ crediturí sunt. Hæc ipsa etiam adultera est, pharisæis & scribis doctrinas & mandata hominum docentibus se exhibens atque prostituens, nec uerbo Christi perfectè desponsata est. Conducit hanc uates quindecim argenteis, hoc est, quinque legalibus libris ac decē præceptis: literæ enim subijciuntur, perq; eam trahuntur, ut adeò Deū quidem agnoscere uideantur, etsi perperam. Nam qui filium non honorat, patrem ignominia simul afficit. Et, neq; me nostis, inquit, neq; patrem meum. Præterea ordeum irrationalem ipsorum alimoniam adumbrat, qua uescūtur, nihil spirituale neque dignum intelligentes animabus rationalibus. Nebel uel lagena uini temulentiā ipsorum ac cæcutientiam significat. Siquidem uidentes non uident, & audientes nō intelligūt, quod est ebrijs ac temeti plenis peculiare. Sedent igitur, qui Christo nō adhibuerunt fidē, immobiles permanentes in sua incredulitate: neque regem habentes cuius præsentiam ac administrationē sentiāt, neq; principē. Quinetiā ne iuxta animi considerationē quidem uel spiritualiter regem habent. In ipsis enim mens non sce-

ptra tenet, neq; dominatu fungitur, quandoquidē non sint filij liberæ Sarræ, quæ ualet dominantē quampiā: sed ancillæ, ad seruitutē generantis soboles. Neq; perspicuitas uel manifestatio in ipsis est, seu ueritas, uerùm cæci uerè in tenebris sedent, neq; ipsi ueritatē intelligentes, neq; alijs ipsam manifestare ualentes. Quomodo enim hoc ipsum possent, quū interemerint Dominū, crucifixerintq; eū, qui dixit: Ego sum uita & ueritas? Qui etiā nobis quę à patre accepit, aperuit: Quę em audiui, inquit, à patre meo, dixi uobis. Isti sunt quorū hic fit mentio, diligentes pēmata cū uuis passis, nō recipiētes panes, qui animā alere uidentur, quod illis & oblectatio & uoluptas nō inesset. Tales sunt omnino doctorū enarrationes, uuarū passarū dulcedinē habentes, sensibilia bona promittētes, quæ prorsum sunt marcida, facileq; labuntur. Similis est huius mulierculæ, qui Deo mercedis gratia inseruit, tēporariorumq; bonorū: diuitijs quidem per argenteos significatis, quorū numerus decadē & quinariū constituit, uti discas quòd talis mercenarij totum corpus, & animā & spiritū, sensus ipse sibi adunarit cōiunxeritq;: necessarijs aūt ad uitæ sustentationē per liquida & sicca indicatis, uini nempe & hordei, quod & quandā uitæ talis proportionē prę se fert. At em qui mercedis causa inseruit, celeriter ad alium Dominū transferet, quando merces desinet. De huiusmodi Dauid eximius uates & propheta ait: Confitebit tibi, quando ei beneferis: hoc est, gratias aget tibi Domine, quando beneficiū illi exhibueris: at si ea defluxerint, te è diuerso uituperabit. Consimili ingenio diuū Iobum satanas fore sperās cum impetijt, quocirca dicebat quoq;: Non frustra Iob colit Dominū. Nónne tu circumcirca quæ ipsius sunt, intus & foris sæpiuisti? Idem de Iobo sensit, qui eum ad maledicentiam compellens: Dic, inquit, uerbum aliquod ad Dominū, & morere. Porrò qui Deo talia propter bona seruit, & non propter ipsum honestum, pemmata cū uuis passis diligit, non nouam & euangelicam legem eligens, quæ etiam cruda esse apparet, ob uiuendi rationis duritiem, sed pistam quæ facile confici seu perfici possit, ac suauem. Quādoquidem uerò iuxta Parœmiasten, suauitatis sectator, ac labore doloreq; uacans, in penuria morietur, nō iniuria uel is ociosus sedet, neq; sacrū faciens, neque dicere ualens: Secreta & abdita sapientiæ tuæ manifestasti mihi.

14 15 Psal. 48 Iob 1 Iob. 2 Prou. 28 Psal. 50

Ac posthæc reuertentur filij Israel, & quærent Dominum Deum ipsorū, & Dauid regem ipsorū, cōstituenturq; apud Dñm & bona eius in nouissimis diebus.] Diuisæ fuerunt tribus, ut principio commemoratū est: scissæq; sunt in duo regna, quorū alterū decem tribuū erat, quod Israel & Ephraim dicebat: alterū duarum tribuū existēs, quod Iuda quidem sæpissimè, interdū uerò & Beniamin appellabatur. Secq; ita gesserunt, usquedū captiuę Babylonē ductę essent. Post reditū uerò ab captiuitate, sensum Dei percipientes duodecim tribus, Deumq; requirentes in unum sunt redactæ, unū iuxtà sortiti principem Zorobabel, quem & Dauidē nominarūt, quòd ex Dauidica stirpe esset: in quo & diuinitus datorū bonorū acceperunt fructū. Quoniā aūt & post completionem gentiū omnis Israel seruabit, exquirēt filij Israel p fidem regē Dauid, hoc est Christum, manu ualidum (hoc enim Dauid ualet, si interpretetur aliquis) qui æreis portis confractis, fortem sanè ligauit mortem, & spolia eius, nos uidelicet, diripuit. Referto etiam hæc ad interiorē hominem. Est em scortū & adultera, ipsa sensibilitas, oculos defigens ad aliena, hoc est, ad omnia quæ non sunt naturæ nostræ propria, neq; nos sequentia post fata nostra. Sic aliena res opes sunt: non enim dum moritur quisq; eas secum recipiet. Aliena res est gloria, nec em unà descendet cū ipso gloria eius. Aliena res est uoluptas, cuius & aliæ species sunt tēporariæ, & quæ edunt & bibunt in aluū per secessum euntia diffluūt. Proinde hāc sensibilitatē propheticus sermo inhabitās, facit eam sedulò abstinere à consuetis, declinareq; à uitijs, per quindecim argenteos, legaliū dico oraculorū: quinq; em legis libri sunt imperfectis ac secundum sensum uiuentibus dati: Dominicarū item perfectionū, ac perfectos faciētium. Siquidē denarius numerus est perfectus. Ac per uinū austerioris cōuersionis, memoriamq; æternorū supplicioru, perq; gomor siue modiū hordei, hoc est, tenuiorē utilioremq; uictū. Docet itaq; nō esse laudabilem talem desidiā: oportere enim filios Israel eos appellari, qui digni sint, hoc est, strenui, nō desides ocioúe torpentes: iuxtaq; conuenire, ut speculatiuæ mētis rex sit & princeps, qui imperet quid sit opus facto: sacerdotemq; præstò habere, qui mactet passiones seu affectus irrationalitatis, offeratq;

Deo

A Deo primùm ardentem animũ pro Dei gloria zelantẽ æquè atq; Phinees & Elias egerunt, indignantemq; transgressoribus: deinde cupiditatẽ, diuina desiderãdo, qualis Daniel erat, uir desideriorũ ideo uocatus. Sic tandem futurũ est, ut talem ductum actionẽ, superna etiã manifestatio sequat, adeoq; spiritus illustratio, ut dicere queas cum diuo Paulo: Nobis autem reuelauit Deus per spiritũ suum. Præterea à uitijs usq; ociosa anima, accipiet posthac Dauid regem, manu fortẽ, seu actuosa potentia ualidum, rapieturq; extra sese ad Dñm & bona eius. Verè eñ à sua natura desciscit anima, quando ab Deo super omnem naturam sublata, totaq; illic constituta, ipsius tantummodo bonis fruitur, saturaturq;.

CAPVT IIII.

AVdite uerbũ Dñi filij Israel, quoniã iudiciũ Domini erga inhabitantes terram. Quoniã non est ueritas, neq; misericordia, neq; cognitio Dei super terrã, execratio & mendaciũ & furtũ & adulteriũ effusa sunt super terrã, & sanguinẽ super sanguinẽ miscent.] Dicto, quod in ultimis diebus bonis perfruent, factaq; illis bona spe, ut ne desperẽt, nunc iterũ ad memoriã eis reuocat peracta ab eis mala, ut accelerẽt ad emendationẽ sui, ut quibus adeò benignus sit Dñs, qui sic uiuentes ipsos adhuc sustineat. Simul etiã hoc facit, ut sciant, quod iure eos Babylonijs tradat, usqueadeò sceleratos existentes. Propterea etiã inquit, iudiciũ esse Domino constitutũ. Est autẽ iudicij isthuc forum aduersum nos, in quo indicat tantũ, utpote, quod nõ iniuria uos perdere decreuit. Quare dicendo, Nõ est ueritas, neq; misericordia: docet qui fiat, quod hæc desint, inde nimirũ quòd non sit agnitio Dei. Dixit enim insipiens in corde suo, Non est Deus, ac propterea corrupti sunt & execrabiles facti sunt in studijs suis. Fortasse & aliquis è contrario opponat, quod eam ob causam nõ adsit cognitio & scientia Dei, quia non sit ueritas neq; misericordia. Longè eñ à peccatoribus abest Deus, perinde ac Salomon ait, Nec immeritò. Qui eñ animæ suæ oculis multũ puluerem
B iniecerit, eosq; excæcarit, quõ amâbo uidebit lumẽ? Execrationẽ aũt habet, & conuiciũ, & calumniã. Nam quũ ueritas nõ sit præstò, execratio, hoc est, conuiciũ, calũnia & mendaciũ adsunt. Quia uerò nõ adsit misericordia, cædes adest, ut sanguinẽ sanguini misceãt. Et quia cognitio Dei abest, furtũ & adulteriũ præter iam cõmemorata flagitia præsentia cernunt. Hæc de Dñi etiã interfectoribus dici queãt, quippe quia misericordia & ueritas ipse Christus est, & cognitio Dei: Qui enim me, inquit, uidet, uidet etiã patrẽ meũ. At ipsi eum nõ susceperunt, neq; in ipsis erat. At quid erat in ipsis? execratio, hoc est conuiciũ. Samariten eñ ipsum appellabãt temulentumq;, & ex fornicatione natũ: ac mentiebant contra eum, dæmonium habere eum dicentes, Deoq; ipsum repugnare adseuerãtes, tum in Beelzebul ejjcere dæmonia. Consimiliter furtum in illis erat: clanculũ eñ conducebãt mercede sua Iudã, per quẽ & eçdem Seruatoris persecuti sunt, persecerunt ue, ipsius sanguinẽ ꝓphetarũ cruori cõmiscentes, deinde apostolorũ quoq; adulteriũ postea omnino per sacerdotũ principes cõmittebatur, cõducentes annuò summũ pontificatũ, non sine iniuria eo utentes. Quod si anima terrenis rebus adfixa, terra nominet, uide quod ueritas & misericordia, nõ sit super talem terram. Nam qui mendaces diuitias amat, & uanas opes, & fraudulentã gloriã, ueritatẽ non habet, unde neq; misericordiã à Deo suscipit, neq; agnoscit ipsum in die reuelationis, Deũ hilarẽ uidelicet & mansuetũ, sedenim ueluti Dñm & punitorem. Quod deprecãs patriarcharũ quispiã dixit: Fiat mihi Dñs in Deũ. Sic cruorem ad cruorẽ miscent hæretici, qui seipsos per hæresim occidũt, aliosq; occidẽt ab se institutos. Et quãdo quisq; ipse animo corruptus, nouã animã assumpserit, eiusq; mores per prauam consummationem corruperit, sanguinem ille cum sanguine miscet.

Propterea lugebit terra & imminuetur cum omnibus habitãtibus ipsam, cum bestijs agri, & reptilibus, uolucribusq; cœli: quin pisces etiam deficiẽt maris, quod nemo neq; iudicet, neq; quispiam arguat.] Tantam, inquit, hostium multitudinẽ inducam propter talia opera uestra, ut nedum absumãt diuites qui bestiarum instar & reptilium pauperioribus immínebant, inq; eos irruebant, ac ueluti quibusdã alis, diuitijs & potentia * ferebantur.

Desunt hoc in loco quædam: interim contextum prophetiæ subijciemus.

Populus aũt meus ueluti sacerdos contradicens, languebit per dies, & languebit

propheta unà cum ipso. Nocti assimilaui. Aequatus est populus meus non habenti scientiam. Quia uerò cognitionem repulisti tu, repellam & ego te, ne sacerdotio fungaris mihi. Et quia oblitus es legis Dei tui, obliuiscar & ego liberorũ tuorum.] A

* * *

Vbi nunc est sacerdotium apud Hebræos qui Christum repulerũt, qui est agnitio, ut suprà memoratũ? Postquã & legem Dei obliuioni tradiderunt dicentem: Prophe-
12 tam uobis excitabit Dominus Deus, & uidebitis uitã uestrã pendentẽ coram oculis uestris, & nõ credetis. Ea propter obliuiscar, inquit, liberorũ, relictis illis ut circuncidantur carne, nec uero baptismatis sigillo signentur. Porrò ubicp in scripturis cognitio Dei quæritur. Præterea in uitæ nostræ cùm moribus tum operibus requiritur, ut ne peiori, ceu meliori incidamus. Quemadmodũ si ieiuni maneamus, uel nuptias propterea fugiamus, quasi hoc pacto cõtinentes perseueremus. Hunc enim ad modum etiamsi multa bona opera, ut apparẽt, genuerimus, obliuiscetur tamen eorum Deus, ceu talium, quæ secũdum legem eius non sint facta. Nemo enim corona exornatur, nisi iuxta legem athletam egerit.

Secundum multitudinem suam, sic peccarunt mihi.] Non possum, inquit, inuenire mensuram uel numerũ delictorum ab ipsis admissorum: unde non habens aliam dimensurationem hoc dico, quod quemadmodum ipsi innumerabiles sunt astrorũ cœli instar, arenæcp maris: sic & ea per quæ peccarunt mihi, adeocp flagitia eorũ, sub numerum non cadunt. Ingratitudinem ipsorũ hic pariter in medium confert, perinde quasi dicat: Etsi adeò à me beneficijs sint exornati, inecp tantam aucti multitudinẽ, attamen intantum immemores fuere beneficij, ut paria etiam multitudini suæ peccata erga me perpetrauerint, ut necp uxor neque puer, neque maior natu inueniatur qui mihi placeat. Consimiliter qui Dominum comprehenderunt, iuxta multitudinem suam inuaserunt ipsum. Sic in anima contingit, ubi unius ducis præsidatu repulso, perturbationes copiosæ factæ, peccant in Deum. B

Gloriam ipsorum in ignominiam conuertam.] Ipsi, inquit, suam sibi numerositatem gloriæ ducunt: At ego bello consumptos eos imminuã, paucioresep reddam, & iam inde ad ignominiã transferentur. Vel quod etiamnũ mala operantes, in ipsis gloriam & famã quærant. Tempus igitur ueniet, quando ignominiæ suæ opera cognoscent, eosep illorũ pudebit. Gloria eorum itidem in contumeliã alterata est, quando ipsi filij regni habiti, eiecti sunt foràs. Ac quum celebris apud eos circuncisio, nunc incelebris & ingloria est facta. Deinde quando accepto à Deo dono, malè utãtur quisquã, ut opibus uel eloquẽtia, ideocp relinquat eum Deus, ad ignominiã hoc ei uertij. Hanc ad rationẽ sapientes Græcos, in reprobã mentẽ tradidit, eos deserens. Sic opulentus ille acrius torrẽtur ceu in sartagine in geenna propter diuitias. Insuper in captiuitatẽ abducti Hebræorũ reges, qua gloriam, qua opes suas, ad uberiorẽ contumeliã tenuerunt. Nec enim perinde est in egestate natum aliquem captiuum abduci, & in regalibus opibus progenitum educatumcp, cui sceptra etiam commissa fuerint.

Peccata populi mei comedent, & in iniquitatibus ipsorũ accipient animas eorundem. Et qualis est populus, talis etiã sacerdos.] Populo in iudicium uocato, ad sacerdotale genus transcendit, inquiẽs, q̃d pro peccatis à populo oblata ipsi edant. Ea enim peccata uocat. Ac interim tamen, quũ tanta cõmoda à populo acciperẽt, nõ reprehendebant eos in sceleribus suis, tanq̃ malè agerent: uerum eũ animas ipsorũ ipsi ad sese recipiebant, super nos dicẽtes condẽnatio: perinde atcp ad Pilatũ uociferabantur, Sanguis eius super nos. Quid igitur inde fiet, Sacerdotẽ talem esse, qualis sit populus, utpote cõmendantem ea quæ ab illis agantur? Isthuc nimirũ: Nam gloria eam ob rem ipsorũ, hoc est, celebre sacerdotũ genus, ad ignominiã uersum est. Quidã, Accipient animas ipsorum, sic intellexerunt: sacerdotes uescentes ijs quæ pro peccatis à populo adferunt, proprias animas suas pro peccantibus accipiebant, ut offerrent has Deo in sacrificium. Mediator enim existens sacerdos Dei & hominum, suam ipsius animam acceptam Deo offert, perinde atque Dominus suam ipsius animam accipiens Deo obtulit. Proinde etiamsi, ait, in hoc sint cõstituti ut sacrificium facerent Deo, attamen hoc non exhibuerunt, cæterùm instar populi facti sunt. Hæc etiam ad omnẽ sacerdotem & principem dicuntur, cum insequenti interminatione, quam audito.

Et

A Et ulciſcar in ipſis uias ipſorum,& conſilia eius uaria reddam ipſi.] Vias opera nominans, Omnem, inquit, pœnam & ſupplicium ſuper opera ipſorum inducam ipſis. Nec opera tantum ulciſcar, ſed uaria etiam eius conſilia, hoc eſt, populi. Non enim tantùmmodò operationũ, uerumetiã abſurdarũ cogitationũ pœnas damus. Vltus eſt etiam uias deicidæ populi, hoc eſt, inſultus, inuaſionesq́, quas faciebant contra Chriſtum, & conſultationes quibus aduerſus ipſum plaudebant. Graditur aliquis ad peccatum, non ex exercitio uel præmeditatione, ſed fortuita,& ſubitaria ad eam præcipitantia uel perductione: ſimpliciter igitur punitur. At enim ſi iter hoc conſultationẽ habeat, hoc eſt, ſi ex præmeditatione malum iſthuc fulcrum cœperit, duplex tum uindicta ſequitur.

Edent,& non implebuntur.] Hoc eſt, continua, aliaq́ ad alia ipſis mala adducam. Et quemadmodum uoraces, adeoq́ inſatiabiles pamphagi manducantes non ſaturantur, ſic & ipſi fructus comedent operum ſuorum, hoc eſt, ſupplicia, & perinde ac neque comediſſent, neque puniti eſſent, alias ſubinde prouocabunt pœnas. Videntur hodieq́ doctores Hebræi animas paſcere, legendo legem: uerũ gratuita eſt iſta opinio & uana, quippe quia eſuriunt & non implentur: quandoquidem panem qui è cœlis deſcenderat, Chriſtum è medio tulerint. Præterea peccatum faciens non impletur, eo quod ſit tranſitoria temporariaq́ uoluptas.

Fornicati ſunt, nec proſper ideo ſucceſſus eis obueniet. Et quia Dominũ reliquerunt, ut obſeruarent fornicationẽ, uinũ pariter & ebrietatẽ ſuſcepit cor populi mei.] Duabus in rebus populo diem dicit: Quarũ prior, quod ſcortati ſint, ab ipſo ad idolorum cultum deuoluti, uſque adeò ut cuſtodirent hanc fornicationẽ, & permanerẽt in ea firmiter. Poſterior, quod ebrietatibus ſeſe dediderint, quod eſt ad nullas non delicias ſint effuſi. Ferũtur hæc quoq́ de Iudæorũ ſacerdotibus, ſiue ijs qui tum duxere ſpiritũ, ſiue de ijs qui poſt Chriſtum uixere, quod ipſi doctores exiſtentes, populi for-
B nicationẽ cuſtodiebant, quam eradicatã deletamq́ oportuit. Alij uerò talibus doctrinis ſuis conſeruabãt, ſtabilientes ipſam fornicationẽ: idcirco & uinũ & temulentiam accepit cor populi, doctrinam nempe eorum, uacillantes eos & excordes facientem. Expende hic quod fornicẽ quiſpiã,& à bono deuiet, nec eam ob cauſam rectus fiat. Virtus enim, quũ mediocritas ac mediũ ſit, rectitudo quędã eſt. Vitium uerò obliquitates tenet, in exceſsibus ac defectibus conſiderata. Poſtq́ & Deus quidẽ rectus, draco autem obliquus, hinc, attollet, inquit, gladiũ ſuum ſuper draconẽ, ſerpentem illum *Eſa. 27* tortuoſum. Adhæc omnis motus à ratione deficiens, temulentiã ſeu ebrietatẽ facere dicitur. Temulentia eſt impietus ſeu furor animi: ebrietas eſt mœror: ebrietas eſt φιλαπλουτία, amor diuitiarũ, adeoq́ auaritia, qua caput degrauans, qua in terrã defigere oculos, caputúe demittere ac nutare faciens. Tali enim affectu quopiam languẽs, omneis mortales metuit, qualis & ambitioſus eſt, qui uel à uiliſsimo quoq́ uix tribus obolis ualẽti, reprehenſionẽ horret. Ne admittat igit cor noſtrũ talem ebrietatẽ, ſua-uiter ac iucũdè illud accedentẽ. Tale enim quippiam uidetur eſſe quod ait, Suſcepit.

In ſignis interrogabant.] Sacerdotes, inquit, qui populum in pietate, ac uero Dei cultu inſtituere debebant, iſti uaticinia denunciantes, ſi quando quiſquam rebus de ſuis interrogaturus acceſsiſſet, percontabant illi dæmones, ſymbolis, hoc eſt, ſignis quibuſdam. Etenim uel auium uolatibus utebantur pro euenturarũ rerum ſignis, uel fumi ex uictimis cęſis ac ſacrificatis accenſione, ſi uidelicet ad obliquum, uel in ſubrectum uergeret. Contemplabantur enim exta uictimarum, perq́ colores ipſorũ, uel figuras uel diſpoſitiones uidebantur conijcere, & intelligere, quæ uoluiſſent.

Et in uirgis eius denunciabant ipſi.] Cuius eius? Populi uidelicet. Etenim uirgas duas ſtatuentes, carmina & incantationes quaſdam ſubmurmurabant: deinde uirgis, dęmonum operationibus aut effectu, cadentibus, conſiderabant quónam utraq́ earum caderet, antrorſum ne an retrorſum, ad dextram uel ſiniſtram. Sicq́ tandem reſponſa dabant inſipientibus, uirgarũ caſu pro ſignis uſi. Eundem ad modum Nabuchodonoſor uaticinabatur, ut Iezekiel habet.

Quoniam ſpiritu fornicationis errauerunt,& fornicati ſunt à Deo ſuo, ſuper cacuminibus montiũ ſacra faciebãt, ſuperq́ collibus immolabant, ſub quercu item & populo, ut umbroſa arbore. Nam bellũ earũ tegmen.] Hæc, inquit, quæ cõmemoraui,

faciebant: quandoquidem multo ingentiq; impetu & ardore ad fornicationem rapiebantur, tum ad idololatriam siue ad eundem libidinis motum. Spiritum hic talem propensionem appellans uel ardorem, uel uoluptatem, quãdoquidem quolibet peccatorum oblectetur aliquis. Ad hanc igitur utroq; modo intellectam fornicationem, carnis uidelicet, & mentium quæ idola sectabantur, adeoq; libidinem, à spiritu malo incendebantur. Delectatiq; per luxum & mollitiem, proceris arboribus, pulchra opacaq; tegmina præbentibus, ex malitia sua sacrum faciebant. Etenim Græci tradebant alias arbores alijs dijs consecratas esse, ueluti quercus Nymphis, laurum Apollini, Veneri rosam & myrtum, aliasq; cæteris. Scandebãt autem montium cacumina, quod illic maximè arbores, pulcherrimæq; umbræ essent. Fortasse propterea etiam, q̃d diuinatores facilius isthic in dæmones inciderent. Expende hic quo pacto illi per uoluptatis, luxus, deliciarumq; studium, à Deo defecerint. Non immeritò itaq; diuus Paulus eos uoluptatũ, non Dei amatores esse ait: quare honestum est nunquã non
Cor. 3 contractè, frugaliter, citra luxũ uiuere. Quod si praua opera nostra ligna uocantur apud apostolum, qui subiectus fuerit succubueritq; quacunq; actione mala, ac tanquã in seruitutẽ eius redactus fuerit, errat ille ac seducitur spirituali fornicatione, excidẽs ceu per fornicationem à decenti, naturaliterq; optato sibi opere, ad inconuenientia adeoq; præter naturã. Nam omne peccatum præter naturam est. Hisce porrò subijcimur, ceu habentibus boni umbram: atq; hoc est, nos errare. Sin per mõtes & colles, oppositas bono potentias acceperis, maiores & minores propter turgidum & intumescentẽ in nobis affectum contemplare, quod quando fastigiatæ in nobis praue ratiocinationes fuerint & cogitationes, tunc etiam ipsa opera aggrediamur.

Propterea fornicabuntur filiæ uestræ, & puellæ uestræ adulterium committent. Nec uisitabo uel respiciam ad filias uestras quando scortatæ fuerint, nec super nymphas uestras quando adulterium commiserint.] Captiuæ, inquit, factæ filiæ uestræ, B uxoresq; filiorum uestrorum, sponsæ uel puellæ existentes, captiuantium iniurię exponentur: egoq; non uisitabo ipsas, hoc est, deseram & permittam eas talia pati. Visitat & alia ratione peccantes Deus, quando eorum miseretur, impediens ipsorum
Psal. 88 ad uitia impetuosum iter, ac castigationi tradens, iuxta illud: Visitabo in uirga peccata ipsorum, misericordiam uerò meam non dispergam ab ipsis. Quem enim diligit Dominus, castigat, tanquam filium. Quis porrò filius est, quem non castiget pater?

Eo quod ipsi cum scortis commiscebantur.] Scorta hic propriè dicit sacerdotes ipsas Beelphegor. Hoc autem idolum erat apud Græcos appellatum Priapus, libidinis & lasciuiæ præses, quod ex ipsa etiam forma sua indicabat. Scorta sunt omnino turpem abominationem talem curantes.

Et cum initiatis sacrificabant.] Initiatos appellat, huiusmodi idoli sacros mystas, dignos iam arcanis apud illos sacris iudicatos, ceu perfectiores, qui mares esse uisi, fœmellæ fuerũt, cymbalis utentes fœmineisq; ululatibus, circumibãt triuia, Beelphegor sacramẽta perficientes. Faciebãt itaq; sacrum tam turpi Deo, doctoribus dictis initiatis usi. Quandiu aliquis peccatũ cogitat, nondũ cùm initiatis sacrificat: quando aũt hoc opere perfecerit, tum demũ cum Priapo initiatis sacrificare dicit. Sacrificabant etiam Dominũ in cruce qui occiderunt eum milites, cum initiatis, hoc est, cum sapere uisis perfectiora, adeoq; diuina sacra scientibus sacerdotibus ac pontificibus.

Populusq; intelligens, complicabatur cum scorto.] Hactenus commemorata, de decem tribubus dixit, quæ & Israel nominabantur: hoc uerò iam nunc de duabus profert, nempe regni Iuda: quandoquidem & ipsi existimati habere Dei cognitionem, ut qui in Hierosolymis urbe Dei regnarent, Astartes idolo sacrificabant, seu Veneris. Hanc enim scortum nominauerunt. Etenim imago eius nuda stabat, ipso suo spectaculo uel intutu fornicationem & abominationem spirãs. Excitauit autem Astartæ simulacrum Solomon, uxori suæ gratum faciens. Meretrix erat cohors quoquè, ceu idolis seruiens, quam populus intelligens, Annæ & Caiphæ deditus, amarunt, associantes sibi ut comprehenderent Dominum. Dein quæ in nobis intellectu ornata mens est, quando dissoluto regno suo, turbulentum prauorum motuum imperium suscitauerit, populus fit: tum enim complicatur scorto, sensibilitati, eam non ad sese accipiens, uerùm ab ea accepta.

Tu

A Tu uerò Israel ne ignora, & Iuda ne ingredimini ad Galgala.] Duodecim hic tribubus cõmuniter disserit. Quia uerò Israel siue decem tribus dementia laborabant, ut quæ semel idolis essent appositæ, affixęq, dicit ad eum, Ne ignora: pro eo quòd est, intellectum, scientiam cape, ignorãtia deposita. Enimuero ad Iuda huiusmodi quippiam non dixit. Etenim ipsi quidem Dei cognitionẽ habere uidebant, & interim tamen clanculum ijs qui non essent dij, faciebant sacrum. proinde ad hunc, Ne proficiscimini, inquit, ad Galgala. Ciuitas hęc erat uehementer idolis studens, in qua Iesus filius Nun circuncidit lapideis cultris incircuncisos, ac duodecim lapides ex Iordane acceptos, huc reposuit, ut essent mnemosynon tam admirandi illius beneficij. Valde igitur absurdum erat, ciuitatẽ illam, in qua tot diuini beneficij signa reposita erant, impietatis metropolim demonstrari per ascendentes eò, idolisq; sacrificantes. Hæc & Domini occisoribus præcipiunt: Ne ignora eum, qui propter beneficiũ humanæ naturæ impertiendũ in carne uenit, Seruatorẽ, tu qui appellaris Israel. Dei em̃ cõtemplator nominaris: quæ tuo sint nomine digna sapias. Tuq; ô Iuda, cui idem cũ confessione nomen est, ne proficiscere ad uoluntatẽ maiorũ, neq; ad præcipitiũ quò perducti sunt patres tui, interimentes prophetas, lapidibusq; obruentes ad se missos. Atenim etiamsi deliquisti, insidias tendẽs Seruatori, per animi correctionẽ et confessionem hoc sanato. Galgala enim uolutionem sonat, si reddatur alia lingua. Ad hæc, qui illustratus diuina arcana conspexerit, admonet̃ ne ignoret gratiam quam est consecutus, cæterùm festinet per bonam uitã illam ipsam conseruare: & qui per confessionẽ, dimissionẽ priorum peccatorum accepit, ne rursus ad peccaũ ad ima rapiẽs ac præcipitans ingrediatur, ad intima ipsius, periculosissimaq; sponte currens. Ioſ. 5

Et ne ascendite in domum iniustitiæ, & ne iurate Dominum uiuentem.] Domũ iniustitæ Bethel uocat, in qua Hieroboam uaccam unam constituit, alteram in Dan. Fuerunt autem idola Apidis Aegypti bouis: atq; hanc idololatriam Hieroboam ex
B Aegypto didicit. Bethel autem domum Dei ualet, si reddatur. Iniusti igitur fuerunt, & consilij expertes erga Dominum benefactorẽ suum, qui domum ipsius idolo dicarunt. Porrò quod ait, Ne iuretis dominũ uiuẽtem, alij quidem intellexerũt, Quod nõ oporteat uos, per uerũ Deum iurantes, in domũ idolorũ ascendere. quod & Paulus ait: Non potestis calicem Domini bibere, & calicem dæmoniorũ. Alij uerò ipsum idolum uiuentem Dominũ iurabant. Domus Dei tribus etiam Israelitica erat, secundum illud: Inhabitabo inter ipsos & ambulabo inter eos, eroq; ipsorum Deus. At facta est domus iniustitæ, diaboli uidelicet, positq; Dominũ repulit, qui factus est nobis iustitia à Deo: & iniuria fuit qua erga se, qua ueritatẽ ipsam quam occidit, non confessa eius gloriam. Illi enim iurant uiuentẽ Dominũ, putantes uenerari se patrem, errant, quum Dominum ipsi mortuum ostenderint: qui tamen (quod ipsi non credũt) ex potentia Dei uiuat. Ac quando aliquis mandata seruarit filij, ipse & pater ad eum ueniunt, mansionem apud ipsum facientes. Nõ oportet ergo talem domũ siue talem animam, iniurię domũ fieri, quæ propter auaritã inferiores deijciat, atq; supprimat. Faciet etiã hic locus ad ædificationẽ nostri, si acceptus simpliciter, Ne iuretis uiuentem Dominum: uerùm sermo uester sit, Est est, non non. 1. Cor. 10 Leuit. 26

Quoniam ceu uitula, concitatus est œstro Israel. Nunc pascet eos Dominus, tanquam agnum in spacioso loco.] Oestrum, paruæ cuiusdã muscæ species est, quæ simul atq; uitulam uel bouẽ momorderit, adeò eam in rabiẽ adigit, ut sursum ac deorsum cursitans, interdum per pręcipitium feratur. Dicit igitur ad Iuda: Quoniã Ephraim, siue decem tribus, uitulæ deuianti & in præceps ductæ, similes sunt, eo quòd œstro idololatriæ sint morsæ: atenim Dominus tradẽs eum in captiuitatẽ, pascet ipsum siue reget, non amplius ueluti inobedientem, sed tanquã agnum mansuetissimũ. Nanq; captiuitas humiliabit ipsum. Spacioſam autem Persarum & Medorum regionem nominat, in qua captiui errauerunt, aliâs alium Dominũ permutantes. Idem hodieq; in sua illa dispersione Hebræi perpessi sunt, subinde in aliũ atq; aliũ translati locũ, quòd contra Christum insanierunt, instar buculæ nondũ expertæ iugũ. Non enim euangelij iugum exceperunt, inuidiæ œstro ad Deicidij præcipitium sanè perducti. Anima quoq; ubi inordinatè à quadã affectione, ceu œstro, ad peccati præcipitiũ delata fuerit, lapsa precet̃ ut se Dominus regat, ueluti agnũ qui nõ delitiget, neq; uociferentur,

nec

Psal. 72. nec propriam uoluntatem habeat, iuxta illud: Factus sum ut iumentum penes te, A
egoq; semper tecum: sed quæ uiuat secundum illius mandata. Sic enim in spacioso
al. 188 loco erit, iuxta eum qui ait: Latum mandatum tuum ualde. Siquidem uerè ille latitu-
th. 11 dinem habet & requiē, qui secundū mandata uixerit. Discite enim, inquit, à me, quoniam mitis sum & humilis corde, & inuenietis requiem animabus uestris.

Particeps idolorū Ephraim, posuit sibijpsi scandala. Elegit Chananæos, fornicātes fornicati sunt, dilexerunt ignominiam ex fremitu suo.] Ad Iuda hæc adhuc uidetur dicere: quoniam particeps est factus idolorum, uaccas adorans quæ offendicula ipsi fuerunt animorumq; retia. Præterea Chananæos æmulatus est, idolo ipsorum Beelphegor inseruiens, præq; me ipsum deueneratus est, hinc ignominiam habuit, propterea quod me adipernaretur, insurgeretq; aduersus honorem meum. Nónne tales etiam fuerūt, qui ex gentibus idolorum cultoribus militibus ad Domini necem sunt usi: qui & scelerosi acti & impietatis fuerūt cōsortes, posueruntq; ipsi uidelicet Christo scandala, diligentes ignominiam ipsius, cruci affigentes eum tanquam iniquum.
Psal. 2 Hæc aūt ex fremitu fecerunt, perinde atq; Dauid ait: Quur fremuerūt gentes, & populi meditati sunt uana? Sic apud uniuersos mortales, frementes ac gloriantes ignominiam lucrantur. Dictū est enim: Immundus est apud Dominū, quisquis alto corde fuerit. Et, omnis exaltans semetipsum humiliabitur. Iam qui diligit ignominiā & execrationem proximi, idq; ex fremitu patiatur, uideat quibusnam idolorum participibus coniunctus sit, aliaq; id genus quæ hic in medium promit.

Turbo spiritus sibilabit in alis eius, pudefientq; ex sacrificijs suis.] Perinde atque aues, inquit, motu alarum, spiritu quodam & sonitu aëra dissecant: sic ipsa synagoga decem sub regno Ephræm tribuum ceu alata in alienam terram captiua abducetur, mea ira ipsam eò impellente, ac trahente, ueluti quodam uenti turbine. Sustinet autem hanc captiuitatē & ignominiā, quod idolis sacra faciat. Quod si hic textus ita legatur, Turbo spiritus, tu es in alis eius: hunc ad modum intelligendus erit ad Iudam B
Deus uerba facere: O Iuda tu causa es decem tribuum regno, quur ad idolorum cultum deflexerit. Nam ubi te cōspexisset idola colentem, qui adeò tenebas legem, temploq; adsidebas, celerior & ipsa ad idololatriam cucurrit. Etenim & ipsa habebat alas ad idola concitatas. Enimuero tu ueluti turbo uenti, inflasti alas & mobiliores reddidisti. Hac ratione Iudæorum doctores, ad eos respicientes proselytos faciebant filios geennę: quod necessum est obseruare: postq; iuxta uerbum Domini, qui offenderit
Matth. 18 unum ex hisce minimis, prodest ei, ut ex eius collo mola asinaria suspendatur, &c. Erant etiam alæ ipsi uniuersæ synagogæ, lex & prophetæ, per quas ad altitudinem cœlestis cognitionis, rectæq; uitæ sufferebat. In his iam operationibus sibilabit, hoc est, sonabit, & sonorū fremitū edet spiritus conuertens literam, persuadens ut spiritaliter intelligantur. Vnde ipsi non accipientes hunc spiritum, pudore suffundentur, excidentes à sacrificijs suis. Habet & anima duas alas, naturalem legem & doctrinalem: per quas mota ad honestū, sursum ad cœlum fertur. At spiritus operæ est preciū adesse adminiculationē cōuertentem sese semper in anima, ita ut nunquam eam deserat, si celerior futura sit. Huiusmodi anima, etiamsi olim sacrificarit affectibus suis, eosq; adorarit, nunc propter eos pudefiet deflens imprudentiam suam.

CAPVT V.

AVdite hæc sacerdotes, attendite domus Israel, & domus regis aures aduertite.] Quia in superioribus accusauit populum & uanos sacerdotes illos, regiamq; tribum per Ephraim, nunc iterum omnes ueluti sopitos excitat & expergefacit ad audiendum. Quoniam autem sacerdotes intelligentiores alijs reputantur esse, ad illos satis est dicere, Audite tantum. Domui uerò Israel, hoc est, populo, necessarium erat, Attendite diligenter. Nisi enim plerique omnes ex uulgo, dictis aduertant animum, nihil eorum quæ dicuntur intelligent. Porrò domui regis, hoc est, regibus & optimatibus ipsorum, demādatur auribus percipere, quod plus quippiam quàm audire significat.

Quoniam ad uos est iudicium. Nā sagena est speculæ, ac ueluti rete expassum super Itabyrium, quod uenantes uenationem infixerunt.] Ad uos omnes, inquit, est iudicium: hoc est, ad uos pertinet hæc increpatio & reprehensio, quam facio.

Quale

A Quale aũt hoc iudiciũ est? Quod prophetis meis omnes uos facti estis laqueus, quip pe quibus dolum meditabamini. Speculam, prophetarũ excubias & ordinationẽ seu aciem appellauit. Ipse enim ueluti quidam speculatores fuerunt, annunciantes uentura populo, ut & in Ezekiele legitur. Et quemadmodũ uenatores retia expandunt Cap.
super Itabyriũ (mons est Galilææ cùm arduus tum syluosus, unde & omnis generis feras uenatoribus præstat) sic & uos insidias uestras cõtra prophetas statuẽtes mactatis eos. Potest etiã hanc ad rationem accipi. Quoniã uos sacerdotes & reges & primores populi, in specula constituti à me, & in alto gradu collocati, ut populo quid opus sit facto denuncietis, rete potius facti estis ad corruptionem ipsorum: etenim sacerdotibus idola fuerunt curæ. Quinetiã reges & principes magnificè & abundè immolabant abominationibus, per quas populus corrumpebaẽ. Hæc & Christi interfectoribus, põtificibus, phariſæis & scribis & regi Herodi conueniẽt, qui rete facti sunt speculæ, hoc est, sublimi Christo, super quo qui steterit, plura & præstantiora cæteris uidet. Nónne & in sermonibus ipsum conabanẽ irretire, ac tandem crucis sagenã ipsi fixerunt, uariasq; sycophantias, calumnias, & falsa testimonia, ceu retia expanderũt? Præterea, qui constitutus est, ut doctorẽ agat, ac super excelsum gradũ doceat, si uel reprehensibilem uitam duxerit, uel adulterinã prauamq; doctrinã euulgauerit, rete fit ijs qui in eum defigunt oculos, ipse inquã in specula collocatus. Rete aũt fit, nõ quale Christi discipuli piscatores habuerunt uerbũ nempe, miraculis connexũ: sedenim quale uenantes semper uenationem animorũ, dæmones infixerunt. Audiemus aũt, qui animas perdimus cuius rete simus. Nec enim Dei, etiamsi in specula stemus.

Ego uerò castigator uester. Ego noui Ephraim, & Israelẽ non dimoui à me. Quoniam etiamnũ fornicatus est Ephraim & Israel coinquinatus est.] Quia, inquit, tales fuistis, castigationẽ uobis inducã, captiuitatem nimirum, cum eximijs uestris, quos per Ephraim intellexit, tum omni populo, quos per Israelem signauit. Noui enim
B opera ipsorum, eo quod eos non ita à me constituerim, ut longè ab illo abſim, nec in eos intuear, uerùm enim Deus appropinquans ego sum. Forsan, quod omnis castigatio Dei ex dictione fiat iuxta Solomonem, Noui, pro dilexi hoc loci positum est: perinde ac si dicat Deus: Ego castigo eos, eo quod dilexerim Ephraim, nec Israelem longè à me transtulerim. Etsi enim fornicetur, & idola sequatur, nec sic tamen ipsum repuli. Hæc & iam ijs quæ in principio à propheta dicta sunt, conuenient, quando demandaretur ei, ut scortum in uxorem duceret. Quis ergo non amore prosequatur talem præceptorem, non indignatione quadam & furore erudientem castigantémue, cæterùm charitate? Hæc doctrinæ loco esse debent cuique principum, ut suos non ad iracundiam puniat, uerùm ad castigationem & commoditatem.

Non dederunt consilia sua, ut conuerterentur ad Deum suum, quoniam spiritus fornicationis in ipsis est, Dominum autem non agnouerunt.] Deliberatoria per hęc, adeoq; uoluntaria ipsorum demonstratur uitiositas. Non enim dederunt, inquit, cogitationes suas omnino, ad ueram Dei cognitionẽ, quandoquidẽ spiritũ fornicationis cùm idololatricæ, tum corporalis in sese receperint, eamq; ob causam Dominum non agnouerint. Quæ enim communicatio lumini ad tenebras? Quomodo duobus quispiam dominis inseruire potest? Ita & in rebus animarũ fit. Non potest illic adesse affectus miserans, pauperibus impertiens aliquid, et diuitiarum amor seu uoluptas, & temperantia, seu animus fastuosus & humilia respiciens spiritus, seu ueritas, & studium, quo hominibus placeamus.

Humiliabiturq; iniuria Israel, in conspectu ipsius.] Iniuriam, Dei cõtemptum appellat, & ab ipso defectionẽ, quæ captiuis quadantenus obtigit, uel arrogantiã qua laborabant rerum abundãtia luxuriantes. Apertè itaq; uidebunt, qualisnam sit impietatis fructus & superbiæ: hoc enim indicat, quod ait, In faciem eius. Iniuria est aliàs nec minima contumelia Israeli, idolorum seruitus. Quid enim uanius, hominem ratione præditum ligna uel lapides, Dei loco colere? Humiliata est quoq; deicidarum in Christum iniuria. Quoniã uerò uultus ipse potissimũ solet esse signũ & indiciũ, in rem manifestissimã respexit ipsis humiliatio, in legẽ dico & circuncisionẽ. Certissimus emẽ ipsis character euidentissimũq; signũ lex. Manifestauit emẽ, inqt, iustificationes et iudicia sua Israeli, non peræquè omni genti fecit. Deinde Circuncisio sigillum Psal. 147
ipsis

ipsis erat & insigne. Porrò animæ diuinis bonis cũ iniuria utenti, deiectio prodest, A
maximè si in faciem eius fiat: hoc est, si humiliationis suæ causam simul cernat, ac sen
su quodam eam percipiat.

Israel & Ephraim debilitabunt in iniustitijs suis, & languebit Iudas unà cũ ipsis.] In bello debilitati uincentur, captiuitatisq; tempore ceu debiles serui erunt. Præterea Iuda regnum infirmabitur cum ipsis, quandoquidẽ & Syriæ reges & Babylonij plerasq; ipsius ciuitates diruerint, prętereq; quod decem in Samaria tribus ceperint, & in seruitutẽ suam secũ abduxerint: hanc ob rem & posteriore loco Iudã recordatus est. Qua de re uerò hæc utriq; patientur? Propter iniustitias suas, quibus se mutuò confecerunt, & iniurij in Deum extiterunt, honorẽ natura ipsi cõuenientem in alios transferentes: proinde qui Dominum non habet, infirmus est. Ait enim Dauid: Robur
Psal.17 meũ & laudatio mea Dñs. Ac diuus Paulus: Omnia possum, in me potentẽ & robu-
Philip.4 stum faciente, Christo. Etenim Christus Dei est potentia, citraq; ipsum nihil quicq; facere ualemus. Quî igitur uel Græcus uel Hebræus perficiet uirtutem?

Cum pecudibus & uitulis proficiscentur exquirere Dominũ, & nequaq; inueniẽt eum. Declinauit ab ipsis, quoniam Dominũ dereliquerunt.] In periculis & calamitatibus constituti, conabuntur uictimis me placare sibi, at non inuenient me: deflexi enim ab ipsis, ob eam nimirum rationẽ, quod priores ipsi me deseruerint. Quur uerò sacrificantibus ipsis nõ apparuit Dominus? An propterea, quod non ex toto hoc animo faciebant, sed frigidè & ad tempus? Lex uerò ex toto corde, ex tota anima, & ex tota mente diligere Deũ præcipit. Vel ideo, q̃d proficiscebant ad uanos deos tanquã ad Dominũ, non inueniebant aũt ipsis, qui uerè est Dñs. Iam quanta impietate idolum uenientẽ Deum dicebãt? Obserua aũt duarũ personarũ indiciũ. Declinauit, inquit, ab ipsis Dominus, quoniã Dñm dereliquerunt. Quod si spiritus hæc in propheta dicat, ecce tertiam personã. Expende porrò q̃d legalia sacrificia desierunt iam. B
Nam impossibile erat, sanguinem taurorũ & hircorũ auferre peccata: Sola nanq; fide & baptismate, inuenitur Dominus, peccata dimittens. Præterea quærenti Dñm
Matth.10 animæ cũ stoliditate quam præ se pecudes ferunt, non inuenitur: Estote eñ, inquit, prudẽtes sicut serpentes. Et: In sapientia circũambulate. Nec potentia etiã corporali
2.Cor.12 (quã boum genus significat) inuenitur Deus. Nam potentia Dei in infirmitate perfi
2.Cor.4 citur. Et: Quantum exterior homo corrumpitur, tanto interior innouatur.

Quoniam filij alieni nati sunt ipsis, & nunc deuorabit eos ęrugo & sortes eorum.]
Exod.34 Lex quidẽ uetuit nõ accipere uxorẽ ex alienigenis, ne, inquit, fęciat deficere filium tuũ à me, & profectus seruiat alijs dijs: q̃d & Solomoni contigit. At ipsi alienigenas ducentes in uxores, pueros ex ipsis gignebãt. Vel alienos filios appellat natos etiã ex Israelitidibus: Non enim, inquit, mei sunt liberi, neq; mihi sunt dicati, cæterũ idolis: alieni igitur sunt. Aeruginem uocat partim ipsam frugibus accidentẽ noxã, ex aëris rore: partim etiã hostiũ multitudinẽ, quæ æruginis instar, ipsos homines corrupit & sortes, hoc est, hæreditates ipsorũ uastauit deleuitq;. Meritò aũt filiorũ mẽtione facta, meminit iuxtà sortiũ, tantũ nõ hoc dicens: Quoniã alieni sunt liberi, indigni sunt meritò hæreditate. Dicit aũt, nunc, peculiariter ideo, ut significet hæc non diu abfutura.
Ioan.8 Christi occisores, alieni etiam filij fuerunt: Nam si filij, inquit, Abrahæ essetis, opera quoq; Abrahæ faceretis. Hinc & Romanorũ expeditio desuper ipsis & ex cœlo ueluti ærugo admissa est, quę cũ ipsos, tum sortes eorũ corrupit, hoc est, omnes regiones quas ipsis hæreditatis uice distribuit Naue filius Iesus: uel sacerdotales adeoq; pontificias ipsorũ dignitates. Quãdo uerò in anima nati fuerint filij, abalienati à Deo et re-
Psal.17 moti à testamẽtis eius, ad quos dicere queat Deus: Filij alieni mentiti sunt mihi (sunt aũt hęc uel impia dogmata, uel praua opera) tum taliũ matrem animã, ærugo corrumpit, in ipsa facta affectio, ex principe potestatis aëris, efficaciter operãtis in filijs inobedientiæ, nec ipsam tantũmodo, uerumetiã sortes ipsius, priuaẽ eñ cœlestibus mansionibus, quas per quamlibet uirtutem hæreditario acceptura erat, ad quamlibet per-
Psal.30 ducta, quas manus Domini Iesu Christi distribuunt. De quibus & Dauid ait: In manibus tuis sortes meæ.

Canite tuba super colles, strepitũ et sonitũ facite super alta, prędicate in domo On.] Quum suprà dixisset, quoniam nunc ærugo deuorabit ipsos, indicans per nunc,

citra

citra cunctationem superuentura eis dura, proscindit iam idolorum imbecillitatem
A dicens: Quia super colles & montium iuga immolabatis, atq; adeò in domo Bæthel, quam nominauit domum On, hoc est, inutilis. Quem enim On septuaginta dixerūt, hunc reliqui interpretes inutilem reddiderunt. Erat autem idolum uel imago uaccæ in Bæthel. Implorate ergo iam opem Deorum, in hisce locis cultorum: præterea belli cis tubis, & hostilibus uociferationibus utimini, aduersum hostes impetum et irritationem facientes, ipsosq; locos in quibus litabatis, & auxilium Deorum sacrificia recipientium, uobiscum habentes.

Sublatus est Beniamin, Ephraim in extinctionem factus est.] Beniamin appellat duarum tribuum regnum, quod multis in locis Iudam uocat: interdum quidem ab Iuda, interdum uerò à Beniamin, totum synecdochice nominat. Ait ergo quod Hierosolymitani defecerūt, hoc est, è medio sublati sunt, perierunt, ut qui ipsi impiè egerint. Etenim Astartæ deæ sacrificabant in excelsis, & solē adorabāt, ut & Iezekiel testat.

In die redargutionis, in tribubus tuis Israel monstraui fidelia.] Quæ, inquit, dixi ipsis per prophetas, in quibus mihi nulla est adhibita fides, hæc nunc per ipsa opera cunctis tribubus fidelia monstrabo, in quibus diebus arguam iniquitates iniorum, puniens eos. Nam monstraui, est pro monstrabo, ueluti illud: Foderunt manus meas & *Psal.21.* pedes meos: pro fodient. Vtitur autem scriptura talibus uerbis præteritis pro futuris, ut ostendat Deo nihil futurum esse, uerùm omnia ipsum præoccupare præscientia & prædefinitione. Simul autem ut certiores nos reddat, quod omnia sic contingent. Et perinde ac impossibile est, quæ iam facta sunt, facta non esse: sic impossibile est hæc etiā non fore, quæ dicuntur. Monstrauit autem fidelia & in diebus crucis & resurrectionis, concusso mundo, per hoc arguens quidem illos, suam uerò Deitatem certam exhibens. Beniamin filius doloris dicitur. Etenim Rachel dum pareret ipsum, in partu periclitans & moriens, ipsum filiorum doloris appellauit: Pater autem Beniamin illum uocauit. Ad hæc omnis peccator est doloris filius, si modò ad pœnitentiā respexerit hic dolens & lugens: sin citra resipiscentiam abierit ex hoc mundo, perpetuò du
B rantibus doloribus obnoxius erit. Huiusmodi quando peccat, excedere dicitur: Peccatum enim excessus est à natura, & aliàs ab insipiētia fit. Vnde & Dauid quandoq; *Psal.37.* ait: A facie insipientiæ olfieri ipsi uibices. quandoq; uerò: Ego dixi in excessu meo, *Psal.30.* proiectus sum à facie oculorū tuorum. Sin resipiscat peccator, excedit omnino à consuetudine. Quod si Ephraim augmentū dicitur, uideat qui crescit in malitia, ne quando ad excidium perueniat. Olim autem quum in diebus redargutionis, hoc est, postremi iudicij, sedebit Dominus cum duodecim discipulis suis, iudicantibus duodecim tribus Israelis, monstrans fidelem & ueram Deitatem suam, tunc uidebunt in quem pupugerunt, & agnoscent quod non uilis, nec exiguus homo sit Iesus. *Matth.19.*

Facti sunt principes Iuda transponentes terminos, super ipsos effundam tanquam aquam indignationem meam.] Hoc est, leges meas sic transponebant, æquè atq; in aruis terminos transponentes facere solent, per quos sua cuiq; sors cognoscitur, sicq; debitum meum honorem transferebant ad idola. Vel ipsos etiam cupiditate plura habendi laborantes reprehendit hoc pacto: Propterea, inquit, sic irruam super ipsos, uelut aqua impetuosa, & ueluti torrēs aliquis multis imbribus & niue exasperatus, cum q̄e uehementi impetu sese uolutans. Transponunt etiam terminos, Hebræorum legem perperā interpretantes, ipsamq; obseruare contendentes (nam usq; ad Ioannem definita fuit legis custodia) eo quòd ira Dei super ipsos effusa tanquā aqua, eos disperset. Quando uerò quisquam princeps Iuda existens, confessus fuerit, ac promiserit sē non ijsdem prauis studijs admoturum mentem, idq; secū decreuerit, & interim transmouerit tales fines, atq; decretum suum fecerit irritum, ac reuersus fuerit instar canis ad proprium uomitum, ira Dei super talem prorsum effunditur: perinde ac rubri maris aqua super Pharaonem, qui sæpius mentitus erat, iuxtaq; cor suum, permutationis in melius expers, seruatus erat, ad ostensionē uirtutis Dei. Deus em̄ nō subsannatur.

Oppressit Ephraim aduersarium suum, conculcauit iudicium, quoniam cœpit proficisci post uana.] Quū de principibus Iuda dixisset, quòd transposuissent terminos, eosq; accusasset, quod cùm impij tum auari essent, in ijsdem pariter Ephraim reprehendit. Ipsum enim ceu iniurium carpit, ac talem qui præ potentia sua conculcet iudi

cium siue iustum, neq; ipse opportunè & commodè sententiam ferat, neq; alios iudicantes sequatur. Causa uerò huius, ad idola est affectio & sectatio. Vana em̃ ipsa idola uocat. Quod si me coluissent, inquit, dilexissent leges meas, quibus iustitia sancitur. Poterint etiam hæc alia ratione intelligi. Iudas nō omnino à lege auersus est. Fuerunt enim inter ipsos qui conquererentur de idolorum cultoribus, ingemiscerentq; ob legis transgressores, quemadmodum Iezekiel testatur. Ephraim uerò planè malā uictoriam retulit: etenim ui, ueluti hostem quempiam, deuicit legem meā quam odit. Quod apertius interpretans dixit: Conculcauit iudicium, hoc est, legalem iustitiam non curauit. Quadrabunt hæc in eos, qui contra Christum insanierunt, aduersariū illum habentes, ut qui contraria ipsis & dixerit & fecerit, contra quem potentes fuerunt, conculcantes iudicium, ferente Pilato sententiam ut dimitteretur: secuti sunt em̃ uanos suos doctores. Quod si omnia sint uanitas uanitatū, ut Ecclesiastes dixit: principium prauí quæstus & iniustitiæ fuerit, iter facere pro huius mūdi bonis conquirendis, eaq; ueluti mediam maceriem habere, quam propter, quæ ante nos sint, atq; ipsa adeò futura, non liceat intueri. A

Ego uerò tanquam turbatio Ephraim, ac ueluti aculeus domui Iuda.] Quia ipsius Ephraim regnum primùm periit ab Syris & Babylonijs, Iuda uerò postea occidit: Ephraim, inquit, turbabo, conturbatum iam ueluti instante bello. Iuda uerò stimulus ero. Quum enim is Ephraim interire cernit, se quoq; non dissimilia passurum formidat. Porrò Christus neq; turbatio, neq; stimulus est, cæterùm tanquam turbatio, & tanquam aculeus: Pacem enim, inquit, prædico, morbosq; curo. Isti autem inuidia stimulantur, turbanturq;, dicentes: Ecce mundus post ipsum uadit. Deinde quando peccantes fortunati erimus, dicentes: Pax est atq; securitas: uel cogitationibus de peracto malo nos consolamur, Deus inquientes, benignè humaniterq; nos curat, tum uel secundiorem istum in prauitate cursum turbat, uel cogitationes discutit, inijciens stimulum memoriæ mortis, supplicioruмq; post mortem consequentium. B

Viditq; Ephraim languorem suum, & Iudas dolorem suum.] Ipsa, inquit, experientia didicit Ephraim imbecillitatem suam, & quomodo robur ipsius elanguerit. Iudas item percepit multitudinem dolorum suorum.

Et abijt Ephraim ad Assyrios.] Quando ascendit rex Assyriorū aduersum decem tribus, adierunt ipsum, & pecunijs & legatione sibi conciliantes, confœderantesq;.

Misitq; legatos ad regem Iarim.] Assyrijs denuò aduenientibus, transgressi enim erant fœdera, destinarunt legationem ad regem Aegyptiorum, quem Iarim appellat, non quod hoc eius nomen fuerit, uerùm quia Iarim ultorem significat: accersiuerunt enim ipsum, tanquam futurum uindicem. Quod autem de Aegyptiorum rege uerba faciat, posthac planum fiet.

Et ipse non potuit liberare uos, nec ex uobis dolorem cessare faciet.] Vos quidem tanquam uindicem accersistis Aegyptium, enimuero ipse ceu imbecillis inuētus est, unde maiores uos impetiuerunt cruciatus, adeò ut planè de salute desperaretis. Iam quisquis Deum offenderit, unicam opem reliquam sibi tenet, ut recōcilietur denuò ei. Sic qui innumera alijs dona elargitus fuerit, ut eos sibi in socios & confœderatos asciscat, propterea non sistet in sese dolorem, quem sustinet, turbatus primùm obea quę in animo suo perpetitur acerba, deinde impensarum nomine, quas frustra fecisse animaduertit. Aptissimè hoc etiam de Domini interfectoribus dictum asseuerabis, qui accersiuerūt Vespasianum ceu ultorem. Eadem etiam ingens Assyriorum mens erat, ut urbem eorum erigeret: at nihil eis commodare potuit, nec cessauit ex ipsis cruciatus, ut qui tum quidem in immensa mala conijcerentur, dum fundamenta eorum diruerentur, ac postea à fidelium regibus abducerentur.

Quoniam ego sum sicuti panther Ephraim, & uelut leo in Iuda.] Per pantherem ostendit celeriter & quamprimum ipsis excitanda mala, celer enim & leuis est fera panther. Per leonem, quod ingentia terribiliaq; sint pericula futura. Terribile enim quippiam leo. Hanc ad rationē, in Iudæos Romanos celeriter suscitauit Deus, nempe non potest adeò multum temporis crucifixionis, qui horrendi & atroces fuerunt, quippe qui cuncta diruerint. Animæ in malitia crescenti, uerbum etiam panther fit,
Esa. 8. uelociter eam deprædans, depascensúe, perinde ac dictum est: Voca nomen ipsius,

citò

A citò depascere. Fit autem hoc, quando peccato in nobis patrocinantes cogitationes abstulerit, omnemq; altitudinem attollentem sese aduersus cognitionem Dei. Iudæ porrò seu confitenti, leo fit uerbum, propter regiam naturam, legem ei ferens, iuxta id quod apud Dauidem dictum est: Legem ei feret in itinere quod elegit. Et: Legem Psal. 1 sancito mihi Domine uiam iustificationum tuarū, & exquiram eam semper. Vel ceu Psal. 1 confortans eum, ut à malo destectens, bonum posthac persequatur.

Egoq; rapiam & proficiscar ut panther.] Leuis enim existens, rapit & fugit.

Accipiam, & non erit qui eripiat.] Hoc ueluti leo faciet, ob unguium robur ac indefessam uim.

Ibo & conuertam me ad locum donec exterminentur.] Quemadmodum, inquit, feræ post uenationem reuertūtur ad sua latibula, sedantes dolorem ex uenatione partum: sic & ego, inquit, memet ibo quietem habens, nec in principio detegens prouidentiam, quæ mihi est erga uos, sed ueluti in ocio agens, usquedum extinguamini per nos. Nam dignis adest Deus, ut & ad Iesum Naue dicit: Vti cum Mose eram, sic Iosue 1 tecum etiam commorabor. Et: Ecce ego uobiscū sum omnibus diebus. Et: Nobiscū Matth. 2 Deus. Abest autem ab indignis Deus, secundum illud: Quur destitisti à nobis à longe? Et: Veni ut adiuues nos, idq; genus alia. Deinde, qui fortem ligauit, rapuit nos ab Psal. 9. Psal. 79. illo detentos. Ac nemo potuit nos eruere ex sancta eius potentiq; manu, æquè atq; in Euangelio ait: Oues meas nemo diripit ex manu mea. Accepitq; primitias naturę nostræ, & profectus ad superna in locum suum, ubi prius erat, in sinū patris, tum statim omnia deleta sunt, quę ad legis administrationem attinent. Anne uides Deum etiam in nobis haud rarò, materiem peccatorum auferre? Sunt alicui diuitiæ, quibus aduersum tenuiores extollit, diripit eas Deus. Sic fortitudine, aut pulchritudine perperam utēs, elanguit, ac deformis est redditus. Qui per honorē ad insipientiā usq; efferē, leuatusue, ad ignominiā decidit. Proinde sic agens Deus proficiscit, & rectè mouet, antea B quidē nullū transitū in tali anima obtinēs, ac reuertitur in locū suū. Locus aūt Dei est, mens rationalis hominis, eo quod purgetur à circunstantibus delictis, digna facta diuina successione, interea usq; dum prorsum excidiū fiat humanarum cogitationum.

CAPVT VI.

QVærent faciem meam in adflictione sua, & mane uenient ad me dicentes: Eamus & reuertamur ad Dominum Deum nostrum.] Vt in corporalibus adflictionibus, quæ per molleis medelas curari nequeunt, opus est austerioribus pharmacis: sic inter homines, quotquot per clementiam Dei ad pœnitentiam non ducuntur, per seueriora castigati, sæpenumero hoc agnoscunt. Aequè igitur ac illi, in bonorum fructu non exqnirentes faciem Dei, siue præsulatum eius, atq; uisitationem & prouidentiam ipsius, dum bonis uiduantur, eum curatorem & præceptorē quærunt, & matutino ad ipsum tempore ueniunt, pro accelerant: siue quod ueluti à nocte tenebrarū prioris ignorantiæ excitati sese mutuò adhortentur, ut reuertantur ad me.

Quoniam ipse percussit, & medebitur nobis.] Quidam librorum hic, rapuit, habent, & fortasse non malè. Dixit enim suprà, diripiam. Ipse, inquit, rapuit, ipse percussit, ipse quoq; medebitur nobis. Deo enim rapiente uel percutiēte, nemo alius est medicus uspiam. Itaq; in calamitate meminerunt Dei. Hæc peræquè intelligas licet, de ijs qui ex Hebræis deinceps in Christum crediturī sunt. Illi enim in siti hac & captiuitate longa, exquirent (inquit) faciem siue filium. Nam is est figura subsistantiæ patris, quibus & ad Dominum reuertentibus aufertur uelum, quod super cor ipsorū est positum. Reperias autem hoc uel in singulis, quod in tribulatiōne magis ad Dominum reuertantur, qui sensibilia nobis ferit & corporalia, sanatq; animas.

Feriet, & curabit uulnera nostra. Sanabit nos post biduum. Tertia die surgemus, & quæremus coram ipso, & cognoscemus.] Propter facilitatem hoc dicit, quoniam non indiget diutina circuitione Deus ad curam, uerùm accumulatam statim exhibebit sanitatem. Iuxtà adumbrat mysterium secundum naturam. Nam percussæ naturæ iniecit filium suum ceu precium quoddam & curationem, qui in uulnere mortis constitutus, sanauit nos, resuscitauitq; tertia die. Id enim quod à nobis assumpsit, excitans, nobis peræquè omnibus resurrectionem donauit, quam habebimus temporibus suis, & uiuemus. Postquam enim unus pro cunctis diem obijt, is ille unus & pro

cunctis resurrexit: uitamq; ducemus nõ longe ab ipso remoti, sed facie ipsum intuen- A
1. Cor. 13. tes, tumq; perfectiorem cognitionem eius consequemur. Nunc enim in speculo, inquit diuus Paulus, uideo & ænigmate: tum autem cognoscam, perinde ac cognitus sum. Cæditur etiam uituperabilis ardor & impetus in anima, uituperandaq; concupiscentia, ut ne inuanum in rabiem adigantur, uerum uerbum habeant, ueluti emplastrum & obligationem replentem uacuitatem ipsorum. Sanamur etiam iuxta uitam in actione consistentem, quando duæ affectiones hæ, ira & cupiditas, non tenebrarũ opera accesserint, sedenim luminis & diei, ut & de nobis dici possit: Proinde non su-
Ephes. 5. mus noctis sed diei. Surgimus etiam tertia die, quando tertia in nobis animæ pars, rationalis uidelicet & speculatiua, illustrata fuerit: tum enim uiuemus coram ipso Deo, intuentes in ipsum facie ad faciem. Quare subinfert, & cognoscemus.

Festinabimus cognoscere Dominum, tanquam diluculum paratum inueniemus ipsum.] Studiosè cum festinatione & ingenti desiderio quæremus eum. Vt enim diluculum noctis caliginem dissipat, sic & ipse promptè, celeriterq; prouidentiæ suæ radios exhibebit, & ab noctis adflictionibus liberabit.

Venietq; nobis ceu pluuia matutina & serotina terræ.] Matutinæ etiam pluuiæ indiget terra, ut proferens ipsa commissam sibi sementem, pinguedinem habeat, qua eam nutriat. Serotinæ uerò potissimum, ne adulta fata exarescant: plurimo enim humore ad educationem sui opus habent, ut fructum tandem ferant, quem humiditate fouent. Itaq; & nobis Deus ueniet matutinus imber, quando incipiet liberare nos à captiuitate. Serotinus uerò, quando nos restituens patriæ, nos defendit, nostriq; curã gerit. Hunc ad modum Christus post resurrectionem, mane quidem mulierculis sese, serò uerò, ianuis occlusis, discipulis suis ostendit. Obtingit & cuilibet animæ, matutinus imber, quando reuelat ueteris testamẽti cognitionem Deus, quod in primordijs diuinæ cognitionis ortum est. Serotinus uerò, quando euangelij intellectum eidem impertit: quod serò quidem, adeoq; nouissimis temporibus illuxit. Ac tum animam, B
Psal. 104. in terram diuinitus impulsam alterat, de qua propheta: Visitasti, inquit, terram, & inebriasti eam.

Quid tibi faciam Ephraim? Quid tibi faciam Iuda? Misericordia uestra uelut nebula matutina, ac ueluti ros diluculo proficiscens.] Postquam denunciaret eis Deus, se eos suscepturos denuò: erant autem ob scelera sua in multas casuri, post susceptionem hanc, calamitates: ne ergò existimarent, mentitum sibi eum, nec sufficientem gratiam impertisse, prædicit eis, quod ipsi sint futuri malorum suorum autores. Miscet autem cum eis sermones, patris in morem liberos suos amantis, tantumnon talia dicẽs: Ego quidem omnem uobis gratiam & ueniam dare uolo, ac perpetuò durantem misericordiam. Vester autem animus & cogitatio temporaria, similiaq; nebulæ sunt diluculò apparenti, & à sole dispulsæ, uel exiguo rori ab radijs solaribus absumpto & obscurato (hoc enim est quod ait, proficiscens) efficit miserationem peræque meam, qua uos miseror, temporariam esse. Audiamus itaq;, nos mensuram esse diuinæ misericordiæ, siue eam extendentes sufficienter pœnitendo, uel celerius reuertẽdo ad priorem prauitatem, mutilantes. Demusq; operam, ut diuturnius ille nostri misereatur, tum uerè regnum Dei intra nos erit, nostriq; instituti Deus comes erit. Legitur & in alia scriptura, Misericordia mea. Quod sic intelliges, quod Deus hic ægrè patiens dicat: Omnem uobis rationem exhibui & demonstraui, ad uestram correctionem: Etenim misericordiam meam demisi uobis, ut fœcundaret, ac pingues uos redderet, uelut ros matutina hora iter faciens, hoc est, à flamine diffusus super terram, & sicuti nebula perinde manè infrigidans fruges. Verum enim uos illam ipsam non suscepistis. Atneq; filium Dei Hebræi exceperunt, qui quũ esset misericordia patris (per ipsum enim misericordiam adepti sumus) demissus est ueluti nebula, ob corporis sui pinguedinem. Matutina uerò, eo quod umbra ipse legis ueniret, quodq; non deprehenderetur ab tenebris diaboli & peccati, sed alijs etiã principiũ lucis fuerit, itidẽ ut manè, uel diluculũ, est diei initiũ. Idem quoq; ros erat, superne decidens: iter ideo faciens, quod non uno in loco circunscripta sit eius cognitio, sed ad omnes accesserit. Antea quidẽ & manè, in Iudæa tantummodo cognitus erat Deus, nunc uerò in uniuersum terrarum orbem, egresso apostolorum sonitu, impleta est tellus cognitione Domini, uelut

aqua

A aqua multa cooperiente maria. Illuxerunt itaq; fulgura eius orbi terræ, uideruntq; fines terræ salutare Dei.

Propterea demessui prophetas uestros, interemi eos in uerbo oris mei, & iudicium meum ceu lumen egredietur.] Vos quidem, inquit, sic habetis, ut frigidam quandam paruiq; temporis pœnitentiam demonstretis, per hoc meam pariter misericordiã talem facientes. Attamen ego haud intermisi uos congruẽti prouidentia dignari, adeò ut & prophetis meis quos uobis adhortatores misi, causa mortis extiterim: hoc enim denotat Occidi. Et quoniam dedi ipsis uerbum oris mei ut uaticinarẽtur, uideor eos occidisse. Atqui etiamsi cunctos planè dederitis neci, non poteritis tamen irrita facere, quæ de uobis illi præcinuere, quo minus iudicium meum, hoc est, decretum quod super uos decreui, ceu lumen effulgeat, patiaminiq; omnia quæ illi dixerunt. Quidã per prophetas hic uanos uates intellexerũt. Occidi enim ipsos in uerbo oris mei, hoc est, per imperium meum. Et iudicium meum inter ipsos, ut lumen splendidum haud occultabitur, sed lucebit, & ab omnibus per opera cognoscetur. Etenim & Elias leto 3.Reg
dedit prophetas Baal, sacerdotesq; lucorum. Sic Ieu qui genus Achaab deleuit, præ- 4.Reg
textu festiuitatis in Baal gratiam celebrandæ, collectos sacerdotes Baalitas, ad unum omneis mactauit.

Nam misericordiam uolo & non sacrificium, agnitionemq; Dei potius quàm incensas uictimas. At ipsi sunt tanquam homo præuaricans testamentum.] In superioribus obiecit accusando iniuriam, quam proximis intulerunt, idolorumq; culturam: nunc ait, Misericordiam ego potius erga proximũ, quàm iniuriam & sacrificium recipio: ac Dei cognitionem magis, quàm holocautomata. Atq; hæc duo legem perferẽs mandauit: Diliges Dominum Deum tuum, & proximum tuum charitate prosequeris. Vos autem transgressi estis testamẽtum meum hoc, sancitamq; legem. Erga proximũ enim iniurij estis, & misericordiæ expertes, ac præterea cognitionem mei repu Deut.10.
B listis. Dicat hic quisquam: Quia Iudæi, sacra perficicientes, misericordiam uerò non habentes, præuaricabantur testamentum: perspicuum est legem de sacrificijs uerba facere. Sed secretiora quædam magisq; spiritum redolentia, fuerũt ea quæ hic memorauit, nempe misericordia & agnitio Dei. Per misericordiam itaq; uita in actione consistens & opere, per cognitionem contemplatio innuitur. Egredietur quoq; in futuro seculo iudiciũ Dei, ueluti lumen, per unigenitũ. Pater enim neminẽ iudicat, sed iudiciũ omne tradidit filio, qui suo in mundũ aduentu, non per sacrificia, sed per suã misericordiã nos saluos fecit. Neq; per holocautomata perúe incensa, uerùm per agnitionẽ & fidem nos iustificauit. Misericordiamq; nos docuit, quũ diceret: Beati misericor Matth.5.
des. Et: Quæ uolueritis ut faciant uobis hoies, eadẽ & illis præstate. Et quũ hoc uerbi, Misericordiã uolo, &c. in testimoniũ protulit in mediũ. Inumerisq; alijs modis cognitionẽ Dei præcepit, præsertim quũ omneis sermones & opera sua Deo referret accepta, ipsiq; tm adscriberet: quũq; diceret Philippo: Qui uidet me, uidet & patrẽ meũ. Ioan.14.
Hinc etiã dixit: Manifestaui nomen tuũ mortalibus, non Iudæis tantũ, sed omnibus. Ibid.17.
Proinde qui ipsum nõ susceperunt, transgressi sunt omnino testamentum patris, qui & filium hæredem faciebat uineæ. Porrò uinea Domini exercituum ipsi fuerunt, domus nimirũ Israelis, & Iuda ipse plantula nouella dilecta. Enimuero filium, quum in Esa.5.
sua uenisset, sui eum non susceperunt, quin potius dixerunt: Hic est hæres, agitè occidamus eum. Idem testamentum patris, faciebat eos hęredes adoptionis, gloriæ, cœlorumq; regni: sed noluerunt sequi testamentum. Nec secundum hoc solum, uerumetiam iuxta utrasq; rationes transgressi sunt illud, cùm filium abnuentes regnare super sese, tum se indignos constituentes cœlesti gloria.

Illic me respuit Galaad ciuitas operans uana, turbans aquam.] Non frustra dixit, Occidi uanos prophetas: & illic, hoc est, secundum illud temporis quando auersus est Israel, Galaad me est adspernata, quando sacerdotibus & Leuitis distributa est in hæreditatem: ac qui debebant populum docere cognitionem Dei, ipsi operabantur uana, hoc est, idola ipsi eadem fabricantes. Turbabant quoq; aquam doctrinæ, non puram eam populo adferentes.

Fortitudo tua ceu hominis piratæ. Occultauerunt sacerdotes uiam, occiderunt Sicima. Quoniam illic fecerunt iniquitatem in domo Israel, uiderunt isthic horrendam

fornicationem Ephraim.] Sicima ciuitas est proxime urbem Galaad. E Sicimis ergo A
quidã accepta Dei patrũ memoria, uoluerunt ascendere Hierosolyma usq; ceu Deũ
adoraturi. Leuitæ uerò & sacerdotes hoc compertũ habentes, prædones quosdam oc
culuerunt in uia, demittentes orco ea ratione Sicimitas. Eò etiam dicit: Robur tuũ ò
Galaad hominis est piratæ, hoc est, prædonis. Est autem pirata proprie marinus prę-
dator. Atqui in sacra scriptura usurpatur etiam pro terrestri prędone: eam ob causam
horribiliorem etiã istam fornicationem nominat, quoniã non ipsi tantum, quod bo-
num erat in domo Israelis non faciebant, hoc est, inter Israelitas. Vel hunc ad modũ
æquè intelligere licet: ut piratæ occultis effascinationibus & insidijs adoriuntur præ-
tereuntes, sic & uos in Galaad idolorum cultores, arcanis artibus idola moueri cura-
tis, quo diuinæ potentiæ ea ostendatis consortia. Iam sacerdotes quos talia repre hen-
dere oportuit, uiam Dei populo manifestando, ea cælant. Atqui in animo eos cogita
re par erat, quod atauus eorum Leui, Sicimitas omneis demiserit orco, quando Em-
Gen.34 mar filius Sychem, ui stuprum sorori eius Dinæ intulit, & ille quidem ultione pro uir
ginitate sororis suæ armatus est, ipsi uerò pro me non contendunt, non sumunt uin-
dictam. Occuluerunt, inquit, diuinam uiam sacerdotes, qui olim interemerunt Sici-
ma æmulatione accensi. Quod enim atauus eorum Leui peregit, sacerdotali genere
adscribitur. Hæ & Dominum occidentis synagogæ accusationes sunt. Siquidem &
illi operabantur uana, calumniam dico & crucem. Vanæ nanq; re uera sunt cogita-
tiones ipsorum. Magis enim illuxit, regnumq; tenuit cruci affixus. Turbabant etiam
aquam, confundentes scripturarum cognitionem, ac doctrinam seruatoris, quæ spi-
ritus erat & uita, calumniantes. Et robur ipsorum, ceu hominis piratæ fuit, quando la
pides tulerũt in Iesum: cumq; gladijs & fudibus exierũt aduersus ipsum noctu, quan-
do fallere licet festinantes. Sacerdotes porrò ipsorum celauerunt iter, hoc est, Domi-
Ioan.14 num enecarunt, dicentem: Ego sum uia. Occiderunt etiam Sicima, quod est pudici-
tiæ & uirginitatis fructum Iesum, postquam Sicima fuit eximius locus corporis pudi B
ci Ioseph. Præterea in ecclesia uidebis quosdam perficiẽtes uana, praua uita infectos.
Hi aquã perinde spiritalis doctrinæ turbant, de resurrectione & postremo iudicio ua
na dissertantes, seipsos ita ut intrepidè in peccatis pergant, illicientes. Quorum robur
Ioan.10 non est hominis incolumẽ aliquem seruantis, sed prędonis, quo de Dominus ait: Fur
non uenit, nisi ut furtũ cõmittat, cædat, & perniciem struat. Cælant etiam sacerdotes
uiam Domini, partim quando non reprehenderint peccantes, non audientes dicto
1.Tim.5 præcipienti: Peccantem coram omnibus argue: partim quod ipsi in ea non ambulan
tes, aliam sibi uiam uitæ inquirant, occidentes ita Ecclesiam, quæ est segregata Iose-
pho, qui ualet, si interpreteris, appositionem. Talis est Dominus, legi adiectus, quæ
Mat.5 iam defecerat: unde &, Non uenì, inquit, dissoluere legem, sed implere. Eius enim lẽ-
gis, Non committas adulterium, hæc est appositio & completio, ut ne intuearis qui-
dem mulierem. Sic eius, Non occides, appendix & complementum est, Non furaca-
ris. Et aliarum consimiliter.

Pollutus est Israel, Iudas dimisit messem suã.] Omniũ hoc est periculosissimũ, hor
ribilissimumq;, quod quando Iudã oportebat diuinarũ promissionũ fructus metere,
imitatus sit Israelẽ, qui idolorũ cultura cõtaminatus erat, talem messem posthabẽdo.

Ordire uindemiam tibijpsi, dum reduxero captiuitatẽ populi mei, dumq; sanauero Israelem.] Ad Iudã hæc dicit: Ordire uindemiã, hoc est, iustitiæ fructus, & post re-
ditum ab captiuitate, in lege perseuera, incipeq; tibi decerpere, ex tali politia subna-
scentes fructus. Decerpe eos tibijpsi, nec enim Deo quicquam lucri afferimus uiuen-
tes iuxta legẽ, sed nobisipsis. Quod subdit, Dum sanauero Israelem, significat, quod
dum ipsum consoler in omnibus doloribus, quos in captiuitate pertulit, eumq; redu-
cam à Babylone, intellige tu quid te deceat, bonamq; conuersationem auspicare.

CAPVT VII.

ET reuelabitur iniuria Ephraim, & uitiositas Samarię. Nam commisit uana, furq;
ad eos ingredietur, prædator exuens in uia eius.] Iterum docet quod haud iniu-
ria puniat Ephraimitas Deus, perspicuã cunctis eorũ iniquitatem asseuerans. Nam
fecerunt, inquit, mendacia, hoc est, idola, ideoq; in posterum hostes, furum & latro-
num instar, eos adorti, exuent ipsos, omnibusq; bonis nudabũt. Propemodũ & Chri
stus ad

A sus ad Israeliticum populum dicit: Incipe quæ ad salutem tuam pertinent, ceu in uindemia colligere atq; fructum decerpere. Nunc igitur quando ueni ego reducere, seruare; oues domus Israelis, quæ perierant, ac sanare contritos (nec enim bene ualentes ego) non mei arbitrii opera, sed male habentes) tunc reuelata est omnis iniustitia populi, Marc.
quando interrogante Pilato, Quem uobis dimittã, responderunt, Absolue nobis Barrabam, Iesum uerò cruci affige. Ad hæc elementis legis nouatis perseuerabant ipsi in malitia; quando & fur & prædo unà cum eo cruci affixus ad eum introijt, hoc est, per fidem ei assertus est, & uindicatus in libertatem, in paradiso cum eo agens. Hæc etiã animæ sunt exhortatio redeũtis ab captiuitate, qua detenta fuit prauis affectibus seruiens, sanatæq; à plagis peccati, & uulneribus, quæ aliàs non curantur nisi graui ter olère & inamœna esse ipsi cœperint. tum enim demum inquirit medicum, quando tetrica fiunt uulnera, ipsaq; ægre patitur graueolentiam, perinde ac Dauid quum dixisset, Grauiter oluerũt & cõputruerunt uibices meæ: subdit, Ne derelinquas me Do Psal.
mine Deus meus, neq; à me desistas. Tũc igitur liberata anima à peccatis, uirtutis fructus colligit. At eos, inquit, tibijpsi decerpe, non faciens aliquid ad ostentationem, sed in reipsa bonũ operare. Tum quoq; detegit ei uanitas malitiæ: uidet enim quàm sint peccati opera tam mendacia quã noxia. Per hæc fur & prædo satanas ingressus hominem spoliat, ac ab omni diuina gratia nudũ cõstituit, in uia eius, hoc est, in quocunq; uitæ genere fuerit, siue in sacerdotali, siue monastica uel populari. In omni nanq; uia uitæ prædatorem & furem agens diabolus, clanculum eos adoritur, ipsisq; imponit nocturno tempore, persuadens ut peiori ceu meliori adhibeant animum, nuptias, uinum, omnemq; creaturam uituperans, ceu peccatorum fomitem, occasionemq;. Alios uerò ut prædo inuadit, palàm & impudenter eis persuadendo, ut planè desperata aggrediantur.

Vt concinant ueluti canẽtes in corde suo.] Hostes, inquit, inuadẽt eos, ceu fures &
B latrones insueuerunt: ipsi uerò in lamentis & luctibus perseuerabunt, non ausi aperta uoce plorare, deflereq; calamitates suas, cæterũ cordibus suis & cogitatione threnos lamentaũe edunt. Hæc & latroni in cruce accommodari poterunt, cuius cor Christi supplicio condolebat & peccatis suis angebatur. Ipse quidem Christum confitebatur, Christus uerò omnium illi peccatorum gratiam faciebat.

Omnia scelera eorum recordatus sum nunc. Cinxerunt eos corona, consilia eorũ ante conspectũ meum fuerunt.] Quum diu, inquit, connixissem, nec longanimitate mea iudicatus sim cernere ab ipsis ausa, nunc tandẽ apertè palàm ea contueor, ut quæ in conspectu meo fuerint constituta. Siquidem omnia simul collecta sunt, & in circuitu eorum steterunt, nedum opera, sed & consultationes, hoc est, cogitationes, quæ demonstrant eos esse dignos quibus irrogetur pœna. Fortasse autem, quia Deus peccata illa uehementius punit, quæcunq; à præmeditatione & cõsultatione fiunt, propterea hic dixit: Circumierunt eos cõsultationes ipsorum. Non enim simpliciter ait, operabantur mala, neq; raptim uel fortefortuna, cæterùm ex consilio & consideratione. Sic in extremo iudicij die, præterquam opera, cogitationes etiam, secũdum quas peracta sunt, iudicãtur: in quibus tamen autoritas potius remissionis, quàm condemnationis esse in hoc mundo solet. Occiderũt etiam prophetas Hebræi: toleransq; malorum Deus est, dum illi Domini interfectores fuerunt, impleueruntq; mensuram patrum suorum, recordatusq; est Deus omnium iniquitatum eorũ, ut ueniat super eos omnis sanguis iustus, à sanguine Abel, usq; ad sanguinem Zachariæ prophetæ.

In malitijs suis exhilararunt reges, & in mendacijs suis principes.] Per malitias suas ad interitum accurrentes, autores lætitiæ fuerunt regibus & principibus ipsos debellãtibus. Vel quod unà cum regibus suis ad idololatriam cucurrerint, curauerintq; eos & obseruauerint, eadem peragendo: & in mendacijs suis, siue idolis, siue adulationibus, uel uanis laudibus hilares eos reddiderũt. De quibus & Esaias ait: Qui bea- Cap. 3.
tos uos prædicant, illi uos seducunt. Et: Væ illis qui amarum dulce dicunt. Ad hæc Iu Esa. 5.
dæi reges suos dæmones, principes tenebrarum, gaudio imbuerunt suis contra Christũ imposturis, calumnijs & mendacijs. Preterea Herodes, Caiphas, Annas, eosdem exhilararunt, qui in condemnatione Christi in gratiam, quum antea hostilibus inter se animis essent, redierunt,

Omnes adulteriũ committentes, sunt ueluti furnus ustus ad digestionem, ustura ab flamma facta.] Corporale hic adulteriũ intelliges, dicente Deo, quod uniuersi Hierosolymorũ incolæ sint adulteri, sic usti libidinis igni, ueluti clibanus, cuius incensio fit à flamma, qui uritur ad digestionem, hoc est, ad tosturã, coactionemúe panũ. Porrò libidinis ignis, adducet super eos captiuitatis flammam, à qua adusti inutiles erunt, ad digestionem cruditatis, quam etiamnum habent. Accipies etiam per adulterium, idololatriam, qua exurebantur, secuti primum inter se idololatram Hieroboam. A

A mixtura massæ, usq; dũ tota fermento subigatur, dies regnorũ uestrorũ.] Stear, uel stais (quæ uox hic per massam reddita est) farinam denotat. Cunctum per hancce farinã populũ intelligit, dicitq; : Vt fermentum cõmixtas secũ farinas in sese transformat, sic à quo tempore cœpit populus subigi fermento impietatis Hieroboã, nõ desistit donec totus eius cõtagione inficeretur, inq; illud ipsum transformaretur. Totum isthuc tempus, dies sunt regnorũ uestrorũ: per quę innuit, quod in omnibus Hieroboam secutis regnis & regibus, idololatria floruerit. Per adulteros, adulterã iuxtà ac peccatricẽ generationẽ Domini interfectorũ intellige, qui & inuidia usti, ac meditati crucem ad digestionẽ siue submissionẽ cœlestis panis Christi, non desierũt, quousq; perfecerunt opus illud suũ. Atq; hæ sunt dies principum & præeminentium inter ipsos, hoc est, ueterũ calamitatum. Diem enim, ut suprà quoq; diximus, scriptura etiam calamitatem appellat. Quemadmodũ autem qui non credit, iam iudicatus est, uel ante iudicium illud: sic adulteriũ cõmittens iam uritur, ante ustionem etiam illam, qua uretur ad digestionẽ ac malitiæ supplicium. Nec enim ultrà post extremũ iudiciũ scelera patrabuntur, neq; quisquã unus ad ea sese acclinaturus est, uerũ perpetuum aduersus ea odiũ erit illis qui nunc ea deamant, quod eorũ nomine sempiternis cruciatibus dedantur. Hodie quidẽ insipientibus, quæ uidentur suauia blandiuntur: tum uerò detecta ipsorum deformitate, grauis comitabitur pœnitentia eos, qui hac in uita ab ipsis decepti fuerint, plorabuntq; tum omni uacantes cõsolatione, quod adeò deformia & turpia diuinæ pulchritudini prætulerint. Itaq; mœchus iã uritur, iuxta illud: Ambulatis in lumine ignis uestri, & in flamma qua exusti estis. Iam perinde ex fermento & farina fit mixtio, atq; ex cogitationibus & operibus fit actio. Ait ergo, quod regnantes in mœcho cogitationes non uidẽtur esse turbidæ neq; tristes, sed tranquillã quandam & hilarem constitutionẽ habere, ab mixtione farinæ, donec fermento subigatur tota, hoc est, à quo tempore cœperint malum cogitare, usq; dum opere compleuerint. B

Esa. 50.

Cœperunt principes furere ex uino.] Accusatis cõmuniter omnibus tanquã adulteris, nunc omnes accusat principes ceu temulentos, ac propterea ad iram cõcitatos.

Extendit manum suam cum pestilentijs, nam succensa sunt corda eorum ueluti clibanus, dum offendunt eos.] Quilibet, inquit, principũ extendit manũ suã, uti dona accipiat, conuersaturq; hominibus per contagia & perditiones quas diligit, eo quod in cõsultando & nocẽdo cõtribulibus suis, adeoq; reliquis mortalibus sint feruentissimi Ex temulẽtia inuidiæ furebant etiã principes Israel aduersus Christũ. Sic discipulus Iudas extẽdit manũ, quãdo proditionis argẽteos accepit, cõsentiens pestibus phariſæorũ & scribarũ, qui æstuabãt planè insidijs, quibus lacerarẽt dejcerẽtq; Dominũ. Ita militũ peræquè corda inflammabant excubias canentiũ proxime Dñi sepulchrũ.

Totam noctem somno Ephraim impletus est, mane prodijt, succensus est ueluti ignis fulgore, omnes incaluerunt ut clibanus succensus, ignis deuorauit iudices eorũ, omnes reges eorum ceciderunt, nec erat inter eos qui meam sibi opem deposceret.] Sequitur facile suprà memoratos temeto perfusos, ut totam noctẽ somno indulgeãt, quod haudquaquã minimo est dedecori populi principibus: per hoc namq; indicat, quod nõ perinde magnã subditorũ curã gerunt. Manè porrò facto, inquit, ardebãt ueluti ignis, inflammabanturq; ad bibendũ, & ad indignandũ, ad munera capienda, oĩaq; id genus alia flagitia. Nec soli principes, uerũ ex æquo cũcti, ceu furnus sunt incẽsi ad peccandũ, ut pro se quisq; potest. Rectè uerò ignis ille uitiorũ effecit, ut principes & reges eorũ, idola colentes, aliaq; nõ optima facinora perficientes, caderẽt. Nemo eñ quicquam delinquens, stare dicitur. Neq; quisquã inter eos erat, qui ad me respiciens inuocaret me: quod deerat illis institutor, qui eos dirigeret, & ad me pertraheret. Sopiti etiã somno erant Iudæi, omnis expertes solicitudinis, quãdo monumentũ milites seruabant.

seruabant. Atenim manè, adeoq; diluculo facto, excitatoq; Domino, inuidia etiã eorum, quod resurrexisset, accensa est, factiq; sunt ueluti furnus furore inflammati. Deinde iudices eorum liuor ob resurrectionẽ deuorauit, omnesq; ceciderunt ruina magna, spebus suis fraudati. Qui peccat totam pariter uitæ huius noctem dormit, nõ sentiens peccatum. Eam ob causam diuus Paulus genuinum suum diei filium adhortatur: Vigila in omnibus. Porrò, quando futura in extremo die condemnatio exuscitata fuerit & illuxerit, ut diluculum in peccatore, tum sensus ab se commissorũ facinorũ oritur, instar igneæ flam̃æ: urit enim ipsum peccati cõscientia: tùm qui antea iudices eorũ fuerunt, nõ recte instituẽtes eos doctores, deuorabit ignis ille, hoc est, agnoscent̃ fuisse uani. Siquidẽ isti antehac doctrinæ cathedrã obtinẽtes, ruinæ in peccatũ autores extiterũt, nec quicq; Deũ auxiliatorẽ implorarũt, nec ut alij inuocarent, docuerũt. 2. Tim.

Ephraim populis suis commiscebatur.] Alijs Ephraim, uates asseuerat, iter ad bonum ostendisse, ipsum uerò multitudini ad malum acclinatæ coniunctum esse. Rex præterea æquè præuaricabatur atque alij, nam tribus Ephraim regni sceptra tenuit, ut diximus.

Ephraim factus est encryphias nõ inuersus.] Vt encryphias, panis ille, altera parte sui admotus igni comburitur, & inutilis fit: opus est nanq;, ut cõuersus altera quoq; parte assetur: sic & ipse Ephraim in uitijs perseuerauit, ab ijs combustus.

Comederunt alieni robur eius, ipse uerò non cognouit.] Quia panem iam̃ nominauit, in ea metaphora perdurans, alieni, inquit, comederunt eum, hoc est, debellarũt ipsum. Exederunt autem omnes uires eius, & in fortitudine seu potentia & opibus sitas, & interim non agnouit sese castigantem Deum.

Cani efflоruerunt ipsi, nec hoc tamẽ agnouit.] Multo, inquit, ac longo planè tempore castigatur, ac ueluti in ea castigatione consenuisset, nec uel sic tamen tanto tempore, quid se decuisset, didicerit. Principes porrò ac doctores Israelis, idem cum indocto & confuso uulgo sapientes, noluerũt conuerti ab litera ad spiritum, propterea gentes alienæ ab testamentis Dei, comederunt robur eorum. Israelis autem robur est lex. Ipsi uerò occæcati non agnouerunt, cæterum perstiterunt, consenueruntq; in literæ administratione. Iam omne quod inueterascit & senio conficitur, proxime est oblite- Hebr. 8.
rationem, extinctionemq;. Ad hæc quãdo quisquam malitiæ flamma exuritur, adeò ut seipsum tradat ei, adortus clandestina scelera, quæ nefas est nominare, nec ab tali sua iniquitate reuertitur, comedunt robur eius, quod accepit ab Deo (ut natura quadantenus ad bonum opus non sit idoneus) dæmones, qui alieni & hostes nostri facti sunt, inuidentes Dei gloriæ, propterea & inueteratus in malitia, omnem peccati ille ignorantiam habet.

Deijcenturq; iniuria Israelis in faciẽ eius.] Id est, oculis suis uidebunt pericula. Sic qui in Dominũ Christũ iniurij fuerunt Hebræi, unà cum templo & urbe sunt deiecti.

Nec sunt reuersi ad Dominum Deum suum, nec exquisiuerũt ipsum in omnibus hisce. Ephraim erat ut columba amens, corde uacans, Aegyptum inuocabat & ad Assyrios proficiscebatur.] Ego, inquit, adflictiones ipsis adferebam, ut intelligentes ad me redirent, meumq; auxilium implorarent, at ipsi ad humana adiutoria reciderunt: Aegyptiorũ enim opem inquirebant: Dein ab Assyrijs oppugnati, defatigatiq; eosdem inuocabant, amentis insipientisue columbulæ mentem præ se ferentes. Etenim ut illa pullis sublatis, non auolat, uerũ in ijsdem locis remanet: non dissimilem admodũ isti ad hostes suos accurrebant: nam Assyrij ex cõfesso hostes eorũ erant, & Aegyptij. Columba lasciuiæ & incontinentiæ hic typus est: quocirca ubi anima uoluptatibus tenebrarũ intẽperanter dedita sursum hiauerit, nec lenta ipsa sibi mali quippiam adesse putauerit, Aegyptũ profectò, & Assyrios amicitia sibi copulat, hãc quidem ob tenebrarũ opera, illos uerò propter sui fastũ & opinionẽ. Hinc suo etiã illi tẽpore dicetur: Vade in tenebras exteriores, diabolo & angelis eius paratas. Porrò angeli diaboli, mentales etiã Assyrij sunt. Quadrãt hęc quoq; Domini interfectrici synagogæ. Nõ agnouerũt eũ, necq; intellexerũt, uerũ præ fastu & opinione sua in tenebris iter faciũt.

Vbi profecti fuerint, inijciam super eos rete meum, tanquam uolucres cœli deducam eos, castigabo eos in auditione tribulationis ipsorum.] Ipsis, inquit, proficiscentibus, ut auxilia sibi accersant, ego inijciam ipsi hostes, ueluti rete, & deducam eos,

hoc est,

hoc est, superbiam ipsorum deijciam & humiliabo: primum tamen conabor eos erudire, prænunciando imminētia, uti sciant, quæ sint eos excepturæ calamitates. Quod si ipsi non castigentur, nec sese emendent, tum inducā super ipsos tribulationes. Vel adeò terribiles erūt hostes, ut nedum præsentes, uerū denunciati tantū & auditi, sufficiant ad castigationem. Rete Dei multiplex, uariaq; eius est sapientia, per quā cognitus à nobis, sæpenumero, quando ad mali quippiam perficiendū eamus, moueamurque, impedimenta inijcit, altaq; affectantes, instar dæmonū qui in aere uersantur, deducit nos & humiliat, prænūcians geennam, & uermem non morientē, ignemq; inextinguibililē: erudit nos per huiusmodi prædicationem, ut humanus & clemens pater. Domini quoq; occisoribus in errore facientibus iter, iniecit rete suū, piscatorū nimirum doctrinā, uti ab eo deduceret eos ad Christi humiliationē & obedientiam, persuaderetq; eis discere, quod mitis sit Christus & humilis corde, neu glorientur in lege per opera, sed precentur potius eum qui gratis iustificat, per gratiam suam: erudijtq; eos per prædicationem futuræ illorum adflictionis, dicens, quod Hierusalem ab gētibus
Mic. 21. sit conculcanda: deq; templo, quod nō maneat lapis super lapidem. Et: Beatæ steriles quæ non pepererunt, & quæcunq; illic de captione Hierosolymorū uaticinatus est. A

Væ ipsis quoniā desilierunt à me, Miseri sunt, quoniā impij fuerunt in me.] Apud infirmos donec spes est salutis, omnia & dicunt & faciunt qui eos curant. Simulac uerò de incolumitate ipsorum desperauerint, lugent eos in posterum. Idem Deus in populo suo facit, curam suam nihil ualere animaduertens, eos deplorat, ut qui per mala opera ab se desilierint, impijq; fuerint, colendo eos qui non sunt Dij.

Ego redemi ipsos.] Priores quidē ex Aegyptiaca seruitute, posteriores autē Christus ab dæmonibus, languoribus, cæcitatibus redemit, ac tandem proprio suo sanguine, in quo inuenimus redemptionem.

Ipsi uerò loquuti sunt aduersus me uana.] Primum, quando uitulum circunstan-
Exod. 32. tes dixerunt: Hi sunt Dij tui Israel. Deinde quando aiebāt, postquam percussit petrā, B
Psal. 77. & fluxerunt aquæ: Nunquid & panem dare poterit?

Et non clamauerunt ad me corda ipsorum.] Labijs me suis tantummodo uenerabantur, cor uerò eorum procul me aberat, siue quod me nō agnoscebant benefactorem, sed idola potius.

Sedenim ululabant super cubilibus suis, super frumento & uino dissecabantur.] Terram patribus suis promissam accipiētes, ac sortes suas adepti (eas enim cubilia nominauit, quod per ea requieuissent à laboribus deserti) mihi non egerunt gratias, cæterùm idolis sacra facientes, peragentesq; festa, ululabant perinde ac insueuerunt idolorum cultores furijs agitati ululare. Prēterea à me dona habentes, nimirum fruges & uinum in quibus capiebant uoluptatem, sectiones interim faciebant, in gratiam dæmonū, pectora & brachia dispungentes. Vel hoc dicit, quod apud gentes Rheam matrem Deum colentes factitabant. Ab tibiarū enim cantu ad insaniam acti, seipsos dissecabant, genitalia sibi mēbra auferētes: qui Baceli, & Bacchæ dicebantur. Hæc itaq; committebant Israelitæ, super cibo & uino, hoc est, petentes ea ab idolis. Oblocuti
Matth. 12. sunt etiam Domini interemptores Christo dicentes: In Beel zebul eijcit dæmonia.
Lucæ 18. Rursus aiebant: Magister bone, compertum habemus quod uiam Dei denuncias, nec intuearis in personam hominum. Enimuero hoc non ex animo dicebant, sed priuato quodam prauo consilio. Hoc enim indicat quod ait: In cubilibus. Etenim cōtra ipsum murmurantes gemebāt, quod talia quidem agens adhuc uiueret. Deinde asse-
Ioan. 6. uerante ipso: Caro mea uerè est cibus, & sanguis meus uerè est potus, abscindebantur, deficiebantq; ab ipso, orta inter eos factione: dicebant enim: Durus est sermo ille, ecquis eum audire potest? Redemit etiā nos Dominus ab omni impuritate. At multi delinquentium loquuntur aduersus eum mendacia: Quis nouit, fabulantes, anne futurum sit iudicium? Num sit uenturus exploratum nostra? Edamus & bibamus, cras enim moriemur. Quinetiam Dominum suum Mammonam esse profitentes, super frumento & uino conciduntur, partim quidem dum temulentiæ, delicijsq; studeant, inde ad lites, ad uulnera, ad cædes dilabentes: partim uerò dum bella ciēt & propter frumentum & uinum, aliaq; terræ bona, propterea in nihilum etiam redigūtur. Omne nanq; tale studium, ad nullum bonum finem perducit.

Castigati

A Castigati sunt in me, & ego confortaui brachia ipsorum, in me cogitauerũt mala.] Ego quidem, inquit, erudiũ eos, docuiq; ipsos iustitiæ uiam, omnemq; decorem, adeò ut uel ipsi de sese cum gaudio sui dicere queant: Beati sumus Israelitæ, nam quæ Deo placent, sunt cognita nobis. Nec hoc tantummodo egi, cæterùm strenuos eos bellato res constitui, brachia eorum confortando: at ipsi non cogitauerũt me suũ esse Deum.

Conuersi sunt ad nihil.] Hoc est, ad nusquam quicquam existentia. Hoc enim est miserabilius, quod pro me talia coluerunt: id quod & alibi dicit: Propterea mala desi- Hic
gnauit populus meus, me dereliquerunt fontem aquæ uiuæ. Foderunt sibi lacus con tritos, qui nõ poterunt continere aquam. Erudijt etiam Israelitas seruator, nunquam non docens in synagogis ut ad ipsum conuertantur, & credant: uerùm ad nihilum conuersi sunt. Nam pauci admodum audientes fuerunt dicto. Siquidem multi eorũ qui crediderant, retrocesserunt.

Facti sunt ueluti arcus intensus.] Id est, inflexiles facti sunt, neq; prorsum demit- tentes, neq; remittentes intensionem ad malitiam. Quędam exemplaria, ueluti arcus inuersus habent, perinde ac si dicat: Ego quidem ipsos intendi ueluti arcum meum, ut per ipsos uel idololatriam in alijs gentibus traiectam cessare faciam: atq; ipsi contrà inuersi sunt, adeoq; contrarium fecerunt. nanq; meum honorem iaculantes & aufe- rentes, pro idolis aduersus me fecerunt bellum.

Cadent in romphæa principes ipsorum, propter imperitiam linguæ suæ.] Princi- pes, sacerdotes ipsi sunt & reges. Illi etenim docebant populum iniqua. Maxima pro- fecto imperitia, ignorantiaq; est, dicere ligno, Deus meus es tu: & lapidi, Tu me genuisti.

CAPVT VIII.

ILla uilipensio eorum in terra Aegypti, in [illegible]um eorum, tanquam terra inaccessa & ueluti aquila super domum Domini, eo quod transgressi sunt testamentum me-
B um, & contra legem meam impij fuerunt.] Perinde, inquit, ac patres eorum in terra Aegypti uilipenderunt sermones Mosis & Aaronis, ab me amandatorum, ut libera- rent ipsos, sic & illi adspernati sunt leges meas: enimuero contemptus ille in sinum eo rum reddetur, eruntq; instar terræ inaccessæ. Tuba nanq; bellica insonabit, & rex Ba- bylonijorum ueniet supra domum Domini, cum impetu & celeritate, in modũ aqui- læ. Nam Nabuchodonosor, misso exercitu suo incendit templum. Quo de Iezekiel: Aquila, inquit, magna grandium alarum. Præterea uilipensio, qua seruatorem no- Ezech. 17.
strum Iudæi nauci æstimarunt, similis erat ei quæ in terra Aegypti contigit. Mosi em Exod. 2.
Hebræus dixit: Quis te constituit principem & iudicem super nos? Hunc ad modum dixerunt illi ad Christum: Regem non habemus nisi Cæsarem. Hęc igitur uilipensio Ioan. 19.
grauis perinde ipsis erit, atq; terra inuia, adeoq; puluis, qui in sinum iniectus grauat, ipsosq; apud nullos non contumelioſos reddit, instar tubæ iniquitates ipsorum, tur- pesq; adfectus prædicans. Ad hæc, talis Domini contemptus, priscam ueteris templi gloriam eripiens, ad gentium uocationem transferet. Consimilem ad rationem, quis- quis proximum suum contempserit, ceu in terra Aegypti agẽs, Pharaoniticam & fa- stuosam mentem habet, cui in sinũ suũ reuertetur fastus ille, hoc est, in intima ipsius, ita ut in sese ac suis pœnam det, eritq; ceu terra inaccessibilis: nec enim huiusmodi ani mus à Deo accedit. Quod enim coram hominibus sublime est, abominatio est apud Deum. Quur autem talia ei euenient: Eo quod tubæ instar seu buccinæ, seipsum ma- gnificabat, prædicabatq;. Quod genus pharisæi fuerunt, tympano commonstrantes eleemosynam coram hominibus. Talis erat in templo preces ad Deum offerens, uir- tutes, officiaue sua prædicando, ac interim publicanum uilipendendo. Domus uerò Domini est omnis homo, qui ingentium diuitiarũ eius, nempe uerbi capax est. Iam qui attollitur quemuis mortalium contemnendo, aquilæ instar est, super domum Domini.

Ad me uociferabuntur: Deus cognouimus te. Quoniam Israel auersatus est bo- na, inimicum persecuti sunt.] Qui talia impietatis opera, ut dictum est, peragunt, sa- cra idolis facientes, illi in calamitatibus suis clamabunt ad me, confitebunturq;, agno- scere sese, quod tum inimicos suos uicerint, persecutiq́ue sint, quando meo auxilio fuissent adiuti. Vel sic etiam accipere poteris: Quia Israel auersatus est bona legalia,

tantumnon

tantumnon ipsos hostes insecuti sunt, hoc est, ad hostes accurrerunt, trahendo illos ad sese, ueluti si quis ægrotum, ægre planè affectum cernens, dicat, Mortem persequitur homo ille. Ex circuncisione pariter credẽtes clamabunt ad Christum: Deus cognouimus te. Quotquot autem auersati sunt bona doctrinæ eius, illi per sese hosti spirituali satanæ accesserunt: quod ipsum in quolibet nostrûm deprehendes. A

Per sese regnarunt, & non per me, functi sunt principatu: nec mihi fuerũt cogniti.] Hic decem tribubus obijcit, quod Hieroboam & succedentes ei reges præter sententiam eius constituerint, & principes elegerint, dominatiq; sint citra eius consiliũ. Non enim interrogauerũt Deum, num se hoc oporteat facere. Ambigat hic quisquã unus, quomodo in historijs regnorũ memoriæ tradatur, quod Achia Silonites senex
3. Reg. 11. ille lacerarit pallium suum in duodecim sectiones, ac decem quidem dederit Hiero-
Ibid. 11. boam, prædixeritq; ipsi: Rex decem eris tribuum. Et rursus scriptum sit: Quoniam à me factum est uerbum isthuc, hoc est, quod Hieroboam sceptris potiatur. Hic uerò dicat: Regnarunt quidem, sed non per me. Potest igitur dici, quod prophetam Achia Deus ad populum non legauerit, uerũ ad Hieroboam. Ac ipse sanè Hieroboam norat Deum uelle, regnare se: populus tamen ipsum, nõ ceu Dei consilio elegerit, ut qui non accesserit propterea Deum, nec ex eo consiliũ scisciatus sit, quod & hic ipsis exprobrat. Præterea hoc tecum reputa, quòd eorum quæ à Deo fieri dicuntur, quędam sanè ab ipso recta, & præcedenti consilio fiunt, quædam uerò ex permissu. Quocirca ubi audiueris dicentem Deum, Quoniam ab me factum est uerbum hoc, nimirum quod Hieroboam regem agat, per concessionem hoc factum intellige. Quando uerò hic ait, Non per me regnarunt: accipe hoc, quod non præcedenti illud uoluntate Dei contigerit. Hæc & Dei interemptoribus quadrabunt. Nam etiamsi sibi Cęsarem pro rege scriberent, Annam tamen & Caipham habebant, quibus uenales erant & emptitij dominatus. Potrò quando peccatum in mortali nostro corpore regnauerit, non Dei uoluntate tale imperium geritur. Deinde quum caro in nobis unà cum adfectibus suis & cupiditatibus tenuerit sceptra, non innotescit talis dominatus Deo. Nouit enim Dominus, qui sint sui. Praui autem affectus ut ipsius non sunt, sic nec omnino quidem existunt quicquam. B

Argentum suum & aurum suum fecerũt sibi idola, ut excindantur.] Quum à me, inquit, ditati essent, meisq; bonis imbuti, non modicum fructus inde accipiendo, utebantur opibus illis in honorem idolorum, preciosissimas, sumptuosissimasue imagines facientes. Hæ autem ad excidium eorum factæ sunt ac perniciem, ab euentu. Ob serua hic particulam, Vt: proderit enim ad intellectum eius quod uates Dauides ait:
Psal. 50. Vt iustificeris in sermonibus tuis. Neq; enim illi eo scopo faciebant imagines quas colerent numinum uice, ut excinderentur, uerùm ex euentu hoc contigit. Neq; Dauid ideo peccauit, uti Deus iustus iudicaretur, sedenim ex euẽtu, req; gesta hoc sequitur. Sic qui philosophiæ incumbit, accepta ex Deo potentia intelligendi res naturę, aurea quadam puraq; mente, intellectaq; interpretandi, sermone splendido argentumq; referenti, deinde uerò imagines sibi substituit, atq; proponit, siue Platonicas ideas, siue iuxta Chaldaicam philosophiam, spiritualia simulacra, & ut semel dicã, humanæ sibi sepientiæ, uanæq; deceptionis spectra effingit, extirpabitur è populo, secundũ euangelium uiuente, quippe quum malè utatur donis Dei. Quales hodieq; sunt Hebræi, qui legis intellectibus, auro æquiparatis & argento, ad idola & uanas imaginationes abutuntur, in seipsis imaginarium templum struentes, & alia ob quæ restitui tandem sperant.

Extere uitulũ tuum Samaria. Exacerbatus est animus meus super ipsos. Quousq; purgari nequeunt in Israele: Ipsum faber effinxit, & non est Deus, eo quod seducebat uitulus tuus Samaria.] Post opprobria admonitionem adducit, adhortans ut uitulũ exterant, ac auream omnino uaccam reijciant. Pulchrè dixit exterere, ueluti de macula & sordibus. quasi dicat: Quousq; impuri facti per simulacrorũ cultum, impermutabiles perseuerabitis? An non intelligitis quod faber effinxerit eas imagines? Per fabrum hic simpliciter artificem intellígit non lignarium, non enim auream iam buculam faber lignarius struxerat. Vel à uitulo sermonẽ ad lignea simulacra transferens, fabri etiam meminit, ad maiorem idololatrarum ignominiam. Aureus quidem uitu-

lus,

A lus, materiei suæ nomine honorem quendam habet, quo decipiat spectatores. At quod à fabro factum est simulacrum impuriores nos reddit, à nobis adoratum.

Quoniam uento corrupta seminarunt, subuersioq; ipsorum accipiet ea.] Nullum, inquit, fructum ex idolorum cultura decerpitis. Nam similes sunt res illorũ subuentaneis, seu uento perditis spicis, quæ thecas quidem plenas forinsecus ostendunt, intrinsecus uerò fructum non continent, & uacuas aristas habent. Nõ dissimili ratione simulacra foris quidem speciem habent uel mulieris uel uiri, alteriusue cuiusdã animalis: omnis uerò roboris & operationis sunt expertia. Propterea & ipsa excipiet subuersio eorũ, scilicet adorantiũ ea, æquè enim & ipsi & illa interibunt perdenturq;.

Manipulus non habet robur, ut faciat farinam. Sin fecerit, alieni deuorabũt eam.] Vel de idolis hæc dicit, quod nullã habeant subsistentiã: nam etiamsi uideanĩ habere, hostes tamen aduentu suo ea capient aurea & argentea existentia. Aliàs etiam ad opem ferendã eis nulla est fortitudo, uerũ robur habere uidentur materiei suæ causa, ut hostes opulentiores reddãt. Vel de Israele hæc loquitur, cui tanta sit obuentura imbecillitas, ut similes æstimentur imbecillo manipulo, qui eos alere non possit. Sin robur aliquod in opibus, alijsq; id genus bonis possideant, alienigenæ comedent illud. Seminarunt quoq; subuentanea & leuia Iudęorum doctores, quod ceu nõ habentes pondus, dispersi sint in totum terrarũ orbem, subuersaq; sit tota illorum prisca respublica, cum ipsis & dogmatibus eorum. Sunt itidem manipulus cui nullæ insunt uires. Non em̃ Christũ Dei potentiã habẽt, qui illorũ farinas pauloante alienis, nempe gentibus dedit, donãs ipsis conficere quæ sunt in lege, per solidam mentem, ueluti molã quondã subtiliter & spiritualiter: uerũ nõ crasse, nec secundũ literã ea sunt accipienda. Si ex lege facturus es farinã, subter pone lapidẽ Christũ: fundamentũ enim aliud nemo iacere potest, præter hoc, quoniã in ipso condita sunt omnia: ac desuper pone lapidẽ, eundem Christũ, qui caput est ecclesiæ. Porrò seminans in carnem, & ex car
B ne corruptionẽ metens, uentis corrumpenda, leuia & uacua seminat, à spiritu seu flamine nequitiæ noxam hanc recipiens. Nec iam robore præstat, ut faciat opus animã alens. Nec enim dicere cum diuo Paulo potest: Omnia possum in eo, qui me confortat Christo. Si unquam quicquam operetur boni, non iuxta diuinum hoc scopum faciens, sed ad humanam quandam gloriam, uel aliam rationem non commendabilẽ, dæmonibus isthuc impertit. Phil. 4

Absorptus est Israel, nunc factus est inter gentes, tanquam uas inutile, quoniam ipsi ascenderunt ad Assyrios.] Veluti naufragio facto, à quodam pelago propriorũ peccatorum absorptus est. Assyriorum enim auxilium postulantes, ipsis in seruitutẽ tradentur, eruntq; inutiles in medio gentium captiuos ducentium eos, nullum planè officium uel obsecrationẽ explentes, neq; solennes cõuentus iuxta legem celebrantes. Deuoratus est quoq; Christi occisor populus, per arrogantiã, spiritualibus Assyrijs, dæmonibus dico, addicti, ascendendo per fastum suum ad illorum sublimia affectantem animũ, propterea uas sunt inutile Deo. Ad nihilũ enim illis opus habet, corporali cessante cultu. Ad hæc omnis superbus, uel ea desiderãs, quæ supra se sunt, etsi uideatur ascendere deglutitur tamen æquè terræ hiatu, atq; Dathan & Abiron. Pulchrè enim quidam superbiam definierunt esse ascensum ad inferna.

Refloruit per sese Ephraim, munera dilexit.] Adhuc exprobrat ipsis incogitantiã. Putarunt enim, inquit, apud sese, quod citra me refloreścãt, ac ueluti arbor quæpiam, cui periculum à bellis ingruebat, ut marcesceret, repullulascẽt, ubi per munera auxilia sibi Assyriorum obtinuerint. Dilexerunt enim munera, non ut accipiant, uerum ut alijs dent: sed nulla ipsis inde commoditas. Quid enim passuri sint, audi.

Tradentur in gentibus.] Non dixit tradentur gentibus, sed in gentibus. Non em̃ hic finis erit supplicij, ut gentibus tradantur, abducanturq; captiui: uerum enim in gentibus agentes & capti, adhuc tradentur alijs supplicijs, alijsq; adflictionibus: ut sit tradentur, pro derelinquentur ab Deo. Quod si quando quisquam auctus fuerit à Deo beneficio, ut crescat & floreat, nec benefactorem suum agnouerit, sed per sese uixerit, hoc est, suam uoluntatem statuendo, diuinas leges repellit, non cõtentus dona, quæ diuinitus accepit, diligere, tradetur is à Deo, deseretur q;. Versabitur deinceps inter gẽtes omnino quidẽ spirituales, qui sunt dæmones, horũ enim patris seipse

fecit forsan & corporalibus hostibus subiugabitur. Reputarũt peræquè Iudæi apud A
sese, quod germinaturi essent, si Iesum crucifigerent: ideo placuit illis munera dare, primùm quidem proditori, deinde sepulchrum obseruantibus militibus, ut celarent resurrectionẽ. Dispersi sunt igit̃, cunctis gentibus traditi, ut nullum nõ malũ patiant̃.

Nunc excipiam eos.] Antehac, inquit, permisi eis & non redargutos, & indemnatos uiuere, propter clementiam meam uidelicet, & pœnitentię expectationem: nunc uerò accipiam eos ad iudicandum scilicet, & in iudicium eos uocabo, pœnasq; exigã ab ipsis: hoc est, non post multum ita temporis, uel in hostium regione ipsos accipiã, apprehendam. Quemadmodum enim patribus eorum præcedebam, accipiẽs ipsos in sortes, & attributas eis sorte regiones, sic his præconstituens captiuitatis locos ueluti talibus dignis, accipiam eos in Babylonia.

Cessabuntq; paululum ne inungant regem et principes.] Postquam enim, inquit, noluisti à me regem petere, sed tuo consilio creasti tibi reges, priuabo eos ipsis, & ab hostibus iugum passi cessabunt, uel desistent porrò sibi reges & principes deligere. Nam quos eligebãt, non ad meam constituebant gloriã, sedenim cum illis idola sectabantur. Hic inter minas pariter benignitatẽ intuere: Modicũ, inquiẽs, desistent inungere regem: atq; per hoc iuxta spem facit reditus à Babylone. Animaduertendũ aũt, quod post captiuitatem, Ephraim, siue decem tribus Israel, non ultrà habuerũt proprium regem in Samaria, sed Hierosolymis Zorobabel dux erat totius populi, atqui huic duodecim tribus dicto audientes fuerunt. Suscipiam, ait etiam Deus pater, tribus Israel ad Christum reuertentes: idq; tum fiet, quum desistent somniare, regni et sacerdotij sui restitutionẽ. Imaginatione em̃ inungunt sibi reges & sacerdotes, legalis politiæ recuperationem expectãtes. Præterea filiũ iniquitatis ipsi inungentes, ipsum Christũ & regem faciunt. Sic quilibet nostrũm, quando susceptus fuerit à Deo, & familiaris ac proprius factus fuerit, etiamsi antea alterius aulæ extiterit, alios cessat habere cùm reges, tum principes, dominatores tenebrarũ dico, qui reges & principes nõ B
sunt, cæterũ nos eos in reges inungimus, constituimusq;. Atqui Deũ tantũmodo regem habet, qui illi obtemperat, mandatisq; ipsius ducit̃, & q uitæ suę in singulos dies dispensationibus, etiamsi iniucundæ fuerint, non turbatur, æquo eas animo patiens.

Quoniam Ephraim multiplicauit aras, in peccatum factæ sunt aræ eius dilectæ.] Iure, inquit, iniquum ipsorum obliterabo regnum, quandoquidem regnans super ipsos Hieroboam peruertit eos, ut multiplicarent idolicas aras, quę factę sunt ipsis occasio plurimorũ peccatorũ. Nam aduersus honorẽ meum deliquerũt, omnemq; cæterã peccatorũ speciẽ admiserunt: huiusmodi uerò aras dilexerũt, planeq; erga ea inflammati fuere, quũ debuissent potius ideo per omnẽ ætatem suã plangere et lugere.

Conscribam ipsi multitudinem, & legitima ipsorum.] In peccata, inquit, & reprehensionem ipsis conscribam, & supputabo copiam huiusmodi altarium, & legitima ipsorum, hoc est, memoriam faciam ad reprehensionem multæ ipsorum impietatis. In peccatum etiam factę sunt interimenti Christum populo, legales arę, & quæcunq; à Deo acceperunt legitima, in reprehensionem & iudicium ipsi scripta sunt, simulac
Rom. 2 ea est transgressus. Iudicabit enim, ut apostolus ait, præputiũ natura legem implens,
Matt. 25 transgressorem legis per circunciſionẽ. Et: Apud quem multũ depositum fuerũt, multum
Luc. 12 etiã repetent. Et: Sciens uoluntatẽ Dñi, nec opere eam persequens, uapulabit multũ.

Pro alienis altaria reputata sunt.] Idolicarũ quidem ararũ, multa sunt tacti sollicitudine: meas uerò aras & uilipensas & posthabitas pro alienis habuerũt, ideoq; neglectæ per ipsas iacuerunt. Fuerunt autem duo secundum legem altaria Dei: alterũ primitiarum foris in aula, alterum suffitus intus in tabernaculo. Porrò & unusquiuis nostrũm duas aras possidet: alterã foris, super qua corporales oratiões sacrificat Deo: alteram intus secundum mentem, super qua thymiama, seu suffitum precationis, diuinarumq; contemplationũ sublimitatẽ, & spirituales facultates ad superna mittit. Hæ sunt re uera dilectæ & precioſæ aræ. Sin quisquam his depulsis, multiplicauerit sibi aras, ad multiformes malignitatis species delatus, per opera nimirum & cogitationes, uarijs & peregrinis doctrinis agitatus, ad peccatum illi tales aræ fiunt. Præterea hæreticis consortione iuncti, habent quæ illis in peccatum cedant.

Proinde si immolauerint uictimam, & ederint carnes, Dominus nõ suscipiet eas.

Nunc

A Nunc reminiscetur iniustitiæ ipsorum, uindicabitq; peccata eorum.] Postquã enim quæ immolant super altaribus suis multis, idolis immolant, nõ suscipiet ea Dominus, quinpotius per ea & alias ipsorum iniquitates recordabitur, & ad uindictã prouocabitur. Perinde enim ut per sanctas hostias placatus & propitius factus, obliuiscit iniquitatum & iniuriarũ: sic animaduertens eos sacrum idolis facere, ad reminiscẽtiam aliorum quoq; uitiorũ uenit. At quid est quod ait: Si ederint carnes? Tenuerat consuetudo, nondum immolatis uictimis, renes unà cum adipe super ipsos, & summitatẽ hepatis offerre Deo: dextrum uerò brachiũ & pectorale sacerdotibus segregare: cæteras carnes, ij qui uictimam afferebant, pro suo nutu edebant. Quidam & hunc ad modum intellexere, quod non agitet sermones de idolicis sacrificijs, uerùm consiliũ eorum ex his iudicet. Vbi enim dixisset, quod aras meas dilectas alienas reputarunt, ne quis existimaret, quod sacrificijs egeat Deus, nũc ait: Ego nõ egeo uictimis, sedenim uoluntatem eorum ex his iudico. Vide aũt prædictã legalium ceremoniarũ abrogationẽ, introductumq; spiritualẽ in uerbo cultum, iuxta illud: Immola Deo uictimam laudis, & redde altissimo uota tua. Laudat etiam Deum fidelis, lumen propriorum operum coram Deo lucere faciens, ut ab uidentibus ea glorificet Deus, perinde ac diuersum faciens, autor est, ut uituperetur nomen eius apud gentes. *Psal*

Ipsi aũt in Aegyptũ auersi sunt.] Et auxilia inde petiuerũt, approperãtibusq; calamitatibus illuc confugerũt. Vel buculas adorãtes, bouẽ Apim ut Aegyptij coluerunt.

Oblitusq; est Israel factoris sui, & ædificarunt delubra: Iudas extruxit oppida mœnibus cincta. Demittam ignem in ciuitates eius, qui deuorabit fundamenta eius.] Vastrisq; regnis interminatur. Decem tribuũ imperiũ ideo increpat, ac terret, quod bello ingruente, quod interminatus sit eis propter scelera eorum, non dederũt operam ut me curarẽt, sed idola potius: hinc & plura sibi delubra & lucos excitarunt, placantes ita sua numina, ut bellum amoueant atq; fortunent. Ad Iudas ciuitates suas mu-
B niebat, ut per eas seruaretur, & nõ per meam protectionẽ. Proinde hostilis ignis exedet fundamenta ciuitatum ipsius. Extruit delubra dæmonibus, corrumpens templũ Dei, siue seipsum, per corporales impuritates nedum se perdẽs, uerùm etiã alios. Per impuritates enim habitant illi in eo qui antea fuit templum Dei. Iam qui per uanã sophistices scientiã, hæretica dogmata munit, extruit urbes mœnibus cinctas: cæterùm fundamenta, & subiecta, & principia talium urbium absumit ignis euangelici & apostolici sermonis, quem uenit Dominus iacere super terram: spiritus dein, quem in specie columbæ demisit Dominus. Præterea urbes Israelis secundum carnem, deuorauit ignis Romanorum, eo quod extruxerunt aduersus Dominum insidias, tanquã delubra hoc pacto Deo ædificantes.

CAPVT IX.

NE lætare Israel, neq; exhilarare, ueluti populi, quoniã fornicatus es à Domino Deo tuo.] Decerno aduersus te mœrorem, ac demando nullam in te occasionem lætitiæ & gaudij esse, sedenim præ omnibus populis te turbari. Quam ob rem? quia illi nunquam fuerunt mei: neq; enim legem acceperunt, neq; per prophetas docti sunt. Tu uerò meus existens fornicatus es. Non igitur oportet te in bonis agere, sed malis premi: ex quo tibi neq; lætari, neq; gaudere aderit: perinde ac dictum est: Non est gaudium impijs. Nam omni peccãti luctus conuenit. Diuus Paulus eum in modum de Corinthijs conquerit, quod non luxerint super eo qui fornicatus fuerat. *Esa. 57* *1. Cor. 5*

Dilexisti dona super omnem aream frumenti.] Quum meis, inquit, bonis, fruereris, tu dona dabas idolis, primitias frugum illis consecrans.

Area & torcular non agnouit eos, & uinum ipsis mentitum est.] Postquã, inquit, idolis fructus dicastis, nihil quicquam porrò colligetis, neque frumentum, neque uinum: cæterùm uidebitis quidem exuberantes uites, tempore autem uindemiæ spebus uestris fraudabimini.

Non habitauerunt in terra Domini, incoluit Ephraim Aegyptum.] Non enim ceu in terra Deo consecrata, legitimè uiuebant, sed nullam non iniquitatem perficiebant, ceu in alienis gentium terris nectentes moram. Propterea & Aegyptiacam impietatem sectantes, Aegyptum incolere dicuntur. Verùm sic etiam inhabitarũt Aegyptum, quod ut suprà memoratum, ad Aegyptios ueluti amicos concesserint.

Et in Assyrijs immunda comedent.] Siue quod ad Assyrios ceu auxiliatores confugientes, immunda comedēt cum ipsis, cōmuni cum illis mensa utentes: siue quod ab ipsis captiui ducti, epularum immunditiæ unà cum ipsis participabūt, ut serui dominorū suorū cibo proposito uescunt. Ab epulis aūt reliquæ etiā impuritatis species intellige. Postquā enim in immundo captiuitatis loco egerunt, impurè iuxtà uixerūt. Qui Deo primitias etiam frugū non dicauerit, ut fruātur eis indigentes, utq; ex ipsis eleemosynam faciat, dęmonibus eas impertit, dum eas apud sese retinet atq; reponit. Propterea area quæ in cœlis est & torcular, non agnoscet ipsos: non enim abducent secum illò fructum. Præterea uinū, hoc est, lætitia, quam hinc uidentur habere, fraudabit eos. Neq; habitabunt in terra Domini mansuetis dicata: uerùm Aegyptū & tenebras exteriores, quas parauit dæmonibus in Aegypto potissimū cultis. Tum impura sua opera, siue operū fructum edent, in parte dæmonū, quos per Assyrios sæpe intelleximus, cōstituti habitatores. Necessum est igitur credere, panē nostrū corda nos-
16 stra sulcientem, Christum ex Deo esse, perinde ac ipse dixit: Ego à Deo exiui, & ueni: talemq; suscipere operæ fuerit precium, terramq; Domini inhabitare, catholicā dico ecclesiam: haudquaquam autem hæreticorum conuenticula, quæ re uera cùm terra Assyriorum, tum Aegyptus sunt: ad quæ ingressus, impura illorum dogmata & arcana comedit.

Non libarunt Domino uinum, nec suaues fuerunt oblationes ei.] Hoc est, non obtulerunt ei hedysmata uel suauia aromata, per suffitus, sed idolis.

Veluti panis luctus.] Lex erat, eum qui attigisset mortuū, immundū uideri. Proinde quæcunq; ederēt aut biberēt, uel quæ simpliciter etiā attrectassent, lugentes mortuum immunda reputabant, eo q̄d cōtaminatio propter mortuū lege cauta esset. Oblationes itaq; & sacrificia eorū immunda erunt, ceu panes mœroris. Subinfert igitur:

Omnes edentes ea coinquinabuntur. Nam panes eorum cum animabus suis non ingredientur domum Domini.] Hoc est, ipsis erunt utiles, ipsiq; tantū uescentur eis, uerùm Deus non accipiet ea, quemadmodū neq; sacrificia crucifigentium Dominū, in eorum paschate suscipiebat. Vel panes propositionis eorum. Neq; libationes uini eorum Domino offerebantur. Neq; hedysmata seu thymiamata, quandoquidē non ut ille uoluit offerentur. Quod si ex iniquè partis facultatibus sacrum faciamus Deo, panis mœroris commodissimè dici poterit, tanquam circumuentis lugentibus, quod sint iniuriam passi. Sancit autem legem Deus, talia in domum suam non esse perferenda: impura enim esse, & qui ea manducarint pollui. Nec contaminantia exhibenda Deo, quod pollutis animis coinquinata sint peculiaria & propria.

Quid facietis in die panegyreos, & in die festiuitatis Domini?] Seruire enim coacti, ac secundum alias leges gubernari, non poteritis diuinos cōuentus iuxta Mosaicam traditionem celebrare. Quidam hic belli occasionem, & per id ultionis, diem panegyreos, festiuitatisq; Domini intellexerunt, quasi Dominus exhilaretur & lætos conuentus celebret, super ipsorum interitu. Possunt hæc & ad crucifixum Dominum referri, uelut indignabūdus propheta ita exclamet: O quale facinus admissuri estis in die paschatis, quādo panegyris quidem erit, uniuerso populo congregato, &
1. Cor. 5 reipsa Domini festum. Ipse enim ea cōstituit, pro nobis oblatus. Etenim pascha nostrum pro nobis immolatus est Christus. Dici etiā hæc queant, ad negligētes hic uirtutis opera: Quid facietis in die futuri cōuentus, quādo omnes sistemur ante tribunal Christi? prorsum nihil. Nunc em̄ poteritis facere quicq;, tūc uerò planè nihil. Talis etiam dies adeoq; festiuitas Domini est, quando Deus sit omnia in omnibus.

Idcirco ecce proficiscentur ex adflictione Aegypti, excipietq; eos Memphis, & sepeliet ipsos Machmas.] Quando Samaria capta est, reliqui in Aegyptū aufugerunt. Post, quando Hierosolyma incensa sunt ab Nabuzardan, fugerunt in Aegyptum, occiso Godolia, Hieremia tamen eos prohibente. Babylonij itaq; exacerbati, quod Aegyptijs confiderent, contra ipsos quoq; armabant: eosq; unà cum Aegyptijs adorti, citra laborem debellarunt. Quare tum istam in Aegypto calamitatem, & amissæ uictoriæ pericula fugientes, ad Memphin se receperunt, ceu munitiorem urbem, ut in qua regia erat: deinde ad Machmas quoque accurrerunt, uicinam Memphi ciuitatem, illicq; obierunt diem suum, in Iudæam non reuersi.

Argen-

A Argentum ipsorum pernicies hæreditabit.] Quoniã ab Deo acceptum illud impendebant in idolorum structuras. Siue quod quantumuis ingentia munera Aegyptijs dederint, ipsis tamen non potuerit commodare.

Spinæ in tabernaculis ipsorum.] Hoc est, inuia regio eorum et locus erit, atq; adeò solo æquata, ut iam spinas proferat. Vel, quod uidebunt quidem demorantes in Aegypto quiete frui, quæ tamen ipsis non obueniet, cæterũ calamitates in eos spinarum instar infigent aculeos. Præterea omnes in Aegyptũ fugientes, hoc est, ad toruũ, triste, persequensq; peccatũ, etsi splendens instar argenti uerbũ habuerint, interitus hæredi tabit, apprehendet: maiorẽ nanq; condemnationẽ, acerbioremq; interitũ, uerbum Dei, cui non parent, cedet. Deinde cõscientiæ spinas sustinebunt in tabernaculis, hoc est corporibus suis. Ferit em̃ conscientia nos ut spina nobis cõiuncta. Conuenient etiã hęc in opulẽtos, quib. argentũ est ac tabernacula seu ędes splẽdidę. Spinas aũt om̃ino Dñs solicitudines esse subindicauit: quę quãtæ sint in ædib. diuitũ, nemini est clàm.

Venerunt dies ultionis, accesserunt dies retributionis tuæ.] Quoniã uani prophetæ accusabãt diuinos & ueros uates, asseuerantes populo, quod quæ dicant prophetæ, post longa demũ tempora sint euẽtura, securos ita & pœnitentiæ uacuos plerosq; facientes: Deus iam nunc ait: Venerũt iam dies adflictionis tuæ, nec in longũ different calamitates tuæ. Propterea & diuus Paulus: Nũc, inqt, tempus est acceptabile. 2. Cor. 6
Et Dñs: Vigilate, quandoquidẽ ignoratis qua hora fur uẽturus sit. Et: Sint lũbi uestri Matt. 24
circũcincti, & lucernę ardẽtes. Et: Similes estis hoibus expectãtibus dominũ suum. Luc. 12

Affligeturq; Israel, ueluti prophetes attonitus, homo spiritifer.] Tãtus, inquit, mentium stupor apprehendet Israelẽ, in miserias & adflictiones incidentẽ, ut æquiparet pseudoprophetæ, ab malo spiritu ipsum inhabitante agitato, mentecq; capto, hincq; inde correpto ac circũacto: sic & Israel defatigatus hinc inde fugiet. Nec solus Israel hæc patietur, uerùm pseudoprophetæ in haud dispares incurrent cruciatus & mala.

B Ab multitudine iniustitiarum tuarũ multiplicata est insania tua.] Insaniã appellat stuporem, defectionẽ animi, trepidationemq; quã suis in calamitatibus pertulerunt. Hæc itaq; insania uehemẽs & multa, inuasit te propter multas tuas iniurias, quas mihi intulisti, idolis immolans, & proximis tuis, uiolẽter eos opprimens. Vel maniam, uanam prophetiam appellat, siquidem insanientibus similes erãt prauorum spirituũ subuates. Dicit itaq;, quod ut multos habendo deos, meo honori uim fecisti (etem̃ aureas uaccas, & Beelphegor, & Chamos, abominationẽ Sidoniorũ, & Bel, & Astartẽ, deuenerati sunt) sic & pseudoprophetas furore agitatos multiplicasti. Nã alius quidẽ per aues, alius p̃ uictimas, alius p̃ mortuos, alius uerò alia quadã ratione uaticinabat.

Speculator Ephraim, cũ Deo propheta, laqueus intortus super om̃es uias eius.] Ego quidẽ, inquit, lege tibi perlata, datoq; tibi intellectu, ut scires quõ te oporteret uiuere, ueluti quèmpiã speculatorẽ & prophetã cum Deo uaticinantẽ, demõstraui te cunctis gentibus, ut in Dei cognitione, Deoq; placente uita, cæteris etiã ducatũ præstares, ut ad mei cognitionẽ peruenirent. Repperi aũt laqueũ tortuosum super oẽs uias uitæ tuæ, undiq; em̃ læsæ sunt & illaqueatę animæ respicientiũ in te, partim ab idololatria tua, partim ab reliqua uitę tuę formula. Quidã hunc locũ sic accipere maluerũt: Ipsi Ephraim multos habẽti deos speculator & propheta cũ quolibet Deo cõstitutus est. Alij em̃ cultores & uates fuerũt Astartes, alij ipsius Chamos, alij alius. Eapropter laqueus intricatus super oẽs uias eius: hoc est, ppterea errauit, & rectã diuinæ cognitionis & uirtutis semitã amisit. Pharisæi quoq; speculatores cõstituti Israeli, præ se quidem ferebant speciẽ prophetarũ Dei, populũ uerò illaqueabant incuruũ existentem. Subinde etiã alij facti sunt, qui Dñm sermone captioso irretire conabant, non rectà accedentes ipsum. Quod si om̃is potestas ab Deo ordinata est, cõsideret et uideat qui libet princeps, quõ sit speculator & propheta Dei. Erit aũt si & alijs iustũ in iudicijs denunciet, ac in operibus suis illud ipsum etiam seruet: sin minus, laqueus est tortuosus.

Insaniam in domo Domini fixerunt.] Nedũ, inquit, in cæteris ciuitatibus idola statuerũt, uerumetiã in templũ Dei execrationes infixerũt: has em̃ nominauit insaniã, ceu ab demẽtia, insania, & stupore factas. Vel insaniã, ut suprà memoratũ, uanã prophetiã appellat, quã in templo Dñi, hoc est, populo collocarũt, & firmã & stabilem faciendo. Non em̃ desierũt habere pseudoprophetas, Domus Dei caro etiã deisera est,

in qua insaniã suam infixerũt, cruci adfigẽtes, passum pro nobis in carne. Domus Do A
mini est peræquè mens nostra, in qua insaniã infigimus, dũ oculos nostros flectimus
in uanitates & insanias falsas, circa uanã hanc uitã in rabiem adacti furẽtesue. Insania
est amor, insania est ira, insania est ad qualemcunq; uoluptatẽ immundam impetus.

Corrupti sunt iuxta dies collis, recordabitur iniustitias eorum, ulciscetur sese de
peccatis ipsorum.] Quia collibus applicuerunt se, illicq; facta sacrificia dilexerũt, cor-
rupti sunt animabus suis: & hactenus quidem tolerauit ea mala Deus, nunc uerò ul-
tionem sumet de omnibus diebus iniquitatis illorũ. Vel uetustioris historiæ mentio-
nem nobis ad memoriã reuocat. Nam Gabaa ciuitas erat Beniamin, quæ collem ua-
let, si quis traducat in nostram linguam. In hac, quũ Leuita quispiã transiens, diuerso-
Iudic.19 rio uteretur, ut fit, per noctem conuenientes sceleroſi urbis illius incolæ, uxore eius
rapta, per totam noctẽ impurè abusi sunt, adeò ut illic tandẽ morereť ea planè nocte.
Hic maritus, corpus seu cadauer coniugis suæ membratim dilectũ, reliquis tribubus
adlegauit, cõmissum illis flagitiũ ostendens. Quæ ardentes indignitate sceleris, ascen
derunt contra Beniamin tribũ, in Gabaa, hoc est, colle, ubi semel atq; iterum collatis
signis dimicãdo uicti sunt & corrupti, non ferente auxilium Domino contra Benia-
minitas, qui tantũ flagitiũ designauerant: iuxtà cæterarum tribuum populo indican-
do, quod & ipsi supplicijs digni sint, eoq; in mortẽ traduntur, quod ipsi iniqui quum
essent, iniquos punire uolebant. At uerò tandem clamantes ad Deũ profusis lachry-
mis, confortati sunt, ac resumptis uiribus Beniaminitas debellarũt. Proinde ait: quod
quemadmodũ in colle Gabaa perierũt & hi & illi, sic interibũt Iuda duæ tribus, & E-
phraim decẽ, inter se mutuò intricatæ. Contigerunt hæc quando Ioas rex decẽ tribuũ
uenit ad Amasiam regem Iuda, & abstulit partem de mœnibus Hierosolymorum.

Tanquam uuam in deserto inueni Israelem, & ueluti scopum in ficu præcocem,
patres ipsorum uidi. Ingressi sunt ad Beelphegor, abalienatiq; sunt ad ignominiam. B
Et facti sunt dilecti, ceu execrati.] Ob oculos hic ponit, quod nõ iniuria eos tradat in
perniciẽ. Ego eĩ, inquit, ueluti si quis in deserta terra, et prorsum uacante plantis, re-
periat uuã uel ficũ in arbore ficu præcoquã, cũ minimè modica uoluptate ea decerpit,
sic ego inquam ipse alijs hominibus in impietate spiritũ ducentibus, Abrahami & ab
illo descendentiũ patriarcharũ repertas uirtutes collegi, eorumq; mihi posteros assum
psi: atenim ex ipsis hi progeniti, haudquaq; eos imitati sunt, cæterũ traditis obliuioni
beneficijs meis, Beelphegoro seruierũt, abalienatiq; sunt, hoc est, defecerũt ab me ad
contumeliã sui. Renancq; uera pudor & ignominia eorũ talis Deus Beelphegor erat,
ąd iam olim dilecti mihi propter patres, facti sint per propriã suam impietatẽ ueluti
execrati Moabitę, illorũ eĩ idolũ coluerũt. Scopũ aũt, hoc est, metã & speculã appel-
lat præcocẽ ficũ, quod omnes speculenť, ceu primo prodeuntẽ. Ac deicidæ, qui antea
quidẽ dilecti fuerunt Deo propter patres, nunc execrabiles facti sunt, eoq; abalienati
sunt, nõ æmulãtes patrum suorũ uirtutẽ, fabricãtes crucẽ ad ignominiã Christi, unde
introierunt ad principem abominationis, toti illius dominatui subditi, familiaritatẽ
eius cõsecuti: hoc eĩ est ingredi. Porrò nusquã uolens mortẽ peccatoris Dñs, in ani-
ma destituta ab omni bono fructu, inuenit cogitationẽ aliquã Israeliticã, ac cœlestia
spirantẽ, adeoq; diuinis cõtemplationibus dignã, ceu uuam uerę uitis propaginẽ, quę
per angustam uiam expressa uinum proferet cõpunctionis. Præterea in ficu, uolupta
ria dico uita, inuenitur quispiã à Deo, qui præcox speculator sit, ante extremũ illum
diem futura præuidẽs, ad eaq; sese præparãs, pater alijs ac dux diuinioris uitę cõstitu-
tus. Atqui hic animaduertendũ, ne fors Beelphegoro, impuritatis dæmoni initiet, o-
peraq; ignominiæ aggressus, abalienetur à Deo, fiatq; antea dilectus, tanq; execrati,
nimirũ qui fornicati sunt tum, quum Phinees Israelitã propter Madianitin luxit. Nã
Psal.105 & illi, ut scriptura testimonium dicit, Beelphegor initiati fuerunt.

Ephraim ueluti auis euolauit.] Celeriter, inquit, defecit ab me, non secutus patres
illos suos. Vel quod celeriter ad captiuitatem abducetur.

Gloriæ ipsorum ex partu, doloribus et cõceptionibus. Propterea etiamsi educaue-
rint liberos suos, orbabunť illis confestim.] Quoniam noluerũt glorificari per me &
auxilium meũ, sedenim gloriam suam æstimarũt numerosam sobolem, putantes for-
san ex tali suorum copia sese robustiores futuros, nequicquam huiu modi sperarunt.

Etenim

A Etenim quando educauerint liberos suos, iamq; uirilis eos ætas firmauerit, bellum aduentans talibus eos filijs spoliabit, ideoq; nequicquam labores propter liberorum educationem sustinebunt.

Hinc ipsis dolor & calamitas euiniet.] Quid ita? Quia relinquentes liberos suos, & ab ipsis relicti, nō parum ærumnarū sunt passi. Ego uerò quando mecū expendo, quomodo mortales nos omnia occupamus, nullos non labores & solicitudinū dolores sustinemus, propter perditam huius mundi gloriam, de nobis hæc dici existimo, quod bonis operibus, quæcunq; ceu liberos educamus proferimusq;, ad gloriam respicientes humanam, nō fruamur, sed perdamus potius, hic mercedem nostram auferentes. Partim etiamúe, adeoq; ærumnā etiamnū sentimus, ceu negligentes mandati: Nihil faciatis ad humanam gloriam.

Caro mea ex ipsis.] De unigenito hæc Dei filio accipienda uidentur. Quum enim dixisset, Orbabuntur sobole sua: iam adijcit, non tamen omnino eos excindam perdamúe: Nam caro mea quam assumam, ex ipsis erit. Vnde & Paulus ait: Ex quibus Christus secundū carnem. Atqui hoc etiam pacto intelligere licet: Auditis propheta minis Dei aduersus Israelem, precatur ne uel ipse, uel sui contribules, & secundū carnem cōgeneres, sint participes futurę istius iræ. Propterea inquit, Caro mea ex ipsis, hoc est, extra ipsos: longè quæso ab ipsis remouear, & ego & caro mea, siue cognati & contribules. Cognatos enim apostolus carnē appellat, quū dicit: Si quo modo pro uocem ad æmulandū carnem meā, hoc est, secundū carnem cognatos mihi Hebræos, seruemq; ex eis quosdam. Non dissimile quiddā Dauid etiā: Ne simul, inquiēs, perdas cum impijs animam meam, & cum uiris sanguinum uitam meam. Matt. 8 Eod. Rom. 11 Psal. 25

Ephraim quemadmodū uidi, ad uenationē exhibuit filios suos. Ephraim pręstò est, ut educat liberos suos ad traiectionē.] Hæc ueluti ex prophetę persona dicuntur. Video, inquit, Domine quod Ephraim, ex quo iniquitates ac scelera cōmisit, tantū non B ipse liberos suos protulerit ad uenationē, hoc est, ad captiuitatē & traiectionē, hoc est, mactationē seu iugulationē. Quidā enim captiui ducti sunt, alij uerò ab hostibus iugulati sunt: itaq; neminem alium accuset orbitatis, sed semetipsum. Ad iracūdiam enim prouocans Deum per impietates suas, ipse hostes adduxit. Perinde ac qui Dominum occiderunt, Romanum uindicem accersiuerunt. Vel, quia filios suos Ephraim idolis immolabat, & ad uenationē & iugulationē destinabat, propterea non immeritò sobole sua uiduabit: haud iniuria priuatus illis, quos idolis iniustè ad mactationē, ad uictimā, ceu feram quandā & prædā prodebat, perinde atq; ipse ego uidi. Nec em est mendaciū hoc. Hisce astipulat etiam Dauid: Effuderunt, inquiens, sanguinē filiorum suorum & filiarū, quos immolarunt sculptilibus Canaan. Prauorū etiam dogmatum assertor quispiam factus, multos tales liberos, per uerbum sectæ suæ, ad iugulationem quam animabus suis patiuntur, tradit: prius tamen ad uenationē. Nam si quando germani ecclesiæ doctores conantur uenari illos, nec uoti compotes facti fuerint, tum demum mactant, ecclesiæ eos, anathematis hasta quidem auferentes. Psal. 77

Da ipsis Domine, Quid dabis ipsis? matricem sterilem, siccasq; mammas.] Quia, inquit, in prolis suæ exuberantia confidūt, tanquam per eam propter multitudinem, aduersus hostes præualent, ac idcirco auxilium tuum adspernētur, nihil omnino pariant, sint planè infœcundæ ipsorū uxores. Si uerò pariant, non lactent, non educēt, sed ante tempus absumantur proles: sic fiet, ut tollendorum liberorum spe orbati, te auxiliatorem suum inuocabunt. Hæc propheta precatur ipsorū etiam cura tactus, ueluti amans fratrum suorum, ut ne pariant impios liberos, neq; educent: ac pro diuina gloria æmulatur ceu amans Dei. Præterea cuiuis peccatorum matrix est, in qua concipitur in peccatis, secundum id quod dictum est: Abalienati sunt peccatores ab matrice. Quæ uerò illa est? Cuiuslibet peccati prima occasio & obiectio: fornicationis, uidere: cædis, irasci. Mammæ educantes genitū malum, cogitationes sunt sceleri consentientes, & sermones, quibus augescit. Proinde precatio est prophetico spiritu digna, nec matrices hasce malignātes pariant, efficętę factæ, néue ubera producta mala enutriant. Christi quoque occisoribus matrix est sterilis, legislatio nimirum literæ, propheticiq; sermones sunt eis aridi. Psal. 57

Omnes malignitates ipsorū in Galgal, quoniam illic odi eos, propter malignitates

studiorum suorum. E domo mea eijciam eos.] Postquã in Galgalis maximè fuerunt A
impij, horum meminit & ait: Propter illic non optima admissa facinora, odi ipsos, ac
eijciam eos ex domo mea, uel ex Palæstina, quam pro domo habuerũt ab me sibi tra-
ditam: uel ex templo meo: aliò enim ipsos transferam.

Nec posthac eos diligam.] Non enim ipsos ex captiuitate reduxit, sed illorum po-
steros. Aequè ac terram promissionis in Aegypto agentibus quidem Hebræis datu-
rum se pollicitus est, quæ posteris eorũ tandem obtigit. Nam quum egressi murmu-
rarent, in deserto ipsi quidem interierunt, filios eorũ promissione excipiente. Atqui
etiã si illos ipsos dilexisset, quos tamẽ nunc̃ sese dilecturũ nũc ait, nihil mirũ esset. Nã
si rectè intuearis rem, inuenies prophetiã refertã minis, ac rursus bonis promissioni-
bus, ut in præfatione dictũ. Propterea interminat̃ ut audientes emendent̃, ac emenda
ta uita sua non adducãt, sed potius auertant minas, malaq; ue, quæ interminatus est Do
minus. Nam in eos qui mores & uitam suam non in melius alterauerint, omnino in
ducuntur mala. Hæc propalam Iudæis quoq; Christi interemptoribus conueniunt.
Etenim & illi eiecti sunt ex domo. Primum ex parte, quando eiecit è templo Domi-
nus negociatores, qui ex patris sui æde emporium faciebant̃: deinde in uniuersum
omnes: posthac, quando templũ diruit, nec amplius eos diligere perrexit: peruenit
enim super ipsos ira in finem, & dorsum ipsorum semper inflexit, ad seruitutem eos
tradens, ut ita omnis ipsorum in Christũ malignitas persolueretur, quem ab Galilæa
Ioan.7 dicebant natum, iniuriam illi inferẽdo. Scrutare enim, inquit, & uide, quoniam pro-
pheta ex Galilæa non est excitatus. Quia uerò Galgal reuolutionem significat, con-
sidera quod quando ad ima terræ huius deuoluimur, cœlestia nõ spirantes, scrutare,
inquit, quod propheta nõ est ex Galilæa, sed ex cœlo, quæ est domus Dei: haud iniu
ria hoc patientes, quando neque ad cœlestia conspeximus.

Cuncti principes eorũ inobedientes.] Quasi dicat: Si subditi tantummodo impij
fuissent, forsan pepercissem ipsis, propter principũ uirtutẽ, æquè atq; propter Mosen B
peperci rursum Israelitis: nunc uerò & principes immorigeri sunt mihi. Nec unus
modò uel duo, sed uniuersim omnes. quî igitur noxam illis condonabo? quî par-
cam? ecquis mediator stabit?

Laborauit Ephraim, radicibus suis exaruit, ne fructum porrò proferat.] Radices
regnum appellat. Primùm enim uocatis in iudiciũ principibus, nunc radicem & re-
gnum elanguisse dicit, hoc est marcidam factam & aridam, ut quæ exciderit ab mea
pinguedine & adiutorio, adeò ut fructũ deinceps nunquã sit prolatura. Quum enim
in seruitutem decem tribus uindicasset Salmanasar, non ultrà regnum Ephraim sub-
stitit. Vel radicem simpliciter decem tribuum robur accipit, quod arefactũ est, quod
succensuerit ipsis Deus, ut non ultra fortes liberos progenerarent.

Quare si genuerint, interimã desiderabilia uentris eorũ.] Radix eorũ, inquit, uni-
uersa, adeoq; robur ita planè exaruit, ut non amplius sint, p̃ducturi liberos, q̃ pro ipsis
cõtra hostẽ dimicẽt. Ac si quos genuerint, ego occidã, p̃ prel̃iũ eos hostibus tradendo,
etiãsi ipsis grati sunt ac delectabiles. Ipsi quidẽ per sese nõ sunt digni ut desiderent̃, di-
ligãtur̃ue, uerùm quatenus sunt uentris eorum propagines, sunt ipsis etiam chari.

Repellet eos Deus, quoniam non audiuerũt ipsum, eruntq; errones in gentibus.]
Repulsis ipsis Deus ex Palæstina, faciet errones captiuos, quoniã prænunciante ipso
q̃ passuri essent, non habuerũt fidem, non obtemperarũt. Ecquis nõ uidet Iudæo-
rum synagogã, unà cũ doctoribus suis defloreſcentem, non constitutã super patrum
maiorumue radice, sed effractã arefactamq;, nec amplius uel fructũ, uel prophetã, uel
doctorẽ proferentẽ? Sed quæcunq; genuerint, uel cogitauerint, uentris sunt deside-
rabilia. Ex uentre enim ea sonãt, non ab ore Domini Dei omnipotentis. Et ea quidẽ
occidentia secundũ literam intellecta, quæ est mortua & non uiuens. Præterea ipsos
in gentibus errones constituet, non tantũ quod locum ex loco sint cõmutaturi, uerũ
quod mente etiam sua sint erraturi, id quod inter gentes maximè demõstratur. Gen-
tibus enim susceptis, ipsi non ingredientes, manifestissimi planetæ seu errones depre-
Psal.44 henduntur. Quinetiam nos ab ipsis principes constituti: Constitues eũ, inquit, prin
1.Tim.4 cipes super uniuersam terram. Et quemadmodũ Paulus ait: Regno inconcusso acce
Matth.11 pto, ne simus inobedientes dicenti: Tollite iugũ meũ super uos. Neq; arescãt radices

nostræ,

A nostræ, quas per baptisma tenemus, accipientes spiritū sanctum, qui dat nobis, ut fructum feramus per ubertatē. quilibet enim baptismate tinctus, donum sanctum possidet, quo confortatur, ut ad mandata sese strenuè gerat. Optimum itaq; fuerit non habere desideria uentris, uel circa escas occupatos & hærētes, uel aliam quampiam humanarum cogitationū generationem. Sin tenuerimus, beneficiū suum impertit nobis Deus, occidens eam per uerbum suum in nos transfusum, quod uiuax est & efficax, omniq; ense penetrantior ancipiti. Errat etiam in gentibus, gentium consuetudinibus sese accommodans, diuinationibus, auspicijs, augurijs, idq; genus alijs ipsarum superstitionibus sese dedens.

CAPVT X.

VItis palmites proferens ac gemmas Israel, fructus eius abundans. Iuxta multitudinem fructuum suorum multiplicauit aras.] Dicto quod radix eius elanguisset, ac sterilis esset facta, nunc subdit, quod & antea uitis ac uinea gemmascens, ac in multam exuberantiam extensa fuerit, propter fœcunditatem liberorumq; exuberantiam, perinde ac Dauid ait: A mari septentrionali aduscq; mare australe imperiū tenebat. Attamē hac partus effusa multitudine non est usus ad Dei gloriam, sed quotquot fuerunt, tot etiam altaria excitarunt, hinc & iure imminuetur ipsorum copia. *Psal.*

Iuxta bona terræ suæ ædificauit columnas.] Dei bonis, inquit, dilatati & opulenti redditi, iniurij in ipsum fuerunt, idolis extruētes aras haudquaquam uiles, sed sumptuosas ac pretiosas, iuxta bona quæ dabat eis Deus: dico autem aurum & argentū, aliamq; materiem.

Partiti sunt corda sua.] Diffiderūt, inquit, ab me corda sua, ut nullā mecū partē habeāt. Vel q̄d alius alij Deo arā excitauerint, partientes idola, & alius alij dātes corda.

Nunc excindentur.] Non post multū temporis, sed nūc. Quādiu ēm non dederūt
B corda sua idolis, & non adeò grauiter impij extiterunt, procul ipsis fuit internecio. At postq; iam quisq; corde suo ab Deo dissociatus est, irruet super ipsos pernicies.

Ipse suffodiet ac demolietur altaria ipsorum, columnę eorū in miseriam incident.] Ipse nimirum Deus, à quo dissepararunt corda sua, uel rex Babylonius. Nam & ipse altaria succendit in ciuitatibus passim, pretiosas colūnas diripuit. Vitis etiam palmites & gemmas proferens est, qui nullo, in hoc uitæ cursu, bono destituitur, sobole fœcundus & alijs luxurians. Atqui inseruiens adfectibus, cuilibet forsan horum altare constituit, exhibens membra sua serua iniquitati, ad iniquitatem, iuxta bona terræ suæ, hoc est, quatenus terra ipsius, aut caro delectatur his, & bona ea iudicat. Columnas etiam erigit, impermutabilem in quolibet adfectu prauo habitū. Eiusmodi partitur etiam cor suum, duobus dominis inseruiens. Beneficiū uerò ab Deo accipit, quando altaria eius demolitur Deus, uel tradens ipsum satanę in carnis perniciem, ut spiritus seruetur. Vel aliàs in camo et freno maxillas eius cohibens, & contritionem & adflictionem in uijs eius faciens, ut dimoueat ab habitudine, quā in malignitate est adeptus, cùm per ademptionē fortasse liberorū, tum aliorum bonorū priuationem. Hæc omnia & in deicidis Hebræis inuenies, etsi non intellexerint.

Propterea nunc dicent: Non est rex nobis, quoniam non timuimus Deum. Rex uerò quid nobis faciet? loquens uerba, occasiones uanas, legabit testamētum.] Docet iam nunc eos, qualibus oporteat pœnitentia ductos uerbis uti. Quando enim uiderint regnum suum dissolutū, dicent: Hoc nobis contigit, quia Deū non timuimus, cui nos confidere par erat, non autem regi. Nam rex non potuit nobis opem ferre, sed potius nobis imposuit, uana promittēs, aliàs alia subinde prætexēs, nunc cū Assyrio quidem, nunc uerò cū Aegyptio fœdera feriens, & contractū faciens, de auxilijs in bello mittēdis. Hæc & propalā Iudæi de Christo ad Pilatū dixerūt: Ne scribe quod sit rex Iudæorū: qui & Christi doctrinam mendacia uerba calumnianter appellabāt. Enimuero ipse legabit testamentū, credentibus in eum, nouū, pacem faciens per sanguinē eius, inter cœlestia ac terrestria. Præterea omni non timenti Deum, non est regnum re uera, sed irrationalitas in eo sceptris potitur, ac motuū turbulentia suam in ipso rempublicam administrat, à quibus rex uerbum Dei uituperatur, tanquam loquatur uerba sola, ad spem futurorū ablegans. Testamēti huius diuus peræquè Ioannes meminit, ubi Christus dicit: Si diligitis me, mandata mea seruabitis. Nec porrò *Ioan.19* *Ephe.2* *Ioan.14* *ibid.15*

loquor

Ibid.14. loquor uobis, ut ſeruis, ſed ut amicis. Et: Proficiſcor locũ parare uobis. Et rurſus: Niſi A
Luc.14 quis abiunctus fuerit ab omnibus ſuis rebus ac bonis, nõ poteſt meus eſſe diſcipulus.
Mar.8 Et: Qui perdiderit animam ſuam, in uitam æternam inueniet ipſam.

Orietur ut gramen iudicium ſuper ſolum agri.] Quemadmodum, inquit, gramen diffunditur magis & multiplicatur in pratis, ubi neq; aratrum ipſum interturbat, neque ligo, quod illic non colatur locus, ſic meum iudicium, & calculus noſter iuſtus citra ullum obſtaculum prodibit.

Vitulæ domus On accolę erunt inhabitantes Samariam.] Sedebunt apud ſimulacrum aureæ uaccæ, cultum in Bæthel: hanc enim dicit domum On, hoc eſt, inutilis planè imaginis. Aſſidebũt autem tum, quum inuaſerint eos pericula, opem inde inquirendo. Hæc autem dicit illorum dementiam corripiens, ut qui bruti pecoris imaginem pro ſuppetijs ferendis implorent. Prodijt etiam iudicium Dei ſuper ſolo æquatum & exciſum populum Iudaicum, quem neq; uates, neq; ſacerdos in poſterum coluit, ſed aſcendit ſuper ipſum ueluti ſuper ſolum incultum ſpina, pungens quæpiam affectio, ex qua Dominum etiam ſpinis coronarunt. Iudicio enim iuſto traditi ſunt Romanis. Super gentes etiam deſolatas & in nihilum redactas, re uera iudiciũ Dei,
Rom.5 hoc eſt, lex effloruit, prodijtq;. Vbi enim exuberauit peccatum, ſuperabundauit & gratia. Nos enim habemus legem, qui finem eius tenemus: finis autem legis Chriſtus. Bene aũt, prodijt, dictum eſt: ab umbra enim apparuit ſpiritus. Inhabitantes porrò Samariam, ſunt qui nunc Iſraelitæ dicuntur, qui Samaritanis æquiparantur. Vt enim illi uidebantur legem ſeruare, nec interim tamen à patrijs traditionibus deſiſtebant: ſic & illi legem quidem obſeruare apparent, à patribus tamen ſibi ſuis traditam erga Chriſtum impietatem diligunt. Proinde domum inccommodi incolunt, incommoda nanque eſt litera.

Quoniam luxit populus ſuper ipſum. & quemadmodum exacerbauerunt ipſum, lætabuntur admodum ſuper gloria ipſius.] Non ſolum, inquit, nihil cõmoditatis ac- B
ceperunt ab aureo iſto ſimulacro, ſed maiorẽ inde luctũ adepti ſunt. Etẽ traditio eſt Hebraica, q̃d quando aduenit cum copijs ſuis rex Syriæ Ader, cõtra Samariæ urbes, tum Manaim rex Samarię accerſiuit pro auxilijs Phua regẽ Babyloniũ. Cui opem ferenti depellentiq; Ader Syrum, quũ non haberet mercedis tantũ, quantum redderet, multũ enim illi debebat pro eo beneficio, aureã ei uitulam dedit. Luxit itaq; populus, Deũ ſuum tali cõtumelia adfectũ eſſe: ueruntamẽ arbitrabant, quæ eorũ erat amentia, quod etiamſi eum ad amarulentiã ea ignominia ꝓuocaſſent, Babylonij ipſum glorificaturi eſſent, ceu Deum honorantes. Ac eiuſmodi ſpes eos gaudere facient.

Quoniam trãslatus eſt ab ipſo.] Translatus eſt uitulus datus Babylonio Phua. Audito quæ deinceps ſequuntur.

Ipſumq; in Aſſyrios ligantes, abduxerũt munera regi Iarem.] Hoc eſt, uindici ſuo regi Phua. Iarem enim, ut præmemoratum eſt, ſignificat ſi transferatur, ultorem, ſeu uindicatorem. Pulcherrimè autem dixit ligantes, tanquam ſuper uitulo deridens illorum dementiam.

In domo Ephraim accipietur, pudefietq; Iſrael in conſilio ſuo.] Phua, inquit, ſuſcipiet aureũ uitulum, ceu in domo Ephraim datum, hoc eſt, in domo regis: attamen populus cõtumelia afficietur, ſuper ſuis conſilijs de tali ſimulacro: non enim honorauerunt ipſum Chaldæi, ſed cõminuentes conflarunt. Sunt qui hæc de Chriſto pariter intellexerunt, quẽ populus quidẽ ſuus lugebat, uidelicet diſcipuli et mulieres, ad quas
Luc.23 dixit: Filiæ Hieruſalẽ ne flete ſuper me. Alij deinde pectora ſua tundebant, quando erat in cruce. Iudæi uerò maledicentes, exacerbauerunt eum, & gauiſi ſunt, quando gloria eius translata eſt ab ipſo, dum in cruce dehoneſtaretur, nec habebat ſpeciẽ, neq; formam. Ac ligans eum Pilatus, remiſit ad Herodẽ, qui per arrogantiã Aſſyrius etiã rex erat. Hunc ad modum Chriſtũ in nobis commorantẽ, quem per baptiſma habemus in interiore noſtro homine, transfert ab nobis regnãs in mortali noſtro corpore peccatũ: ac ligans ipſum, corpus dico, ut ne quippiã operetur quod deceat uirtutẽ, ho-
1.Cor.5 ſti & ultori defert munus, hoc eſt, diabolo, qui hoſtis exiſtẽs ſalutis eius qui Corinthi fornicatus erat, & uindex factus eſt, aſſumẽs ipſum in pernicieẽ carnis, ut ſpiritus ſeruetur. Haud diſſimiliter Phygellum & Hermogenẽ à Paulo ſibi traditos caſtigauit,

ne

A ne blasphemarent. Magnum enim donum est tali ultori, Christianos nos ligatos esse 2. Cor. 5
ut nullū Christi mandatorū agamus, dicentis: Si diligitis me, mandata mea seruabitis. Ioan

Abiecit Samaria regnum suum, tanquam sarmentum super faciem aquæ.] Id est, adeò facile regnum ab Samaria tolletur, excinderetúrq; ut leue sarmentū ab aqua auellitur, diripiturq;. Vel regnum uitulum appellat, quem citra negocium legauit in Assyrios, ut memoratum est.

Diruenturq; altaria On, peccata Israelis. Spinæ ac tribuli ascendent super aras eorum.] Diruentur altaria idoli, quæ causa peccati fuerunt populo Israelitico: per ea enim Deum ad iram suscitabant. Deinde ubi terra uastata fuerit, & aræ dirutæ, loca spinis erunt plena. Quinetiam regem Christum abiecerunt, pro nihilo eum reputantes, Samaritani, ut suprà indicatum est, Iudæi. Postea uaticinatur idolicorum altariū demolitionem, quæ post Christi aduentum facta est: ab uno idolo On, cętera omnia intelligens uel demonstrans. Abijcit etiam incredulus, regnantē inter sese incredulitatē atq; peccatum, super faciem aquæ baptismatis, diruunturq; eo pacto infidelitatis in ipso aræ, tumq; apparet plena spinis ac tribulis, antea plana uisa religio. Sic fidelis abijcit peræquè regnans in sese peccatum, super aquam lachrymarum, faciem suā tali aqua sensum habente lauans, ex quibus peccatis & propter quæ ipsi bellum est. Ac membra eius, peccati aræ, (est autem peccatum idolum substantia & utilitate uacans) implentur tum spinis & tribulis: pungunt enim & feriunt peccata, ob pœnitentiam.

Dicentq; montibus, Tegite nos: & collibus, Cadite super nos.] Talis ac tanta, inq;t, uehementia & amarities calamitatum erit, quæ comprehendent eos, ut unusquisuis eorum exoptet potius montium colliumq; super se ruina contegi, quàm Babylonicis incidere malis. Non frustra uerò meminit cùm montium tum collium, sed postq; in Bæthel sacrum faciebāt uaccæ, fecit mentionem istorum altarium. In montibus ue-
B rò inseruiebant idolis alijs, nimirū Astartæ, ipsiq; Chamos & Baal: hæc ipsa iam nūc recordatur, tanquam ipsis causa fuerint calamitatum, ut qui neq; aliàs commodarēt eis, & ante ingruētia ista mala, ipsos etiam occiderint. Hæc Dominus in Euangelio Luc. 23
quoque prædixit, nempe quæ quantaq; mala eos inuasura essent.

Ex quo colles peccarunt in Israele.] Non tantum, inquit, ex quo uaccæ cœperunt adorari, peccauit Israel, sed antehac etiam, dum colles acceperūt culturam. Etenim buculas istas Hieroboam statuit: Solomon uerò à mulieribus persuasus, in excelsis collibus aras extruxit.

Illic statuerunt se, ne apprehendat in colle eos bellum, super liberos iniustitiæ, uenit castigare ipsos iuxta cupiditatem meam. Et congregabunt super ipsos populi ut castigent eos, super duabus iniustitijs eorū.] Et stabiles & immobiles steterunt, super idolorū cultu in collibus, dicentes, q̄d bellū eos non apprehendat, neq; cuiq; ærumnę incidant, qui in ara idola deuenerent. Atqui re uera uenit super eos prælium, tanquā re uera filios iniustitiæ seu iniquitatis, ut castigarent eos iuxta cupiditatē & uoluntatē meam. Hoc aūt bifariam intelliges, uel quod acriter & acerbè castigauerit, hoc enim est quod desidero, eo q̄d sint incorrigibiles: uel quod leniter & tolerabiliter eos corripuerit, perinde ac pater filium corrigit, id quod Dei propriū est. Verùm quod sequitur, ad perniciem et uastationem pertinet. In posterū, inquit, congregabunt aduersus eos populi multi, ut adfligant eos, quod duo flagitia commiserint. Primum, quod me benefactorē suum reliquerint: alterum, quod ad leuia & inutilia planè idola accurrerint. Peccauerunt etiam qui Dominum dederunt neci Iudæi. Quum enim auaritiæ affectione languerent, quę collis ob suam elationem dicitur, non sustinebāt glorificari Dominū. Stantes igitur, ea fuerūt imbuti praua opinione, Quoniā si hūc occiderimus, nō apprehendet nos bellū, nec uenient super nos Romani, ut nos auferant. At occupauit eos bellū, quoniā duas iniquitates admiserūt, Dñm cruci adfigentes, deinde calūniates ipsius resurrectionem. Super omnem quoq; tribunū non recipientem, ut se existimet esse cinerem, ac in ima defigat oculos, sed in excelsis istis locis dæmones curantē, ueniet deiectio, quæ est bellū sublimitati. Omnis em̄ sese exaltans humiliabit. Et exaltās ianuas suas, quærit perniciem. Dominus enim aciem suam instruit contra superbos, seseq; illis opponit. Duabus itaque iniusticijs superbus iniustè agit,

uimq;

uimq; facit, attollens se nedum contra homines, uerumetiam aduersus Deum. A

Ephraim iuuenca docta diligere contentionem.] Indomitus est Ephraim, nolens sub iugo meo esse, sed nunquam non diligens uincere ac facere quæ sibi uideantur. Vel quod ego docuerim ipsum uincere, hostesq; in fugam uertere: sed nõ custodiuit eam institutionem meam.

Adueniam ego super pulcherrimam ceruicem eius.] Hoc est, humiliabo, submittamq; ipsum per hostes, & persuadebo meæ cognitionis iugũ accipere. ac reges eius potissimũ humiliabo. Nam regnum nominauit pulcherrimã ceruicem eius. Etenim reges in pluribus impij erant, populo ad consimilẽ impietatem iter monstrantes. Bene dixit ceruicem, ut ostenderet eos ceruicosos. Hunc ad modum Pharisæi & sacerdotes, cæteris altiores fuerunt, sedenim submisit eos, ab ipsis ad crucem fixus.

Scando super Ephraim, Iudam silentio præteribo.] Postquam, ut in superioribus recitatum est, decem tribus cum regibus suis, in nullum non idololatriæ genus exciderant: Iudas uerò, seu dũæ tribus moderatè se gererent: nam Amesias & Ezekias & Iosias, pij erant, ait: Ascendam iamnunc super Ephraim, & grauabo ipsum, Babylonios aduersus eum adducens: Iudæ uerò interim parcam. Etenim quum aduenisset Sennacherim obsidione cingens Hierusalem, centum octuagintaquinq; mil-
4. Reg. 19 lia angelus Domini una nocte perdidit, unde ille perterrefactus aufugit. Proinde Ephraim, siue crescentem in uitiositate humiliat Dominus, grauiter ipsi impositus, ac manu sua fortiter ipsum premit. Iudam uerò confitentem non grauat, ut qui sese sua sponte per pœnitentiam adflictet, subindicans iuxtà, quod extemplo modica adflictio, æternum gloriæ pondus operetur.

Fortis erit in ipso Iacob.] Rationem reddit, cuius rei gratia in præsentia parcat Iudæ, Robur inquiens in ipso faciet uirtus diui Iacob, quam æmulatus est. Adumbrat autem & obscurè monstrat iustitiam Ezekiæ: illius enim lachrymis & uirtute inspectis, Deus Senacherim ab Hierusalem re infecta dispulit. Iacob sonat etiam Dominum non fingentem propter suam probitatem. Nec enim inuentus est dolus in ore eius, cuius typum gessit, Christi. Significat etiam habitãtem domum, quæ est domus Dei uiuentis: Vel domum tabernaculi nõ manu factam, quam ex nobis assumpsit, quam hodieq; immoratur. Ille igitur inter Iudæos fortis robustusq; fuit, qui etiamsi crucifixus est ex imbecillitate, uiuens tamen per potentiam Dei, iniurios hostes suos ultus est, ac post resurrectionem suam rependit eis uicem. Hanc ad rationem omnis Iacob, hoc est, affectuum suorum supplantator & suppressor, robustus erit in Iuda, id est, per confessionem. Qui enim didicerit supplantare passiones, ille uerè confitetur, non reuertens ad proprium uomitum. B

Seminate uobis ad iustitiam.] Duplex est adhortationis ratio. Adhortatur enim aliquis ad bonum, uel supplicia indicans inobedientium, uel coronas & præmia rectè agentium. Et hic igitur Deus ostendit, quæcunq; mala non obtemperantes ipsi apprehendẽt. Virtutem quoq; Iuda ob oculos posuit, cuius causa uenia donatus est. Posthac cæteros admonet dicens: Seminate uobis ipsis, non enim Deum iuuabitis, sed uosipsos. Iustitiam aũt uerùm Dei cultum appellat. Iustum est enim creatori & autori cultum tribuere, & non idolis. Vel uniuersam uirtutem intellígit, quæ iustitia nominatur, eo quod uirtutes operans iuste iudicat, rationi subdens affectus irrationalitatis, nec quod peius est potiori præferens, id quod praui & iniusti est iudicis.

Vindemiam facite ad fructum uitæ.] Seminãtes iustitiam, & iniuria Deum adficientes, cultum eius idolis deferendo, ac natura iniustum, per uitiositatẽ suam uirtuti anteponendo, illi ad mortem uindemiã fecerunt ab hostibus occisi. Vobis autẽ qui sementem fecistis ad iustitiam conferentem, (est autem semen bona omnino cogitatio, quæ in opus exit) uobis inquam messis in fructum uitæ proueniet. Effugietis enim hostium ensem, & uiuetis: fruemini hac uita præcedẽter, deinceps uerò & consequẽter futura cœlesti. Præterea sensibilem & externis bonis gaudentem, ueluti carnalibus adhuc, etiam promittit.

Accendite uobis lumen cognitionis.] Hoc est, agnoscite Deũ, deficiẽtes ab idolis.

Inquirite Dominum interea usquedum ueniant fœtus iustitiæ uobis.] Monstrat ipsis rationem, per quam seminent & illuminentur. At qualis ille modus? Dominũ, inquit,

inquit, inquirere, quærere autem citra intermissionem, donec iustitiam perfeceritis, & fructus eius, hoc est, reliquas uirtutes, & lumẽ cognitionis. Vel: Quærite, pro, precamini Dominum, usquequo permotus inflexusq; uobis sese reddat. Quod si iustitiam operabimini, propterea ne confidite: citra nanq; Dei opem ipsa non potest eripere uos. Ipsum igitur inquirite, rogantes ut uos ab, quæ meruistis, periculis liberet. Haud his dissimilia Dauid ait: Oculi nostri ad Dominum Deum nostrũ, tantisper dum misereatur nostri. Sin Christus est iustitia, iuxta diuum apostolum, uidetur hic locus adhortari legis doctores: Seminate in cordibus auscultantiũ, semina ad Christum, uerè iustitiam, ducentia. Hoc enim est uobismetipsis seminare. Discipulorum nanq; profectus ad præceptorem quoq; pertinet. Ac colligite ueluti in uindemia literam, non ut in ea stetis, sed ut illum inde decerpatis, qui dixit: Ego sum uita. Infert ergo: Accendite, inquit, uobis lumen cognitionis, qui legi assidetis, futurorum bonorum umbram habenti: lumen cognitionis Christi uobis accendite. Quin aliquis sibi lumen incendit, sibiq; prælucet, dum ad nos accedit. Quoniam autem Dauid ait: Accedite ad ipsum, & illustramini: non iniuria nobismetipsis lucẽ præbere, & facem accendere iubemur. Quærite qui in lege agitis Dominum, nam ipse dabit uobis fructus iustitiæ: Siquidem ex operibus legis non habebitis iustitiam, siue iustificationem: iustificabimini autem ex fide in Christum Iesum. Iam si seminans in carnem, ex carne coruptionem metet: seminans autem in spiritum, ex spiritu uitam æternam colliget: demus operam, neq; in carnem seminare: neq; in spiritualia sic festinemus semen spargere, ut spectemur inde hominibus: nõ enim nobismetipsis ita seminamus, sed uolucribus cœli, quibus non celata semina sunt exposita. Verùm si per fidei opera seminemus, tum lux cognitionis & contemplationis illucescet nobis. Psal. 122 Psal. 33

Vt quid conticuistis impietatem, & iniustitias eius messuistis?] Decebat uos impiè agentes, pœnitẽtiæ pharmacis uti, nec reticere impia flagitia, sed confiteri. Nũc uerò id non facientes, decerpsistis iniustitias impietatis, digna pro ipsis supplicia referentes. Atq; hęc secundũ quosdam impietas, bifariam intelligitur, uel erga Deum, uel homines, seu proximũ. Quadrant autẽ hæc omni sacerdoti, doctori & principi, adeoq; magistratui. Non enim oportet silentio præterire delicta, si quando fratres impiè agant, Lex enim præcepit: Argue fratrem tuum, nec accipies uel admittes super ipso peccatum. Dein Paulus etiam peccantem coram omnibus reprehendi iubet, ut & reliqui sic in trepidationem conijciantur. Quocirca si taceat cuius loqui interest, ipse etiã demetit fructus iniustitiæ, non eius tantũmodo qua peccans ille iniustus est, uerùm & eius qua ipse erga peccantem iniurius est, non excindens eius ad bonum impetum. Leuit. 19 1. Tim. 5

Comedistis fructum mendacem, quoniam speraſti in curribus tuis, in multitudine potentiæ tuæ. Exurgetq; pernicies in populo tuo, & omnia munimenta tua peribunt.] Vanam spem fructum mendacem appellat. Tu, inquit, speraſti in ingenti populi tui copia, & in curribus: at uerò diuersum eueniet. Populus enim bellicosus unà cum curribus interibit, & ipsæ ciuitates diruentur, neq; quicquam proderit murorũ firmitudo & munitio. Hæc ad quẽuis etiã principẽ dicuntur, qui arbitratur sibi munitionem & securitatẽ parare humanis cùm consilijs tum inuentis. Hebræi quoque, cum abunde argenti dedissent militibus qui sepulcrum Christi custodiebant, mendacium decerpserunt, dicentibus illis quod non resurrexisset: propterea Romanis aduenientibus, fiduciam ponentes in multitudine populi & munitione urbis, perierunt. Interitus autem ille in medio ipsorum erat, seditionem enim inter sese suscitarunt, nec ab externis hostibus tantum, uerùm & ab seipsis absumebantur. Præterea fames perniciem in medio ipsorũ pariebat, adeò ut ne matres quidem suis parcerent charissimis alioqui pignoribus.

Tanquam princeps Salama ex domo Hieroboal, matrem cum liberis in terram præcipitarunt, sic faciam uobis à facie malitiarum uestrarum.] Cum idolorum cultui, uero Deo relicto, Israelitæ olim se dedidissent, immisit super eos Deus Madienæorum principes, Oreb, Zeb, Zebee & Salmanan. Is igitur Salmanan, quem hic Salama uates appellat, intãtum crudelis erat & ferox, ut matres unà cum pueris suis infantibus, solo illideret, & in terram præcipites daret, ac eum in modum miserabi- Iudic. 8

pissimæ morti traderet: hoc autem faciebat mulieribus ex domo Hierobaal, hoc est, Gedeonis, siue Hebræis uxoribus. Nam domum Gedeonis, uniuersam Hebraicā cognationem dicit. Hanc igitur ad formulam uobiscum agam ô domus Israel, tradamq; uos hostibus propter peccata uestra, qui infantes unà cum matribus miserabiliter perdent. Hieroboal autem Gedeon uocatur, quod sacrū opus egerit Baal idoli columnam auferendo, lucum pariter idolo dicatum una nocte excinderet.

CAPVT XI.

SVb diluculum abiecti sunt.] Diluculo, inquit, abiecti sunt. Quando, inquit, exspectarunt Assyriorum auxilium, ut ipsis appareret instar diluculi, in nocte hæsitationis constitutis, & in angustia belli, tunc abiecti sunt Babylonem captiui. Vel quia celeriter ac breui pòst tempore perniciem sustinebunt: diluculū enim non perinde longū tempus continet: sol enim ortu suo insequens, diem facit. Ad hęc Deus, usquedum tolerans est mali, dormitare dicitur: ubi uerò cœperit se ulcisci, tunc exurgere uidetur. Dicit igitur: Quoniam alio tempore dormitabam, ueluti in nocte, nō uidēs eos: nunc uerò tanquam diluculo facto, expergefio, ac inposterum reiciā eos.

Abiectus est rex Israel.] Abiectus est quidē, quatenus trāslatus est Babylonē rex Israel. Abiectus est etiam, quatenus cessauit deinceps regnum Samariæ, ut sæpe recitatum est. Reiecti sunt etiam tenebras eligentes Hebræi, quando euangelici uerbi lumen apparuit. Quod si per diluculum accipiamus præcursorem diuum Ioannē baptistam, qui aduenientem solem Christum nunciabat, abiecti sunt tum, quādo eis diceret: Genimina uiperarum. Ne incipiatis dicere in cordibus uestris: Patrem habemus Abraham. Et: Omnis arbor non faciens fructum bonum, excinditur, & in ignem proijcitur. Quur uerò hoc passi sunt? Quoniam abiecerunt ipsi Christum, regem Israelis. Sic quæ in nobis Deum ad iracundiam prouocant, diliguntur quidem
Ephe.5 ab nobis tantisper dum noctem & sensus uacuitatē habuerimus. Vbi uerò audito dicēte: Expergiscere qui dormis, & surge ex mortuis: & Christo illucescēte, extra noctē illā & insensibilitatē trāslati fuerimus, peruenerimusq; ad perceptionē eorū quę egimus, diluculumq; nacti esse uidebimur, imperium uidelicet diurnæ, adeoq; lucidæ constitutionis, tunc abijciuntur à nobis antea dilecta, & ipse qui prius in nobis regnabat, princeps tenebrarum.

Quia infans est Israel, & ego dilexi eū, & ex Aegypto accersiui filios eius.] Quēadmodum aduocaui filios eius, sic abierunt ex facie mea, proq; dementia & infantili cogitatione sua hoc suppliciū sufferent. Ego quidem ex Aegypto ipsos accersiui, & ex amara illa seruitute liberaui: ipsi autem recesserunt à me, nolentes ostendere se mihi, ac seruire mihi, sed idolis. Vel in hunc etiam modum hoc intelligere poteris. Perinde nanq; ac quopiam ambigente, cuius rei gratia adeò execrabiles uocauerit primùm, respondet, ppter patres, Nam Iacob cognomēto Israel infans erat, hoc est, simplex & non fucatus, non fictus, quē dilexi adhuc in aluo matris suæ existentem.
Malach.1 Iacob enim, dicit Dñs, dilexi, Esau idio prosecutus sum. Eam ob causam filios eius eripuit ex Aegyptiorum seruitute, ipsi uerò patrum & maiorum suorum nemine honorati, fugerunt ab me, non singuli uel bini, uerùm secundum copias & iuxta tribus, itidem ut uocaui eos ex Aegypto uno agmine. Christus ipse Israel etiā dicitur, ut qui Deum ipse uiderit. Nemo enim patrē uidit, nisi qui ex Deo est. Ille igitur infans fuit, & hunc ex Aegypto uocauit Deus pater, uerè dilectum suum. Præterea Iudæorum filij, Christi etiam pueri dicti propter cognationem carnis, secūdum illud:
Heb.2 Ecce ego & pueri mei, quos mihi dedit Deus: quoties ab ipso uocabantur aufuge-
Matth.13 rūt. Vnde dixit: Quoties uolui congregare liberos tuos & noluistis: Obserua autem, quando quispiam malignitate infans est, tum diligit eum Deus, Israelem ex ipso fa-
Sep.1 ciens, Deum & cernentem & cognoscentem. Siquidem in maleficam animam nō ingredietur sapientia. Porrò ex Aegypto aduocatur peccator, hoc est, ex multum errante scientia, marcescenteq; cognitione seculi huius. Proinde nos sobrios esse oportet, ne quādo simulac uocati sumus à Deo, ad cognitionem filij eius, liberi nostri, id est, cogitationes humanæ, quas nos generamus, & consilia à Deo excidant. Nam cogitatio mortalium misera res est, impenseq; fragiles & fallaces sunt consultationes ipsorum,

ipsorum. Hinc & Paulus ait: Si uerò quispiam uidetur nouisse aliquid, seipsum sedu 1.Cor.8.
cit, excæcatusq; est nihil sciens. Scientia enim inflat.

Ipsi Baaleim immolabant, & sculptilibus suffitum faciebant.] Baaleim, ut sæpe dictum est, Baal ipsius idola nominat: sculptilia uerò cæterorum deorum. Indicat autem dementiam ipsorum, quod relicto eo, qui ex Aegypto ipsos redemisset, huiusmodi seruirent idolis. Ac propriam suam bonitatem & benignitatem per sequentia in apricum statuit.

Ego in pedes erexi Ephraim, recepi eum super brachium meum.] Tantam ego begninitatem eis ostendi, ut factus sim ipsis ueluti nutrix. Et quemadmodum illa, paruulū aliquem infantem in manus acceptura, pedes eius colligit, uel eum primùm ueluti in pedes erigit, sicq; eum subleuat: non dissimilem ad rationem ego feci, ac ueluti pedes illorum colligens, uel aptè digerens, assumpsi super dextram meam. Inde iuxtà obscurè hoc indicat, perinde quasi dicat: Non reliqui uagari citra ordinem, citrà ue legislationem, sed collegi palantes ipsos, legem ipsis ferēdo, & brachiū meum, hoc est, robur meum ipsis pro auxilio in bellis exhibendo, quod imbecillitatem eorum baiularet. Infert igitur:

Et non cognouerunt, quod sanem eos incorruptione hominum.] Non cognouerunt, inquit, quod cæteras gentes perdens & uastans ego, ipsos sanarem, adeoq; eis parcerem & commodarem. Etenim Aegyptios & Palæstinam inhabitantes extermi naui. Colligebat etiam pedes Dominus sesē tentantium, eosq; ueluti in pedes statuebat, sapienter respondens: tentabatq; eos assumere super brachium suum, ipsisq; demōstrare potētiam operum diuinitatis suæ, quamdo dissolutum seu paralyticum curauit, quando cæco uisum restituit, quando alia simpliciter signa & prodigia exhibuit. Verùm ipsi non agnouerunt, quod medicus ipsorum demissus esset, qui perditos sanaret. Non enim egent medico bene ualentes. Præterea quosdam in uitijs pro Luc.5
perè currentes, colligit pedibus, & in pedes rite erigit, docēs reflectere cursum ad brachium suum, hoc est, opera sua, imitariq; eius politiam & administrationē. Brachiū enim fortitudinis in operante uita symbolū est. Atenim plericq; non agnoscūt, quod in perditione humanarum cogitationum & uoluntatum sanet eos, hoc est animas: id quod & alibi dicit: Feriam prius, & sanabo melius.

Extendi in eos uinculis dilectionis meæ.] Ligaturus alicuius manus, extēdit eas, Hier.30
ut uincire queat. Idem hoc in loco dicit, Extendi eos, pro eo quod est, paraui eos, idoneosq; feci ut ligarentur dilectione mea. Hoc autem ueluti de uite æquè ait, atq; Dauid: Extēdit palmites eius usq; ad mare, & ad flumina adnata eius. Psal.79

Et hæc hactenus. Quod reliquum erat Theophylacti in Osee prophetam enarrationē, temporis iniuria abstumpsit. Prophetæ igitur uerba in finem usq;, ad LXX *interpretum fidem translata, subiecimus.*

Et ero illis quasi dans alapam homini super maxillas eius, & respiciā ad eum prævalens ei. habitauit Ephraim in Aegypto, & Assur ipse rex eius, quia non uoluit conuerti, & infirmatus est gladius in ciuitatibus eius, & requieuit in manibus illius, & comedēt decogitationibus suis, & populus eius suspensus ex incolatu suo. Et Deus super honorata eius irascetur, & non exaltabit eos. Quid tibi faciam Ephraim: protegam te Israel, quid tibi faciam: Sicut Adaman ponam te, & sicut Seboim conuersum est cor meum in idem. Conturbata est pœnitentia mea, non faciam iuxta iram furoris mei. Non derelinquam ut deleatur Ephraim, quoniam Deus ego sum, & nō homo in te sanctus, & non ingrediar in ciuitatem. Post Dominum ambulabo, sicut leo rugiet, quia ipse rugiet, & stupebūt filij maris, & uenient quasi aues ex Aegypto, & quasi columbæ ex terra Assyriorum. Et restituam eos in domos suas, dicit Dominus. Circundedit me in mendacio Ephraim, & in impietate Dominus Israel & Iudas. Nunc cognouit eos Deus, & populus sanctus uocabitur Dei.

CAPVT XII.

AT Ephraim malus spiritus persequutus est æstum tota die, inania & uana multiplicauit, & testamentum cum Assyrijs pepigit, & oleum in Aegypto mercabatur, & iudicium Domino cum Iuda, ut ulciscatur Iacob iuxta uias eius, & iuxta adinuentiones eius reddet ei. In utero supplantauit fratrem suum, & in labore suo prœualuit ad Deum, & confortatus est cum angelo, & potuit. Fleuerunt & deprecat

sunt mihi, in domo iniquitatis inuenerunt me, ibi dictum est ad eos. At Dominus Deus omnipotēs erit memoriale eius, & tu in Deo tuo conuerteris, misericordiam & iudicium custodi, & appropinqua ad Deum tuum semper. Chanaan in manu eius statera iniquitatis, opprimere potentiam dilexit, & dixit Ephraim: Veruntamen diues effectus sum, inueni requiē mihi, omnes labores eius non inuenientur ei propter iniquitates, in quibus peccauit. Ego autem Dominus Deus tuus eduxi te de terra Aegypti, adhuc habitare faciam te in tabernaculis, sicut in die solennitatis, & loquar ad prophetas. Et ego uisiones multiplicaui, & in manu prophetarum assimilatus sum. Si non Galgala est, nunquid & falsi erant in Galgala, principes immolantes, & altaria eorum quasi testudines super desertū agri? Et recessit Iacob in campū Syriæ, & seruiuit Israel in uxore, & in uxore custodiuit, & in propheta eduxit Dominus Israel de Aegypto, & in propheta seruatus est. Et ad iracundiam prouocauit me Ephraim in amaritudinibus suis, & sanguis eius super eum effundetur, opprobrium illi retribuet Dominus.

CAPVT XIII.

IVxta uerbū Ephraim iustificationes accepit ipse in Israel, & posuit Baal & mortuus est, & nunc apposuit ut peccaret. Et fecerunt sibi conflatilia ex argento suo, secundum imaginem idolorum, opera artificum conflata eis. Ipsi dicunt, Immolate homines, uituli defecerunt, idcirco erunt quasi nubes matutina, & sicut ros matutinus pertrāsiens, & sicut puluis exufflatus ab area, & sicut uapor à locustis. Ego aūt Dñs Deus tuus ego eduxi te de terra Aegypti, & Deum præter me non cognosces, & saluator non est absq; me. Ego pascens te in solitudine in terra inhabitabili secundum pascua sua, & repleti sunt in saturitate, & exaltata sunt corda eorū, propter hæc obliti sunt mei. Et ero eis quasi panthera & sicut pardus, per uiam Assyriorū occurram eis, sicut ursa indigens cibo, & disrumpam conclusionem cordis eorum. Et deuorabunt eos ibi catuli syluarum, bestiæ agri disrumpent eos. Corruptioni tuę Israel quis auxiliabitur? ubi rex tuus? Stet & saluum faciat te in cunctis urbibus tuis. Et iudicet te, quem dixisti, da mihi regem & principem, & dedi tibi regem in ira mea, & habui in furore meo. Congregatio iniquitatis Ephraim, absconditum peccatum eius, dolores quasi parturiētis uenient ei. Iste filius tuus sapiēs, quia nunc non sustinebit in contritione filiorū. De manu inferni liberabo eos, de morte redimā illos. Vbi causa tua mors, ubi aculeus tuus inferne? Cōsolatio abscondita est ab oculis meis, quia ipse inter fratres diuidet, adducet uentū urentē, Dñs ex deserto super eos siccabit uenas eius, desolabit fontes illius, iste arefaciet terrā eius, & omnia uasa desiderabilia.

CAPVT XIIII.

DIsperdetur Samaria, quoniam rebellauit contra Deum suum. In gladio cadent, & lactantes eorum elidentur, & in utero habentes ex eis disrumpentur. Conuertere Israel ad Dominum Deum tuum, quia infirmatus es in iniquitatibus tuis. Tolli te uobiscum sermones, reuertimini ad Dominum: dicite ei, ut non tollatis iniquitatem, & assumatis bona, & reddamus fructum labiorum nostrorum. Et Assur nō saluabit nos, super equum non ascendemus, nequaquam ultrà dicemus, Dij nostri operibus manuum nostrarum, qui in te misereris pupilli. Sanabo habitationes eorum, diligam eos manifestè, quia auerti iram meam ab eis, ero quasi ros Israel. Florebit ut lilium, & mittet radices suas, quasi Libanus ibunt rami eius. Et erit quasi oliua fructifera, & odor illius quasi Libani. Conuertentur & sedebunt sub umbra eius, uiuent, & confortabuntur frumento, & florebunt quasi uinea. Memoriale eius quasi uinū Libani, Ephraim quid ultrà & idolis? ego humiliabo eum, & ego confortabo illum, ego sicut iuniperus cooperiens, ex me fructus suus inuentus est. Quis sapiens, & intelliget hæc? & intelligens, & cognoscet ea? quia rectæ uiæ Domini, & iusti ambulabunt in eis, at impij infirmabuntur in eis.

OSEE PROPHETAE FINIS.

Universidad de Deusto
Biblioteca

ERRATA, OPERIS INTER EXCVDENDVM OBREPTA, SIC CORrigito. Prior numerus paginarum est, sequens uerò uersuum.

Pagina 16.27 *is qui irasc.* 74.25 *calicibus* 76.8 *Hierusalem* 101.8 *tua.*] 277.1 *qui* 363.1 *nus animam* 400.37 *enim* 445.30 *imbecilli* 451.47 *adfligeris* 454.27 *sermo* 493.55 *tanquam* 480. *ultima linea abundat.* 539. ult. *Dñm* 655.4 *morte* 658 *postremâ lineâ dele* 714.48 *fabulas* 767.1. *duæ hic personæ, abundat.* 792.28 *semperq;* 806.52 *uoluisti.*] Per 818.47 *Iephthe,* 848.20 *quæ* 861.36 *Græcos* 888.45 *plaustri* 890.51 *eius.*] 896.11 *Christiane* 899.4 *Aegyptijs* 907.39 *auaritiam* 909.29 *dilectione* 910.33 *faciat* 917.34 *exquirentes* 922.25 *Porrò* 925.15 *At* 929.4 *cucurrit*

RERVM ET VERborum in Theophylacti cõmentarijs memorabiliũ INDEX.

Aaron Christi typus 857 a
Abacuc quid 832 a
abbas quid 90 b
abel propter inuidiam interemptus 75 a
abel quõ loqui dicatur 813 a
abiathar 103 a
abimelech 103 a
abnegare semetipsum 118 a
abraham Chaldæus 296 b
abraham ex fide, nõ ex lege iustificatus 433 a
abraham omnium pater 414 b
abraham præputij & circuncisionis pater 434 a
abraham quem in Isaac offerendo præfigurarit 338 a
abraham resurrectionem credidit 434 a
abraham si iustificatus, cur circunsisus 434 a
abrahæ fides 435 b. 649 b
abrahæ promissio facta qualis fuerit 434 b
abrahæ sinus 227 a
ex Abraham qui sunt, non omnes eius semen sunt 454 a
abundare scire, quid sit 668 b
Ἀκαιρία 869 b
ἄκαιρος 795 a
ἀκαταγαστία 569 b
achaia 549 b
achor quid 898 b
achor uallis 898 b
ἄχρις 542 a
ἀκροβύστια 791 b
Adam non est deceptus, sed Eua 722 a
adam primus et postremus 545 b
adam uetus 437 b
adami mors propter nos 495 b
adam in morte Caluariæ sepultus 403 a
adam ubi sepultus 142 b. 162 a
adæ inobedientia 438 a
adæ significatio 545 b
adæ transgressio 437 b
in Adam quomodo omnes deliquisse dicantur 437 a
adhortatiõis duplex ratio. 934 b
adoptati nos alteram adoptationem expectamus 450 a
aduersarius pro diabolo 17 a
aduentus Christi duo 759 a
aduentũ Christi quis diligat 750 a
adulterium cordis 504 b
adulterium pro idololatria 918 b
adulterium etiam aspectu committi 17 a
Aedes proprias neq; Christum, neq; discipulos habuisse 137 a
ædificantes qui 130 b
ægyptij idololatræ 423 a
ægyptiorum Euangelium 146 b
ægyptus malorum officina 8 a
ægyptus pars Ammonis 890 b
ægyptus unde Alexandria dicta 890 b
ælius Hadrianus templum & ciuitatem Hierosolymorũ fundi tus suffodit 133 a
æmulatio bona 611 b
æmulatio cõtentionis pater 493 b
æmulationis ad uirtutem stimulus 578 a
æquales omnes esse in cœlis 634 a
ærugo quid in sacris literis 910 b
ærarum differentiæ 11 b
æthiops eunuchus primus ex gẽtibus baptismate tinctus 891 a
Affectus paternus 693 b
afflictio 40 b
afflictiones Christianorũ illis in bonum cedere 451 a
afflictiones huius seculi breues 449 b
afflictionum utilitas 773 a
afflictorum consolatio 452 a
Ἀγαλλιάω 854 a
agar 612 b
ἀγαθοσύνη 478 b
ἀγνιαδόλυτος 790 b
ager pro mundo in scripturis accipi solet 41 a
ἀιὼν 812 b
Alexãdria Ammonidicata 890 b
alexandria Persis tributaria facta 891 a
alius et alius de persona dici 271 b
alius qui seminat, & alius qui metit, Prouerb. 302 a
aliud & aliud de natura dici 271 b
alter catio fugienda 506 b
Amalechitæ 874 a
amare primas, gentiliũ affectio 63 b
ἄμεμπτος 659 b
amen particula 15 b. 423 a
amicus de uia ueniens 192 b
ammonis Alexandria 890 b
amor ex spiritu stabilis 672 a
amoris indicium 552 b
amoris rabies 111 b
Anacephalæosis 622 a
ἀναφέρειν 805 a
ἀνάγαστις 317 a
anathema 463 a
ἀνάθεμα τε 247 b
ἀνεξίκακος 744 b
ἀνέγκλητος 755 a
ἄνηθον 703 b
angelus lucis 586 b
angeli uirtus 275 b
angeli & sacerdotes cooperarij Christi 357 b
angeli dæmones 502 a
angeli hominum præsides 56 b
angelorum linguæ 530 b
angelorum natura 825 a
angelus 130 b
angusta porta 22 a
anima citharœdi instar 442 a
anima conculcata quid 106 a
anima quãdo meretrix fiat 889 b
anima seruata, etiam corpus seruatur 500 a
anima uerbi Dei 840 b
animæ curatio difficilior sanatione corporis 101 b
animæ duæ alæ 908 b
animæ deiectionis usus 910 a
animæ & spiritus discrimẽ 152 a
animæ magnates qui 884 b
animæ opera 625 b
animæ peccantis munimenta uo luptates 892 a
animæ rationalis bona 201 b
animæ sanatio difficilior quàm corporis 107 a
animæ tres uires 71 b. 152 a
animæ uestis caro 128 a
animã qui inuenire & perdere dicatur 31 b
animarũ apparitiones falsæ 25 a. 405 b
animalis homo 214 b. 319 a. 492 b
animi sententiam mutare, magnum 624 a
annus Iubileus 338 a
ἄνοια 746 b
ἄνυδρον 289 b
ante luciferum 782 b
antellabus quid 893 b
antichristus 76 b. 707 b
ἀντίλυτρον 720 b
ἀντιπαρέλθῃ 190 b
antippas Herodis filius 92 a
ἀπαύγασμα 767 a
ἀπειθεια 615 b. 685 a
ἀπέχω 669 b
apex quid designet 15 b
ἀφωρισμένος 418 a
ἀφοσιῶσθαι 638 a
aphri Libyes 690 b
ἀποκαραδοκία 654 b
apollo 549 a
apollini laurus consecrata 906 a
apollinarius Laodicensis hæreticus 276 a. 290 b. hæresiarcha 320 b. 332

Universidad de Deusto
Biblioteca

apollinarij error 546 a
apollinarij Laodicenſis hæreſis 657 b
ἀπολύτρωσις 489 b. 673 b
ἀποστολος 960 b
apoſtoli cur in una domo manere iubeantur 111 a
apoſtoli, Dei cooperarij 494 a
apoſtoli, flumina in ſcriptura 851 a
apoſtoli, pedes Domini 881 a
apoſtoli prophetas in quib. præcellant 40 b
apoſtoli quomodo mũdi fuerint 369 b
apoſtoli ſcribæ 75 a
apoſtolorum fides in uerba Chriſti 371 a
apoſtolorum indicia 587 b
apoſtolorum munus 418 b. 551 b
apoſtolorum nomina 28 b
apoſtolorum prædicatio quę fuerit 459 a
apoſtolorum prudentia 148 b
apoſtolorum ſecunda uocatio 99 a
apoſtolos ſuſcipientibus & nõ ſuſcipientibus quomodo appropinquet regnum cœlorũ 187 a
ἀποστοματίσαι 197 b
apparitiones animarum eſſe falſas 25 a
Aqua cur in in aſperſione populi ſumpta 803 a
aqua & ſanguis de latere Chriſti manantia quid ſignent 405 b
aqua uiua 297 b
aquæ natura 864 b
aquæ itineris 850 b
aquæ multæ in ſcripturis 852 b
aquæ multæ pro tentationibus 870 b
aquila 550 a
aquila fortis & uelox 835 b
Arabicorum luporum celeritas 815 b
arbitrium liberum 107 b
arboribus etiam olim ſacrificatũ 301 a
ἀρχηγὸς 821 a
archelaus Herodis filius 9 a
area pro eccleſia 11 b
areolæ 113 a
areopagita 489 a
aretes ſocer Herodis 589 a
arius confunditur 96 b. 308 a. b. 365 a. 375 b. 393 b. 453 b
arius cur confundendus 271 b
arij cæcitas circa lumen 308 a
arij hæreſis 657 b
arij ſecta confutatur 281 a
arij confutãtur 256 b. 272 a. 274 b. 277 b. 301 b. 308 a. 350 b. 351 a. 366 b. 376 b. 383 a. 605 a. 620 a. 674 a
armenij 177 a
armenij negantes aquam è latere Chriſti confluxiſſe confutantur 406 a
arrogans quis 325 a
Aſina quid deſinet 127 b
aſini ſymbolum in lege 361 a
aſpectus inuidioſi 305 b
ἀστράλεια 246 b
Aſſyrij Samaritani 230 b
ἀστίος 817 b
aſtartæ idolum 906 b
ἀστοχεῖν 716 a
ἀστοργία 643 a
εὐ ἀστοχῶν 546 a
Auaritia latronum morbus 65 b
auaritia omnium malorũ radix 360 a
auaritiæ malum 734 b
auris ſerui pontificij abſciſſa quale ſignum 258 a
auricula obedientiæ indicium. 395 b
aures 218 a
aurum quid deſignet 7 b
αὐτάρκεια 734 a
αὐθάδης 755 a
Azyma quæ ſint Paulo 500 b

B

Babel 7 a
babylon 881 b
babylon malorum officina 8 a
babylonij beſtiæ 896 b
babyloniorum ſuperbia 878 b
Bacchæ 920 b
Baceli ibid.
bæthel 911 a
bethel quid 907 b
baptizans non peccata remittit 487 a
baptizati in Chriſtum facultates 898 a
baptiſatis ſpiritum dari, cœlũq; aperiri 98 b
baptiſma fons Iacob 300 b
baptiſma interdum pro morte. 63 a
baptiſma noſtrum, mortis Chriſti figura 810 a
baptiſmatis aqua 304 b
baptiſmatis Ioannis uis 159 a
baptiſmatis myſterium 454 a
baptiſmate fratres facti ſumus 610 b
baptiſmus an in ſolo Chriſti nomine fieri debeat 268 b
baptiſmus non iteratur 765 b
baptiſmi mira uis 516 a
baptiſmi trina immerſio 116 a
baptiſmum non ſufficere, niſi etiã poſtea bene opereris 96 b
baptiſmum cur Dominus dixerit terrenã natiuitatetem 190 b
baptiſmum per tranſitum Iordanis ſignificari 351 a
baptiſmum præſtare primum honeſtatis ueſtitum 221 a
baptizari pro mortuis 543 a
Bar 90 b
barabbas 90 b
barachias 75 a
barnabas 874 b
baſanitis regio 876 b
baſilides 322 a
battalogia 19 a
battariſmus 19 a
Beatitudo 433 b
belijal 571 b
in Bello occidi, fortium uirorũ eſſe 891 b
bellorum genera tria 719 b
bella, hominum incurſiones 76 a
benedictionis calix 518 b
bene eſt, quicquid peccatum non eſt 509 b
beneficium non multitudine donorum, ſed charitate metiendum 575 a
beneficia Dei 464 a
beniamin doloris filius 911 b
beniamin regnum 911 a
beniamin tribus 902 b
Bethabara 280 b
bethania 66 a. 128 a. 242 a.
bethesda 304 b
bethlehem 6 a
bethlehem ad auſtrum ſita 208 a 848 a
bethlehem patria Dauid 153 a
bethphage 242 a
bethſaida patria Ioannis 269 b
blaſphemia 114 b. 498 a
Boanarges 104 b
bona multa Deo ingrata 467 a
bona non ad oſtentationem facienda 100 b
bona noſtra duplicia 240 a
bonorum operũ alia maiora, alia minora 494 b
bonis largius donandum 580 b
boues in ſcriptura qui 853 b
Brabeum, uictora 516 a
βραχύτι 772 a
Buxus quid deſignet 840 b

C

Cadauer quid dicatur 112 a
cæcus cur ad Siloam miſſus 340 b
cæci duces 74 a
cæci duo ſecus uiam ſedentes 642
cæſar quid 131 a

Universidad de Deusto
Biblioteca

cæsarea ciuitas 50 b
caiphas sanguinarius 357 b
calamitatis proprium 878 a
per calceamenta quid designetur 10 b
calix benedictionis 518 b
camelus quid 61 a
λάμηλος 124 b
camelus medium inter munda & immunda animalia 9 b
in Cana signum, an absolutè primum fuerit 287 a
canes qui 21 b
κάνθαρος 843 b
canthari quid ueteribus 843 b
capernaum 13 a
capernaum quid 34 a
capernaum ciuitas cur exaltata 33 b
caput quid 796 a
caput Christi 185 b
capitis apertura quid indicet 522 a
carmelus mons 876 b
carnalis sapientia 555 b
carnalis uita 447 a
carnales operationes cœlum nõ hæreditare 546 a
caro animæ uestis 128 a
animæ uxor 58 a
caro & crux gloria Dei 230 b
caro pro cognatis 529 a
caro si bene ualet, satis est 473 b
carnis nostræ natura corrupta 519 a
carnis & animæ opera 625 b
carnis affectus 446 b
carnem non esse malam 444 b
secundum Carnem uiuere 449 b
castigationis utilitas 590 b
κατάβολή 620 b
καταβραβεύειν 681
καταγνώσθαι 461 a
κατάγελώ 721 a
catechumeni 526 b
κατεργάζεσθαι 619 a
κατηργάσμενος 426 a
καθαροὶ 639 a
cathedra quid in scripturis 126 a
cathormia 897 a
caruli leonum 880 b
κενοφωνίαι 736 b
centurio 143 b
χαίρει 402 b
Chaldæi cur celeres 834 a
chaldæorum mos 835 a
chananæa, ecclesiæ è gentibus collectæ symbolum 44 a
χαραλήψις 767 a
χάρις 763 a
χάρισμα 420 a. 441 b
charitas 722 b
charitas Christiana qualis 697 b
charitas interdum pro cognitione ponitur 23 a
charitas libertatis nostræ causa. 640 b
charitas noxia 468 b
charitas perpetuò durat 532 a
charitas perpetuò proximo exhibenda 472 a
charitatis commendatio 530 b
charitatis communio 624 b
charitatis officium 617 b
charitatis præstantia 472 b
charitatis refrixio omnium malorum radix 424 b
charitatis uincula 852 a
charitatem esse sacrificium 16 b
charitatem inter mandata præcellere 712 a
χαρίζεσθαι 621 b
χαρτονία 733 a
cherubim 847 b
χρήματα cur Græcis possessiones dictæ 124 b
χρηματίζω 825 b
christianæ doctrinæ forma 440 b
christianismus 30 a
christianismus quid exigat 292 b
christianismi duo capita 96 b
christianismi negocium totum in resurrectione consistit 538 b
christiani cuiuslibet interest scripturas legere 646 b
christiani doctoris officium 261 b
christiani hominis officium 221 b 536 b
christiani hominis dignitas 555 b
christiano perpetuò certandum. 498
christiano quies non quærenda. 660 b
à christianum non decentia 641 a
christianum probum mollia gestare dedecet 32 b
christiani à solo Christo dicti 486 a
christianorum diuitiæ 576 a
christianorum militia 513 a
christianorum olim communia omnia 525 b
christianorum persecutiones 747 b
christianorum præmia cœlestia 448 b
christianorum sacrificium unum 805 b
christianorum sapientia 467 b
christianorum splendor 562 a
christianis patiendum est 664 a
Christus 597 a
Christus agricola 383
christus cur ad baptisma uenerit 98 b
christus cur agnus Dei dictus 280 b
christus cur circumcisus 478 a
christus cur cum Pharisæis & malis manducarit 196 a
christus cur filius Ioseph 283 b
christus cur in Capernaum signa faciat, in Nazareth uerò non 163 b
christus cur in parabolis locutus 39 a
christus cur in fine seculorũ passus 804 a
christus cur non ipse baptizarit 293 a
christus cur nos liberauit 154 a
christus cur trigesimo anno baptisatus 11 b
christus cur super asinam sederit 64 b
christus cur semel mortuus 804 b
christus cur resurrexerit 540 b
christus ante omnia genitus 675 a
christus caput ecclesiæ & angelorum 644 a. 681 b. 358 c
christus, Christi ecclesia 527 b
christus Dei potentia 510 a
christus etiam uiduarum spõsus 730 b
christus filius Dauid 2 b
christus finis legis 458 a
christus humilia sapiculè auditorum gratia de se loquitur 335 b
christus legislator 608 a
christus locustæ assimulatus. 893 b
christus mortuus & nudus in pauperibus 407 a
christus Missi ubiq; præsens 517 a
christus non omnia nostra habebat 658 a
christus non solitus diuagari oculis 512 a
christus non solum Deus autho mo, sed & Deus aut homo 416 b
christus palàm mortuus, resurrexit clàm 680 b
christus Paulo spiritus nominatur 379 b
christus pascha uerum 230 a
christus pastor 72. 572 a
christus per mortem suam nos iustificauit 436 b
christus petra scandali 457 b. 559 a
christus pontifex 795 a
christus prophera 1362 a
christus primogenitus & unigenitus 62 a

Universidad de Deusto
Biblioteca

christus quo anni tempore passus 349 a
christus qua hora crucifixus 401 b
christus quare se post resurrectionem tangi permisit 411 b
christus quomodo dicatur sedere super sedem Dauid 150 a
christus quomodo peccato mortuus dicatur 439 b
christus se tradendo discipulis, immolauit se 94 b
christus sponsus 26 b. 102 b. 294 b
christus triduanus 94 b
christus uia 65 a
christus uoluntarius passus 848 b
christi aduentus duo 759 a
christi aduentum quis diligat 750 a
christi afflictiones patimur 552 a
christi arma 851 a
christi caro uiuifica 172 b
christi cibus hominū salus 836 a
christi cognati 105 b.
christi corpus indiuisibile 404 a
christi corpus fideles 842 a
christi cura præferenda curæ pauperum 136 b
christi Deus & pater 477 b. 623 b
christi discipulus qualis esse debeat 216 a. 218 a
christi duorum aduentuum præcursores duo 120 a
christi duæ natiuitates 7 a
christi fratres 322 b
christi humanitas aliàs ab alijs Euangelistis indicata 355 a
christi humiliatio 741 b. 367 a
christi lex sublimior quàm Heliæ uita 185 a
christi mors propter nos 495 b
christi nominis uirtutem etiam per indignos operari 184 b
in Christi nomine petendum. 388 b
christi obedientia 439 a
christi paupertas 185 b
christi plenitudo 615 a
christi pueritiæ miracula conficta 281 b
christi sermonum quos pudeat. 282 a
christi secundus aduentus quando affuturus 135 a
christi tria testimonia 309 b
christi uariæ appellationes 629 b
christi uestem tangere quid 109 b
christi uox suscitantis Lazarum. 556 b
cur Christo potius quàm angelo seu archangelo cuipiam tradita sunt omnia 283 b
in Christum baptizati facultates quæ 898 a
christum cur mox uocati discipuli sequebantur 283 b
christum in nauē susципere quid sit 314 b
christum non præcipuè propter gentes uenisse 64 a
christum non sine corpore uentu rum 140 b
christum oratione non opus habuisse 356 a
in Christo cur omnes resurgent 541 a
in Christo duæ naturæ 326 b
in Christo partes omnes sanctæ 115 b
in Christo una hypostasis 290 b
christi qui 2 b. 359. b
chrysostomus os aureum 415 b
chrysostomi laus 236 b
Cibus Domini quis 301 b
cibus hominum, salus à Deo parta 839 b
cibus nos Deo non commendat 511 b
cibus qui pereat 315 a
ciborum delectus infirmitatis est 474 a
ciborum obseruatio Iudaica. 927 b
cinctura quid sit 648 b
circuncisio quid 153 a
circuncisio res media 627 b
circuncisio cur ab apostolis quibusdam permissa 601 b
circuncisio duplex 428 b. 429 a
circuncisio superflua 426 b
ciuitatem in sanguinibus à satana ædificari 845 b
Clamor equus est & uehiculū iræ tanquam ascensoris 639 b
clauis scientiæ lex 197 a
claues regni cœlorum 51 b
cleopas & Ioseph fratres fuerunt 600 b
clerici unde dicti 891 b
clopa Iosephi frater 43 b
Cœlibatus donum Dei 505 b
cœlum beatorum, neq; moueri, neq; rotundum esse 796 b
cœlum nostra hæreditas 803 b
cœlum thronus Dei 17 b
cœli uirtutes 51 b
cœlorum regnum uiolentum 836 b
cœlorum regnum 13 a
cœlorum descriptio moralis. 590 a
cœna Dominica conuictus 514 a
Cogere nos Deus non uult 219 b
cognati Christi 105 b
cognati fratres 904 b
cognitio à fide, non à rationibus 753 b
cognitionem Dei ubique in scripturis requiri 904 a
κῶλα 778 a
colendi modi uarij 420 a
colloquia praua bonos mores corrumpere 543 b
collybistæ 65 b
collybos ibid.
columba fœcunda 156 a
columba lasciuiæ typus 919 b
columbæ simplicitas 29 b
columbæ mundæ 21 b
columbas uendere 65 b
coma uirum dedecet 523 a
comæ nutritio 521 b
comessatio 616 b
κῶμος 473 a
comparatio quid 663 b
compassio 470 a
compassionis esse expertem, beatiarum est 855 a
compungi quid 461 a
conatus noster facit ut eligamur 560 b
concertatio 563 b
concludere Dei 465 b
concordes qui 57 b
concordia non ubiq; bona 31 a
concordiæ bonum 656 b
concupiscentia 640 b
concupiscentiæ carnalis ardor 504 a
concupiscentiam Dei timor coercet 572 a
concupiscentiæ carnis 625 b
condemnatio probrosa 21 b
condemnatio et reprehensio differunt 642 a
confessio 785 b
confessio nobis tenenda 780 b
confessionis necessitas 735 b
congregatio aquarum, mare. 311 a
coniugalis copia nullam habet immunditiem 506 b
coniugatorum continentia. 505 a
consanguineorum cura habenda 729 b
conscientia peccatum arguit. 476 b
conscientia peccatum indicat. 867 a
conscientiæ puræ fiducia 553 b
consilia & præcepta in scriptura 698 a
consolatio 568 a
consummatio per afflictiones 783 b

Universidad de Deusto
Biblioteca

contemplator 191 b
contemptum sui Deus ulciscitur 699 a
cõrristatio peccati medela 573 b
conuenire pro congredi uel coire 4 b
conuentus & festiuitates differũt 896 b
cophini 313 b
cophini duodecim quid designẽt 45 b
κωφὸν quis dicatur 193 b
cordis adulterium 504 b
cordis circuncisio 439 b
cordis ac oris concordia necessaria 458 b
corban 47 a. 114 b
corbona quid 89 b
corinthus 484 b
corinthij pseudapostolis seruiliter subditi 587 a
cornu 153 b
cornu in scripturis significatio 848 b
corpus an alienos à Deo nos faciat 566 b
corpus animale 545 a
corpus animam iuuat 615 b
corpus Christi uerè esse in altari 136 b
corpus Domini anima & corpore puris suscipiendum 144 b
corpus idem, sed splendidius resurrecturum 544 a
corpus natura malũ nõ est 440 a
corpus naturæ nõ obesse, sed peccatum 440 a
corpus non occidendum, sed opera corporis 448 a
corpus sancti pro uinculo habent 157 a
corpus spirituale 545 a
corporis & animæ sanctificatio 118 b
corporis honor 682 a
corporis corruptio è cœlo 565 b
corporis tyrannis 516 b
corrumpo pro perdo 495 a
corruptio & mortalitas differũt 547 a
κόσμος 274 b. 721 a
crapulæ effectus scortatio 503 b
κράτος 671 b
credere cuipiam 366 a
credere facile, leuitatis indicium 311 a
credere in quempiam 366 b
credere opus Dei, & quomodo 315 b
credens 120 a
credentes, diuitiæ Deo sunt 458 b
crux 261 b
crux contradictionis signũ 157 b
crux fidelis cuiusq; gloriatio 619 a
crux maxima gloria Christi 264 b. 291 a
crux ignominiosa 118 b. 658 b
crux poculũ & baptismus 126 a
crux & caro gloria Dei 230 b
crux quid priscis 31 a
crucis hostes 665 b
crucis supplicium 90 b
crucem tollere 52 b
cultus Dei frustraneus 47 b
cultus rationalis quis dicatur. 464 a
cupiditas bona 683 a
cupiditas bona plura habendi 842 b
curis uitæ ne simus addicti 315 b
currus Domini 883 b
custodia quid prophetis 852 b
custodia Romanum nomen 942
κυβιναὶ 636 a
Cyrene ciuitas 91 b
Cyrus uaticinia correptus 841 a

D

Dæmoniacis, eorũdemq; curatoribus ieiunium necessariũ 55 a
dæmones 883 b
dæmones Christum confitentes 526 b
dæmones etiam uera dicentes cohibendi 99 b
dæmones etiam miracula operari 108 b
dæmones latrones 190 a
dæmones neq; in porcos habere potestatem 109 a
dæmonum in homines sæuitia 25 b
dæmonum uisio 884 b
dæmonum caterua serpentes & scorpij 188 a
dæmonibus tormentum, ab homine pelli 108 a
dæmonij requies 38 b
dandum etiam supra uires 56 b
dare quã accipere beatius 668 a
dauid quid 902 b
dauid typus Christi 2 b
dauidem primũ inter reges Deo placuisse 2 b
Decem millium talentorum debitorrs 58 b
decimarum ratio 235 a
decipere mulierum est 584 a
deipara 277 a
δέησις 719 b
delectus ciborum infirmitatis est 474 a
deliciæ peccati principium 22 a
deliciarũ effectus scortatio 503 b
denarius, spiritus sancti gratia 62 b
denarius numerus perfectus. 502 b
depositum Pauli 739 a
deus charitatis & pacis 596 a
deus cur non semper exaudiat. 910 a
deus cur patiens & longanimis 832 a
deus cur promissa sua differat. 788 a
deus cur solus bonus 60 b
deus in nobis inhabitat 571 b
deus loqui quomodo in scripturis dicatur 840 a
deus non est iniustus 430 a
Deus pater noster & Christi. 409 b
deus peccantibus & delinquentibus quatenus parcat 836 a
deus personam nõ accipit 602 b
deus quibus olim notus fuerit 418 a
deus quibus adsit 913 a
deus quos exaudiat, quos non 543 a
deus quomodo diligendus 910 a
deus quomodo matutinus imber 914 a
deus quomodo nunc operetur 308 a
deus uerbum assumptam carnẽ nunquam deseruit 679 a
deus unus 511 a
deus ut sanctificetur 19 b
deus zelotes 875 a
dei aduersus Iudæos ira 694 b
dei cognitio unguentum precio sum 558 b
dei consilia curiose non indaganda 420 b
dei cooperarij apostoli 494 a
dei cultus spiritalis 419 b
in Dei cultu fidem & opera requiri 543 b
dei derelictio, traditio 423 b
dei facies in scripturis 877 a
dei gratia quandiu nobiscũ maneat 830 a
dei gloria quæsit 423 a
dei imago 673 b
dei in nobis regnantis duo modi 188 b
dei locus quis 913 b
dei omnipotentia 876 a
dei opera inscrutabilia 430 a
dei patris uoluntas 807 a
dei prædestinatio 739 a
dei promissa rata esse 555 a
dei relictionem, excęcationem dici 365 b

Universidad de Deusto
Biblioteca

dei sermonum efficacia 658 b
dei mendicantis & miserentis in scriptura appellationes 215 a
deo odibilis 414 b
deo quomodo omnia possibilia 125 a
deo rotum tribuendum 397 b
deum diligere quid sit 377 a
deum excitare die ac nocte 107 a
deum futura quæ ardua sunt prædicere 418 a
deum in inuitis nō operari 652 a
deum in locis quibusdam separatis apparuisse, à sanctis priscis creditum 658 b
deum nos castigare 525 b
deum nobis habere opus 199 b
deum nos ubiq; præuenire 230 a
deum peccatores nō audire quid significet 543 b
deum per semetipsum iurare 17 b.
deum personas non intueri 420 b
deū specie & figura carere 310 b
in Deum solum propriè confidēdum 774 a
à Deo quæ petenda 191 a
absq; Deo nihil rectè facere possumus 650 a
de Deo quædam cognosci posse, quædam non 412 a
à Deo ratio non exigenda 777 a
defunctorum auxilia 199 a
d. sanctos peccata sequuntur. 735 a
desertor spiritus 841 a
dextera Dei Christus 383 b
διάβολος 745 b
diabolus princeps potestatis aeris 625 b
diabolus mundi rector 37 b
diabolus unde dictus 12 a
diaboli arma 194 b
diaboli corpus, infideles 842 a
diaboli erga homines propinatio 644 b
à diabolo qui cibum petat 113 a
diaconi preces 450 b
didrachma soluitur 55 a
diapsalma 848 a
didymus 411 a
dies futurum seculum 472 b
dies hominis 496 a
dies malus 648 a
dies pro calamitate 918 a
dies pro felicitate 834 a
dies mali 642 b
dici ignoratio nouissimæ, utilis nobis est 700 b
diei malitia 21 b
dierum obseruatio, idololatria 610 a
digitus Dei quis 394 a
dignitas à fide non abarcet 484 a
dij homines dicuntur 378 a
dij marini 860 a
dijudicationis donum 516 b
dilectio omnium mandatorum caput 382 b
dilectio pro maxima fide 195 b
dilectionis species duæ 106 b
diligendi omnes 18 b
diluuij exemplum quid designet 232 a
dina ab Emmare stuprata 516 a
δίνασθαι 664 b
dionysius Areopagita 207 a
διορίζειν 12 a
discordia doctorum offendit discipulos 305 b
discipuli perfectio præceptori optabilis 497 a
discipuli uirtus præceptorem ornat 559 b
discipuli an præceptoribus superiores 30 b
discipuli duodecim, iuxta numerum duodecim tribuum electi 28 a
discipulorum alacritas, præceptoris gaudium 549 a
discipulis cur à Christo inuinctū ne quem salutarent per uiam 186 b
discipulis non grauis imponēda moles 26 b
dispensator quis 237 a
disputatores 488 a
dissidium quandoq; bonum 31 a
διστομον 779 b
dines quis 237 a
diues cur Abraham in auxilium inuocet, ac non potius Lazarū 226 b
diues omnis homo à Deo factus 736 b
diues quomodo uirtute præditus 61 a
diuitum pascua, pauperes 887 a
diuina captu nostro maiora 455 a
diuitiæ Christianorum 576 a
diuitiæ iniustitiæ quæ dicantur. 213 a
diuitiarum amor, mons in scripturis 12 b
diuitiarum amorem nos à Deo abalienare 20 b
diuitiarum contemptus doctorē decet 28 b
diuitias non comitari uitæ lōgæ uitatem 200 b
diuitias non obesse, sed earum solicitudines 177 a
diuitias terrenas Christus minimum nocat 224 b
diuitijs quomodo sit utendum 580 a
docentes à discentibus pascātur. 301 b
doctrina 468 a
doctrinæ Christianæ forma 440 b
doctrinæ spiritualis uarij modi 850 b
doctrinam Domini quando quis teneat 336 b
doctrinæ omne tempus aptum 182 b
doctrinæ uariæ 819 b
doctor & factor 197 a
doctor fide dignus esto 540 a
doctor quis constituendus 282 a
doctor sit talis, quales discipulos esse postulat 718 a
doctoris officium 560 a
doctores etiamsi corruptæ uitæ non contemnendi 72 a
doctores honorandi 702 b
doctores populi paucis contenti sint 513 a
doctores quæstuarij 287 b
doctores uani 513 a
doloris filij peccatores 911 b
dominica dies 265 a
dominica cœna conuictus 524 a
dominus à se ipso alienus 296 b
dominus cur Nazarenus dictus 283 b
dominus in scripturis fluuius dictus 844 a
domini facies 849 a
domini fratres & sorores 43 b. 513 a
domini templum 846 b
dominum diligere quis dicatur 382 a
dominorum erga seruos munus 687 a
domus Iacob 150 a
domus populus 775 b
domus quid significet 213 a
donec particulæ uis 542 a
donec perpetuitatem significare 59 a
donec quid significet 5 b
donec in scripturis non adimere subsequentia 96 b
donec uerā, quomodo exponitur 415 a
donum, operatio & ministerium eadem 520 b
donum & uictimam differre 796 b
dormiens & mortuus differunt 642 b
dositheus Samaritanus 75 b
duodecim euangelium 146 b
δίναμις 421 a

Universidad de Deusto
Biblioteca

E

ἡ uerbum 501 a
ἡ coniunctio ibid.
ebrietas 701 b. 905 b
ebrietas mala 473 a
ebrietas sancta 253 b
ebrietatis mala 502 b
Ecclesia 435 a. 675 a. 694 a
ecclesia concordiam & coniunctionem significat 597 b
ecclesia corpori persimilis 527 b
ecclesia domus Dei 845 a
ecclesia domus paracleti 401 b
ecclesia gentium 891 a
ecclesia mirabilis 130 b
ecclesia sumus omnes 358 a
ecclesia, templum Dei 629 b
ecclesiæ caput Christus 358 a
ecclesiæ ædificatio quomodo super Petrum 51 a
ecclesiæ precum efficacia 553 a
eclipsis in morte Christi innaturalis 92 a
ἐνεργάμαι 539 b
ἐγκαινίζω 808 b
ἐδιώλεθον 511 b
Electio Dei 321 b
electionis Dei incomprehensibilis ratio 454 b
electorum sigillum 741 b
eleemosyna quomodo danda. 18 b
eleemosyna quō ociosis pauperibus sit danda 712 b
eleemosyna uirtutum summa. 548 a
eleemosynæ etiam à pauperibus exiguntur 818 b
eleemosynarum fructus 579 a 701 b
elementa mundi 604 b
elias cur in monte cum Christo uisus sit 53 a
elizabeth 147 a
elizabeth una filiarum Aaron. 150 b
eloquentiam Paulus non magni facit 499 a
Emanuel 5 b
ἐμβριμᾶσθαι 681 a
ementes & uendentes non semel à Christo è templo electi 287 b
emmar 916 a
Encryphias 919 a
ἐνεργεῖ 763 a
ἐνδύλλε χασμῶ 228 a
ἐνεργῶν 763 a
enotia 897 a
ἔνστασις 719 b
ἐνεφορούμενος 727 a
ἐοφτὰι 896 b
ἐοικένα 539 b

Epaphras 756 a
epaphroditus 661 b
ἐπαινέτης 411 b
ephesus 620 a
ephraim quid 911 b
ephraim tribus 902 b
ἐπὶτὸ ἄντρον 816 b
ἔπωτες 695 a
ἐπιφάνεια 739 a
episcoparus unde dictus 722 b
episcopo omnis quæstus turpis. 755 b
episcoporū munus quale 156 a
ἐπίσκοπον 799 a
epistolarum conditio 688 a
ἐπιστομίζειν 756 a
ὡς ἔπος ἐιπεῖν 792 b
ἐργασάμενος 416 a
ἐρίθεια 416 a
errorum autores dupliciter puniendi 733 a
eruca uermis matutinus 870 a
Esaiæ locus explicatus 5 a
esaiæ testimonū de uirginis partu contra Iudæos 5 b
& pro enim 151 b. 337 b
ethnicorum stultitia 459 b
ἔτι particula 732 a
Euangelista diaconus 493 b
euangelistæ quatuor 1 b
euangelistarum concordia 2 a
euangelistas in præcipuis nequaquam discordare 141 a
euangelistas nō omnia scripsisse 323 a. 336 b
euangelistas omnes unum spiritū mouisse 270 a
euangelistas pauca ex multis scripsisse 250 b
euangelium 291 a
euangelium etiam prophetis antiquis notum 418 a
euangelium de quibus dicatur. 418 a
euangelium infidelibus contectū 563 a
euangelium lux 13 a
euangelium quibus salutiferum. 421 b
euangelium quid 1 b
euangelium pro fidelibus 516 a
euangeliū, sermo ueritatis 671 b
euangelium seruatur 183 a
euangelij annunciationis difficultas 487 b
euangelij & legis differētia 560 a
euangelij gratiam ad omnes pertinere 419 a
euangelij gratuita annunciatio laudabilis 514 b
euangelij præco mercedem accipiat, non qui ocio torpeat 515 a
euangelia 402 b
euangelia cur conscripta ibid.
euangelia cur quatuor 1 a
euangeliorum comparationis ratio 57 a
εὐαγγελισμός 778 b
eucharistiam indignè sumentes. 810 b
εὐδοκίαι 621 b. 457 b. 707 a
εὐδοκεῖσθαι 695 a
eunomius 290 a. 308 b. 365 a
eunuchorum differentiæ 60 a
εὐσεβεῖν 729 a
euryches 276 b
ἐξανάγκασις 517 a
excæcare Dei 565 a
excæcaris miserius nihil 253 b
excedere pro peccare 511 b
excellentia bona 841 b
excurere puluerem 192 a
in Exemplum ponere 890 a

F

Facies Dei in scripturis 849 a. 877 a
faciei obscuratio, pallor 20 a
facie ad faciem agnoscere 511 b
fames Hierosolymitana 248 a
fames non aliunde q à Deo 76 a
Fermentum 41 b
fermentum quid 50 b
fermentum Pharisæorum 198 b
fermentum uetus 502 b
fertilitas terræ Deo referenda accepta 786 b
festiuitates & conuentus differunt 896 b
festorum Iudaicorum significatio 312 b
Ficus quare à Domino execrata 128 a
ficus typus sygnagogæ Iudaicæ. 66 a. 128 b
fici humiditas 128 b
fidelis cum infideli matrimonū non ineat 506 b
fidelis & prudens rarus 79 a
fideles perfecti 491 a
fideles simul omnes, ecclesia 482 a
fides à Deo est 485 a
fides Dei donum præclarū 516 b 467 b
fides duplex 467 b
fides fiduciam nobis parit 631 b
fides, fundamentum est 785 a
fides in futuro seculo non erit. 340 a
fides legem non destruit, sed statuit 433 a
fides legè antiquior 606 b
fides libera est 558 a
fides, mentis sepultura 881 a
fides orationis basis 154 a
fides periculis confirmatur 692 b

fides pro scuto 649 b
fides quò nobis prosit 435 a
fides recta unde 328 a
fides seruorum 646 b
fides sola num iustificet 309 a. 381 a
fides testamentum lege antiquius 607 b
fidei descriptio 812 b
fidei est recipere inuisa 411 a
fidei lorica & thorax 701 b
fidei uerae efficacia 66 a
fidei uera unitas & unio 635 b
fidei uirtus 605 b
fidei utilitas 478 b
fidei Christum miracula sua adscribere 120 b
fidem absq; operibus nihil prodesse 22 b
ad Fidem accipiendam nos etiã conferre 468 a
fidem in Christum non esse defecturam 250 a
fidem iustificare 431 b. 840 b
fidem solam ad beatitudinem nõ perducere 479 a. 779 a
fide ac prudẽtia in diuinis quoq; opus esse 205 a
fide promulgata prophetiae euacuantur 535 a
filius Dei semper seminat 176 a
filius hominis 168 b
filius quõ audiat à patre 383 a
filius quomodo sit in patre 376 a
filij & spiritus communio 418 b
filij exaltatio, patris gloria 658 b
filij thalami 102 b
filij quomodo parentum peccata luant 339 a
filio à patre omnia subiecta. 542 a
filio eadem cum patre potestas. 376 b
filium etiam mittere spiritum 364 b
filij regni Iudaei 24 a
flagella 104 a
fimbriae coccineae 72 a
flumina homines laedentes 23 a
flumina pro sanctis apostolis. 851 a
in Fluminibus esse quid 876 b
fluuius in scripturis Dominus dictus 844 a
fluuiorum tellus 850 b
Fornicãtes se inuicem iniuria afficiunt 574 a
fornicatio 424 a
fornicatio ex crapula ferè oritur. 503 a
fornicationis immunditia 504 a
fortis quis, & quae uasa eius. 105 a
Frater quomodo castigandus. 57 a
fratres quomodo arguendi 57 a
fratres Domini 513 a
cum Fratribus non contendendum pro temporalibus 100 b
fraternitas 469 a
fraternitatem peccatum non dirimit 486 b
frugalitas commendatur 49 a
frumenti reiectamenta 663 b
functionem suam quisq; strenuè obeat 468 a
futurorũ cognitio maximè Dei propria 386 b

G

Gabaa ciuitas 918 a
gabriel quid 151 a
galgal 930 a
galgala 907 a
galilaea 132. 284 b
galilaei semper seditiosi 259 b
gastrimargia 107 a
gaudium perpetuum ut paretur. 705 a
Gehenna unde dicta 30 b
gehennae filius 71 b
gaza 47 a. 247 a
genealogiae Iudaeorum 761 a
generatio in sacris literis 250 a
generationes quatuordecim, ubi tantum tredecim personae 4 a
genes. locus explicatus 5 b
genitalium necessitas atq; honos 529 a
gentes cur electae, & Israel repulsus 457 a
gentes cur saluatae 461 b
gentes inexcusabiles 422 b
gentes in filiorum ordinem allectae 49 a
gentes mare in scriptura appellatae 811 a
gentes uolucribus cœli assimilatae 897 a
gentium ecclesia 885 b. 891 a
gentium populus brucho similis 893 b
gentiles canes dicti, & cur 48 b
gentiles insiti sunt 402 a
gentilium ac Iudaeorum odium. 478 b
gentilium seruatio 478 a
gentilium stultitia 459 b
Gladius quid designet 255 b
gladius, sermo fidei 31 a
gloria crucis 491 b
gloria Dei quae sit 269 b. 423 a
gloria res aliena 902 b
gloriari in Deo quis dicatur 435 a
gloriari quando nobis licebit. 554 a
gloriatio nostra 437 a
γυῖσιος 554 b
γυμνάζω 630 a
Gomor 902 b
Graecia 549 b
graeci mendaces 410 b
graecorum stultitia 459 b
grammatici 6 b
gratia 548 b
gratia quid 460 b
graria Dei quandiu nobiscũ maneat 630 b
gratia etiã per indignos efficax. 23 a
gratia ex baptismo 436 b
gratia maior delicto 437 b
gratia pacem praeuenit 419 a
gratia peccatum abstulit 438 b
gratiae Christi superexuberantia 439 b
gratiae & meritorum discrimen. 1 b
gratia plena 149 b
gratiae Deo agendae 49 b 623 b
gratiarum actio 485 b. 817 b
gratiosa 149 b

H

Habacuc uita & interitus 855 a
habenae quid in scripturis designent 884 a
haereses unde dictae 678 b
haereses schismata pariunt 678 a
haereses unde oriãtur 276 a. 483 b. 522 a. 680 b
haeresiarcharum portiones 844 b
haeretici amicitia fugienda 653 a
haeretici num occidendi 42 a
haeretici uafri & blandiloqui 22 b
haereticorum doctrina peruersa 654 b
haereticorum uariae de Christo opiniones 657 a
Hebraica Christum in honore habuisse 143 a
helias & Ioannes idem sortiti ministerium 33 a
hercules à balena deuoratus. 862 b
herodes 104 a. 111 b
herodes cur Iesum uidere gauisus sit 160 a
herodes quid propriè 45 b
herodes unde 6 a
herodis filij 9 a
herodiani qui 70 a. 117 a. 104 a
Hiatus quid 227 a
hierosolyma cur Libano mõti assimilata 845 b
hierosolyma lerna malorum. 123 a
hierosolymorum bellum & desolatio quando cœperit 114 a

hierosolymorũ ciuitas funditus suffossa 133 a
hierosolymitani scribæ & phari sæi reliquis uenerabiliores 47 a
hierusalẽ ciuitas sanguinũ 888 a
hierusalem fluuiorũ tellus 850 a
hierusalem habitaculum leonũ. 887 b
hierusalem spiritualis 824 b
hierusalem ueteris uenatio 888 b
Hodie 782 b
hodie & cras ut intelligatur 212 a
hodie pro semper 777 a
homicidium 504 a
homicidium ex inuidia 424 a
homicidium maximè proprium malum diaboli 335 b
homo animalis 492 b
homo ex duobus componitur. 444 b
homo exterior & interior 565 a
homo, mortalis 415 b
homo nouus 685 b
homo omnis omniũ naturæ particeps 189 a
homo seipsum exploret 617 b
homo spiritualis 492 b
homo uetus, malitia 439 a
homines quomodo Deo comparati mali 22 a
hominum cur nullus bonus 60 b
hominum tres ordines 214 b
honorare quid sit 729 a
honorandum inuicem 469 a
hormus 897 b
horrea diuitiarum nostrarũ sint pauperum uentres 201 a
hosanna 65 a. 127 b. 360 b
hospitalitas 469 b
hospitalitas apud Iudæos in precio 89 b
hospitalitas quatenus ueneranda 191 b
hospitalitatis cõmendatio 45 a. 826 b
hostibus bene precandum 469 b
Humanum modicum 518 b
humiliari quid 214 a. 368 a
humiliatio quid Paulo 593 b
humilitas doctorem decet 28 b
humilitas quanta 121 b
humilitatem ueram non in uerbis, sed in animis cõsistere 716 a
Hydriæ lapideæ 285 b
hypocrisis 198 b
hypocritæ qui 19 a
hypopia 516 b
hyssopus cur in asperſione populi assumptus 803 a

I

Iacobus ab Herode occisus 93 b
iacobi duo 26 b
iacula in scriptura 851 a
iarim quid 912 b. 932 b
iason 484 a
Idololatriæ uanitas 909 b
idolothyta 510 a
Ieiunij uis 55 a
ieiunij uirtus in dæmoniacis. 121 a
iesua 2 a. 149 b
Iesus 149 b
iesus quando prædicare incœperit 15 a
iesus saluator & Deus 5 a
iesu faciem uidere 54 a
iesu nomen Hebraicum 2 a
in Iesu nomine quicquam agere, est Iesum inuocare 685 b
iesus filius Naue 2 b
Ignis à Deo dæmonibus paratus 82 a
ignis inextinguibilis 122 b
ignorantiæ malum 734 a
Illyricum confinium Bulgariæ. 479 b
Imago cœlestis 546 a
imago Dei 671 b
imago terreni 546 a
imber matutinus 514 a
ἰμάσσειν 698 a
immaturæ mortes propter indignè sumptum Christi corpus. 525 b
immisericordem raptorem esse. 82 a
immundus uita non uerè fidelis. 292 a
immundũ sua natura nihil 475 b. 510 a
imperata quomodo perficienda. 22 a
imperiorum alternatio 708 b
impietas derelictionis Dei causa 424 a
impietas & iniustitia differunt. 422 a
impietas pro iniustitia 832 a
improbi è medio tollendi 501 b
imprudenter offusi non curandi 55 b.
impuritas duplex 571 b
impuritas seu immunditia 441 a
impuritatis fructus ignominia. 441 a
impurus nemo sanctus 551 a
in præpositio, filio etiam tributa. 966 a
in pro per 706 b
ἴνα 339 b
inanimis in scriptura uox tributa 843 a
incorrigibiles punire, ad ecclesiæ ædificationem pertinet 595 b
incredulitas condemnatio 291 b
incredulorum uerba 289 b
increpatio importuna nihil ædificat 477 a
increpationum modus 517 b
indignatio 868 a
erga Indociles non decet austeriores nos esse 116 a
indurare Dei 455 a
inferi 547 b
infernus quid 227 a
infidelibus euangelium contectũ est 563 a
infidelitatis origo 311 a
infidelitatem unius pluriũ euincere fidem 183 a
infidum baptizari impossibile. 332 b
infirmitas 497 b. 594 b
infirmorũ scandala uitanda 512 a
inflatio 583 b
iniuriam pati melius quàm inferre 502 b
iniuria afficiẽs publicanus & gentilis 57 b
iniuriæ ferendæ 30 b
inimicitia omnis à nobis cœpit. 675 b
de Inimicis quomodo ulciscendum 336 b
iniusticia & impietas differunt. 422 a
iniustitiæ obedire 426 a
inopi iniurius Deo uim infert. 832 b
insania Pauli sancta 567 b
insipientes lunæ instar mutari. 54 b
insitio naturæ non est, sed fidei. 462 b
insufflare 881
intellectus noster quando turbulatur 881 a
intelligens 188 a
intercessio sanctorum 48 b
interitus nostri causæ 71 b
interpellare Christi quod sit 451 a
interrogantibus malignè, non respondendum 67 a
inuideamus quibus 512 a
inuidia est passio, nõ actio 504 b
inuidia inter pares 657 a
inuidia quæque obscurat bona. 110 b
inuidiæ malum 424 a
ab Inuidis bona nostra occultanda 180 a
ab Inuito quicquam accipere, circumuentio est, siue defraudatio 593 a
ab Inuitis accipere, grauamen. 711 b

Universidad de Deusto
Biblioteca

inuocatio sanctorum 820 a
inutilis redditur qui à bono diuertit 431 a
Ioannes quid 270 a
Ioannes Baptista cur à Deo missus 9 b
ioannes Baptista cur angelus dictus 32 b.273 b
ioannes baptista Elias 54 a
ioānes & Helias idem sortiti ministerium 33 a
ioannes Baptista cur lucerna ardens 310 a
ioannes cur miserit interrogatū. 171 a
ioannes puer cur in desertum abierit 154 b
ioannis indumentum cur ex pilis camelorum 9 b
ioannis Baptistæ interitus 44 a
ioannis baptistina quale 97 b
ad Ioannem tres ordines accedētes 160 a
ioānes Euangelista unus ex duodecim 1 b
ioannes quando & ubi euangelium scripserit 1 b.270 a
ioannes contemplatiuus 408 b
ioannes cur in sinu Domini recubuerit 371 b
ioannes quomodo cognatus Domini fuerit 270 a
ioannes uirgo ibid.
ioannes à Traiano interemptus. 63 b
Ioannis locus explicatur 7 a
ionas quid Hebr. 871 b
ionas in mare deiectus 861 b
ionæ mysterium 857 a
ionæ prophetæ signum 50 a.195 a
ionæ prophetia 856 a
ionæ uita 871 b
ioppe quid Hebræis 871 a
ioseph cur Mariæ uir dictus 4 a
ioseph & Cleopas fratres fuerūt. 600 b
ioseph num iustus uolens dimittere Mariam 4 b
ioseph ut fuerit filius Iacob & Heli 161 a
ioseph filius Dauid & quomodo 5 a
ioseph filij 810 b
ioseph genealogia cur à Matthæo, & nō Mariæ posita 4 a
ioseph uxorē cum liberis habuisse à Theophylacto ostenditur 93 b
ioseph Arimathæus 144 b
iota quid designet 15 b
Ira 868 a
ira iusta 40 b
ira mala bestia 235
ira sine peccato 639 b
irā Dei in hoc seculo, differre ab ea quæ erit in futuro 421 b
iracundi fœdi 531 b
Isaac typus Christi 402 b
isaac uerbo Dei formatus 454 a
Ismael quod ab hæreditate excludatur, non à persecutione, sed à Dei uoluntate initium cœpit 615 a
Ismaelitæ ex Abraham per naturam, non per fidem 435 a
israel cur repulsus 457 a
israel duplex 151 b
israel redimi quid 266 b
israel tribus 902 b
israelis reliquiæ 456 a
Itabirium mons 908 a
Iubileus annus 335 a
iudas 557 a
iudas quid 172 b.210 b
iudas cur in Apostolum electus. 104 b
iuda tribus 902 b
iudæ mors 70 b.89 b
iudę cur pecuniarum administratio commissa 560 a
iudæ duo 28 b.84 b
iudaicæ obseruationes fabulæ aniles 717 a
iudæus quid 91 b.427 b
iudæi canes uocati 49 a .662 a. 651 a
iudæi cur filij dicti 48 b
iudæi cur unum uinctum dimittebant 399 b
iudæi generatio praua 38 a
iudæi mundus dicuntur 394 a
iudæi plurimum à Deo honorati 419 b
iudæi quomodo Romanis tradi ti 402 b
Iudæi quomodo à lege liberati. 441 b
iudæi populus inobediens 460 a
iudæi primùm à Deo electi, postea ingrati, & ob id iustè damnati 431 a
iudæorum & gentilium odium. 471 b
iudæorum baptismi uarij 900 a
iudæorum duę perditiones 241 a
iudæorum erga Christum inuida 324 b
iudæorum erga uxores inhumanitas 123 a
iudæorum genealogiæ 761 a
iudæorum mores fitus 35 a
iudæorum nobilitas 455 b
iudæorum prostrationis causa. 395 a
iudæorū rabies ac malignitates. 604 b
iudæorum seruatio 478 a
iudæorum spes 794 a
iudaorum tri. festa 322 a
iudæis gentes debent 480 b
aduersus Iudæos Dei ira 604 b
iudicium quid 36 a
iudicium Dei pro foribus 518 a
iudiciū peruersum quomodo fiat 833 a
iudicij futuri seueritas 496 b
iudicium sequitur misericordia. 74 a
in Iudicio non contendendum. 17 a
iulianus 115 a
iuranti frequenter non adhibenda fides 18 a
iuris nostri non sumus 504 b
iustè pro uti ater 543 b
iustificatio non ex operibus legis 432 b
iustificationes 147 b
iustitia 154 a
iustitia clemertia 570 b
iustitiæ in superbia hominē facit infirmum 234 b
iustitia Dei ad omnes per fidem peruenit 432 a.457 b
iustitia omnis uirtus 16 a.475 b
iustitiæ arma sinistra & dextra. 570 a
iustitiæ fames & sitis 14 b
iustus 154 a
iusti dij 42 b
iustorum animæ in manu Dei. 25 a
iustorum inter se differentiæ. 544 b
iuuenes sint sobrij 756 a

L

Laborare opus spiritus 699 a
laboribus non semper intendendum 112 b
lachrymæ fons Iacob 301 a
lagenæ in scriptura designatio. 901 b
lampadum designatio 79 b
lana cur in aspersione populi assumpta 83 b
languor 13 b
lapis quis 130 b
lapides pro gentibus 10 b
latere pro ignorare 826 b
λατρεία 419 b
latronis indicia 345 b
latrones qui 128 b
latronū crucifixorum adumbratio 92 a.142 b
laurus Apollini dicata 506 a
lazari reuiscitatio 854 a

lectio quid 554 a
legalia inter se cõnexa sunt 615 a
legati nihil mali patiantur 650 b
legio quid 88 a
legisperiti 196 b
lemma quid 832 a. 874 b
leo in scriptura quid designet. 912 b. 886 b
leonum catuli 886 b
lepra morb. immedicabilis 166 a
leprosi decẽ quos designẽt 230 b
leprosi cur se sacerdotibus ostendere præcipiuntur 230 b
leui trib. immunis à tributis 55 b
leuiathan 54 b
leuitæ 514 a
lex 384 a. 838 a
lex an uoluntas Dei fuerit 467 a
lex à natura perfici non potuit. 11 b
lex animã nõ sanctificabat 604 a
lex est suipsius dissipatrix 613 a
lex futurorũ bonorũ umbra 805 a
lex & mandatum differunt 443 b
lex, Genesis liber 537 b
lex in quem finem lata 871 b
lex iustificãdi uim nõ habuit 432 b
lex, maledictionis causa 606 b
lex pędagogus ad Christũ 608 b
lex peccatum quõ auxerit 438 a
lex peccati robur 547 b
lex pro iustitia 11 a
lex spiritualis 443 b
lex naturalis 274 b
lex omnis scriptura 350 a
lex quõ à Christo adimplera 15 b
lex superflua 426 b
lex uetus 292 a
lex uniuersum uetus Testamentũ 612 a
legis & euangelij differẽtia 560 a
legis ferendæ causa 608 a
legis impletio, proximi dilectio 472 a
legis infirmitas 802 b
legis iustificatio in nobis finem nacta 446 b
legis opera non iustificare 840 b
legis seueritas 560 b
legis ueteris mira mutatio 568 a
legis utilitas 443 a
legem plantationem esse Dei, ideoq; non eradicatam 47 b
à Lege nihil excidere quin fiat. 225 b
in Lege impossibile est iustificari 458 a
lege non existente, non imputari peccatum 443 a
leges quatuor 445 a
leges uariæ à Deo hominibus datæ 286 b
libanus idololatriæ officina 876 b
libanus mons 876 b. 845 b
libanus pro ecclesia bene fragranti 845 a
liberalitas 468 b
libertas Christiana 615 a
libertas euangelica 562 a
libertas nostra ex charitate 640 b
libertas spiritus 155 a
liber uisionis 875 a
liber uitæ 666 b
libri sacri plurimi ob Iudæorum negligentiam desiderantur 9 a
liberorum munus 686 a
liberi arbitrij potestate non abutendum 519 b
liberi arbitrij assertio 52 a. 107 b. 219 b. 244 a. 310 b. 317 b. 321 a b. 370 b. 455 a. 456 a. 504 b. 626 b. 659 b
libertus 507 b
libidinẽ ex temulentia nasci 643 a
libyes populi Phud dicti 890 b
ligare & soluere 57 b
linguarum multiplicitas 534 b
linguarum & prophetię discrimẽ 533 b
literæ uetustas 442 b
locustæ 10 a
locustæ Christus assimilatus. 893 b
locustarum natura 98 a
λόγος 606 a. 780 b
λογεῖον 901 b
λογία 548 a
λογίζομαι 531 a
longanimis 531 a
longanimitas 672 b
lõganimitas Dei nequiores nos efficit 455 b
lõganimitas & mansuetudo differunt 616 b
longanimitatis cõmoditas 633 b
loqui quomodo dicat Abel 815 a
lorica fidei 701 b
lucas euangelista 669 b
lucas euangelista unus ex septuaginta 1 b
lucas Pauli discipulus 1 b
lucas quando suum euangelium scripserit 1 b
lucricupiditas latronum morbus 65 b
luctus peccantib. conuenit 925 b
lugentes qui 14 a
lugere iuuandi species 56 b
lumbus pro uirili robore 886 b
lumbi qui intelligantur 648 b
lumbos constringere 882 b
lunaticus sanatur 54 b
lunatici pro dæmoniacis 13 b
luporum Arabicorum celeritas. 838 b
lutum pro legalibus sacris inscripturis 893 a
lucis filius 641 b
lux 15 a
λύτρωσις 673 b

M

Macedones, Thessalonicenses. 576 a
macedonius 377 a
macedoniani 275 a
macedoniani confutantur 385 b
macedonius 290 a
maculæ 644 b
madianæus quid 849 b
magi cur uenerint 62 a
magdalenæ tres 130 a
magistratus esse iudicare 425 a
magistratuum utilitas 471 b
magnetis natura 817 a
maiorum uirtus 738 a
mala omnia nobis à Deo inferri quomodo 240 a
malè agere quid sit 272 a
maledictio qnomodo à nobis ab lata 607 a
malitia 760 a
malitia infans 535 b
malitia sibi non constat 400 b
malitiæ spiritus 98 b
malignitas 424 b
malus 500 b
malum pro diabolo 182
malo non resistendum ibid.
malum ex animo audiendũ 408 b
malorum consuetudo fugienda 17 a
malorum opprum gradus 494 b
males neq; à natura, neq; à Deo esse 40 a
mammona 20 b
mandatum magnum in lege 72 a
mandatum à lege differre 441 b
mandata 147 b
mandata minima 16 a
manducare in gloriam Dei 520 b
manichæorum error confutatur 11 b. 47 b. 154 a. 274 b. 276 b. 291 a. 302 b. 310 b. 322 a. 347 b. 450 a 399 a. 440 a. 443 b. 541 a. 563 a. 597 b. 615 b. 661 a. 512 b
manna 12 a
manna quid 316 a
mannæ mysterium 576 b
mansuetudo & lõganimitas differunt 616 b
mansuetudinis cõmoditas 633 b
manus 117 a
manus pro diuina potẽtia 806 a
manus puræ 721 a
maranatha 550 a
marcus quando suũ euangelium conscri-

conscripserit 1 b. 97 a
[illegible]elista unus ex se[illegible] 1 b. Petri discipu[illegible] ibid.
[illegible]angelij character 97 a
[illegible]re pro gentibus in scriptura. 271 a. pro præsenti uita 42 b
maris cor 864 a. sinus 227 a
in Mari esse quid 870 b
margarita ut nascatur 42 b
martha 151 a
maria Iacobi Deipara cur dicta. 265 b
maria domum reuertitur parturiente Elizabet 151 b. cur desponsata 4 b. cur Ioseph patrē Iesu dicat 158 b
maria quare conuersa retrorsum 409 a
maria quare θεοτόκος dicta 345 a. è qua tribu 150 b
mariæ tres ungentes Dominum 174 b
mariæ quatuor 405 a
marcellus hæresiarcha 320 a
marcelli Galatrj hæresis 657 a
marcion 291 a. 657 a
marcionitarū error 502 b. 522 a. 404 b. 443 b. 543 a. 565 a. 598 b
mariti atq; uxoris agglutinatio. 469 a
martha quid designet 191 b
marthæ hæsitantia 354 a
massaliani hæretici ocio dediti. 315 a
mater Iesu nouerca dicitur filiorum Ioseph 144 a
matrimonium fidem nihil impedit 452 a. preciosa res, sed non sancta 823 a
matrimonium rutius 504 b
matrimonij curam Deus in primis habuit 643 b
matrimonij difficultas 60 a. nexus, cœlibatus libertas 508 a
matrimonij uoluptas breuis. 508 b
matthæus binominis 102 a
matthęus euāgelista unus ex duodecim 1 b. quando suum euangelium conscripserit 1 b
matthæi locus explicatus 5 b
matthæū hebraico idiomate suū euangelium conscripsisse 1 b
matthiæ quomodo apparuerit Christus 539 a
matutinus imber 914 a
maturinæ pluuiæ terra cur indiga[illegible] ibid.
Medi contra Nineui bellum gesserunt 879 a
mel agreste 102 a
melchi, rex 790 b
melchisedec quomodo semper uiuat 792 a
melchisedec typus Christi 790 b
membra citharæ instar 442 a
mēbra inuicem opus habet 529 a
membrorum bona & mala communicabilia 529 b
mēbrorū inferiorū ordines 529 a
μεμονωμένη 729 a
mendacium maximè proprium malum diaboli 335 b. prohibetur 638 b
mens nostra innouanda 464 b
mentem esse lampadem 79 b
mente inuersa uolentē sequi Christus non recipit 185 a
mente perfectus 515 b
mensas plenas nummorum habentes 118 b
meritorum & gratiæ differentia 1 b
mersionis trinæ symbolum 289 b
μέρος τι 745 a
messis quid designet 28 a. 107 b.
μετάνοια 868 b
μετριοπαθεῖν 781 b
metus duplex 472 a
Michæas percussus 60 b
michææ locus explicatus 6 b
μικρὸν ὅσον ὅσον 812 a
militaris ordo auri mancipium. 394 b
militares insolertiæ 142 a
minimus in regno 16 a
minima mandata 16 a
miracula aut in uerbis, aut in rebus sunt 531 a
misericordia in quib. cōsistat 14 b
misericordiæ opera spiritualia. 82 b
misericordiā fides sequitur 74 a
misericordiam imparriri, summa Dei gloria 456 b
μισοπονηρολογίαι 771 a
mites qui 14 b
Modius occultans lucem gastrimargia 107 a
mœchia & scortatio differunt. 17 a
mœror immodicus etiam hominem perdit 558 a
molles 502 b
monogamia 59 b
monumentum in propinquo & nouum 406 b
mons superba mens 229 a
montani hæresis 535 a
morbus 13 b
morbi initium facilè curari 184 a
morbi corporales, milites Dei. 24 a. ex uoluptatibus 618 a
morbos ex peccatis nasci 305 b
mori peccato quid sit 438 b. pro ueritate, gloria Dei 361 a
de Morientib. nō dolendū 699 b
mors 547 b
mors Christi quasi quædam peregrinatio 137 a
mors contemnenda 30 b
mors in baptismate 742 b
mors lapsus à fide 474 b
mortis metus, maxima seruitus. 774 b
mortis regnum quandiu durarit. 253 a
mortem cur appellarit Christus somnum 352 b
morralitas ex peccato est 440 a
mortificatio duplex 682 b
mortuus, qui malas cogitationes non confitetur 285
moses Christi typus 817 a
moses & Helias cur in monte & quid cū Iesu collocuti sint 53 a. 119 a
mosis splendor 561 a
mulier ex uiro, uir per mulierem. 522 b
mulier uiri gloria 522 a
mulieri priuatim docere permittit Paulus 482 a
mulierum commendatio 712 b conditio 408 a. genealogia non posita 4 a
muliebris cōstantia ac fides 405 a
mundus 274 b. 377 b
mundus, praua opera 648 a
mundus quid in scriptura 819 b
mundus Iudæi dicuntur 394 a
mundi partes quatuor 1 b
mundo nihil immundum 25 a
mundi qui 14 b
murmurare, ingrati est 659 b
mutuum quid 18 a
myrrha quid designet 7 b
myrtus Veneri dicata 906 a
μυστήριον 645 a
mysteriū Christi prędicatio 491 a
mysterium maximum 677 b
mysteria Dei non temerè spargenda 496 a
mysteria nosse quib. datū sit 106 a

N

Nabuchodonosor 536 b
nabuchodonosor Chaldæorum rex 835 a
νὰι 764 b
nardus pistica quid 136 a
nathanael legisperitus 283 b
natura humana nō nisi per Christum sanari poterat 444 a. humana infirma 396 b
natura nihil deforme 529 b
naum quid 884 b

nazareth 151 a
Negociatio latrocinium 213 a
nephthalim 13 a
nequitia 424 a
nero 654 a. Antichristi figura 708 a
nestorius 276 b. 294 b. 317 a. 330 a. 344 b. 210 a. 350 b
Nicodemus nō perfectè credidit. 289 a
ninive urbs 856 a. ciuitas sanguinum 888 a. habitaculum leonū 887 a. demersa 895 a
nouatiani 141 a. 598 b
noui Testamenti præstantia præ lege 560 b
nudus homo 658 a
nuptiæ auxilium uitæ mortalis. 240 b. donum Dei 505 b

O

Obedientia duplex 56 a
obiurgandi fiducia, charitatis indicium 570 b
Ocium 730 b
Offendicula cauenda 55 b
Olea pro imagine insti 815 b
oleum sacrum 111 b
oleum pro eleemosyna 20 a
oleo reges inuncti 555 b
On Alexandria dicta 860 b
onesimus 762 a
operarijs multis opus esse 280 a
operis boni necessitas 425 b. 640 a
opera misericordiæ 82 b
operum maiorum gradus 494 b
operū rationem etiam apud Deū haberi 705 a
in Operibus bonis non superbiēdum 219 b
opera & fidem mutuatim se uiuificare 341 b
oportet, euētus significatiuū 247 b
Orandum quomodo 19 a
orationis Dñicæ expositio 191 a
orationis donum 450 b
in Oratione pernoctādum 169 a
orationum utilitas 667 a. 765 t
origenes reprehensus 82 a
origenis de Thoma somniū 353 a. error 118 b. 127 a. 11 b. 545 b
ouis perdita 57 a

P

Pacifici qui 14 b
palæstina inaquosa 285 b
palea quid in scrip. 160 b. 893 a
panegyris 896 b
panis ἐπιούσιος 221 b. supersubstātialis 19 b
panem in altari sanctificatū, corpus & carnem esse Dñi, nō figuram 75 b. 85 b. 137 a. 318 b
panes cur à Domino multiplicati 45 a
panes propositionis 35 a. 168 b.
panes quinq; 113 a
pantheris in scriptura significatio 912 b
parabola et eius partes quatenus inquirendæ 223 a. 588 a
in Parabolis cur loquatur Dominus 176 a
paracletus 379 b. 705 b
paralysim ex peccatis esse 26 a
paralyticus sanatur 305 a
parentes quomodo & quādo relinquendi 15 b. 99 a. 125 a. 404 a
parentum munus 686 b
ob Parentes ignobiles non erubescendum 3 b
parœmia 358 b
partus dolores 387 b
paruuli qui dicti & quare 188 a
pascha quare perfecerit Christus. 64 b. quomodo olim comestū 212 b
passionem suam cur Dñs prædixerit 238 a
pastoris ueri munus 28 a
pater pro nobis aduocat 568 b quomodo sit in filio 376 a. resurrectionis autor 503 b
patris & filij cadē operatio quid notet 308 b
patris & filij uoluntas una, potestas una, iudicium unum 309 a
patientia 569 b. 705 b. Christianorum 436 a. opus fidei 707 a
patientiæ & consolationis Deus 477 b
patientiæ necessitas 755 b
paulinarum epistolarum excellētia 417 a. symbolum 713 a
paulus ad gentes missus 54 b. ad Iudæos cautè loquit 429 a. ante Neronem adductus 651 b. captiuus 688 b. cur electus, nō itē Iudas 716 b. cur nomē suū penè ubiq; epistolis suis adscribat 417 b. cur seipsum laudauerit 563 b. cur testem Deum adnocet 651 b. cur Timotheum circunciderit 614 b. debitor 421 a. egens etiam cur nil à Corinthijs acceperit 586 a. etiam maiorib. apostolis par 591 b euangelij præco 676 b. in simplicitate, nō in orationis splendore uerbum euangelij annunciauit 49 a. Paulus manibus operatur 550 a. nemini onerosus 585 a. non omnia literis tradidit 521 a. quomodo Petro in faciem restiterit 903 a. semper mori paratus 543 a. spiritu agit 554 b. ut persuaserit 490 b
pauli animus 655 b. apud Atheniēses disputatio 515 b. cædes 751 a. clementia 595 b. consilū quale accipiendum 210 a. conscientia pura 737 a. cum bestijs pugna 543 b. depositum 719 b dicta diuina sunt 505 b. epistolæ è uinculis sanctissimę 690 a in Romanos beneuolētia 480 b in scribendo prudētia 420 b. in firmitates 591 a insania sancta 567 b. mos 541 b. mos in disputando 525 a. prefectus 665 a. raptus 590 a timor 490 b zelus 599 b
pauli Samosateni hæresis subuertitur 657 b 174 a 281 a
pauperes cur fratres Christi dicti 81 b dęmones 124 b. diuitū pascua 887 a. euangelizantes 31 b. non omnes humiles 124 a. sancti 480 b
pauperes spiritu 14 a
paupertas auaris exosa 225 a
Persecutiones Christianorum. 747 b
peccamus etiam ignorātes 802 b
peccātes quomodo arguēdi 57 a
peccantib. & delinquentib. quatenus parcat Deus 836 a
peccatores canes 115 a. consolandi 557 b. doloris filij 911 b
peccatum 911 b 125 a. 442 b. 443 b 444 b. 823 b cur lex dicat 445 a
peccatum in spiritum sanctū irremissibile 37 a
peccati lex in mēbris 445 a. mors 439 a
peccati tanquam imperatoris miles mors 438 b
peccati tyrannis per Christū extincta 447 a
peierare melius, quā ob iuramentum quid facere impium 44 b
per præpositio 292 b
pera quid designet 255 b
pericula fidem confirmant 692 b
pericula nō temerè adeunda 13 a 30 a 35 a 353 b
periurium ubi licitum 111 a
per quem etiā pœna tribuit 773 a
persecutio 40 b
persecutionem patientes qui 14 b
personam Deus nō accipit 601 b
pestis non aliunde q̄ à Deo 76 a
petrus à quibusdam insipienter excusat 258 b. ad Iudęos missus 64 b cur cadere permissus 238 b. pœnitentiæ exemplum omnib. 254 b. cur gladio percussit 111 395 b
petrus præest orbi 415 b. practi-

Universidad de Deusto

cus 402 b satanas 12 a
petri erga Christum feruentiss. ma charitas 46 a. negatio eius scripta 158 b 397 b
peto, quomodo Paulus in faciē restiterit 903 a. præfectura omnium concredita 415 a
Phares & Zares mysterium 3 a
pharisaica disciplina quomodo damnetur 132 a
pharisæus cur ob bonorum operum iactantiam cōdemnetur, Iob uerò coronetur 235 a
philemon 762 a
philippus Herodis filius 9 a
philosophi fallaces 672 a
Photini hæresis subuertitur 274 a 657 b
phylacterium super manum & fimbriæ quid signent 72 b
Pietas 727 a præferenda infidis parentibus 185 b quomodo quæstus 734 a
pietatis prætextu non seditiones esse excitandas 298 b
pilatus unde Pontius dictus 89 a
pirata in scripturis 916 a
pisces cur à Christo multiplicati 45 a. duo qd designēt 45 b 113 a
plaustrum Domini 883 b
pluuia pro diabolo 13 a. pro doctrina 18 b
pœnitentia 606 a. 159 b 785 a 867 b
polygamia Iudæis concessa 713 a
pontificis munus 775 a
porci qui 21 b 220 a
porcorum grunnitus ut compescatur 220 a (552 b
porta inferi, tēratio intolerabilis
porphyrij sophisma 272 a
postremi qui 115 b
potestas omnis quomodo à Deo est 471 a
præcepta & consilia in scriptura 698 a
præceptori discipuli perfectio optabilis 497 a
præceptoris gaudium, discipulorum alacritas 549 a
prædestinatio Dei 739 a
prædicandi officium 421 a
prædicantium sermo quando feliciter currat 187 a
prædicationis uis 30 a
præputium duplex 428 b 429 a
præterita in sacris scripturis pro futuris usurpata 911 a
prandium cœnæ nomen cur accipiat 524 a
preces cur exaudire interdū differat Deus 115 a. breues & crebræ faciendæ 19 b otio & secessu opus habere 66 b. 113 a
,ueræ quomodo fiant 125 a
precum ecclesiæ efficacia 553 a
primus amare quid 63 b
de Primatu contentio discipulorum quomodo à Christo cōpressa 254 a primi qui 125 b
primitiæ nostræ Christus 567 b
prophetæ & phanatici discrimen 526 a
prophetę post Christi aduentum 510 a
prophetarum præstantia 856 a
propitiatorium 799 b. arcæ 432 a
proselyti 75 a 362 a
prouidentia Dei omnia gubernari 859 b
proximus noster qui 109 a
proximi necessitati subueniendū 469 b. utilitas quærenda 519 b
psallendū cur, & quomodo 641 a
psalmi Dauid pro torcularib. inscripti 522 b pseudapostoli 551 b 559 b 562 a 565 a 584 a
Publicanus quis 167 b
pudor peccati fructus 441 a
puer 121 b
pueri in lecto quiescentes 191 b
puerorum natura 869 b
puluerem excutere 29 a
purgatorij assertio 199 a
pusillus grex quis 203 b

Q

Quadrans quid 17 a
quæstiones curiosæ uitandæ 156 a
quercus Nymphis dicata 506 a
quies Christiano quærenda non est 660 b
quis quid significet 459 a pro nullus 365 b

R

Raab figura ecclesiæ 3 b (86
rachel pro Bethlehem cur posita
Recipere 227 a
redargutio pro interrogatione 840 a
redimi Israel quid 266 b
regenerationem pro resurrectione interdum accipi 61 a
regi in quibus obediendum 70 b
regina Austri 195 a
regnum 430 b
regnum cœlorum 23 a Christi primus & secundus aduentus 9 b uiolentum 836 b
regnum Dei 210 b. bonorum fruitio 21 b. uita euangelica 99 a
regnū Dei quod, & quādo Deus regnare dicatur 231 a
regnū pro resurrectione 85 b 16 a
repudiarium 17 b. 59 b
resurrectionis consideratio 131 b 538 a. 447 b 316 b. 317 a 540 b 712 541 b 317 b 664 a 407 b
rete trahentes qui 165 b
reuelatio maius q̄ uisio 589 b prophetiæ species 533 b
Rhaca 16 b
rhama 8 b
rhetores populi ductores 491 a
Romæ magnificentia 421 a
ad Romanos epistola cur ordine prima 417 a
Ruth figura ecclesiæ 5 b

S

Sabbarum quid 103 b 168 b. quomodo colendū 305 b requies 779 a
sabbata Iudæi dies hebdomadæ appellitant 407 a
sabellius Libes refellit 96 b. 271 a 375 b. 377 a. 305 b. 657 b
saber 235 a
saccus 98 a. pœnitentiæ symbolū 33 b
sæculus quid designet 255 b
sacerdotes angeli dicti 598 b. à prophetia creati 718 a. etiamsi mali ob gratiam honorandi 338 a
sacerdotes negociatores 245 b
sacerdotum dignitas 410 b. in sacrificijs portio 514 a munus, prædicare euangelium 479 a
sacerdotij Christi excellētia 792 b dignitas 792 a. princeps 792 b
sacrarum literarum lectio necessaria 748 b
sacrificiū unū Christianorū 805 b
sacrificia uetera figuralia 353 a
sacrificiorū uaria nomina 207 a
sadok hatsiacha 10 a
sadducæi cōfusi 71 a. apud Iudæos hæretici 131 a
sadducæorum secta 10 a
sagittæ in scriptura 851 b
sal qui 122 b terræ 15 a
saleme 170 a salem 750 b
salutationis nomine quid sit intelligendum 29 a
salus diuina uirtute meriēda 91 b
samaritanus cur in exemplū proximi inductus 190 a
samaritana mulier Nicodemo prudentior 298 a
samaritani Assyrij 130 b. Babylonij 28 b. dimidia parte pij 501 a
sanctificatio corporis & animæ 118 b
sanctitas 154 a. 638 a. 657 b
sanctus 154 b. 730 a. 705 a
sanctorū inuocatio & intercessio 42 b. 420 a

sanctos non omnia nosse 696 a
sanctum quodnam dicatur 350 a.
sanguis cur in aspersione populi sumptus 803 a
sapiens 188 a
sapientia 527 a
sapientia carnalis 553 b. Christianorum 467 b
sapientia mundi, stultitia 495 a
σαπρὸς 630 a
sarrha senio & sterilitate affecta 435 a
sarx figura 611 b. satanas 118 a
satanas, gens amara 834 b
satanas quomodo ciuitatē in sanguinibus ædificet 843 b
satanę epulæ, hominum interitus 839 b
satanæ uis 695 a
satanæ tradi 719 a
saulis clemētia erga Amalechitas cur reiecta 871 b
ex Saulo cur dictus Paulus 417 b
scandalum fratrib. ponere Paulus uetetur 577 b
scandalū insipientiū utilitati proximi post habendū 213 b. nunquam præbendum 567 a
scandali necessitas non absoluta, sed ex uoluntate mala 228 b
scandala non irrepunt quandiu corpus unitum est 485 a. uitanda etiam in licitis 476 b
scādalorū autores pharisæi 228 b
σχῆμα 658 a
scienter delinquentem acrius puniri 431 b
σκιρτᾶν 854 a
scorpius 547 b
scortatio deliciarum & crapulæ effectus 503 b
scortatio & mœchia differūt 17 a
scriba, literam legis sciens 24 b
scribæ 43 a
scribi in cœlis 188 a
scripturę diligens scrutatio curanda, nō defunctorū spectra 227 b
scripturæ mos 276 b proprietas 134 b
scripturæ ostium sunt intraturis ad Deum 345 b
scripturæ ueteris libri 757 a
scripturam legem dici 564 b
scripturarum diuinarum assidua lectio 417 a
scripturarum scientiæ utilitas. 1 a. 12 b. 162 a
scripturas legere Christiani cuiusliber interest 646 b
Sectarum mala 486 b
serulum prauum 597 b
seculi huius amor 750 b
secundum naturam, & præter naturam 463 a
securis 160 a iudiciū Domini 10 b
sedek 10 a
sedec, iustitia 790 b
sedere 808 a cuius 254 b 796 a à dextris Christi 126 a. super duo decim sedes quid 63 b
σεῖω 825 b
sela 848 a
semen uerbum Dei 39 a
semitæ pro legalib. mandatis 9 b pro ueteri Testamento 97 b
σεμνὸς 757 b
senator 144 a
in Senes lepidum cauillum 302 b
sennacherim interitus 873 b
sensibilitas res aliena 902 b
sensus moralis 134 b
sepelire 185 b
septem pro multis 176 a 194 b
septenarius numerus 116 b
septies pro sæpius 229 a 229 b
serica unde fiant
sermo diuinus 639 b iucundus sit 688 a sine cognitione & contrà 485 b
sermonis Dei efficacia 658 b
serorinus imbes 914 a
serpentis prudentia 29 b
seruiendi modi uarij 410 b
seruilis conditio à Deo nō est instituta 647 b
seruitutis ignobilitas quomodo tollatur 647 a
seruorum fides 646 b genus morosum 758 b. multę species 417 b munus 686 b
seth, Adæ imago 674 a
Sicima ciuitas 916 a
sidon quid designet 49 a
si fortè, quomodo in scripturis usurpetur 244 b
signum & prodigiū differre 303 b 479 b
signa cur etiam per indignos exhibeantur 453 a
signa credentes subsequētia 145 b
signorum consideratio 50 a
signis fideles opus nō habēt 536 a
simeon 157 a
simon impostor 75 b
simon obedientia dicitur 142 a
simones tres 28 b
simplicitas puerilis 123 a
sina 824 b
sinapis granum 41 b
sinus Abrahæ 227 a maris ibid.
sinus paterhus quis 278 a
siquidem 705 b
σιτιστὰ 69 a
Smilax planta 878 b
Sobrietas 701 b
sobrius 925 a
sobrij sint iuuenes 758 a
sodomitici incendij exemplum quid de signet 272 a
sol pro doctrina & scientia 18 b tentatio 39 b
olicitudo 202 b
solicitudo aliud, & aliud operatio 315 b cur μετεωρισμὸς dicta 203 a
solicitudinem, non laborem pro hiberi 202 b
solicitudine mentē excæcari 20 b
solitarij maximè tentantur 162 a
solitariū degere propheticū 860 a
solitaria loca, mystica traditurus Dominus, petebat 594 b
solitudo cœlum dicitur 218 b
solomonis templum quot annis extructum 288 a
sōlomonis tẽpli præstantia 804 a
σωμα 172 b
σωφρόνομαι 746 b
sors, fortunæ opus 622 b
sors in sacris literis 673 a
sortiri nautis consuetum 760 b
σωφρονίζω 757 b
σωφρόνως 759 a
σώφρων 467 b. 757 b 758 b
sophronij hæresis 657 b
σωφροσύνη 722 b
σωτὴρ 149 b
σωτήριος 758 b
Specula in scripturis 908 a
spelæa, pro occultis corporis locis in scriptura 844 a
spes bonorū cœlestiū non excidit 436 b. quorum dicatur 450 a
spei uirtus 469 b utilitas 478 b
spinæ pro hypocritis 22 b
spiritualis homo 492 b
spiritualia quomodo fuerint Mosaica 517 a
spiritus desertor 841 a
spiritus futuræ immortalitatis pignus 506 a
spiritus idem ueteris ac noui Testamenti 564 b
spiritus mansuetudinis & spiritus austeritatis 499 b
spiritus nihil aliud quàm quod Christus docet 386 b
spiritus non extinguendus 703 b
spiritus post baptisma dat 528 a
spiritus seruitutis, litera legis 448 b
spiritus sigillum est 447 b
spiritus timoris 738 b
spiritus affectus 446 b
spiritus demonstratio 527 b
spiritus dona septem 38 b

ſpiritus & animæ diſcrimen 152 a
ſpiritus nouitas 442 a
ſpiritus operationes in quib. apparent 386 b
ſpiritum ſanctum à filio procedere negat Theophylactus 295 a
ſpiritũ ſanctũ omnes unire 633 b
ſpiritum non eſſe minorem filio 287 a
in Spiritum ſanctũ peccare 200 a
in Spiritu quando ſimus 206 a
ſpiritus immundi 99 b
ſponſus Chriſtus 26 b
ſputum 117 a
Stear quid 918 a
ſtare 908 a
ſtare cuius 254 b
ſtater quid 56 a ſolutus 55 b
ſtare quid 918 a
ſtella pro angelica uirtute 6 b
στοιχέω 617 a
στρατηγοὶ 251 a qui, & quodnam eorum officium 258 a
ſtrenui nomen quibus tributum antiquitus 146 a
Stultitia 114 b
ſtultum Dei crux 489 a
Subditi quomodo puniẽdi 909 b
ſubiectio à Deo ſtatuitur & confirmatur 647 b pietatem non inuertit 471 a
in Sublime tolli quid 202 b
ſudare ac fiere ſanguinem, proverb. 250 b
ſum uerbũ cui conueniat, & quid ſignificet 338 b
ſuperbia 114 b malorum radix 170 a uitiorum arx 414 b quàm ſit pernicioſa 234 b
ſuperbire 368 a
ſuſurratio 593 b ſuſurr 0424 b
Sycaminum 229 b
ſycima prædium Iacob 296 a
συγκαταβάσεις 771 a
ſyllogiſmi Græcorum 581 b
ſyllogiſmis diuina non comprobari 487 b
συμβάλλω 462 b
ſynagoga 694 a
ſynagoga, pphetarũ patria 164 b
ſynagogæ monumenta phariſæi 892 a
ſyncerita 500 b

T

Talentum duplicare quis dicatur 80 b
tanquam aduerbium 658 b
ταπεινοφροσύνη 916 b
ταπεινοφροσύνη ibid.
tarſus 859 a
τελωνεῖον 773 a
templum Domini 846 b
templum ſpelũca latronum 128 b
tẽpli Solomonis præſtãtia 804 a
templa Deum propter nos inhabitare 75 b
tempus acceptabile 569 a
tempus, opportunitas 753 b
tempeſtates non fortuito, ſed diuina uoluntate fieri 859 b
tempora difficilia & mala 745 a
temulentia 905 b libidinis effectrix 643 a
tentatio intolerabilis porta inferi 552 b
in Tentationem neminẽ ſe debere incijere 86 a. 98 b
in Tentationem non intrare 257 a
tentationes tres 12 b
tentationũ capita tria 162 b. duo genera 192 b 257 a
terra ſcabellum Dei 17 b
terræ fertilitas Deo referenda accepta 780 b
terræ machina incorruptibilitate donanda 449 b
terræmotus in rerum alteratione à ſcriptura poni 93 a
tertium cœlum 589 b
teſtamentum nouum & gratiam & ueritatem appellari 278 a
teſtamenti noui præſtantia præ lege 560 b
Thæman 848 a
thalami filij 102 b
tharſeis 859 a
theophylacti ſuper morte Ioannis opinio 293 a
θεὸς Deus ſine articulo etiam de patre dicitur 507 b
theudas occiſus 70 b
thomæ incredulitas 410 b. 411 a
thorax fidei 701 b
throni duo 781 a
thuris ſignificatio 7 b
θέσθαι 796 b
θυμιᾶσθαι 796 b
θυμὸς 639 b. 877 a
θυσία 796 b
timor auget reuerentiam 183 b
timoris & charitatis coniunctio 574 b
timoris ueri argumentum 686 b
timotheus Pauli diſcipulus 713 b cur à Paulo circunciſus 614 b
timothei uirtus 549 a
τίτλος 633 b
titulus Chriſti ſuper crucẽ quare ſcriptus 403 b. trilinguis quid ſignificet 262 b
titus 572 b
Torrens in ſcripturis Dominus dictus 844 a
τρύχελος 780 b
tradere Dei quid ſit 423 a. 424 a 617 b
tradi ſatanæ 719 a
tranſiguratio cur regnum Dei dicatur 53 a
tribulationes ſanctis non citra lucrum abire 865 a
tribulationum uſus 866 a
tribuli pro hypocritis 22 b
tribus diuiſæ in duo regna 902 a
tribus terræ 77 b
trinitatis myſterium 564 a
triumphus 558 b. 680 b
τροχιαὶ 812 b
Tubæ in bellis uſus 534 a
tu dicis, bifariam intelligi 260 b
tunica inconſutilis 404 a
tunica quid propriè 18 a
turpiloqui taxantur 37 b
turturum natura 156 a
Tyrus quid ſignificet 49 a

V

Vado quid ſignificet 327 b
ualde manè 94 b
ualentinus 876 b
uallis Achor 898 b
uallis pro peccato 908 a
Veile Dei uarium 407 a
uelociter prædare 5 b
uelum templi quid 92 b
ueneri myrtus & roſa ſacra 906 a
uenti pro ſpiritibus malis 23 a
uentilabrum quid ſignet 11 b
uenter quibus Deus ſit 665 b
uenter tropo Hebraico cor 320 a
uentris ſtudium damnatur 483 a
uerbum quid 271 a
uerbũ Dei 159 a 639 b. non temere ſpargendum 496 a
uerbum Dei ſuſcipientiũ & conſeruantium tres ordines 106 b
uerbum in Deo 767 b
uerbi diuini aggrauationes 369 b
uerba pro factis 156 a
uerba tacenda & arcana 590 a
uerborum pugna uitanda 743 a
ueritas 500 b
ueritas fidei baſis 294 b. rationis lumen 637 a
uermis non moriens 121 b
uerſutia 424 a. uerſutus 500 b
ueſpera ſabbatorum 94 b
ueſperũ pro cõſummatione 61 b
ueſtis uetus 27 a
ueſtem Chriſti tãgere quid 109 b
ueſtes pro uirtutibus 65 a
ueſtimentorum ſciſſionis ſymbolum 88 b
uctita magis cupiuntur 442 b
uetus Adam 437 b
uetus homo, malitia 439 a
uetus Teſtamentũ figura 377 b

uia

uita 875 b pro euangelio 9 b. pro nouo Testamento 97 b. pro uita 17 a
uiæ Domini quæ 154 b
uictimam & donũ differre 796 b
uictimarum usus 806 a
uiduarum etiam sponsus Christus 730 b
uiduitatis commendatio 510 a
uigilia secunda & tertia quæ intelligantur 204 b
uigiliæ noctis iuxta militarem disciplinam partitæ 46 a
à Vilibus & abiectis pati, durissimum 751 a
uinciri seruile esse 891 b
uindicta Deo relinquenda 470 b 170 a
uindictæ cupiditas quantum malum 59 a
uinea quid 851 b
uinea quæ, & qui nam eius cultores 244 a
uinea, Iudæorum populus 67 b
uinea pro diuinis scripturis 68 a
extra Vineam occisus Dñs 68 a
uinum nouum 27 a
uini immoderata potio 643 a
uino multo non utendum 724 b
uir mulieris caput 643 b
uirorum cur in scriptura tantum mentio 313 a
uirorũ erga uxores munus 686 a
uirginitatis commendatio 509 b
uirtus 159 b. 490 b
uirtus Dei siue potentia diuersa 411 a
uirtus honestatis causa 475 a. rectitudo 90 b ueritas est 637 b
uirtutis forma ac decor 464 b. species uariæ 40 b. resurrectio 439 a
uirtutẽ absq; Deo nõ perfici 23 a
uirtutes uniuersales 1 a
uisio 840 a
uisionis liber 875 a
uisiones quando diuinæ & quãdo diabolicæ 148 a
uita 474 b
uita, bona res 661 a
uita hæc peregrinatio 855 a
uita non mala est, sed eius abusus 655 a
uita præsens, mors est 682 b
uita sensibilis 737 a spiritualis 737 a
uitæ nomen in scripturis quid designet 655 a
uitæ ratio 415 b
uitam nostram esse certamẽ 108 b
uitæ duæ 847 b
uitium, mendacium 667 b
uitium obliquirates tenere 905 b
Vlciscendi ratio optima 470 b
Vna sabbatorum 235 a. 548 a
unigenitus Dei filius 674 a
unctio absq; oleo 417 b
unctionis Mariæ Magdalenę mysterium 84 a
unus è duodecim 136 b
uno opus est, quid significet 191 b
ungi post lotionem, apud priscos gaudij signum 20 a
Vocatio Dei duplex 706 b
uocatio quæ dicatur 507 b
uocatorum differentiæ 417 b
uoluntas Dei 464 b
uoluntas hominẽ bonũ aut malum facit, non natura 456 a
uoluntatis nostræ libertas 744 a
uoluntatem à Deo uel coronari uel puniri 18 b
uoluntatem Dei quis faciat 324 b
uolũtate nostra quomodo Deus indigeat 455 a
uoluptaria transitoria 439 b
uoluptas naturalis suauior 425 b
uoluptas res aliena 902 b
uoluptates animæ peccãtis munimenta 892 a
uotum & orationẽ differre 19 b
uota reddere 882 a. uouere 862 b
uox etiam inanimis à scripturis tributa 847 a
uox spiritus inarticulatus 279 b
Vrbs superna 853 a
Vsq; in sacris literis non adimere subsequentia 96 b
usura 206 b
Vt coniunctio 525 b
ut particula interdum euentus significatiua 42 a
ut euẽtum, nõ causam semper significare 365 a
ut particulæ significatio 352 a
utres 27 a
Vulpis nomine pharisæi subraxati 212 a
Vxor diligenda uiro 644 a
uxor & serua & domina mariti 505 a quomodo dicatur uiro aptari 471 a. quomodo relinquenda 125 a. ut se gerat in domo 645 a
uxoris atque mariti agglutinatio 469 a
uxori commorandum 645 a
uxorem ex aliena tribu ducere, lege prohibitum 4 a
ab Vxore quænam uiro utilitas 115 a
uxores alienigenarum cur prohibitæ 910 b
uxorum cura 509 a
uxorum est obedire 643 b
uxorum munus 686 a
uxoria rei molestiæ 508 a

Y

ὑπερφάνια 614 b
ὑπερφανεῖν 412 a
ὑπομονὴ 672 b
ὑπόστασις 767 a
ὑποτύπωσις 812 a
ὑπωπιάζω 516 b

Z

Zabulon 132
zacharias 147 b
zacharias interemptus 65 b 67 a. 197 a
zachariæ silentium quid signet 149 a
zebedæi filij 63 a
Zares mysterium 32
Ζηλοτυπίαι 583 b
zelus 875 a
zelus bonus 616 a
ζῆλος 583 a
Zizania 41 a. 42 a
Zona pellicea 98 a
zoro 72
zorobobel in Babylone natus 72

SERIES CHARTARVM.

a a b c d e f g h i k l m n o p q r s t u x y z. A B C D E F G H I K L M N O P Q R S T V X Y Z. *Aa Bb Cc Dd Ee Ff Gg Hh Ii Kk Ll Mm Nn Oo Pp Qq Rr Ss Tt Vu Xx Yy Zz. Aaa Bbb Ccc Ddd Eee Fff Ggg Hhh Iii Kkk Lll Mmm. Omnes sunt terniones.*

BASILEAE PER IOANNEM HERVAGIVM,
mense Septembri. M. D. LIIII.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Universidad de Deusto
Biblioteca

Universidad de Deusto
Biblioteca

Universidad de Deusto
Biblioteca

Universidad de Deusto
Biblioteca

Universidad de Deusto
Biblioteca

Universidad de Deusto
Biblioteca

Universidad de Deusto
Biblioteca

Universidad de Deusto
Biblioteca

Universidad de Deusto
Biblioteca

Universidad de Deusto
Biblioteca

Universidad de Deusto
Biblioteca

Universidad de Deusto
Biblioteca

Universidad de Deusto
Biblioteca